PHILOSOPHIA CHRISTIANA DOGMATICARUM VERITATUM DE CREATIONE, ET RECREATIONE HOMINIS.

Ex Theodidactis Libris Melliflui Ecclesiæ Doctoris,

SANCTI PATRIS BERNARDI, ABBATIS PRIMI CLARAVALLENSIS,

Sacri Ordinis Cisterciensis propagatione Patriarchæ,

FIDELITER DESUMPTA, ET CONCINNE DISTRIBUTA.

In qua continentur quatuordecim Partes: quarum quælibet constat decem Capitibus.

In I. Parte agitur de Creatione, & prævaricatione primi hominis.
In II. De exordio crucis, quam Christus sustinuit triginta tribus annis.
In III. De institutione Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ.
In sequentibus VI. Partibus tractatur de Passione Jesu Christi, incipiendo ab ejus oratione in Horto, usque ad Sepulturam suam.
In reliquis V. Partibus agitur de fructu Passionis Dominicæ: De secretis Regni Cœlestis: De Ultimo Fine hominis: De amore Dei: De diligendo JESU Crucifixo.

Cui annexa est Gratiarum Actio pro Redemptione generis humani, dedicata

DOMINO JESU CHRISTO CRUCIFIXO,

Trigintatria Epitheta ordine alphabetico complectens.

Opus non solùm Concionatoribus ad erudiendum mentes Fidelium in dogmatibus Fidei, & inflammandum corda eorum in amorem JESU Christi Crucifixi pernecessarium, sed etiam ipsis Religiosis aspirantibus ad Evangelicam perfectionem perutile.

COMPACTUM STUDIO ET LABORE

R. P. Fr. Bernardi Bogdanovitz Poloni, Copriunicensis, Sacerdotis, S. Th. D. Monachi Monasterii Andreoviensis in Polonia, Ordinis Cisterciensis, ac ejusdem Ordinis Procuratoris Generalis substituti residentis in Urbe.

N. D. M.

ROMÆ, ANNO M.DC.XC.VII.
Ex Typographia Joannis Jacobi Komarek Bohemi, apud Sanctos Vincentium & Anastasium, in Trivio.

SUPERIORUM PERMISSU.

DEDICATORIA.

SERENISSIMO,

AC POTENTISSIMO AVGVSTO II.

REGI POLONIÆ VERE CATHOLICO:

Priùs quidem ab Augustissimo Poli Rectore,
(Gratiâ cujus meruit anno 1697. 11. Junii profiteri Catholicam Fidem)
Ex DUCE SAXONIÆ, ac ELECTORE Imperii Romani, Ordinato:
Dehinc ab Augustalibus Polonis XXVII. Junii Electo,
In Augustali Ecclesia Cracoviæ XII. Septembris augustè Coronato,
Augustiùs ab universo populo Salutato,
Augustissimè à Proceribus Regni Acclamato:
VIVAT AUGUSTUS SECUNDUS REX POLONIÆ,
Magnus Reipublicæ Christianæ Defensor:
Accingatur gladio suo super fœmur suum potentissimus.
Orietur in diebus ejus abundantia pacis, donec auferatur Luna.
Intendat, prosperè procedat, & regnet.
Sagittæ Regis acutæ: populi Turcarum & Tartarorum sub ipso cadent.
Vivat Sanctæ Romanæ Ecclesiæ,
Matri & Magistræ omnium Ecclesiarum:
Fidem Catholicam fideliter custodiat, & inviolatè conservet.
Vivat Poloniæ Regno, Antemurali Christianitatis:
Arcem Camenecensem anno 1673. occupatam à Turcis vendicet.
Vivat Sacro Fœderi cum Principibus Christianis anno 1682. inito:
Inimicos Christiani nominis constanter persequatur:
De adversariis Crucis Christi sæpè triumphet:
Pro recuperatione Terræ Sanctæ operam Regiam adhibeat.
Hoc votum nostrum, hæc spes desideriorum nostrorum.
Fr. Bernardus Bogdanovitz Polonus, Ordinis Cisterciensis Monachus
Salutem à Rege regum, & Domino dominantium.

HUjusmodi tam jucundis acclamationibus, simul & votis Patriæ meæ carissimæ adeò permotus eram, ut non diu mihi cogitandum fuerit, cujusnam potissimùm nomine hanc Philosophiam Christianam Dogmaticarum Veritatum de creatione, & recreatione hominis inscriberem, quemquè illi Patronum accersirem: nam Tu statim occurristi SERENISSIME REX *tunc, quando sonuit per Romam vox exultantium cum ingenti tripudio, ac dicentium, Ducem Saxoniæ abjuratâ hæresi electum esse in Regem Poloniæ.* Deus ipse profectò (a) elegit Vos ad honorem suum, ad salutem vestram, ad patriæ sospitatem & pacem. Exiit sermo iste inter Catholicos, (b) audivit & lætata est Sion, & est Vobis gloria coram Deo & omni populo. Quàm lætis amplexibus ma-

S.Bern. Abb. Claravallen. iuxta [illegible] librorum authore Horstio in 6. Tomis impress. Parisiis anno 1667. a *Epist.* 92. b *Ep.* 132.

ter Ecclesia colligit filium quem se amisisse dolebat! Quàm læto & sereno vultu Deus Pater recipit hoc sacrificium de manibus vestris! Sermo qui insonuit, (c) ædificat multos, imò universalem lætificat civitatem Dei, ita ut lætentur cœli, & exultet terra, & omnis lingua glorificet Deum de vestra conversione. Terra mota est, quia cœli distillaverunt à facie Dei Sinai, pluentes istis diebus solito abundantiùs pluviam voluntariam, quam segregavit Deus hæreditati suæ. Non apparebit ultrà vacua in Vobis Crux Christi, quemadmodùm in multis filiis diffidentiæ, qui tardant converti ad Dominum. Omninò refloruit & nunc quasi de novo lignum, in quo pependit Dominus gloriæ, qui mortuus est non tantùm pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum. Ipse ipse colligit Vos, qui diligit Vos tanquam viscera sua, tanquam fructum pretiosissimum Crucis suæ, tanquam dignissimam recompensationem Sanguinis sui. Proinde super bono nuncio, (d) quod de Vobis auribus nostris insonuit, vehementer gavisa est anima mea, & exultavit cor meum in Domino! qui quem præscivit & prædestinavit conformem fieri imaginis Filii sui, vocare dignatur, ut in præsenti justificet, & glorificet in futuro. Porrò hæc & his similia, (e) quæ de Vobis, SERENISSIME REX, per Orbem celebri in dies jucunditate crebrescunt, quantâ cor meum suavitate repleant, non est facile dictu. Laudarem Vos, (f) si Vobis hæc accidisse ex Vobis cognoscerem. Cæterùm digitus Dei est iste, & mutatio planè dexteræ Excelsi. Datum optimum est, & donum perfectum, nec dubium quin descendens à Patre luminum. Idcirco in ipsum omne præconium jure referimus, qui facit mirabilia solus: qui fecit ne in Vobis ociosa jam esset ea quæ apud se est, copiosa redemptio. Quippè non ab homine, (g) neque per hominem, sed à Domino factum est istud: non enim homo, sed Deus est qui operatur in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit. A Domino, inquam, factum est istud; & ideò non solùm mirabile, sed immutabile esse debet in oculis nostris. Quis enim vel quid est homo ut adjuvet sensum Domini, vel spiritum ejus? Novit ille qui quærit ovem perditam, & quid quærat, & ubi quærat, & quomodo & unde revocet, & ubi collocet, sic ut eam ulteriùs non perdat.

2. Si quis de populo deviat, (h) solus perit: verùm Principis error multos involvit, & tantis obest, quantis præest ipse. Vos autem non sic: (i) ab hoc Vos opprobrio liberavit nunc Divina misericordia, ut essetis Christi bonus odor Deo in omni loco, ipsi ad gloriam, Angelis ad lætitiam, hominibus ad exemplum. Benedictus sit Sanctus Angelus, (k) qui pio pectori vestro id suggessit. Benedictus sit Deus, qui persuasit. Benedictus sit Deus (l) & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui jussit lumen suum splendescere in corde vestro, quatenùs contemnentes insanias falsas, ad gloriandum in spe gloriæ filiorum Dei, de intimis animæ medullis trahatis suspiria. Confirmet autem Deus in Vobis bonum quod inspiravit propositum: ne antiquus inimicus & hostis humani generis, Vos vel à proposito avertere, vel subvertere possit in proposito. Quid igitur opus est facto, (m) nisi ut satagatur quomodo laudabile propositum consequatur dignum effectum? Studete proinde perseverantiæ, quæ sola virtutum coronatur. Non inveniatur apud Vos, *Est* & *Non*, ut sitis filii Patris Vestri qui in cœlis est, apud quem nimirùm non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Porrò (n) sola perseverantia meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Prorsùs absq; perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec palmã victor consequitur. Vigor virium consummatio est virtutum, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Saül cùm esset parvulus in oculis suis, Rex est super Israël constitutus: non perseverans in humilitate & regnum amisit & vitam. Si cautela Samsonis, si Salomonis devotio perseverantiam retinuissent, nec is profectò privaretur sapientiâ, nec ille viribus. Hoc summæ honestatis insigne,

hanc

c *Epist.* 109. *nu.* 1. d *Ep.* 355. *nu.* 1. e *Ep.* 244. f *Ep.* 109. *nu.* 1. g *Ep.* 324. *nu.* 2. h *Ep.* 127. *nu.* 1. i *Ep.* 134. k *Ep.* 147. *nu.* 1. l *Ep.* 385. *nu.* 1. m *Ep.* 109. *nu.* 2. n *Ep.* 129. *nu.* 2.

ıanc totius probitatis unicam fidamquè custodem, custodiri à Vobis firmiter precor. Nemo potest venire (o) ad ęternam beatitudinem nisi per Fidē. Maneat ergo in Te recta Fides, sit in Te incorruptæ confessionis Fides. Quæ cùm jàm de Vobis (p) ad Dei & vestram gloriam ubique clarescant, restat ut principio tam laudabili condignum exitum lare, & hostiæ capiti caudam jungere satagatis. Multi audito hoc verbo (q) dixerunt ıpud se: Jam securis ad radicem arborum posita est. Multi dicunt in corde suo: Flo-'es apparuerunt in terra nostra: tempus putationis advenit, in quo sarmenta sterilia ·ecidentur, ut ea quæ prævalent, uberiùs fructum afferant. Hoc vehementer expe-ltat & omninò expetit à Te mater Ecclesia, hoc filii ejusdem matris pusilli cum majo-'ibus desiderant, hoc suspirant, ut omnis plantatio quam non plantavit Pater cœle-tis, eradicetur. Da operam quam possis, (r) ut increduli convertantur ad Fidem, con-'ersi non avertantur, aversi revertantur: porrò perversi ordinentur ad rectitudinem, 'ubversi ad veritatem revocentur, subversores invictis rationibus convincantur, ut 'el emendentur ipsi, si fieri potest; vel si non, perdant auctoritatem facultatemquè ılios subvertendi. Non omninò & ab hoc insipientium genere pessimo Tibi dissimu-ındum est. Dico autem hæreticos schismaticosquè: nam hi sunt subversi & sub-'ersores, canes ad scissionem, vulpes ad fraudem. Erunt, inquam, hujusmodi aut cor-ipiendi, ne pereant; aut ne perimant, coërcendi. Non crescat, (s) qui ascendit cubile ıatris sui, & maculavit stratum ejus. Maculavit Ecclesiam homo ille, & rubiginem uam simplicium mentibus affricuit. O quàm cupio semper illa de Vobis audire, (t) in uibus glorificetur Deus, honoretur ministerium vestrum, & mater Ecclesia lætifi-etur! Manum vestram misistis ad fortia: (u) opus est fortitudine, opus est pruden-iâ. Sapientibus & insipientibus debitor estis: opus est justitiâ. Postremò maximè :emperantiâ opus est, ne qui aliis prædicat, ipse (quod absit) reprobus fiat. De cætero avete, (x) ne voluptas carnis & gloria temporalis impediant Vobis iter regni cœle-:is. Nam quid prodest paucis diebus regnare super terram, & regno cœlorum æter-ıo privari? Horrendum est (y) incidere in manus Dei viventis, etiam Tibi ô Rex.) quàm molestis auribus audiemus contraria tam bonis principiis vestris! O quàm marior Ecclesiæ mœror post tanta prælibata gaudia, si frustrari (quod absit) ontigerit tam jucunda spe singularis clypei sui vestræ indolis, sicut hactenus est xperta!

3. Rex cœli & terræ (z) regnum Vobis in terra donavit, donaturus & in cœlo, si id uod accepistis, justè & sapienter administrare studueritis. Hoc est quod Vobis opta-ıus, & pro Vobis oramus, ut & hîc fideliter, & illic feliciter regnetis. Cæterùm uis mihi tribuat mori, (a) ne videam Regem bonæ opinionis, sed spei me-oris, conari Dei consilio obviare, irritare adversùs semetipsum summi Judi-is iram, Patris orphanorum pedes madefacere lachrymis afflictorum, pulsare œlos clamoribus pauperum, sanctorum precibus, justisque querimoniis charissimæ ponsæ Christi, quæ est Ecclesia Dei viventis? Absit, absit. Meliora speramus, expe-:amus jucundiora. Non obliviscetur misereri Deus, nec continebit in ira sua miseri-ordias suas. Non contristabit per illum & de illo Ecclesiam suam, per quem & de quo n tantis jam lætificavit. Quem suo munere contulit, sua longanimitate servabit: t si quid aliter sapitis, & hoc ipsum Vobis revelabit, & erudiet corda in sapientia. Ioc optamus, hoc oramus die ac nocte. Hoc sentite de nobis, hoc sentite de nostris. 'estis nobis est Spiritus veritatis, (b) per quem & diffunditur charitas ista in cordibus ostris, quomodò Te cupiamus in visceribus Jesu Christi. Quia ergo æmulamur Te)ei æmulatione, nonmodò est ad eum pro Te deprecatio nostra, sed etiam ad 'eipsum, ut solicitè provideas, quomodò Te oporteat conversari in sorte ministerii ıujus. Dico enim non de præsumptione, (Deus scit) sed de charitate, quoniam ju-licium grave his qui præsunt, si non etiam prodesse laborant: & è contra, qui benè ninistraverit, gradum bonum acquiret. Tu ergo, desideratissime Domine Rex, de-lina obsecro magis ac magis à malo, & fac bonum: nec inveniaris in Christi hæredi-

tate

Lib. de modo bene viven. cap. 1. p Epist. 165. q Ep. 237. nu. 6. r Lib. 3. de Considerat. ad Eug. Papam cap. 1. nu. 3. s Ep. 369. nu. 1. t Ep. 239. nu. 1. u Ep. 26. x Ep. 206. y Ep. 170. nu. 2. z Ep. 45. nu. 1. a Ep. 170. nu. 2. b Ep. 335. nu. 1. & 2.

tate quærens quæ tua sunt, sed memor esto semper Apostolici illius verbi: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec quidquam auferemus.* Quamobrem eam quæ immortalis est animam tuam serva, ne quâ occasione avelli aut eradicari queat ab affectu cordis tui, quod Dominus loquitur in Euangelio: *Quid prodest*, inquit, *homini si universum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Nec totus (c) mundus sufficeret. Magna res anima, quæ Christi Sanguine redempta est. Gravis animæ casus, quæ nonnisi Christi cruce potuit reparari. Si rursùm corruerit peccato duntaxat ad mortem, unde jam reparabitur? Numquid aut alter Christus, aut idem iterùm crucifigi habet pro illa? Jugi proinde meditatione (d) inter hujus transeuntis gloriæ blandimenta, memorare novissima, & in æternum non peccabis.

4. Regis dedecus, (e) Regni diminutionem nunquam volui: volentes odit anima mea. Legi quippè in Epistola S. Pauli ad Romanos: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et, *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Quam tamen sententiam cupio Vos omnimodis custodire, in exhibenda reverentia summæ & Apostolicæ Sedi, & Beati Petri Vicario, sicut ipsam Vobis vultis ab universo servari imperio. Summum victoriæ genus, (f) cedere Divinæ majestati; & auctoritati matris Ecclesiæ non reluctari, summus honor & gloria. Regna terræ (g) & jura Regnorum tunc sanè sana suis dominis atque illæsa persistunt, si Divinis ordinationibus ac dispositionibus non resistunt. Si hæc facis, (h) opus Principis facis: & spes est, ut tuum Deus dilatare & roborare debeat Principatum. Si non, timendum Tibi est, ne hoc ipsum quod videris habere honoris & potestatis, auferatur (quod absit) à Te. Ad hoc denique (i) Te constituit Principem super terram Princeps regum terræ, ut sub eo & pro eo bonos foveas, malos coërceas, pauperes defendas, facias judicium injuriam patientibus. Multa bona opera (k) ostendistis sæculo nostro ex gratia quæ data est Vobis. At nullum (ut arbitror) quod magis pro gloria vestra faciat, quàm si sic feceritis. De gloriæ vestræ crebris successibus, (l) creber nuncius lætificat civitatem Dei. Ipsius est enim opus, (m) quòd Corona gloriæ vestræ in dies ampliatur & sublimatur, mirabiliter crescens ac proficiens in omni decore & magnificentia apud Deum & homines. Justum proinde est, (n) ut vestra prosperatio, Ecclesiæ roboratio sit: & cùm exaltat Deus electum de plebe sua, ipsa quoque se sentiat exaltari, ac de roboris incremento fortiorem agnoscat. Hinc prorsùs (o) elevata est magnificentia tua super cœlos: tantùm ut laudabile principium condigno exitu perornetur. Quod quidem universi qui Vos amant, vehementer expectant, idquè flagitant maturari.

Benedictus sit Deus qui Vos elegit, (p) & erexit cornu salutis nobis, ad laudem & gloriam Nominis sui, ad subveniendum Ecclesiæ suæ in tempore malo: postremò ad operandum etiam nunc salutem in medio terræ. Confortare, (a) & esto robustus; manus tuæ in cervices inimicorum Ecclesiæ. Vendica Tibi nobile genus similibus moribus, (b) quod non aliunde nobile, quàm morum ingenuitate, & Fidei fortitudine fit. Induere fortitudinem, & hæreditasti. Posside Fidem, posside pietatem, posside sapientiam, sed sapientiam sanctorum, (ipsa est timor Domini) & habes quod tuum est. Cæterùm quod factum non est, (c) Vobis credimus reservatum, ut in eo experiatur Ecclesia Dei fervorem zeli vestri, potentiam brachii vestri, & animi sapientiam. Una arca (d) tempore diluvii fuit. In hac arca octo animæ, cæteris omnibus pereuntibus, evaserunt: & quotquot extra arcam inventi sunt, perierunt. Arcam hanc typum tenere Ecclesiæ nemo est qui ambigat. Cùm autem quisque cæterorum Episcoporum habeat suam navem, (e) Beati Petri Vicario una commissa est grandissima navis; facta ex omnibus ipsa universalis Ecclesia, toto Orbe diffusa. Plenitudo siquidem potestatis super universas Orbis Ecclesias (f) singulari prærogativâ Apostolicæ Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit.

5. Ad

c Ep. H. 54. d Ep. 237. nn. 7. e Ep. 182. f Ep. 185. nu. 2. g Ep. 255. nu. 1. h Ep. 279. i Ep. 270. k Ep. 285. nn. 3. l Ep. 153. nn. 1. m Ep. 179. n. 1. n Ep. 150. n. 1. o Ibid. nu. 2. p Ep. 130. n. 1. a Ep. 237. n. 7. b Lib. 2. de consilerat. ad Eug. cap. 6. n. 13. c E. 238. d Lib. 2. de Vit. S. Bern. cap. 7. nu. 45. e Lib. 2. de considerat. cap. 8. nu. 16. f Ep. 131. nu. 2.

. Ad hoc constitutus es Rex super gentes, (g) ut evellas & destruas, & ædifices
lantes. Ruant, (h) ruant qui noxiè stant, erigantur digni. Ponatur securis ad
icem sterilium plantationum, purgentur fructiferæ, ut fructum plùs afferant:
tenùs exultet ubique (i) & glorietur in Domino Ecclesia Catholica. Propterea per-
imini & comprehendite eos, (k) qui venientes ad Vos in vestimentis ovium, devo-
t plebem vestram, sicut escam panis, sicut oves occisionis: & nolite desistere, do-
penitùs depereant & diffugiant de cunctis finibus vestris, quia non est tutum
nire vicinis serpentibus. Sedent in insidiis cum divitibus in occultis, ut interfi-
it innocentes. *Fures sunt & latrones*, quales in Euangelio Dominus notat. Subversi
t & parati ad subvertendum, planè maculatores famæ vestræ, corruptores Fidei
ræ. Corrumpunt bonos mores colloquia mala: præsertim talium *sermo* (sicut
t B. Apostolus) *serpit ut cancer*. Non est tamen abbreviata manus Domini, (l) nec fa-
impotens ad salvandum. Liberabit & hoc tempore absque dubio Sponsam suam
suo Sanguine redemit eam, suo Spiritu donavit, donis cœlestibus exornavit, dita,
ihilominùs & terrenis. Liberabit, inquam, liberabit, sed in manu alterius. Li-
ibit Deus (m) per cæteros filios Ecclesiam suam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.
lesia Dei (n) ab exortu sui usq; ad hæc tempora pluries tribulata est, & pluries libe.
. est. Sciendum est autem, (o) Ecclesiæ statum non armis æstimari, sed meritis. Ipsiu-
ppè non alterius agnoscimus voces illas in Psalmo: *Si consistant adversùm me castra*
timebit cor meum. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo. Propterea,
os qui de Ecclesia sumus, non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur
ntes in cor maris. Ecclesia quando infirmatur, Pauli magisterio didicit esse po-
ior. Didicit è regione & à Salamone, quòd prosperitas stultorum occidit
. Didicit & stultum firma radice cùm viderit, statim maledicere pulchritu-
i ejus.

. Non est meum (a) hortari ad pugnam: est tamen (securus dico) Advocati Ec-
iæ arcere ab Ecclesiæ infestatione *Tarcarum* rabiem: est Cæsaris (AUGUSTI REGIS)
priam vendicare Coronam (*Arcem Camenecensem*) ab usurpatore. Tyrannus
carum extulerat in altum cor suum, (b) sed jam humiliatur sub potenti manu
, jam superborum & sublimium colla calcantur. Vidimus stultum firma radi-
(c) & statim maledictum est pulchritudini ejus. Vidimus, vidimus impium super-
ltatum & elevatum sicut cedros Libani: & transivimus, & ecce non erat. Imò ve-
anicus ille stultus (d) & totius stultitiæ princeps, qui verè mutatur ut luna, sa-
ntiam perdidit in decore suo. Quapropter (e) accingere gladio tuo super fœmur
m Potentissime Rex, & restituat sibi Cæsar quæ Cæsaris sunt, & quæ sunt Dei
. Utrumque interesse Cæsaris constat, & propriam vendicare Coronam, & Eccle-
n defensare. Alterum Regi, alterum convenit Ecclesiæ Advocato. Victoria, sicut
Domino confidimus, præ manibus est. Quod factum non est, (f) Vobis credimus
reservatum: ut in eo experiatur Ecclesia Dei fervorem zeli vestri, potentiam bra-
i vestri, & animi sapientiam. A Vobis id omnimodis flagitamus, (g) quod aliunde
strà tentatum est. Circumspeximus, & non erat auxiliator. Nunc autem tempus
pus est, (h) ut agatis pro loco quem tenetis, pro dignitate qua polletis, pro pote-
te quam accepistis: ut memoria vestra non solùm in benedictione, sed & in admi-
ione sit generationi huic omni, quæ ventura est. Dei profectò nuper virtus fuit,
quòd iter satis laboriosum & meticulosum pro liberatione *Viennæ* susceptum, in
ta prosperitate peregit *fel. mem. Joannes III. Rex Poloniæ anno* 1683. idquè (quod
jus fuit) in manu non magna, ut animi fideiquè magnitudo clariùs emineret. Quòd
nte tantillum exercitum terra tremuit & quievit: quantus putamus horror ho-
um corda invadere habeat cùm cœperit AUGUSTUS Rex procedere in magni-
dine brachii sui? Cæterùm (k) nequaquam de ipsa vestra prudentia vel fortitudi-
, sed de Dei tantùm adjutorio ubique præsumatis, scientes quia non in fortitudine
sua

pist. 237. nu. 6. h *Ep. 239. nu. 1.* i *Ep. 237. nu. 3.* k *Ep. 241. nu. 1.* l *Ep. 243. nu. 2.* m *Ep. 193.* n *Ep. 243. nu. 2.* o *Ep. 176. nu. 2.*
Ep. 139. nu. 2. b *Ep. 388. nu. 2. jux. edit. Mabillon.* c *Ep. 189. nu. 5. jux. edit. Coster.* d *Ser. 1. de Virg. Deip. nu. 4.* e *Ep. 243. n. 3.* f *Ep. 238.*
Ep. 198. nu. 1. h *Ep 359. nu. 2.* i *Ep. 139. nu. 1.* k *Tract. de exhortat. ad Milites Templi cap. 13.*

ſua roborabitur vir. Et ideò dicatis cum Propheta: *Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus*. Et illud: *Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus ſuſceptor meus: Deus meus, miſericordia ejus præveniet me*. Et item: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed Nomini tuo da gloriam*: ut in omnibus ſit ipſe benedictus, qui docet manus veſtras ad prælium, & digitos veſtros ad bellum.

7. Scriptum eſt: (l) *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Surrexerunt viri audaces, qui non timent conjunctos à Deo contra Deum disjungere. (m) Homo fallax (hæreticus) venit ad vos, ô *Principes ſacri Fœderis*: credo ut fallat, ſed abſit ut vos. Hoc enim non niſi in multorum diſcrimen idquè maximum poſſet accidere. Semper quidem ſicut fallere malum, ita falli à malo eſt plerumque & malum. Sed intereſt ſcire quis & in quo fallitur. Quantò veſtra poteſtas & dignitas major eſt, tantò ea quæ vobis fortè ſubreptio fit, nonmodò perículoſior ſed & turpior erit. Qui Dei ſunt, (n) libenter junguntur vobis: qui autem ex adverſo ſtat, aut Antichriſti eſt, aut Antichriſtus. Fruſtra molitur miſer (o) ſuper populum Dei malignare conſilium, & cogitare adversùs ſanctos, ſancto firmiſſimè adhærentes fœderi, & contemnentes curvare genua ante Baal. Nulla fraude prævalebit obtinere regnum ſuper Iſraël, & ſuper civitatem ſanctam, quæ eſt Eccleſia Dei viventis, columna fidei, & firmamentum veritatis. *Funiculus triplex difficilè rumpitur*. Ergo quæ Deus conjunxit, (p) homo non ſeparet. Magis autem quod Divina ſanxit auctoritas, humana ſtudeat adimplere voluntas: & jungant ſe animis, qui juncti ſunt inſtitutis: invicem ſe foveant, invicem ſe defendant, invicem onera ſua portent. Quiſquis autem tentaverit (q) dividere quos Deus colligavit, probabit ſeſe non Chriſtianum, ſed Antichriſtum, reus mortis & crucis Chriſti. Si quis aliud, (r) quàm locutus ſum, vobis ſuadere conabitur, is profectò aut non diligit Regem regum, aut parùm intelligit quid regiam deceat majeſtatem: aut certè quæ ſua ſunt querit, & non valdè quæ Dei ſunt curare convincitur. Obſecro vos per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, (s) ſi quis in vobis eſt zelus Dei, miſeremini Eccleſiæ ſanctæ ſaltèm vos amici ejus: & quantùm poteſtis, date operam ne tam deteſtabili facto detur aſſenſus. Univerſæ quippè Eccleſiæ negotium eſt, (t) non unius cauſa perſonæ.

8. Benedictus ſit Deus qui vos elegit, (a) & erexit cornu ſalutis nobis, ad laudem & gloriam Nominis ſui, ad reparandum Romani Imperii decus, ad ſubveniendum Eccleſiæ ſuæ in tempore malo: poſtremò ad operandum etiam nunc ſalutem in medio terræ. Ipſius eſt enim opus, quòd corona gloriæ veſtræ ita in dies ampliatur & ſublimatur, mirabiliter creſcens ac proficiſcens in omni decore & magnificentia apud Deum & homines. Benedictus ſit Deus (b) & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui conſolatus eſt vos in tribulatione veſtra, dum abſtulit opprobrium Saracenorum à cervicibus veſtris. Ceciderunt muri Jericho, cecidit Babylon magna: deſtruxit Dominus munitiones inimicorum ſuorum, & extulit cornu populi ſui. Deo autem gratias, (c) qui dedit Eccleſiæ victoriam, honeſtavit eam in laboribus, & complevit labores illius. Triſtitia noſtra in gaudium, & luctus noſter in citharam verſus eſt. Ille, ille iniquus *Tyrannus Turcarum*, qui peccare fecit Iſraël, morte abſorptus eſt, & traductus eſt in ventrem inferi. Fecerat quippè ſecundùm Prophetam pactum cum morte, & cum inferno fœdus inierat: ideoquè juxta Ezechielem factus eſt perditio, & non ſubſiſtit in æternum. Benedicti vos à Domino, (d) quorum ſtudio & induſtriâ Civitas *Vienna* liberata eſt *ab obſidione Turcarum*. Quibus vos laudibus efferam, (e) qui ſoli condoluiſtis afflictæ, & tam in prima quàm in ſecunda ſua defenſione oppreſſæ aſtitiſtis, aſcendentes ex adverſo, & opponentes vos murum pro domo Iſraël? Non eſt inventus ſimilis vobis in illo Conventu, qui ſe indueret zelum Phinees, & mucrone confoderet fornicantes. Benefaciat vobis Deus, (f) & meminerit fidelis ſervitii & piæ compaſſionis & conſolationis & honoris, quæ ei in tempore malo, & in diebus afflictionis ſuæ exhibuiſtis.

Nulla

l *Epiſt.* 216. m *Ep.* 247. *nu.* 1. n *Ep.* 124. *nu.* 1. o *Ibid. nu.* 2. p *Ep.* 243. *nu.* 1. q *Ep.* 116. *nu.* 6. r *Ep.* 243. *nu.* 3. s *Ep.* 235. *nu.* 2. t *Ep. ſt.* 126. *nu.* 11. u *Ep.* 159. *nu.* 5. a *Ep.* 139. *nu.* 1. b *Ep.* 367. c *Ep.* 147. *nu.* 2. d *Ep.* 132. e *Ep.* 165. f

Nulla, meo judicio, (g) in corona vestra est preciosior gemma zelo illo vestro, quo æmulari consuevistis oppressos, nec relinquitis virgam peccatorum super sortem justorum. Hinc (h) longè latèque satis dilatata est magnificentia vestra super terram. Etenim gloria nominis vestri quos fines non attigit? Multa quidem bona opera (i) ostendistis sæculo nostro ex gratia, quæ data est vobis. Sed audite (k) consilium diligentium vos: Studete, quod in vobis est, hanc ipsam gloriam referre ad illum à quo est, si non vultis eam perdere, aut certè perdi ab ea.

9. Sermo mihi ad vos de negocio Christi, (l) in quo est utique salus nostra. Ecce nunc, ô *Principes Sacri Fœderis*, tempus acceptabile, ecce nunc dies copiosæ salutis. Commota est siquidem & contremuit terra: quia Deus cœli perdidit Terram suam. Suam, in qua visus est, & annis plusquam triginta Homo cum hominibus conversatus est. Suam utique Terram, quam illustravit miraculis, quam dedicavit Sanguine proprio, in qua primi resurrectionis flores apparuerunt: & nunc (peccatis nostris exigentibus) Crucis inimici caput extulerunt sacrilegum, depopulantes in ore gladii Terram benedictam, Terram promissionis. Ipsam Dei viventis occuparunt Civitatem, Officinas nostræ redemptionis everterunt, & Loca sancta Agni immaculati purpurata cruore polluerunt. Ipsum quoque religionis Christianæ Sacrarium (*Sanctum Sepulchrum*) invaserunt & conculcarunt, in quo propter nos Vita nostra obdormivit in morte. Non est leve verbum (m) quod insonuit: triste satis & grave est. Et cui triste? imò cui non triste? Soli filii iræ iram non sentiunt, nec tristantur tristibus, sed lætantur & exultant in rebus pessimis. De cætero communis tristitia est, quia communis est causa. Non est (dico vobis) in causa tam generali & tam gravi tepidè agendum, sed ne timidè quidem. Legi apud quendam Sapientem: *Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate.* Ego autem dico, fideli homini magìs & inter flagella fidendum. Opus quidem grande (n) & onus inæstimabile suscepistis, quod à nemine nisi Divina virtute possit portari: supra vires est hominis negotium vestrum: sed Deo facile est, quod hominibus est impossibile. Si hæc scitis, cavendum vobis summoperè est, ne qua occasione tam necessarium repellatis auxilium, ne qua suggestione Deum offendatis, & gratiam ejus vobis reddatis inoffensam. Cavendum (inquam) nunc maximè est, ne quando provocatus à vobis irascatur Deus, & avertat faciē suam à vobis, ac manum retrahat adjutorii. Siquidem periculum hoc non solùm ad Imperatorem spectat, sed ad universam Ecclesiam Dei: quia ex hoc jam vestra & totius Mundi una est causa. Quorsùm hæc tendant, audite. Intraverunt aquæ (o) usque ad animam Christi, tacta est pupilla oculi ejus. Exeratur igitur gladius uterque Fidelium (p) in cervices inimicorum (*Turcarum*), ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, quæ est Christianorum Fides: *ne quando dicant, Ubi est Deus eorum?*

10. En ipsa Orientalis Ecclesia tam miserabiliter clamat, (q) ut quisquis non toto compatitur affectu, Ecclesiæ filius esse non probetur. En de cælo clamat: (r) Virgo Israël corruit, & non est qui sublevet eam. Quousque in luto aurum jacet? Tollite margaritam, tollite: levate splendidissimam atque pretiosissimam gemmam de sterquilinio. Quomodò mutatus est color optimus, (s) facta est quasi vidua Domina gentium, Princeps provinciarum? Gravem nimis (t) ac miserabilem Orientalis Ecclesiæ gemitum ad aures vestras, imò ad ipsa etiam penetralia cordis arbitror pervenisse. Dignum ergo est ut secundùm magnitudinem vestram, magnum exhibeatis eidem vestræ & omnium Fidelium Matri compassionis affectum, præsertim tam vehementer afflictæ. Dignum est, inquam, ut tantò ampliùs comedat vos zelus domûs Dei, quantò ampliorem locū, ipso Authore, tenetis. Transeat jam nunc sanctus hic pietatis zelus, (u) ad miserandam illam Ecclesiam transmarinam, quia nunc tempus est miserendi ejus. Vinea Domini Sabaoth est, vinea electa, vinea speciosissima: sed (heu!) in desertum penè redacta, quia singularis ferus depascitur eam. Cur dicunt gentes: *Ubi est Deus ejus?* Ubi quem posuerunt custodem in vineis? ubi manus putans? ubi sar-

g *Epist.*195.*nu.*2. h *Ep.*207. i *Ep.*240.*nu.*3. k *Ep.*207. l *Ep.*322.*nu.*1. m *Ep.*256.*nu.*1. n *Ep.*363. o *Ep.*256.*nu.*1. p *Tract. de exhort. ad Milit. Templi cap.*3.*nu.*5. q *Ep.*362. r *Ep.*223. s *Ep.*242.*nu.*3. t *Ep.*355.*nu.*1. u *Ep.*239.*nu.*2.

culus excolentis? Quousque sarmento inutili occupatur tellus, suffocatur fructus? Et certè tempus putationis nunc advenit. Si quis Dei fidelis, (x) si quis Ecclesiæ filius est, profectò stabit & opponet se murum pro domo Dei. Alioquin si duramus viscera, (y) si obduramus corda, si plagam hanc parvipendimus, nec dolemus super contritione: ubi est nostra in Deum charitas, ubi dilectio proximorum? Imò verò si non satagimus, quantâ possumus sollicitudine, consilium aliquod & remedium tantis malis adhibere: quomodò non ingrati convincimur esse ei, qui abscondit nos in die malorum, in tabernaculo suo? justiùs perinde ac vehementiùs puniendi, utpote tam Divinæ gloriæ, quàm fraternæ salutis negligentes. Putasne quia major illi detur gratia, (z) & non magìs etiam quod videtur habere auferatur ab eo? Nonne enim jure perditum reputatur, quod ingrato donatum est? aut dedisse non pœnitet, quod periisse videtur? Oportet proinde gratum esse hominem & devotum, qui percepta gratiæ munera nonmodò manere sibi desiderat, sed & multiplicari. Agite ergo, (a) & in his quæ cœpistis, soliciti estote persevrrare & abundare magìs, ut augeantur in dies incrementa frugum justitiæ vestræ.

11. Nunc tempus & opus esse existimo, (b) ambos educi gladios in recuperationem Orientalis Ecclesiæ. Nunc collaborandum est & compatiendum matri Ecclesiæ, (c) ne & de nobis conqueratur dicens: *Qui juxta me erant, de longè steterunt.* Quid facitis Viri fortes? (d) quid facitis servi Crucis? Itane dabitis Sanctum canibus, & margaritas porcis? Quid tamen arbitramini, *ô Principes sacri Fœderis?* Numquid abbreviata manus Domini, aut impotens facta est ad salvandum, quòd ad restituendum sibi hæreditatem suam exiguos vermiculos vocat? Numquid non potest mittere Angelorum plusquam duodecim legiones, aut certè dicere verbo, & liberabitur Terra promissionis? Omninò subest ei cùm voluerit posse. Sed dico vobis: Tentat vos Dominus Deus vester. Respicit filios hominum, si fortè sit qui intelligat & requirat, & doleat vicem suæ Ecclesiæ Orientalis. Plaga Ecclesiæ nostræ magna est, (e) & multâ eget curâ. Necmodò multâ, sed & citâ, ita ut assiduè cum lachrymis Medico cœlesti instemus dicentes: *Domine, descende priusquam moriatur.* Ne terreamini tamē, (f) ne seducamini: Dei Virtus, & Dei Sapientia Christus vobiscum est, qui in causa est. Confidite, ipse vicit mundum: fidelis est, non permittet vos tentari supra id quod potestis. Videtis stultum *(Turcarum Ducem)* firma radice? Sine dubio statim maledicetur pulchritudini ejus. Non enim diu derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum. Verùm vestræ interim vigilantiæ est, vestris pro vestro officio sollicitè providere, (sicut & providetis) ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. Detrimenta verò quæ interim fortè contingent, (g) emolumēta reputentur: quoniam Deus in causa est. Qui cùm sit benignus, & omnia possit, facilè damna resarciet non solùm integrè, sed etiam cumulatè. Quandò autem magna bona mortalibus provenerunt, (h) quæ non magna prævenerint mala? Nam ut cætera taceam: nonne illud unicum & singulare beneficium nostræ salutis præcessit mors Salvatoris? Propterea confidimus, (i) quia non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet. Porrò dextera Domini faciet virtutem, & brachium suum auxiliabitur ei: ut cognoscant omnes, quia bonum est sperare in Domino. Hìc militantes, in cœlis donativa expectemus. Merces militiæ nostræ non de terra, non de deorsùm est: procul & ab ultimis finibus pretium ejus. Nec desunt aliæ causæ evidentes, (k) quibus id manifestum facere possem, quas & nunc proferre in medium ad manum mihi est, nisi quòd sat arbitror dictum esse Sapienti.

12. *Libet hic referre ingentem S. P. N. Bernardi zelum, quo excitabat Principes Christianos ad defendendum Ecclesiam Orientalem, & vendicandum Terram Sanctam de manibus Saracenorum.* Mercurium sub Innocentio Papa II. (l) miratus est Orbis, Bernardum, Urbium pacificatorem, Regum reconciliatorem, nuncium ubique pacis, & Numen: mutatur nunc rerum scena sub Eugenio olim Bernardi filio, nunc Patre,

ex

x *Epist.* 222. *nu.* 5. y *Ep.* 355. *nu.* 1. z *Ser.* 2. *in Dom.* 6. *post Pent. nu.* 2. a *Ep.* 341. *nu.* 5. b *Ep.* 256. *nu.* 2. c *Ep.* 147. *nu.* 1. d *Ep.* 323. *nu.* 2. & 3. e *Ep.* 165. f *Ep.* 126. *nu.* 14. g *Ep.* 143. *nu.* 2. h *Ep.* 256. *nu.* 2. i *Ep.* 288. *nu.* 1. k *Ep.* 255. *nu.* 2. l *Luc. Bertolot. lib. de gestis illustr. S. Bern. Elog.* 90. *in Prosa.*

:x Abbate Monasterii Sancti Anastasii Triumfontium Ordinis Cisterciensis, in Ecclesiæ universalis Caput assumpto, anno 1145. *Cùm enim nobilis Civitas Edessa (quæ in Mesopotamia trans flumen Euphrastim à tempore Constantini Magni Christianæ religionis cultui dedita fuit, solaquè hæc Civitas propugnatrix non tantùm murorum, sed etiam omnium, in medio hostium innumerabilium & ferocissimorum invicta perseveravit) in potestatem infidelium redacta esset cum maxima Christiani populi clade: Sanctus Bernardus tanti mali famâ commotus excitat Eugenium Papam III. ad suppetias Ecclesiæ Orientali ferendas, sic ad eum scribens anno* 1146. Non est leve verbum quod sonuit: (m) triste satis & grave est. Et cui triste? Imò cui non triste? &c. Intraverunt aquæ usque ad animam Christi, tacta est pupilla oculi ejus. Exerendus est nunc uterque gladius in passione Domini, Christo denuò patiente, ubi & altera vice passus est. Per quem autem nisi per vos? Petri uterque est: alter suo nutu, alter sua manu quoties necessè est, evaginandus. Et quidem de quo minùs videbatur, de ipso ad Petrum dictum est: *Converte gladium tuum in vaginam.* Ergo suus erat & ille: sed non sua manu utique educendus. Tempus (n) & opus esse existimo ambos gladios nunc educi in defensionem Orientalis Ecclesiæ. Cujus locum tenetis, zelum negligere non debetis. Quale est hoc, principatum tenere, & ministerium declinare? Vox clamantis Christi est hæc: *Venio Jerosolymam iterùm crucifigi.* Ad quam vocem etsi alii tepidi, alii & surdi sunt: successori Petri dissimulare non licet. Loquetur & ipse: *Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* Non terrebitur damnis prioris exercitus, quibus magis resarciendis operam dabit. Numquid ideò non debet facere homo quod debet, quia Deus facit quod vult? Ego verò pro tantis malis tanquam Christianus & fidelis meliora sperabo, & omne gaudium æstimabo, quòd in varias tentationes incidimus. Revera panem doloris comedimus, & potati sumus vino compunctionis. Quid diffidis amice Sponsi, quasi non more suo vinum bonum servaverit usque adhuc benignus & sapiens Sponsus? Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem? Et certè sic operari, sic judicare superna Divinitas solet, scienti loquor. Tu ergo amice Sponsi, (o) amicum te in necessitate probato. Si triplici illo amore de quo tuus interrogatus est Prædecessor, tu quoque toto corde, totâ animâ, totâ virtute Christum diligis ut oportet, nihil reservabis, nihil dissimulabis in tanto periculo Sponsæ ejus: sed quicquid habes virium, quicquid zeli, quicquid solicitudinis, quicquid auctoritatis, quicquid potestatis, impendes. Singulare periculum, singularem exigit operam. Fundamentum concutitur, & tanquam imminenti ruinæ totis est nisibus occurrendum. Et hæc propter vos, fidenter quidem, sed fideliter dicta sint.

13. *Eodem anno* 1146. *S. Bernardus scribit ad Petrum Abb. Cluniacensem, invitans eum ad Conventum Carnotensem, ubi de auxilio Orientali Ecclesiæ ferendo consultandum erat. Ejus epistolæ tenor sequitur hujusmodi videlicet*: Gravem nimis (p) ac miserabilem Orientalis Ecclesiæ gemitum ad aures vestras, imò ad ipsa etiam penetralia cordis arbitror pervenisse. Dignum quippè est ut secundùm magnitudinem vestram, magnum exhibeatis eidem vestræ & omnium Fidelium matri Ecclesiæ compassionis affectum, præsertim tam vehementer afflictæ, tam graviter periclitanti. Dignum, inquam, ut tantò ampliùs comedat vos zelus domûs Dei, quantò ampliorem in ea locum, ipso Authore, teneris, &c. Nam (q) & Patres nostri Episcopi Franciæ unà cum Domino Rege & Principibus, tertiâ Dominicâ post Pascha apud Carnotum urbem venturi sunt, & de verbo hoc tractaturi: ubi utinam mereamur habere præsentiam vestram. Quia enim magnis omninò magnorum virorum consiliis hoc verbum constat egere, gratum profectò obsequium præstabitis Deo, si negotium ejus non duxeritis alienum, sed charitatis vestræ probaveritis zelum in opportunitatibus, in tribulatione. &c. *Multis quidem eum invitat argumentis, sed indictum jam ab ipso omnium Priorum Cluniacensium Capitulum ne ire posset, eum detinuit, ut ejus literæ ad Sanctum Bernardum redditæ indicant, (r) in quibus hæc inter alia scribit:* Quem enim Christianum in Christo suo spem aliquam habentem fama tam lamentabilis non moveret, quâ (ut ex literis etiam

 Do-

m *S. Bernar. Ep. 256. nu. 1.* n *Ibid. nu. 2.* o *Ibid. nu. 3.* p *Ep. 355. nu. 1.* q *Ibid. nu. 2.* r *Epist. Abb. Cluniacen. relata à Manrique in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1146. cap. 4. nu. 4.*

Domini Abbatis Sancti Dionysii comperi) jam penè ubique divulgatum est, Fratres Templi, & Regem Hierosolymitanum, ipsam insuper Dominicam ac Salvatricem Crucem in Urbe Antiochena cum aliis multis obsessos; ac nisi manus Domini in brachio extento citò succurrat, omnes in brevi captivandos? Quem non moveat ne fortè Terra illa Sancta à jugo impiorum, tantis Patrum laboribus, tanto Christicolarum sanguine ante non multum temporis eruta, rursùs impiis & blasphemis subdatur? &c.

Mirâ quoque verborum vi & energiâ Sanctus Bernardus incitat universum Clerum populumquè Orientalis Franciæ ad arma contra infideles pro defensione Terræ Sanctæ suscipienda, sic scribens: Sermo mihi ad vos de negotio Christi, (s) in quo est utique salus nostra, &c. Ecce nunc, Fratres, tempus acceptabile, ecce nunc dies copiosæ salutis. Commota est siquidem & contremuit terra: quia cœpit Deus cœli perdere Terram suam. Suam, in qua visus est, & annis plusquam 30. Homo cum hominibus conversatus est. Suam utique Terram, quam illustravit miraculis, quam dedicavit Sanguine proprio, in qua primi resurrectionis flores apparuerunt: & nunc, peccatis nostris exigentibus, Crucis adversarii caput extulerunt sacrilegum, depopulantes in ore gladii Terram benedictam, Terram promissionis. Propè autem est, (si non fuerit qui restat) ut in ipsam Dei viventis irruant Civitatem Jerusalem, ut officinas nostræ redemptionis evertant, & polluant loca sancta Agni immaculati purpurata cruore. Ad ipsum (proh dolor!) religionis Christianæ Sacrarium inhiant ore sacrilego, lectumquè ipsum invadere & conculcare conantur, in quo propter nos Vita nostra obdormivit in morte, &c. Quàm multi illic (t) peccatores confitentes peccata sua cum lachrymis veniam obtinuerunt, postquam Patrum gladiis eliminata est spurcitia paganorum! Videt hoc malignus *(diabolus)* & invidet, frendet dentibus & tabescit. Excitat vasa iniquitatis suæ, nec ulla quidem tantæ pietatis signa aut vestigia relicturus, si quando (quod Deus avertat) obtinere valuerit illa Sancta Sanctorum. Verùm id quidem omnibus deinceps sæculis inconsolabilis dolor, quia irrecuperabile damnum: specialiter autem generationi huic impiissimæ infinita confusio, & opprobrium sempiternum, &c. Considerate (u) quanto ad salvandos vos artificio utitur Dominus, & obstupescite: intuemini pietatis ejus abyssum, & confidite peccatores. Non vult mortem vestram, sed ut convertamini & vivatis: quia sic quærit occasionem non adversùm vos, sed pro vobis. Quid est enim nisi exquisita prorsùs & inventibilis soli Deo occasio salvationis, quòd homicidas, raptores, adulteros, perjuros, cæterisquè obligatos criminibus quasi gentem quæ justitiam fecerit, de servitio suo submonere dignatur Omnipotens? Nolite diffidere peccatores, benignus est Dominus. Si vellet punire vos, servitium vestrum nonmodò non expeteret, sed nec susciperet quidem oblatum. Iterùm dico: Pensate divitias bonitatis Dei Altissimi, consilium miserationis attendite, necessitatem se habere aut facit, aut simulat, dum vestris cupit necessitatibus subvenire. Teneri vult debitor, ut militantibus sibi stipendia reddat, indulgentiam scilicet delictorum, & gloriam sempiternam. Beatam verò dixerim generationem quam apprehendit tam uber indulgentiæ tempus, quam invenit superstitem Annus iste placabilis Domino, & verè Jubilæus. Diffunditur enim hæc benedictio in universum mundum, & ad signum vitæ certatim convolant universi, &c. Habes nunc fortis miles, (x) habes vir bellicose ubi dimices absque periculo, ubi & vincere gloria, & mori lucrum. Si prudens mercator es, si conquisitor es hujus sæculi: magnas quasdam tibi nundinas indico, vide ne pereant. Suscipe Crucis signum, & omnium pariter de quibus corde contrito Confessionem feceris, indulgentiam obtinebis. Materia ipsa si emitur, parvi constat: si devoto assumitur humero, valet sine dubio regnum Dei. Benè ergo fecerunt, qui cœleste jam signaculum susceperunt, benè cæteri faciunt: sed nec ad insipientiam eis si festinent & ipsi apprehendere, quod & eis in salutem existat, &c.

14. *Qualiter autem hæc gesta sint, Card. Baronius in Annalibus* (y) *sic narrat:* Interea autem in Galliis fervet opus parandæ expeditionis in Terram sanctam, cujus causâ promovendæ statuitur certa dies, certusquè locus Concilii celebrandi. Dies indicitur tertia

s *Epist. 322. nu. 1.* t *Ibid. nu. 2.* u *Ibid. nu. 4.* x *Ibid. nu. 5.* y *Card. Baronius in Annal. Eccl. ad ann. 1146. apud Bertolet. Elog. 90.*

tertia Dominica post Pascha, & locus deputatur Carnotum civitas. Convenerunt igitur undique ex Galliis Carnotum Archiepiscopi, Episcopi, & Abbates, astitit & Rex Ludovicus unà cum Principibus Regni. Quid autem actum sit ibi? Illud inprimis planè mirandum, quod obstupefaciet omnes audientes; dum videlicet ibi totius belli Dux ipse Sanctus Bernardus omnium consensu deligitur, qui Principem militiæ agat, cui milites omnes, & Principes ipsi subjicerentur. *Hæc Baronius: qui deinde ne fabulam narrâsse videretur, Bernardi literas ad Eugenium Papam de his agentis, & quid actum in Carnotensi Concilio enarrantis ex integro refert, quarum ista legentibus, quæ ad rem pertinent, satis erit. Sic enim scribit Sanctus Bernardus:* (z) De cætero verbum illud quod jam, ni fallor, audistis, quomodò videlicet in Carnotensi Conventu (quonam judicio satis miror) me quasi in Ducem & Principem militiæ elegerunt: certum sit vobis, nec consilii mei, nec voluntatis meæ fuisse vel esse, sed nec possibilitatis meæ (quantùm metior vires meas) pervenire usque illuc. Quis sum ego ut disponam castrorum acies, & egrediar ante facies armatorum? aut quid tam remotum à professione mea, etiamsi vires suppeterent, etiamsi peritia non deesset? Sed neque hoc meum est vestram docere sapientiam: nostis hæc omnia. Tantùm obsecro per illam charitatem, quâ mihi specialiter debitor estis, ne me humanis voluntatibus exponatis; sed sicut singulariter vobis incumbit, divinum consilium perquiratis, & operam detis ut sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. *Ita Bernardus ad Eugenium in spiritu humilitatis,* (a) *nec penitùs militiæ Principatum recusans, nec omninò admittens, sed solùm rogans divina inquirere consilia humanis omnibus anteferenda. Quæ autem Bernardo rescripserit Eugenius, qualiter scilicet satis sibi visum, si Bernardus militiæ ducatu experto militi relicto, tubâ ipse sacerdotali bellum cieret, arma consuleret, armatos Cruce signaret, signatos ad pugnam animaret, audiamus Gaufredum qui cunctis aderat,* (b) *sic narrantem de injuncta Sancto Bernardo legatione.* Cùm enim multorum jam animos permovisset audita necessitas (*scilicet Terræ Sanctæ*), à Rege Francorum semel & iterùm propter hoc expetitus (*Sanctus Bernardus*), Apostolicis etiam Literis monitus, nec sic acquievit super hoc loqui vel consilium dare, donec per ipsius tandem Summi Pontificis generalem Epistolam jussus ab eo est, tanquam Romanæ Ecclesiæ lingua exponere populis atque Principibus. Cujus Epistolæ tenor fuit, ut in pœnitentiam & remissionem peccatorum iter arriperent aut liberaturi Fratres, aut suas pro illis animas posituri.

15. *Bernardus itaque* (c) *accepto ab Eugenio Papa de prædicanda Cruce mandato, solitudinem Claravallensem egressus, injunctum sibi opus sic aggreditur, ut nihil in mente præter defendendam Jerosolymam, nihil in oculis præter protegenda Solis justitiæ Tumulum, Cunas, Crucem, Calvarium, aliaquè sanctificata à Salvatore loca habere viderrtur; Galliam peragrat, vicina Castella, dissitas Urbes; & neque industriæ parcens, neque labori, sermonibus nunc igneis, nunc efficaces per epistolas Crucem prædicat, signat Cruce milites, accendit militibus animum, adornat bellum, bellatores ut sollicitaret nihil intentatum relinquens. Addebant voci ejus virtutis vocem ad præparandos servos, ad concutienda cordium deserta, ad animandos animorum cedros, ad revelanda victoriarum condensa, miracula frequentia: quibus adeò concitabantur Fideles, ut penè vacuas Urbes, deserta Oppida Bernardum sequuturi relinquerent. Audiamus hujus rei Ottbonis Episcopi Frisingensis haud dubium testimonium,* (d) *qui sic scribit:* Bernardus Abbas Venerabilis concessâ sibi Apostolicæ Sedis auctoritate non abusus, gladio verbi Dei fortiter accingitur, excitatis ad transmarinam expeditionem multorum animis. Deinde Curia generalis apud Barcelliacum Galliæ Oppidum (ubi Beatæ Mariæ Magdalenæ ossa recondita sunt) indicitur, convocatis ex diversis Galliæ provinciis Optimatibus, virisquè illustribus. Ibi Ludovicus Francorum Rex Crucem à prætaxato Abbate in multa mentis alacritate suscipiens, militiam transmarinam professus est, cum Theodorico Flandrensi & Henrico Theobaldi Blesensis filio Comitibus, & aliis de Regno suo Baronibus virisquè nobilibus. *Prodit memoriæ Franciscus Belsoresius Gallicarum rerum scriptor,*

---

z Ep.256.nu.2. a Luc.Bertolet.lib.de gestis S Bern.Elog.92.in Prosa. b Gaufrid.lib.3.de Vita S.Bern.cap.4.nu.9. c Luc. Bertolet. lib. de gestis S.Bern.Elog.92.in Prosa. d Ottho Ep.Frisingen.ex Friderico lib.1.cap.36.

ptor, (e) tot millia hominum (post Regem, atque Principes) à Bernardo esse insignita vexillo Crucis, ut deficiente materia præ multitudine, propriam vestem inscindere, atque ex ea Cruces formare compulsus sit, quibus reliquam turbam insigniret. *Hanc signatorum multitudinem etiam ipse Sanctus Bernardus insinuat, (f) scribens ad Eugenium Papam his verbis*: De cætero mandastis, & obedivi: & fœcundavit obedientiam præcipientis auctoritas. Siquidem annunciavi & locutus sum, & multiplicati sunt super numerum. Vacuantur Urbes & Castella: & penè jam non inveniunt quem apprehendant septem mulieres virum unum: adeò ubique viduæ vivis remanent viris. *Hæc ipse Sanctus Bernardus: qui tot millibus hominum in Gallia excitatis ad transmarinam expeditionem, statim in Germaniam perrexit ut sedaret civiles motus, & exhortaretur Conradum Regem Romanorum, ac Principes Germaniæ ad suscipiendam Crucem contra Saracenos.*

16. *Bello civili*, (g) *& Principum rixis tota flagrante Germania, quis crederet ausum Bernardum extra Germaniam exitum suadere Conrado Regi Romanorum, ut Occidentis Imperio instantis mali relicto periculis, in Orientem iret, nascentia ibidem propulsurus mala? Fecit tamen, audaciam fide & zelo augentibus, zelum Bernardi subitâ domesticorum Principum pace præmiante cælo, Bernardi fidem innumera miraculorum multitudine Deo ipso illustrante, cui Bernardus & pacem & bellum ardentissimo affectu commendabat. Sed audire præstat Philippum Archidiaconum Leodiensem testem oculatum, qui de miraculis Sancti Bernardi scribens*, (h) *sic ait*: Cùm in Regno Theutonicorum verus Crucis Servus Bernardus verbum Crucis annunciaret, necesse fuit ut Regi Conrado pro quodam pacis negotio loqueretur. Occurrit autem Francofurti, quod in Territorio Moguntino super Mogum situm est Castrum, & à Francorum vado nomen accepit. *Et paulò post addit*: (i) Tertiâ feriâ Vigilia fuit Dominicæ Nativitatis, & navi venimus Spiram. Ibi enim diem festum celebravit Rex Conradus: ibi adfuit Episcoporum Principumquè Conventus. Illuc S. Pater Bernardus advenit inter Principes quosdam pacem cupiens reformare; quorum inimicitiis ab exercitu Crucis Christi multi detinebantur. Verumtamen non crebra solent in illis Conventibus apparere miracula: nec dignatur Deus, ubi tantus est concursus multitudinis curiosæ, revelare gloriam suam. Sed non fuit otiosus Patris sancti adventus: ibi enim factum est (ut ipsius verbis utar) Miraculum miraculorum. Siquidem Rex signatus est præter spem omnium qui convenerant: cucurrit velociter sermo vivus & efficax: verè ibi probatum est, quòd *cor Regis in manu Dei sit*. Priùs enim apud Francofurtum secretò Regem convenerat Vir beatus, admonens ut ipse saluti propriæ provideret in tempore misericordiæ uberis. Cui cùm respondisset nullum sibi hujus militiæ inesse propositum, tacuit Vir mansuetissimus dicens, non esse parvitatis suæ importuniùs instare Regiæ majestati. Sic & Spiræ cùm in sermone publicè jam secundò Regem, sicut priùs, peregrinationis admonuisset ex nomine, die tertiâ cùm Beati Joannis festivitas ageretur, secretò aggressus est eum, solitâ mansuetudine suggerens providendum omninò, ne sic præteriret eum pœnitentia levis, brevis, honorabilis, salutaris, quam ad salvandos peccatores Divina pietas excogitaverat. A quo hoc tandem responsum obtinuit, quòd deliberaret secum & consuleret suos, sequenti die super hoc responsurus. Exinde inter Missarum solemnia beati Patris Bernardi animum cœpit Spiritus stimulare Divinus, ut præter morem nullo rogante diceret, non oportere sine Sermone præterire diem. Quid multa? Locutus est, & in fine sermonis Regem, non ut Regem, sed ut hominem totâ libertate convenit. Proponebat enim futurum judicium, hominem ante tribunal Christi adstantem, imperantem Christum & docentem: *O homo, quid debui tibi facere, & non feci?* Ex hoc autem enumerans regni culmen, divitias, consilia, virilem animum & corporis robur. His & hujusmodi verbis sic commovit hominem, ut in medio Sermone non sine lachrymis exclamaret: *Agnosco prorsùs Divina munera gratiæ: ne deinceps, Deo præstante, ingratus inveniar, paratus sum servire ei, quandoquidem ex parte ejus submoneor.* Dixit: & ecce populus rapiens verbum loquentis, exclamat in laudem Dei, & reso-

e *Franc. Belfor. relatus à Manrique in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1146. cap. 5. nu. 2.* f *S. Bernar. Epist. 246. nu. 2.* g *Luc. Bertolot. lib. de gestis S. Bern. Elog. 95. in Prosa.* h *Philip. lib. 6. de miraculis S. Bern. cap. 1. nu. 1.* i *Idem ibid. cap. 4. nu. 14.*

resonabat terra in voces eorum. Continuò signatus est Rex, & vexillum ab Altari per manum Sancti Patris Bernardi suscepit, quod ipse in exercitu Domini manu propria deportaret. Signatus est cum eo nepos ejus Dux Fridericus junior: signati sunt & alii Principes, quorum non est numerus.

17. *De Cruce signatorum multitudine Authorem Exordii Ordinis Cisterciensis audiamus*, (k) *in hæc verba scribentem*: Accidit, ut Dei Famulus beatus Bernardus Claravallensis Abbas, jubente Eugenio Papa, Germaniam ingrederetur, Hierosolymitanum iter Conrado Imperatori & populo terræ prædicaturus. Cùmquè ibidem signis & virtutibus innumeris coruscaret, videns Imperator mirabilia magna, quæ Dominus per eum ostendebat, corde compunctus Crucis signum de manu ejus accepit, Hierosolymam profecturus. Nec distulit hoc idem facere infinita hominum multitudo, ita ut incredibili fidei ardore succensi, scissuras & fimbrias de vestimentis Famuli Dei (qui propter hoc ipsum nova frequenter accipere cogebatur) undique certatim diriperent, sequè infelices arbitrarentur, quicunque de indumentis ejus Cruces habere non mererentur. Ergo quod ipse in Gallia spontè fecerat, (l) inter Germanos vel invitus pati coactus est; sed spontè invitus, neque obvians populorum devotioni, per quam negotium Christi promovebatur. Haud aliter Saxones sumpsisse arma (m) contra vicinos hostes, Cruce & ipsos etiam signatos, quamvis non assuta, sed protensa in altum, atque orbi imposita, testem habemus Othonem Episcopum Frisingensem, (qui tunc vivebat, & cunctis, aut multis aderat) utpotè Fratrem Conradi Imperatoris. Ait enim: (n) *Saxones verò quia quasdam gentes spurcitiis idolorum deditas vicinas habent, ad Orientem proficisci renuentes, Cruces ibidem assumpserunt, easdem gentes bello tentaturi. Nostris in hoc distantes, quòd non simpliciter vestibus assutæ, sed à rota subter posita, in altum protendebantur.* Hactenùs Frisingensis. Voluêre forsan discerni ex ipsis omnibus, ab his qui transmarinam militiam profitebantur, non secùs ac signatos contra hæreticos, quas Orientales in humeris gestabant, pectoribus assuisse Cruces narratur. Certè qui in Syriam proficiscebantur, supponebant humeros Crucibus, ut se portaturos ac suavi jugo subdituros colla profiterentur. Et Saxones fortassè orbe supposito, non solùm ostendebant Crucis servitium, sed quibus vel totus orbis sarcina levis censendus esset, si modò illum subjiciant imperio Crucis. Commoverunt autem (o) Sancti Bernardi verba Germaniam sic totam, ut suffocato ubique illicò intestino bello, contra barbaros bellum omnes expeterent. Ad arma currunt omnes, sumpta à Bernardo Cruce. Subitæ pacis meminit Otho Frisingensis (p) his verbis: *Repentè tunc totus ferè Occidens siluit, ut non solùm bella movere* (scilicet inter se) *sed & arma quempiam publicè portare nefas haberetur.* Est etiam pro miraculo habendum, (q) quòd sancto Viro prædicante linguâ natali, Gallicanâ nimirùm, cujus Theutonici omninò essent expertes, populum nihilominùs audientem, sed non intelligentem, usque ad lachrymas provocaret ad compunctionem: quod à Cæsareo (r) subæquali authore totum lego. *Tempore* (ait) *Conradi Imperatoris, cùm Sanctus Bernardus in Alemania prædicaret linguâ Gallicâ, ita populum accendit, ut uberrimè fleret: & cùm tunc ejus verba non intelligeret, postea cùm Interpres peritissimus Sancti sermonem exponeret, populus non est motus.* Subdit Cæsarius, ignito zelo Sancti Bernardi id attribuendum, à quo cuncta arderent, & incenderent etiam non intellecta quæ dicebantur. Cæsario consonat Gaufridus Claravallensis Monachus, (s) dum ita ait: *Germanicis etiam populis loquens, miro audiebatur affectu, & ex sermone ejus, quem intelligere utpotè alterius linguæ homines non valebant, magìs quàm ex peritissimi cujuslibet post eum loquentis Interpretis intellecta locutione ædificari illorum devotio videbatur, & verborum ejus magìs sentire virtutem. Cujus rei certa probatio tunsio pectorum erat, & effusio lachrymarum.*

18. *De miraculis verò habemus fidum testem, ipsius Sancti Bernardi asseclam Philippum,*

k *Author Exordii magni Ord.Cist.lib.1.cap.32.relat.in lib.7.de Vita S.Bern.cap.20.nu.34.* l *Manrique in Annal.Cist.tom.4.ad ann.1146.cap.10.nu.9.* m *Idem ibid.cap.6.nu.3.* n *Otho Episc.Frisingen.ex Friderico lib.1.cap.40.relat.à Manrique loc.cit.* o *Luc.Bertolot.lib.de gestis S.Bern.Elog.98.in Prosa.* p *Otho Episc.Frisingen.ex Friderico lib.1.cap.4.* q *Manrique in Annal.Cist.tom.2.ad ann.1146.cap.9.n.5* r *Cæsarius Homil.16.de infantia Christi, relat.à Manrique loc.cit.* s *Gaufridus lib.3.de Vit.S.Bern.cap.3.nu.7.relat.à Manrique loc.citato.*

pum, qui cùm præsens fuisset omnibus gestis, hæc scribit verba: (t) Ipsa autem die festivitatis Sancti Joannis Euangelistæ juxta capellam, ubi Pater Sanctus Missam celebravit, puer claudus me præsente gressum recepit. Sabbato manè cùm Innocentum festus ageretur dies, (u) Conventus factus est, ubi manifestè Spiritus adfuit: neque hinc cuiquam dubitare licebit. Convocavit enim Conradus Rex omnes Principes & milites qui signati erant, simulquè residentibus universis exhortatus est eos Pater Sanctus Bernardus, non humanis sermonibus, sed divinis. Ubi verò egressi fuimus, & Rex ipse cum Principibus Sanctum Domini deducebat nè comprimerent eum turbæ, alius puer claudus oblatus est ei coram Rege. At ille signo Crucis edito puerum erigit, & jubet coram omnibus ambulare. Quantâ lætitiâ, quanta exultatione puer deductus sit, quis loquatur? Conversus autem Pater Sanctus ad Regem, inquit: *Propter vos factum est hoc, ut noveritis quia Deus verè vobiscum est, & acceptum est ei negotium quod cœpistis.* Item vir quidam in præsentia Regis & Principum, unius oculi visum recepit. In ipso loco factum est unde plurimùm congratulamur, eò quòd præsens esset Dux quidam Græcus missus à Rege Constantinopolitano. Hic in capella Regis loquebatur Patri nostro Bernardo, cùm mulier cœca oblata est; ubi verò signata est coram eo, statim illuminata est: & homo ille compunctus est plurimùm in hoc verbo. Sic & circa vesperam adstante Rege, & ipso Duce & Principibus multis, puer claudus offerebatur. Protinùs autem fiducialiter loquens Vir fidelis, audientibus omnibus ait: *In nomine Jesu Christi tibi præcipio, surge & ambula.* Sonuit vox virtutis, & secuta est virtus: surgensquè puer liberè ambulabat, & priùs quidem trementibus membris & tibiis ibat, sed paulatim sub oculis omnium roborabatur. *Philippo consonat Gaufridus pariter oculatus testis,* (x) *dum ita de miraculis S. Bernardi scribit*: Apud Spirensem civitatem, præsente Romanorum Rege Conrado qui Dei Hominem ab Ecclesia ad hospitium devotissimè deducebat, offerebant puerum claudum, rogantes ut ei manum imponere dignaretur. Quem signatum protinùs erigens super pedes statuit, & liberè gradiebatur, in Dei laudem acclamantibus universis. In capella Episcopi civitatis Spirensis, Rege ipso vidente, visum reddidit cœcæ cuidam mulieri, & claudo nato gressum donavit. Nonnullos etiam pauperculos pueros Rex ipse devotus suis illi manibus offerens, de multorum curatione meruit gratulari. Necmodò apud prædictam Spirensem urbem, sed etiam apud Francovadum Moguntinæ Diœcesis locum, innuris virtutibus idem Dei Servus effulsit. De tota siquidem Regione quotquot patiebantur, afferebant ad eum: & tantus erat concursus, ut prædictus Rex cùm aliquandò populum comprimentem coërcere non posset, depositâ chlamyde, Virum Sanctum in proprias ulnas suscipiens, de Basilica exportârit. *Item Gerardus Claravallensis Monachus sic testatur*: (y) Vesperè dum rediret Pater Sanctus à Curia Regis, multitudo languentium hospitii januas obsidebat, quos in ordinem fecimus residere: & singulos tetigit & sanavit. Ibi puer claudus ex utero gressum recepit. Alter cœcus uno oculo illuminatus, & vir claudus ab annis 10. erectus est. Multa quidem & hac die & sequenti collata beneficia languentibus vidit Rex ipse, vidit Curia, vidit universa civitas Spirensis, à cujus memoria delere non poterunt in æternum. Nostra tamen schedula, ubi hæc annotaveramus, negligentiâ cujusdam Fratris amissa est, parcat ei Deus.

19. *Porrò Gaufredus* (z) *de miraculis factis in civitate Spirensi sic ait*: Multa quidem & alia signa in manu Servi sui Christus effecit ibidem, sed ad exemplum pauca sufficiant. *Ebrebardus quoque Capellanus Hermani Episcopi Constantiensis narrat sequentia verba*: (a) Multa in civitate Spirensi facta esse arbitror, quæ non vidimus: sæpè enim cantantem audivimus populum, & nemo ex nobis irrumpere potuit, ut videret quid ageretur. *Gerardus autem de miraculis Coloniæ factis* (b) *sic testatur*: Circa horam tertiam die Dominicâ exiturum Virum Dei exoptabat languentium multitudo, eò importuniùs instantes, quò modicum jam tempus viderentur habere. Egressus igitur in plateam signavit ex ordine residentes, & sub oculis omnium ipsâ horâ quatuordecim sunt sanati, claudi septem, surdi quinque, puer mancus, & mulier

t *Philip. lib. 6. de miraculis S. Ber. cap. 4. n. 24. in fin.* u *Idem ibid. cap. 5. n. 16. & 17.* x *Gaufridus lib. 2. de Vita S. Ber. cap. 5. n. 31.* y *Lib. 6. de Vita S. Bern. cap. 5. nu. 17. & 18.* z *Gaufrid. lib. 2. de Vita S. Bern. cap. 5. nu. 31.* a *Lib. 6. Vitæ ejus cap. 4. nu. 15.* b *Ibid. cap. 8. nu. 28.*

lier cœca: optatum quique beneficium perceperunt. Ad singula populus acclamabat, & in laudes Dei voces tonabant per nubila: *Christ uns genade*, *Kyrie eleison*, *die Heiligen alle helffen uns.* Hoc est: Christe miserere nobis, Kyrie eleison, Sancti omnes adjuvent nos. *Gaufridus de Crucis prædicatione, & multitudine miraculorum patratorum per Sanctum Bernardum, sic ait*: (c) Evidenter enim verbum hoc prædicavit Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quantis, & quàm multiplicibus signis? Quanta vel numerare, nedum narrare difficile foret. Nam & eodem tempore scribi cœperant, sed ipsa demùm Scriptorem numerositas scribendorum, & materia superavit Auctorem: nimirùm cùm aliquando una die viginti seu etiam plures ab incommodis variis sanarentur, nec facilè ab hujusmodi dies ulla vacaret. Denique plures eo tempore Christus per Servi sui tactum & orationem, ex ipsis etiam matrum uteris cœcos videre, claudos ambulare, aridos convalescere, surdos fecit audire, & mutos loqui; mirabiliùs restituente gratiâ, quod minùs præstitum erat à natura. Super iis quæ ad gratiam pertinent sanitatum, (d) tam multa insignia per hunc Famulum suum operatus est Christus, ut in eo quoque videretur exhiberi, quod de Christo Joannes Euangelista testatur: *Si omnia scriberentur, nec ipsum quidem arbitror mundum capere posse eos qui scribendi fuerant, libros.* Cæterùm nos saltem pauca de pluribus exempli gratiâ proferamus. Regnum Germaniæ cùm introîsset aliquando Vir beatus Bernardus, (e) tam excellenter enituit in gratia sanitatum, ut nec verbis exprimi, nec credi valeat si dicatur. Nam & testati sunt qui affuêre, in Territorio Constantiensi circa vicum quem Doningen nominant, ex iis qui diligentiùs vestigârunt & viderunt oculis suis, unâ die illuminatos esse ad ejus impositionem manûs cœcos undecim, sanatos etiam mancos decem, & claudos erectos 18. Nonnullas etiam sanitates, (f) quas in manu fidelis Servi sui mirabiliter Christus effecit, per visum ei mirabiliùs præostendit: multas ipse cùm fierent, animi virtute persensit: ad aliquas etiam Spiritu suggerente non rogatus accessit, &c. Multa ex his in tam brevi fieri vidimus, ut tam celeriter ea proloqui nequeamus. Et cùm dici soleat, *Nihil esse facilius dicto*: huic tamen Dei Famulo per gratiam quam acceperat, signa facere magìs facilè videbatur, quàm nobis facta narrare. *Hactenus Gaufridus. Cui consonat etiam Ebrehardus Capellanus Episcopi Constantiensis*, (g) *sic loquens*: Ego cum militibus Domini mei contuli, & ex his quæ tam illi viderunt quàm ego ipse, numeravimus trigintasex miracula quæ facta sunt ipsâ die. Cœci undecim illuminati sunt: claudis decem & octo gressus redditus est: mancis undecim manus restitutæ: surdus unus audivit. Si plùs in summa veniunt quàm trigintasex, inde est quòd priùs personas numeraveram, modò signa. Nam erga puellam unam multa sunt facta, quæ cœca & clauda utroque pede & muta erat, & alteram manum aridam habens. *Denique audiamus etiam Henriquez*, (h) *qui ex libro Mirabilium Sancti Bernardi nonnulla miracula breviter enumerans, his verbis ait*: Tot signa fuerunt, ut vel ea quæ in sola peregrinatione Germanica fecit Sanctus Bernardus, singula sigillatim describere impossibile sit. Centum enim & septuaginta & tres lumine oculorum orbati, meritis sancti Viri illuminati sunt. Gressus item centum & quinquaginta & octo claudis, tactu & benedictione ipsius restitutus fuit. Quindecim contractos virtute sibi cœlitùs inditâ erexit. Quinquaginta & tres muti ejus intercessione obtinuerunt loquelam. Sexaginta & quinque surdi auditum, & undecim paralytici sanitatem obtinuerunt. Quinquaginta & quinque, quorum manus aridæ & quasi mortuæ pendebant, optatam valetudinem perceperunt. Ac tandem innumerabilia penè miracula in hoc solo itinere operatus est. Ex quibus aliqua, quæ oculis conspexerant, vel ab aliis audierant, discipuli & socii ejusdem Sancti Bernardi collegerunt, ut apparet ex libro cui titulus, *Liber mirabilium Sancti Bernardi.* In quo (i) Author illius Philippus per singulos dies singula Bernardi notat Miracula, quæ adeò frequentia creverant, ut intrà mensem ad ter millia recensita ex eodem Philippo testetur mihi Manrique Ordinis Cisterciensis Chronographus. *Hinc*

c jure-

c *Gaufrid. lib. 1. de Vit. S. Bern. cap. 4. nu. 0.* d *Idem lib. 2. de Vit S. Bern. cap. 4. nu. 22.* e *Idem ibid. cap. 5. num. 32.* f *Idem ibid. cap. 8. num. 44.* g *Lib. 6. de miraculis S. Bern. cap. 2. nu. 6.* h *Henriquez in Fascic. SS. Ord. Cist. tom. 1. dist. 4. cap. 18.* i *Luc. Bartolot. de gestis S. Bern. Eleg. 93. suo Prosa, ex Manrique in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1146. cap. 8. nu. 12.*

jure meritò Cardinalis Baronius comparat Sanctis Apostolis Bernardum, (k) *cùm dicit*: Bernardus, Vir verè Apostolicus, imò verus Apostolus missus à Deo, potens opere & sermone: illustrans ubique & in omnibus suum Apostolatum sequentibus signis, ita ut planè nihil minus habuerit à magnis Apostolis; qui & apud Imperatores, Reges, aliosquè Principes pro omnium sublevatione, atque ipsorummet Principum salute tot tantaquè peregerit. Quiquè dicendus sit totius Ecclesiæ Catholicæ ornamentum simul ac fulcimentum. *Baronio consonat Cardinalis Bellarminus*, (l) *qui sic ait*: Sanctus Bernardus Abbas Claravallensis, Vir planè Apostolicus, & non minùs gloriâ miraculorum, quàm sapientiæ splendore illustris. Pluribus enim miraculis claruit, quàm ullus Sanctorum, quorum Vitæ scriptæ extant.

20. Tot ergo signis (m) Altissimus humilem suum Famulum Bernardum illustravit, ut per ea suam esse Divinam voluntatem innotesceret. Ideoq; Occidentalis orbis à Domino quasi excitatus & commotus profectionem in Orientem parabat. Rex quippè Ludovicus, ordinatis rebus ad talem expeditionem necessariis, peregrinationem aggressus, per Hungariam profectus transito Bosphoro, occursu Conradi Imperatoris excipitur. Qui tamen (non ut sperabat) infelicem expeditionis suæ exitum sortitus est. In Syriam namque prope Antiochiam maris tempestatibus fractus appulit, atque Hierosolymam ingenti labore pervenit. Rex quoque Romanorum Conradus non multò post Palestinæ littus attingens, Sanctam etiam Civitatem intravit, & sic omnes Europæ Principes convenerunt. Orta autem inter illos contentione, nihil penitùs dignum memoriâ peregerunt: sed potiùs à Turcis profligati & dispersi, post immensa pericula, magnosquè quos sine fructu pertulerunt labores, ad propria regressi sunt. Ex quibus major pars sive inediâ periit, sive hostili gladio desiderata est. *Hinc murmur populi evenit adversùs auctores belli, & ut Othonis Episcopi Frisingensis* (n) *verba interseram*: Pusilli Ecclesiæ fratres scandalizati mirabantur de prætaxatæ expeditionis labore, quòd tam arduo, & bono inchoata principio, & tam humilem, & non bonum exitum acceperit. *Nec deerant, qui cuncta in Regem juvenem Ludovicum, & Pontificem rerum inexpertum referenda censerent. Sed multò plures in Bernardum impetebant, quem classicum canentem audivissent per Conciones, per Signa, per Oracula, quibus vix homines resistere auderent, at ne vix possent. Certè Bernardum hinc multa perpessum fuisse, manifestum habemus ex ejus Actis,* (o) *Godefrido inter alia sic scribente*: Nec tacendum est, quòd ex prædicatione itineris Hierosolymitani grave contra eum (*scilicet Bernardum*) quorundam hominum vel simplicitas, vel malignitas scandalum sumpsit, cùm tristior sequeretur effectus. Quod tamen verbum dicere possumus ab eo quidem initium non sumpsisse. Accidit autem (ubi primùm de ejusdem exercitûs dissipatione lamentabilis intra Gallias insonuerat rumor) ut illuminandum Dei Famulo filium cœcum offerens pater, multis precibus vinceret excusantem. Et imponens Sanctus puero manum, orabat ad Dominum quatenùs, si ab eo verbum prædicationis illius exierat, si prædicanti Spiritus ejus affuerat, in illius illuminatione ostendere dignaretur. Dum verò post orationem orationis præstolaretur effectum, *Quid facturus sum*? (ait puer) *video enim*. Attollitur illicò clamor astantium: plures enim nonmodò è Fratribus, verùm etiam è sæcularibus aderant, qui ut puerum viderunt videntem, multipliciter consolati, Deo gratias referebant. *Hæc Gaufridus.*

21. *Inter hæc tamen Sanctus Bernardus sui velut oblitus, primùm contemnere, nec quidquam aliud quàm causam Dei zelare voluit: mox ut cognovit opinionem virtutis periclitari, si qui hactenùs Sanctus habebatur, extunc seductor seu seductus judicaretur, pro se etiam putavit satisfaciendum. Impetitus linguis malignis, scripsit Apologeticum ad Eugenium Papam: prædicationis susceptæ causas pandit: peregrinationis filiorum Israel, & belli contra Benjamin exorti exempla adducit: signa à se facta modestè satis memorat: & se pro Deo pati libenter offert. Sed ipsum Sanctum loquentem audiamus, qui sic ad Eugenium Papam III. scribit*:

Me-

k *Card. Baron. in Annal. Eccl. tom. 12. ad ann. 1153.* l *Card. Bellarm. lib. de Scrip. Eccl. & tom. 2. Controv. lib. 4. cap. 14.* m *Henriquez in Fascic. SS. Ord. Cist. tom. 1. dist. 4. cap. 24.* n *Otho Frisingen. in gestis Friderici lib. 1. cap. 69. relat. à Manrique in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1149. cap. 1. nu. 2.* o *Godefrid. lib. 1. de Vit. S. Bern. cap. 4. nu. 9. & 10.*

Memor promissi mei, (p) quo ecce jam aliquandiu teneor apud Te, Vir optime Papa Eugeni, volo ipsum absolvere vel serò. Puderet dilationis, si mihi conscius forem incuriæ, aut contemptûs. Non est ita, sed incidimus (ut ipse nosti) in tempus grave, quod & ipsi penè vivendi usui videbatur indicere cessationem, nedum studiis: cùm scilicet Dominus provocatus peccatis nostris, ante tempus quodammodò visus sit judicâsse orbem terræ, in æquitate quidem, sed misericordiæ suæ oblitus. Non pepercit populo suo, non suo Nomini. Nonne dicunt in gentibus: *Ubi est Deus eorum?* Nec mirum. Ecclesiæ filii, & qui Christiano censentur nomine, prostrati sunt in deserto, aut interfecti gladio, aut fame consumpti. Effusa est contentio super Principes, & Dominus errare fecit eos in invio, & non in via. Contritio & infelicitas in viis eorum: pavor & mœror & confusio in penetralibus Regum ipsorum. Quàm confusi pedes euangelizantium pacem, annunciantium bona! Diximus, Pax, & non est pax: promisimus bona, & ecce turbatio.

Quasi verò (q) temeritate in opere isto aut levitate usi simus? Cucurrimus planè in eo non quasi in incertum, sed jubente Te, imò per te, Deo. Quare ergo jejunavimus, & non aspexit? humiliavimus animas nostras, & nescivit? Nam in his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Quàm patienter interim adhuc audit voces sacrilegas, & Ægyptios blasphemantes, *Quia callidè eduxit eos, ut occideret in deserto*? Et quidem judicia Dei vera quis nesciat? at judicium hoc abyssus multa, & tanta, ut videar mihi non immeritò pronunciare beatum, qui non fuerit scandalizatus in eo. Et quomodò tamen humana temeritas audet reprehendere, quod comprehendere non valet? Recordemur supernorum judiciorum, quæ à sæculo sunt, si fortè sit consolatio. Nam quidam ita dixit: *Memor fui judiciorum tuorum à sæculo Domine, & consolatus sum.*

Rem dico ignotam nemini, (r) & nunc nemini notam. Nempè sic se habent mortalium corda: quod scimus, cùm necesse non est, in necessitate nescimus. Moyses educturus populum de terra Ægypti, meliorem illis pollicitus est terram. Nam quandò ipsum aliter sequeretur populus, solam sapiens terram? Eduxit: eductos tamen in terram quam promiserat, non introduxit. Nec est, quòd Ducis temeritati imputari queat tristis & inopinatus eventus. Omnia faciebat Domino imperante, Domino cooperante, & opus confirmante sequentibus signis. Sed populus ille (inquis) duræ cervicis fuit, semper contentiosè agens contra Dominum, & Moysem servum ejus. Benè, illi increduli, & rebelles: hi autem quid? Ipsos interroga. Quid me dicere opus est, quod fatentur ipsi? Dico autem ego unum: Quid poterant proficere, qui semper revertebantur, cùm ambularent? Quandò & isti per totam viam non redierunt corde in Ægyptum? Quòd si illi ceciderunt, & perierunt propter iniquitatem suam: miramur istos eadem facientes, eadem passos? Sed numquid illorum casus adversùs promissa Dei? Ergo nec istorum. Neque enim aliquando promissiones Dei, justitiæ Dei præjudicant. Et audi aliud:

Peccavit Benjamin, (s) accinguntur reliquæ Tribus ad ultionem, nec sine nutu Dei. Designavit denique ipse Ducem præliaturis. Itaque præliantur freti & manu validiori, & causa potiori, & quod his majus est, favore divino. At quàm terribilis Deus in consiliis super filios hominum! Terga dedêre sceleratis ultores sceleris, & paucioribus plures. Sed recurrunt ad Dominum, & Dominus ad eos: *Ascendite ad eos*, inquit. Ascendunt denuò, denuòque fusi & confusi sunt. Ita Deo primùm quidem favente, secundò & jubente, justi justum certamen ineunt, & succumbunt. Sed quò inferiores certamine, eò fide superiores inventi sunt. Quid putas de me facerent isti, si meo hortatu iteratò ascenderent, iteratò succumberent? Quandò me audirent monentem tertiò repetere iter, repetere opus, in quo semel jam & secundò frustrati forent? Et tamen Israëlitæ unam & alteram non reputantes frustrationem, tertiò parent, & superant.

Sed (t) dicunt forsitan isti: Unde scimus quòd à Domino sermo egressus sit? Quæ signa tu facis, ut credamus tibi? Non est quod ad ista ipse respondeam; parcendum ve-

 recun-

p *S. Bernar. lib. 2. de Considerat. ad Eugenium Papam cap. 1. num. 1.* q *Ibid. num. 1. & 2.* r *Ibid. num. 2.* s *Ibid. num. 3.* t *Ibid. num. 3 & 4.*

recundiæ meæ. Responde Tu pro me, & pro Teipso, secundùm ea quæ audisti & vidisti, aut certè secundùm quod Tibi inspiraverit Deus. Sed fortè miraris me prosequi ista, qui aliud proposueram. Facio non oblitus propositi, sed quòd à proposito non judicem aliena. Nempè de consideratione (ut memini) sermo mihi ad Tuam dignationem. Et sanè magna res ista, & egens consideratione non minimâ. Quòd si res magna à magnis considerari oportet, cui æquè ut Tibi id studii competit, qui parem super terram non habes? Sed Tu secundùm sapientiam & potestatem Tibi datam desuper facies de hoc. Non est meæ humilitatis dictare Tibi, sic vel sic fieri quidquam. Sufficit intimâsse, oportere aliquid fieri, unde & Ecclesia consoletur, & obstruatur os loquentium iniqua.

Hæc pauca vice Apologiæ dicta sint, (u) ut ipsa qualiacunque habeat conscientia tua ex me, unde me habeat excusatum, & Te pariter; etsi non apud eos qui facta ex eventibus æstimant, certè apud Teipsum. Perfecta & absoluta cuique excusatio est testimonium conscientiæ suæ. Mihi pro minimo est, ut ab illis judicer, qui dicunt bonum malum, & malum bonum; ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Et si necesse sit unum fieri è duobus: malo in nos murmur hominum, quàm in Deum esse. Bonum mihi est, si dignetur me uti pro clypeo. Libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemorum, ut non ad ipsum Deum perveniant. Non recuso inglorius fieri, ut non irruatur in gloriam Dei. Quis mihi det gloriari in voce illa: *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam?* Gloria mihi est consortem fieri Christi, cujus illa vox est: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Ego plagis conscientiæ meæ (x) nullum judico accommodatius medicamentum probris & contumeliis. Non est proinde, quòd pro me movear homuncio omni opprobrio dignus & despectione. At si usque in Christum Domini malignatio fortè pervenerit, nutat (fateor) patientia, & omnis penè cedit mansuetudo. *Hactenùs Sanctus Pater Bernardus ad Eugenium Papam, pro se, an magìs pro Deo? Certè pro utroque: solatium simul capiens, exhibensquè: neque solùm Eugenio satisfaciens, sed pro Eugenio.*

22. *Porrò de causa infelicis successus expeditionis Jerosolymitanæ audire præstat Otthonem Episcopum Frisingensem, unum ex peregrinis hujus expeditionis, qui Sanctum Bernardum excusando, aliorum criminationes detegit, (y) dicens:* Quid enim si dicamus Sanctum illum Abbatem Spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuisse, sed nos ob superbiam lasciviamq; nostram salubria mandata non observantes, meritò rerum personarumq; dispendium reportâsse, non sit à rationibus, vel antiquis exemplis dissonum. *Quòd autem Ludovici Regis peccatis infelicem sortita sit exitum expeditio, testatur Cardinalis Baronius (z) his verbis:* Quod enim authoritate Apostolicâ indictum est bellum, Episcoporum concilio probatum, Sanctorum prædicationibus annunciatum, signis & miraculis comprobatum, causâ (quod prætermiseram) justissimâ promulgatum, atque, ut apparet, undique sanctificatum, quod faciendum monuit Jeremias: quid minus habuit, ut non faverit ipsi Deus, qui voluit ipsum? Sed terribilis planè Deus in consiliis super filios hominum. Fuit sanè (quod diximus) voluntas Dei, & utique bona, sed an beneplacens, in omnibusquè perfecta, hoc exactè inquirendum monet Apostolus, cùm ait: *Reformamini in novitate sensûs vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* In bono probando opere bona utique Dei voluntas accessit, sed in offerente non sibi Deus complacuit, nec fuit voluntas Dei in eo. Non ergo respexit ad offerentem, licèt bona essent quæ offert, sicut nec ad Cain, nec ad munera ejus. Quid enim ab offerente requiritur Euangelicâ lege? *Vade priùs* (inquit Dominus) *reconciliari fratri tuo.* Multò magis patri tuo, magis magìsquè verò patribus tuis. Quotnam autem sanctos Episcopos suarum sedium Rex esse ipse fecit extorres, & suis privavit Pastoribus Ecclesias, jam tu ipse audisti ex epistolis 256. 288. & 333. ejusdem S. Bernardi superiùs recitatis. At dixerit quispiam: *Emendavit*

Rex

u *Ibid. nu. 4.* x *Idem in Epist. ad Eugen. Papam nu. .* y *Ottho Frisingen. ex Friderico lib. 1. cap. 60. in fine.* z *Card. Baron. in Annal. Eccl. tom. 12. ad ann. 1146. a clatus ab Henriquez in Fasc. Cist. tom. 1. dist. 4. cap. 25.*

Rex ista? Imò certum est non correxisse, & adhuc ea de causa Ecclesias interdicto perseverâsse subjectas. *Hactenùs Cardinalis Baronius.*

23. *Libet etiam audire Guillelmum Neobrigensem,* (a) *causas infelicis belli Jerosolymitani diligentiùs edisserentem his verbis*: Legimus, *inquit*, olim numerosissimum Domini exercitum unius hominis etiam occultè peccantis scelere ita inquinatum, & favore divino nudatum esse, ut enervus & languidus appareret. Consultus Dominus Deus, respondit *populum anathemate pollutum esse.* Et adjecit: *Anathema in medio tui est, Israël: non poteris stare adversùs hostes tuos, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere.* Porrò in nostro illo exercitu tam contra Christianam, quàm contra Castrensem etiam disciplinam tanta mala increverant, ut mirum non sit, quòd eis tanquam pollutis & immundis favor divinus nequaquam arriserit. Castra enim à castratione dicuntur luxuriæ. At Castra illa nostra non erant casta, in quibus utique infelici quâdam licentiâ multorum spirabant libidines. Præsumentes quoque de multitudine & instructu copiarum, atque ita carnem brachium superbè ponentes, in Domini (pro quo æmulari videbantur) misericordia atque potentia minùs confidebant; declaratumquè in eis est, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Præterea in terra Christiani Imperatoris Græcorum, cum quo fœdus percusserant, & quo jubente venalia vel afferebantur, vel abundabant, minùs à rapinis temperabant. Immisit ergo eis infensus Imperator, hinc famem, inde hostem, tanti sanguinis Christiani periculum Christianus minimè perhorrescens. Denique venalibus prohibitis, cùm pro victualibus congerendis propter hostium insidias nostri non valerent excurrere, primò exercitus fame contabuit: deinde hostium exceptus insidiis, vel Turcarum gladios inebriavit, vel Christianæ statum libertatis ignominiosissimæ atque infelicissimæ servitutis sorte mutavit. Nec superbis atque immundis castigandis iræ defuêre cœlestes: nam plerumq; (vt dicitur) effusa desuper intempestivarum nubium inundatio de exercitu nostro plus minuit, quàm hostilis gladius. Itaque duorum exercituum maximorum parte longè majore diversis casibus & cladibus profligatâ, cum parte residua duo illi magni Principes ægrè exitium evadentes, Hierosolymam venerunt: & inde nullâ re memorabili factâ inglorìè recesserunt. *Hactenùs Neubrigensis.*

24. *Verùm ne fructus illius expeditionis in ancipiti adhuc existeret,* (b) *& Bernardo à calumnia vendicato, solus Deus pateret querelis hominum: (quippè quo duce viam arripuissent, quam contritio infelicitasquè non secùs ac vias impiorum comitarentur:) nevè eandem gloriam judicarent, quia sine externo fructu quem prætenderant: divinâ providentiâ factum est, ut miraculis revelationes additæ, & revelationibus eventus consentientes planè visibiles illustriùs certiùsq; manifestarent loca sancta mutata esse, quàm amissa, cœlestia pro terrenis; & Curiam illam cœlestem refertam ex his militibus, qui ibidem gloriosè cecidissent; si redirent ad propria, condemnandis. Sed nos Gaufridum de his loquentem,* (c) *& mox ea quæ ipsius discursum planè confirment, audiamus.* Nec tamen, *inquit*, ex illa profectione Orientalis Ecclesia liberari, sed Cœlestis meruit impleri, & lætari. Quòd si placuit Deo tali occasione plurimorum eripere, si non Orientalium corpora à paganis, sed Occidentalium animas à peccatis, quis audeat dicere illi: *Quid fecisti sic?* Aut quis rectè sapiens, illorum fortè magìs non doleat qui ad priora vel pejora fortè prioribus scelera redierunt, quàm eorum mortem, qui in fructibus penitentiæ purgatas variis tribulationibus Christo animas reddiderunt? *Hæc Gaufridus. Quæ quàm certa fuerint, quàm conformia eventibus, quàm firmata divinitùs, refert Joannes Abbas Monasterii Casematii Ordinis Cistercienfis in Italia prope Romam, sic scribens ad Sanctum Bernardum anno* 1150. (d) Dictum est mihi, Pater charissime, quòd de hac re, quæ non ita prosperè, ut forsitan volebatis, contigit, (de via Hierosolymæ loquor) multùm contristamini, eò quòd Ecclesia Dei, vel gloria, non sicut desiderabatis, accrevit. Quapropter, quod mihi pro hoc diu cogitanti Deus (ut credo) in corde misit, vobis humi-

a *Guillel. Neubrig. lib. 1. de Reb. Angl. cap. 20. relatus à Horstio in Annotat. ad lib. 2. de Consid. cap. 1.* b *Manrique in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1150. cap. 1. nu. 9.* c *Gaufrid. lib. 3. de Vita S. Bern. cap. 4. nu. 10.* d *Joan. Abb. Casemar. Epist. 333. inter Epistolas S. Bern. quam etiam refert Manrique in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1150. cap. 2. nu. 2.*

humiliter ſuggero: nimirùm perpendens quòd ſæpè parvo cuilibet Dominus aliquid oſtendit, quod alicui magno & multis donis repleto videre nequaquam concedit, ſicut Moyſi ſancto facie ad faciem cum Deo loquenti Jetro alienigena conſilium dedit. Videtur itaque mihi, quòd Omnipotens Deus de hac via multum fructum fecit, non tamen eo ordine, quo ipſi viatores arbitrabantur. Siquidem ſi hoc quod cœperant, juſtè (ſicut decet Chriſtianos) ac religiosè proſequi vellent, Dominus cum eis eſſet, ac magnum fructum per eos perfeciſſet. Sed quoniam ipſi ad mala ſunt devoluti, & hoc nequaquam Dominum qui auctor viæ fuerat, à principio latere potuit, ut ſua providentia in ſui diſpoſitione non falleretur, malitiam eorum in ſuam convertit clementiam, & immiſit eis perſecutiones & afflictiones, quibus purgati ad regnum cœlorum pervenire poſſent. Denique confeſſi ſunt nobis qui redibant, quòd vidiſſent multos ibi morientes, qui libenter ſe mori dicebant, neque velle reverti, ne ampliùs in peccatis reciderent. Sed ne in dubium veniat quod dico, quaſi Patri meo ſpirituali in confeſſione aperio, quòd Patroni loci noſtri Beatus Joannes & Paulus ſæpiùs nos viſitare dignati ſunt, quos ego ſuper hac re interrogari feci, & hujuſmodi ſententiam reſponderunt. Dicebantquè multitudinem Angelorum qui ceciderant, de illis qui ibi mortui ſunt, eſſe reſtauratam. Hoc autem ſcitote, quòd magnam veſtri memoriam habuerunt, finemquè veſtrum citò venturum prædixerunt. Quia igitur benè res etſi non ſecundùm hominum deſiderium, tamen ſecundùm Dei propoſitum evenit: veſtræ erit prudentiæ in ipſo de hac re conſolari, cujus ſolius gloriam quæritis & deſideratis. Idcirco namque vobis & exhortandi, & operandi gratiam in hoc negotio dedit, quia bonum quod inde facturus erat, prævidit. Ipſe igitur curſum veſtrum feliciter compleat, noſquè vobiſcum in ſua gloria conſtituat. *Sic ad Sanctum Patrem Bernardum Joannes Abbas, conſolans eum non ſolùm de præteritis, ſed etiam de futura quam jam præſtolabatur, fœlicitate.*

25. Feliciùs autem res Chriſtianorum evenerunt in Luſitania eodem anno, (e) quo Fidelium exercitus miſerâ illâ clade deperiit in Syria, oſtendens evidenter Altiſſimus quod olim per ſuum Prophetam dicebat: *Si populus meus audiſſet me Iſraël, ſi in viis meis ambulâſſet, pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliâſſem, & ſuper tribulationes eorum miſiſſem manum meam.* Victoriam enim, quam tot Principibus, tot militum phalangibus denegavit in partibus Orientalibus, (quia ejus præcepta contemnentes, carnis ſuæ legibus potiùs, quàm divinis obediebant:) conceſſit magno quidem miraculo Regi Luſitanorum Alphonſo, contra Saracenos pro Fide Catholica indefeſſo animo dimicanti. Sed quo putas inſtrumento, quibus mediis? Certè idem Bernardus, qui commovit populos ad expeditionem illam Hieroſolymitanam aggrediendam, (quæ tamen tam infœlicem exitum eſt ſortita) populos etiam Luſitanos ſuis ſuorumquè Fratrum *(Claravallenſium)* precibus contra Saracenos munivit, & inſigni quodam miraculo illuſtravit. Et quem Deus Orientalium ſtrage confundi permiſit, Luſitanorum victoriâ ſublimavit. Magna quidem ſunt judicia ejus: uno enim eodemquè tempore humiliat & ſublevat, & in utroque theſaurum immenſæ bonitatis ſuæ oſtendit. Eo tempore Saraceni, quos Rex Alphonſus junctis copiis profligaverat & penè extinxerat, reaſſumptis viribus, exercituquè copioſo congregato, rapinis incendiiſquè agros & civitates Luſitaniæ Provinciæ devaſtabant. Obtinebant inter alias civitates munitiſſimam vrbem, quæ *Scalabis* nuncupatur, ſitu & rupium fragoſitate arduam, atque viribus (ut videbatur) humanis inexpugnabilem. Unde velut ex tutiſſimo propugnaculo exeuntes, crebris incurſionibus Provinciam illam infeſtabant. Alphonſus igitur populum ſuum variis iiſquè adverſis bellis labefactatum cernens, omnem lapidem movere propoſuit, ut Civitatem illam occuparet, & jugum intolerabile Agarenorum excuteret. Hac intentione paucis quidem ſed ſtrenuis militibus ſtipatus, rem aggreditur. Viſo Civitatis ſitu, rupium altitudine, murorum fortitudine, à ſpe quam conceperat, reſilivit, & nimio dolore angebatur. Aderat illi Frater ſuus Petrus Alphonſus, qui Regis anxietatem vultu eam prodente cognoſcens, fiduciam ſuam ponens in eo qui nunquam deſeruit ſperantes in ſe, & Sancti

Abbatis

e *Henriquez in Faſcic. SS. Ord. Ciſt. tom. 1. diſt. 4. cap. 26. ex Bern. Brito ann. 1. Chronicor. lib. 3. cap. 18. & 20.*

Abbatis nostri Bernardi præclara opera, quæ ipse dum in Galliis versaretur, expertus fuerat, mente revolvens, Fratrem alloquitur, eiquè efficacissimè persuadet, ut arduum illud negotium Beati Bernardi precibus committeret, nec de fœlici eventu dubitaret. *Non minùs*, inquit, *Abbas Sanctus absentibus, quàm præsentibus ejus orationes efflagitantibus opem impendit: omnibus enim magna licèt regionum intercapedine distent, si non corpore, spiritu adest.* Quibus verbis interiùs commotus Rex Alphonsus, in cacumine montis, ubi cum exercitu suo castra metatus erat, flexis genibus suppliciter deprecatus est Dominum, dicens: *Domine Deus, cujus potentiâ impossibilia quæque facilia redduntur, concede populo tuo de inimicis suis victoriam: & præsta, ut meritis Servi tui Bernardi, quod humiliter petimus, feliciter consequamur.* Promisit insuper se Ordinis Cisterciensis Monasterium extructurum, cui omnia quæcunque cernere poterat, in perpetuum Monachorum usum assignavit. Vix edidit votum, & exauditæ sunt preces ejus. Statimquè Deus Famulo suo Bernardo Regis & Christianorum illarum Partium oppressionem, preces, & de ædificando Cœnobio votum revelavit: Sanctus Bernardus etiam indicavit Fratribus suis Monachis Clarævallensibus, ut & ipsi Divinam pro ea necessitate interpellarent clementiam. Sequenti quoque nocte eidem Alphonso Regi precibus & orationibus insistenti apparuit Sanctus Abbas, (ut testatur id Athanasius de Lovera, in vita SS. Froilani & Athilani) & pio Regi animum dedit, victoriam promisit, & ad executionem sancti sui propositi incitavit. Quid plura? Divinâ hac visitatione munitus Alphonsus, iterùm Civitatem obsidere conatur, ducentos & quinquaginta milites deligit, versùs *Scalabim* iter arripit, Civitatem circuit, &c. Mirabile dictu! Nullis ex suis desideratis, pluribus hostibus cæsis, munitissimam Urbem unâ eâdemquè horâ obsidet, expugnat, & occupat. Sed numquid suis viribus, aut propriâ virtute? Nequaquam. Dum enim ipse cum suis militibus in expugnanda Urbe laborâsset, tunc Sanctus Abbas Bernardus extensis in cœlum manibus, velut alter Moyses, victoriam precabatur populo suo. Aderant illi plures ex Religiosis, qui simul orationibus suis pectus miserationis Divinæ tundebant. Instabat jam hora undecima noctis, & Virum sanctum quasi magnâ aliquâ difficultate oppressum, & quasi gravi quodam labore fatigatum, sudantem, anhelantem cernebant. Tunc enim (ut postea fuit compertum) Christiani à Saracenis armorum vi crudeliter vexabantur. Vicit tandem pii Patris Bernardi oratio, in qua cum suis totâ nocte pervigil perseveravit: & die sequenti, dum post Matutinas Laudes horam Primam in Choro persolverent, Abbatem suum vultu hilarem, & jucunditatem quandam quasi cœlestem præseferentem conspiciunt. Dictâ Primâ, in Capitulo congregantur Monachi, ad quos pius Pater Sermonem habuit, & in eo omnia quæ hac nocte acciderant, enarravit, incipiens cum Propheta his verbis: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum, &c.* Sermo iste inter cæteras Monasterii Alcobatiæ antiquitates servatur. *De hac victoria etiam constat ex Epistola Sancti Bernardi,* (f) *quam anno* 1148. *scripsit ad eundem Regem Portugaliæ Alphonsum, his verbis:* Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatus est vos in tribulatione vestra, dum abstulit opprobrium Saracenorum à cervicibus vestris. Ceciderunt muri Jericho, cecidit Babylon magna: destruxit Dominus munitiones inimicorum suorum, & extulit cornu populi sui. Quod etiam antequam fieret, rescivimus revelante Spiritu, qui ubi vult spirat, absque auditione vocis. Propter quod animas nostras affliximus, & tam parvitas mea, quàm reliqui Fratres mei, coram Domino provoluti, decertantibus manibus vestris robur & fortitudinem postulabamus: & ex eo quòd iniquitates nostræ vestram non impediverunt felicitatem, summè lætati sumus. Rescivimus etiam ingentem pietatem, qua commotus votum de ædificando Cœnobio Altissimo devovistis: quapropter mittimus hos filios, quos lacte doctrinæ ab incunabulis Religionis Christo nutrivimus, quatenùs nos ipsos Celsitudini vestræ commendantes, piam voti intentionem ad debitam executionem perducant; illud condentes Monasterium, in cujus

f S. Bern. Epist. 367.

jus duratione & integritate, indelebile habebitis elogium Regni vestri; & in divisione redituum, dividetur à vobis Corona vestra. *Hæc Sanctus Bernardus.*

26. *Nec minùs auspicata illa victoria fuit*, (g) *qua pars exercitus transeuntis ad Orientem, à reliquis divisa, Angliam primùm, mox Hispaniam appulsa, Ulyssiponam eripuit Saracenis, Urbem Europæ celebrem, Lusitanorum Regum illustrem Curiam, & quâ vix alia opulentior reperiatur. Victi (ut fertur) supra ducenta millia, victores vix tredecim millia numerabantur: ex quibus pauci mortui, sed hi tales, quos Deus per miracula illustraverit. Nos rem ipsam Roberti Abbatis Montensis his verbis referamus.* Navalis Dei exercitus ex Anglia, Flandria, atque Lotharingia collectus, secundo Idûs Aprilis de Tredemunde portu Angliæ cum ducentis ferè navibus profectus, quarto Kalendas Julii in Vigilia Apostolorum Ulysiponam applicuit, & eam post quatuor mensium obsidionem, per multas cædes & multam macerationem, Dei virtute, & non suâ industriâ capiunt. Et cùm de ipsis tantùm essent tredecim millia, hostium verò ducenta millia & quingenti, superantes ingressi cum hymnis, Ecclesiam dedicârunt, & Episcopum ibi Clericosquè ordinaverunt. Ad corpora ibi occisorum tres muti recuperaverunt loquendi usum. *Hæc Robertus Abbas Montensis. Quod autem ait*, (h) *ad corpora in eo prælio occisorum tres mutos recepisse loquendi usum, confirmat etiam Vincentius Belvacensis in Speculo Historiali libro 27. capite 85. & consonant Lusitani omnes Authores. Addit Brandaonius libro decimo, capite septuagesimo octavo, ante interceptæ vocis adeptum usum, eosdem mutos vidisse in somnis Henricum quendam militem, qui sibi ob propria merita & sociorum, sospitatem optatam repromiserit. Quin & ex ejusdem Henrici sepultura prodiisse palmam, cujus frusta valerent pellendis morbis. Crediderim insinuatum à Deo per hæc miracula, id genus belli potiùs animabus quàm corporibus salubrius, nempè zelante pro Eugenio, atque Bernardo: ne, cùm tot corpora utriusque Sancti monitis, pessundata apparerent anno sequenti, tot millia hominum in Syria pereuntia, nullo exteriori fructu, nullâ victoriâ; inutile aut nocivum judicaretur, per quod tot Sanctos, quot milites occisos, Christus acquireret: de quorum felici numero cœlestis patriæ ruinæ repararentur.*

27. *Illud etiam jucundè satìs credimus considerâsse nonnullos*, (i) *quòd eâdem hebdomadâ, quâ felicissima anima Bernardi carne soluta est*, (die 20. Augusti anno 1153. ætatis verò suæ anno 63.) *Ecclesia Hierosolymitana magnificè satìs fuerit divino munere consolata, sicut sæpiùs noverant illum promisisse. Siquidem capta est Ascalon illa munitissima Civitas, paucis à Sancta Civitate Jerusalem milliaribus distans, & periculosè instans calcaneo ejus. Adversùs hanc quinquaginta annis & eò ampliùs nihil profecerant Christiani laborantes: nam & tunc non humanâ virtute capta est, sed divinâ. Nec incongruum nunc ipsius Bernardi inserere verba, quæ eodem anno* 1153. *scripserat ad Virum optimum, militem Templi Hierosolymitani, tunc ministrum, nunc etiam Magistrum Militiæ Templi, qui ipsius secundùm carnem Avunculus erat. Epistolæ Sancti Bernardi tenor est hujusmodi*: Literæ tuæ, *inquit*, (k) quas novissimè transmisisti, invenerunt me in lectulo decumbentem. Accepi eas obviis manibus: libenter legi, libenter relegi, sed libentiùs te vidissem. Legi in illis desiderium tuum videndi me, legi & metum tuum pro periculo Terræ, quam Dominus suâ præsentiâ honoravit; pro periculo Civitatis, quam suo Sanguine dedicavit. Væ Principibus nostris. In Terra Domini nihil boni fecerunt: in suis verò terris ad quas velociter redierunt, incredibilem exercent malitiam, & non compatiuntur super contritione Joseph. Potentes sunt ut faciant mala: bonum autem facere nequeunt. Confidimus autem quia non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet. Porrò dextera Domini faciet virtutem, & brachium suum auxiliabitur ei; ut cognoscant omnes, quia bonum est sperare in Domino, quàm sperare in Principibus, &c. Desideras me videre, (l) & de meo (ut scribis) arbitrio desiderii tui pendet effectus: nam mandatum super hoc meum te indicas expectare. Et quid dicam tibi? Et cupio ut venias, & timeo ne venias. Ita

inter

g *Manrique in Annal. Cist. tom. 2. ad annum 1147. cap. 15. nu. 3. ex Roberto Abbate Monten. in Supplemento Chronicor.* h *Idem Manrique ibid. num. 6.* i *Gaufrid. lib. 2. de Vita S. Bern. cap. 4. nu. 11.* k *S. Bern. Epist. 288. ad Andream Avunculum suum militem Templi num. 1.* l *Ibid. num. 2.*

inter velle & nolle positus, coarctor è duobus: & quid eligam, ignoro. Unum dico, ne videlicet tuo satisfaciam desiderio, & meo pariter: an credam magis celebri de te opinioni, quâ Terræ ita pernecessarius prædicaris, ut de tua absentia non mediocris illi desolatio imminere credatur. Itaq; quod mandare non audeo, opto tamen ut te videam antequam moriar. Tu meliùs id videre & cognoscere potes, si quoquomodò sine damno, & sine scandalo illius Gentis venire possis. Et fieri posset, quòd adventus tuus omninò non esset inutilis. Fortè favente Deo non deessent qui te sequerentur revertentem ad subveniendum Ecclesiæ Dei, quoniam omnibus notus es & dilectus. Potest facere Deus, ut & tu cum sancto Patriarcha Jacob loquaris: *In baculo meo transivi Jordanem istum, & ecce cum tribus turmis regredior.* Unum dico: si venturus es, ne tardaveris, ne fortè venias & non me invenias. Ego enim jam delibor, nec puto me longum facere super terram. Quis mihi tribuat tuâ, in voluntate Domini, amabili & dulci præsentiâ vel paululùm refrigerari priusquàm abeam? &c.

28. *Anno Domini 1167. elapsis quatuordecim annis post obitum Sancti Bernardi, ejus interventu Rex Hierosolymorum insignem obtinuit victoriam, de qua Henriquez sic scribit:* (1) Cùm enim Sarracon Dux Turcarum Urbem Alexandriam, & adjacentem Ægypti Provinciam disposuisset invadere, Hierosolymorum Rex Amalricus timens, & præcavens in futurum, ne si fortè Turcas in Ægypto dominari contingeret, majorem in Christianos agerent pro locorum vicinitate perniciem, & ipse Rex interim ex Ægypto tributariam perderet functionem: collectis copiis, in occursum properat Saracenis, progrediens usque ad alveum Nili fluminis, quod aridas Ægyptiorum irrigat Provincias. Cùmquè venisset ad flumen, fecit illud navium ponte meabile: & relinquens in custodia pontis ex utraque parte fluminis milites peditesquè, ipse Rex cum trecentis Equitibus fugientem Sarraconem insequitur, persequens eum & exercitum ejus grandem, quatuordecim millia Turcarum, & tria millia pugnatorum Arabum continentem. Illis autem itinere diei unius ante Regis impetum fugientibus, non deerant hinc inde nuncii de Media concurrentes. Quorum alii suggerebant Regi, ut multitudinem illam territatam, & fame & lassitudine dissolutam, jam jam consumpturus perderet. Alii è contrario Turcas hortabantur ut starent, facilè admodùm fore concludi paucos in manu tantæ multitudinis affirmantes: quibus verbis Saraceni excitati, instruuntur ad pugnam, qui priùs in fugam præcipites ferebantur. Adveniente nocte, castra metati sunt juxta aquas, quæ utrumque exercitum stricto satis alveo dirimebant. Cùmquè obdormivisset Rex, confestim sibi Beatus Bernardus apparuit, exprobrans & improperans ei peccata sua, & quòd non esset dignus vivificæ Crucis lignum (quod de consuetudine appensum collo gestabat) illo certamine conferre. Statimquè Rex territus & turbatus veniam petit, & Sancto qui loquebatur ad eum, peccata sua flebiliter confitetur. Tunc Beatus Bernardus admotâ propiùs manu, Crucem Sanctam accepit, & trino Crucis signaculo benedicens ei dixit: *Confide Rex, in hoc signo vinces: & in periculo timoris magni qualem nunquam hactenùs expertus es, Divinam experieris pietatem, & sine læsione tui hostiles incursus evades.* Cùm hoc dixisset verbum voluit discedere, Crucem quam à collo Regis acceperat, portans secum. Rex autem apprehendens eum, ait: *Non dimittam te, nisi Crucem dimiseris mihi.* Ad quem Sanctus Bernardus respondit: *Noli, noli Rex contradicere, alios filios habeo, quos oportet hujus Crucis signaculo benedici.* Et his dictis visio evanuit, & fulgor matutinus illuxit, & paulò post uterque exercitus ad ineundum certamen propinquavit. Aggreditur Regis cuneus multitudinem copiosam, & in medio ejus quasi in pelago maris absorptus, inimicos Crucis Christi sub Crucis vexillo prosternit: caduntquè à latere suo mille, & multa millia à dextris suis. Discurrunt undique triumphantes in Christi nomine Christiani, ita ut dum illi diversis pugnæ partibus dividuntur, Rex ipse solus in quodam congesti sabuli cumulo remaneret, tam morti proximus, quàm longè erat suorum militum solatio destitutus. Cernebat ex eminenti stationis suæ loco Turcas undique concurrentes, jam

1 *Henriquez in Fasc. SS. Ord. Cist. tom. 1. dist. 4. cap. 51. ex libro Mirabilium S. P. Bern. cap. ult. evulgato à Picardo, & Gundissalvo de Sylva, quos etiam citat Manrique in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1173. cap. 6.*

jamquè imminentem sibi expectabat interitum, nisi quia in eo quodammodò confidebat, quod se illis non ignorabat ignotum. Recordatus est illicò visionis, & pia intra se vota conficiens, pollicitus est Domino, & Beato Patri Bernardo, quòd si de manu inimicorum evaderet, Crucem quam Sanctus petierat, Filiis ejus Claraevallensibus destinaret. Cantinuò igitur triginta de militibus suis Regem ipsum à longè cognoscentes, acriori in se certamine Turcas provocant ad pugnandum, ut conversâ in illos totâ fortitudine conflictûs, Rex interim ab hostibus & ignotus persisteret & securus. Quod cùm quindecim milites de sacra Templi militia conspexissent, per fortissimos hostes violenter irrumpunt, associatiquè aliis militibus, divisis & caesis hostibus, ad Regem suum cum laetitia & victoria pervenerunt. Sicquè impletum est, quòd & Rex precibus Sanctissimi Patris nostri Bernardi de beneficio Sanctae Crucis triumphator ascendit, & Claraevallensis Ecclesia, de beneficio Regis vivificae Crucis donum ejusdem Sancti Patris meritis apprehendit. *Hactenus Henriquez ex Picardo, & Gundissalvo,*

29. *Anno Domini* 1187, (m) *quo in Oriente à Christianis infeliciter pugnatum est cum Saladino Turcarum Duce, semel in die Apostolorum Philippi & Jacobi, & iterùm infra octavas Apostolorum Petri & Pauli, ac tandem in vigilia Sanctorum Cosmae & Damiani, Jerosolymae amissio Christianis omnibus luctum & confusionem, Urbano Papae Tertio etiam mortem attulit. Christianorum excidium latè Baronius ex diversis Epistolis refert, nos verò unam tantùm Balduino Cantuariensi Archiepiscopo scriptam referemus, ut Occidentem in vindictam ciere posset. Ea autem Epistola à Principe Conrado filio Marchionis de Monteferrato, qui cunctis interfuit, scripta, haec habet verba*; Turbantur elementa, (n) & Catholicae Fidei derogatur, cùm Sedes Jerosolymitana Apostolicae Sedi subtrahitur. Periit enim Jerosolyma, & inertiâ Christianorum à Saracenis vilissimè pertractatur. Foedant namque Dominicum Sepulchrum, destruunt Calvariae locum, Nativitatem Christi contemnunt, & Beatae Virginis eradicant Sepulchrum. Sedes Constantinopolitana Romanae Sedi nullam exhibet reverentiam: Antiochena quoque laborare dignoscitur in extremis. Haec autem omnia constat Christianorum desidiâ contigisse. Lugenda est Civitas Jerusalem, atque lugubriter lamentanda, quia suis spoliata est cultoribus, qui Christo per horas diei ac noctis constituti, Deo cantando & orando famulabantur: nunc (proh dolor!) Mahomet excelsa voce laudatur, ritibus polluta Saracenicis. Vestrae igitur Celsitudini preces cum lachrymis porrigo commixtas, quatenùs calamitatem Terrae Sanctae misereri dignemini: ut confortetis Reges, commoneatis Fideles, ut canibus expulsis à patrimonio Jesu Christi, misericorditer subveniant, vincula solvant, profanata mundent; & Terra Sancta Christi pedibus calcata, de potestate Infidelium potenter liberetur, &c. *Haec Conradus ad Balduinum Archiepiscopum Cantuariensem. Cùm autem Urbanus Papa III. audisset*, (o) *quòd temporibus suis captus esset Rex Jerosolymitanus, & Crux Dominica, & Civitas Sancta Jerusalem, doluit vehementer; & incidit in aegritudinem, & mortuus est decimotertio Kalendas Novembris apud Ferrariam, anno Domini* 1187. *Ita Rogerius.*

30. *Mortuo autem Urbano Papa III.* (p) *sequenti die successit in Papatu Albertus Carnalis, Cancellarius, Presbyter titulo Sancti Laurentii in Lucina, patriâ Beneventanus, dictusquè est Gregorius VIII. successor doloris, haeres calamitatis. Qui amissionem Civitatis Jerosolymitanae deplorans, dedit Literas ad omnes Fideles, quos animat ad bellum contra Saracenos, pro vindicandis Locis nostrae salutis, ac plenariam Indulgentiam concessit praeliaturis. Quarum literarum tenor sequitur hujusmodi videlicet*:

Gregorius Episcopus, (q) Servus Servorum Dei, Universis Christi fidelibus, &c. salutem, & Apostolicam benedictionem. Auditâ tremendi severitate Judicii, quod super Terram Jerusalem Divina manus exercuit, tanto sumus Nos, & Fratres nostri horrore confusi, ut non facilè nobis occurreret quid agere, aut quid facere deberemus,

m *Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1187. cap. 1. num. 1.* n *Manrique ibid. num. 2.* o *Rogerius in Annal. Angliae, relatus à Manrique loco cit. num. 5.* p *Card. Baron. in Annal. Eccl. ad ann. 1187.* q *Litera Gregorii Papae VIII. relata à Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1187. cap. 2. num. 6.*

beremus, nisi quod Psalmista deplorat, & dicit: *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, coinquinaverunt Templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ, & escas volatilibus cœli, &c.* Ex occasione quippè dissensionis, quæ malitiâ hominum ex suggestione diaboli, facta est nuper in Terra, accessit Saladinus cum multitudine armatorum ad Partes illas, & occurrentibus ei Rege, & Episcopis, & Templariis, & Hospitalariis, Baronibus ac Militibus cum populo Terræ, & Cruce Dominicâ, (per quam ex memoria & fide Passionis Christi, qui pependit, & genus humanum redemit, certum solebat esse tutamen, & contra Paganorum incursus desiderata defensio,) factâ compressione inter eos, & superatâ parte nostrorum, capta est Crux Dominica, trucidati Episcopi, captus Rex, & universi ferè aut occisi gladio, aut hostilibus manibus deprehensi, ita ut paucissimi per fugam dicantur elapsi: ipsi quoque Templarii & Hospitalarii in ejus oculis decollati sunt. Superato autem exercitu, qualiter subsequenter invaserint & rapuerint universa, (ita ut nonnisi pauca loca remansisse dicantur, quæ in eorum non devenerunt potestatem) non credimus nostris Literis explicandum. Nos autem licèt cum Propheta dicere habeamus: *Quis det capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo nocte ac die interfectos populi mei?* Non tamen adeò dejicere nos debemus, ut in diffidentiam decidamus, & credamus Deum ita populo suo iratum, ut quod communium faciente multitudine peccatorum fieri permisit iratus, non citò per misericordiam pœnitentiâ placatus alleviet, & post lachrymationem & fletum exultationem inducat.

Quisquis sanè in tanta lugendi materia, (r) si non corpore, saltèm corde non luget, non tantùm Fidei Christianæ, (quæ cum omnibus dolentibus docet esse dolendum,) sed ipsius etiam humanitatis nostræ oblitus est: cùm ex ipsa periculi magnitudine, ac feritate barbarica Christianorum sanguinem sitiente, ac totam suam in hoc apponente virtutem, ut profanare Sancta, & titulum Dei valeant auferre de Terra, quod nos tacemus, discretus unusquisque valeat æstimare. Sanè cùm Prophetæ toto priùs studio laboraverunt, postmodùm Apostoli, & sequaces eorum, ut Divinus cultus esset in Terra illa, & ad omnia climata Mundi ex ea deflueret. Imò, quod maximum & ineffabile est, Deus qui voluit incarnari, per quem facta sunt universa, per ineffabilem sapientiam & incomprehensibilem misericordiam suam, per infirmitatem carnis, esuriem, sitim, crucem, & mortem, & resurrectionem, nostram salutem ibi voluit operari, juxta quod dicitur: *Qui operatus est salutem in medio terræ*: per seipsum ad hoc dignatus est laborare. Nec lingua dicere, nec sensus cogitare potest, quantùm Nobis, & universo dolendum sit populo Christiano, quòd id nunc perpessa est Terra illa, quod sub veteri populo legitur pertulisse. Nos autem credere non debemus, quòd ex injustitia Judicis ferientis, sed ex iniquitate potiùs populi delinquentis ista provenerunt: cùm legamus, quòd quando populus convertebatur ad Dominum, persequebatur unus mille, & duo fugabant decem millia: imò, ipso populo quiescente, exercitum Sennacherib Angelica manu consumptum. Sed & Terra illa devoravit habitatores suos, & nec diu habere quietum statum, nec transgressores legis divinæ potuit retinere; doctrinam & exemplum tribuens illis, qui ad cœlestem Jerusalem intenderent, quòd non possunt ad eam nisi per exercitium boni operis, & per tentationes plurimas pervenire. Potuerunt autem ista timeri jam pridem, quando Arroasia, & alia Terra in potestatem transiit Paganorum: & fuisset benè provisum, si populus qui remansit, ad pœnitentiam rediisset, & Deum, quem prævaricatione offenderat, conversione placâsset. Nec enim subitò venit ira ejus, sed & ultionem differt, & tempus tribuit pœnitenti. Tandem verò, qui in misericordia judicium non amittit, vindictam suam ad pœnam transgredientium, & cautelam salvandorum exercet.

Porrò Nos, (s) qui in tanta Terræ illius contritione non solùm peccatum habitatorum illius, sed & nostrum, & totius populi Christiani debemus attendere, ac vereri, ne quod reliquum est illius Terræ, depereat, & in alias etiam potestas eorum

 defæ-

r Ibid. num. 7. s Ibid. num. 8.

desæviat Regiones: cùm ex omnibus partibus inter Reges & Principes & Civitates dissensiones audiamus & scandala, & lugere cum Propheta & dicere valeamus: *Non est veritas, non est scientia Dei in terra: mendacium, homicidium, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Unde hoc universis & cogitandum imminet & agendum, ut peccata nostra castigatione voluntariâ emendantes, per pœnitentiam & opera pietatis convertamur ad Dominum. Et in nobis primò, quod malè gessimus, emendemus: deinde feritatem & malitiam hostium (*Turcarum*) attendamus, & quod illi contra Deum tentare non timent, nos pro Deo agere nullatenùs hæsitemus. Cogitate itaque Filii, qualiter in hunc mundum venistis, & qualiter exituri estis, & qualiter transeant universa, & pariter transeatis & vos: & pœnitendi ac benè agendi tempus, quantùm spectat ad vos, cum gratiarum actione recipite, &c. laborantes ad Terræ recuperationem illius, in qua pro salute nostra Veritas de terra orta est, & sustinere pro nobis Crucis patibulum non despexit, &c. Non est equidem novum, (t) quòd Terra illa Judicio divino percutitur; sed nec insolitum, ut flagellata & castigata misericordiam consequatur. Poterat quidem Dominus sola eam voluntate servare: sed non habemus ei dicere, Cur ita fecerit? Voluit enim forsitan expedire, & in notitiam ducere aliorum, si quis sit intelligens aut requirens Deum, qui oblatum sibi pœnitentiæ tempus hilariter complectatur, & animam ponendo pro Fratribus consumetur in brevi, & compleat tempora multa. Attendite, qualiter Machabæi zelo divinæ legis accensi, pro fratribus liberandis extrema quæque pericula sint experti; & non solùm substantias, sed & personas pro fratrum salute docuerint ponendas. Hortantes seipsos, atque dicentes: *Accingimini, & estote filii potentes: quoniam melius est nobis mori, quàm videre mala gentis nostræ, & Sanctorum.* Et quidem illi sub una lege constituti fuerunt: vos autem per Incarnationem Domini nostri Jesu Christi ad veritatis lucem adducti, & multis exemplis Sanctorum instructi, sine trepidatione aliqua faciatis, & non timeatis dare terrena & pauca & breviter duratura, quibus illa bona promissa sunt & reposita, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Et de quibus dicit Apostolus: *Non sunt digna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Eis autem, (u) qui corde contrito & humiliato laborem itineris hujus assumpserint, & in pœnitentia peccatorum & fide recta decesserint, plenam suorum criminum Indulgentiam concedimus, & vitam pollicemur æternam. Sive autem supervixerint, sive mortui fuerint, de omnibus peccatis suis, de quibus rectam Confessionem fecerint, impositæ satisfactionis relaxationem de Omnipotentis Dei misericordia, & Apostolorum Petri & Pauli authoritate, & nostra se noverint habituros. Datum Ferrariæ quarto Kal. Novembris, Indictione sexta. *Ita Gregorius VIII.*

31. Non est leve verbum quod insonuit: (x) triste satis & grave est. Et cui triste? imò cui non triste? Soli filii iræ iram non sentiunt, nec tristantur tristibus, sed lætantur & exultant in rebus pessimis. De cætero communis tristitia est, quia communis est causa, &c. Intraverunt aquæ usque ad animam Christi, tacta est pupilla oculi ejus. Mutatus est color optimus, (y) facta est quasi vidua Domina gentium, Princeps provinciarum. Tyrannus quidem *Turcarum* (z) extulerat in altum cor suum; sed jam humiliatur sub potenii manu Dei, jam superborum & sublimium colla calcantur. *O Principes sacri Fœderis*, (a) capite nobis vulpes quæ demoliuntur vineam Domini, donec parvulæ sunt; ne si crescant & multiplicentur, quidquid talium per vos non fuerit exterminatum, à posteris desperetur. Exerendus est nunc (b) uterque gladius in passione Domini, Christo denuò patiente, ubi & alterâ vice passus est. Per quem autem nisi per vos? Suscitavit Deus (c) furorem *Turcarum* in vestro tempore, ut vestro opere conterantur. Nunc tempus & opus esse existimo, (d) ambos educi in recuperatione Orientalis Ecclesiæ. Impavidus profectò miles, (e) & omni ex parte securus est, qui ut corpus ferro, sic animum Fidei loricâ induitur.

---

t *Ibid. num. 9.* u *Ibid. num. 10.* x *S. Bernar. Epist. 256. num. 1.* y *Ep. 242. num. 3.* z *Ep. 288. num. 1 juxta edit. Mabillon.* a *Ep. 189. num. 5.* b *Ep. 256. num. 1.* c *Ep. 189. num. 5.* d *Ep. 259. num. 2.* e *Tract. de exhort. ad Milites Templi cap. 1. num. 1.*

duitur. Utrifque nimirùm munitus armis, nec dæmonem timet, nec hominem: nec verò mortem formidat, qui mori defiderat. Quid enim vel vivens vel moriens metuat, cui vivere Chriftus eft, & mori lucrum? Stat quidem fidenter libenterquè pro Chrifto, fed magis cupit diffolvi, & effe cum Chrifto; hoc enim melius eft. O verè tuta (f) pro Chrifto & cum Chrifto pugna! in qua nec vulneratus, nec proftratus, nec conculcatus, nec millies, fi fieri poffit, occifus fraudabitur à victoria miles, quem Dux belli Chriftus præibit, fuos animans ad victoriam, ac dicens: *Confidite, ego vici mundum. Si Chriftus pro nobis, quis contra nos?* Securi igitur procedite milites, (g) & intrepido animo inimicos Crucis Chrifti propellite, certi quia neque mors neque vita poterit vos feparare à charitate Dei, quæ eft in Chrifto Jefu. Illud fanè vobifcum in omni periculo replicantes: *Sive vivimus, five morimur, Domini fumus.* Solent fortiffimi milites (h) auditâ buccinâ ante congreffum trepidare. At ubi ad prælium ventum fuerit, fpes victoriæ, & timor ne vincantur, reddit intrepidos. Quàm gloriofi (i) revertuntur de prælio! quàm beati moriuntur martyres in prælio! Gaude fortis athleta fi vivis & vincis in Domino: fed magis exulta & gloriare, fi moreris & jungeris Domino. Vita quidem fructuofa, & victoria gloriofa; fed utrique mors facra jure præponitur. Nam etfi beati qui in Domino moriuntur; num multò magis qui pro Domino moriuntur? Et quidem five in lecto, (k) five in bello quis moritur, pretiofa erit fine dubio in confpectu Domini mors fanctorum ejus. Cæterùm in bello tantò profectò pretiofior erit, quantò & gloriofior. O vita fecura, ubi pura confcientia! O, inquam, vita fecura, ubi abfque formidine mors expectatur, imò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum devotione! Stat martyr tripudians (l) & triumphans toto licèt lacero corpore, & rimante latera ferro, nonmodò fortiter, fed & alacriter facrum è carne fua circumfpicit ebullire cruorem.

32. O verè fancta & tuta militia, (m) atque à duplici illo periculo prorsùs libera, quo id hominum genus folet frequenter periclitari, ubi duntaxat Chriftus non eft caufa militanti! Quoties namque congrederis tu qui militiam militas fecularem, timendum omninò eft, ne aut occidas hoftem quidem in corpore, te verò in anima: aut fortè tu occidaris ab illo & in corpore pariter & in anima. Ex cordis namque affectu, non ex belli eventu penfatur vel periculum vel victoria Chriftiani. Si bona fuerit caufa pugnantis, pugnæ exitus malus effe non poterit: ficut nec bonus judicabitur finis, ubi caufa non bona & intentio non recta præceffèrit. Si in voluntate alterum occidendi, te potiùs occidi contigerit, moreris homicida. Quòd fi prævales, & voluntate fuperandi vel vindicandi fortè occidis hominem, vivis homicida. Non autem expedit five mortuo five vivo, five victori five victo effe homicidam. Infelix victoria eft, qua tu fuperans hominem, fuccumbis vitio: & irâ tibi aut fuperbiâ dominante, fruftra gloriaris de homine fuperato. Eft tamen qui nec ulcifcendi zelo, nec vincendi typho, fed tantùm evadendi remedio interficit hominem. Sed ne hanc quidem bonam dixerim victoriam: cùm de duobus malis in corpore quàm in anima mori levius fit. Non autem quia corpus occiditur, etiam anima moritur: fed anima quæ peccaverit, ipfa moritùr. Quis igitur finis (n) fructufvè fæcularis hujus non dico militiæ, fed malitiæ; fi & occifor lethaliter peccat, & occifus æternaliter perit? Proinde ceffet priftina illa non militia, (o) fed planè malitia, qua folent homines invicem fe fternere, invicem perdere, ut ab invicem confumentur. Quæ miferos tam dira libido excitat quòd proximi corpus gladio, cujus fortaffis & anima perit, tranfverberent? Sed nec effugit, qui glorietur: & ipfius animam pertranfibit gladius, cùm folum hoftem gaudeat cecidiffe. Illi fe dare difcrimini infaniæ eft, non virtutis: nec audaciæ, fed amentiæ potiùs eft adfcribendum. Quòd fi militare placet, (p) & veftræ fortitudinis ac ftrenuitatis experiri vires, arma probare delectat: non equidem id præfumendum adversùs vicinos & amicos, cùm magis Ecclefiæ inimicos

f *Epift.1.num.12.* g *Tract.de exhort.ad Milit.Templi cap.1.num.1.* h *Epift.1.num.12.* i *Tract.de exhort.ad Milit.Temp.cap.1.num.1.* k *Ibid.num.2.* l *Serm.61.in Cant.num.8.* m *Tract.de exhort.ad Milit.Temp.cap.1.num.2.* n *Ibid.cap.2.num.3.* o *Ep.322.num.5.* p *Ep.129.num.3.*

micos expugnare deceret. Super illos sanè & honestiùs acquiretis, & justiùs possidebitis acquisita.

33. Non sanè inter vos aliud bella movet, (q) litesquè suscitat, nisi irrationabilis iracundiæ motus, aut inanis gloriæ appetitus, aut terrenæ qualiscunque possessionis cupiditas: talibus certè ex causis neque occidere, neque occumbere tutum est. At verò Christi milites (r) securi præliantur prælia Domini sui, nequaquam metuentes aut de hostium cæde peccatum, aut de sua nece periculum: quandoquidem mors pro Christo vel ferenda, vel inferenda & nihil habeat criminis, & plurimum gloriæ mereatur. Hinc quippè Christo, inde Christus acquiritur: qui nimirùm & libenter accipit hostis mortem pro ultione, & libentiùs præbet seipsum militi pro consolatione. Miles inquam Christi securus interimit, interit securior. Sibi præstat cùm interit, Christo cùm interimit: non enim sine causa gladium portat. Dei etenim minister est ad vindictam malefactorum, ad laudem verò bonorum. Sanè cùm occidit malefactorem, non homicida, sed (ut ita dixerim) malicida, & planè Christi vindex in his qui malè agunt, & defensor Christianorum reputatur. Cùm autem occiditur ipse, non periisse, sed pervenisse cognoscitur. Mors ergo quam irrogat, Christi est lucrum: quam excipit, suum. In morte pagani Christianus gloriatur, quia Christus glorificatur. In morte Christiani liberalitas Regis aperitur, cùm miles remunerandus educitur. Porrò super illo *lætabitur justus cùm viderit vindictam.* De isto dicet homo: *Si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra.* Habes ergo nunc fortis miles, (s) habes vir bellicose, ubi dimices absque periculo: ubi & vincere gloria erit, & mori lucrum.

34. Non enim vel pagani necandi essent, (t) si quoquomodò aliter possent à nimia infestatione seu oppressione Fidelium cohiberi. Nunc autem meliùs est ut occidantur, quàm certè relinquatur virga peccatorum super sortem justorum: nè fortè extendant justi ad iniquitatem manus suas. Quid enim? (u) Si percutere in gladio omninò fas non est Christiano, cur ergo Joannes præco Salvatoris contentos fore suis stipendiis militibus indixit, & non potiùs omnem eis militiam interdixit? Si autem (quod verum est) omnibus fas est ad hoc ipsum duntaxat divinitùs ordinatis, ut depellant Divinæ transgressores legis, & secura ingrediatur Gens justa custodiens veritatem? Securè proinde dissipentur Gentes quæ bella volunt, & abscindantur qui nos conturbant: & disperdantur de civitate Domini omnes operantes iniquitatem, qui repositas in Hierosolymis Christiani populi inæstimabiles divitias sustulerunt, Sancta polluerunt Loca, & hæreditate possederunt Sanctuarium Dei. Exeratur gladius uterque Fidelium in cervices inimicorum Crucis, ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, quæ est Christianorum Fides: *ne quando dicant, Ubi est Deus eorum?* Quibus expulsis (x) revertetur ipse in hæreditatem domumquè suam, de qua iratus in Euangelio: *Ecce*, inquit, *relinquetur vobis domus vestra deserta.* Et per Jeremiam Prophetam ita conqueritur: *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam.* Implebitquè illud propheticum: *Redemit Dominus populum suum, & liberavit eum: & venient & exultabunt in monte Sion, & gaudebunt de bonis Domini. Lætare Jerusalem, & cognosce jam tempus visitationis tuæ. Gaudete & laudate simul deserta Jerusalem: quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem, paravit Dominus brachium suum sanctum in oculis omnium gentium. Virgo Israël corrueras, & non erat qui sublevaret te. Surge jam, & excutere de pulvere Virgo captiva filia Sion. Surge*, inquam, *& sta in excelso, & vide jucunditatem quæ venit tibi à Deo tuo. Non vocaberis ultrà derelicta, & terra tua non vocabitur desolata: quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Leva in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt: venerunt tibi.* Hoc tibi auxilium missum de Sancto. Omninò per istos tibi jam jamquè illa persolvitur antiqua promissio: *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generatione & generationem: & suges lac Gentium, & ma-*

millâ

q *Tract. de exhort. ad Milit. Templi cap. 2. num. 3.* r *Ibid. cap. 3. num. 4.* s *Epist. 322. num. 5.* t *Tract. de exhort. ad Milit. Templi cap. 3. num. 4.* u *Ibid. num. 5.* x *Ibid. num. 6.*

nulla Regum lactaberis. Et item: *Sicut mater consolatur filios suos, ita ego consolabor vos, & in Jerusalem consolabimini.*

35. *Quis mihi det antequam moriar, videre populum Christianum exultantem in recuperatione sanctæ Civitatis Jerusalem, & gaudere cum gaudentibus, eructando mellifluum Sanctissimi Patris Bernardi verbum hujusmodi:* Benedictus Deus (y) & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatus est vos in tribulatione vestra, dum abstulit opprobrium Saracenorum à cervicibus vestris. Ceciderunt muri Jericho, cecidit Babylon magna: destruxit Dominus munitiones inimicorum suorum, & extulit cornu populi sui. *Item*; Salve Civitas sancta, (z) quam ipse sanctificavit sibi tabernaculum suum Altissimus, quò tanta in te & per te generatio salvaretur. Salve Civitas Regis magni, ex qua nova & jucunda Mundo miracula nullis temporibus defuêre ab initio. Salve Domina Gentium, Princeps Provinciarum, Patriarcharum professio, Prophetarum mater & Apostolorum, & initiatrix Fidei, gloria populi Christiani: quam Deus semper à principio passus est oppugnari, ut Viris fortibus sicut virtutis, ita fores occasio & salutis. Salve Terra promissionis, quæ olim fluens mel & lac tuis duntaxat habitatoribus, nunc universo Orbi remedia salutis, vitæ porrigis alimenta. Terra, inquam, bona & optima, quæ in fœcundissimo illo sinu tuo ex arca Paterni cordis cœleste granum suscipiens, tantas ex superno Semine martyrum segetes protulisti: & nihilominùs ex omni reliquo Fidelium genere fructum tricesimum & sexagesimum & centesimum super omnem terram multipliciter procreâsti fertilis gleba. Unde & de magna multitudine dulcedinis tuæ jucundissimè satiati, & opulentissimè saginati, memoriam abundantiæ suavitatis tuæ ubique eructant qui te viderunt; & usque ad extremum terræ magnificentiam gloriæ tuæ loquuntur iis qui te non viderunt, & enarrant mirabilia quæ in te fiunt. Gloriosa dicta sunt de te, Civitas Dei. Sed jam ex his quibus affluis deliciis, nos quoque pauca proferamus in medium, ad laudem & gloriam nominis tui.

I. Habes ante omnia (a) in refectione animarum sanctarum *Bethleem* domum panis, in qua primùm is qui de cœlo descenderat, pariente Virgine panis vivus apparuit. Monstratur ibidem piis jumentis Præsepium, & in præsepio Fœnum de prato virginali ortum: quò vel sic cognoscat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. II. Cernitur & *Nazareth* (b) quæ interpretatur flos, in qua is qui natus in Bethleem erat, tanquam fructus in flore coalescens, nutritus est Deus infans: ut floris odor fructûs saporem præcederet, ac de naribus Prophetarum, faucibus se Apostolorum liquor sanctus infunderet; Judæisquè tenui odore contentis, gustu solido reficeret Christianos. III. Ascenditur propterea in *montem Oliveti*, (c) & descenditur in *Vallem Josephat*, ut sic divitias divinæ misericordiæ cogites homo, quatenùs horrorem Judicii nequaquam dissimules: quia etsi in multis miserationibus suis multus est ad ignoscendum, judicia tamen ejus nihilominùs abyssus multa, quibus agnoscitur valdè omninò terribilis super filios hominum. IV. Quàm læto sinu *Jordanis* suscipit Christianos, (d) qui se Christi gloriatur consecratum Baptismate. Denique quid in fluminibus isto eminentius, quod ipsa Trinitas sibi quadam evidenti præsentiâ dedicavit? Pater auditus, visus Spiritus Sanctus, Filius est baptizatus. Meritò proinde ipsam ejus virtutem, quam Naamon ille consulente Propheta sensit in corpore, jubente Christo universus quoque fidelis populus in anima experitur. V. Exitur etiam vel jam in *Calvariæ locum*, (e) ubi verus Elisæus *(Christus)* ab insensatis pueris irrisus, risum suis pueris insinuavit æternum, quibus ait: *Ecce ego, & pueri mei quos mihi dedit Deus.* Boni pueri, quos per contrarium illorum malignantium ad laudem excitat Psalmista, dicens: *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.* VI. Inter sancta ac desiderabilia loca (f) *Sepulchrum* tenet quodammodò principatum, & devotionis plus nescio quid sentitur ubi mortuus quievit, quàm ubi vivens conversatus est. Atque ampliùs movet ad pietatem mortis quàm vitæ recordatio.

y *Epist. 367.* z *Tract. de exhort. ad Milit. Templi cap. 5. num. 11.* a *Ibid. cap. 6.* b *Ibid. cap. 7.* c *Ibid. cap. 8. num. 14.* d *Ibid. cap. 9.* e *Ibid. cap. 10.* f *Ibid. cap. 11. num. 18.*

cordatio. Puto quòd illa austerior, hæc dulcior videatur: magisquè infirmitati blandiatur humanæ quies dormitionis, quàm labor conversationis: mortis securitas, quàm vitæ rectitudo. Vita Christi vivendi nobis regula extitit: mors, à morte redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit. Vita quidem laboriosa, sed mors pretiosa. Sive itaque hæc (g) sive alia quæcunque ex occasione Sepulchri Christianis sensibus suggerantur, puto quòd non mediocris dulcedo devotionis infundatur cominùs intuenti, nec parum proficitur cernendo etiam corporalibus oculis corporalem locum Dominicæ quietis. Etsi quippè jam vacuum sacris membris, plenum tamen jucundis admodùm sacramentis. Quàm dulce est peregrinis post multam longi itineris fatigationem, post plurima terræ marisquè pericula ibi tandem quiescere, ubi & agnoscunt suum Dominum quievisse. Puto jam præ gaudio non sentiunt viæ laborem, nec gravamen reputant expensarum: sed tanquam laboris præmium cursûsvè bravium assecuti, juxta Scripturæ sententiam Job 3. *gaudent vehementer cùm invenerint Sepulcbrum.* Nec casu vel subito, aut veluti lubricâ popularis favoris opinione id tam celebre nomen Sepulchrum nactum esse putetur, cùm hoc ipsum tantis retrò temporibus Esaias capite 11. tam apertè prædixit: *Et erit* (inquit) *in die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur: & erit Sepulcbrum ejus gloriosum.* Revera ergo impletum cernimus, quod legimus prophetatum. Novum quidem intuenti, sed legenti antiquum: ut sic adsit de novitate jucunditas, ut de vetustate non desit auctoritas.

36. Hæ sunt illæ profectò divitiæ, (h) quas sermo ejusdem Prophetæ ex verbo Domini pollicetur: *Consolabitur* (inquiens) *Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas ejus: & ponet desertum ejus quasi delicias, & solitudinem ejus quasi hortum Domini: gaudium & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis.* Hæ igitur Orbis deliciæ, hic thesaurus cœlestis, hæc fidelium hæreditas populorum vestræ sunt, ô *Principes sacri Fœderis*, credita fidei, vestræ prudentiæ & fortitudini commendata. Suscitavit Deus furorem *Turcarum* (i) in vestro tempore, ut vestro opere conterantur. Tempus faciendi est nunc, (k) quia dissipaverunt legem Domini. Bestia illa de Apocalypsi, cui datum est os loquens blasphemias, & bellum gerere cum sanctis, *Terram sanctam* occupat, tanquam leo paratus ad prædam. In ea sanè parte (l) majore opus est fortitudine & cautela, unde acrior insistit adversarius, & vis belli major incumbit. Quàm sævus & callidus hostis insurrexerit in vos, proprio certè agnoscitis experimento. Heu! quàm multùm jam malitia illius in illis partibus orientalibus processit, utroque sæviens genere malignandi, vi & dolo. Numquid autem malitia vincet sapientiam? Sed hæc est hora ipsius, & potestas tenebrarum. Cæterùm hora novissima est, & potestas citò transit. Altera quoque bestia (*hæreticus*) juxta vos subsibilat, (m) sicut catulus habitans in abditis. Illa ferocior, ista callidior, pariter convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus. Detis operam citò dirumpere vincula eorum, & projicere à nobis jugum ipsorum. Ne terreamini, (n) ne seducamini: Dei Virtus & Dei Sapientia Christus vobiscum est, qui in causa est. Confidite: ipse vicit mundum, fidelis est, non permittet vos tentari supra id quod potestis. Confidite (o) de misericordia Patris nostri qui est in cœlis, quoniam evelletur omnis plantatio, quam non plantavit ille: & arescet ad maledictum ejus ficulnea sterilis, nec Terram sanctam diu occupabit. Videtis (p) stultum firmâ radice? Sine dubio statim maledicetur pulchritudini ejus. Non enim diu derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum. Detrimenta quæ interim fortè contingent, (q) emolumenta reputentur: quoniam Deus in causa est. Qui cùm sit benignus, & omnia possit, facilè damna resarciet, non solùm integrè, sed etiam cumulatè. *Hucusque libuit nonnunquam digredi, & tantisper exspatiari in quædam incidentia, juxta monitum S. P. Bernardi,* (r) *qui sic ait*: Etenim canibus quoque ac venatoribus plerumque contingit à bestia, quam aggressi erant, desistere, & sequi aliam, quæ inopinantibus fortè occurrit.

37. *Nunc*

g *Ibi. num. 2*. h *Ibid. cap. 13.* i *Epist. 180. num. 9.* k *Ep. 125. num. 1.* l *Ep. 126. num. 14.* m *Ep. 125. num. 1.* n *Ep. 126. num. 14.* o *Ep. 380.* p *Ep. 126. num. 14.* q *Ep. 143. num. 2.* r *Serm. 16. in Cant. num. 1.*

37. *Nunc jam tempus est resumendi sermonem ad vestram Majestatem*, SERENISSIME REX. Verbum mihi ad Vos: (s) non meum utique, sed Christi. Christus ipse verborum author est: ego fragile instrumentum. Christus Vos hodiè per os meum suis alloquitur verbis, & suas Vobis deplorat injurias. Expulsus est Christus de Loco sancto suo, & de Sede sua: dejectus est de illa Civitate, quam ipse sibi proprio Sanguine dedicavit. Proh dolor! Ubi dudùm Filius Dei venturus in carne à Sanctis Patribus promissus est; ubi jam natus, & parvulus in Templo voluit præsentari; ubi præsens prædicavit & docuit, virtutes & signa exhibuit; ubi cœnans cum discipulis suis Sanctissimi Corporis & Sanguinis instituit Sacramentum, passus & mortuus est, ac sepultus post triduum resurrexit; ubi cernentibus discipulis in cœlum assumptus est, & decima die Spiritum Sanctum in linguis igneis super eos infudit: Ibi nunc prophanæ gentis dominatur barbaries. O miseria! ô gemitus! ô calamitas! Terra sancta, quam Christus suis calcavit vestigiis, in qua infirmos curavit, cœcos illuminavit, mortuos suscitavit, in manus impiorum data est. Subversæ sunt Ecclesiæ, pollutum est Sanctuarium, Regni sedes & dignitas translata est ad gentes paganorum. Gens nostra, quæ fines illos inhabitare consueverat, tota ferè vel hostili gladio, vel longâ captivitate consumpta est. Hæc est itaque illa Christi necessitas, quæ ipsum Vobis hodiè per os meum supplicare compellit. Vobis hodiè causam Christi committo: Vobis ipsum (ut ita loquar) in manus trado, ut eum in hæreditatem suam, de qua crudeliter ejectus est, restituere studeatis. Commota est (t) & contremuit terra, quia Rex cœli perdidit Terram suam: terram, ubi steterunt pedes ejus. Inimici Crucis Christi unanimiter simul adversùs eum testamentum disposuerunt, & qui oderunt eum extulerunt caput. Dicunt in corde suo: *Hæreditate possideamus Sanctuarium ejus*. Officinas redemptionis nostræ everterunt, & loca Christi Sanguine dedicata profanârunt. Videt & dissimulat ille magnus providentiæ Oculus, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum: si sit qui doleat vicem ejus, qui restituat hæreditatem suam sibi. Et cùm omnia possit, cui subest omnia posse cùm voluerit, vult tamen nomini Christiano victoriam ascribere, & super tribulantes eos mittere manum suam. Proinde accingere gladio tuo Rex potentissime, (u) ad exaltationem Filii Dei, ad depressionem inimici, ad liberandum Ecclesiam Orientalem. Certus esto, ô Rex, (x) quoniam nec nunc quoque relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum. Gloriosum Tibi est, (y) Dei esse posse coadjutorem, posse & non esse damnosum. Porrò autem gratiam habes apud Deum & homines, habes scientiam, habes spiritum libertatis, habes verbum vivum & efficax, & sale conditum: nec oportet Te pro tantis viribus Sponsæ Ecclesiæ Christi deesse in tanto discrimine, cùm sis amicus Sponsi. Amicus siquidem in necessitate probatur. Quòd autem tantæ audeo loqui Majestati, (z) non insolentia temeritatis est, sed confidentia caritatis. Quis enim ego sum, ut tanti nominis Regem meis verbis audeam compellare? Pauper enim sum, longo terrarum spatio remotus à præsentia vestræ Sublimitatis. Quid ergo tantæ Sublimitati cum tanta humilitate, si non daret mihi fiduciam humilitas Christi, in qua, & de qua Reges terræ & omnes populi, Principes & judices gloriantur? Ad nos enim usque pervenit magnificentia & gloria nominis vestri, quæ longè latèquè dilatata est super terram. Hujus rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem spirituum, ut de Regno illo ad Regnum illius transferamini, cujus Regnum est omnium sæculorum. Pro his omnibus Vos participem facimus omnium beneficiorum spiritualium, quæ in Domo nostra fiunt, & fient: ut Vos faciat victoriosum in terris, gloriosumquè in cœlis, Sponsus Ecclesiæ Filius Mariæ Dominus Deus noster.

38. In illa, inquam, Domo nostri Cœnobii Andreoviensis facimus vestram Majestatem participem omnium beneficiorum spiritualium, in qua Beati Patris nostri Vincentii Kadlubek de Rosis, priùs gloriosi Episcopi Cracoviensis, postea humilis Monachi Corpus coruscat miraculis: adeò ut ipse Rex fel. mem. Joannes III. eo tem-

e pore,

s *Mart. Abb. Ord. Cist relat. à Manriq. in Annal. Cist. ad ann. 1202. tom. 3. cap. 2. num. 7. & 8.* t *S. Bern. Epist. 394. num. 1. juxt. edit. Mabillon.* u *Ep. 288. num. 3.* x *Ep. 243 num. 2.* y *Ep. 125. num. 1.* z *Ep. 395. num. 1. & 2.*

pore, quo Turcarum Tyrannus Viennæ Imperiali insultare moliebatur, eundem Beatum Vincentium in Patronum sibi singularem eligere, ac bonum omen ex Processu pro introductione causæ Canonizationis ejus tunc in Urbe fabricato concipere non dubitaverit; vaticinando, quòd auxiliantibus ejus meritis triumphaturus foret de hostibus Christiani nominis, ut constat ex Epistola ejus die prima Februarii anno 1681. scripta ad Sanctissimum Pontificem Innocentium XI. Ac vaticinium regium impletum extitit, cùm deinde anno 1683. insignem victoriam, licet exiguo exercitu instructus, de numerosissimis Turcarum turmis, sub præsidio Sanctissimæ Virginis Mariæ Advocatæ Ordinis nostri Cisterciensis, & patrocinio ejusdem Beati Vincentii reportaverit, Viennamquè Urbium reginam ab arctissima obsidione liberaverit, cum inenarrabili Urbis & Orbis lætitia. Agimus itaque gratias Deo super omnibus dispositionibus suis, quòd indignos nos beatæ conversationis ejus honorare præsentiâ, quòd pauperes suos pretiosissimo Corporis ejus locupletare thesauro, quòd infirmos nos tantâ Ecclesiæ suæ voluit fulcire columnâ, quòd non solùm Regno Poloniæ, sed etiam toti Reipublicæ Christianæ novum Patronum contra Paganorum insultus providere dignatus est, Beatum Vincentium. In terris visus est, ut esset exemplo: in cœlum levatus est, ut sit patrocinio. Hîc informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi postulans nihil, totum in nos transferre desiderat & supplicantis affectum, & supplicationis fructum. Sedet inter Cives cœlestes veteranus miles Vincentius, debitâ jam suavitate & securitate quietus. Securus quidem sibi: sed nostri sollicitus. Non enim cum putredine carnis simul se exuit visceribus pietatis: nec sibi sic induit stolam gloriæ, ut nostræ pariter miseriæ, suæquè ipsius misericordiæ oblivionem indueret. O Vincenti inclyte, qui & de terra & de cœlo gloriosissimè triumphâsti, illius gloriam nobiliter superbus despiciens, & hujus regna piè violentus diripiens! respice de cœlo ad vinctos terræ, ut hæc sit tuorum consummatio triumphorum, si & nobis demùm vicisse te sentiamus. Nam si ex re nomen tibi inest, perfecta veritas nominis ex nostra liberatione censebitur: & certè deest interpretationi quamdiù nos, qui tui sumus, minimè liberamur. Quàm pium, quàm dulce, quàm suave, ô Vincenti, in hoc loco afflictionis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum & memoriale tuum favus distillans in labiis captivorum: mel & lac sub lingua eorum, qui in tua memoria delectantur. Eja ergo fortis Athleta, dulcis Patrone, Advocate fidelis, exurge nunc in adjutorium moderno Regi AUGUSTO SECUNDO: ut adhuc tàm de recuperatione Arcis Camenecensis gaudeamus, quàm de plena victoria gloriemur. Ora Deum pro Rege, suoquè Exercitu, ut decertantibus manibus eorum tribuat robur & fortitudinem, & à cervicibus nostris auferat opprobrium Saracenorum. Quæ cùm ita sint, in magnam spem adducor, SERENISSIME REX, quòd exemplo tui Antecessoris Regis eundem B. Vincentium lubens eliges Tibi in Patronum singularem. Quod si feceris, semper experieris Vincentium optimum Tibi in gravissima Regni cura adjutorem & directorem, in rebus dubiis consultorem, in periculis fidelissimum ductorem, in adversis consolatorem, in arduis ac difficilibus rebus promptissimum opitulatorem, & in Reipublicæ Polonæ regimine consiliarium sapientissimum. Ideo hunc tantum Sanctum Virum promptè in tuum Patronum assume, REX SERENISSIME: nam, quæ tam providè exhibuit olim Regi Joanni Tertio, ea quoque Tibi protectionis officia sine dubio exhibenda speramus.

39. Denique nunc demùm Tibi, SERENISSIME REX, Mellifluum Ecclesiæ Doctorem Sanctum Bernardum sisto, atque Philosophiam Christianam Dogmaticarum Veritatum, ex ipsius Sententiis Theodidactis compactam lubens consecro. Veritatis quippè usque adeò amans es, ut hoc ipso, quòd æquitatis illibatæquè sinceritatis Te indefessum ubique vindicem præstas, reintegratus Tibi Liber ac restitutus, & ad mores pristinos restituendos atque reintegrandos compilatus, nuncupari debuerit. In illo siquidem habes egregium speculum Tui, ut non tam Theobaldum quondam Comitem Campaniæ, quàm Teipsum Bernardus expressisse videatur in

Epi-

Epistola trigesimaoctava, sic ad illum scribens: *Inter plurima virtutum insignia, quæ vestram plurimùm nobilitant dignitatem, & vestrum per Orbem clarum & celebre reddunt nomen, præcipuè laudatur in vobis veritatis constantia.* Persuasit quoque Cistercium lactatum mamillâ Regum, ut idem favor susceptam familiam foveat, qui nascentem suscepit: & extensissimam per Orbem Christianum Sobolem latiùs patens potentia Regia tueatur. Et meritò. Nam (ut ait Petrus Rex Aragoniæ) *inter cæteras Ordinis varietates quibus decorata est Sponsa Christi, nullus Ordo flagrantior, & sancti nominis odore suavior est in Christo, quàm Ordo Cisterciensis. Ejus quippè Professores tantò differentiùs præ cæteris triumphales & illustres virtutum titulos præseferunt, quantò expressiùs Apostolicæ religionis vestigiis adhæserunt.* Hinc est, quòd Fridericus II. Imperator & Rex Siciliæ minimè dubitavit se commendare orationibus Monachorum Cisterciensium, scribens ad Prælatos Ordinis Cistercii congregatos, in hæc verba: *Credimus, imò verè scimus quòd tanta est sanctitas hujus reverendi Ordinis, tamquè est placens, tamquè est acceptabile holocaustum orationum vestrarum, quod Deo offertis sub carnis vestræ maceratione & mortificatione, ut omne id quod à Creatore nostro duxeritis petendum, cùm pius ipse sit & promptus ad benefaciendum, obtinueritis à multitudine miserationum suarum. Est etiam fides nostra non utique parva, quòd hic Mundus (qui lubricus & immundus est, & in maligno positus) orationibus vestris sustentatur, & à facie furoris illius tremendi Judicis, cujus iram peccatis nostris accendimus, defensatur, avertendo suam quam meremur indignationem. Cùm igitur hoc firmissimè credamus, quòd ab ipso Patre misericordiarum piis orationibus vestris impetretis, quidquid ab ipso in nomine Unigeniti Filii sui humiliter postulaveritis: Nos, qui peccati pondere recognoscimus oppressos nos esse, omni humilitate & omni devotione ab universis vobis & singulis, qui in nomine Christi hîc convenistis, petimus, & obsecramus omnium precum instantiâ; quatenùs in Fraternitatem vestram nos recipientes, & in consortium sanctissimum orationum vestrarum nos colligentes, speciales Creatori nostro preces effundere dignemini.* Constat etiam Regem Francorum Ludovicum cognomento Crassum, sociatum fuisse Fraternitati Monachorum Cisterciensium, qui ad illum anno 1127. sic scripserunt: *Rex cœli & terræ regnum vobis in terra donavit, donaturus & in cœlo, si id quod accepistis, justè & sapienter administrare studueritis. Hoc est quod vobis optamus, & pro vobis oramus: ut & hîc fideliter, & illic feliciter regnetis. Cæterùm vos quonam consilio eisdem nostris pro vobis orationibus (quas, si recolitis, olim tam humiliter requisistis) modò tam acriter repugnatis? Quâ enim jam fiduciâ manus pro vobis levare præsumimus ad Sponsum Ecclesiæ, quam ita, & sine causa, ausu inconsulto contristatis? Gravem siquidem adversùs vos apud eundem Sponsum & Dominum suum querimoniam deponit, dum quem acceperat defensorem, sustinet oppugnatorem. Attenditis jam cui ex hoc infensum vos redditis? Non utique Episcopo Parisiensi, sed Domino Paradisi, & quidem terribili, & ei qui aufert spiritum principum. Hæc ita vobis & pro vobis audacter quidem, sed amanter intimare curavimus: monentes & rogantes per illam invicem amicitiam nostram & fraternitatem, cui vos satis dignanter sociastis, sed nunc ipsam graviter læsistis; quatenùs à tanto malo citiùs desistatis.* Hactenùs Patres Cistercienses in Epistola 45. inter Epistolas S. Bernardi.

40. Huc accedit, quòd Ordo Cisterciensis in Burgundia anno 1098. ortus: Bernardus, Ottoquè, atque Conradus, qui prima, vel ex primis Cistercii Lumina; hi Archiducum Austriæ fausta proles, Divi Leopoldi filii; ille ex primoribus illustrium Burgundionum: omnia Fridericum Ducem Saxoniæ, nunc AUGUSTUM II. Regem Poloniæ sibi vendicant, aut Nepotem, aut Dominum; atque ex utroque, successionis jure debitum, ac velut hæreditarium Protectorem. Siquidem Serenissima Stirps Vitigindi Abavi tui, SERENISSIME REX, haud meliùs nuncupari potest, quàm perennis quidam fons, ac velut seminarium Imperatorum, Regum, Ducum, & Principum. Ex hac enim Serenissima Stirpe processerunt Imperatores, Henricus I. Otto Magnus, Otto II. Otto III. Henricus II. & Lotharius II. ex Duce Saxoniæ electus Imperator. De cujus electione plurimùm gavisus Sanctus Bernardus, sic in sua Epistola 139. anno 1135. ad illum scribit: *Benedictus Deus qui vos elegit, & erexit cornu salutis nobis, ad laudem & gloriam Nominis sui, ad reparandum Imperii decus, ad subveniendum*

niendum Ecclesiæ suæ in tempore malo, postremò ad operandum etiam nunc salutem in medio terræ. Ipsius est enim opus, quòd corona gloriæ vestræ ita in dies ampliatur & sublimatur, mirabiliter crescens ac proficiens in omni decore & magnificentia apud Deum & homines. Auxisset Imperatorum seriem Magnus ille Saxoniæ Dux Otto Abnepos Vitigindi, Henrici II. genitor, & plurium deinde Avus & Proavus Cæsarum, si perindè promptum illi fuisset accipere ac mereri fasces Imperii: sed gloriosiùs fore ducebat, si jam ætate fessus Conradum Ducem Bavariæ ex sorore nepotem Imperii diademate insigniret. Hic est Conradus Imperator, cui Sanctus Bernardus in sua Epistola 183. scripta anno 1139. commendat reverentiam Apostolicæ Sedi & Beati Petri Vicario exhibendam. Et deinde anno 1145. pariter in sua Epistola 243. hortatur ipsum, velut Advocatum Ecclesiæ, ad defensionem auctoritatis Pontificiæ adversùs rebelles Romanos, qui se tunc ab obedientia & subjectione Romani Pontificis Eugenii III. subtrahebant. Hic est inquam Conradus, qui propter suam clementiam & pietatem fuit à Sancto Bernardo magnoperè amatus: & hoc illi fuit occasio proficiscendi cum multis aliis Principibus Christianis contra Turcas, ad defendendam Ecclesiam Orientalem. Propterea non diu mihi quærendum fuit, cujusnam potissimùm nomine hunc Librum inscriberem, quemvè illi Patronum accersirem: nam Tu statim occurristi, SERENISSIME REX, cujus Proavorum Augustissimorum Imperatorum erga Ordinem nostrum beneficia multò majora sunt, quàm ut possint paucis perstringi. Ergo quæ Cæsaris sunt, Cæsari damus. Utinam digna Cæsare! Certè ex materia non indigna judico. Cætera Regium nomen aut obteget, aut honestabit. Accipe igitur, SERENISSIME REX, Opusculum hoc meum, & simul cum eo offerentis animum: qui quod à dono sibi suo neutiquam ausit, hoc se à Regia tua clementia sperat adepturum, ad nostram omnium protectionem, qui in Monasteriis degentes non cessamus orare pro vobis, & pro toto Regno vobis à Deo commisso. Qua in spe desino, simulquè Deum Omnipotentem precor degens Romæ, atque etiam mecum Cisterciensis Ordo Polonicus: ut Serenitatis vestræ in commune Ecclesiæ Catholicæ bonum, & Regni vestri utilitatem conatus felicissimis successibus prosperet, ac æternâ memoriâ vos ipsa æternitas habeat, pro qua temporaliter laboratis. Annue Deus: & Regem verè Catholicum, verè pium, Ecclesiæ, Poloniæ, & Orbi Christiano conserva. *Domine salvum fac Regem: & exaudi nos in die, qua invocaverimus te. Domine in virtute tua lætabitur Rex, & super salutare tuum exultabit vehementer: quoniam prævenisti eum in benedictionobus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Hinc est, SERENISSIME REX, quòd etiam Roma princeps Provinciarum felicitati Regni Poloniæ, pariter & vestro honori Regio applaudit, publicè exultans hodierna die dicata Sancto Casimiro Principi Poloniæ, & cum ingenti tripudio simul mecum dicens: *Intende prosperè, procede, & regna: propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam, deducat te mirabiliter dextera tua.* Non solùm autem hoc Vobis optamus, sed & illud quod Divus Bernardus quondam Alphonso Regi Lusitaniæ precatus est, sic in sua Epistola 367. ad illum scribens: *Servet Vos, & illustrem Reginam consortem Servator cunctorum, & benedicat prolem vestram, ut videatis filios filiorum vestrorum, gaudentes in possessionibus vestris.* Ipse verò sit hujus Epistolæ finis, qui finis est ad justitiam omni credenti. Dedicabam Romæ die quarta Martii, Anno Domini 1698. Pontificatûs Innocentii Papæ XII. Pignatelli anno vii. Sacri Imperii Romani Imperatoris Leopoldi Primi anno xxxx. Creationis Mundi anno 6856. Conversionis Miecislai I. Regis Poloniarum ad fidem Catholicam anno 733. qui eam suscepit unà cum populo Regni Poloniæ anno Domini 965. Fundationis Ordinis Cisterciensis anno 600. instituti à S. P. N. Roberto Primo Abbate Archicœnobii Cistercii, die vigesima prima Martii, Anno Domini Millesimo nonagesimo octavo.

APPRO-

APPROBATIO.

ALtissimæ ac inconcussæ veritatis oraculum pronunciavit S. Pater Bernardus Claræ-vallis Proto-Abbas totius sanctitatis, ac cœlestis sapientiæ sacrarium: (a) *Hæc mea sublimior Philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum, totusquè mibi figatur in corde, qui pro me fixus est in Cruce.* In hoc namque symbolico Libro planè divino, (in quo exarata eminent stylo ferreo, encausto plusquàm imperatorio, & grandiori vulnerum charactere divinæ sapientiæ arcana,) edocuit S. Basilius Magnus perlegenda Christianæ Philosophiæ præcepta, acerrima ad benè honestèquè vivendum incitamenta, omniumquè virtutum illustria exempla, alludens ad effatum Apostoli Galatas graviter increpantis, quòd vitam suam & mores non exigerent ad sanctissima axiomata illius Libri, quem in Cruce affixum præ oculis haberent. (b) Οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη, ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος, *ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus.* Istud divinum Volumen scriptum intùs & foris pervolvens Seraphicus Bonaventura, professus est sibi esse instar amplæ illius Bibliothecæ, quam in ejus cubiculo se speraverat visurum Doctor Angelicus, qui propterea (c) *in Cruce inveniri exemplum omnis virtutis* asseruit. Siquidem ibi artis benè loquendi studiosus addiscet, non ora loqui, sed manus ac pedes, cùm ferro panduntur; ibi barbariem nostram emendari advertet, non dicendo, sed patiendo, & emendatione unius divini verbi volumen integrum nostrorum vitiorum esse correctum; ibi Rethores perorare poterunt lacrymis, & ad clepsidram Sanguinis dolorum hypothesim ad amoris thesim revocare; ibi animadvertet Philosophus, non argumentorum cuspidibus, sed clavorum acumine nostram cum Deo disputationem concludi; ibi Theologus instruetur ab Apostolo Paulo, stultitiam esse sapientiam hujus mundi, & veram sapientiam esse scire Christum & hunc crucifixum. Hæc omnia luculentissimè complexus est S. Laurentius Justinianus in illa divini triumphi Panegyri sic edisserens: (d) *Christus non in membranis, non in lapide, non in ligno, sed Sanguine proprio in sua carne conscripsit librum; utquè ab universis legatur, publicè exposuit. Non autem sermone composito, vel humanæ sapientiæ exaratus est verbis, sed hominum interveniente malitia, digito Dei scriptus: nempè, sævientibus Gentilibus atque Judæis depictus est foris, virtute autem & sapientia Christi formatus est intùs. Habet foris simplex & indoctus quid legat; habet spiritualis & perfectus quid intelligat; legit simplex & lætificatur, atque compungitur; exercitatus verò intelligens irradiatur, atque accenditur. Quisnam nisi Sapientia doctrix poterat paucis tam multa colligere? Abbreviatam quidem legem, legalia Sacramenta, charitatis compendium, perfectionis celsitudinem, virtutum normam, & totum redemptionis humanæ modum ordinemquè in hoc sui Corporis inclusit Volumine. Quamobrem cùm scribere complêsset, nihilquè superesset scribendum, inquit:* Consummatum est.

Quàm gloriosè, quàm jactabundè, quàm arroganter se venditabant celebres & decantatæ sectæ Academicorum, Pythagoræorum, Platonicorum, Peripateticorum, Druidarum, Gymnosophystarum, sexcentæquè aliæ id genus familiæ, pronunciantes in Stoa, in Academiæ umbraculis, in hemicyclis, in Lycæo! Nihilominùs ipse *Plato Philosophorum optimus*, ut tempestivè expendit (e) Theodoretus, *legibus à se jam conscriptis, ne Atheniensibus quidem civibus suis persuasit, ut illarum institutis Rempublicam gubernarent; quinimò Romanorum & Græcorum Legislatores ne finitimis quidem persuaserunt, ut ad suas leges vitam instituerent. Contrà verò nostri illi Piscatores, & Publicani, sutorquè tentoriorum ille noster non solùm Romanos Græcosquè, verùm etiam cunctas barbaras nationes, omnequè hominum genus induxerunt Crucifixi leges accipere.* Jactet se Roma Fabriciis, Curiis, Fabiis, Catonibus, Leliis, Scipionibus, Metellis, Senecâ, Rutilio, Thraseâ; glorietur Græcia Socrate, Platone, Aristotele, Solone, Lycurgo, Simonide, Theognide, Phoclyde, Epicteto; sibi plaudat Ægyptus de Trismegisto: vana nomina, rebus, uterâquè Philosophiâ vacua. Profectò Piscatores nostri facti sunt Orbis Doctores, à plebeio sago & pectore nati repentè sæculorum Magistri; nusquàm hîc scholæ, nusquàm præceptores, nusquàm libri, nusquàm rostra, & æmulæ exercitationes. Uno cœlesti spiramine, à rustica scapha, ab agrestibus retibus, à pertenui piscatione prodeunt omni facundiâ, Philosophiâ, Theologiâ instructissimi: atque hæc uno superno afflatu Christi Cruce, & Sanguine tanquam anteambulo ac præ numerario didactro institutionis non multò post secuturæ, dum unus Spiritus & validos amoris ventos, & doctas jaculatur linguas omnium ætatum scientiarumquè omnium eruditrices. Undè Ethnicarum superstitionum *locò*, ut cum S. Gregorio Nysseno loquear, (f) *in universo orbe terrarum excitatæ sunt in Christi nomine Ædes Sacræ, Templa, & Altaria, illudquè venerandum & incruentum sacrificium, sublimisquè & excelsa Philosophia, quæ factis potiùs quàm sermone exercetur,* ut opportunè hîc Tertullianus lætitiâ gestiens in hæc verba proruperit: *Grande* philosophici Christiani *pallii beneficium est, sub cujus vel recogitatu improbi mores erubescant. Gaude pallium & exulta, melior in te Philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti.*

Prostat assiduè in suggesto Crucis apertus hic Liber, advocat blandè discipulos, quos instruat Divinus Magister è pulpito Crucis. Quippè Lignum illud, ut appositè advertit S. Augustinus, (g) *ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis.* In excavato enim Christi latere literatorum gymnasium extructum est, quod & Platonis antrum, & Academiæ umbras, & recessum Lycæi, & Zenonis porticum, & conclave Isocratis, & opacam Socratis sedem evidentissimè ostenderet vel exigua esse, vel nulla præ documentis ac prælectionibus, quas tradit in Cruce, qui stultam fecit sapientiam hujus mundi. Dominus, inquam, scientiarum. Idcircò hæc Sacrosancta Littera vel unica adeò præstat omnibus humanæ sapientiæ voluminibus, ut Crux Christum religioso cultu in ea venerantibus sapientiam Chaldaico, & Indico sermone significet, istaquè salutiferi signi figura apud Ægyptios sit venturæ vitæ symbolum seu hierogliphycum.

Hinc

a *Sermone 43. in Cantica* b *cap. 3.* c *lectione prima in cap. 12. epist. ad Hebræos* d *de Triumphali agone Christi cap. 20.* e *de legibus lib. 9.* f *orat. catechistica cap. 18.* g *Tractatu 19. in Ioannem.*

Hinc effluxerunt inclyta illa elogia in Beatissimam Virginem divinum hunc Librum enixam à sapientissimis & sanctissimis Viris ejus opem persæpè expertis congesta, scilicet *Domus sapientiæ*; à S. Hieronymo, (h) *Doctrix Doctorum, Magistra, & Illuminatrix Apostolorum*; ab Idista, (i) *Domina & Magistra Prophetarum*; à Galatino, (k) *Magisterium fidei*; à S. Laurentio Justiniano, (l) *Lumen studiosorum, multocula effecta, & Seraphim incomprehensæ visionis*; à S. Ephrem, (m) *Liber incomprehensus Verbum & Filium Patris mundo legendum exhibens*; à S. Epiphanio, (n) *Liber obsignatus, quem juxtà Isaiæ vaticinium neque periti literarum legere possunt*; à Georgio Nicomediensi, (o) *Liber verè vivus, in quo tacitè fuit inscriptum verbi paterni vivifico calamo Spiritûs solum verum novi testamenti Volumen à Deo scriptum, quod Deus antè fecit cum hominibus*; ab Andrea Cretensi, (p) *Ex eodem Christi Servatoris pectore, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, fluenta Evangelii S. Joannes Apostolus potavit, & Spiritus Sancti gratiâ inebriatus cæteris altiùs divinitatis patefecit arcana. Vndè *mirum non est*, scribit S. Ambrosius, (q) *Joannem Evangelistam præ cæteris fuisse locutum mysteria, cùm ei præstò esset aula cælestium sacramentorum*.

Gemina hæc felicitas ex utroque illo cælesti Libro mirum in modum confluxit in S.P. Bernardum, quem lactavit Virgo Deipara, ablactatumquè Virginis Matris ab ubere allactavit Virginis Filius ad vulnera: hinc ex pectore, hinc ex latere. Qua de re S. Abbas oraculo Apostolico Alexandri Tertii Pontificis Maximi commendatur in Bulla Canonizationis: *Beatus vir singularis gratiæ prærogativâ suffultus, non solùm in seipso sanctitate ac religione præfulsit, sed etiam in universa Ecclesia Dei fidei & doctrinæ lumine radiavit: & specialiter Sacrosanctam Romanam Ecclesiam quondàm sub gravis persecutionis turbine laborantem, tam vitæ merito, quàm data sibi cælitùs sapientiæ studio sustentavit*, ut eadem Ecclesia in anniversario ejus festivitatis die pleno ore testatur in Romano Breviario, *eum doctrinâ potiùs divinitùs traditâ, quàm labore comparatâ instructum fuisse*. Et proindè jure fuit nuncupatus à Præceptore Angelico sermone in ejus festo: *Os ejus vas pretiosum, vas aureum, vas gemmeum, os pretiosum*; à Doctore Seraphico, (r) *spiritu sapientiæ plenus*; à S. Antonino Archiepiscopo Florentino, (s) *puteus seu fons profunditate divinæ sapientiæ*; à B. Henrico Susone, (t) *inter omnes Ecclesiæ Doctores benedictus, cujus anima sempiterni Verbi mirificè fuit illustrata splendoribus, mellito eloquio ex cordis manante redundantia humanitatis Christi Passionem dulcissimè deprædicavit: meritò sanè, Pater Sanctissime Bernarde, lingua tua dulcissima manat eloquia, quandò cor tuum Christi melliflua Passio adeò indulcârat*. Tandemquè, ut seriò profitetur Cardinalis de Vitriaco, (u) *S. Abbas non ab homine, neque per hominem, sed sola Dei inspiratione præveniente sanctarum Scripturarum accepit intelligentiam, & quasi de ipsius Dominici pectoris fonte potavit aquas*.

Hinc impensè gratulor R.P.D. Bernardo Bogdanovitz Presbytero Sacri Ordinis Cisterciensis, S. Theol Doctori, substituto Procuratori Generali Monasteriorum *Provinciarum Poloniæ ejusdem Ordinis in Curia Romana, ob insigne Opus Philosophiæ Christianæ, ex Theodidactis Operibus Doctoris Melliflui fideliter depromptæ, & concinnè distributæ*: quod jussu Reverendissimi Patris Paulini Bernardinii Sacri Palatii Apostolici Magistri obsecutus accuratè perlustravi, nihilquè censoriâ virgulâ adnotandum offendi; quinimmò ex eo ceu ex refertissima apotheca, & locupleto ærario promere possunt pii & studiosi Lectores thesauros sapientiæ & scientiæ Dei, & veluti Aquilæ grandes ex vitali ista Arbore haurire valent medullam doctrinæ cælestis; id est, Philosophiam Christianam meliore jam Christi sui purpurâ delibutam, sudoribus lotam, Sanguine illustratam, vulneribus pastam, clavis roboratam, & graphicè delineatam à Sanctissimo Parente Bernardo, cui supra veteres omnes, aliosquè etiam Christianè altèquè cinctos altè vera Philosophia insedit animo, & cælitùs inspirata chartis commissa est, & hoc in volumine erudita pietate disposita. Igitur hoc sit Enchiridium nostrum, hæc Isagoge ad sapientiam, verbum abbreviatum, contemptus mundi, soliloquium, stimulus divini amoris, itinerarium mentis in Deum. Quisquis es, nocturna versare manu, versare diurna: nam in ipso te reperies beatis inscriptum characteribus, cùm hoc sit Servatoris nostri divinum oraculum Isaiæ 49: *In manibus meis descripsi te*: ut jure meritò inclamem cum Neoterico Scriptore religione ac doctrina cultissimo: *Beatus, cui pro libro & calamo Crux Christi & clavi, pro charta & atramento lancea & sudatus Sanguis, pro docta scriptione & lectione vulnera & Sanguis prodigâ non jam manu, sed Corpore totò fusus. Beatus, qui in flagris & Cruce imitanda legit, qui in vinculis & alapis sequenda meditatur, qui in fellea spongia & propudiosa purpura omnem contemnit sæculi purpuram, delicias omnes. Beatus, qui in corona spinea omnem repressit carnis stimulum, eò potentiùs domans, quò insurgit validiùs; eò generosiùs enecans, quò minatur ardentiùs. Crux & vulnera sint docta volumina, è quibus cælestem hauserunt solo cælo concessam eruditionem tot Sanctorum myriades*. Jam quæ Philosophia Cruce hac certior? Tenebrescunt omnia ingenia ad hunc Solem, noctescit omnis eruditio ad hanc lucem Cruci suffixam. In hac indocti sapiunt, & simplici mente inhærentes vulneribus, teneroquè affectu confixi clavis, ingentiquè fiducia pleno Sanguinem ore prolibantes, plus referunt hauriuntquè eruditæ mentes, quàm omnis Philosophia spondere audeat. Docta nimiùm vulnera! erudite ò nimiùm Sanguis! omnium ubiquè scientiarum cælo terrâque concessarum fons largissimus, mare magnum! Non multis annis scientia hîc paratur, nec magno molimine doctrina constat: ultrò se his omnis sapientia expandit, protenditquè manus, laxat brachia, plenoquè effundit sinu quidquid cælo terrâquè doctum. Facilis cuique ad omnem scientiam ex hoc fonte via est, prona ex hoc flumine potatio est, larga divesquè ex hoc oceano salutarium undarum copia est.

Hoc demùm scire, hoc sapere, hoc vivere est; intrà hæc vulnera degere, morienti commori, patienti consociari, suffixo affigi, totumquè in Cruce hac amoris nidum figere. Nec aliud præter hunc flagris concisum,

h *In Isaiam cap. 7.* i *L. de Virg. c. 32.* k *l. 7. de arcanis c. 4.* l *de Nativit. Mar.* m *de Laudibus S. Mariæ.* o *Orat. 2. de* [illegible] p *Sermone 63.* q *lib. I. de instit. Virg. c. 7.* r *Meditat. Vita R. c. 36.* s *2. part hist. tit. 17. c. 5.* t *Dialect. de æterna Sapientia c. 14.* u *Hist. Occid. c. 14.*

um, pugnis contusum, sputis turpatum, vinculis arctatum, spinis coronatum, clavis confixum, lanceâ perfossum nosse & sapere. Hîc enim omnium scientiarum finis & terminus, hîc spei & fiduciæ nostræ, hîc fidei & amoris, hîc coronæ & gloriæ, hîc triumphi & beatæ æternitatis semita & meta est. Fruere Christiane Lector & pascere, teipsum exple hac scientiâ, quæ sola verè doctum, sola sapientem statuit; & extrà quam omnis humana eruditio, eloquentia, Philosophia, Theologia infantia, mera fatuitas, & extremi delirii ultimæquè inscitiæ certissima consignatio est. Siquidem mellitissimis his verbis ac pulcherrima parænesi nos ipse S. Bernardus hortatur: *Origo fontium & fluminum omnium mare est: virtutum ac scientiarum Dominus Jesus Christus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est Rex gloriæ? Sed & juxta Annæ canticum idem ipse Deus scientiarum Dominus est. Si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est: inde scientia, inde sapientia sermo. Thesauri enim sapientiæ & scientiæ ibi omnes absconditi sunt. Cur non spirituales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraudibus & sine intermissione redduntur?* Ita censeo ego infrascriptus Monachorum Reform. S. Bernardi Ordinis Cisterciensis Procurator Generalis, S. Theologiæ Magister, Sac. Congregationis Indicis Consultor, Supremæ Inquisitionis Qualificator, ac Collegii Urbani de Propaganda Fide Studiorum Præfectus. Romæ in Cænobio S. Pudentianæ die festo S. P. Bernardi Abbatis, anno ab Orbe Redempto 1696.

D. Joannes Maria Gabriellius.

LICENTIA.

NOS Fr. AntoniusKrzeſimovski Abbas Monaſterii Copriumnicenſis, & Vicarius Generalis Monaſteriorum Ordinis Ciſtercien. in Regno Poloniæ. *V*niverſis & ſingulis quorum intereſt, notum facimus, quòd Nos authoritate quâ fungimur, concedimus licentiam Admodum Rever. Patri Bernardo Bogdanovitz Sacerdoti, Sacræ Theologiæ Doctori, Religioſo Archicænobii B. Mariæ V. Andreovien. Sacri Ordinis Ciſtercienſis in Polonia, atque Officium Procuratoris Monaſteriorum noſtræ Provinciæ Polonæ ejuſdem Ordinis in Curia Romana à vigintiquinque annis circiter exercenti: ut valeat Romæ typis mandare Librum ab ipſo compoſitum, cui titulus, *Philoſophia Chriſtiana Dogmaticarum Veritatum de creatione & recreatione hominis, ex Theodidactis Libris Melliflui Eccleſiæ Doctoris, Sancti Patris Noſtri Bernardi fideliter depromptam, & concinnè diſtributam in quatuordecim Partes*; ac in publicam lucem edere ad majorem laudem & gloriam DEI, utilitatemquè animarum Sangnine ejus redemptarum, ſi iis ad quos pertinet, ità videbitur. In cujus rei gratiam præſentes litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Datum in Monaſterio Beatæ Mariæ Virginis Copriunicen. Die 8. Auguſti, Anno Domini 1696.

Fr. *Antonius Krzeſimovski Abbas Copriunicenſis, & Vicarius Generalis in Polonia.*

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Sperell. Epiſc. Interamn. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardini Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter.

PRÆFA-

PRÆFATIO AD LECTOREM PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ;

SEU

Exhortatio ad populum Christianum de recolenda Passione Dominica.

Diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam. Prov. 23.

§. I.

1. *Indicatur scopus & usus hujus libri.* 2. *Laudatur sapientia S. Bernardi, cœlitùs sibi data.* 3. *S. Bernardus sanctæ Ecclesiæ Doctoribus comparatur.*

1 TErtiò demùm otii monastici, benevole Lector, rationem reddo: dum post jam edita Opuscula bina Romæ, (Coronam Virginalem, & Thesaurum Divitiarum Cœlestium,) etiam hanc meam Philosophiam Christianam Dogmaticarum Veritatum de creatione & recreatione hominis typis evulgo. Illa quidem sunt Opellæ, & exigui laboris: sed hic labor, hoc Opus. Meritò quidem: quia operoso labore, & inusitatâ auctoribus methodo compactum est ex sententiis Sanctissimi P. N. Bernardi, Melliflui Ecclesiæ Doctoris. Ex cujus Theodidactis Operibus hanc Philosophiam tam signanter satagi depromere, ut in serie ordinem, in sensu plenitudinem, in utroque connexionem ostenderem. Proinde hunc Librum non vereor appellare novam Philosophiam: non quo vetus displiceat, sed arrideat magis. Placuit enim potiùs innovare vetera, quàm nova scribere: ut iste labor meus nec antiquitatis vacaret auctoritate, nec novitatis careret voluptate. Divi Bernardi eloquia fonti similia sunt, largis perennibusquè fluentis scaturienti. Qui ante nos fuêre, pro viribus suis aquas inde hauserunt: & similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt. Neque sic totum evacuare poterunt: sed magis interim augescunt flumina & increscunt. Rectè Romanus Sapiens Seneca ait: Qui præcesserunt, non præripuisse mihi videntur quæ dici poterant, sed aperuisse. Crescit in dies materia, & inventuris inventura non obstant. Præterea conditio optima est vltimi. Parata verba invenit, quæ aliter instructa novam faciem habent, nec illis manus injicit tanquam alienis: sunt enim publica. Jurisconsulti negant, quidquam publicum usurpari. Et si concedamus omnia à veteribus inventa esse, hoc semper novum erit, usus & inventorum ab aliis scientia, & dispositio. Hinc rectè ait Damascenus in Oratione de defunctis: Nonnunquam id quod à perfectis relictum est, reperit puellus: & in id, quod prætercursum est à Sapientibus, incidunt idiotæ: & id, quod occultatum est Magistris, comparuit discipulis. Denique alius alio plura invenire potest, nemo omnia. Et sæpè juniori revelat Deus quod melius est, ait Gloriosus Patriarcha Monachorum Sanctus Pater Benedictus in sua Regula capite tertio. Non fuit autem meum consilium post tot edita de Dogmaticis Veritatibus Opera Melliflui Doctoris, malè recoctam (ut ajunt) cramben fastidioso hujus sæculi palato objicere: sed fiduciam mihi præbuit S. Augustinus libro 1. de Trinitate, dicens, vtile esse plures à pluribus fieri Libros diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem: ut ad alios plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Quòd si dixero, me in hac Philosophia methodum servâsse ab aliorum methodo prorsùs diversam, magis libera vox erit, quàm superba. Confer, si placet, hunc Librum cum cæteris, qui hactenùs de eodem argumento prodierunt, fateberis proculdubiò, neminem reperiri qui omnes humanæ creationis & recreationis partes & mysteria hac methodo explicârit. Librum autem hunc in XIV. Partes, partes in Capita, capita in Paragraphos subdivisi: quia (ut monet Fulgentius) Lectoris renovat studium temperies distincta Librorum. Et sicut labor viatoris hospitio, (ait S. Augustinus) ita Libri terminio reficitur Lectoris intentio. In primis tribus partibus ejusdem Philosophiæ Christianæ agitur de creatione & prævaricatione primi hominis: de exordio reparationis salutis nostræ: & de institutione Sacramenti Eucharistiæ, facta per Jesum Christum in memoriam Passionis suæ. In sequentibus sex partibus agitur de Passione Christi juxta historiam Euangelicam. In reliquis verò quinque partibus tractatur de fructu Passionis Dominicæ. Peccatum primi parentis causa fuit Passionis Christi:

Passionis verò fructus, est redemptio nostra. Hæc est Summa, hoc argumentum est totius Philosophiæ Christianæ. De novitate hujus Libri non glorior: prodesse siquidem hoc Libro maluerim potiùs quàm laudari. Satis erit ad qualemcunque ejus laudem, si tu lectione hujus Libri fruaris quotidiè, & ea quæ legeris non solùm teneas memoriter meditando, sed & ardenter diligas orando, & efficaciter adimpleas contemplando. Hic est scopus, hæc est meta votorum meorum: hic est finis, ad quem tendere debes. Est autem *Lectio*, (a) sedula Scripturarum animi intentione inspectio. *Meditatio*, est studiosa mentis actio occultę veritatis notitiam ductu proprię rationis investigans. *Oratio*, est devota cordis intentio in Deum pro malis amovendis, & bonis adipiscendis. *Contemplatio*, est mentis in Deum suspensæ elevatio eternæ dulcedinis gaudia degustans. Beatæ vitæ dulcedinem lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat. Unde ipse Dominus dicit: *Quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* Hoc est: Quærite legendo, & invenietis meditando: pulsate orando, & aperietur vobis contemplando. Lectio quasi solidum cibum ori apponit. Meditatio masticat & frangit. Oratio saporem acquirit. Contemplatio est ipsa dulcedo, quæ jucundat & reficit animam. Si autem & tu hanc Philosophiam legeris, meditando, orando, & contemplando; poteris de illa hoc quod de Sapientia scriptum est capite septimo, veraciter dicere: *Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Et lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista, & ignorabam quoniam horum omnium mater est. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.*

2. Thesaurus spiritualis doctrinæ, (b) est Sanctus Bernardus, Doctor Mellifluus, & Theodidactus. Quem nimirùm (c) invenit Dominus secundùm cor suum in omni domo sua fidelissimum, & operarium in vinea sua diligentem & studiosum: qui universæ familiæ Domini de thesauro suo nova proferens & vetera, erogaret tritici mensuram, & daret illi cibum in tempore. Qui non ab homine, neq; per hominē, sed sola Dei inspiratione pręveniēte sacrarum Scripturarum accepit intelligentiam; & quasi de ipso Dominici pectoris fonte potavit cœlestes aquas, quas diffunderet in plateis multis. Vidit utique in visu noctis (d) Puerum claritate quâdam divinâ adstantem sibi, & magnâ auctoritate pręcipientem fiducialiter loqui, quidquid ei suggereretur in apertione oris sui: quoniam non ipse esset qui loqueretur, sed Spiritus qui loqueretur in eo. Et extunc manifestiùs in eo & per eum loquens Spiritus Sanctus, & sermonem ei potentiorem, & sensum in Scripturis abundantiùs suggerebat in apertione oris ejus. Confessus est aliquandò Beatus Bernardus, (e) sibi meditanti & oranti Sacram omnem velut sub se positam & expositam apparuisse Scripturam. Porrò, (f) quidquid in Scripturis valet, quidquid in eis spiritualiter sentit, maximè in sylvis & in agris meditando & orando se accepisse confitebatur: & in hoc nullos aliquando se magistros habuisse, nisi quercus & fagos, joco illo suo gratioso inter amicos dicere solebat. Inde est quòd plenus Spiritu, quo omnis sacra Scriptura divinitùs est inspirata, tā confidenter & utiliter eâ utebatur ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum. Itaque verba Sancti Bernardi, (g) non sunt verba sicut hominis, sed sicut Dei, ut revera sunt. A verâ siquidem Sapientia quæ Deus est, illa profluxit, quæ in Libris ejus mirabiliter elucet. Sive enim Monachos erudit, sive vitia redarguit, sive hæreticos conterit & schismaticos expugnat, sive abdita mysteria pandit, sive gratiam Dei extollit, sive Pontifices instruit, sive dilectionem Dei docet, sive Sanctorum merita celebrat, sive negotia pertractat; nihil certè legi potest aut disertius, aut excellentius, aut efficacius ad persuadendum. Vrit, afficit, penetrat mellifluus sermo ejus: & nardus sua dedit odorem suavitatis, odorem vitæ & vitam. Ideò libenter ipsius Bernardi verba (h) in hoc Opusculo intersero & adduco: quia non solùm spiritualia sunt & cor penetrantia, sed & decore plena, & ad Dei servitium excitantia. Ipse enim fuit eloquentissimus, & Spiritu sapientiæ plenus, & sanctitate præclarus: quem te desidero imitari, & ipsius monita & verba opere exercere; propter quod sæpè tibi propono eundē. Vbinā quæso, (i) talis devotionis igniculus reperitur, talis compunctionis rivulus infunditur? ubi talis amoris stimulus injicitur, sicut in vita & doctrina B. P. Bernardi Abbatis Claravallensis? Quis penetrabilior virtutum hortator occurrit? quis efficacior vitiorum eliminator decurrit, humanum excitans torporem ad cœlestia, ardorem elidens ad terrestria, somnum mortis impediens, divinæ lucis radios fugatis tenebris inclarescere satagens? Quis sibi congruentius (k) amoris magisterium usurpaverit, quàm Bernardus? cujus & facta omnia, & Scripta scintillæ sunt quædam igneæ amoris. Quis denique (l) suavius Bernardo scripsit? cujus ego sermones rivum paradisi, ambrosiam animarum, pabulum Angelicum, medullam pietatis vocare soleo. Bernardus usum habet excitandi, (m) ob acrimoniam utique & calorem; tum etiam usum habet docendi atque imprimendi, ob sententiarum acumen, quas crebrò & salubriter miscet. Item (n) modus docendi ejus in sensibus mysticis indagandis, & in moribus formandis ferè semper versatur. Sermo ejus ubique dulcis & ardens ita delectat, & ardenter accendit, ut suavissima lingua ejus mel & lac verborum fluere, & ex ardentissimo ejus pectore ignitorum affectuum incendia erumpere videantur. Proinde Bernardum verè appellare possumus planè mellitum, (o) qui spiritualibus documentis scatens, iisquè optimis

mis

a *S. Bern. Tract. de modo orandi cap. 1. & 2. tom. 5. pag. 474.* b *Card. Bona in not. Auctor. lib. de Div. Psalmod.* c *Card. de Vitriaco lib. de Hist. Occident. cap. 14.* d *Guillel. Abb. S. Theodorici lib. de Vit. S. Bern. cap. 6. nu. 29.*

e *Gaufrid. Monach. Claravall. lib. 1. de Vita S. Bern. cap. 3. num. 7.* f *Guillel. Abb. lib. de Vita S. Bern. cap. 4. n. 23. & 24.* g *Card. Bona præfat. lib. de discret. spirituum.* h *S. Bonaven. lib. de medit. vitæ Christi in Epilogo.* i *Henricus de Hassia Cartousianus Tractat. ad Jacob. Abb. Eberbacen.* k *Joan. Gerson. Ser. de S. Bernard. tom. 1.* l *Daniel Heinsius in volum. orat. 2. pag. 30.* m *Just. Lipsius centur. 3. Epist. 49.* n *Sixtus Senen. Ord. Præd. in Biblioth. SS. lib. 4. in catal. Script. Ecclesiast.* o *Hier. Platus Soc. Jesu lib. de bono statu Relig. cap. 11.*

mis ac perfectissimis, id etiam præcipuum habet, ut ita Scripturas sacras in suum stylum immisceat & contexat, ut vel ipse Scripturæ verbis, vel Scriptura ipsius ore sonare videatur: quæ res unà cum lepore gravitatem quoque ac vim habet mirabilem. Vnde (p) & universa Scripta ejus (quæ nihil aliud quàm Centones Divinorum Voluminum dici queunt) undecunque veteris ac novi Testamenti sententiis distincta sunt; hisquè adeò commodè & aptè insertis, ut ibi nata esse credantur. Sic enim Divus Bernardus (q) ab infantia sacras Literas imbibit, & memoriter retinuit, ut quidquid loqui vel scribere attentabat, in verba & sententias sacrarum Scripturarum prorumperet. Vniversum ejus studium in formandis moribus versatur, oratione tam dulci & ardenti, ut verba ejus mellis & lactis dulcedine delinita esse videantur. Vnde & Melliflui Doctoris nomen apud omnes semper retinuit. Omnes sanè libri ejus (r) suum spirant Authorem: mel & ambrosiam propinant. Non deerit tamen alicubi aculeus; sed & hic melli cognatus est. Nimirùm vulnera quædam facilè coëunt, si curandis vinum & oleum adhibeas. Id probè noverat Medicus ille Euangelicus; nec minùs noster Mellifluus. Hinc mores, abusus, & vitia non rarò pungit; sed & ungit interim, quos à morbis, id est malis moribus curandis susceperat, grato melle sermonis& amoris. Et qui poterat aliter, quem Vnctio de omnibus docebat? ut penè de ipso usurpare liceat illud Apostolicū, *non eum accepisse scientiā ab homine, neque per hominem*. An fallor? Ecce jam pridem excellenti donatus titulo & elogio, Theodidactus dici meretur. Sed quid ago cum tœdio forsàn Lectoris in Bernardi laudes digredior? At hoc meo in ipsum, imò & in te, mi Lector, (cui Bernardum impensè commendatum cupio) amori tribue. Amabit te virtus & pietas, si illum amaveris. Porrò (s) si Bernardi effigiem videre cupis? Scripta ejus intuere. Est enim verbis disertus, sententiis venustus, rebus abundans, sensu & succo meliore plenus, nervo dicendi lacertosus, eloquio suavis, & mera pietatis mella stillans assiduè, veritatis semper amantissimus. O Superi! quàm ille delectat, docet, stringit, movet, persuadet, expugnat! Eam sui imaginem scribendo efformavit, ut illi Ambrosianum illud ex asse conveniat: *Laureatus Spiritu, Scriptis coronetur suis*. Quàm verò placabilem & persuasibilem, (t) quàmquè eruditam linguam dederit ei Deus, ut sciret quem & quando deberet proferre sermonem, quibus videlicet consolatio vel obsecratio, quibus exhortatio vel increpatio congrueret! nosse poterunt aliquatenùs qui ipsius legerint Scripta, etsi longè minùs ab eis qui verba ejus sæpiùs audierunt. Adeò diffusa erat gratia in labiis ejus, & ignitum eloquium ejus vehementer, ut nō posset ne ipsius quidem stylus licèt eximius totam illam dulcedinem, totum retinere fervorem. Mel & lac sub lingua ejus; & nihilominùs in ore ejus ignea lex. Vtebatur sanè Scripturis tam liberè commodèquè, ut non tam sequi illas, quàm præcedere crederetur: & ducere ipse quò vellet, auctorem ducem Spiritum sequens. Bernardum nimirùm ut in medio Ecclesiæ aperiret os ejus, sic impleverat Deus Spiritu sapientiæ & intellectûs, ut secundùm quod in libro Job legitur, *profunda quoque fluviorum scrutaretur, & abscondita proferret in lucem.* Cæterùm longè eminentiùs in suis ille Libris apparet, in quibus ita suam videtur expressisse imaginem, & exhibuisse speculum quoddam sui, ut illud quoque Ambrosianum meritò illi posse videatur aptari: *Laude sua ipse se sonet: & laureatus Spiritu, Scriptis coronetur suis*. In Libris Sancti Bernardi (u) inest admirabilis suavitas, ita ut cum sancta animi voluptate legantur.

3. Melliflui Doctoris Volumina qui legit, (x) lectas è cœlo myrrhas, & doctrinarum segetes, & sententiarum manipulos non demirans, aut non intelligit quæ legit, aut sanè non ruminat. Doctores ego Ecclesiæ veneror omnes: eorum enim singulis insunt digna admirationibus singularia quædam, pretiosiores scilicet aut ambrosiarum dapes, ut in *Ambrosio*, verè sui nominis Viro; aut solidiora Theologiæ alimenta, ut in *Augustino* Theologorum Principe; aut aurea verborum flumina, ut in *Chrysostomo* aurum nunquam nonnisi loquuto; aut perennes moralium fontes, ut in *Gregorio* Pontificum Maximo, Scriptorum Sanctissimo; aut nervosæ eloquentiæ pretium, ut in *Hieronymo* sapientissimorum sui ævi consultore. Verùm hæc omnia ita in plurimos dispersa rutilant sic uno in Bernardo, ut illorum omniū speculum mihi videatur hîc unus. Pretiosissima hujus eloquentia est, tam moralitatibus abundans, quàm aureo stylo fœcunda; tam solidos animæ afferens cibos, quàm mellitis eduliis reficiens animos. Super mel & favum suavitate delectat; doctos super omnes ingenio eruditissimo edocet; incitat præceptorum aculeis ad sanctitudinem; revocat à vitiorum semitis indita sibi nervosa fœcunditate. Vis scire, mi Lector, quàm mirificè peragat hæc omnia Bernardus? Lege pulcherrimum ejus Librum (y) de Consideratione ad Eugenium Papam III. ex cujus nobilissimo stylo poteris intelligere Authorem Libri sapientiorem fuisse Apolline, eloquentiorem Demosthene, subtiliorem Aristotele, moderatiorem Socrate, discretiorem Platone. Tu tolle, (yy) lege, ac vide. Liceat dicere: In libro hoc de Consideratione Bernardus superavit seipsum. Nam modò cautum Oeconomum, modò sollicitum Patremfamilias, modò fidelem Monitorem, modò serium Præceptorem; jam Ascetam, jam Ethicum, jam Politicum, nunc Philosophum, nunc Consiliarium, nunc Theologum agit. Porrò videas (z) quod de ipso dici solet, Theologiam infusam à Deo fuisse sortitum: quodquè ipse etiam dicere solebat, se inter fagos & quercus didicisse, ad incrementa potiùs referendum, quàm ad initia, atque ad superiorum rerum contemplationem certioremquè cognitionem, quàm in scholis haberetur. Aliàs rudimentis Theologiæ imbutus fuit, rudibus sanè pro qualitate illius temporis: sed imbutus tamen fuit, atque in sacra Scriptura versatus non mediocriter. Le-

p *Sixtus Senen. loco citato.* q *Ro[...] Ord. S. Francisc. in Diction. Concion. paup. cap. 35.* r *Horst. in præfat. lib. Epistolarum S. Bern.* s *Drexell. Soc. Jesu in Aurifod. lib. 1. cap. 7.* t *Gaufrid. lib. 1. de Vita S. Bern. cap. 3. nu. 7. & cap. 5. nu. 28.*

u *Card. Valerius lib. de Rhet. Ecclesiast. cap. 41.* x *Luc. Bertolot. Congregat. Monachor. S. Bernardi lib. de Gestis ipsius, Elog. 102. in proœ., pag. 212.* y *Heilinandus lib. de reparat. lapsi cap. 8.* yy *Drexell. Soc. Jesu in Aurifod. lib. 1. cap. 7.* z *Manrique in Annal. Cister. tom. 1. ad ann. 1105. cap. 2. nu. 6.*

ge denique insigne Bernardi Opus, (zz) quod eruditi omnes cæteris ipsius laboribus præferunt, scilicet Sermones 86. in tria capita Canticorum: quos coram discipulis suis Monachis in solatium quotidiani laboris, viva voce, & ex imo corde profudit. In quibus tantâ facundiâ divinæ charitatis vim atque sublimitatem expressit, ut appareat illum omnes in seipso cœlestis amoris affectus, motus, & aculeos vero & vivo spiritus sui experimento sensisse. Quo autem spiritu, (a) quâ facundiâ, quantâ verborum suavitate, quantâ affectuum teneritudine, nunc in Sponsi ore loquens, nunc ex Sponsæ labiis, arcanos utrorum amores, oscula sacra, plenos mysteriorum amplexus, redolentia mysticos sensus mellita verba, lactea guttura, tornatiles manus, floridos lectulos, somnos placidos, amœnos hortulos, Canticorum commentaria prosequens exposuerit & explanaverit, nec lingua dicere, nec scribere ullus sufficeret calamus. Nec mirum. (aa) Divinum planè Opus est, & arcanæ Sapientiæ thesaurus. In cæteris mirus est Bernardus; his autem Sermonibus seipso major. Admirare & cole Virum sanctum: sed Deum præcipuè in Sancto suo jam mirabilem venerare. O si licuisset illi hoc Opus ad finem perducere! Sed non potuit morte præventus; & ne ultimus quidem Sermo perfectus videtur: nam & cæteris brevior est, & usitatâ clausulâ caret. Hoc illud Opus Bernardi Patris est, (b) quod magnus ille Ecclesiæ Sol, doctrinâ pariter & puritate vitæ Angelus, atque Angelicus Doctor Divus Thomas recusavit perficere: quasi diffidens à se posse adæquari Sancti Bernardi dulcedinem. Vnde & rogatus à Monachis Cisterciensibus Fossæ Novæ, (ubi & extremum Deo spiritum reddidit) sic respondisse fertur: *Date mihi spiritum Bernardi, & ego perficiam Opera Bernardi.* Constat ergo Opus hoc tantum esse, cui se imparem vel Thomas judicaverit. *Denique audiamus de excellentia doctrinæ ejus præclarum testimonium Doctoris Angelici, qui Divum Bernardum auro, & multitudini gemmarum, & vasi pretioso comparans,* (c) *sic de illo in quadam Concione sua ait*: Aurum fuit omnibus os Beati Bernardi, de Deo loquendo; multitudo gemmarum, de moribus & virtutibus loquendo; vas pretiosum, de dulcedine contemplationis & devotionis prædicando. Vel: Aurum fuit Beatus Bernardus per voluntatis sanctitatem; multitudo gemmarum per morum honestatem & virtutum multiplicitatem; vas pretiosum per virginitatis puritatem. *Et Sanctus Antoninus* (d) *tali eum encomio commendat*: Bernardus fuit puteus seu fons profunditate divinæ sapientiæ; nardus, parvus humilitate, candidus charitate, odore fragrans munditie vitæ. *Audiamus etiam Beatum Henricum Suso, vitæ sanctitate & revelationibus divinis illustrem, qui sublimem philosophiam Divi Bernardi, ac seraphicum ejus amorem erga Passionem Christi considerans, his verbis eum alloquitur*: (e) Et tu quoque inter omnes Ecclesiæ Doctores benedictus sis Bernarde Melliflue, cujus anima sempiterni Verbi mirificè fuit illustrata splendoribus: qui mellito eloquio tuo ex plenitudine cordis manante humanitatis Christi Passionem dulcissimè deprædicas, evehisquè. Meritò sanè, Sanctissime Pater Bernarde, lingua tua dulcissima manat eloquia, quando cor tuum Christi melliflua Passio adeò edulcârat. In Hiepio Ordinis Sancti Benedicti, (f) Centuriâ septimâ, capite septimo lego testimonium traditione acceptum, apparuisse Bernardo Christum simul cum Matre, ac Sancto medio hinc inde velut certatim obtulisse cruorem simul & lac, illum de Christi vulnere, hoc de Virginis mamma: utrumque cœleste donum, utrumque irradians & fœcundans Bernardi ora. Tum verò utrumque donum veneratum, & neutro se fraudari æquè ferentem, tandem in ea verba prorupisse, quæ communiter Augustino tribui solent: *Hinc pascor à vulnere: hinc lactor ab ubere. Positus in medio, quò me vertam nescio?* Propterea (g) hæc mea sublimior interim Philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum: hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis: hæc in corde semper, sicut Deus scit: hæc stylo meo admodùm familiaria, sicut apparet. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem lætus complector mea inter ubera commorantem. Non requiro ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Illud sublimius, istud suavius: & ideo inter ubera mea commorabitur. *Hactenùs Sanctus Bernardus de sua devotione erga Passionem Christi.*

Verùm quia Melliflui Doctoris eloquia Passionem Christi redundantia, sparsim diffusa in eius Libris ita latent, ut nec sine gravi labore quo pauci delectantur, nec sine otio quo multi carent, in unum librum colligi potuerint hucusque ex Theodidactis ejus Operibus: ideò dulcissimas suas sententias in unum librum juxta historiam Euangelicam colligere propositum mihi fuit, ut hic labor meus levaret laborem aliorum, ac in suos per me frequentior venerit usus. De veritate autem & puritate sententiarum omninò securus sit meus Lector: germanæ quippè sunt & genuinæ, quas ex ipso Melliflui Doctoris limpidissimo fonte hausi, rivulorum perosus impuritatem. Nemo tamen miretur, si quæ aliquando in hac Philosophia Christiana repetita occurrunt sententiæ. Connexa sunt enim virtutum documenta: & hæc est vis veritatis, ut quò propiùs ad ipsam accedimus, eò frequentiùs in eandem recurramus. Ad hunc verò effectum referuntur ea omnia, quæ in hoc libro collecta sunt, ut per Christi vestigia properemus ad Euangelicæ perfectionis culmen, & superatis sensuum præstigiis, & veritate comprehensa, quasi in regionem originis nostræ revertamur. Porrò hoc unum est necessarium, à quo summa rerum vitæquè beatæ tota ratio dependet, ut amara illa omnia quæ pro nobis pertulit Christus, semper in memoria retineatis, & assidua meditatione revol-

zz *Sixt. Senen. in Biblioth. Sanct. lib. 4.* a *Luc. Bertolot. lib. de gestis S. Bern. Elog. 76. in Prosa, pag. 147.* aa *Horst. in Epilog. Sermonum S. Bern. in Cant. Canticorum.* b *Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1135. cap. 6. num. 10.* c *S. Thom. Serm. de S. Bern. inter Sermones Fest. tom. 15.* d *S. Antonin. Archiep. Florentin. Ord. Præd. part. 2. Hist. tit. 17. cap. 5.* e *B. Henric. Suso Ord. Præd. in Dialog. de æterna Sap. cap. 14.*

f *Manriq. in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1153. cap. 12. num. 9.* g *S. Bernard. Serm. 43. in Cant. num. 4.*

revolvatis. Hoc votum meum, hæc merces Operi meo. Æmulor enim vos (*utor verbis Apoſtoli*) Dei æmulatione.

§. II.

Oſtenditur, meditationem Paſſionis Dominicæ ſemper familiarem fuiſſe Sancto Bernardo.

Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Cant. 1.

1. ADerat ſanè Chriſti paſſio,(h) & Chriſtus paſſus Bernardo ſemper in ore, in corde, in ſtylo; ſeu ipſe quieſceret, ſeu laboraret, ſeu ſtaret, ſeu iret: tam domi, quàm foris; tam inter Aras, quàm inter aratra: ſeu dum oràſſet vel inter garrientes ſyluarum aues, vel inter aularum ſtrepitus: aut dum pro Eccleſia negotiaretur, aut pro Eccleſiaſticis. Crede Bernardo, mi Lector, ſi non mihi, hæc eadem de ſeipſo teſtificanti his verbis: Et ego, Fratres, (i) ab ineunte mea conuerſione, pro aceruo meritorum quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare, & inter ubera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Primùm videlicet infantilium illarum neceſſitatum: deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lachrymarum in compatiendo, inſidiarum in colloquendo: poſtremò periculorum in falſis fratribus, convitiorum, ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobrationum, clavorum, horumquè ſimilium, quæ in ſalutem noſtri generis ſylva Evangelica copioſiſſimè noſcitur protuliſſe. Memoriam abundantię ſuavitatis horum eructabo quoad vixero. In æternum non obliviſcar miſerationes iſtas: quia in ipſis vivificatus ſum. Quidquid horum cogito, (k) Deum cogito, & per omnia eſt Deus meus. Hæc ego meditari dixi ſapientiam, & prudentiam judicavi eructare memoriam ſuavitatis. Hæc enim ſunt inſtrumenta fortiſſima, (l) in quibus omnipotens Virtus, & inveſtigabilis Sapientia Dei reſtaurationem mundi potenter atque mirificè operara eſt, & vſque modò operatur Chriſtus Dominus. Proinde memor ero quamdiù fuero, (m) laborum illorum quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum ejus, convitiorum, ſputorum, colaphorum, ſubnannationum, exprobrationum, clavorum, horumquè ſimilium, quæ per eum & ſuper eum abundantiùs tranſierunt. Hæc meditari (n) dixi ſapientiam. In his juſtitiæ mihi perfectionem conſtitui, in his plenitudinem ſcientiæ, in his divitias ſalutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdùm potus ſalutaris amaritudinis, ex his rursùm ſuavis unctio conſolationis promanat. Hæc me erigunt in adverſis, in proſperis reprimunt; & inter læta triſtiaquè vitæ præſentis viâ regiâ incedenti tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulſando. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Hoc eſt: Sufficit mihi, nolo iam ſcire niſi Jeſum, & hunc crucifixum. Mihi hic ſalutaris faſciculus (o) ſervatus eſt. Nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. Ibi enim (p) eſt cor. Et ubi eſt cor, ibi dilectio: & ubi eſt dilectio, ibi dilecti manſio. Et nunc, Domine Redemptor meus, (q) te ut Deum verum adoro, in te confido, te ſpero. Ad tuæ Paſſionis glorioſa inſignia, in quibus ſalutem meam operatus es, me totum inclino. Tuæ victorioſæ Crucis regale vexillum in nomine tuo Chriſte adoro. Tuum ſpineum diadema, tuos rubentes Sanguine clavos, tuo ſacro Lateri immerſam lanceam ſupplex adoro, & glorifico. Odor enim vitæ ſpirat mihi in omnibus his. Propterea (r) hæc mihi in ore frequenter, ſicut vos ſcitis fratres: hæc in corde ſemper, ſicut Deus ſcit: hæc ſtylo meo admodùm familiaria, ſicut apparet. *Hactenùs S. Bernardus de familiari ſibi meditatione Paſſionis Dominicæ.*

2. *Quanam autem mentis abſtractione ab exterioribus rebus, & quàm ferventi & nō interrupto affectu S. Bernardus ab ineunte ſua converſione, & per totum vitæ ſuæ tempus ſemper, & ubique locorum ſolebat vacare contemplationi Paſſionis Dominicæ, audiamus Guillelmum oculatum teſtem & ſcriptorem vitæ ejus, (ſ) ſic de ipſo loquentem*: Bernardus cùm novitius eſſet, *inquit*, in nullo ſibi parcens, inſtabat omnimodis mortificare non ſolùm concupiſcentias carnis, quæ per ſenſus corporis fiunt; ſed & ſenſus ipſos, per quos fiunt. Cùm enim jam interiore ſenſu illuminati amoris dulciùs ac frequentiùs ſentire inciperet deſursùm ſpirantem ſibi ſuavitatem, ſenſui illi interiori timens à ſenſibus corporis, vix tantum eis permittebat, quantum ſufficeret ad exterioris cum hominibus converſationis ſocietatem. Quod cùm continui usûs inſtantiâ in conſuetudinem mitteret, conſuetudo ei ipſa quodammodò vertebatur in naturam. Totuſquè abſorptus in ſpiritum, ſpe tota in Deum directa, intentione ſeu meditatione ſpirituali totâ occupatâ memoriâ, videns non videbat, audiens non audiebat: nihil ſapiebat guſtanti, vix aliquid ſenſu aliquo corporis ſentiebat. Jam quippè annum integrum exegerat in cella novitiorum, cùm exiens inde ignoraret adhuc, an haberet Domus ipſa teſtudinem, quam ſolemus dicere celaturam. Multo tempore frequentaverat intrans & exiens domum Eccleſiæ, cùm in ejus capite, ubi tres erant feneſtræ, unam tantùm feneſtram eſſe arbitraretur. *Sed non eſt prætereundum quod Joannes Eremita (t) in Vita Sancti Bernardi ſcribit de eo ſic*: Cùm eſſet Juvenis ſanctiſſimus in cella novitiorum, quidam de parentibus ſuis venerunt ut viſitarent eum,

h *Luc. Bertolot. lib. de Geſtis S. Bern. Elog. 216. in Troſa pag. 251.*
i *S. Bern. Ser. 53. in Cant. num. 3.* k *Ser. 2. de Virg. Deip. nu. 11.*
l *Ser. de Paſſion. Domin. num. 1.* m *Ser. in fer. quart. hebd. San. num. 11.* n *Ser. 43. in Cant. num. 4. & Ser. 44. in Cant. num. 3.*

o *Ser. 43. in Cant. num. 4.* p *Ser. 2. in Cœna Dom. nu. 9.* q *Ser. de Paſs. Dom. num. 19.* r *Ser. 43. in Cant. num. 4.* ſ *Guillel. Ab. S. Theodorici Rhemen. lib. Vit. S. Bern. cap. 4. num. 20. pag. 16.*
t *Joan. Erem. lib. 2. Vit. S. Bern. num. 1. pag. 113. impreſſo Divione an. 1660. curâ Petr. Franc. Chifletii Soc. Jeſu, & relato in ſuo Opuſc. cui titul. S. Bernardi Genus illuſtre.*

eum, & loquuti sunt cum eo. Post signum verò horę Nonæ reversi sunt unusquisque ad sua, & religiosissimus Juvenis ad opus Dei in Ecclesiam. Tunc secundùm consuetudinem elevans oculos ad cælum, putans se invenire gratiam Dei sicut & priùs, non invenit. Excogitavit itaque in seipso hoc sibi pro qualicunque delicto seu peccato contigisse, & non comperit nisi vanas fabulationes, quibus paulò ante per incuriam se exposuerat. Qua de causâ cùm se culpabilem intellexisset, prostravit totum corpus suum juxta Altare, dicens cum Propheta: *Domine ne in furore tuo arguas me*, &c. Et cùm hoc fecisset per viginti & quinque dies, apparuit ei gloria Domini, & repleuit eum, & dedit ei scientiam Sanctorum, ut in bonum consummarentur opera ejus. Cùm autem alii venerunt visitare eum, ipse accepit stupas, & misit sub caputio in aures suas, ita ut hoc artificio ab inani confabulatione se conservare posset immunem: sicquè venit ad hospites, & fuit cum eis per totam horam, & nihil audiuit, nec loquutus est, nisi pauca verba de ædificatione. Tunc pulsatâ campanâ gaudens & relinquens eos venit in Ecclesiam, gratiâ suâ sibi taliter à Deo conservatâ. Natura quoque in eo (u) non dissentiebat à gratia, vt in eo quodammodò impletum videretur esse quod legitur Sap. 8. *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam: & cùm magis essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Ad contemplanda quippè spiritualia seu diuina, cum gratia spirituali, naturali quadam virtute pollebat ingenii; fortitusquè etiam in hoc erat animam bonam, sensualitatem non curiosè lascivam, nec superbè rebellem: sed congaudentem spiritualibus studiis, & in eis quæ ad Deum sunt, spontè subditam spiritui & servientem. Cùm verò opus aliquod manuum Fratres actitarent, (x) quod seu minor usus Bernardo seu imperitia denegabat, fodiendo, seu ligna cædendo & propriis humeris deportando, vel quibuslibet laboribus æquè laboriosis illud redimebat. Et mirum in modum is, qui tantam contemplatione rerum spiritualium ac divinarum acceperat gratiam, circa talia non solùm occupari patiebatur, sed & plurimùm delectabatur. Sed mortificatâ (ut dictum est) sensualitate, cujus seu curiositate, seu infirmitate in hujusmodi laborum corporalium distractionibus, perfectorum etiam quorumcunque mentes sæpè necesse est etsi non intentione, certè memoriâ & cogitatione ab interiore unitate spiritûs aliquam pati dissolutionem: ipse privilegio majoris gratiæ in virtute spiritûs simul & totus quodammodò exteriùs laborabat, & totus interiùs Deo vacabat; in altero pascens conscientiam, in altero devotionem. Laboris ergo tempore & intùs orabat seu meditabatur absque intermissione exterioris laboris, & exteriùs laborabat absque jactura interioris suavitatis. Feriatus autē ab hujusmodi labore vel opere, jugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum si se solitudo offerret, eâ utebatur: sin autem, ubicunque, seu apud se, seu in turba esset, solitudinem cordis ipse sibi efficiens, ubique solus erat.

3. *Hoc ipsum clariùs distinctiùsquè describens Gaufridus in vita S. Bernardi, (y) ita de ipso inquit:* Quoties subtrahere se negotiis poterat, aut orabat, aut legebat, aut scribebat, aut insistebat doctrinæ & Fratrum ædificationi, aut in sacra meditatione persistebat. In quo nimirùm studio spirituali obtinuerat gratiam singularem, ut non tædium in illo, non difficultatem aliquam sustineret; liberè secum habitans, & deambulans in latitudine cordis sui, & ibidem exhibens Christo (ut monere alios ipse solebat) cænaculum grande stratum. Omnis ei ad meditandum hora brevis, locus omnis congruus erat. In quolibet cœtu hominum vel tumultu, nisi ejus intentionem causa deposceret, tota facilitate animum colligens, interiore quadam, quam ubique ipse sibi circumferebat, solitudine fruebatur, nil prorsùs attendens quod sonaret vel appareret exteriùs. Cùm jam Dei Famulus Bernardus (z) annos aliquot in Claravalle peregisset, subiit animum ejus ut Carthusienses Fratres devotionis gratiâ visitaret. A quibus cum affectu & veneratione susceptus est Servus Christi, exultantibus illis in gaudio: quia qualem eum per epistolam priùs noverant, talem invenerunt & præsentem. Cæterùm cùm in reliquis omnibus ædificarentur, unum fuit quod Guigonem Priorem Carthusiensem aliquatenùs movit, stratura videlicet animalis, cui idem Vir Venerabilis Bernardus insedebat, minùs neglecta, minùs præferens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis quod mente conceperat, sed locutus uni ex Fratribus, aliquatenùs super hoc moveri sese confessus est & mirari. Cùmquè ille ad Patrem Sanctum Bernardum quod audierat retulisset, non minùs ipse miratus, qualis illa esset stratura quærebat, quòd ita scilicet à Claravalle Carthusiam vsque venisset, vt nunquam illam vidisset, nunquam considerâsset, & usque in horam illam qualis esset, omninò nesciret. (Neque enim suum erat animal illud, sed à quodam Monacho Cluniacensi avunculo suo, & in sua vicinia demorante, fuerat accommodatum: & erat, sicut sibi sternere ille solebat.) Quod verbum prædictus Prior audiens, in eo potissimùm mirabatur, quòd sic ille Dei Famulus foris oculos circumcidisset, & intùs animum occupasset, ut quod ipse primo offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non vidisset. *Porrò* juxta lacum Lausanensem totius diei itinere pergens, penitùs eum non vidit, aut se videre non vidit. Cùm enim vespere facto, de eodem lacu Socii colloquerentur, interrogabat eos, ubinam ille lacus esset: & mirati sunt omnes. Curiositatis enim sensu mortificato, (a) nil hujusmodi sentiebat: vel si fortè aliquādo eum contingebat videre, memoriâ (ut dictum est) alibi occupatâ non advertebat. Sine memoria quippè sensus sentientis nullus est. *Nemo igitur miretur, cur Sanctus Bernardus soleat depingi gestans instrumenta Passionis Dominicæ. Siquidem hunc myrrhæ tam carum fasciculum de principali cordis sui nec ad horam patiebatur avelli, amara illa omnia quæ pertulit Christus, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens, ità ut meritò possit de seipso dicere:* Salvete ô Christi spinæ, crux, lancea, clavi: vos ego perpetuò pectore fixa gero

Hæc

u Guillel. Abb. in Vita S. Bern. cap. 4. num. 21. pag. 16. x Idem ibidem num. 23. & 24.

y Gaufrid. Monach. Claravall. lib. 3. Vit. S. Bern. cap. 1. num. 2. pag. 82. z Idem ibidem cap. 2. num. 3. & 4. a Guillel. Abb. in Vit. S. Bern. cap. 4. num. 22. pag. 16.

Hac eadem de seipso testificatur, (b) *cùm dicat.* Hæc mihi ore frequenter, sicut vos scitis: hæc in corde semper, sicut Deus scit: hæc stylo meo admodùm familiaria, sicut apparet: hæc mea sublimior interim Philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem lætus amplector mea inter ubera commorantem. Non requiro ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Ego fidenter quod ex me mihi deest, (c) usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordiâ affluunt: nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus ejus & pedes, latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est gustare & videre quoniam suavis est Dominus. Quàm magna multitudo dulcedinis suæ in illis, opertæ qùidem, sed in his qui pereunt! Ut quid enim Sanctum detur canibus, vel margaritæ porcis? Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, etiam & apertis foraminibus introduxit in Sancta. Quanta in his multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioquè virtutum! Ibo mihi ad illa sic referta cellaria, (d) atque ad admonitionem Jeremiæ Prophetæ relinquam civitates, & habitabo in petra; ero quasi columba nidificans in summo ore foraminis, ut cum Moyse positus in foramine petræ, transeunte Domino merear saltem *posteriora ejus prospicere.* Nam faciem stantis, id est incommutabilis claritatem quis videat, nisi qui introduci iam meruit in Sancta Sanctorum? Nec vilis tamen aut contemnenda posteriorum contemplatio. Contemnat Herodes, ego tantò magis non contemno, quantò magis contemptibilem se ostendit Hærodi. Habent etiam aliquid & posteriora Domini quod videre delectet. Quis scit si convertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem? Erit cùm ostendet faciem, & salvi erimus. Sed interim præveniat nos in benedictionibus dulcedinis, illis utique quas post se relinquere consuevit. Nunc dignationis suæ posteriora demonstret, aliàs in gloria Divinitatis faciem suam demonstraturus. Sublimis in regno, sed suavis in cruce. In hac me visione præveniat, in illa adimpleat. Utraque visio salutaris, utraque suavis: sed illa in sublimitate, ista in humilitate. Illa in splendore, hæc in pallore est. Habeamus ergo eorum (e) quæ contemptibilia Christo Domino sunt illata, continuam & indefinentem memoriam: non utique otiosam, non tepidam, non torpentem; sed compassionis ardore super omnia plurimùm delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem. Amplexatus est nos Dominus Jesus (f) per laborē & dolorē. Amplectamur eum nos quoque vicariis quibusdam amplexibus propter justitiam, & ad justitiam suā: actiones ad justitiā dirigendo, passiones propter justitiam sustinendo. Dicamus quoque cum Sponsa: *Tenui eum, nec dimittam.* Dicamus etiam cum Patriarcha Iacob: *Non dimittam te, nisi benedixeris mibi.* Quid enim jam superest nisi benedictio? Quid post amplexum, nisi osculum restat? Si sic adhærerem Deo, quomodò non jam clamare liberet: *Osculetur me osculo oris sui?*

§. III.

Ostenditur, Sanctum Bernardum cùm viveret promeruisse amplecti à Christo crucifixo, in præmium assiduæ meditationis Passionis ejus.

1. B*ernardo suo amator Crucifixus Amor,* (g) *suam post Matrem, suos quoque cumulavit favores, amplectens ipsum de Cruce Filius, quem illa pleno lactaverant ubere, tam Filio gratum, quàm Matri dilectum, utrisque carissimum. Orabat ardentiùs solito aliquando Bernardus, sequè totum ante Crucifixi imaginem ex oculis profundens, sic patientis Dei crutiatibus compatiebatur, ut jam sibi vulnerarent animam exanima humanitatis vu'nerata membra: amaro illuc animo, suavissimis verbis, dulcissimis suaviis singula Crucifixi vulnera, pedum clavos, clavatas manus, effusum lanceâ pectus & suaviter salutans, & dulciter suavienŝ, fletus concinit dignos deinde suo calamo, & qui inter cætera ejusdem Sanctissimi Patris opera* (h) *legerentur sub hoc initio:* Salve mundi Salutare, &c. *Piissimo igitur huic exercitio ardentissimè attento Bernardo, interquè oculorum lachrymas, suspiriorum gemitus, & luctuosos oris cantus, animum exhalanti & animam, en præsens de cælo Miraculum, & in miraculo Christus, Bernardi consolator clementissimus: qui & solis pedibus de Cruce pendens. & solutis ex Cruce brachiis, in Bernardum ruens, Bernardum amplectitur, eo momento & simul Crucem amplectens, & simul Bernardum. Hoc totum Magni Exordii Auctor* (i) *memoriæ prodit his verbis:* Domnus Medardus (*is Bernardi discipulus erat, vir prudentis judicii, & integerrimæ vitæ,*) quondam Abbas de Moris, quod est Monasterium vicinum Claravalli, mirabilem quandam rem quasi de alio retulit familiaribus suis, (quam tamen sibimet evenisse putamus,) ita dicens: Notus est mihi quidam Monachus, qui Beatum Bernardum Abbatem aliquando reperit in Ecclesia solum orantem. Qui cùm prostratus esset ante Altare, apparebat ei quædam Crux cum suo Crucifixo super pavimentum posita coram illo, quam idem Vir Beatissimus devotissimè adorabat, ac deosculabatur. Porrò ipsa Majestas separatis brachiis à cornibus Crucis, videbatur eundem Dei Famulum amplecti, atque adstringere sibi. Quod cùm Monachus ille aliquandiu cerneret, præ nimia admiratione stupidus hærebat, & quasi extra se erat. Tandem verò metuens, ne Patrem suum sanctum offenderet, si eum veluti secretorum suorum ita sibi de proximo imminere conspiceret, silenter abscessit; intelligens nimirùm, ac sciens de illo homine sancto, quòd verè supra hominem esset tota ipsius oratio, atque conversatio. *Hactenùs Exordii Magni Auctor de Crucifixo Bernardum amplexante. Hoc idem Miraculum transcribunt quàmplurimi Auctores, nimirùm* Jac.

b *S. Bern. Ser. 43. in Cant. num.* 4. c *Ser. 61. in Cant. num.* 4. & 5. d *Ibidem num.* 6. e *Ser. 2. in Cant. Dom. num.* 9. f *Serm. in fer. 4. hebd. San. num.* 14.

g *Luc. Bertolot. lib. de gestis D. Bern. Elog.* 1·6. *in Prosa pag.* 250.
h. *Tomo 2. Operum S. Bernard. pag.* 360. *impress. Venet. an.* 1523.
i *Auctor Magni Exordii Ord. Cistercien. lib.* 2. *cap.* 7.

Jac. Merlon. Horstius *lib. 7. Vit. S. Bernard. cap. 7. pag.* 195. Herbertus Sardiniæ Archiep. *lib. de miraculis cap. 19. pag.* 283. Chrysost. Henriquez *in Monologio Cistercien. ad diem 23. Martii pag.* 94. Idem *in Fasciculo Sanctorum Ord. Cist. tom. 1. distinctione 4. cap. 39. pag.* 151. Angel. Manrique *in Annal. Cist. ad an. 1153. tom. 2. cap. 12. num. 2. pag. 238.*

2. *Cui quidem Historia* (k) *consonat tabula Monasterii Claravallis in Claustro Refectorii satis antiqua, delineato favore, & subscriptione positâ, quæ rem non semel, sed pluries contigisse neque per visum tantùm, sed re ipsa, alterum asseverat, alterum probabiliter præsumit.* Alibi legitur,(*ait*) quòd cùm Beatus Bernardus quandam devotissimam Orationem composuisset, quæ incipit: *Salve mundi Salutare, &c.* & eam coram imagine Crucifixi recitaret, tunc imago Crucifixi solutis de Cruce brachiis amplexabatur eum:& piè credendum est,hoc sibi pluries contigisse. *Hanc subscriptionem transcripsit ex ipsa tabula Bernardus Villalpandeus anno* 1599. *cùm illuc ab Abbate Fiteriensi ad hæc & alia lustranda missus esset. Meminit illius & Antonius Hiepius Centuriâ septimâ ad annum* 1151. *capite quinto eisdem verbis. Ad idem faciunt Nicolaus Salicetus, & Philotheus ante ducentos annos plùs minùsvè, alter prosa, oratione versa alter scribens. Et quidem* Salicetus *prædictus adeò constanter scribit, ut producat antiquam Orationem ad Bernardum Parentem, in qua idem Christi amplexus commemoratur. Transcribit primùm Bernardi ad Christum verba sub hoc titulo*: Oratio devotissima Beati Bernardi Abbatis Claræ vallensis, quam cùm semel diceret ante imaginem Crucifixi, ipsa imago de Cruce se inclinans, eum amplexata est. *Deinde subjungit Orationem ad Bernardum, in qua per hunc dulcissimum amplexum quasi adjurans, pro aliis intercedere rogatur ad eum, à quo meruit tantum favorem. Quin & Henriquez in suo Monologio* (l) *constanter affirmat, in quodam libro Cænobii Cisterciensis adnotatum amplexum, die qua contigit designatâ, nempè vigesimâ tertiâ mensis Martii*: Imago (*inquit*) Christi in Cruce pendentis, Beatissimum Patrem Bernardum amplexatur vigesimatertiâ die Martii. *Et in Annotationibus ait*: Ut in Martyrologio Cistercii adnotatum legitur. *Quod si ita est, non leve pondus addit cæteris omnibus.* At Philotheus *ejusdem temporis Auctor,* (m) *hunc ipsum Christi amplexum non minùs prodit, cùm Sanctum Patrem Bernardum ante illius effigiem orantem descripsisset, his planè versibus sequentibus*: (n)

Ante salutarem curvato poplite Christi
Effigiem lachrymas, vota, precesquè dabat:
Confixasquè Cruci spectabat vulnere plantas,
Ossaquè distinctis dinumeranda notis.
Jamquè gemens tremulâ fundebat voce querelas,
Verbaquè montanas apta movere feras:
O decus, ô nostri lenimen Christe doloris!
O mihi tam duro parta labore salus!
Felix si tantas in me convertere pœnas,
Et liceat misero sic mihi posse mori.
Ipse immaturos ausim decerpere fructus:
Christe tamen dentes obstupuère tui.
Sydera, terra, fretum, Domini miserescite vestri:
Flete meos casus Sydera, terra, fretum.
Talia dum memorat, Domini pendentis imago
Solvit in amplexus brachia mota suos.
Talis in excelso regnabat Principe virtus,
Talis in ardenti pectore fervor erat.
Sic novus interno gaudebat nectare miles,
Intimaquè internus strinxerat ossa calor,
Ut mortale nihil saperet; terrenaquè semper
Dediscens, Christi raptus amore foret.
Noctibus in lachrymas faciles solvebat ocellos,
Et minimi durus criminis ultor erat.

Sic canebat Philotheus dulcissimus Claravallis Olor, & Beatissimi Patris Bernardi Vita non minùs pictor quàm Scriptor, quam Carmine Encomiastico multùm diffuso composuit, prout apparet legenti Introductionem in Opera S. Bernardi pag. 246. ubi describitur Vita ejusdem Sancti, distincta septem capitibus. Quod autem ab imagine Crucifixi fuerit amplexatus Sanctus Bernardus, præter traditionem antiquam, etiam nos de simili Miraculo variæ imagines & pictura certos reddunt, in quibus legitur subscriptio sequens:

Ante Crucem effusus Christi meditatur amorem
Bernardus mundo quo data vera salus.
En duro avellit Christus de stipite manus,
Et Sancti amplexus, & petit ora Viri.
Fortunate Pater, cui tantum pignus amoris.
Brachia dans collo præbuit ipse Deus!

3 Siste (o) gressus, Viator. Hîc Bernardum lactatum à Virgine Matre, & adoptatum sibi in fratrem amplectitur Virginis Filius: mirare utrumque, & stupe. Orat sub Cruce alter, de Cruce orantem alter excipit, affectu mutuo & planè fraterno, delicium sibi ad invicem, & patibulum. Fellea jam bibit Bernardus post lactea. Matris ex ubere, Filii accitus ad vulnera; Genitricis nectareo ex fonte, amaritudinum Geniti ad scatebras. Vides accenso quo flagrat vultu? Nulla sic lampas ante Crucem ardet nullibi. Inspicis extendit ut brachia? Propitiabilem sic ante Aram alas expandebant gemina Cherubim. Miraris ut orat hianti ore? Sauciantis se Pellicani vulneratum ad pectus hiant sic pulli. Fellifluus fit hîc ex Mellifluo, vulnerum, quotquot videt, amaro ab ulcere: ipso vel solo obtutu, exprimens fella, & sugens. Stat motu immobilis: at voluceris mente, affixi ligno Amoris nunc pedum clavos, nunc manuum, nunc spinas capitis, nunc rosas, nunc culpat, nunc palpat; suavi hinc potus mero, luctuoso hinc potatus mærore. Siccam hujus tamen amaritudinum sitim solus extincti Amoris fons unus extinguit, unde scilicet Sanguis manat & Unda. Crapulatur illuc dolorum helluo, illucquè usque potat, deficiat quousque aut siti potus, aut sibi sitis, utrisque aut ipse. Macte potu hoc tuo Bernarde: quid mirum, ebrium si jam te Amor amplexatur inebrians? Similibus gaudent similes. Calice illo ærumnarum epoto, brachiis de Cruce cruciatuum mensa solutis, ad

k *Manrique in Annal Cist. ad ann. 1151. tom. 2. cap. 2. num. 3. & 4. pag. 238.* l *Henriquez in Monolog. Cister. ad diem 23. Martii.* m *Manrique in Annal. Cister. tom. 2. ad an. 1153. cap. 12. num. 5. pag. 239.* n *Philot. Claravall. Monach. de Vita S. Bern. cap. 3.*

o *Luc. Bertolot. lib. de gestis S. Bern. Elog. 116. pag. 248.*

ad planè potum festinat plenè potus, novum te tibi gratulaturus compotatorem. Collo tuo dat brachia sua, pedibus Cruci affixis adhuc. Scis cur ita Bernarde? Tuo utique pro voto: gestiens de Cruce amplectitur, qualem tu ipsum mærens gestas in sinu. Myrrhæ tibi fasciculus non esset, si Crux deesset fasciculo. *Ait Sanctus Bernardus*: (p) Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt: & audire, & non audierunt. Illi laboraverunt, & ego in labores eorum introivi. Ego messui myrrham, quam illi plãtaverunt. Mihi hic salutaris fasciculus servatus est. Nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. Vah Bernarde! (q) Inter lilia jam gestiens & inter rosas, floridæ æternitatis flores, quorum myrrhæ gestas fasciculum, morituræ ætatis symbolum, sepultæ divinitatis trophæum? Quorsùm lacrymas, rident ubi omnia? Quid dolorum memoria, quò mæror ingreditur nullus? Fasciculum cede his, quos onerant malorum fasces, flagitia quibus & vitia clades minantur & cædes. Glorioso Rege fruere in gloriæ regno: irrisum ærumnarum in throno Regem, vulneratum, maledictum, reprobatum, quos hoc in passionum exilio reliquisti, filiis relinque. Gratulare regnanti, gaudenti congaude: spinarum mærentem inter sepes, virgarum inter plagas, Crucis in sinu, mortis in gremio, ex clavis pendentem & ex conhis, scelere meo adjectum sceleratis mea inter ubera feram ego, cujus crimine ipse periit. His fascibus, te consule, subjeci colla, fastu vanitatum calcato. Patiatur, te favente, à me ferri, feriri pro me passus Jesus. Crucem ferat qui fecit cruces, sine myrrhæ fasciculo videndus nunquam, nunquam sine criminum fascibus non visus. Cede Bernarde, cede. Filii humeros gravent, non tua ubera, torquentia Deum instrumenta: meumquè mihi transverberent pectus, quæ verberavêre & tibi tuum. Patientis suppellex hæc est, non triumphantis; viatoris, non comprehensoris: cui via ad cælum adhuc in via, non cui in vitæ metas transiêre metus. Meo igitur suspende collo quæ pendent ex tuo, Crucem, Columnam: fulcrum hanc nutãti sub pondere futuram, feretrum illam ex pondere evasuram. Lanceam deinde, cultrum, lancem, funes, spongiam, clavos, & pro fasciculi corronide spineam coronam addas filio, si Pater aderis: illis onustum, hac redimitum, vel te annuente, me solabitur qui me redemit. O me beatum, (r) si exaudieris supplicem: & me quoque in clientem receperis! Tali certè nixum patrocinio divina beneficia non destituent, quæ tu olim etiam vivens in terris adeo ad nutum habere, tamquè promptè & liberaliter dispensare solitus es, ut videreris tua & non aliena largiri. Et quidem si tu hîc esses, (ſ) tenerem te & rogarem, ut panderes mihi secretum tuum & penderem ex ore tuo, sicut olim discipuli tui. Tibi enim sublimioris Philosophiæ magisterium divinitùs traditum est. *Hoc de te ipso testificaris*, (t) *cùm dicas*: Hæc mea sublimior interim Philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum: hæc in corde semper, sicut Deus scit. *Item*: Nobis revelavit Deus per Spiritum, (u) etiam & apertis foraminibus introduxit in Sancta. Quanta in his multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioquè virtutum! Fotamina petræ, vulnera Christi interpretantur. Hæc meditari dixi sapientiam, (x) in his justitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Hanc divinæ scientiæ formulam [y] perfectiùs imitati sunt hi, qui sub Beato Patre nostro Bernardo in Claravalle cælestis philosophiæ disciplinis imbuebantur, non solùm literati & in mysteriis sacræ Legis eruditi multi viri, verùm etiam Laici & illiterati quàm plures. Qui etsi humanæ scientiæ fabricam, per quam ad perfectionis culmen niterentur, minimè consecuti sunt; habebant tamen gratiam illuminantem, & Spiritum vivificantem, qui de omnibus quæ oportebat, seculari scientia incomparabiliter efficaciùs eos docebat. Hinc contigit, [z] ut quasi venenum arbitrantes quidquid comedentem utcunque delectaret, recusarent sumere dona Dei, [*scilicet victum*] propter gratiam quam in eis sentiebant. Cùm enim circa omne genus carnalis tolerantiæ cum adjutorio gratiæ Dei, studium spiritualis Patris [*Bernardi*] hoc in eis effecisset, ut plurima quæ homini in carne constituto impossibilia priùs videbantur, jam non solùm constanter peragerent & sine murmuratione, sed etiã cũ ingenti delectatione: ipsa delectatio aliam in eis pepererat murmurationem, eò periculosiorem, quò eam æstimabant quasi remotiorem à carne, spiritui propinquiorem. Persuasum quippè habentes, & quasi cum testimonio conscientiæ suæ memoriæ fideliter commendatum, inimicam esse animæ omnem delectationem carnis, quidquid carnem cum qualibet delectatione nutrire videretur, fugiendum arbitrabantur. Quasi enim per aliam viam reduci se putabant in regionem suam, cùm præ dulcedine amoris interioris, amara æquè ac dulcia delectabiliter edendo, delectabiliùs vivere sibi viderentur in eremo, [*scilicet Monasterio Claravallensi*] quàm priùs vixissent in sæculo. Hæc ergo fuit tempore illo sub Abbate Bernardo & magisterio ejus in clarissima & charissima Valle illa spiritualium schola studiorum.

Hactenùs nos de sublimiori Philosophia Sancti Patris Bernardi, & favore Christi exhibito ei in amplexu de Cruce. Quem tamen favorem in Bernardo non stetisse, sed ad filios suos transisse declarabunt quàm plurima exempla, quæ ex probatis Scriptoribus fideliter excerpta referre non gravabor: ut hujusmodi exemplis hocce frigescente mundo inflammentur corda fidelium ad diligendum Jesum Crucifixum, & meditandum quotidiè Passionem ejus Sacrosanctam.

p S. Bern. Ser. 43. in Cant. num. 4. q Luc. Bertolot. lib. de gestis S. Bernar. Elog. 117. pag. 253. r Jac. Merlon. Horst. in Dedicat. Librorum Vitæ S. Bern. ſ Card. Bona in Dedicat. libri de Discret. Spirit. t S. Bern. Ser. 43. in Cant. num. 4.

u Ser. 61. in Cant. num. 5. & 3. x Ser 43. in Cant. num. 4. y Lib. 7. de Vita S. Bern. cap. 23. num. 43. pag. 213. z Guillelm. Abb. S. Theodorici in Vita S. Bernar. cap. 7. num. 36. & cap. 8. num. 38.

§. IV.

De variis Sanctorum exemplis, ad favores Jesu Christi crucifixi pertinentibus.

OPtimum est, [a] nostræquè infirmitati congruum illuminationis initium, si intendamus in eos qui illuminati sunt. Rectissima via est inveniendi Jesum Christum, si præcedentium Patrum sequamur lumen prævium. Ad conversationem Fidelium [b] multùm exempla Sanctorum prosunt. Propterea enim posuit Deus virtutes Sanctorum ad exemplum nostrum, ut per vestigia ipsorum pervenire possimus ad regna cælorum. Sancti Dei homines quamdiù fuerunt in hoc sæculo, non cessaverunt currere in bonis operibus. Vnde Ecclesia de suis membris, id est, de sanctis Patribus dicit: *Manus meæ stillaverunt myrrham.* Quid per *manus* nisi operationes Sanctorum intelligimus: & quid per *myrrham* nisi mortificatio carnis & mortificatio vitiorum accipitur? Manus Ecclesiæ sancti homines sunt bona operantes, de quibus dicit Apostolus: *Operatæ sunt justitiam.* Manus ergo Ecclesiæ myrrham bonorum operum stillant, quia nobis exempla benè vivendi demonstrant, & ut vitia carnis nostræ mortificemus, prædicant. Exempla denique, teste Isidoro [c] Pelusiota, dormientes animas ad virtutem capessendam exsuscitant, & ignavas ac secordes excitatiores efficiunt, & vitiis indulgentes erubescere docent, atque ad pœnitentiam agendam inducunt. Sine dubitatione credimus, [d] quia si exempla Sanctorum secuti fuerimus, post hanc vitam cum eis in cælo regnabimus. Quantò ampliùs Vitam sanctorum Patrum legimus, si exempla eorum sequi nolumus, tantò ampliùs culpabiles sumus. Sicut jure omnium hominum stolidissimus censetur, [e] qui ad arborem viriditate foliorum atque ubertate fructûs pulcherrimam veniens, foliorum inanitate ventrem farciret, & ab utilitate fructûs jejunus remaneret: eadem rationis æquitate stultissimus reputatur, qui venustissimam & fæcundissimam seriem strenuæ conversationis SS. Patrum relegens velut chronica tantùm vel annales Regum, ad solam curiosam notitiam rerum eam transcurrit, & nihil ex his quæ legit, ad accendendum in se compunctionis fervorem, ad detergendam conscientiæ suæ rubiginem, ad librandam morum suorum inæqualitatem manu sanctæ devotionis decerpit. Neque enim propterea Patrum præcedentium laudabilia gesta describuntur, ut vanæ & inquietæ curiositati serviatur: sed ut per ea rudes instruantur, infirmi roborentur, lascivi gravitatem sectentur, duri corde compungantur, devoti ad perfectionem informentur; & ut per ædificationem & consolationem legentium sancta Ecclesia roboretur, & laus Dei, cujus dona sua sunt bona nostra, per gratiarum actionem amplificetur. Igitur Lector benevole, [f] in omnibus actionibus tuis, in omni opere tuo, in omni conversatione tua imitare Sanctos, æmulare Justos habeto ante oculos tuos exempla Sanctorum, exempla Justorum imitando considera. Exempla Justorum propone tibi, Patrum exempla sint tibi imitamenta disciplinæ. Intende in virtutem Sanctorum ad benè operandum, intende ad benè vivendum. *Porrò intende ad sedulò meditandum Passionem Dominicam.* Quid enim [g] tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? Novit quicunque rectè sapit, (h) quantum Christianæ pietati expediat, quantum Dei servum deceat Sacrosanctæ Passionis ipsius fideliter recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, ad recondendum pleniùs per imitationem in memoria: quod est spiritualiter manducare Corpus Domini, & Sanguinem ejus bibere, ob amorem & reverentiam ejus, qui credentibus in se præcipit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* O summè pia (i) & verè suavis memoria, annunciare mortem Domini donec veniat! Mors Christi opus sine merito, humilitas sine modo, donum sine pretio, & gratia sine merito. Hanc propter nos subire voluit, qui peccata nostra super lignum sustinuit in cruce sua, scilicet pœnam peccatorum, cujus livore sanati sumus. Sit itaque tibi Jesus in corde, (k) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua. *Hunc Crucifixum Sanctus Bernardus toto vitæ suæ tempore meditabatur, sicut de seipso fatetur,* [l] *dicens*: Et ego, Fratres, ab ineunte mea conversione, pro acervo meritorum quæ mihi deesse sciebam, hunc fasciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Mihi hic salutaris fasciculus servatus est. Nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. *Ad hanc meditationem Passionis Dominicæ exhortabatur discipulos suos,* [m] *cùm dicat.* Hunc & vos, dilectissimi, tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur. Habete illum semper non retrò in humeris, sed ante præ oculis: ne portantes & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, procertò videntes angustias Domini, leviùs vestras portabitis. Sic suis [n] & magister & solator consulebat dulcissimus Pater, Mellifluus Doctor, Ecstaticus contemplator, consulens sic & mihi suo aliquando futuro: cui tamen sic sapienter & sic utiliter admonito etsi consilia placeant, arrideantquè monita, tollunt tamen aut patientis Christi frequentis memoriam, aut passi Christi frequentis memoriæ utilitatem affectuum meorum exturbans turba, inveterata seditio, sævaquè bella. *Ut autem & meam propriam, & mei Lectoris devotionem excitem ad medi-*

tan-

a *Guerricus Abb. Igniacen. Ord. Cist. Ser. 2. de Epiph. Domini num. 7.* b *S. Bern. lib. de modo benè viven. cap. 16. num. 43.* c *Isid. Pelus. lib. 3. Epist. 172.* d *S. Bern. lib. de modo benè viven. cap. 16. num. 45.* e *Lib. 7. de Vita S. Bern. cap. 29. num. 72.*

f *S. Bern. lib. de modo benè viven. cap. 16. num. 46.* g *Ser. 62. in Cant. num. 7.* h *Ser. 2. in Cœna Dom. num. 9.* i *Ser. 2. de excell. SS. Sacram. num. 6. tom. 6. pag. 735.* k *S. Bern. in Formula honest. vit. num. 2. tom. 6. pag. 1024.* l *Serm. 43. in Cant. num. 3. & 4.* m *Ibidem num. 5.* n *Luc. Bertolot. lib. de gestis S. Bern. Elog. 126. in Prosa.*

tandum Passionem Dominicam, à domesticis eventibus scribendorum exemplorum initium sumo.

PRIMA DECAS EXEMPLORUM.

De amplexu & stigmatibus Christi, quibus honorari meruerunt Sancti ejus.

I. Sancta Lutgardis Virgo, [o] Monialis Monasterii Aquiriæ in Brabantia Ordinis Cisterc. Christi amplexu, multisquè revelationibus nobilitata est. *Thomas enim Cantipranus* [p] *sic de illa scribit*: Cùm adhuc & corpore & ætate esset tenerrima, nocte quadam circa tempus nocturnarum precum, quas Matutinas vocant, sudor eam vehemens & naturalis invasit. Et cùm à precibus nocturnis abesse vellet, ut postea ad serviendum Deo fortior esset, credens illum sudorem corpori suo salutarem esse, subitò ad eam vox facta est: *Quid ita jaces? surge ocyùs: oportet ut pœnitentiam nunc agas pro peccatoribus, qui in suis sordibus jacent, non sudori indulgeas*. Tunc illa exterrita surrexit, & inchoatis jam matutinis precibus ad Ecclesiam festinavit. In ipso autem Ecclesiæ ostio Christum obvium habuit Cruci affixum & cruentatum, qui brachium de Cruce deponens, eamquè amplexans, os ejus vulneri lateris sui applicuit. Unde tantam hausit suavitatem, ut ex eo tempore in Dei servitio semper & robustior & alacrior fuerit. Retulerunt autem, qui (ea revelante, eo tempore,) diu postea probaverunt, salivam oris ejus mellis dulcedinem superâsse: neque id mirum, quando cor illius & divinitatis Christi, mel & humanitatis lac intùs ruminabat. *Hactenùs Thomas Cantipratanus*: *cujus verba prædicta referunt alii Auctores, scilicet* Manrique *in Annal. Cist. tom. 4. ad annum* 1215. *cap.* 7. *num.* 4. *pag.* 67. Hæctenus *Ord. S. Bened. in Schola Cordis lib.* 4. *lect.* 13. *pag.* 559.

II. B. Petrus de Confluentia, (q) Monachus Monasterii Hemmenrodêtis in Germania Ordinis Cisterciensis, & Livoniæ Apostolus, crebris revelationibus clarus: qui sæpè inter orandum Angelorum voces psallentium & canentium audivit, & ab ipso Christo dulciter amplecti meruit. *Cæsarius enim sic de ipso* (r) *scribit*: Sanè huic Petro cùm esset novitius, studium erat semel in die adminòs revolvere, & recitare sibi sanctissima & dulcissima Christi Passionis improperia, gratiarum spiritualium incitamenta. In quo studio tantam per dimidium circiter annum difficultatem passus est, ut quasi non sibi valerent hujusmodi meditationes, arbitrari debuisset: tandem cùm perstitisset pulsans, & illatas sibi injurias & difficultates indefessus effregisset, secreta illa Christi violenter intravit, ac deinceps sine difficultate, & quasi ad manum, paratis quotidiè epistolis, meditationibus illis suavissimis cum magna jucunditate usus est. Habebat quoque in desiderio, & tam humiliter quàm vehementer optabat revelari sibi divinitùs aliquâ imagine vultum Salvatoris: ut cùm meditari debuisset, ad eundem vultum quasi conspectum & bene cognitum, faciliùs intuitum mentis imaginariè dirigere posset. Et Dominus, qui hoc ei inspiravit desiderium, non fraudavit eum à desiderio suo. *Verùm quàm gloriosè, quàm salubriter, quàm supra ejus votum, hoc illi desiderium Deus impleverit, ad omnium qui tentantur consolationem, si tamen tentationibus prævaleant, ita prosequitur Cæsarius.* Laborabat (*inquit*) mirabili & multiplici luxuriantis carnis molestiâ, diabolo interitum, sed Domino profectum ei de tentationibus ordinante. Unde cùm quodam tempore in angulo Chori Conversorum diutiùs & devotiùs orationi incubuisset, divinum implorans auxilium ne sineretur labi in peccatum, post horam surrexit, & recessit: siquidem in memoriam ei venit, quòd aliud quid agere habebat ex præcepto. Ascendens ergo per stallum Chori, transitum habuit per ante Altare infirmorum, & Conversorum: quò cùm pervenisset, veniam celeriter accepturus coram Altari, & abscessurus, sub lampade se humiliavit. Et ecce ibi Dominus Jesus stans ante eum, vel potiùs pendens in Cruce, piissima brachia sua abstrahens à Cruce, Servum suum Petrum amplexatus est, & tanquam præcordialem sibi, in signum mutuæ familiaritatis eum ad pectus suum attrahendo strinxit, tentationesquè illius validissimas stringendo compescuit. *Pergit Cæsarius ita scribens*: Sanè cùm terræ procumberet (*scilicet Petrus post amplexus, & ad pedes Christi procidens*) optimè sui compos erat; sed felici illa visione ita à sensu suo abstractus & ita dulciter affectus est, ut non plenè scire potuerit, utrùm corporeis oculis, an solo spiritu revelationem illam recepisset. Attamen cùm multas tam ante quàm postea consolationes acceperit, hoc tantùm fatetur, quòd ista supergressa est universas. Tantam siquidem acceperat gratiam lachrymarum à Domino, ut infra Matutinas preces vix aliquâ horâ occuli ejus siccarentur. *Hactenùs Cæsarius. Cujus verba hæc omnia refert Manrique in Annal. Cisterc. tom.* 3. *ad annum* 1190. *cap.* 5. *num.* 3. 5. 6. *&* 8.

III. Vivente adhuc Sancto Patre Bernardo, (s) egregius quidam adolescentulus de partibus Germaniæ oriundus, conversus in Claravalle, egregiè Domum illam illustravit quamdiu vixit, nec usque ad mortem deseruit, clarus virtutibus, clarus revelationibus, clarus miraculis. In juvenili ætate primùm exhorrens, mox cælesti oraculo persuasus, Monasticam apprehendit disciplinam, à qua nec ullis humanis persuasionibus, nec ullis aliorum exemplis dimoveri potuit. *De admiranda ejus vitæ sanctitate, & cælebus revelationibus tam de ipso quàm ei ostensis, coævus Auctor Exordii magni* (t) *narrat in hunc modum*: Hic ergo delicatus ac tenerrimus adolescens, cùm esset annorum quindecim, manum suam ad fortia mittens, lætantibus Angelis & hominibus, jugum Christi suave portandum aggreditur, & quasi agnus ad aratrum suscepti Ordinis applicatur. Miserante verò Domino, ab ipsis rudimentis conversionis suæ jumenti fortitudinem induens, sed agni mansuetudinem

o *Henriquez in Menolog. Cist. ad diem* 16. *Junii.* p *Th. Cantiprat. Ord. Præd. in Vita S. Lutgardis lib.* 1. *cap.* 2. q *Henriquez in Menol. Cist. ad diem* 11. *Januarii.* r *Cæsarius Heisterbacen. Historiogr. Ord. Cist. lib.* 8. *Dialog. cap.* 13.

s *Manriquez in Annal. Cister. tom.* 2. *ad ann.* 1149. *cap.* 4. *num.* 1. *pag.* 132. t *Auctor Exordii magni Ord. Cist. lib.* 3. *cap.* 16.

nem retinens, tantâ charismatum eminentia à primis annis enituit, ut conversationis suæ elegantiâ atque fragrantiâ Contubernales ejus affecti congratularentur, sanctæquè devotionis & humilitatis (quæ in ipso relucebant) exemplis informari certatim niterentur. Quidam verò religiosus vir ac spiritualis ejusdem Cœnobii Clarævallensis protestatus est mihi, quòd aliquando vidisset visionem hujusmodi. Aspiciebat eundem adolescentem Invitatorium ante Altare canentem: tunc imago Crucifixi quæ super Altare erat, quasi melodiâ ipsius delectata, de Cruce descendit; veniensquè ad eum, expansis ulnis dignáter amplexata est eum, illum verè sibimet astringendo, ac deosculando eum. *Favorem hunc concessumSancto Patri Bernardo,* (u) *nondum satis mirantur, quicunque narrant. Sed ecce ab ipso in filios derivatus, atque ex eis ad nepotes, non tam personas quàm Ordinem illustrat, veluti hæreditario jure possidendus. Pergit Auctor de eodem Viro plura scribere his verbis*: Accidit quodam tempore, (x) ut hic, de quo loquimur, beatus homo sacris Quadragesimæ diebus jejunantium & orantium particeps effectus, cum Ruth Moabitide buccellam piæ operationis in aceto intinxisset salubris compunctionis, ut sacratissimæ Resurrectionis Dominicæ præsentiâ illustraretur. Cumquè sicut tantæ diei solemnitas exigebat, solemnes à Fratribus Vigiliæ devotissimè celebrarentur; ipse laxato intimæ meditationis sinu, secum cæpit attentiùs cogitare de Passione & Resurrectione Domini, ita ut ardenti pietatis affectu totus in lachrymas solveretur. Et ecce secundâ lectione jam lectâ, cùm Responsorium, *Angelus Domini*, à Conventu cantaretur, repentè, qui in corde ejus devotionis ignem accenderat, Dominus Jesus Christus vigilanti & flenti apparens, stetit ante illum in medio Chori, manus suas expandens, & quasi ostendens ei. Porrò in ejus beatissimis palmis loca clavorum ita evidentissimè apparebant, ut de ipsis plagis recentibus Sanguis emanare videretur, &c. *Hactenùs Auctor Exordii magni. Cujus verba eadem refert* Manrique *in Annal. Cister. tom. 2. ad ann.* 1149. *&* Herbertus *lib. 2. de Miraculis cap. 9. ex Auctore Exordii magni lib. 3. cap. 16.*

IV. B. Nicolaus, (y) Monachus Cisterciensis in Belgio seu Brabantiæ, vir charitatis operibus impensè deditus: qui ipsum speciosum formâ præ filiis hominum puerum Jesum amplecti meruit. *Hæc autem Thomas Cantipratanus* (z) *enarrat in hunc modum*: Algore nivium terrâ Brabantiæ respersâ per totum, Monachus quidam Cistertiensis præmisso in villam socio, solus in campos per devia veniebat: & ecce invenit puerum elegantissimæ formæ quasi triennem, magno fletu & eiulatu solum in nivis frigore residentem. Compassus igitur tali puero, equo descendit, & complexus flentem flere cæpit cum eo, & quærere quid haberet. Tacente autem puero, ingemiscit quærens: Ubi est mater tua? numquid perdidisti matrem tuam? Ad interrogationes illas puer fortiùs eiulans, tandem dixit: Heu me, heu me! quare non flerem? quare non ejularem? Ecce vides quòd egens, solus & in frigore sedeo, & non est qui colligat me, & hospitium præstet. Mox Monachus surgens, & puerum in brachia elevans, osculatus est eum, dicens: Cesses flere dilectissime, quia ad hospitium portabo te, & faciam enutriri. Hæc dicens, cum puero equum ascendere voluit: sed puer de brachio tenentis exiliens disparuit repentè, quia Christus Filius Virginis fuit. In terram igitur cadens Monachus, flere & ejulare cæpit acerrimè; & cùm diù sic jacuisset ejulans, tandem quæsitus à socio inventus est, & elevatus est in equum, & ad hospitium ductus. Quæsitus cur fleret, nihil aliud unâ nocte dicere potuit quàm, Heu me! puer bone, puer pulcherrime, quare me dereliquisti? cur abiisti tam citò? cur te perdidi? *Hactenùs Thomas Cantipratanus. Cujus hæc verba refert Henriquez in Annotationibus in Monolog. Cisterc. ad diem 24. Novembris.*

V. B. Elizabeth de Spalbeck, (a) Virgo Monialis Cœnobii Herkenrodensis Ordinis Cisterciensis in Territorio Leodiensi, quæ sacris Christi Salvatoris nostri Stigmatibus in manibus, latere, & pedibus insignita fuit; & in qua singulis diebus ejusdem Christi Passio admirabili prorsùs modo repræsentabatur. *Idfusè in libro Vitæ ejus Philippus Monachus Claravallensis enarrat. Ex quo Blosius* (b) *sic describit*: Itidem sanctissima Virgo Elizabeth de Spalbeck ingenti devotione quotidiè Passionem Dominicam recolere consueverat. Unde & Christus Stigmata quinque vulnerum suorum manibus & pedibus & lateri ejus verissimè impressit, adeò ut ex ipsis tanquam è recentibus plagis copiosus sanguis plerumque efflueret, idquè potissimùm feriis sextis. Quæ quidem Virgo purissima septies quotidiè ita rapiebatur in Deum, ut nullus sensus, nullus motus, nullus flatus in ea appareret. Totum enim corpusculum illius prorsùs obrigescebat, nec ulla pars ejusdem sacri corporis tunc moveri poterat, quin totum corpus moveretur. *De eisdem sacris Stigmatibus loquens Arnoldus de Raisse,* (c) *sic ait*: Quæ quidem Christi Stigmatibus sic erant similia, ut manuum & pedum rotunda tanquam clavorum vulnera, lateris verò oblongum quasi lanceæ vulnus viderentur. Insuper hæc eadem Virgo mirabilis septenis horis quotidiè in Matutino scilicet, Primâ, Tertiâ, Sextâ, Nonâ, Vesperis, & Completorio, mirabili modo repræsentationem dolorosæ passionis Christi ostendebat: videlicet quando captus fuit & distractus ab impiorum manibus, atque crudelissimè pertractatus. Illud tamen non prætermittendum est, quòd tam hac, quàm aliis horis antequam surgeret rapiebatur, & in eodem statu non modico spatio, ut imago quædam lapidis aut ligni, sine sensu aut motu aut flatu tota rigida perseverabat. Post quem raptum quasi ad se reversa surgebat, & exibat de loco velociter, & incedebat per cameram suam mirabili composito gradu, Angelica ut creditur manu ducta. *Hactenùs Blosius, & Arnoldus, relati apud Henriquez in Monologio Cistercien. ad diem 19. Octobris.*

VI. B. Ida de Lovanio, (d) Virgo Monialis in Valle Rosarum prope Mechliniam Ordinis Cistercien. ab ipsa infantia cælestibus favoribus & consolationibus assue-

u *Manriq. in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1149. cap. 4. num. 5.* x *Auctor Exord. magni lib. 3. cap. 16.* y *Henriquez in Monolog. Cist. ad diem 24. Novembris* z *Th. Cantiprat. Ord. Præd. lib. 2. Apum cap. 1. par. 13.*

a *Henriquez in Monolog. Cist. ad diem 19. Octobris.* b *Ludov. Blos. Abb. Lætien. in Monil Spiritual. cap. 2. pag. 77. à tergo.* c *Arnold. de Raisse in Auctario ad Molanum 19. Novembris.* d *Henriquez in Monolog. Cister. ad diem 13. Aprilis.*

assuefacta: cui quinque vulnerum suorum sacra Stigmata in amoris symbolū Christus impressit, & multis eam miraculis ac revelationibus glorificavit. *Vitam ejus Auctor quidam anonymus conscripsit, prout extat in Hagiologio Sanctorum Brabantiæ, edito ab Auctore Joanne Gilemanno,* (e) *ubi hæc verba sequentia leguntur de eadem Sancta Virgine*: Et quoniam totā in memoria Dominicæ Passionis summā intentionis & considerationis suæ locaverat, ad quam Passionem tanquam ad præcipuum & singulare præsidium in omni necessitatis articulo, meditationis & affectionis aciem dirigebat: ideò volens pius misericordiarum Dominus Electæ suæ vicissitudine gratissimæ retributionis occurrere, suæquè mysteria Passionis ad sibi compatiendum, novo quodam & satis inusitato rerum ordine viciniùs commendare, sanctorum Vulnerum suorum Stigmata manibus & pedibus, necnon & lateri sanctæ Virginis his diebus impressit; & quæ dudum in Cruce pro totius mundi redemptione Salvator noster Jesus Christus ex clavorum confixione sustinuit, horum Venerabili Sponsæ suæ gratissima monumenta non tam in memoria retinenda, quàm in suo corpore præferenda, jucundo satis & insigni miraculo commendavit. Siquidem in locis manuum ac pedum, illis scilicet, ubi manus pedesvè Dominici arcebantur, quasi circuli quidam diversi coloris, repræsentationes quædam Stigmatum intrinsecùs simul & extrinsecus excreverunt; quæ parvorum instar vulnerum illarum partium totam superficiem occupantes, miraculosum valdè de se cunctis, ad quorum pervenerunt notitiam & aspectum, eo tempore spectaculum præbuerunt. Quid enim miraculosius, aut quid jucundius excogitari, vel humanis valet aspectibus præsentari, quàm hoc? Lateris etiam aperturam tam hiantem & patulam aliquo tempore in loco, quo Christi latus transfossum extiterat, hæc Christi Passionis æmulatrix & socia persensisse dicitur, quòd in eodem adinstar oblongi vulneris itinere patefacto ad hepar usque progrediens, hiatus per ipsa corporis intestina laberetur. Quo nimirùm in loco tam anxiam & acerbam doloris & passionis sustinuit punctionem, ut ex propinquis quidam ejus dolori compatientes, indumenta (quibus induebatur) ad nudam usque carnem extraherent, & ad ejusdem levigationem doloris ab omni vestimentorum obstaculo, non sine tamen pœnali molestia, totam lateris superficiem expedirent. Nullius enim rei materialis attactum in eo loco sine gravi læsione sustinuit. Manus etiam & pedes in locis prædictis tam vehementis læsionis angustiā premebantur, ut vel leviter his locis aut digitum supponere, aut rem aliquam corporalem absque dolore gravissimo non valuisset aliquomodò contrectare. Capitis quoque circumferentiam ex omni parte tam vehemens læsio comprimebat, ut nihil minus quàm spineam coronam portare videretur: quæ sanctissimæ Passionis tempore pungendo simul & cruentando caput Domini ambiebat. *Hactenus Gilemanus. Cujus verba referunt* Henriquez *in Monolog. Cisterc. ad diem* 13. *Aprilis, &* Manrique *in Annal. Cister. to.* 4. *ad ann.* 1226. *cap.* 5. *num.* 2. *& seqq. pag.* 315. *ubi num.* 5. *non tam comparat, quàm præfert hanc Virginem beatam Sancto Francisco Seraphico, ob rationes ibi adductas, ex occasione impressionis Stigmatum.*

VII. S. Lutgardis Virgo, (f) Monialis Cœnobii Aquiriæ in Brabantia Ordinis Cisterciensis, desiderio incredibili inflammata pro Christo sanguinem fundere, & mortem subire desiderabat, ita ut vice quadam præ nimia anxietate rupta fuerit vena, quæ extrinsecùs cordi opposita est: & inde tantus sanguis emanavit, ut eo abundè vestes ejus maderent. Sæpiùs in spiritu rapta, dum Dominicæ Passionis recordabatur, toto corpore sanguine perfundebatur, faciesquè ipsius & manus, quæ solæ videri ab aliis poterant, tanquam recenti sanguine tinctæ apparebant. *Utramque rem istam in Vita ejus* (g) *Cantipratanus Dominicanus sic describit*: Cogitabat quandoque Lutgardis de eo qui talem à peccatoribus sustinuerat afflictionem, miroquè inflammata est desiderio Christo vicem reddendi, & pro illo martyrium obeundi. Sed quia tempus martyrii velut hyems jam transierat, imber abierat & recesserat; Christus aliud genus etiam corporalis martyrii ei præparavit. Accidit igitur nocte quadam, ut absoluto Completorio, ante suum lectum staret in dormitorio precibus occupata: ibi tam miro quodam & ineffabili modo cæpit desiderare, ut instar Agnetis Virginis posset pro Christo sanguinem suum fundere. Cùmquè eo desiderio adeò arderet, ut se jam morituram præ ejus ardore existimaret, rupta est vena, quæ extrinsecùs cordi opposita est: inde verò tam multus dimanavit sanguis, ut tunica ejus & cuculla eo abundè maderent. Itaque debilitata paululùm resedit: moxquè Christus illi apparuit vultu gratulabundo, & ait: *Pro ferventissimo martyrii desiderio, quod in sanguinis hujus effusione habuisti, idem cum Virgine Agnete in cælis præmium consequeris: ejus enim martyrium tuo desiderio in sanguine compensâsti.* Ejus rei testes fuère, qui ejus lavêrunt vestes. Testis fuit cicatrix ruptæ venæ, quæ in ea permansit ad eum usque diem, quo felix ejus anima ab hac luce migravit. *Item dictus Cantipratanus* (h) *de ea sic ait*: Quoties rapta in spiritu Lutgardis recordabatur Dominicæ Passionis, toties videbatur sibi ex re ipsa toto corpore sanguine perfusa. Id ubi quidam Religiosus Presbyter secretiùs audivit, observans tempus opportunum, quo dubium non erat eam Christi Passionem commemoraturam, accessit ad illam sub divinarum rerum contemplatione ad parietem incumbentem, viditquè faciem ejus & manus, quæ solæ videri poterant, tanquam recenti sanguine tinctas rubere. Porrò etiam cincinnos quasi guttis noctium infusos sanguine vidit: clàm forfice aliquid præcidit, & ad lucem adducens, supra modum attonitus admirabatur. Interim Lutgarde ab illo mentis excessu ad se revertente, cincinni quoque in manu stupentis Presbyteri ad naturalem colorem illicò reducuntur. Ea re, supra quàm credi possit, Presbyter obstupefactus, parum abfuit quin supinus corrueret. *Hactenus Cantipratanus. Cujus verba refert Manrique in Annal. Cisterc. tom.* 4. *ad*

e *Joan. Gileman. par.* 2. *Hagiologii Sanctorum Brabantiæ cap.* 6.

f *Henriquez in Monolog. Cist. ad diem* 16. *Junii in Annotat.* g *Th. Cantiprat. in Vita S. Lutgard. lib.* 2. *cap.* 27. h *Idem apud Surium lib.* 2. *cap.* 22.

ad ann. 1219. *cap.* 3. *nu.* 11. *& ad ann.* 1224. *cap.* 4. *num.* 8.

VIII. B. Catharina, (i) Monialis Monasterii Castrensis Ordinis Cisterciensis in Lusitania, quæ ibidem mirabili sanctitatis exemplo floruit: summo desiderio contemplandæ Dominicæ Passionis adeò tenebatur, ut nihil aliud in corde aut in ore præter crucem Domini efferret, nec Christum Cruci affixum nisi lachrymis copiosis perfusa aspicere posset. Tandem ejusdem Salvatoris imagini advoluta, sæpè & instantissimè postulavit, ut passionum ipsius particeps effici mereretur. Cùmquè orando & clamando perseveraret, exaudiri meruit: vulnere enim miraculosè in pede percussa, acerbissimis doloribus toto vitæ suæ cursu laboravit, quos mirâ cordis jucunditate sustinuit. *Hactenus Henriquez de B. Catharina, cujus Vitam compendiosè scripsit & edidit Bernardus Brito tom. 1. Chronicorum Ord. Cist. lib. 1. cap. 33. ubi Lector hujus Sanctæ fœminæ præclara gesta videre poterit.*

IX. B. Juliana Corneliensis, (k) Ordinis Cisterciensis Sanctimonialis, meritis, miraculis, spiritu prophetico, ac divinis consolationibus illustris. *Hæc est Venerabilis Virgo, quæ à tenera ætate attenuerat vires externas tribus præcipuè modis: labore corporis, compassione dolorum Christi, ardore mentis. Sic enim Auctor Vitæ ipsius* (l) *ait*: Ceciderat Juliana adhuc in ætate juventutis constituta, in multã corporis debilitatem, quam & habuit diebus omnibus quibus vixit. *Et alibi*. Tria autem fuerunt, quæ à juventute sua vires corporis ejus exhauserunt: labor ingens quem habuit dum pecorum curam gereret, frequens compassio Dominicæ Passionis, & vehemens amor Creatoris sui. *Pergit Auctor* (m) *ita scribens*: Jacebat aliquando Juliana in dormitorio, & divino amore æstuabat, ita ut veraciter dicere posset illud Canticorum: Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum, ut annuncietis ei quia amore langueo. Decubuerat siquidem lecto, non alio profectò, quàm divini amoris languore: Moniales verò eam laborare infirmitate corporali credebant. *Et paulò inferiùs idem Auctor de ea, cùm ante oculos haberet Christi imaginem, ait*: Nimio correpta dolore ex memoria Passionis Christi, in terram corruit, & defecit. Eva verò (reclusa hæc erat Sancta) accepit eam in ulnas suas, & ipsam in lectulo reclinavit: cupiensquè ipsius dolorem vel pellere vel lenire, dixit ei: Quiescite Domina mea, quoniam dolor Passionis Christi jam abiit & recessit; sed tamen ipsam passionem sustinuit. Cùmquè post paululum per fenestram sibi propinquam oculos in cæli figeret firmamento, rapta in spiritu tam mirabiliter extitit, ut nullo signo vitæ in ipsa permanente, credi posset veraciter expirare. *Hactenus Auctor Vitæ ejus. Cujus verba præfata refert Manrique in Annal. Cister. to.* 4. *ad ann.* 1230, *cap.* 3. *num.* 2. *&* 3. *pag.* 398.

X. B. Petrus, (n) Conversus Monasterii Villariensis Ordinis Cisterciensis in Brabantia, maximis à Deo beneficiis honorari, & visionibus illustrari meruit, Christo & ejus gloriosâ Genitrice ei sæpissimè apparentibus. Rigidissimus quoquè, & supra quam credi potest, corporis sui extitit castigator: miroquè fervore accensus, sibi manus & pedes clavis ferreis perforavit, & calidum ferrum versùs cor immisit, in quo vulnere ne clauderetur, chordam è pilis equinis contortam transmisit, &c. *Id autem,* (o) *quod potiùs mirandum est quàm imitandum, Divini Spiritus inspiratione impulsus Vir sanctus fecit, ideoquè ei licitum, & Christo gratum erat.* Siquidem Christus (p) chari sui pium amorem considerans, hoc quod conceperat opere perficientis celerem vulnerum illorum adduxit sanitatem, ita ut vix cicatricum in eo vestigia relinquerentur.

§. V.

SECUNDA DECAS EXEMPLORUM.

De benedictione Christi, quâ honorari meruerunt Sancti ejus.

I. Sancta Heduigis Regina Poloniæ, (q) assumpto Cisterciensis Ordinis habitu in Monasterio Trebnicensi, sanctissimè vixit, & spiritu prophetico, miraculis, & omni virtutum genere celeberrima migravit ad Christum. *Hæc est Sancta Principessa, de qua Surius* (r) *sic scribit*: Quâdam die Sanctimonialis quædam in Monasterio Trebnicensi scire cupiens, quemadmodùm Christi ancilla sola remanens in Ecclesia, se in divino exerceret famulatu, cæteris Sororibus ad mensam discumbentibus, clàm intravit Chorum: ibiquè delitescens, vidit illam coram Altari Sanctissimæ Matris Dei humi prostratam gratias agere more suo omnium Creatori. Ei verò Altari imminet Crux non exigua, expressam habens Crucifixi imaginem. Ibi ergo sic prostrata, cùm prolixius oraret uti consueverat, imago illa Crucifixi à Cruce extracta manu, & brachio dextro, illi benedixit, dicens clarâ voce: Exaudita est oratio tua: impetrabis ea quæ petiisti. *Hactenùs Surius. Cujus verba eadem refert Manrique in Annal. Cisterc. tom.* 4. *ad ann.* 1235. *cap.* 8. *num.* 7. *pag.* 512.

II. B. Ansulfus Monachus Clarævallis (s) Ordinis Cisterciensis in Gallia, quem Dominus in benedictionibus dulcedinis in ipsis conversionis suæ primordiis misericorditer & mirabiliter prævenit, & multis charismatum donis divinitùs illustravit, & ipse Rex Angelorum Christus Dominus se ei videndum exhibuit. Quem cùm beatus Vir humiliter adorâsset, tam pro se quàm pro alio Religioso in conversione & probatione socio Salvatoris benedictionem obtinuit. *Id autem* (t) *in Collationibus Patrum Cisterciensium loci Sancti Bernardi narratur his verbis*: Magnæ devotionis Vir, & magnâ præditus gratiâ, nomine Ansulfus, cùm adhuc esset in Claravalle Novitius, vidit in visione apparentem sibi Dominum Je-

i *Henriquez in Menolog. Cister. ad diem* 15. *Novembris.* k *Henriq. in Menolog. Cister. ad diem* 5. *Aprilis.* l *Dieslhemius Bierus Prior S. Jacobi Leodien. Auctor Vitæ B. Julianæ cap.* 11. *&* 15. m *Idem cap.* 22. *&* 25. n *Henriquez in Menolog. Cist. ad diem* 31. *Januarii ex Chronico Villarien.*

o *Idem ibidem in Annotat. in fine.* p *Auctor Chronici Monasterii Villarien. lib. de claris Luminaribus ejusdem Cœnobii.* q *Henriq. in Menolog. Cist. ad diem* 15. *Octobris.* r *Surius de Vita S. Hedwigis tom.* 5. *ad diem* 15. *Octobris cap.* 2. s *Henriquez in Menolog. Cist. ad diem* 7. *Augusti.* t *Idem ibidem in Annotationibus.*

Jesum Christum tanquam pendentem in Cruce. Erant autem [ut sibi videbatur] ibidem duo alii Novitii, qui secum erant in probatione. Cùm ergo suppliciter Dominum adorâsset, & ut sui sociorumquè suorum misereretur, humillima prece rogaret; pius Dominus motus misericordiâ, respexit & benedixit eum, & alterum etiam cum eo supradictorum Novitiorum. Quod cùm ille vidisset, cæpit rogare Dominum, ut & tertium illum simili modo benediceret. Respondit autem Dominus, nequaquam illum esse benedicendum, sed magis ad massam pertinere maledictorum. Post diem itaque tertium tertius ille Neophytus, ut tristem sui nominis etymologiam malè gerendo exprimeret, (Maligerus siquidem vocabatur) Ordine relicto reversus est ad vomitum vitæ sæcularis, & factus est apostata vilis. Reliqui autem duo qui à Domino benedici meruerunt, ipso miserante benedictionem hæreditate possederunt. *Hactenus Collationes Patrum Cistercienfium, quarum verba refert Herbertus lib. 2. de Miraculis c. 2. p. 252.*

III. Quidam Monachus Cœnobii Clarævallensis in Gallia, (u) cùm se ad quærendum Dominum magno desiderio convertisset, vidit illum aliquando sibi in visione apparentem. Sollicitus autem de sua salute, flagitabat enixè salutiferã ejus benedictionẽ, dicens: *Obsecro, Domine, benedic mihi ut salvus fiam.* Et benedixit eum in eodem loco. Quod cùm ille vidisset, gavisus est gaudio magno: & amplexatus beatissimam manum, à qua benedici meruerat, cum ingenti devotione osculabatur eam, atque dicebat: Domine Jesu Christe crucifixe, gratias tibi ago, quia benedixisti mihi, & salvus ero. *Hactenus Herbertus.*

IV. Cuidam Monacho Clarævallensi discipulo S. Bernardi, (x) cùm dormîsset quâdam nocte, in somnis apparuit ei Angelus Dei, & introduxit eum in quendam thalamum gloriosum, in quo videbatur Dominus Jesus Christus in Cruce pendere, & Beata Mater ejus Maria cum Joanne Evangelista juxta Crucem illius stare. Quem cùm ingressus esset, tantam suavitatis fragrantiam sensit, ac si cellam aromaticam respersam omni pulvere pigmentario introîsset. Videns verò Dominum majestatis, Passionis & Crucis suæ signa piissimâ dignatione sibi repræsentantem, prostratus in faciem solo-tenùs adoravit Dominum, benedictionemquè illius totis medullis cordis flagitare cæpit: quam etiam divinâ largitate Domini consequutus, mox evigilavit. Sed visionem illam non vanam seu illusoriam fuisse, manifestis indiciis declaratum est. Fragrantiâ nempè cælestis nectaris (quam dormiendo hauserat) à somno excitatus, mirabili suavitatis unctione totum interiorem hominem suum delibutum sensit. Neque ad hoc momentum, sed tribus postea continuis diebus eadem benedictione renovari & illuminari gavisus est. *Hactenus Auctor Exordii magni: cujus verba eadem referunt* Manrique *in Ann. Cist. tom. 2. ad ann.* 1149. *cap. 4. nu. 6. &* Herbertus *de Miraculis lib. 2. cap. 9. pag.* 263.

V. B. Alquerius Monachus Clarævallis in Gallia, (y) qui erga pauperes & ægrotos miro charitatis ferfervore ferebatur, multis revelationibus divinitùs illustrari promeruit, Christumquè ei vulnera ac signa Passionis suæ ostendentem, ac æternam felicitatem promittentem conspexit. *Rem autem istam Auctor Exordii magni (z) ita describit:* Fuit in Cænobio Clarævallis Monachus quidam professionis suæ, Alquerius nomine, vir religiosus atque spiritualis. Hic medendi peritiâ valenter expertus, cunctis indigentibus operam artis suæ pro viribus impendebat, se autem solummodò ab hujusmodi cura excipiebat. Super egenos & pauperes intelligens, omnimodam eorum servitio sollicitudinem adhibebat. Nec modò ipsorum ægritudines livoresquè curabat, sed etiã languentiũ putridas carnes, & sanie defluentia membra ita dignanter & diligenter propriis manibus contrectabat, ut Christi vulnera fovere putaretur. Quadam igitur vice vidit hujusmodi visionem in Claravalle. Inprimis audivit quasi quendam nuncium cælestem præconiâ voce clamantem: *Ecce Christus venit, surgite, & occurrite Salvatori.* Cùmquè omnes certatim ad videndum Dominum properarent, tunc & ipse cucurrit, & stetit in ostio Claustri, per quod eum venturum esse sperabat. Itaque ingrediente Domino, accessit, & adoravit eum, flagitans ut acciperet benedictionem & misericordiam à Deo Salutari suo, Quâ perceptâ, cæpit eum attentiùs intueri, & miro pietatis affectu compatiebatur ei. Siquidem apparebat ei veluti dolens atque infirmus, confixus clavis, & lanceâ perforatus, ac si eâdem horâ de Cruce depositus fuisset; ita ut ex plagis copia Sanguinis ubertim emanaret. Porrò ipse Dominus linteolos mundos quasi corporalia munda tenens, eisdem vulneribus imprimebat, & cruore deterso in terram eos projiciebat. Quos Frater ille cùm summa veneratione recolligens, ac nimiâ devotione deosculans, quasi redemptionem animæ suæ in sinu suo repositos conservabat. His & hujusmodi revelationibus frequenter à Domino recreatus, non cessavit usque in finem operari bonum ad omnes, maximè autem ad peregrinos & pauperes ægrotantes. Tandem verò cursu vitæ suæ laudabiliter peracto, cùm jam tempus instaret, quo pro laboribus & sanctæ pietatis operibus æternam mercedem acciperet, infirmitate correptus ad extremam diem pervenit. Cùmquè Venerabilis Abbas Pontius ad eum gratiâ visitationis venisset, quæsiuit ab eo quid ageret, vel quomodò se haberet. Ille verò respondit: Benè, charissime Pater, benè omninò agitur mecum, quia vadens vado ad Dominum meum. Quid ergo? (inquit Abbas) corporalem molestiam ægrè non toleras, & mortis angustiam non formidas? Ego, inquit ille, omnia tranquilla, omnia læta considero, quia præventus sum à Domino in benedictione dulcedinis, quâ omnem mihi mærorem à corde, & omnem penè dolorem à corpore tulit. Respondens itaque Abbas, dixit ei: Obsecro te, dilecte mi Frater, ut propter Deum dicas mihi ad ædificationem nostram, si tibi divinitùs est aliquid revelatum. Tunc ait illi: Modò antequam huc introîssetis, apparuit mihi misero licet atque indigno Dominus Jesus Christus, qui propitio ac sereno vultu me intuitus, ac signa beatissimæ Passionis suæ ostendens, dixit: *Ecce peccata tua*

u *Herbert. lib. 2. de Miraculis cap. 5. pag. 256.* x *Auctor Exordii magni Ord. Cister. lib. 3. cap. 16.* y *Henriquez in Menolog. Cister. ad diem 10. Novembris.*

z *Auctor Exordii magni lib. 4. cap. 1. apud Manrique in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1169. cap. 4. & apud Herbertum lib. 3. de Miraculis cap. 15.*

tua deleta sunt à facie mea: veni ergo securus; veni & vide, ac deosculare vulnera mea, quæ tantùm dilexisti, & toties confovisti. Tali ergo promissione firmatus, jam mori non timeo, quia reposita est hæc spes mea in sinu meo. Et scitote, quia proxima nocte (erat vigilia S. Martini) migraturus sum, dum opus Dei celebrabitur in Ecclesia, & tali hora. Defunctus est ergo eadem nocte, & tempore quo prædixit. *Hactenus Auctor Exordii magni.*

VI. B. Conradus, Conversus Cœnobii Heisterbacensis Ordinis Cisterciensis in Germania, [a] vir simplex ac timoratus, & variis revelationibus illustris. Qui cùm gravi infirmitate vexaretur, Christum in Cruce pendentem coram se vidit, qui dixit ei: *Conrade, vides quanta propter te sustinuerim?* Aliàs in ecstasim raptus, & cælos penetrans, voces & concentus Angelorum audire meruit. *Hæc autem Cæsarius in suis Dialogis* [b] *ita enarrat*: Conversus quidam apud nos ante annos aliquot defunctus est, nomine Conradus. Hic tempore quodam, cùm in Domo nostra Dollindorpe cui præerat, solus esset, & magnum sui cordis defectum sentiret, ait intra se: O miser! debesne sic mori sine homine? Vix verba finierat, & in ecstasim raptus, ecce Salvatorem coram se in Cruce pendentem vidit, qui ait: *Conrade, vides quanta propter te sustinuerim?* Moxquè post verba consolationis adjunxit: Opera tua benè placent mihi. &c. *Item dictus Cæsarius de ejus fœlici obitu sic ait*: Ante mortem suam confessus est Abbati nostro, quòd voces Angelorum audierit in cælo. Obiit autem in ipsa dulcissima festivitate Assumptionis Dominæ nostræ, cui devotè servierat. *Hactenus Cæsarius.*

VII. Quidam Monachus Cœnobii Claræ vallis in Gallia, [c] ejusdem loci Senior, vir religiosus & omni honore dignissimus, cùm esset aliquando positus in oratione mentali, factus est in mentis excessu. Et ecce apparuit ei Dominus Jesus Christus, & dixit ei: *Dimissa sunt tibi peccata tua*. Finita autem visione, cùm fuisset ad se reversus, gratias egit Deo, & consolatus est nimis: erat enim sollicitus & mærens pro erratibus suis. *Hactenus Herbertus.*

VIII. S. Lutgardis Virgo Brabantina, [d] Monialis Ordinis Cisterciensis, rapta in spiritu, vidit Jesum cum vulneribus tanquam recens inflictis atque rubentibus vultui paterno adstare, & pro peccatoribus deprecari Deum Patrem. *Visionem hanc Thomas de Cantipratano* [e] *ita describit*: Expletis septem illis annis, quibus nonnisi pane & cerevisia usa fuit, rursùs ei per revelationem mandatum est, ut pro cunctis peccatoribus aliud jejunium susciperet. Quod illa libens fecit, iterumquè alios septem annos in solo pane & olere transegit. Rapta autem in spiritu, vidit salutis nostræ Principem Jesum cum vulneribus tanquam recens inflictis atque rubentibus vultui paterno adstare, & pro peccatoribus deprecari Patrem: deinde autem vertere se ad ipsam Lutgardem, atque dicere: *Cernis, ut me totum offeram Patri pro peccatoribus meis? Ita ergo volo, ut tu quoque te mihi totam offeras pro meis peccatoribus, & zelum in illorum animadversionem accensum avertas*. Hoc idem Dominus Jesus in Missæ sacrificio quotidie ferè illi dicebat. *Hactenus Thomas Cantipratanus Scriptor ejus vitæ.*

IX. S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis, (f) qui pro libertate Ecclesiastica exul, & multis tribulationibus vexatus habitum Cisterciensem in Monasterio Pontiniacensi assumpsit, & vitam virtutibus & miraculis admirandam usque ad felicem consummationem inter Monachos Monachus egit. Qui dum literis operam dabat, [g] soli Deo placere concupivit, dignumquè sese reddidit, cui Salvator appareret. Aliquando enim per pratum quoddam animi causâ (remotis sodalibus) deambulanti & sacris meditationibus intento apparens puer Jesus, sic Edmundum salutavit: *Salve dilecte mi*. Ille id audiens, vocem ignoti pueri admiratus est. Cernens suavissimus puer Jesus pavefactum illum & hæsitabundum, rursùs illum salutat, & sciscitatur, num vel tenuem aliquam sui habeat notionem. Respondit ille columbina simplicitate: Neque ego ullam habeo tui notitiam, neque me puto tibi esse notum. Tum puer Jesus inquit: *Et quidnam fieri potest, ut ego tibi sim incognitus, cùm in scholis ad latus tibi assideam, & ubicunque sis, comes semper individuus tibi præstò adsim?* Cùm autem hæreret Edmundus, ait Jesus: *Respice in faciem meam, & vide quid illic scriptum sit*. Respexit ille, & vidit cælestibus literis in fronte ejus exaratum: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*. Quod cùm puero Jesu indicâsset, ille ocyùs respondit: *Hoc est nomen meum, quod tu debes affigere animo tuo, ejusquè ardere desiderio, semperquè noctibus accuratè imprimere fronti tuæ, quod tibi magno præsidio erit adversùs mortem repentinam, sed & aliis quoque qui illud fronti suæ inscripserint*. His dictis omni melle dulcior Puer ille, in quem desiderant Angeli prospicere, ab ejus oculis disparuit, sed non parum suavitatis in ejus pectore reliquit. Ab hac visione summo ardore charitatis inflammatus Edmundus, totum se Redemptori dicare constituit, & nocte vel die Passionē Christi animo versari, in eaquè medullitùs delectari studuit. Cùm autem quodam die festo multis occupationibus impeditus, nocte recordaretur se Dominicæ Passionis commemorationem omisisse, caputq; ejus fessum quietem reposceret, sub aurorā apparuit ei diabolus, & ambas ei detinuit manus, ne Crucis signum posset in fronte pingere. Sed mente orante Edmundo, dæmon inter lectum & parietem decidit. Quem ille horrido gutture apprehensum adjuravit per virtutem passionis Christi, & aspersionem Sanguinis ejus, ut diceret quibus rebus vel maximè ab ipso infestando arceri posset. Respondit diabolus: His, quas modò nominâsti. *Hactenus Henriquez ex Surio, cujus verba per extensum refert noster Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1227. cap. 4. num. 4.*

X. Tho-

a *Henriquez in Menolog. ad diem 15. Augusti.* b *Cæsarius Heisterbacensis lib. 8. Dialogor. cap. 20. apud Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1210. cap. 8.* c *Herbertus lib. 1. de Miraculis cap. 24. pag. 224.* d *Henriquez in Menolog. Cist. ad diem 16. Junii, in Annot.* e *In Th. Cantiprat. in vita S. Lutgar. lib. 2. cap. 9. apud Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1216. cap. 4. pag. 84.*

f *Henriquez in Menol. Cist. ad diem 16. Nov.* g *Idem in Fasciculo Sanctorum Ord. Cist. tom. 1. dist. 31. cap. 2 pag. 419. ex Surio tom. 5. ad diem 16. Novem. cap. 3.*

X. *Thomas Cantipratanus* (h) *memoria prodit insigne miraculum, sic narrans*: Eonii Cænobium Ordinis Cisterciensis est nobilissimum atque ditissimum. Contigit autem, ut obnubilatum cælum tempestatem aëris gravissimam minaretur: quæ & facta est. Sparsis ergo coruscationibus undequaque per aëra, sequuntur & fulgura. Quæ ut viderunt Monachi, certatim ad Ecclesiam fugerunt; ubi Conventu in choro taliter congregato, vident Patriæ, &specialiter Monasterio periculum imminere. Inchoant igitur altissimis vocibus, *Salve Regina, mater misericordiæ*. Et cùm venissent ad illum locum Antiphonæ, *Eja ergo Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte*: subitò vehementissimus ventus ab Occidente veniens cum horribili fragore, fenestras Ecclesiæ vitreas cum tanto impetu totaliter dissipavit, ut Ecclesia firmissimè solidata corruere videretur. Nec mora, ubi in tanto discrimine Sacer Conventus satis perterritus flexit genua, & illa verba ejusdem Antiphonæ cantavit, *Et Jesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende*: statim imago Crucifixi, quæ media stabat inter chorum Monachorum, & chorum Conversorum Fratrum, conversa ad Orientem, versùs chorum Monachorum reflexa est, & contrà naturam picturæ oculos aperuit; & mox omnis timor sublatâ tempestate cessavit. Quis ergo in tanto miraculo non obstupescat? *Hactenus Thomas Cantipratanus.*

§. VI.

TERTIA DECAS EXEMPLORUM.

De visione Christi, quâ honorari meruerunt Sancti ejus.

I. BEatus Daniel, Monachus Cænobii Hemmenrodensis Ordinis, Cisterciensis, (i) multas habuit revelationes: quas tamen Vir pius, & humilitatis æmulator rarò aliis communicavit. Tamen confessus fuit, se tribus vicibus Angelorum Regem vidisse. Primâ vice, in Cruce ante gradum Presbyterii: secundâ, in candidis vestibus ante majus Altare: tertiâ, in ignea forma super ipsum Altare. Cui cùm primâ vice apparuit Salvator, inquit: *Daniel, pete à me quod vis, & fiet tibi*. Cui ille respondit: Domine, sufficit mihi gratia tua, nihil aliud à te peto, nisi tantùm ut lachrymas habere possim toties, quoties Passionis tuæ fuero recordatus. Et Dominus ait ei. *Habeas tibi hanc gratiam*. Et ab illa hora, quando de Passione Christi cogitare vel loqui incipiebat, mox imbres lachrymarum in magna abundantia erumpebant ex oculis ejus. *Hæc Henriquez ex Cæsario: cujus verba refert Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad ann.* 1210. *cap.* 8. *num.* 7.

II. B. Abundus, (k) Monachus Monasterii Villariensis in Brabantia Ordinis Cisterciensis, sæpè in ecstasim raptus, Angelorum Regem ejusquè gloriosam Genitricem nonmodò vidit, sed & eorũ familiari colloquio usus est. *Hanc autem visionem Chronicon Villariense* (l) *sic describit*: Cùm Abundus factus esset annorum duodecim, interno susurrio Sancti Spiritus invitatus, diebus festis Majoris Ecclesiæ frequentare limina, circumire reverenter Altaria, coram Crucifixo flectere genua, clavorum in manibus ac pedibus vulnerisquè cicatricem in latere piis oculis intueri, devotisquè soliloquiis piissimi Redemptoris gratiam allicere sibi pro posse cæpit. Benedictæ quoque Matris Dei devotus amator existens, venerari piissimam & salutare frequenter omni laude dignissimâ non cessavit. *Et Arnoldus de Raisse* (m) *ait sic*: Deum opportunè importunè totis præcordiis exoravit, ut ei revelaret quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; quod ipse tamen se sincerè diligentibus præparavit. Cujus petitioni quartodecimo post die annuit Deus: cùm ecce statim vidit sibi cælum apertum, Deumquè contemplatus est, ita ut nihil hac visione jucundius, nihil hac gloria delectabilius excogitari possit. Ad se postea reversus, quoties in memoriam reducebat ea quæ in spiritu viderat, lachrymas retinere non poterat. *Hactenùs Arnoldus apud Henriquez.*

III. B. Vallenus, (n) Monachus Monasterii de Wardona in Scotia Ordinis Cisterciensis, divina redẽptionis nostræ mysteria cælesti revelatione ad vivum expressa contemplatus est inter psallendum. In quadam enim nocte Paschæ, (o) dum Matutinis insisteret, videbatur sibi videre Dominum Jesum post flagella & ludibria allata, & coronã spineam capiti impositam, crucifixum in patibulo, palmas & plantas clavis expositas, in manus Patris animam commendantem expirâsse, ac etiam ex latere lanceâ perforato Sanguinẽ & aquam fluxisse. Porrò contemplabatur Animã ejus exuto corpore, barathrũ spoliare, & ex eo innumeram multitudinem educere; Corpus resumere, & milites sepulchrum custodientes velut mortuos terrefactos jacere; & demùm lætantibus Choris Angelicis cœlum penetrare. *Hactenùs Henriquez ex Joselino Furnesio, qui Acta Vitæ Valleni memoriæ prodidit, prout testatur Manrique in Annal. Cist. tom.* 1. *ad ann.* 1154. *cap.* 4. *num.* 5. *ubi refert dicta verba.*

IV. B. Gereon, (p) Monachus Cænobii Hemmenrodensis, Ordinis Cisterciensis, cælestium arcanorum contemplationi assiduè deditus, à Christo & ejus gloriosa Genitrice multis favoribus insigniri meruit. *De his favoribus Cæsarius* [q] *sic ait*: In quadam solemnitate Nativitatis Domini Fratres ad Sacram Communionem se præparabant: cùmquè pacem jam accepturi post *Agnus Dei* terræ juxta morem procumberent, vidit Frater quidam (*Gereon ille erat*) puerum JESUM, non tamen quasi recenter natum, sed in Cruce quasi passum, cujus omnia

h *Th. Cantiprat. lib.* 2. *Apum cap.* 29. *pag.* 28. *apud Manrique in Annal. Cist. tom.* 4. *ad ann.* 1232. *cap.* 3. *nu.* 5. *pag.* 439. i *Henriquez in Menol. Cist. ad diem* 11. *Aug. ex Cæsario Heisterbac. lib.* 8. *cap.* 11.

k *Henriquez in Menolog. Cist. ad diem* 29. *Aprilis.* l *Ibidem in Annotat. inx. Chronic. Villarien.* m *Ibidem Arnoldus de Reisse in Auctario Sanctor. Belgii.* n *Henriquez in Menolog. Cist. ad diem* 9. *Augusti.* o *Idem in Fasciculo Sanctor. Ord. Cister. lib.* 2. *dist.* 26. *cap.* 58. p *Henriq. in Monologio Cister. ad diem* 1. *Augusti.* q *Cæsarius à Philippo citatus lib.* 9. *Illustrium Miraculorum c.* 41.

vulnera cruorem stillabant, quem calix stans superpositus totum recipiebat. Unde Frater ille tantis sumendis Sacramentis se indignum reputans, ad superiora Stalla Monachorum se recepit; aliisquè innuentibus ut procumberet, se non processurum signavit. Primâ autem cantatâ, aliis ad Capitulum exeuntibus, ipse ad orationem faciendam (ut quidam facere solent) divertit: veniensquè ad Altare Sanctæ Crucis, orationi intendit, & videbatur ei illud tempus breve præ devotionis magnitudine. Cùmquè orationem protraheret, & abeundi tempus non fineret, apparuit ei Beata Dei genitrix, & alloqui eum dignata est, inquiens: *Cur hodie Sacrosanctum Corpus & Sanguinem dilecti Filii mei non sumpsisti?* At ille non ore, sed corde se indignum esse clamabat. Adquod Beata Virgo respondit: *Tu te indignum cogitas: & quis putas tanta re dignus esse potest? Hanc tamen offensum tibi condonabo: sed vide, ne de cætero simile feceris.* Igitur cum orationi intentus esset, & confabulatione Beatæ Virginis delectaretur, quasi in ecstasim raptus, & tandem ad se reversus, ad Capitulum post alios occurrere festinabat, &c. *Hactenùs Cæsarius: cujus verba etiam Manrique refert in Annal. Cist. tom. 3. ad ann.* 1211. *cap. 6. nu. 5. pag.* 393.

V. B. Elisabeth de Wans, (r) Sanctimonialis Virgo Monasterii Aquiriæ Ordinis Cisterciensis in Brabantia, omnium virtutum genere, & spiritu prophetico clara. Quæ Angelicis assuefacta colloquiis, sæpè in in ecstatim rapta, intantùm illustrari meruit, ut omnes æternæ vitæ prædistinatos, sibi divinitùs repræsentatos, etiam ex facie cognoverit. Christum sibi adstantem per tres annos continuos conspexit. *De hac visione Thomas Cantipratanus* (s) *ita scribit*: Hanc Elisabeth pedetentim per tres circiter annos Christi ad Crucem affixi statua undique sequebatur: & si aliquando immundis ac fœdis vexaretur cogitationibus, manum de Cruce porrectam suo interponebat pectori, & actutùm perversas omnes animi cogitationes abibat. *Hactenus Cantipratanus apud Henriquez in Monol. Cist. ad diem* 1. *Julii in Annot.*

VI. B. Christina angelicæ conversationis Virgo, (t) Monialis Ordinis Cisterciensis, in Cœnobio in Monte Sanctæ Walburgis propè Coloniam: cui Christus & ejus gloriosissima Genitrix plura admiranda secreta revelârunt. *De hac Beata Christina Cæsarius* [u] *ita narrat*: Beatæ Christinæ Virgini Crucifixus apparuit, & homo senex juxta eum, qui ex pixide quam in manu habebat, perungebat vulnera illius. *Et alibi idem Cæsarius ait*: Dominus quoque Venerabilem Christianam Sanctimonialem visione suæ Nativitatis lætificare volens, tempore quodam ei cum Matre & Joseph apparuit pannis involutus, & in præsepio reclinatus: erant itidem panniculi lanei & albi, à pannis Sororum nihil differentes; fascia verò, quâ membra ejus ligata erant, grisei esse coloris videbantur. Vides quanta humilitas, quanta pietas sit in Dei Filio? Pannos suos pannis Ordinis Cisterciensis conformare dignatus est, ut ampliùs illa de suscepto habitu gratularetur. *Hactenus Cæsarius apud Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann.* 1216. *cap. 8. nu. 1. & 2.*

VII. B. Richmanda Virgo, (x) Monialis Ordinis Cistercien. in Monte Sanctæ Walburgis, variis revelationibus illustrari promeruit, atque ipsum Regem Angelorum cum cæli Civibus frequenter inter orandum contemplata est. *De eadem Richmanda Cæsarius* [y] *sic ait*: In quadam solemnitate Epiphaniarum, cùm in Monte Sanctæ Walburgis interesset Matutinis, & Abbatissa inchoâsset Responsorium duodecimum, scilicet, *In columbæ specie*: illa vigilans & orans, in excessu facta, Christum infantem pannis involutum & in præsepio positum coram se vidit, & circa illum quasi thronum aëreum in similitudinem Iridis: eratquè ex utraque parte ejus multitudo Angelorum, manibus extensis eum adorantes, & oculorum suorum acies in illum indeclinabiliter defigentes. Cumquè ventum fuisset ad illum locum, *Paterna vox audita est*, non Conventum illa Beata Richmanda, (in qua tunc temporis sensus exteriores defecerant] sed Patrem audivit dicentem: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Erat autem Dei Filius & hominis tanti decoris, & vox Patris tanti dulcoris, ut exprimere mihi non sufficeret. *Idem Cæsarius* (z) *subdit aliam admirandam Christi apparitionem eidem Virgini factam, dicens*: Prædicta Richmanda tempore quodam [ut puto] Dominicæ passionis, cùm de ipsa meditando valdè contereretur, mente excedens, mox per spiritum in domum quandam amplam & hyemalem rapta est, in qua Salvatorem stantem vidit nudipedem & quasi captivum, & circa illum multitudinem Judæorum. Stabat enim demisso vultu, solâ tunicâ indutus atdiscinctus, manibus etiam demissis: tunica ejus flavum videbatur habere colorem: & [sicut ipsa mihi retulit) in diversis angulis domûs deni ac duodeni adinstar ciconiarum congregati susurrabant, de morte illius tractantes. Erat autem domus summi Pontificis Judæorum, in qua acta sunt secundùm historiam, quæ huic Ancillæ Dei ostensa sunt specialiter. *Hactenus Cæsarius apud Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1219. cap. 5. nu. 2. & 3.*

VIII. S. Lutgardis Virgo, (a) Monialis Cœnobii Aquiriæ Ordinis Cisterciensis in Brabantia, multis revelationis nobilitata est, postquam se continuis jejuniis, aliisquè pœnalitatibus pro peccatoribus afflixisset. *Sic enim Thomas Cantipratanus* (b) *de ea scribit*: Cœpit optare ferventiori animo exire è corpore, & migrare in cœlos, pro quo quotidiè lachrymas fundebat. Dominus autem clamoribus ejus modum ponere volens, celeriter apparuit ei, vulneribusquè manuum ac pedum & lateris detectis, dixit: *En contemplare charissima, & vulnera mea clament ad te, ne frustra Sanguinem fuderim, nevè sine causa mortem perpessus sim.* His & visis & auditis Lutgardis admodùm exterrita, cum timore quæsivit, quis ille esset vulnerum Christi clamor? Et responsum est ei: Labore tuo & lachrymis iram Patris jam accensam mitigabis, ne perdat peccatores; sed ut ipsius misericor-

r *Henriquez in Monolog. Cist. ad diem* 1. *Julii.* s *Th. Cantipratanus lib. 2. Apum cap.* 52. t *Henriq. in Menolog. ad diem* 15. *Apr.* u *Cæsarius in suis Dioalogis lib.* 8. *cap.* 3. *&* 15.

x *Henriq. in Menolog. Cist. ad diem* 23. *Octob.* y *Cæsarius in suis Dialog. lib. 8. cap.* 7. z *Idem ibidem cap.* 9. a *Henriquez in Menolog. Cist. ad diem* 16. *Junii.* b *Th. Cantiprat. in vita S. Lutgardis lib. 2. cap.* 6.

ricordiâ convertantur, & vivant. *Hactenus Th. Cantipratanus: cujus verba refert Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad annum* 1215. *cap.* 8. *nu.* 10.

IX. B. Rodolphus, (c) Frater Conversus Monasterii de Luka, Ordinis Cisterciensis in Saxonia, sæpè cælestibus revelationibus illustrari meruit: & ipsum Christum, & alios quindecim ejusdem Monasterii Religiosos Crucibus affixos, divinoquè fulgore circumdatos conspexit. *Quomodo autem & quo ordine hæc evenerint, Cæsarius* (d) *ita describit*: In Luka, in Domo Ordinis nostri Conversus quidam est (sicut ab Adam ejusdem Domus Monacho didici) vir bonus & disciplinatus, Rodolphus nomine, cui divinitùs multa revelantur. Hic cùm quadam nocte dictis Matutinis ante lucem sub dio staret, & orationes aliquas diceret, Christum Cruci affixum pendere in aëre vidit, & circa eum quindecim homines, singulos in singulis Crucibus. Ex quibus decem erant Monachi, & quinque Conversi, omnes ei benè noti, utpotè Congregationis suæ Professi. Ita enim aër erat illuminatus ex Christi præsentia, ut singulos plenè discerneret. Cùmquè stupefactus staret ob tam mirabilem visionem, Dominus de Cruce clamans ait: *Nosti Rodolphe qui sint hi, quos circa me vides crucifixos?* Respondente Converso, Novi Domine qui sint; sed quid sit quod video, prorsùs non intelligo. Subjunxit Dominus: Hi planè ex omni Congregatione mecum crucifixi sunt, meæ Passioni vitam suam conformantes. *Hactenùs Cæsarius apud Manrique in Annal. Cist. tom.* 3. *ad ann.* 1186. *cap.* 2. *num.* 9.

X. Quidam Monachus Monasterii Claravallensis, (e) homo ætate & religione provectus, quadragesimum annum in Ordine Cisterciensi agens, dum aliquando sederet in Claustro die sancto Prasceves, apparuit illi Dominus Jesus Christus, manibus & pedibus in Cruce expansis, ac si eâdem horâ fuisset crucifixus. Quæ scilicet visio felicissima quanquàm brevis & penè momentanea fuerit, adeò tamen manifesta atque efficax extitit, ut visionis illius devota memoria de corde videntis ampliùs deleri non potuerit. *Hactenùs Herbertus.*

§. VII.

QUARTA DECAS EXEMPLORUM.

De ferventi Sanctorum devotione erga Crucem & Passionem Christi.

I. B. Guillelmus, (f) Conversus Monasterii Heisterbacensis, Ordinis Cisterciensis in Germania, multis cæli charismatibus, dono præsertim lachrymarum, quas ex consideratione Dominicæ Passionis quotidiè fundebat, insignis erat. *Sic enim de ipso Cæsarius* (g) *scribit*: Sic ascendere consuevit bonæ memoriæ Guillelmus Conversus noster, qui nuper defunctus est: nam sicut ipse moriens Abbati suo confessus est, tribus vicibus in die lachrymas fundebat. *Primò*, ex memoria peccatorum suorum: *secundò*, ex consideratione Dominicæ Passionis: *tertiò*, ex desiderio patriæ cælestis. Quidquid autem cogitare noverat vel poterat de Christi tormentis, mente percurrebat: de quo tantam sensit dulcedinem, ac si favum mellis in ore servaret, &c. *Hactenus Cæsarius apud Henriquez in Monol. Cist. ad diem* 31. *Maii, in Annotat.*

II. B. Valterus de Bierbach, (h) sanguinis splendore & sanctitatis titulo celeberrimus, qui sæculari militiæ valedicens, in Monasterio Hemmenrodi Ordinis Cisterciensis Cœnobiticam vitam Conversorum amplexus est: ibiquè cælestibus favoribus nobilitatus, obdormivit in Domino. *Ejus profundam de vita Christi mysteriis contemplationem Cæsarius* (i) *ita describit*. Requisitus die quadam à Priore, (sicut ipse mihi retulit) quid in mensa cogitaret manducando, eò quòd non intelligeret lectionem? Respondit: Ego habeo ibi lectionem meam: quando manducare incipio, revolvo mente, qualiter pro me Dei Filius sit ab Angelo nunciatus, & in utero Virginis de Spiritu Sancto conceptus; sicq; primum folium verto. Deinde cogito, quomodò Angelis concinentibus sit natus; & ecce perlectum est folium secundum. In hunc modum transcurro mente Circumcisionem, Magorum adventum, oblationem ejus in Templo, Baptismum, Jejunium, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, & Sancti Spiritus adventum, extremumquè Judicium. Talis est ergo lectio mea quotidiana, cujus finis, finis est prandii. Quod in tali libro comedens legeret, testabantur lachrymæ, quas in mensa frequenter solebat fundere. *Hactenus Cæsarius apud Manrique in Annal. Cist. tom.* 4. *ad ann.* 1216. *cap.* 6. *num.* 5.

III. B. Briolaya Virgo, (k) quæ nuptias sibi a parentibus propositas & sæculi commoditates fastidiens, Christo Virginum Sponso dulciter adhæsit, & in Cænobio Eboracensi in Lusitania seu Portugallia habitum Cisterciensem assumpsit. Ibi continuum silentium cum omnium admiratione strictissimè custodivit: Christum Cruci affixum pectori impressum gestabat, omnes alias terrenarum rerum cogitationes excludens. Sæpè Sacerdoti celebranti Angelicos spiritus assistere vidit; & in eadem Hostia consecrata puerum Jesum, vel ipsum Cruci affixum, seu spineâ coronâ redimitum conspexit. Ipsum etiam Sacerdotem aliquando inter celebrandum sanguine perfusum, aliquando pulcherrimâ florum suaveolentium coronâ decoratum contemplata est Ara quoque sacra (in qua Hostia pacifico æterno Patri offerebatur) cælesti fulgore circumquaque rutilans Virgini oranti visa est. In tanta autem visionum magnitudine humilis perseverans, è vita mortali ad immortalitatem excessit. *Hactenùs Henriquez ex Vita ipsius, edita Lusitanicè à Bernardo de Bri-*

c Henriquez in Monolog. Cisterc. ad diem 27. Maii. d Cæsarius Heisterbacensis. Lib. 8. Miraculor. cap. 18. e Herbert. Lib. 1. de Miraculis cap. 23. f Henriq. in Monolog. Cist. ad diem 31. Maii.

g Cæsarius Prior. Heisterbac. in Homilia Dominicæ in Quinquag. de grad. contemplat. h Henriq. in Monol. Cist. ad diem 22. Janu. i Cæsarius Heisterbac. in suis Dialog. Lib. 7. cap. 39. k Henriq. in Monolog. Cist. ad diem 25. Octob.

de Brito tom. 1. lib. 5. cap. 33. ubi ejus admiranda virtutes describuntur.

IV. Quidam devotus Monachus Conversus Ordinis Cisterciensis, [l] qui solebat toties, quoties eum contigerat transire coram quadam imagine Crucifixi, (quæ erat depicta in suo Monasterio) exhibebat ei profundam adorationem: & rogabat eum per illum extremum dolorem & agoniam, quem sensit in Cruce, ut dignaretur recordari animæ suæ in articulo mortis. Et perseverando in tam pio exercitio omnibus diebus vitæ suæ, tandem venit terminus moriendi, quo cùm obiisset, statim apparuit Abbati suo tunc quando disponebat se ad dormiendum, & dixit ei: Cum vestra licentia, Pater Abbas, ego vado. Et respondit ei Abbas: Quò vadis? Subjunxit Conversus dicens: Ego vado ad cælum sine dolore alicujus pœnæ purgatorii, cùm jam de hac vita migraverim. Super quo miratus Abbas replicavit: Quomodò hoc potest esse, quandoquidem vix homines sancti vadunt in paradisum, nisi priùs senserint aliquam pœnam purgatorii? Tunc recensuit Conversus suam illam consuetudinem, quam faciebat dum viveret, & quòd propterea Dominus JESUS recordatus est illius. Interrogabat eum Abbas, utrum senserit dolorem in hora mortis. Respondit, sibi visum fuisse, quòd totus mundus esset quasi maxima petra, quæ cor ejus premebat. His dictis, evolavit illa sancta anima ad cælum. *Hactenus Cæsarius apud Alexium Segala Capucinum in suo Opusculo cap. 3. pag. 62. cui titulus est: Prattica Singolare per condurre con facilità l'huomo alla vera perfettione.*

V. Quidam Venerabilis Abbas (m) de Filiis Monasterii Savigniacensis Ordinis Cisterciensis, (quem Dominus tanquam servum fidelem & benè operantem sæpè visitavit, & de arcanis suis multa revelavit,) dum aliquando in die Parasceves Crucem Domini devotè adoraret, devotionis suæ lachrymas etiam in propatulo cohibere non valebat. Quod videns juvenis quidam, carnali animo cœpit interpretari lachrymas illas judicans esse hypocritales, & nihil puritatis habentes. Moxquè suadente diabolo incidit ei desiderium vehemens, ut projecto habitu Monachali sæcularem resumeret, Crucem assueret, & iter Jerosolymitanum assumeret. Hæc eo cogitante, revelatum est Abbati divinitùs, quid mali jactâsset in corde Neophyti Fratris ille zizaniorum seminator antiquus. Vidit enim & ipsum invisibilem adversarium coram eo stantem instar alicujus Jerosolymitani, palmâ, perâ & baculo insignitum, atque sclavoniâ coopertum: qui cum eodem juvene disputabat, acriterquè insistens usque ad buccam digitum importabat. Peracto itaque divino Officio, sollicitus fuit Abbas eundem Fratrem secretiùs convenire, præcipiens in virtute obedientiæ, ut diceret quid in illa hora sanctissima ante Crucem Domini fascinato corde proposuisset. Sentiens autem Frater à Viro spirituali se esse deprehensum, verecunnè cuncta fatetur, & se deinceps emendaturum humiliter pollicetur, &c. *Hactenus Herbertus.*

VI. B. Ermendrudis Abbatissa in Deytkirchen, (n) Ordinis Cisterciensis in Germania, post sanctissimæ vitæ felicissimum cursum, purissimum spiritum rediddit Salvatori. *Cujus pium transitum Cæsarius [o] sic narrat:* Cùm moritura esset, Passionem Domini coram se legi faciebat. Et cùm ventum fuisset ad locum illum, *In manus tuas commendo spiritum meum*, ex multa pietate cordis hæc verba (quæ ei ultima fuerunt) dixit: O amantissime virorum! statimquè agonizans, cum Christo & in manus Christi spiritum emisit, &c. *Hactenùs Cæsarius apud Henriquez in Monol. Cist. ad diem 29. Maii in Annot.*

VII. B. Aleydis, (p) mater Sanctissimi Patris nostri Bernardi, (quæ in sæculo non sæculariter vivens, filios quos Christo genuerat, instruxit piissimè) multis virtutibus ac sanctis operibus gloriosa, die & hora à se prædictis inter psallendum feliciter quievit in Domino, circa annum Domini millesimum centesimum decimum. *De cujus vita sancta, & morte pretiosa* (q) *Joannes Eremita sic scribit:* Mater Sancti Patris nostri Bernardi religiosissima extitit. Consuetudo ejus erat per singulos annos in solemnitate Sancti Ambrosii universos Clericos, quos invenire poterat, congregare, eosquè in eadem die ad honorem Dei & Beatæ Mariæ & memorati Sancti cibo & potu solemniter reficere. Deus autem honorem, quem illa Sancto suo exhibebat annis singulis, eidem remunerare volens, mortis suæ (quæ in Anniversario ejusdem festivitatis dies futura erat) illam præsciam fecit die quadam ante festum. Unde ipsam spiritûs prophetiæ participem fuisse non incredibile est. Illa autem viro suo, & filiis suis, & omni familiæ suæ hoc quod sibi revelatum fuerat indicavit. Cunctiquè admirantes, & primò non credentes contingere sicut prædixerat, postea magis admirati sunt. Porrò vigilia festivitatis imminente, febris artus occupavit. Die autem festo post celebrationem Missæ, Corpus Domini sibi afferri devotissimè petiit: quod & factum est. Deinde Sacrosanctæ Vnctionis munita Sacramento, cùm accepisset Eucharistiam, universos Clericos secundùm consuetudinem ad cænam convocari fecit. Illis autem recumbentibus, filium suum Guidonem primogenitum advocavit, intimans ei & sollicitè inculcans, ut statim Clericos refectione completa ante se convenire faceret. Ille autem benignæ matri suæ benignissimè obediens, post refectionem Clericos in unum convocans, fecit ut mater petierat. Adsunt Clerici: quibus congregatis in spiritu congratulans ancilla Christi, nuntiat dissolutionem sui corporis imminere. Illi autem Dominum pro ea suppliciter exorantes, Litaniam incœperunt: cum quibus ipsa, quousque ultimum exhalaret spiritum, devotissimè psallebat. Cùm verò Chorus psallentium jam pervenisset ad illam Litaniæ supplicationem, *Per passionem & crucem tuam libera me Domine*, necdum cessans à supplicatione: illa in ipso mortis articulo in manus Domini commendans spiritum suum, & elevata manu signans se signaculo

l *Cæsarius Heisterbacen. in suis Dialogis Lib. . cap. . m Herbert. lib. 1. de Miraculis cap. 25. pag. 224.*

n *Henriq. in Monol. Cist. ad diem 29. Maii.*
o *Cæsarius Heisterb. in suis Dialog. lib. 12. c. 43.* p *Henriq. in Monol. Cist. ad diem 4. April.* q *Joan. Eremita Lib. 1. de vita S. Bern. cap. 6.*

culo sanctę Crucis, in pace reddidit spiritum. In hunc modum sanctâ illâ animâ (r) de templo sancti corporis egressâ, manus sicut erat erecta ad indicandum signum Crucis, videntibus & admirantibus cunctis qui aderant, sic remansit. O fœminam igne divini amoris incensam, fide robustam, spe potentissimam, charitate devotam! O felix mulier & beata, quæ talem honorem erga Deum acquisivisti, ut & diem depositionis tuæ prænosceres, & in tuo felici transitu adeò evidenter super te claresceret signum redemprionis nostræ! Signum, inquam, in quo Deus ac Dominus noster, pius Jesus pro salute humani generis pati dignatus est. *Hactenùs Joannes, Eremita appellatione. Cujus verba refert Robertus Abbas Casæ Dei, Sancti Bernardi Nepos, apud Henriquez in Monol. Cist. ad diem 4. April. in Annotationibus.*

VIII. B. Gerardus, (s) Sacrista in Monasterio Claravallensi Ordinis Cisterciensis in Gallia, vir sanctissimis moribus pollens, & Monasticæ perfectionis æmulator eximius: qui ab ineunte ætate in illa sacra Solitudine religiosæ militiæ nomen dedit; intantumquè coluit castitatis virtutem, ut felicitate quidem, non virtute, ab Angelis videretur differre. Et tandem divinitùs præmonitus, mortem jam instare sibi cognovit, & miraculosis præcedentibus signis feliciter migravit ad Christum. *Quomodo autem præcesserint hæc signa miraculosa, Auctor Libri de exordio Ordinis Cisterciensis* (t) *sic enarrat, dicens*: De cujus pia devotione illud silere non possumus, quod quasi divinitùs factum ab eo, vel potiùs in eo miraculum vidimus, & gratulati sumus. Nam cùm ultimum spiritum traheret, & jam vires loquendi non haberet, tribus aut quatuor fermè horis manus junctas atque protensas tenuit immobiles versùs Crucis imaginem, ac si aliquo fune colligatæ essent. Et cùm cætera corporis membra huc atque illuc urgente dolore crebriùs jactitaret, manus tamen (quas, ut diximus, tendebat ad Crucis imaginem) nunquam abinvicem seperavit, nunquam ampliùs ad se retraxit: & quod vivens sæpiùs actitâsset, etiam mortuus indicavit. *Hactenùs Auctor Exordii Ordinis Cisterciensis; cujus verba referunt, Henriquez in Monolog. Cist. ad diem 27. Augusti in Annot. & Herbertus Lib. 1. de Miraculis Cap. 2.*

IX. Sanctimonialis quædam Ordinis nostri Cisterciensis, (u) in tanta veneratione habuit signum sanctæ Crucis, ut cùm efferenda esset ad tumulum, facies Crucifixi verteretur post eam in parte illa per quam elata est, & sic caput imaginis in partem illam intendens, ut perpetuò contra solitum ita permaneret. Alia Monialis cuidam revelavit, computruisse manus suas, sed pollicem non posse corrumpi, qui signum Crucis sibi imprimere consueverat.

X. S. Heduigis Ducissa Regni Poloniæ, (x) assumpto Cisterciensis Ordinis habitu in Cœnobio Trebnicensi, sanctissimè vixit, spiritu prophetico, miraculis, & omni virtutum genere celeberrima. *De hac sancta Principessa Surius* (y) *inter alias virtutes ejus, hanc quæ sequitur enarrat.* Sancta Heduigis Passionem Domini Salvatoris tanta animi devotione in suo pectore versavit, ut etiam res minimas quæ mysterium Dominicæ crucifixionis repræsentabant, veneraretur. Vbicunque enim humi conspexit jacentes stipulas Crucis imaginem referentes, statim genibus flexis adorabat & osculabatur, tollensquè eas in tali loco reponebat, ubi non possent pedibus conculcari. *Hactenùs Surius.*

XI. B. Medardus (z) Abbas Monasterii de Moris, Ordinis Cisterciensis, ad tantam perfectionem devenit, ut ipsum Angelorum Regem & mundi Salvatorem, Dominum nostrum Jesum Christum corporeis oculis videre promeruerit. Fuitq; oculatus testis divini illius favoris, quo Mellifluum Patriarcham nostrum Bernardum Christus ipse intantùm sublimavit, ut ipsum ad dulcissimum amplexum admiserit. *De quo dictum est supra §. 3.*

§. VIII.

De Signo Crucis, quo excitamur ad recolendam Passionem Christi Domini.

1. A saluberrimo Signo Crucis (a) omnes Horas Canonicas auspicari solemus. Nam, dum Sacerdos sacrarum precum initio divinum postulat adjutorium, eo nos contra diabolicas fraudes armamus: orantes fieri nobiscum signum in bonum, ut videant qui oderunt nos, & confundantur, quoniam Dominus psallentes adjuvat & consolatur. Hujus antem tremendi ac sacratissimi Signi quanta sit virus, quanta antiquitas, quanta potentia, audiamus. Præmittitur Signum Crucis, (b) à quo omnia auspicari semper Christianis solemne fuit, *teste Tertuliano*, qui (c) inter ea quæ ex traditione sine ullius scripturæ testimonio usurpantur, hoc etiam recenset. *Clemens* Romanus Pontifex (d) Signum Crucis appellat infractum signum: quia sicut signum rem custodit, cui appositum & impressum est: ita Crux munitissima rerum omnium custodia est. *Sanctus Ignatius Martyr in epistola ad Philippenses ait*: Crux Christi perditio est diaboli. *Sanctus Martialis in epistola ad Burdigalenses ait*: Crucem Domini in quem credidistis, semper in mente, in ore, in signo tenete. Crux enim Domini est armatura vestra. *Dionysius Areopagita* (e) docet, signum Crucis ad omnia Sacramenta adhiberi. *Justinianus Martyr*, (f) *sive Auctor quæstionum apud ipsum*, à diebus Apostolorum usum ostendit emanâsse, quo Christiani dextera manu seipsos & alia Signo Crucis obsignant. *Origines* (g) *inquit*: Quid timent dæmones? quid tremunt? Sine dubio Crucem

r *Idem ibidem cap. 7.* s *Henriq. in Monolog. Cisterciensi ad diem 27. August.* t *Auctor Libri de Exordio Ord. Cistert. lib. 3. cap. 12.* u *Tom. 6. Operum S. Bernar. in documentis vitæ Relig. pag. 1036.* x *Henriq. in Monol. Cist. ad diem 15. Octob.*

y *Surius in Vita S. Heduigis tom. 5. ad diem 15. Octob. cap. 5.* z *Henriq. in Monolog. Cist. ad diem 8. Junii in Annot.*

a *Card. Bona, lib. de Divina Psalmodia cap. 16. §. 5. num. 1.* b *Idem Card. lib. 2. de Rebus Liturg. cap. 2. num. 3.* c *Tertul. lib. de corona mil. cap. 3.* d *Clemen. lib. 1. Const. Ap. cap. 16.* e *Dionys. in Eccles. Hierar.* f *Just. quæst. 118.* g *Origen. Hom. 6. in Exod.*

cem Domini, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum & potestates. Timor ergo & tremor cadent super eos, cùm signum Crucis in nobis viderint fideliter fixum. *Hippolytus Martyr* (h) inter alias abominationes Antichristi hanc enumerat, quòd suis cultoribus characterem dabit in dextera & in fronte, ne Crucis signum pingant in frontibus suis. *S. Cornelius Papa in epistola ad Fabium Antiochiæ Episcopum*, Crucem vocat sigillum Domini, quo qui munitus non est, non potest accipere Spiritum Sanctum. *Cyprianus* (i) *ad plebem Thibari consistentem inquit*: Muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur. *Et initio Libri de lapsis ait*: Frons cum signo Dei pura diaboli coronam ferre non potuit, coronæ se Domini reservavit. *Cyrillus Hierosolymitanus* (k) *ait*: Fac signum Crucis manducans & bibens, sedens & cubans, stans & loquens, & ambulans, & in summa in omni tuo negotio. *Hieronymus in epistola ad Eustochium* (l) *ait*: Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat Crucem. *Et alibi refert*, eundem Eustochium Paulæ matris ægrotæ os & stomachum signâsse, ut Crucis impressione dolorem leniret. *Chrysostomus* (m) *docet*, Cruce signandum esse pectus ad turbatos animi motus cohibendos. *Augustinus ait*, occurrendum esse diabolo cum Crucis vexillo, ut talibus armis indutus facilè vincat Christianus. *Arnobius Junior* (n) *scribit*, docuisse Dominum digitos nostros ad bellum: quia adversùs visibiles & invisibiles docuit armare frontem triumpho Crucis. *Joannes Damascenus* (o) *inquit*: Crux signum nobis data est super frontem, ut Israëli circumcisio: per ipsam discernimur ab infidelibus. Ipsa signaculum est, ut non tangat nos exterminator. *Corripus Poeta Africanus* (p) *testatur*, quòd Justinus Imperator verba facturus ad populum, se signo Crucis muniebat. *Joannes Cretensis* (q) *ait*: Crux scala in cælum deducens, via ad virtutem adducens, vitæ conciliatrix, mortis solutio, corruptionis abalienatio, ignis extinctio, in Deum fiducia, clavis regni cælorum. Crux civitates sedat, domos tuetur, amicitias conglutinat, ab inimicorum injuria vindicat, hostibus resistit, Gentes persequitur, barbarorum est stimulus, pacis arbitra est. *Anselmus* (r) *scribit*: Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat. *S. Bernardus* (s) *de Sponsa Ecclesia ait*: Non enim erubescit ingredinem, quam novit præcessisse & in Sponso: cui similari quantæ etiam gloriæ est? Nihil sibi gloriosius proinde putat, quàm Christi portare opprobrium. Unde vox illa prorsùs exultationis & salutis: *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini mei Jesu Christi*. Grata ignomina Crucis ei, qui Crucifixo ingratus est. *Audoenus in vita Sancti Eligii* (t) *inquit*: Profectò magna res est signum Crucis; sed illis solis prodest, qui faciunt mandata Christi. *Thomas à Kempis* (u) *ait*: In tribus locis præcipuè statue signum Crucis: super cor, super os, & super brachium. Sed his prætermissis, (x) illud magis quærendum videtur, qua ratione ipsum Crucis signum exprimi debeat, & manu formari. Sunt qui illud tribus digitis dexteræ manus effingunt, sub Sanctissimæ Trinitatis invocatione: sunt qui duobus, ad duas Christi naturas contra Monothelitas, indicandas. Sunt (*Græci*) qui signantes se à superiori ad inferius descendunt, & à dextera transeunt ad sinistram: quia Christus de cælo descendit in terram, & à Judæis transivit ad Gentes. Usus tamen communis Occidentalis Ecclesiæ est, ut dextera manu Crucis expressio à fronte ad ventrem, & à sinistra ad dexteram producatur. Dicimus autem, *In nomine*, ad significandam trium personarum indistinctam Divinitatem. *Pater* in fronte collocatur tanquam principium sine principio, prima persona Deitatis. *Filii* nomen pronunciatur, cùm uterum tangimus: quia ex utero ante Luciferum genitus, & in plenitudine temporis in utero Virginis incarnatus salutem operatus est in medio terræ. *Spiritum Sanctum* exprimimus, cùm manum à sinistra parte ad dexteram protendimus: quia videlicet à Patre & Filio utriusque nexus, & amor procedit: & sicut Christus de morte transivit ad vitam, ita nos de miseria transire speramus ad gloriam secundùm spem vitæ æternæ.

2. In Missa [y] Collecta expansis manibus brachiisquè protensis recitatur, eo scilicet habitu qui Fidelibus orantibus in utroque Testamento solemnis fuit. Ideò psallebat David: *Dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum*: *in nomine tuo levabo manus meas*: *expandi manus meas ad te*. Nam sicut Adam extêsâ manu ad vetitæ arboris fructum, Dei præceptum transgressus est: ita credimus ipsum pœnitentem noxias manus ad Deum extendisse, cùm ab ipso veniam prævaricationis in oratione petebat; eumquè ritum filios & nepotes suos edocuisse. Hac ipsa de causa Christum in Cruce manus suas extendisse adversùs primi parentis manus incontinenter extensas Gregorii, Nazianzeni sententia est. Idcircò [*ait ille Orat. 1.*] lignum adversùs lignum, & manus adversùs manum: illæ fortiter extensæ adversùs incontinenter extensam: illæ clavis confixæ atque constrictæ adversùs remissam & solutam: illæ Orbis fines conjungentes adversùs eam quæ Adamum è paradiso exturbavit. *Consonat Mellifluus Bernardus* (z) *cùm dicat*: Verùmtamen, ut jam non sit quod causeris, ô homo, contra inobedientiam Adæ datur tibi obedientia Christi, ut si gratis venundatus es, gratis & redimaris: si nesciens in Adam periisti, nesciens vivificeris in Christo. Nescisti quando ad lignum vetitum vetus Adam tetendit manus suas: nescisti nihilominùs quando in ligno salutifero innoxias manus Christus extendit. Utroque autem mysterio (a) Christianos hac forma orâsse existimo, ut & Adami transgressionem, & Christi è patibulo pendentis ac pro nobis satisfacientis ima-

h *Hippol. Or. de consum. seculi*. i *Cypr. lib. 4. Ep. 6.* k *Cyrill. Cat. 4.* l *Hier. Ep. 2. & 27.* m *Chrys. Hom. 83. in Matth.* n *Arnob. in Psal. 143.* o *Damasc. de fide Orthod. lib. 4. cap. 12.* p *Corrip. lib. 2. de laud. Justini Imp.* q *Andr. Cret. Orat. 1. de exaltat. Crucis*. r *Ansel. in Epist. S. Pauli ad Rom. ad cap. 10.* s *Bernard. ser. 25. in Cant. num. 8.* t *Audoen. lib. 2. cap. 16.* u *Th. à Kemp. Hospital. paupr. cap 6.*

x *Card. Bona lib. de Div. Psalmod. cap. 16. §. 5. num. 3.*
y *Idem Card. lib. 2. de Rebus Liturg. cap. 5. num. 7.* z *S. Bern. Ser. 1. in Dom. 1. post Oct. Epiph. num. 3.* a *Card. Bona lib. 2. de Rebus Liturg. cap. 5. num. 7.*

tis imaginem exprimerent. Apparent paſſim in criptis & cæmeteriis Romanæ Urbis virorum & mulierum extenſis brachiis, & elevatis manibus orantium antiquiſſimæ picturæ, quas Boſius ſpectandas exhibet in Roma Subterranea. Nec aliud Apoſtolus ſignificat, cùm Timotheo ſcribens ait: *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus*. Conſonant antiqui Patres. *Minutius Felix ait*: Crucis ſigni eſt, cùm homo porrectis manibus Deum pura mente veneratur. *Et Tertulianus* (b) *inquit*: Manibus expanſis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubeſcimus, precantes ſemper ſumus. *Item* (c) *ait*: Nos non attollimus tantùm manus, ſed etiam expandimus è Dominica paſſione modulatum & orantes confitemur Chriſto. *Sanctus Bernardus* (d) *inquit*: Fortaſſè Crux ipſa nos ſumus, cui Chriſtus memoratur infixus. Homo enim formam Crucis habet; quam ſi manus extenderit, exprimet manifeſtiùs. Hunc uſum orandi (e) Sancto Pachomio familiarem fuiſſe ſcriptor vitę ejus tradit his verbis: Conſueverat ſtans in oratione manus expandere, quas per aliquot horarum ſpatia minimè colligebat. *Herbertus Monachus Claræ vallenſis, poſtea Archiepiſcopus Turrium Sardiniæ, (f) hac memoria prodit*: Quidam novitius Frater in Claræ valle, diſcipulus Sancti Bernardi, cùm ex toto corde Dominum quærere propoſuiſſet, ſolitus erat, ubi opportunè potuiſſet, conjunctis ſive expanſis manibus frequenter orare. Quadam itaque nocte in principio Vigiliarum, cùm eſſet in choro, clauſis oculis manibuſquè protenſis ad Deum intendens, ſubitò adſuit ibi Dominus Jeſus Chriſtus, loquens ad eum & dicens: *Porrige mihi manus tuas*. Ad hanc itaque vocem cùm aperuiſſet oculos Frater ille multùm obſtupuit, & utrum dormiens an vigilans hoc audiſſet, non facilè diſcernere potuit. Ex hac autem voce multam devotionem atque fervorem mente concipiens, ipſam formam orandi ſervare deinceps ſollicitus fuit. Poſt aliquantum verò temporis cùm jam Monachus factus, in quodam ejuſdem Eccleſiæ Claræ vallenſis angulo foret, intento animo junctiſquè manibus ſtans & orans, ſubitò fuit in ſpiritu raptus; & ecce adſuit ei Dominus Jeſus Chriſtus, ſuppoſitis atq; expanſis manibus ſuis manus illius ſuſcipiens, & quaſi ad profeſſionem admittens. Quo facto cùm fuiſſet homo reverſus ad ſe, gaviſus eſt gaudio magno valdè. *Porrò idem Herbertus* (g) *narrat ſic*: Dum Monachus quidam Claræ vallenſis ægrotaret ad mortem, atque magnis febrium æſtibus ureretur, ad relevationem ardoris exutâ cucullâ indutus eſt ſcapulari, & ita manendo exhalavit. Cùmquè poſt mortem duceretur uſque ad introitum Paradiſi, clauſère Portarii portam, ipſumquè excluſère, dicentes: Numquid iſte ſine cuculla recipiendus erit in ordine vel requie Monachorum? Repulſus itaque romanebat foris, pavibundus & trepidans; metuens nimirùm damnationis audire & ſubire ſententiam. Cùmque ductores ejus pro illo rogarent, dicentes eum (excepto ſermone hoc) virum extitiſſe probabilem, & ſine querela inter alios converſantem, juſſus eſt ad humana redire, acceptâquè veniâ cum cuculla protinùs remeare. Reverſus verò ad corpus, cuncta quæ viderat indicavit; induenſquę cucullam, & accipiens pœnitentiam, in pace migravit. Conſtat ergo Monachicum habitum, in quo & forma Crucis exprimitur, ſi vita Monachi teneatur, magnum myſterium continere. *Hactenùs Herbertus*.

3. Inter candelabra Crux (h) in Altari collocari ſolet. Quem ritum antiquiſſimum eſſe oſtendunt plerique ex Canone tertio Concilii ſecundi Turonenſis, habiti anno 570. In quo ſtatutum eſt, *ut Corpus Domini in Altari non imaginario ordine, ſed ſub Crucis titulo componatur*. Alii verò multò antiquiorem meritò exiſtimant, utpotè qui ab Apoſtolica traditione profluxerit. Ab aſpectu ſiquidem Crucis celebranti Sacerdoti paſſio Chriſti in memoriam revocatur, cujus Paſſionis viva imago & realis repræſentatio eſt hoc ſacrificium Miſſæ, mortem cruentam Salvatoris noſtri incruentè exprimens, tanquam idem ſacrificium, quod in Cruce ſemel oblatum eſt; quamvis diverſo modo offeratur. Ideo Sancti Patres (ut Seraphicus Benaventura teſtatur libro de myſteriis Miſſæ) ſtatuerunt, ne quiſquam Miſſas agat, niſi in Altari adſit imago Crucifixi. Adſtat oranti [i] hominis Dei morientis imago, vel ſtringat neceſſè eſt animum in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fuget illecebras, deſideria ſedet. Ideò etiam Chriſti cultores (k) maximâ ſemper veneratione ſignum Crucis proſequuti ſunt, adeo ut ad omnem aditum atque exitum, ad veſtitum, ad calceatum, ad menſas, ad lavacra, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, frontem tererent Crucis ſignaculo, ut loquitur *Tertullianus* libro de Corona militis capite tertio. *Baſilius* (l) inter dogmata (quæ ſine ſcripto recepimus ex Apoſtolica traditione) hoc primo loco commemorat, ut ſigno Crucis ſignentur, qui ſpem in Chriſto collocârunt. *Auguſtinus* (m) *ait*: Quid eſt ſignum Chriſti, niſi Crux Chriſti? quod ſignum niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ ex qua regenerantur, ſive oleo, quo chriſmate unguntur, ſive ſacrificio quo aluntur, nihil horum ritè perficitur. *Poſt Gregorium Nazianzenum* (n) *Freculphus Luxovien. narrat*, Julianum deſertorem Fidei, etſi Cruci pertinaciter infenſum, nihilominùs ad verſus terrores dæmonũ & ſpectra Cruce ſe ſignâſſe. *Athanaſius* (o) aſſerit, ſigno Crucis omnia magica compeſci. *Sancta Eliſabeth de Schonaugia* (q) ſigno Crucis nihil efficacius ad turpes effugandas tentationes aſſerit ex divina revelatione. Nec ſolùm (r) Crucis ſignaculo in omni actu ſe munire conſueverunt Fideles, ſed & materialem ipſius Crucis figuram venerari. De qua re antiquos Canones colle-

b *Tertul. in Apologetico cap. 30.* c *Idem lib. de orat. cap. 11.* d *S. Bern. Ser. 4. in Vig. Nat. Dom. nu. 7.* e *Card. Bona Lib. 2. de Reb. Liturg. cap. 5. nu. 7.* f *Herbert. Lib. 2. de Miraculis cap. 8. pag. 259.* g *Idem ibidem cap. 35. pag. 320.*

h *Card. Bona lib. 1. de Rebus Liturg. cap. 25. nu. 8.* i *S. Bern. Ser. 20 in Cant. nu. 7.* k *Card. Bona Lib. 1. de Rebus Liturg. cap. 25. nu. 8.* l *Baſil. lib. de Spiritu Sancto cap. 27.* m *Auguſt. Tract. 118. in Ioan.* n *Greg. Naz. Orat 1. in Jul. Freculph. lib. 4. Hiſt. cap. 6.* o *Athan. Orat. de Incarnat. Verbi.* q *S. Eliſabeth de Schonaugia Abbatiſſa Ord. Ciſt. Lib. Viarum Domini. apud Card. Bona lib. de Div. Pſalmod. cap. 16. §. 5. nu. 3. & Henriq. in Menol. Ciſt. ad diem 18. Iunii.* r *Card. Bona Lib. 1. de Rebus Liturg. c. 25. n. 8.*

collegit *Antonius Augustinus lib.* 16. Juris Pontificii tit. 14. *Damascenus* (s) *inquit*: Percussit Moyses silicem semel, & bis, non eodem modo, sed ita ut Crucis formam describeret, ut natura etiam inanimata Crucis notam veneraretur. *Hæftenus* (t) *narrat*: Fuit olim infamis stipes, lignum ignominiosissimum, arbor infelix: postquam tamen in ea salus mundi suspensa fuit, omnis illi ignominia detracta est: atque (ut Sybilla apud Sozomenum lib. 2. cap. cecinit) *est lignum felix, in quo Deus ipse pependit.* Ipse enim Rex regum contactu membrorum suorum decorem & honorem huic ligno attulit. *Ludolphus Saxo Carthusianus* (u) *scribit*, Beatam Virginem Mariam primam fuisse, quæ Crucem adoravit. *Joannes Baptista Novatus* (x) *inquit*, à Beata Virgine lignum Crucis, in quo Christus pependit, adoratum fuisse, postquam fuit Christi demortui corpus ab eo depositum. Hanc Virginis religionem erga lignum Crucis contemplatur Divus Bonaventura in suis meditationibus capite 83. ubi Virginem è sepulchro ad Crucem redeuntem describens ait: Cum autem venerunt ad Crucem, ibi genuflexit ipsa, & adoravit Crucem dicens: Hîc requievit Filius meus, & hîc est pretiosissimus Sanguis ejus. Similiter & omnes fecerunt: cogitare namque potes, quòd ipsa prima fuit, quæ Crucem adoravit. *Julianus in Prognostico* (y) *inquit*: Crux ante Christum in die judicii ab Angelis portabitur. *Eminentissimus Cardinalis Bona, spiritualis scientiæ thesaurus, cujus Opera spiritualem doctrinam & cœlestem pietatem redolent, docet nos verbo & exemplo suo salutare Crucem*, (z) *cùm dicat*: Salve Crux bona, splendidior Stellis, Lunâ micantior, rutilantior Sole: quæ tanquam vernantibus gemmis membris ornata Salvatoris, & pretioso Dei Sanguine purpurata super astra cœli felices ramos expandis. Salve lignum electum germinans vitam, fructificans jucunditatem, oleum stillans lætitiæ, balsamum sudans spiritualium deliciarum. Tu salus mundi perditi, tu portus periclitantium, tu justitiæ norma, tu morum disciplina, tu pugnantium virtus, tu vincentium gloria, tu præmium, & corona. O Crux amabilis & dilecta, salva nos omnes tremendo tuo signaculo munitos, ut qui te fieri voluit nostræ redemptionis primarium instrumentum, per te quoque sanctificatos ad suæ gloriæ consortium nos transferat: quatenùs in hac nostra qualicunque pœnitentiæ cruce feliciter consummati, per ignominiam Passionis ejus ad resurrectionis gloriam perducamur. Amen.

s Damasc. Orat. 3. de Imag. t Hæft. Ord. S. Bened. in Schola cordis lib. 4. lect. 10. u Ludolph. lib. de Vita Christi par. 2. cap. 66. x Joann. Bapt. Cleric. Regul. Cruciferorum Lib. 2. de Eminent. Deip. cap. 5. quæst. 11. y Julian. lib. 3. cap. 4. z Card. Bona lib de Div. Psalmod. cap. 16. §. 5. nu. 3.

§. IX.

De mirabili virtute Sacrosanctæ Crucis, quâ excitamur ad recolendam Passionem Christi.

1. Crux tutelaris est, [a] & fidissima Christianorum custodia, & universorum ex adverso occurrentium insultuum profligatrix. Ideò Nicolaus Papa I. (b) in responsione ad Consulta Bulgarorum, eos hortatur exemplo Constantini, (cui dictum est, *in hoc signo vinces*:) ut Crucem ferant in signo militari, cùm priùs caudam equi portarent. *De hoc etiam Consalvus* (c) *sic scribit*: Vexillum nullum potest reperiri præstantius Salvatoris nostri Cruce, dignum sanè quod militaribus signis inserviat. Est enim Crux armatura contra hostes, invicta galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus ab inimicorum telis defendens, gladius nullo pacto propinquare sinens offendere aut lædere volentem: & ut rem paucis concludam, est nostræ salutis causa, & origo, & victoria contra Tyrannum. Meritò ergo Christus hoc loco præcipit Regi contra paganos bellum gerere volenti, ut tale vexillum in exercitu suo erigat: Crucis namque insignia propria sunt vexilla militum, *teste Hieronymo in Epistola septima ad Latam*. Hoc quoque vexillum Constantinus Magnus cum Maxentio pugnaturus erexit, cumquè in hoc signo vicit: jussitquè Labarum Romanorum antiquũ vexillum (quod in exercitu Imperatorem præcedebat, & à militibus adorari solebat) in formam Crucis redigi, ut eo deinceps uterentur exercitûs Duces. Quod eo consilio fecit, ut eum solum verum Deum esse arbitrarentur, quem Imperator, Ducesquè exercitûs colentes propugnatorẽ adversùs hostes adhiberent, utquè milites Crucẽ adorare addiscerent, *sicut scribunt Sozomenus lib. 1. cap. 4. & Nicephorus lib. 7. cap.* 37. Porrò Constantinus hoc salutari signo veluti cõtra hostes invicto propugnaculo semper est usus, *ut annotavit Eusebius in vita Constantini lib. 1. cap. 15. Et lib. 4. cap.* 9. & 8. affirmat eundem Constantinum quinquaginta viros in exercitu delegisse, ut Crucem deferrent. Et qua parte Crucis vexillum visum erat, hostes fugam arripiebant; qui verò illud gestabat, illæsus evadebat, signo Crucis tela excipiente, *sicut refert Sozomenus lib. 2. cap.* 4. Neque solùm Crucis vexillum in militaribus signis insertum erat, verumetiam in ipsorum militum armis insculptum, ut idem Eusebius narrat *in vita Constantini lib.* 4. *cap.* 21. *Hactenus Consalvus.* Quod autem in præliis (d) Crux adversùs crucem congrediatur, portentum est, quod primò apparuit in expeditione Constantini adversùs Magnentium anno Domini 353. Non enim aliis auspicibus tantum nefas debuit inchoare, quàm cùm hæreticus Imperator adversùs Tyrannum decertaret. Non desunt alii testes, & exempla multorum mirabilium,

a Sophron. Patriarcha Ierosolymit. Hom. de Cruce. b Nicol. 1. cap. 33. c Consal. Durant. Episc. Feretr. in Notis ad cap. 43. Libri 8. Revelationum S. Brigittæ pag. pag. 667. d Card. Bona Lib. de Div. Psalmod. cap. 16. §. 5. nu. 3.

bilium, quæ Deo dilecti Viri per signum sanctæ Crucis sunt operati. Nam quis liber, aut quæ pagina Ecclesiasticæ historiæ, aut quæ vita sanctorum hominum legi potest, in quibus non statim invenias salutifero Crucis signaculo expulsos dæmones, profligatos exercitus militares, sedatas tempestates, fugatam pestilentiam, soluta maleficia, evacuatum virus, incendia extincta, interfectos dracones, erectos claudos, cæcos illuminatos, curatas infirmitates, mortuos ad vitam revocatos? Hoc signum S. Crucis [e] & priscis & nostris temporibus clausas januas reseravit, hoc venenorum vires extinxit, hoc cicutæ (*herba venenosa*) vim dissolvit, hoc feroces bestias repressit, hoc lethales serpentum morsus curavit. Etenim si portas inferni perfregit, si cælorum ostia reclusit, si paradisi renovavit ingressum, si diaboli nervos recidit; quid mirum est, si pestifera venena, atroces bestias, aliaquè hujusmodi superavit? Theodosius, & Valentinianus Imperatores gravissimâ pœnâ mulctari debere statuerunt, qui signum Crucis humi pingere sive insculpere præsumerent. *C. L. unic. Nemini licere.*

II. A. 1139. (f) dum Rex Ismarus cum aliis quatuor Regibus, ac propè infinito Maurorum exercitu Lusitaniam depopulandus invadit; primo diluculo Princeps Alphonsus è tentorio egressus, suscipit signum Crucis miræ magnitudinis, & Jesum Christum in eo crucifixum: qui eum benevolè affatus, Scutum quinis vulneribus, interpunctum (quale postea Lusitaniæ Reges in regium Stemma coaptarunt) ostendit & concessit. Igitur Alphonsus Deo duce quinque Reges profligat, & ducenta millia Maurorum, victoriamquè obtinuit. *Hanc Historiam fusè narrat Bernardus de Brito in Chronicis Cisterciensibus tomo primo, libro tertio, capite tertio; sed fusiùs Henriquez* (g) *prosecutus est in suo Fasciculo, ubi totius historiæ seriem describit, referens ipsiusmet Alphonsi testimonium tenoris sequentis*: Ego Alphonsus Portugalliæ Rex, &c. coram vobis bonis viris Episcopo Bracharensi, & Episcopo Connibricensi, &c. in hac Cruce ærea, & in hoc libro sanctissimorum Evangeliorum juro cum tactu manuum mearum, quòd ego miser peccator vidi hisce oculis meis indignis verum Dominum nostrum Jesum Christum in Cruce extensum, in hac forma. Ego eram cum meo hoste in terris ultra Tagum, in agro Auriquio, ut pugnarem cum Ismaële, & aliis quatuor Regibus Maurorum, habentibus secum infinita millia; & gens mea timorata propter multitudinem erat fatigata, & multùm tristis, intantùm ut multi dicerent esse temeritatem inire bellum. Et ego tristis de eo quod audiebam, cœpi mecum cogitare quid agerem; & habebam unum Librum in meo papilione, in quo erat scriptum Testamentum antiquum, & Testamentum Jesu Christi. Aperui illum, & legi victoriã Gedeonis, & dixi intra me: *Tu scis Domine Jesu Christe, quia pro tuo amore suscepi bellum istud contra tuos inimicos, & in manu tua est dare mihi & meis fortitudinem, ut vincamus illos blasphemantes tuum nomen.* Et sic dicens, dormivi supra Librum, & videbam virum senem ad me venientem, dicentemquè mihi: *Alphonse, confide: vinces enim, debellabisquè Reges istos infideles, conteresquè potentiam eorum, & Dominus noster ostendet se tibi. &c.* Ego parui, & reverenter in terra positus, & nuncium & mittentem veneratus sum. Postea ense & scuto armatus, egressus sum extra castra, vidiquè subitò à parte dextra versùs Orientem micantem radium, qui paulatim splendescens crescebat in majus. Et dum oculos ad illam partem efficaciter pono, ecce in ipso radio clarius sole signum Crucis aspicio, & Jesum Christum in eo crucifixum, & ex una & altera parte multitudinem juvenum candidissimorum, quos sanctos Angelos fuisse credo. Quam visionem dum video, deposito ense & scuto, retractisquè vestibus & calceamentis, pronùs in terram me projicio; lachrymisquè abundè missis, cœpi rogare pro confortatione Vasallorum meorũ, dixiquè nihil turbatus: *Quid tu ad me, venis Domine? credenti enim fidem vis augere? Meliùs est, ut te videant infideles & credant, quàm ego, qui à fonte baptismatis te verum Deum, Filium Virginis & Patris æterni agnovi, & agnosco.* Erat autem Crux miræ magnitudinis, & elevata à terra quasi decem cubitos. Dominus autem suavi vocis sono, quem indignæ aures meæ perceperunt, dixit mihi: *Non ut tuam fidem augerem, hoc modo apparui tibi; sed ut corroborarem cor tuũ in hoc conflictu, & initia Regni tui supra firmam petram stabilirem. Confide Alphonse: non solùm enim hoc certamen vinces, sed omnia alia, in quibus contra inimicos Crucis pugnaveris. Gentem tuam invenies alacrem ad bellum, & fortem, & potentem, ut sub Regis nomine in hac pugna ingrediaris. Nec dubites: sed quidquid petierint liberè concede. Ego enim ædificator & dissipator Imperiorum & Regnorum sum: volo enim in te & in semine tuo imperium mihi stabilire, ut deferatur Nomen meum in exteras Gentes. Et ut agnoscant successores tui datorem Regni, Insigne tuum ex pretio quo ego humanum genus emi, & ex eo quo ego à Judæis emptus sum, compones: & erit mihi Regnum sanctificatum, fide purum, & pietate dilectum.* Ego ut hæc audivi, humi prostratus adoravi dicens: *Quibus meritis Domine, tantam mihi annuncias pietatem? Quidquid jubes, faciam: & tu in mea prole, quã promittis, oculos benignos pone, Gentemquè Portugallensem salvam custodi; & si contra eos aliquod paraveris malum, verte illud potiùs in me, & in successores meos, populum verò, quem tanquam filium diligo, absolve.* Annuens Dominus inquit: *Non recedet ab eis, neque à te unquam misericordia mea: per illos enim paravi mihi messem multam, & elegi eos in messores meos in terris longinquis.* Hæc dicens Dominus disparuit: & ego fiduciã plenus & dulcedine redii in castra. Et quòd taliter fuerit, juro ego Alphonsus Rex per sanctissima Jesu Christi Evangelia hisce manibus meis reverenter tacta. Idcircò præcipio successoribus meis in perpetuum futuris, ut Scuta quinque in Crucẽ partita propter Crucem & quinque Vulnera Christi in Insigne ferant, & in unoquoque triginta argenteos, & insuper serpentem

i Moysis

e *Chrysostom. Hom. 55. in Matth.* f *Anton. Vasconzelius in Actis Reg. Lusit. Anacephal. 2.* g *Henriquez in Fasciculo Sanctor. Ord. Cist. lib. 1. dist. 4. cap. 9.*

Moysis ob Christi figuram: & hoc sit memoriale nostrum in generatione nostra. &c. Facta est hæc charta Conimbricæ tertio Kalendas Novembris, Anno 1152. Hactenùs juramentum Regis Alphonsi (h) post tertium decimum annum factum, notatumquè contra morem ex anno Christi, & fermè post quingentos annos in lucem editum. Igitur cùm sacra visio evanuit, (i) Alphonsus extasi & exultatione repletus, ad tentoria unde egressus fuerat rediit, ibi reliquam partem noctis in orationibus & gratiarum actionibus consumpsit. Mane autem facto, milites suos in unum congregatos, cùmquè magna lætitiæ significatione Regem proclamantes ad prælium exhortatus est. Aciebusquè ad pugnam instructis, sacrum Missæ sacrificium celebrari præcepit, quo audito, & sacra Communione percepta, pugnæ signum proponitur, signaquè inferri mandantur. Idem hostes faciunt. Pugnatur ab utrisque acriter pro gloria, pro salute, pro imperio. Maurorum tandem multitudo virtute nostrorum devicta est, magnus ex iis numerus trucidatus, plerique capti, quinque Regum signa in potestatem nostrorum venerunt. Propterea Alphonsus primus Rex Lusitanorũ. (k) qui bellicis operibus & eximiis virtutibus insignis existens, ab ipso Christo cœlestibus favoribus affici meruit, Regiumquè titulum pro se & suis successoribus ab Innocentio Papa II. procurante Sanctissimo Patre Bernardo obtinuit. *Hactenùs de rebus Lusitanis.*

III. Anno 1124. (l) Hierosolymorum Rex Balduinus captus à Saracenis, sed miraculo non minùs insigni, & rei Christianæ longè fructuosiori, libertate donatus est per virtutem Crucis Christi. *Hanc capturam, & libertatem Robertus Sigibertus* (m) *sic describit*: Balduinus Rex Hierosolymorum à Saracenis præventus capitur: qua de re mente excedentes, undiqueversùm evocati ad quadraginta millia conglomerantur, ut Christianos à finibus suis exterminent, & apud Ascalon impedimenta sua commendent. Christiani verò in arcto positi, nihil spei nisi in Deo habentes, exẽplo Ninivitarum utrique sexui jejunium indicunt; pueris etiam lactantibus, infantibus, universo quoque pecori pabula denegantur. Dies pugnæ indicitur: procedunt Christiani cum equitibus & peditibus, vix ad tria millia æstimati: Principes gradiuntur in fronte, scilicet Patriarcha vexillo offerens Crucem Christi, Abbas Cluniacensis Pontius præferens Lanceam transfixam in latere Christi, Episcopus Bethlehemites ferens in pixide Lac Sanctæ Mariæ Virginis. Saraceni verò quaquaversùm effusi, ex omni latere in orbem circumcingunt Christianos, ne quis posset evadere. Dum ita in promptu hærent Christiani, vident Deo sibi auspice splendorem, scisso aëre, super paganos subitò cecidisse; non tamen prosperum, sed satis nocivum, quamvis hunc splendorem ipsi Saraceni non viderint. Illicò enim omnium virium robore enervati, passim fugientes cæduntur non solùm à viris, sed etiam à pueris & fœminis. Perierunt in bello septem millia, submersi sunt in aquis quinque millia: omnes verò Christiani incolumes reversi, summum & dulce epinicium roboant Deo in excelsis. *Hactenùs Robertus de miraculosa illa victoria.* Hic est Balduinus Rex, (n) qui libertati per eam victoriam Regno redditus, amico Dei Bernardo jam tunc celebri, quasi in gratiam suscepti beneficii, locum obtulit Sancti Samuëlis, non longè ab Hierosolymis constitutum, simulquè mille aureos in opus fabricæ: quem Monachi è Claravalle missi inhabitarent. *De hac donatione etiam ipse S. Bernardus in sua Epistola* (o) *sic narrat*: Apud Hierosolymam Rex Balduinus, dum adhuc viveret, locum Sancti Samuëlis donavit nobis, & mille aureos simul, de quibus ædificaretur Ecclesia.

IV. Anno. 1144. (p) salutiferi ligni Crucis interventu, semel, & iterùm salus impetrata religiosiores fideles effecit. *Hanc historiam Guillelmus Tyrius latiùs quidem, sed breviùs ex ipso Baronius* (q) *in hunc modum describit.* Erat Regio tota (scilicet Hierosolymitana) vepribus & frutetis humilibus, cardonibus aridis & sinapis sylvà, veteribus stipulis & frugibus jam maturis obsita. His omnibus ignem subijciunt Saraceni, vento nostris obvio fomitem & vires ministrante. Hinc incendii viciniores afflatu, fumiquè occurrentis nube densissima nostris Christianis ingeminatur molestia. Cùm ecce ad Venerabilem virum Dominum Robertum Nazarenum Archiepiscopum, qui lignum Crucis Dominicæ portabat, omnis populus cum clamore & ululatu conversus postulabat cum lachrymis, dicens: *Ora pro nobis pater, & per hoc vivificæ Crucis lignum quod manibus gestas, in quo nostræ salutis Auctorem Jesum credimus pependisse, erue nos ab his malis, nam diutiùs sustinere non possumus.* Erat autem populus in modum fabrorum ferrariorum officinas exercentium, vento agitante fuliginem, tam facie quàm toto corporis habitu, nigredine factus decolor; & tam æstatis quàm incendiorum caumate duplicato, ad supremum afflictus siti supra vires laborabat. Ad has itaque gementis populi voces Vir Deo amabilis compunctus corde, & animo valdè compatiens, salutare lignum Sanctæ Crucis erigit contra incendia, quæ illi hostes totis viribus procurabant. Et invocato de supernis auxilio, statim adfuit virtus divina; in momento conversis in oppositum flatibus, incendia tetra simul cum fumi caligine in hostes, qui nostrum præcedebant exercitum, se direxerunt: & quæ in nostram paraverant læsionem, in suam viderunt retorta perniciem. Stupent hostes novitate miraculi, & singularem reputant Christianorum fidem, quæ tam præsens à Domino Deo suo pro nobis impetret beneficium. *Porrò audiamus, adhuc alterum potentius miraculum.* Cùm in alia tam inevitabilia Christianorum exercitus incidisset discrimina, ut errarent omnes in invio & non in via, & angustiis locorum intercludendi, ab ingruentibusquè hostibus omnes cædendi essent: prævio ignoto duce, (nempè cælesti

h *Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad annum 1142. cap. 3. nu. 6.* i *Henriquez in Fasc. Sanctor. Ord. Cist. lib. 1. dist. 4. c. 10.* k *Idem in Menol. Cist. ad diem 22. Novemb.* l *Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1124. cap. 1. nu. 5.* m *Rober. Sigiber. continuator Chronicor. ad ann. 1124.*

n *Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1124. c. 1. n. 6.* o *S. Bern. in Epist. 252. n. 1. ad Abb. Præmonstraten.* p *Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1144. cap. 4. nu. 1.* q *Card. Baron. in Annal. Eccl. ad annum 1144. ex Guillel. Tyrio de Bello Sacro lib. 16. cap. 11. 12. & 13.*

cælesti nuncio,) eodemquè signifero per alias vias est securè deductus Hierosolymam usquè. Qui & admirabili perfunctus hocce ministerio, ab omniū mox evanuit oculis. Sicquè sacratissimæ Crucis adminiculo, in expeditione omnium periculosissima, cum Rege omnis exercitus divina virtute est liberatus. *Hactenùs Cardinalis Baronius ex Guillelmo Tyrio.* His tunc miraculis (r) recèns gloriosum lignum Crucis Hierosolymorū Patriarcha pro hoc beneficio accepto veneraturus cum Bernardo divisit, transmisso fragmento in Claravallem: ut vel pars salutis tribueretur illius meritis, qui non cessabat orare pro victoria; seu sacro ligno vicem qua posset redderet, transmissa parte in eam mundi plagam, ubi religiosiùs reverentiùsquè veneraretur. *De hoc autem munere ipse Sanctus Bernardus in sua Epistola responsiva (s) ad literas Patriarchæ Hierosolymitani ita scribit*: Patriarchalibus scriptis sæpiùs visitatus, ingratus jam videbor, si non rescripsero. At si saluto eum qui me salutavit, quid amplius feci? Tu enim me prævenisti in benedictionibus dulcedinis, tu me prior dignatus es tuis transmarinis epistolis visitare, tu mihi primas humilitatis charitatisquè præripuisti partes: quid dignum jam referam? Nihil mihi denique reliquisti, quod pari queam rependere vice: qui etiam de thesauro sæculorum mihi impertire curasti, id est de ligno Crucis Domini. &c.

V. Anno 1188. [t] Clemens Papa III. statuerat, ut ab universali Ecclesia fieret sine intermissione oratio ad Dominum pro pace, & liberatione Jerusalem & Christianorum captivorum, qui in vinculis Saracenorum detinebantur. Deinde, ne vocali orationi deessent opera, aut animal pennatum sine manibus juxta exemplar à Domino monstratum inveniretur: provisum item fuit, ut potentissimi Galliæ & Angliæ Reges depositis, quibus offensi invicem erant, pristinis simultatibus, convenirent in unum; & junctis viribus in Orientem properare affectuosè disponerent, Crucem, Templum Jerosolymitanum, & Dominicum Sepulchrum (si Deus annuat] de manibus impiorum liberaturi. Et acceptâsse Christus visus est utriusque Regis obsequium, signo Crucis in aëre ostenso super utriusque caput, dum Crucem susciperent in die Sanctæ Agnetis, Galliæ & Angliæ Episcopis palàm adstantibus, Proceribusquè, ut Rogerius Hovedenius in Annalibus Angliæ ad hunc annum testificatur. *Hactenus Manrique in Annal. Cist.*

VI. Anno 1210. (a) in expugnatione Castri Minervæ rebellium hæreticorum, contigit miraculum Tolosæ à multis visum hoc ipso tempore, quod Petrus Valsarniensis in Historia Albigensi capite 38. narrat in hæc verba: Miraculum illud quod contigit apud Tolosam, dum esset Comes noster in obsidione Castri Minervæ, hìc duximus inserendum. In Civitate illa propè palatium Comitis Tolosæ est quædam Ecclesia fundata in honorem B. V. Mariæ: parietes autem illius Ecclesiæ de novo erant forinsecùs dealbati. Quodam autem die ad vesperum cæperunt videri infinitæ Cruces in parietibus ipsius Ecclesiæ circumquaque, quæ videbantur quasi argenteæ, ipsis parietibus albiores. Erant enim Cruces semper in motu apparentes, quæ subitò statim non videbantur. Siquidem multi eas videbant, sed aliis ostendere non valebant. Ante enim quàm posset digitum levare quis, disparuerat Crux quam volebat ostendere: nam in modum coruscationis apparebant, nunc majores, nunc mediæ, nunc minores. Duravit visio ista ferè per quindecim dies, singulis diebus ad vesperam. Itaque ferè omnis populus civitatis Tolosæ hæc viderunt. Accidit autem Deo disponente, (b) quòd Capellanus prædictæ Ecclesiæ Cruces videre non potuit prænotatas: quadam igitur nocte intrans ipsam Ecclesiam, dedit se in orationē, rogans Dominū, ut sibi etiam dignaretur ostendere hoc quod viderant fieri omnes. Subitò autem vidit innumerabiles Cruces, non in parietibus, sed in aëre circumfuso: inter quas una Crux cæteris major & eminentior cunctis erat. Mox egrediente majore Cruce de Ecclesia, omnes egressæ sunt post illam, cæperuntquè recto cursu tendere versùs portas Civitatis. Sacerdos autem vehementissimè stupefactus, Cruces illas sequebatur: & dum essent in ingressu Civitatis, visum est Sacerdoti, quòd quidam tendens in Civitatē reverendus & decorus aspectu, evaginatum tenens gladium, Crucibus illis præbentibus ei auxilium, quendam magnum hominem egredientem de Civitate in ipso ingressu interfecit. Sæpedictus itaque Sacerdos factus exanimis præ timore, cucurrit ad Dominum Vticensem Episcopum, procidensquè ad pedes ejus, istud sibi per ordinem enarravit. *Hactenus ille.*

VII. Anno 1211. (c) memorat Petrus Valsarniensis in Historia Albigensi capite quinquagesimo primo id quod non licet silentio præterire, divinâ providentiâ esse effectum, ut, quia obsessi Castri Vaurensis irrisissent signum Crucis, in ejus die Festo (mense nimirùm Majo) & caperetur Castrum, & præcipui ex propugnatoribus ejusdem Castri trucidarentur. Quadam die *(inquit Petrus)* erexerunt nostri propè murum Castri castellum quoddam de lignis, in cujus summitate Christi milites posuerunt signum Crucis. Adversarii verò ad Crucis vexillum instantiùs cum machinis jacientes, inde supradictæ Crucis brachium confregerunt: statimquè canes impudentissimi tantum emiserunt ululatum pariter & cachinnum, ac si de confractione Crucis maximam victoriam reportarent. Sed dedicator Crucis injuriam istam miraculosè & manifestissimè vindicavit. Contigit autē non multò post res mirabilis, & mirificè extollenda: Cruce suas injurias vindicante, in festo S. Crucis capti fuerunt. Mox eductus de Castro Aymericus, (d) qui fuit Dominus Montis Regalis, suspensus est patibulo, & alii milites ejus octuaginta occisi sunt. Domina verò Castri (quæ erat soror Aymerici] hæretica pessima, in puteum projecta lapidibus obruta est. Innumerabiles etiam hæreticos peregrini nostri cum ingenti gaudio combusserunt. *Hae Petrus Valsarniensis.*

VIII. An. 1212. (e) Cisterciensibus prædicantibus

r *Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad an. 1144. cap. 4. n. 4.* s *S. Bern. inter suas Epistolas Epist. 174.* t *Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1188. cap. 1. n. 2.* a *Ibid. ad ann. 1210. cap. 1. n. 11.*

b *Ibidem nu. 12.* c *Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad annum 1211. cap. 1. nu. 8.* d *Ibid. n. 9.* e *Idem ad ann. 1212. cap. 2. n. 1.*

per Galliam contra hæreticos, cùm Abbas Bonævallis Rutinensis multos Cruce signaret ad bellum sacrum, ingens in cœlo miraculum apparuit, quod ab eodem Petro Valsarniensi in Historia Albigensi capite sexagesimo memoriæ proditum, nequaquam licet silentio præterire. Miraculum, *inquit*, quod contigit ipso tempore in Diœcesi Rutinensi, noluimus hîc præterire. Prædicabat namque quadam die Dominica in quodam Castro Abbas quidam de Bonavalle Ordinis Cisterciensis: Ecclesia autem modica erat, & non poterat capere populum qui aderat; qua de causa egressi erant omnes, & ante fores Ecclesiæ prædicationem Abbatis audiebant. Circa finem verò prædicationis, cùm Venerabilis Abbas vellet hortari populum qui aderat, super assumendis Crucibus contra Albigenses, subitò videntibus cunctis apparuit Crux in aëre, quæ versùs partes Tolosanas tendere videbatur. Miraculum istud audivi ab ore dicti Abbatis, Viri religiosi, & grandis authoritatis. *Hæc Petrus Valsarniensis.*

IX. Anno 1212. (f) Alphonsus Rex Castellæ Innocentio Papæ III. scribit de suscepta expeditione contra Saracenos, & de Calatrava expugnata, cæterisquè, & de Catholici exercitus (Rustico quodam ducente) dispositione. Rusticum hunc, (g) à quo ductus est exercitus, Genium de cœlo missum qui putarent nequaquam defuêre, eò quòd postmodùm quæsitus non comparuerit. Multum ad victoriam contulisse signum Crucis, vario colore in aëre sub ipsum conflictum visum esse quidam scribunt: negant alii argumentando, quòd Rodericus Præsul Toletanus de re tanta nihil meminit, ne Rex quidem ad Innocentium in iis literis, quas de belli summa conscripsit. Convenit Paschasium (Toletanus is Canonicus erat, deinde Decanus, extatquè sepulchrum ejus in Sanctæ Luciæ sacello Templi maximi Toletani) Crucem, quam Roderico Præsuli de more præferebat insignem, per cuneos hostium semel & secundò circumtulisse, evasisseque incolumem, tametsi telis omnibus petebatur, multæquè sagittæ Crucis hostili confixæ sunt. *Certè hoc ultimum Toletanus Præsul scribit*: Crux verò Domini, quæ coram Toletano Pontifice consueverat bajulari, præferente eam Paschasio Canonico Toletano, per Agarenorum acies miraculosè transivit, & ibidem illæso baculo, sine suis usque ad finem belli, sicut Domino placuit, perduravit. *Hactenus Manrique ex Regest. Vatic. lib. 11. cap. 24.*

X. Anno 1183. (h) B. Walterus de Bierbach, sanguinis splendore, & sanctitatis titulo celeberrimus, sæculari militiæ valedicens, in Monasterio Hemmenrodensi Ordinis Cistersiensis cœnobiticam vitam Conversorum amplexus est. Cùm adhuc sæculari militiæ deditus esset, (i) Deiparam pio affectu colebat, ab ipsaquè singulariter dilectus, singularibus etiam favoribus meruit insigniri. Cùm enim aliquando sacrificio Missæ interesset, & Sacerdos post consecrationem Calicem more solito elevâsset, vidit juxta ipsum Calicem Crucem auream miri decoris, & chartulam hæc verba continentem: *Crucem hanc defer ex parte mea* (Maria inquit Mater Christi) *amico meo Waltero militi propè Bierbach.* Quam cùm Sacerdos legisset post completionem Missæ, pulpitum ascendit, & clamavit: Estne aliquis hîc miles, qui vocatur Walterus de Bierbach? Respondensibus quibusdam, Ecce hic est. Sacerdos eum seorsùm duxit, Crucem porrexit, & ubi illam invenerit, vel quis miserit, intimavit. Quam lætus suscipiens, in Hemmenrode conversus eam Abbati consignavit. Cujus aurum tanti fulgoris erat, ut omne aurum in ejus palesceret comparatione. *Hactenus Henriquez, ex Cæsario, cujus verba per extensum refert Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1183. cap. 5. n. 4. & 8.*

XI. Ante annum 400. & ampliùs, (k) Caravaca Urbs Regni Murciæ adhuc Agarenis parebat, dum Rex barbarus à Sacerdote ergastulis suis educto, rem divinam se spectante vult peragi. Igitur ipso Inventionis Sanctæ Crucis die festo, dum Sacris operaturus ad Altare consistit Sacerdos, Cruxquè ejusmodi mysterio ritibusquè adhiberi solita deest; ecce ex fornice, qui Altari imminet, dehiscente magnus è vestigio splendor effulget, & per hiatum patentem duo Angeli de cœlo Crucem deferentes, super Ara parata ritè deponunt. Stupet Rex Agarenus cum Proceribus suis, fidemquè complexus, augusto Sacello intra arcem constructo, cæleste donum pretiosæ arcæ servandum includit. Idem ipsum citra cariem & putredinem inde usque illæsum, quotannis publicâ pompâ, innumeris hominibus undique circumfluentibus ad fontem defertur: cujus ille sacer fons attactu plurimos variâ ægritudine detentos pristinæ restituit sanitati. *Hæc Gretserus, ex Ciaccono.*

§. X.

De Eucharistica Liturgia, qua excitamur ad recolendam Passionem Christi.

I. Sicut Reges & Magistratus (a) non vulgari & quotidiano vestitu in publicis functionibus uti solent, sed alio augustiore, quo potestas eorum appareat, & ipsis reverentia concilietur: ita Sacerdos celebraturus sacro & peculiari utitur habitu, Amictu scilicet, Albâ, Cingulo, Manipulo, Stolâ, Casulâ sive planetâ, quibus & Passio Christi ante sacrificium recolenda repræsentatur. *Amictus* velamen illud significat, quo facies Christi velata est, cùm percutiebant eum illudentes & dicentes: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Alba* vestem albam denotat, quâ ab Herode tanquam stultus indutus fuit. *Cingulum* significat funes, quibus in horto vinxerunt eum; sive flagella, quibus columnæ alligatum crudelissimè cæciderunt. *Manipulus* denotat vincula, quibus adstrictæ sunt manus ejus tanquam hominis nefarii & scelerati. *Stola* significat funes collo ejus injectos, sive Crucis patibulum humeris ejus

f *Manriq. in Annal. Cister. tom. 3. ad annum 1212. cap. 4. n. 1. 2. & seqq.* g *Idem ibidem nu. 11.* h *Henriquez in Menol. Cist. ad diem 22. Ianuarii* i *Idem ibidem in Annot. ex Cæsario Heisterbacens. lib. 7. cap. 39.*

k *Gretserus Paralip. lib. 2. de Cruce, ex Ciaccono lib. de signis Crucis cap. 35.* a *Card. Bona in Tract. de Sacrificio Missæ cap. 5. §. 2.*

ejus impositum, & in quo pro nobis pependit. *Planeta* denotat vestem purpuream, quam ei milites in domo Pilati tanquam ludicro Regi imposuerunt. Quem ritum Catholica Ecclesia (b) ab Apostolis acceptum usq; ad nostram transmisit ætatem, quamvis in vestium numero & forma aliquid fuerit successu temporis immutatum. Præcesserat hujus rei typus in veteri Testamento: nam Sacerdotibus & Levitis specialia vestimenta certis ritibus & ceremoniis consecrata in usu erant, cùm legales Deo victimas immolabant. Quorum antitypum in Ecclesia reperiri congruum fuit, ut habeant legales umbræ aliquid sibi respondens non solùm in cœlestibus exemplaribus, ad quæ jussit Deus omnia fieri; sed etiā in rebus nostris, quæ (ut ait Dionysius in Ecclesiastica Hierarchia) partim sunt typi cœlestium, partim Mosaicarum umbrarum corpora, testante Apostolo ad Hebræos capite decimo, quòd habuerit lex umbram futurorum. Cùm autem hæc indumenta signa sint eorum, (c) quæ Christus pro nobis perpessus est, varii actus à Sacerdote, dum illis induitur, eliciendi sunt, amoris, doloris, gratitudinis, & intensissimi desiderii ejus patientiam & humilitatem imitandi in doloribus, affectionibus, oppobriis, aliisquè adversitatibus sustinendis. Sacerdos denique, (d) cùm ad Sacrum faciendum se præparat, fasciculum sibi colligat ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini, & inter ubera sua collocet, cordisquè medullis inserat, mente & affectu sedulò revolvens omnia tormenta, quæ Dominus Jesus pro salute nostra perpessus est. Hæc frequenter in ore, hæc semper in corde habeat: & hæc sit ejus sublimior philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum. Quid enim tam efficax (e) ad curanda conscientiæ vulnera, necnon ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? Meditatio ruminet livores vulnerum, (f) fixuram clavorum, lanceam, persecutorum sævitiam, mortem turpissimam, & corporis sepulturam. Oratio fundat suspiria, piæ devotionis stillet aromata, tota resolvatur in lamenta.

II. Apparatus mensæ Eucharisticæ, (g) non hominis est, sed fidei: non factoris, sed mysterii: non temporalis alimenti, sed æterni. *Altare* cui assistit Sacerdos, repræsentat Crucem, quam pro nobis sustinuit Christus: *Calix* sepulchrū, in quo mortuus quievit: *Patena* lapidem superpositum: *Corporale* sudarium: *Substratoria* Corporalis repræsentant linteamina, quibus involutus fuit. *Hostia* quam videmus, jam non est panis, sed Caro illa quæ pependit in Cruce pro mundi vita. Sanè mutatio ista benedictionis opus est, non originis. Virtus hoc facit, non usus: effectus est potentiæ, non usus naturæ: dignatio est, non ratio. Vix fieri poterit (h) ut non attentè & devotè ac reverenter celebres, quisquis es sacerdos Christi; si fide viva hanc veritatem perceperis, & intimo sensu apprehenderis te ipsum Christum offerre, Unigenitum Dei Filium, Salvatorem & Judicem tuum. Sed huic veritati magnum momentum ex hoc accedit, quòd perfectiorem Christi humanitatem nunc in Missa Deo offers, quàm ipse obtulerit in ultima Cæna. Nam *primò* Christus mortalem obtulit, tu immortalem: ille passibilem, tu impassibilem. *Secundò* nunc eadem humanitas offertur cum plena pro nobis satisfactione: omnia siquidem ipsiùs merita ejusdem morte completa sunt. *Tertiò*, quia humanitas Christi etsi à principio sanctificata fuit in unione hypostatica, cùm tamen in passione oblata est Deo, novam acquisivit sanctificationem, ut hostia scilicet tunc actualiter exhibita, & nunc offertur in Missa hac nova sanctificatione exornata. Adde quòd Christus mirabiliori modo in Sacramento existit quàm in cœlo. Totum enim ejus Corpus in totis speciebus est, & totū in qualibet minima earum parte sine quantitate coëxtensa ad locum; ita ut ejus præsentia nec quidem à supremis Spiritibus per principia naturalia naturaliter videri possit. In hoc denique incruento Sacrificio cruentum illud, (i) quod semel in Cruce peractum est, non verbis sed re ipsa repræsentatur: una siquidem & eadem est hostia, idem qui per Sacedotis ministerium offert, idem Christus qui immolatur. Sicut enim dicitur Agnus occisus ab origine mundi, eò quòd mortuus censeatur in figuris animalium, quæ in ipsius memoriam mactabantur: ita non immeritò eundem vocare possumus Agnum, qui quotidiè occiditur usque ad finem mundi, in hac nimirùm suæ mortis repræsentatione, quæ duratura est, donec mundus durabit. Inde est, (k) quòd sicut quodam modò immolatur Christus adhuc quotidiè, donec mortem ejus annunciamus: sic videtur & nasci, dum fideliter repræsentamus ejus Nativitatem. Idè sancti Patres (l) mortis Christi memoriam hoc sacrificium celebranti super omnia necessariam esse affirmant, dicente Apostolo: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*. Hoc ipsum autem idem Salvator noster præcepit, cùm instituto hoc Sacramento ait: *Hoc facite in meam commemorationem*. O summè pia & verè suavis memoria, (m) annunciate mortem Domini donec veniat. Mors Christi opus sine exemplo, humilitas sine modo, donum sine pretio, & gratia sine merito. Hanc propter nos subire voluit, qui peccata nostra super lignum sustinuit in cruce sua, scilicet pœnam peccatorum: cujus livore sanati sumus. Novit quicunq; rectè sapit, (n) quantum Christianæ pietati expediat, quantum Dei servum deceat sacrosanctæ passionis ipsius fideliter recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, ad recondendum pleniùs per imitationem in memoria: quod est spiritualiter manducare Corpus Domini, & Sanguinem ejus bibere, ob amorem & reverentiam ejus, qui credentibus in se præcepit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*.

III. Cùm hoc sacrificium (o) Christi passionem & mortem repræsentet, veluti quædam imago & actio tragica est, non verbalis, quales sunt Poëtarum Tragædiæ, sed realis & substantialis, exprimens

b *Idem lib. 1. de Rebus Liturg. cap. 24. n. 1.* c *Idem Card. in tract. de Sacrif. Missæ cap. 5. §. 2.* d *Idem ibidem cap. 4. §. 13.* e *S. Bern. Ser. 62. in Cant. num. 7.* f *Idem Ser. in fer. 2. Paschæ nu. 2. tom. 6. pag. 717.* g *Idem ser. de excell. Sacram. n. 11. tom. 6. pag. 737.* h *Card. Bona in Tract. de Sacrif. Missæ cap. 3. §. 5.*

i *Idem ibidem cap. 4. §. 13.* k *S. Bern. ser. 6. in vig. Nat. Dom. n. 6.* l *Card. Bona in Tract. de Sacrif. Missæ cap. 4. §. 13.* m *S. Bern. ser. de excellent. Sacram. num. 6. tom. 6. pag. 735.* n *Idem Ser. 2. in Cœna Dom. nu. 9.* o *Card. Bona in Tract. de Sacrif. Missæ cap. 3. §. 5.*

mens incruentè passionem illam & mortem cruentatam, ex qua omnia bona tua, [dilecte Dei sacerdos] & aliorum, omnesquè thesauri divinæ gratiæ profluxerunt. Solerter itaque adverte, quàm fervida devotione tanti boni repræsentatio à te fieri debeat. Sunt spectatores hujus Tragædiæ Sanctissima Trinitas, Humanitas Christi in cœlo, Angeli, & Animæ beatæ: cave ne quid ineptum & indecens in te appareat, quod Dei ac cælestium Civium purissimos oculos possit offendere. Id verò assequeris, si perpetuam in teipso corporis afflictionem, & passionum mortificationem expresseris, vivamquè memoriam in te conservaveris acerbissimorum Christi cruciatuum, quos hoc sacrificio commemoras & repræsentas. Attende quantum Deus tuus te extulit, (p)quantum præ omnibus creaturis sublimavit. Oratio tua munda sit, quia datur locus voci tuæ in cœlo, cùm ritè assistis sacris Altaribus, cùm sanctissimum Mysterium cælestis sacrificii celebrare intendis. Ad vocem tuam prolatam, ad verbum tuum vivificum, ad postulationem tuam salutarem, Summus Pater dulcissimum Filium suum deponit, & manibus tuis imponit; transmitit ab altissimis, & digitis tuis immittit. Verus est enim Filius Dei, (q) quem tu sacerdos immolas, quem manibus attrectas, quem ore sumis, quem in corpus tuum transmittis. Sed non sola ad te venit illa Majestas: venit ad te Filius, sed non sine Patre. *Qui me misit*, inquit, *mecum est, & non me reliquit solum*. Venit ad te Filius, sed non sine Spiritu Sancto. Quid enim ait Joannes: *Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, ipse est Christus?* Super alios descendit Spiritus Sanctus, sed non semper manet. Super Christum verò semper mansurus descendit. Adest nihilominùs totus supernorum exercitus Civium: *Millia* [inquit Propheta] *millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. Semper enim Angeli licet sint administratorii spiritus, & in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, vident tamen faciem Patris, semper assistunt vultui Majestatis, in quem desiderant prospicere. Quanta luce credis te circumfundi sancte sacerdos, in præsentia tantæ Majestatis, in tam solemni adventu Trinitatis, & totius militiæ cælestis? Quantam æstimas claritatem adesse, & inesse toti curiæ cœlesti? Tantam nimirùm quantam ferre non posses, nisi virtus Altissimi tuæ infirmati ad ferendum obumbraret. Attende igitur, [r] & semper in mente habe: jugi memoria retine gratiam tibi singulariter à Deo collatam, quam nec Angelis præstitit, nec cæteris hominibus cōcessit. Panis enim in manibus tuis in Corpus Unigeniti Filii Dei transsubstantiatur: Vinum in sanctissimum Sanguinem Domini nostri Jesu Christi tua benedictione convertitur. Panis iste [s] per excellentiam dicitur *Eucharistia*, id est bona gratia. In hoc enim Sacramento non solùm quælibet gratia, sed ille à quo est omnis gratia, sumitur. Christus enim pro salute totius mundi semel factus est Hostia salutaris, reconciliatio generalis, omnibus Sacramentis tam præcedentibus quàm subsequentibus virtutem dedit, & efficaciam, ut tanta & tali Hostia sanctificarentur omnes liberandi per illam. Mira sunt, (t) quæ de Sacramento Eucharistiæ dicuntur. Fides est necessaria: scientia rationis est supervacua. Scientia ratione & intellectu colligitur: fides sola auctoritate inducitur. Unde Augustinus contra Felicianum ait: *Hoc fides credat, intelligentia non requirat: ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare*. Hæc sunt quæ fidem necessariò exigunt, rationem omninò non admittunt. Expetunt simplicem creditorem, arguunt impium discussorem. Et ideò credi oportet simpliciter, quod investigari non potest utiliter. Cùm autem unum sit Sacramentum, (u) tria ibi discreta proponuntur, scilicet species visibilis, veritas Corporis, & virtus gratiæ spiritualis. Aliud est species visibilis, quæ visibiliter cernitur. Aliud est veritas Corporis, quæ sub visibili specie invisibiliter creditur. Atque aliud est gratia spiritualis, quæ cum Corpore & Sanguine visibiliter & spiritualiter percipitur à solis dignè communicantibus. Tria quippè in Sacramento Altaris attendere debemus: speciem panis, veritatem carnis, virtutem gratiæ spiritualis. Usque ad speciem panis sensus pertingit exterior: ad veritatem carnis fides interior: ad virtutem gratiæ spiritualis charitas superior. Speciem panis Christianus recipit etiam pessimus: virtutem gratiæ spiritualis nonnisi prædestinatus recipit. Quod itaque videmus, species est panis & vini. Quod autem sub specie illa credimus, verum Corpus est & verus Christi Sanguis, quod pependit in Cruce, & qui fluxit de latere ejus. *Sed hoc exemplis magis perspicuum fiet.*

§. XI.

De variis documentis, quibus ostenditur, præsentiam Corporis Christi realiter existere in Sacramento Eucharistiæ, in memoriam Passionis suæ.

I. ANno 1123. *indignè communicans, non potuit glutire sacram Hostiam, nisi absolutus à Sancto Bernardo*. Agebatur solemnitas quædam præcipua, (a) & Frater aliquis, quem pro secreta culpa ab Altaris communione suspenderat, notari timens, & roborem non sustinens, ad manum ejus cum cæteris nimiùm præsumptuosus accessit. Intuitus autem eum, quoniam causa latens erat, repellere hominem noluit; sed intimo corde orabat Deum, ut de tanta præsumptione meliùs aliquid ordinaret. Itaque sumens homo Eucharistiam non poterat ad interiora trajicere, & diu multùmquè conatus cùm nullo modo prævaleret, anxius & tremebundus clausam ore servabat. Expletâ denique horâ orationis Sextâ, Patrem sanctum traxit in partem, cujus pedibus advolutus, cum multis ei lachry-

p S. Bern. Tract. de 3. præcip. myst. cap. 8. nu. 24. q Ibidem nu. 25. r Ibid. cap. 9. nu. 26. s S. Ber. Ser. de excell. Sacram. n. 4. t Ibid. nu. 12. u Ibid. nu. 15. a Guillel. Abb. Lib. de vita S. Bern. cap. 11. nu. 51. c. 15.

lachrymis quod patiebatur aperuit, & aperto ore ipsam quoque Eucharistiam ostendebat. Increpans autem eum confitentem absolvit, & ex eo sine difficultate recepit Dominica Sacramenta. *Hactenùs Guillelmus Abbas: cujus verba refert Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1123. cap. 2. num. 3.*

II. *Eodem anno* [b] quidam Monachus hujus S. P. Bernardi per fallacias dæmonum, & per proprii sensus simplicitatem in tantam cordis inopiam devenerat, ut diceret panem & vinum aquâ mixtum, quæ proponuntur in Altari, nequaquam transsubstantiari posse in verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Quapropter eadem vivifica Sacramenta, tanquam nihil profutura sibi sumere despiciebat. Notatus denique à Fratribus quòd Sacramentis Altaris non participaret, convenitur secretò à Senioribus suis. Requisitus causam non negat, dicens, Sacramentis se nequaquam fidem adhibere. Quibus dum docentibus & monentibus non acquiesceret, nec sanctarum Scripturarum testimoniis in medium prolatis crederet: ad Venerabilem Abbatem res delata est. Cùmque vocatus venisset, & Abbas Sanctus secundùm datam sibi sapientiam, infidelitatem illius confutaret, ille respondit: Ego nullis assertionibus ad hoc potero induci, ut panem & vinum quæ in Altari proponuntur, credam verum Corpus & Sanguinem esse Christi, & propterea scio me in infernum descensurum. Quod audiens Vir Dei, sicuti semper in rebus arduis solebat mirabilem ostendere virtutem, dixit: *Quid? Monachus meus in infernum descendet? absit. Si tu fidem non habes, per virtutem obedientiæ præcipio tibi, vade, communica in fide mea.* Constrictus itaque virtute obedientiæ penitùs sine fide [ut sibi videbatur] ad Altare accessit & communicavit, & per virtutem obedientiæ Sanctique Patris merita confestim illuminatus, fidem Sacramentorum recepit, quam etiam intemeratam usque in diem mortis suæ conservavit. *Hactenùs Auctor Exordii magni: cujus verba refert Manrique loco supra citato.*

III. *Anno 1125. maleficiis virum pauperem affligens dæmon, Eucharistiâ superpositâ fugaturà Sancto Bernardo. De hoc miraculo Guillelmus* (c) *sic narrat.* Virum pauperem non longè à Monasterio habitantem uxor adultera maleficiis cruciabat. Sicut enim ei in ira & furore fuerat comminata, egerat per malignas incantationes, ut miser homo consumptis carnibus nec posset mori, nec vivere sineretur. Sæpiùs denique & vocis usum, & sensum omnem corporis amittebat; iterùmque redibat non ad vitam, sed ad mortem prolixiorem crudeliter revocatus. Adducitur tandem homo ad Virum Dei in Monasterio demorantem, & ei tragœdia miserabilis explicatur. Qui vehementer indignans, antiqui hostis malitiam tantum sibi in Christianum hominem usurpâsse, vocans duos è Fratribus, ante sanctum majus Altare hominem deportari, ibique superposito capiti ejus vasculo Eucharistiam continente, in ipsius Sacramenti virtute, à læsione Christiani hominis jubet dæmonem prohiberi. Factum est ut præcepit: & miserum hominem post tantos cruciatus fides perfecta perfectæ reddidit sanitati. *Hactenùs Guillelmus: cujus verba citat Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1125. cap. 3. num. 3.*

IV. *Anno 1134. Sanctus Bernardus corporali Christi Domini in Sacramento Eucharistiæ præsentiâ expulit dæmonem à quadam matrona Mediolanensi. De hoc Bernardus Abbas Bonavallis* [d] *ita scribit:* Maxima quidem ei [*Sancto Bernardo*] in curationibus ægritudinum gratia, sed in dæmonibus elimandis frequentior operatio erat: quia copiosior vexatorum numerus ad experta subsidia concurrebat. Inter eos igitur qui vexabantur, erat mulier grandæva Civis Mediolanensis & honorata matrona, quæ usque ad Ecclesiam B. Ambrosii post Beatum Bernardum à multis tracta est: in cujus pectore pluribus annis diabolus sederat, & jam ita suffocaverat eam, ut visu & auditu & verbo privata, frendens dentibus, & linguam in modum promuscidis elephantinæ protendens, monstrum non fœmina videretur, &c. Hanc cùm accepisset Vir Dei Bernardus, cognovit inhærentem ei & invisceratum diabolum, nec facilè egressurum de domo quam tanto tempore possederat. Conversus ad populum (cujus innumera erat multitudo) orare jubet attentiùs, Clericis autem & Monachis secum juxta Altare consistentibus jubet mulierem ibidem constitui & teneri. Illa verò reluctans, & vi diabolica non naturali virtute reluctans, (non sine aliorum injuria) ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mansuetè ille contempsit: & ad expulsionem non indignatione iræ, sed pacifica & humili supplicatione Deum invocat adjutorem: & ad immolationem Hostiæ salutaris accedit. Quoties tamen eandem sacram Hostiam signat, toties ad mulierem quoque conversus, eodem signo Crucis edito spiritum nequam Athleta fortis impugnat. Nam & ille malignus spiritus, quoties adversùs eum signum Crucis intenditur, percussum se indicans acriùs sævit, & recalcitrans contra stimulum, quidnam toleret tunc prodit invitus. Expleta autem oratione Dominica, efficaciùs hostem aggreditur Vir beatus. Patenæ siquidem calicis Sacrum Domini Corpus imponens, & mulieris capiti superponens, talia loquebatur: *Adest, inique spiritus, Judex tuus, adest summa potestas; jam resiste si potes. Adest ille qui pro nostra salute passurus,* Nunc, *inquit,* princeps hujus mundi ejicietur foras. *Hoc illud Corpus est, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite Crucis extensum est, quod in tumulo jacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cælum. In hujus ergo Majestatis terribili potestate tibi spiritus maligne præcipio, ut ab hac ancilla ejus egrediens, contingere eam deinceps non præsumas.* Cùmque eam invitus deserens, & manere ultra non valens, atrociùs afflictaret, tam magnam iram, quàm modicùm tempus habens: rediens Pater sanctus ad Altare, fractionem Hostiæ salu-

b *Auctor Exordii magn. Ord. Cist. lib. 2. cap. 6. & lib. 7. de Vita S. Bernard. cap. 6.* c *Guillel. Abb. lib. de Vita S. Bernard. cap. 10. num. 49.*

d *Bern. Abb. Bonæval. libro de vita S. Bern. cap. 3. cujus verba refert Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1134. cap. 3. num. 4.*

salutaris ritè complevit, diffundendamquè in populum pacem ministro dedit: & confestim salus integra reddita est mulieri. Sic ille nequam spiritus, divina mysteria quantæ sint efficaciæ & virtutis, non confessione, sed fugâ coactus ostendit. Fugato diabolo mulier (quam in tantorum sartagine tormentorum carnifex pestilens tanto tempore frixerat) mentis suæ compos effecta, redditis sibi sensibus & ratione, revolutâ intra fauces linguâ, Deum confessa gratias egit; & intuita curatorem suum, pedibus ejus advoluta est. Ingens per Ecclesiam attollitur clamor, omnis ætas jubilat Deo, personant æramenta, benedicitur ab omnibus Deus; excedit veneratio modum, & servum Dei supra hominem (si dici fas est) liquefacta charitate Civitas veneratur. *Hactenùs Abbas Bonævallis.*

V. *Anno 1135. Sanctus Bernardus Eucharistiâ manibus apprehensâ, Guillelmum Aquitaniæ Ducem solo prosternit, proferens sententiam, ut eam statim exequeretur. Hanc Historiam Bernardus Abbas Bonævallis testis oculatus* (e) *ita describit*: Diu per Internuncios protractus est sermo: & dum vicissim verbis se mutuò occupant, Vir Dei efficaciora arma arripiens, ad Altare sanctum oblaturus & supplicaturus accedit. Intraverant Ecclesiam multi, quibus licebat divinis interesse Mysteriis. Comes verò sustinebat præ foribus, *scilicet Guillelmus Dux Aquitaniæ*. Peractis igitur consecrationibus Hostiæ, & pace data & diffusa in populum, Vir Dei jam non se agens ut hominem, Corpus Domini super patenam ponit & secùm tollit, ignea facie & flameis oculis non supplicans, sed minax forâs egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem, inquiens: *Rogavimus te, & sprevisti nos: Supplicavit tibi in altero, quem jam tecum habuimus, Conventu servorum DEI ante te adunata multitudo, & contempsisti. Ecce ad te processit Filius Virginis, qui est caput & Dominus Ecclesiæ, quem tu persequeris. Adest Judex tuus, in cujus Nomine omne genu curvatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Adest Vindex tuus, in cujus manus illa anima tua deveniet. Numquid & ipsum spernes? numquid & ipsum, sicut servos ejus, contemnes?* Lachrymabantur universi qui aderant, & orationibus intenti præstolabantur exitum rei: & omnium suspensa expectatio, nescio quid divinum fieri cælitùs expectabat. Videns Comes Abbatem in spiritu vehementi procedentem, & Sacratissimi Domini Corpus ferentem in manibus, expavit & diriguit: membrisquè tremebundis metu & dissolutis, quasi amens solo provoluitur. Elevatus à ministris rursùm in faciem ruit, nec quidpiam alicui loquens, aut intendens in aliquem; saliuis in barbam defluentibus, cum profundis ejulans gemitibus, epilepticus videbatur. Tum Vir Dei ad eum propiùs accedit, & pede pulsans, accliuem surgere jubet, & stare supra pedes, & Dei audire sententiam: *Præsens est* (inquit) *Pictavensis Episcopus, quem ab Ecclesia sua expulisti, vade & reconciliare ei, & in osculo sancto pacis cum eo junge to fædera, & ipse ad Sedem suam eum reducito: & satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, & in universo Principatu tuo divisos & discordes ad charitatis revoca unitatem. Subdere Innocentio Papæ, & sicut ei omnis obedit Ecclesia, tu quoque electo à Deo tanto pare Pontifici.* Audiens hæc Comes, auctoritate Spiritus Sancti, & sanctorum Sacramentorum præsentiâ victus, non audebat respondere, nec poterat: sed statim occurrit, & in pacis osculo recepit Episcopum, & eadem qua eum abjuraverat manu reduxit ad propriam Sedem, cum totius exultatione Civitatis. Sed deinceps Abbas cum Comite jam familiariùs & suaviùs loquens, paternè eum monuit, ne ad tam impios & tam temerarios ausus ultrà exurgeret, ne Dei patientiam tantis irritaret flagitiis, ne pacem factam in aliquo violaret. Sicquè post varia, (f) quæ idem Auctor recenset, Guillelmus Ecclesiæ reconciliatur, sequè Sancti Patris Bernardi volunteti subjecit. Et cùm postea idem Comes Ecclesiam turbare iterùm inciperet, & Clericos Sancti Hilarii è Civitate expulisset, literis eum Sanctus Abbas ad pænitentiam revocavit. Qui tunc verè conversus, austerissimum vitæ genus arripuit, & Christianæ perfectionis verticem summum attigit.

VI. Anno 1145. (g) B. Eugenius hujus nominis III. Pontifex Summus, olim in Claravalle Monachus, & Sancti Bernardi discipulus, ex Abbate S. Anastasii de Urbe universalis Ecclesiæ Pastor constitutus, oves Christi mirâ prudentiâ & sanctitate pavit. Super cujus caput, dum Hostiam immaculatam offerret, divinus fulgor, & duæ splendidissimæ columbæ apparuerunt: & post obitum multis miraculis clarus effulsit. *De hac apparitione miraculosa Ottho* (h) *ita scribit*: Ea tempestate Armenorum Episcoporum Legati ab ultimo penè Oriente, laboriosum iter per annum & sex menses complentes, Summum Pontificem Eugenium Viterbii adeunt, eiq; ex parte Ecclesiæ Orientalis subjectionem omnimodam (eum consultando) offerentes, causas viæ apud veterem Aulam aperiunt: quòd inter ipsos & Græcos quædam de ritu Sacrificii habitudo est in quibusdam, in aliis verò discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem, sicut illi; aquam autem vino non admiscent, sicut nos, & illi, &c. Romanus Pontifex gratanter suscipiens Armenorum Legatos, Missarum solemniis ac sacrificiis secretis adhibuit, diligenterquè ea quæ fiebant ibidem animadvertere monuit. Dum autem intenti sacro Altari adstarent, unus ex eis Pontificiali dignitate præditus, (sicut postmodùm in plena Curia retulit) in Beati Martini die octava, quando Dedicatio Ecclesiæ Beati Petri Apostoli celebrari solet Summo Pontifice Eugenio divina mysteria agente, splendido fulgore radium Solis super caput ejus coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes & descendentes vidit. Cùmquè diligentiùs hac illacquè oculos circumferret, nullumquè aditum per quem lux illa trans-

e *Bern. Abb. Bonval. lib. de vita S. Bern. cap. 6. nu. 37. & 38. cujus verba refert Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1135. cap. 5. nu. 5. & seqq. & Henriquez in Fasciculo Sanctor. Ord. Cist. lib. 2. distinct. 12. cap. 2. pag. 141.*

f *Henriquez in Menolog. ad diem 10. Febr. in Annotat.* g *Idem ibidem ad diem 8. Julii.* h *Otho Episc. Frising. lib. 7. cap. 32. apud Manrique in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1145. cap. 3. num. 4. & seqq. & apud Henriquez in Fasc. Sanctor. Ord. Cist. l. 1. dist. 6. c. 5.*

transfunderetur, inveniret: deificum hoc esse agnoscens, ac ad obedientiam Romanæ Sedis ampliùs accensus, cunctis quæ viderat aperuit. At Venerabilis Pater Eugenius non suis hoc meritis attribuens, sed ipsius potiùs fide cœlitùs hoc sibi monstratum affirmabat: ut videlicet Ecclesia, à qua missus fuerat, Sacramentorum virtutem veritatis luce perfusam cognosceret, ac deinceps quali reverentia & formâ tractare deberet, addisceret. *Hactenùs Otho Episcopus: cujus verba etiam Cæsar Baronius refert in Annal. Eccl. tom.* 12.

VII. Anno 1143. (i) Beatus Wallenus Abbas Meilrosensis Ordinis Cisterciensis, in Natali Domini Missam celebrans, puerum Jesum in manibus suis coronâ aureâ gemmis stelliferis rutilante redimitum vidit: qui sereno vultu, blandoquè manuum applausu caput & faciem ejus contrectans demulcebat, & quasi caput capiti, & os ori applicans, oscula crebriùs imprimebat. *De hoc favore calesti Joscelinus* (h) *his narrat verbis*: Quadam die sanctissimi Natalis Domini celebrans Missam Wallenus in magna cordis contritione & devotione, necnon in consueto lachrymarum fervore, cùm infra secreta Canonis Hostiam elevaturus deprompsisset verba, quibus panis transsubstantiatur in Corpus Christi, intuens in Sacramentum quod conficiebat, invenit in manibus suis non Hostiam sed infantulum speciosum formâ præ filiis hominum, coronam quasi auream in manibus gestantem, gemmis stelliferis coruscantem. Videbatur puerulus ille omni nive candidior, & dulcifluo luminum visu vultuq; sereno & blando, qui manuum tactu faciem & caput ejus tangens & contrectans, inenarrabili suavitate mulcebat. Ille verò inebriatus à torrente voluptatis domûs Domini, utpotè in cellam vinariam dulcissimi animarum Sponsi introductus, pedibus ac manibus & singulis membris cælestis infantuli oscula numerosa libavit, ac dilectum suum sibi totum desiderabilem, dulcem & admirandum felici sensit experimento. Tum depositâ Hostiâ, divinus infantulus elevatis manibus cum Crucis impressione benedixit ei, & ab oculis ejus disparuit: nihilquè ante se nisi Hostiam consecratam conspexit. *Huic favori aliud miraculum subjungam cunctis perspicuum, ortum ex ejusdem Sacramenti veneratione: id in quodam Canonico patratum, cùm venenosum animal (aranеam) in Calicem immersum, Vvalleno jubente, consumpsisset, ejusdem Joscelini verbis* (l) *placuit describere.* Die quadam Canonicus quidam de Kirkeham, cùm Missam celebraret in præsentia Walleni, aranea quædam in sanctum Calicem circa *Agnus Dei* cecidit, metumquè ingentem sacrificanti ob periculum vitæ ex venenoso verme incussit. Et quid ageret ignorans, tussi ac nutibus (quibus modestè potuit) Wallenum accersivit, & quod contigerat ostendit. Wallenus parumper secum deliberans, fusa oratione, ac data benedictione, fervens fide & zelo divini cultus, ut araneam cum sacro libamine confidenter sumeret, in nomine Domini præcepit, promissâ vitæ & salutis indemnitate. Sacerdos statim Walleni imperio paruit, & quidquid in Calice continebatur, fideliter ac fiducialiter sumpsit. Id tantummodò tunc expertus est, quòd fœdum animal visu nedum tactu & gustu, nullum illi horrorem incussit, nullam nauseam, ac si nihil tale sumpsisset: at id ipse miraculo attribuit, quippè supra naturæ consuetum ordinem. Verùm manifestiora Deus parabat. Eadem enim die aliis post prandium sedentibus in Claustro, Canonicus ille residens cum cæteris, digitum fricare cæpit, & post modicam morulam tumor turgens in digito apparuit: & ecce aranea, rupta antè, viva egreditur, quæ coram omnibus assistentibus & mirantibus, jubente Walleno, flammis comburenda tradita est. *Hactenùs Joscelinus.*

VIII. Anno 1144. (m) B. Petrus Tolosanus, Monachus Clarævallensis, egregiis virtutibus, ac cælestibus revelationibus, omnibus admirandus effulsit. Qui inter cætera dona, (n) spiritualem acceperat devotionis gratiam in oratione, præcipuè verò in Dominici Corporis & Sanguinis consecratione. Unde Fratres qui ei ad Missas ministrabant, satis superque mirabantur in eo redundantiam lachrymarum, quâ totus ibidem affluere solebat. Dum autem Vir beatus sacris Altaribus offerens vivifica Sacramenta adstaret, in ipsa perceptionis hora, tenenti in manibus sacrosanctum Domini Corpus apparuit in specie parvuli, parvulus ille speciosus formâ præ filiis hominum, verus Deus & verus homo, Dominus noster Jesus Christus; ille mitis & humilis corde, qui seipsum sapientibus & elatis corde abscondere, parvulis verò revelare consuevit. Quod cùm ille cerneret tremefactus & stupens, primitùs præ fulgore ac reverentia Majestatis illius, claudebat oculos suos: non enim audebat respicere contra Deum, licet etiam tunc clausis oculis videbat eum, sicut apertis. Cùmquè declinaret vultum suum in alteram partem, & aliquandiù maneret palpebris obductis, facieque aversa; videbat eum nihilominùs sicut ante se positum, aliquando super manum, aliquando super brachium suum, miro videlicet atque ineffabili modo, tanquam si alios oculos haberet in occipitio vel temporibus defixos, quibus eum intueretur. Hac autem tam dulci tamquè mirabili revelatione, non semel aut secundò, sed frequenter atque innumeris vicibus ille Vir Dei lætificatus est. Plerumque enim per quatuor aut quinque menses singulis diebus illi apparebat. Quòd si interdum solito ampliùs tardare videretur, tanta inerat ei cum Deo familiaritas, & tanta de ejus pietate fiducia, ut ipsius Sacrificii consummationem protelaret, nec facilè vellet illud explere, donec redditâ sibi lætitiâ Salvatoris Dei consuetam benedictionem mereretur accipere. *Hæc Herbertus: quæ etiam leguntur in Exordio magno Ord. Cisterc. lib.* 3. *cap.* 13.

IX. Anno 1216. (o) B. Godescalcus de Volmensteyne, Monachus Monasterii Heisterbacensis Ordinis Cisterciensis, cùm aliquando in die Natalis Domini Missam inchoâsset, & ad verba consecrationis perveniret, facta transsubstantiatione, non jam in manibus suis speciem panis, sed Infantem pulcherrimum, in quem & Angeli prospicere concupiscunt, tenuit

k &

i *Idem Henriq. in Menol. Cist. ad diem* 9. *Aug.* k *Joscel. Furnesius lib.* 1. *cap.* 8. *relatus à Manrique in Annal. Cist. tom.* 1. *ad an.* 1142. *cap.* 5. *nu.* 5. l *Idem Joscel. lib.* 1. *cap.* 9. *apud eundem Manrique loco cit. num.* 7. *& apud Henriq. in Fasc. SS. Ord. Cist. lib.* 2. *dist.* 26. *cap.* 58.

m *Henriq. in Monolog. Cist. ad diem* 21. *Febr.* n *Herbertus lib.* 1. *de Miraculis cap.* 3. *relatus à Manriq. in Annal. Cist. tom.* 1. *ad ann.* 1144. *cap.* 2. *num.* 7. o *Henriq. in Menol. Cist. ad diem* 7. *Martii.*

& vidit. *Hanc visionem Cæsarius* (p) *narrat in hæc verba*: Fuit apud nos Monachus quidam, Godescalcus nomine, de Castro Volmensteyne oriundus. Hic cùm in die Natalis Domini Missam cum multa devotione & lachrymis (ut ei moris erat) inchoâsset, scilicet, *Puer natus est nobis*, factaquè transsubstantiatione, non jam in manibus suis speciem panis, sed Infantem pulcherrimum, imò speciosissimum illum formâ præ filiis hominum, in quem & Angeli prospicere concupiscunt, tenuit & vidit: cujus charitate succensus, & mirâ pulchritudine delectatus, complexus est eum ac deosculatus. Timens tamen moram propter circumstantes, super Corporale dilectum posuit: & ille ut Missa perfici posset, formam sacramentalem resumpsit. Quamdiu Beatus ille Monachus vidit speciem Infantis, nullam ibi vidit speciem panis, & è converso. *Refert etiam idem Cæsarius* (q) *aliud miraculum ejusdem Godescalchi, quod ejus item ferventem devotionem in sacrum Christi Corpus satis commendat.* Godescalcus, *inquit*, cùm die quadam Corporale cum Sacrista nostro extendisset ad poliendum, illudquè per medium rupisset, Custos illud complicans in theca reposuit: postea autem illud explicans cùm integrum reperisset, miratus est valdè, sanctitati prædicti Viri illud adscribens. *Hactenus Cæsarius.*

X. Anno 1216. B. Ida de Nivella, (r) quæ in Cœnobio de Rameya Cisterciense Institutum amplexa est, frequenter puerum Jesum videre, amplecti & deosculari meruit. Frequenter (s) utique Christum post consecrationem, tanquam puerum pulcherrimum in sacrificio Missæ contemplabatur. Cùmquè timeret, ne fortè minoris apud Deum esset meriti, quandoquidem ei hæc frequens & mirabilis visio tanti Sacramenti præbuisset experimentum; vidit eundem puerum Jesum venientem ad se, qui ei amplexum & osculum præbens, dixit: *Quia speciem Humanitatis meæ sub forma panis tibi, ô dulcis amica mea, visibilem ostendo, non hoc facio quasi de fidei tuæ credulitate ambigam, sed ut tibi notum faciam, quanto amore, quantavè sollicitudine zelotes tui sim, &c.* Hactenùs Henriquez in Monolog. Cisterc.

XI. Anno 1178. novimus (t) Monachum quendam Clarævallensem, Virum sanctissimum. Hic ab adolescentia mundo renuncians, quadragesimum in Monasterio supergreditur annum: ubi in omni sanctitate & justitia Deo serviens, etiam corporis integritatem magno Dei munere à matris utero conservat. Accidit aliquando, ut die Dominica divinis interesset Officiis in quadam Ecclesia Parochiali, in qua dictâ tunc Offerendâ, cùm jam ministratio panis & calicis Sacræ mensæ fuisset imposita, protinùs apparuit ei Dominus Jesus, stans super eandem Aram in forma parvuli valdè formosi, ita manifestè atque morosè, ut usque ad consummationem Sacrificii propemodùm visio perseveraret. Verumtamen Presbyter ejusdem loci qui Missam celebrabat, homo inhonestæ vitæ atque flagitiosæ erat. Quamdiù ergo Sacerdos ille, sive oblationes fidelium recipiendo, sive sermonem (ut in die festo fieri solet) ad populum proferendo, seu aliquid aliud faciendo, dorsum ad Altare habebat; tamdiu Sanctus Infans ante Calicem stabat. Quamdiu verò Sacerdos ad Sacramentum faciem tenebat; tamdiu Sacer ille parvulus, tanquam immundi Presbyteri halitum abhorrens, longè remotus ab eo post Calicem consistebat. Quod cùm Monachus ille conspiceret, compunctus est vehementer, ita ut inundatio lachrymarum interdum à visione visum præpediret. Completa autem revelatione glorificavit Deum, qui sibi dignatus est talia demonstrare. Et verè cognovit, quòd distantia meritorum non facit differentiam Sacrificiorum: quoniam Sacramenti effectus nullatenùs constat ex virtute & merito Sacerdotis, sed ex institutione & gratia Redemptoris. *Hactenùs Henriquez.*

XII. Anno Domini 1193. (u) memoria nobis incidit Venerabilis & verè Beati viri Simonis, Conversi in Monasterio Alnæ Ordinis Cisterciensis: qui ab annis teneris ibidem enutritus, & longo vivens tempore, prophetiæ & miraculorum spiritu clarus, Ecclesiam sanctitatis suæ famâ replevit, & Cistercium meritis. Multa quidem [x] de hoc viro Dei referuntur satis magnifica; sed inter alia illud admirabile, sive quia singularius, sive quia patentius. Quòd cùm quadam die accedens ad Altare Corporis Christi particeps futurus, casu fortuito eadem ipsa Hostia quam suscepturus erat, in terram decidisset, atque cùm eam vellet Sacerdos levare manu, ipso jubente, in pavimento ubi erat, relicta est, quamdiu supplex oraret, & an suis peccatis exigentibus ab ejus ore Christus refugisset, inter lachrymas & singultus percontaretur. Et ecce (mirum dictu!) Hostia exiliens, ad os orantis sursùm evolavit; atque ipsum ingressa, pacatum sibi Deum, neque aversantem, sed magis quæsiturum testata est: nec cecidisse ut ab ipso deviaret, sed ut ostenderet magnete labiorum ejus toties trahi, quoties in oratione movebantur: neque minùs de cælo descensurum, quàm de terra ascenderet, ad ejus vocem semper pertrahendum. Hinc charitas Simonis erga Deum in dies augmentabatur, à quo se redamari per tot indicia, non poterat in dubium revocari. *Hactenus Manrique.*

§. XII.

De aliis documentis, ad excellentiam sacrificii Missæ, & efficaciam Sacramenti Eucharistiæ pertinentibus.

I. Beatus Jacobus, (a) Monachus Monasterii S. Galgani Eremitæ, Ordinis Cisterciensis in Tuscia, crebris miraculis & cælestibus revelationibus insignis fuit. *Inter quas hanc Abraham Bzovius* (b) *præcipuè narrat sic*: Eo tempore cuidam Monacho Monasterii Sancti Galgani, Jacobo nomine, Viro reli-

p *Cæsarius in suo Dialog. lib. 9. cap. 2. relatus à Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1216. cap. 6. num. 8.* q *Idem Cæsarius lib. 2. cap. 67. apud eundem Manriq. loco cit. num. 9.* r *Henriq. in Menol. Cister. ad diem 11. Decembr.* s *Idem ibid. in Annotat.* t *Herbertus lib. 1. de Miraculis cap. 19. qui eum libros 3. scripsit ann. 1178. ut in præfat. legitur.*

u *Manriq. in Annal. Cisterc. tom. 3. Ad ann. 1193. cap. 4. num. 1.* x *Idem ibid. num. 5.* a *Henriq. in Menol. Cist. ad diem 30. Maii.* b *Abraham Bzov. in Annal. Eccl. ad ann. 1222.*

religioso & simplici, cùm quadam die Missam celebraret, inter Crucem & Calicem nebula apparuit. Cùmque ab illa oratione quæ dicitur, *Supplices te rogamus*, caput elevâsset, prospiciens & admirans, vidit in eadem nebula lumen in modum candelæ ardentis lucens. Et cùm hoc intueretur, exivit manus de nebula & lumine, & extendens se super Corporale quod positum erat super Altare, scripsit multa ad correctionem generis humani depravati: & non semel, sed in quatuor Missis ei apparuit, diversam in qualibet prophetiam scribens. *Hæc Bzovius refert ex Magno Chronico Belgii pag. 221. cujus verba allegat Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1221. cap. 2. num. 9.*

II. B. Conradus, (c) primùm Villarii, postea Claræ vallis, demùm Cistercii Abbas fuit, ac tandem S. R. E. Cardinalis Episcopus Portuensis, vitæ sanctimoniâ celeberrimus, cujus digiti instar candelarum ardebant: & tandem postquam Terram Sanctam pio affectu invisisset, feliciter obdormivit in Domino, & in Claravalle locum sepulturæ obtinuit anno 1227. In cujus Epitaphio, (d) de ipso legitur illud memoriâ dignum, quòd digiti sacri, quibus Dominici Corporis & Sanguinis Hostiam offerre solitus erat, tanta luminis claritate frequenter effulgere visi sunt, ut noctis ei tenebras, tanquam Sol meridiem, illustrarent. *Ego crediderim contigisse circa hoc tempus, (e) quod Venerabilis Thomas Cantipratanus ferè coævus Author memoriæ prodit, quatuor Conradi digitos, indicem scilicet & pollicem, utrumq; utriusque manus libris adhibitos pro lucernis fuisse sancto Viro, quoties lectioni vacare animus erat. Sed ipsum Thomam loquentem (f) audiamus*: De hoc Viro excellentissimo quiddam dictu mirabile ab Abbate Villariensi Guillelmo probatissimâ veritate cognovi, quòd digiti manuum ejus, quas in consecrationem Corporis Christi extendebat, ad studium & inspectionem literarum vel librorum nocte instar candelarum in tenebris relucebant. *Hactenùs Cantipratanus.*

III. B. Fulco Episcopus Tolosanus, [g] verus Sancti Bernardi æmulator, qui ex Abbate Monasterii Grandissilvæ Ordinis Cisterciensis ad Pontificiam dignitatem evocatus, mirabili constantia hæreticorum conatibus se opposuit: super cujus caput inter celebrandum non semel columba splendidissima apparuit. *Quem [h] Cardinalis Jacobus de Vitriaco in Prologo ad Vitam Beatæ Mariæ Æquiacensis apud Surium mense Junio, fortem totius Ecclesiæ Columnam vocat, atque laudes illius latè prosequitur in libro primo Vitæ capite tertio: quin & de eadem Beata Maria loquens libro primo capite duodecimo, ait*, super caput Fulconis Missam celebrantis visam esse à Sancta fœmina columbam candidam, & ipsi in os Eucharistiam inferentem, & ingentem claritatem eum intùs penetrantem, ejusquè animam illustrantem. *Hæc ex Vitriaco Episcopo Aconensi, mox Cardinali S. R. E.*

IV. *Cæsarius in suis Dialogis* [i] *scribit sic*: Novi quendam Sacerdotem Ordinis nostri Cisterciensis, qui tantâ gratiam accepit à Domino, ut quoties cum devotione Missam celebrat, toties per totũ Canonem usque ad Sacramenti perceptionem in aëre ad mensuram pedis unius se stare sentiat. Nec mirum. Devotio enim ignea est, & tendit sursùm: nec magnipendo, si quandoque sibi attrahat suum exterius domicilium, mens est in qua majorem habet potestatem, quià illud in cælum sublevat. Cùmquè tantam gratiam ab alio quodam Sacerdote ejus amicissimo comperiissem, scire volens veritatem, non absque timore ab ipso cæpi sciscitari quæ audieram. Qui statim rubore perfusus, cùm me confundere nollet, ita esse confessus est, dicens: Quãdo festinanter & sine devotione celebrat, vel quando strepitu circumstantium impeditur, tunc prædicta ei gratia subtrahitur. *Hactenùs ille.*

V. In Monasterio Grandissilvæ Ordinis Cisterciensis [k] erat Monachus quidam, Magister novitiorum, vir sanctitatis eximiæ, magnum habens desiderium dissolvi & esse cum Christo. Hic ergo in cœna Domini, sancta Communione percepta, cùm adhuc eandem Eucharistiam in ore teneret, facta est magna exultatio Dei in gutture ejus; & nimio perurgente desiderio, petivit animæ suæ ut moreretur. Et admovens gutturi suo digitum, hujusmodi orationem fudit ad Dominum: *Christe Salvator Omnipotens, si tibi non displicet ista petitio mea, precor & supplico, ut per meatum gutturis hujus non transeat amodò terrennus aliquis cibus.* Facta autem oratione, viribus corporis cæpit repentè destitui, & die tertiâ, scilicet Sabbatho Paschæ in Domino obdormivit.

VI. *Cæsarius in suis Dialogis* [l] *ait*: Novi quandam Sanctimonialem Ordinis nostri, quæ tantam accepit à Domino gratiam, ut quando communicat, talem ex ipso sacro Corpore dulcedinem sentiat, ac si mel reciperet: non saporem panis, sed mellis [ut dixi] in masticatione sentit tota illa die, maximè ante perceptionem cibi corporalis, salivam habens mellifluam. Nec mirum. Legitur enim de manna, quòd gustus ejus fuerit quasi simile cum melle. Est autem eadem Sanctimonialis virgo vitæ venerabilis, cujus personam supprimo, eò quòd adhuc vivat, & se prodi non permittat. *Hactenùs Cæsarius.*

VII. Frater quidam Monasterii Claræ vallensis, [m] cùm quadam die Dominica solito more factam Communionem acciperet, visum est illi tunc & per totam deinceps diem, quòd favum mellis dulcissimum in ore teneret. Sequenti verò Dominica cùm similiter accepisset Eucharistiam, per continuum triduum similes expertus est gratias. Tertiâ quoque Dominicâ divinam nihilominùs alimoniam reaccepit, & jam totâ hebdomadâ semel indultam suavitatem sentire promeruit. Extunc ergo & deinceps hanc benedictionem dulcedinis multipliciter & multo tempore sensit, modò rariùs, & modò crebriùs, prout datori gratiæ placuit. Factum est autem aliquando, quòd quampiã de amicis suis pro culpa illius objurgans, justæ invectionis modum supra modum excesserat: cùmquè pacificam Hostiam necdum fratre pacificato perciperet, visum est illi quòd amarissimum absinthii pabulum injecisset. *Hactenùs Herbertus.*

k 2 VIII.

c *Henriq. in Menol. Cist. ad diem 30. Septemb.* d *Idem in Annotat.* e *Manriq. in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1208. cap. 7. num. 5.* f *Th. Cantiprat. in libro de Apibus cap. 19. num. 3.* g *Henriq. in Menolog. Cist. ad diem 25. Decemb.* h *Manriq. in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1222. cap. 4. num. 5.* i *Cæsarius in suis Dialog. lib. 9. cap. 30. apud Manriq. in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1222. cap. 12. num. 4.*

k *Herbertus de Miraculis lib. 3. cap. 1.* l *Cæsarius in suis Dialog. lib. 9. cap. 39. apud Manriq. in Annal. Cisterc. tom. 4. ad ann. 1222. cap. 12. num. 9.* m *Herbert. de Miraculis lib. 1. cap. 22.*

VIII. In Monasterio Longipontis Ordinis Cisterciensis,[n] Conversus quidam denarium unum, & unã buccellam absque licentia retinebat peculiari vitio. Igitur die Paschæ cùm sacram Oblationem recepisset, visum est ei quòd prunam ardentem præcordiis ejus aliquis injecisset: qui mox de Oratorio exiens, & suum diversorium adiens, quantocitiùs id quod acceperat, nauseâ perurgente rejecit in cineres, antequam vas aliquod ad excipiendum apprehendere posset. Tunc accersito Abbate loci, confessus est peccatum quod commiserat, & periculum præsens quod ex eo incurrerat. In crastinum autem Abbas cuncta quæ acciderant, in Capitulo ad Fratrum audientiam retulit, & pro irreverentia sacræ Eucharistiæ communem pœnitentiam omnibus qui adfuerunt, injunxit. Porrò Conversus idem Frater crescente ægritudine lecto decubuit; & diutissimè postea languens, utrum autem convaluit, incompertum est nobis.

IX. Sancta Lutgardis Virgo, (o) Monialis Cœnobii Aquiriæ Ordinis Cisterciensis in Brabantia, cùm iret ad Altare ut communicaret, à duobus Angelis tenebatur & deducebatur. Aliàs etiam visa est Dei Genitrix cum Sancto Joanne Baptista eam comitari. *De quo miraculo Thomas Cantipratanus* (p) *ita scribit*: Ut autem quibusdam Aquiriæ Monialibus, quæ fortassis minùs dignè de illa sentiebant, Lutgardis meritum innotesceret, insigne hoc miraculum accidit. Consueverat illa singulis diebus Dominicis Corpus Christi percipere: cùmquè euntem ad Altare nemo licet debilem sustentaret, quidam (quibus id videre concessum est) perspicuè viderunt duos Angelos mediam eam tenere, & deducere ad Altare. Aliàs etiam manifestissimè visa est Beatissima Dei Genitrix cum Sancto Joanne Baptista eam officiosissimè comitari. *Hactenùs Thomas Cantipratanus.*

X. B. Ida de Lovanio, [q] Virgo Monialis Cœnobii Vallisrosarum Ordinis Cisterciensis, ab ipsa infantia cælestibus favoribus & consolationibus assuefacta erat. Nam cùm septem tantùm esset annorum, & Missæ sacrificio interesset, stellam lucidam splendidissimos radios circumquaque emittentem, è cælo descendere, & locum Sacrificii mirabiliter illuminare conspexit. *Hanc visionem fusiùs describit in Vita ejus lib. 2. cap. 9. Auctor Agiologii Sanctorum Brabantiæ: cujus verba refert Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1226. cap. 4. nu. 9. Ibidemquè cap. 5. num. 8. ex eodem Auctore capite septimo transcribit verba sequentia*: Quodam etiam tempore, cùm in Ecclesia sacrosanctis Missarum solemniis interesset Dei Virgo, & cor suum in orationibus & gratiarum actionibus dilataret in præsentia salutaris Hostiæ, ex nimia devotione & dulcedine quam in anima sentiebat, ex ore & naribus tanta sanguinis abundantia confestim erumpendo cæpit effluere, ut ipsum quoque pavimentum Ecclesiæ visum sit in multa copia circa locum, quem ipsa Dei famula jacens occupaverat, irrigâsse. Quod aliis quoque temporibus eidem frequentiùs accidisse dignoscitur, cùm scilicet ex amore Dei conceptâ (supra capacitatem humanarum virium) internæ suavitatis abundanti dulcedine frueretur. *Porrò ibidem cap. 7. num. 10. ex eodem Auctore cap. 46. hæc transcribit*: Quadam die sacram communionis Hostiam accipere mente proposuit, & propositum opere confirmavit. Cùm enim expleto venerandæ consecrationis officio, jam tempus adesset communicandi, processit Venerabilis Ida In medio tamen itineris subsistens, Sponso suo cæpit dulciter conqueri dicens: *O omnipotentissime Dominorum Domine, Creator & Redemptor omnium, si sponsum aliquem aut fullonem aut rusticum haberem, non sine comitatu familiariter subsequente, sponsale tenderem ad convivium! quantò magis & me licet indignam ex merito, sponsam tamen, absque venusto comitatu non decet incedere, cùm tuis appropinquo conviviis, ad percipiendum omni dulcedine dulcius tui Corporis Sacramentum? Ulteriùs itaque non progrediens, hic manebo, nisi sit qui me ducat ad Altare sanctum.* Hæc ergo Dei Virgine cogitante, Sacerdoteque moram illius advertente, vidit, & ecce Regina Virginum quæ ad dexteram illius apparuit, ad lævam verò dilectus discipulus Joannes Apostolus adstitit, latus utrumque Beatæ fœminæ ambientes, arreptam hanc perducunt ad sacrosancta Mysteria, præcedente viamquè sternente (quâ procedere debebat) Angelo cum incensato thuribulo pariter & lucerna. Peractâ verò communione, viâ, quâ venerat, reducitur, & in loco sessionis suæ, Sanctis eisdem obsequentibus, installabatur. *Hæc Auctor in Vita S. Virginis Idæ apud Manrique loco citato.*

XI. S. Theobaldus, (r) Abbas Monasterii Vallium Sernay Ordinis Cisterciensis, Venerabile Sacramentum magna submissione & cordis affectu venerabatur, & quoties ante ipsum transibat, toties dicere consueverat: *Benedictus sit Christus Jesus Unigenitus Patris, qui per Nativitatem suam ineffabili gloria, dignissimam & gloriosissimam Matrem suam Mariam Dominam nostram decoravit.* Quæ verba gratissima Deo existere cognoverat per revelationem. Siquidem Christus Dominus ei sæpissimè apparuit, & cum eo amicè & familiariter agebat. Raptus aliquando in extasim, Sanctissimam Trinitatem eo modo quo fragilitati humanæ conceditur, sublimi tamen & admirando vidit. *Hactenùs Henriquez.*

XII. Anno 1230. florebat [s] B. Juliana Corneliensis, Ordinis Cisterciensis Sanctimonialis, quæ multis præcedentibus revelationibus, Festum Venerabilis Sacramenti institui curavit. *Propterea eu Dominus*, (t) *qui eandem prælegerat Corporis & Sanguinis sui festivæ promovendæ Solemnitati, specialibus ejusdem Sacramenti & favore prævenit & devotione. Quippè erga illud vel ab ipsa pueritia mirè affecta, nova semper in eo novi fervoris inveniebat motiva, ac novos quotidiè cœlestis gratiæ modos percipiebat. De hac Juliana Auctor vitæ ipsius* [u] *hæc verba scribit*: Prævenit ancillam suam Dominus in benedictionibus, cùm ad sacrificium Missæ præsens erat. Ad vivificum enim illud Corporis Christi Sacramentum, ab ætate puerili concipere cæpit non pueriles affe-

n *Ignatius Fiteriensis in Additis ad Exordium magnum Ord. Cist. lib. 8. cap. 17. apud Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1131. cap. 6. num. 6.* o *Henriq. in Menol. Cister. ad diem 16. Junii. in Annotat..* p *Th. Cantiprat. in Vita S. Lutgard. lib. 2. cap. 30. relatus à Manriq. in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1232. cap. 2. nu. 5.* q *Henriq. in Menol. Cist. ad diem 13. April. in Annotat.*

r *Idem ibid. ad diem 8. Julii in Annotat.* s *Henriq. in Menol. Cist. ad diem 5. April.* t *Manrique in Annal. Cist. tom. 2. ad ann. 1201. cap. 6. num. 3.* u *Auctor Vitæ B. Julianæ apud Henriquez in Liliis lib. 1. dist. 3. cap. 7. 8. & 9. relatum eodem tom. Annal. Cist. cap. 6. num. 3. & 4.*

affectus: miramquè suavitatis internæ dulcedinem horâ Sacrificii in spiritu suo sentiens infundi, sicut aquam cor suum effundebat in conspectu Altissimi, eumquè deprecabatur, ut ad amplioris dulcedinis participationem pervenire mereretur. Et cùm de die in diem per vehemens desiderium ad sumendum quod optaverat, capacior redderetur, adeò fervor devotionis excrevit, ut, cùm tempore Sacramenti conficiendi orationi incumberet, à torrente voluptatis suæ non posset evelli. Cùm autem affectio, quam habebat Juliana ad vivifici Corporis & Sanguinis Christi Sacramentum, per singulos dies cresceret in immensum, non requiescente aliter spiritu ejus, unum è duobus facere cogebatur: nempè, aut Missæ solemniis interesse, aut illo tempore orationi, ubi commodiùs poterat, incumbere. Et primum quidem sibi erat in ferventi desiderio, alterum in solatio. Tantum enim dulcedinibus supernæ haurire consueverat, cùm Missæ adesset sacrificio, ut summo desiderio cuperet redire in idipsum. Cùm autem dilecti & electi sui nonmodò ex millibus, sed ex omnibus qui in cœlo sunt & in terra, Sanctissimum Corpus percipiebat, tanto tamquè abundanti rore gratiæ ac devotionis adipe replebatur, ut adinstar ceræ ad ignem appositæ anima ipsius liquesceret, ac intra semetipsam spiritus ejus deficeret. Tunc enim gustabat & videbat quoniam suavis est Dominus: acceptis utique amplioris gratiæ muneribus, sentiebat in edulio hujus Sacramenti omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis. *Duo præterea, (x) quæ in eodem nono capite notata invenio, præterire nequaquam silentio licet. Unum, quod ex illo cælesti cibo exterior homo; alterum, quod interior experiebatur: nempè, in corpore tantam fortitudinem, ut abstinere per mensem ab aliis cibis aut putaret, aut posset. In anima tantam mentis illustrationem experiebatur, ut nunquam planè Corpus Christi sumeret, quin aliquod illi arcanum de cælestibus mysteriis revelaretur. Primum effectum fateri ipsa solebat, dicereque,* quòd per unum mensem nullum ei cibum ministrarent, dummodò nec ipsæ (*Moniales*) ad eam accederent: & ab aliis, si fortè quærerent ipsam, illam defenderent. Tantam namque fortitudinem esse in illo Sacri Panis edulio sentiebat, ut per tantum temporis subsistere non timeret. *De secundo effectu hæc habent ipsius vitæ Acta*: Tam singulari prærogativa gratiæ visitavit ancillam suam Christus in perceptione Corporis & Sanguinis sui, ut quoties Sanctam Eucharistiam sumebat, toties Christus eidem aliquod novum secretum de suis arcanis cœlestibus revelaret. *Hæc satis nunc de Virgine incipiente, quæ jam tunc ab æterno destinata accidentali gloriæ Corporis Christi, ad ejus promotionem præparabatur. Qualiter autem hoc ei fuerit revelatum,* (y) *sic narrat Gulimannus in ejus Vita*: Tempore juventutis suæ, quoties beata Virgo Christi Juliana orationi incumbebat, toties magnum sibi signum & mirabile ostendebatur. Apparebat namque ei Luna in suo splendore, cum aliquantula tamen sui sphæric corporis fractione. Quam cùm multo temporei aspexisset, mirabatur multùm, ignorans quid illa significaret. Ex eo autem non satis poterat admirari, quòd quoties orationibus insistebat, dictum signum indesinenter se illius conspectui ingerebat. *Tum verò illa, (z) ut erat humilis spiritu, de veritate dubitans visionis, & præ frequentia suspectam illam habens, ac tentationem putans*: orabat, [*ait Auctor vitæ ipsius cap. 43.*] & per personas satis fideles orari ad Dominum faciebat, ut eam à quadam tentatione, quam se pati dicebat, eripere dignaretur. Sed cùm nullâ industriâ, nullâ suâ vel aliorum prece, importunitatem signi posset à se repellere, cæpit tandem aliquando cogitare, ne fortè non tam laborare deberet ad hoc signum repellendum, quàm ad aliquod mysterium inquirendum in ipso. Contulit igitur se totam cum omni devotione ad deprecandum Dominum, ut si id quod videbat, aliquid significaret, sibi revelare non dedignaretur mysterium visionis. *Hactenus liber Actorum Vitæ Sanctæ Virginis. Pergunt deinceps tam (a) Auctor ejusdem libri, quàm Diesthemius Blerus eisdem verbis, aut saltem penè eisdem scribentes, apud Bzovium in Annalibus Ecclesiasticis tomo 13. ad annum* 1230. Tandem revelavit ei Christus, significari in Luna præsentem Ecclesiam; & in ejus fractione, defectum unius Solemnitatis, quam Deus in Ecclesia ad augmentum sacræ fidei voluit celebrari. Accepit proinde Juliana præceptum cælitùs, ut hanc Solemnitatem inchoaret, & mundo nunciaret. Illa verò ad hæc obstupescens, sese non posse respondit. Cæterùm quotiescunque orationi vacabat, à Domino monebatur ut præceptum injunctum perficeret, quam ad hoc præ mortalibus cunctis Deus præelegisset. Sed illa parvitatis suæ conscia, quæ mentis gressum fixerat in humilitatis fundamento, dixit: *Domine, dimitte me, & rem hanc arduam Clericis committe.* Et respondit Dominus: *Per te omnimodis oportet inchoari, ac deinceps per personas sublimes promoveri.* Instabat ergo humilis Juliana, continuis ad Deum precibus, ut aliam personam ad hoc opus eligeret. Sed vice quadam audivit sibi cælitùs pro responso dici: *Confiteor tibi Pater cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis:* At illa nec sic acquiescens, respondit: *Excita Domine temetipsum, excita & viros eruditos, & me minimam in pace dimitte.* Et facta est rursùm vox ad eam dicens: Immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro. Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo. *Hactenus Auctor ejusdem Libri, atque Blerus apud Bzovium.* Hæc igitur Virgo sanctissima (b) divina revelatione monituquè compulsa, institutionem Festi Venerabilis Sacramenti ad Orthodoxæ Religionis augmentum inprimis promovit. Nec ambigo Virginem humilem (c) perpe-

tuâ,

x *Idem Manrique ibid. nu. 5. Henriquez in Menol. Cist. ad dictam diem in Annotat.* y *Guliman. in vita B. Julianæ cap. 43. apud eundem Henriq. loco citato in Annotat. & apud Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1230. cap. 3. nu. 1.*

z *Idem Manrique ibid. cap. 5. num. 8.* a *Idem ibidem nu. 9.* b *Aubert. Miræus in Cronicis ad ann. 1270.* c *Joan. Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii.*

tuâ memoriâ dignam esse, eò quòd per eam inchoatum sit speciale Festum Corporis Christi. Siquidem Christus ei revelaverat, ut ad augmentum fidei in finem debilitandæ, necnon ad profectum electorum, Corporis & Sanguinis sui speciale Festum fieri curaret. *Hac ex Miræo, & Molano authoribus refert Henriquez in Monol. Cist. ad. diem 5. Aprilis in Annot. Qui deinde in eodem Monologio ad diem 25. Maii scribit, institutam esse Solemnitatem Venerabilis Sacramenti anno 1264. per Urbanum IV. Pontificem Summum, ex Ordine Cisterciensi assumptum, procurante Beata Juliana Religiosâ nostri Instituti Cisterciensis, ad id divinitùs prælectâ.*

XIII. *Anno 1140. Sanctus Bernardus pro defunctis sacrificium Missæ faciens in Capella SS. Martyrum propè Ecclesiam Monasterii Trium Fontiū, Scalam vidit, & miratus est per scalā animas è purgatorii pœnis ad cœlum ascendere. Hanc visionem Onufrius Panvinus apud Manrique* (d) *sic describit*: Eidem Ecclesiæ, nempè Sancti Anastasii, imminet parvus collis cum exiguo fonte, qui locus Gutta jugiter manans vocabatur. In quo loco pro Christi fide septimo Idus Julii cæsi sunt S. Zeno Martyr, & cum eo decem millia & ducenti tres Christiani: quorum ossa in proximo cœmeterio sub Sacello rotundo & devotissimo (quod Sanctæ Mariæ Scala cœli modò dicitur) requiescunt. Cujus Dedicatio celebratur sexto Kalendas Februarii, ubi est Altare cum operculo marmoreo, quatuor pretiosis columnis sustentato, sub quo jacent corpora Sanctorum Martyrum, &c. In hac Ædicula sæpè Sanctus Bernardus, dum in Urbe moraretur, Sacra pro defunctis celebrabat. Quibus dum aliquando operaretur, in mentis extasim raptus, Scalam vidisse fertur, quâ è purgatorii igneis pœnis Animæ ejus suffragiis liberatæ in cœlum ab Angelis deducebantur. Hinc sacræ illi Ædiculæ, Scala cœli nomen inditum est. *Hactenus Onufrius de hac à Sancto Bernardo erecta ad cœlum piis Animabus Scala, eidemquè Sancto pro singulari illius in defunctos pietate, singulariter ostensa.* Is enim (e) in præfata Sancti Zenonis Capella pro defunctis aliquando sacrificium Missæ faciens, ferventerquè orans, Scalam lucidam, & per eam Angelos ascendentes, & purgatas piaculari igne animas ad beatas refrigerii Sedes referentes videre visus fuit, cujus rei multa, neque levia extant testimonia. Primùm omnium traditio, & ex ea nova ejusdem Capellæ nuncupatio, olim Sancti Zenonis dictæ, nunc Scala cœli, non aliunde certè quàm à Scala, litanti Bernardo divinitùs ostensa. Ex Tabulario Cœnobii Montis Salutis Ordini Cisterciensi ab Ildephonso Hispaniarum Rege Septimo augustissimè constructi profero alterum authenticum testimonium, cujus hic est tenor: Noverint &c. quòd à Nativitate Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, &c. in Capella S. Mariæ de Scala Cœli nuncupata, Monasterii Sancti Anastasii ad Tres Fontes, propè, & extra muros Urbis Romæ, quæ (ut inibi cernitur) est secunda Capella, quæ in toto mundo ad honorem Beatæ Mariæ Virginis fundata fuit: in qua Divus Pater Bernardus, dum Missam celebraret, meruit videre Scalam erectam ad cœlum usque tendentem, atque Angelos ascendentes & descendentes per eandem. In oblatione Hostiæ salutaris, [f] quam usque ad defectum ultimum vix aliquandò intermisit, artus sibi vix cohærentes vigore spiritûs sustentabat, semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam Deo in odorem suavitatis.

XIV. Anno 1124. (g) Frater quidam bonæ intentionis, sed durioris erga cæteros Fratres conversationis, & minùs compatiens quàm deberet, in Monasterio Clarævallensi defunctus est. Post paucos autem dies Viro Dei Bernardo apparuit vultu lugubri, & habitu miserabili, significans non ad votum sibi cuncta succedere. *Interrogatus autem quid sibi esset? Ille quatuor lacertis se traditum esse querebatur.* Ad quod verbum continuò impulsus est, & quasi præcipitanter expulsus est à facie Viri Dei. Qui graviùs ingemiscens post tergum ejus clamavit: *Præcipio tibi in nomine Domini, ut qualiter tecum agatur, in proximo mihi iterùm innotescas.* Et conversus ad orationem & oblationem Hostiæ salutaris pro eo, aliquos etiam Fratrum (quorum ampliorem noverat sanctitatem) eidem similiter subvenire monebat. Nec verò destitit, donec postea, sicut præceperat, per aliam revelationem cognita ejus liberatione meruit consolari. *Hactenùs Guillelmus Abbas in Vita Sancti Bernardi.*

XV. *Auctor magni Exordii ab his,* (h) *qui adfuerunt, acceptum ita describit*: Defunctus est Conversus quidam in Claravalle. Cùmquè à concurrentibus Fratribus commendationis officium ex more fieret, Monachus quidam Senior magnæ religionis vir, audivit turbas dæmonum per catervas suas incedentium, cum magni strepitus vociferatione clamantium, & dicentium: *Eja benè: Eja modò benè: solummodò de hac mala Valle unam animam in nostra sortis partem acquisivimus.* Cùm verò idem Senior Monachus qui hæc audierat, per noctis quietem sopori membra dedisset, Frater ille defunctus ei apparuit tristi & lugubri vultu, dicens ad eum: *Quia audisti heri dæmones de meis suppliciis exultantes, veni, & vide quàm terribili tormento Dei Omnipotentis justo judicio traditus sum.* Et confestim duxit eum ad puteum quendam magnæ latitudinis & horrendæ profunditatis, & dixit ei: *Ecce in hunc puteum frequenter à dæmonibus iniicior*: quorum tanta est crudelitas, ut si optio mihi daretur, mallem potiùs centiès ab hominibus, quàm semel à dæmonibus hic immergi. Mane autem facto, dum quæ audierat & viderat præfatus Senior Beato Patri Bernardo retulisset, (licet quoque & ipse ea per spiritum cognovisset) ingemuit, & dixit: *Scio quia nisi gravis causa existeret, nunquam dæmones tale ausum præsumpsissent.* Itaq; Capitulum Fratrum ingressus, coram omnibus calamitatem defuncti Fratris exposuit: dehinc salubri exhortatione singulorum conscientias conveniens, monebat, ut cautiùs in via sanctæ Religionis ambularent: affirmans, multam quidem

esse

d *Onuf. Panvin. lib. de sept. Eccl. de Orbe, relat. à Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1140. cap. 8. num. 7.* e *Luc. Bertolet. lib. de Gestis S. Bern. Elogio 108. in Prosa pag. 270. ex eodem Manriq. loco cit. nu. 6.*

f *Gaufrid. in Vita. S. Bern. lib. 3. cap. 1. num. 1.* g *Guillel. Abb. in Vita S. Bernar. cap. 10. num. 47. relatus à Manrique in Annal. Cist. tom. 1. ad ann. 1124. cap. 2. nu. 4.* h *Idem Manrique ibid. n. 5. 6. & 7. ex Auctore Exordii magni Ord. Cist. lib. 2 cujus verba etiam referuntur in lib. 7. de Vita S. Bernar. cap. 2. pag. 192.*

esse malitiam dæmonum erga omnes Christianos, præcipuè tamen contra Monasticæ Religionis professores. Post hæc Fratris animæ in suppliciis constitutæ subvenire eos attentiùs monebat, Psalmis & orationibus: Missarum quoq; celebrationibus iram Dei placare hortabatur, ut pius Pater pulsatus precibus eorum, per salutaris Hostiæ immolationem tyrannicam dæmonum superbiam debellare, & ab eorum nequitia Fratris defuncti animam liberare dignaretur. Quod cùm Fratres devotissimè facerent, paucis evolutis diebus, idem Frater defunctus supradicto Seniori iteratò apparuit, hilaritate vultûs statum suum melioratum esse significans. Quærente verò Seniore quomodò se haberet? Respondit: *Domino Deo nostro gratias, benè.* Rursùs requisitus quomodò liberatus esset, ait: *Veni, & vide.* Et continuò introduxit eum in Oratorium ejusdem loci, ubi ad singula Altaria Sacerdotes cum ministris stabant, salutaris Hostiæ immolationem summa cum devotione celebrantes. *Ecce* [inquit] *hæc sunt arma gratiæ Dei nostri, quibus ereptus sum: hæc est virtus misericordiæ Dei, qua invincibilis permanet: hæc est Hostia illa singularis, quæ totius peccata mundi tollit. Et verè dico tibi, quòd his armis gratiæ Dei, huic virtuti misericordiæ Dei, huic Hostiæ salutari non est quidquam quod resistere valeat, nisi cor impœnitens.* Evigilans autem Senior, de liberatione Fratris gavisus est valdè. Modum quoque visionis ejusdem cæteris Fratribus exponens, tantò eos devotiores ad immolationem Hostiæ salutaris reddidit, quantò certiùs ejus efficaciam in Fratris ereptione meruerat experiri. *Hactenùs Auctor Exordii Cisterciensis. De quo agunt, Magnum speculum exemplorum distinct. 3. exemp. 16. Pratum spirituale lib. 5. cap. 6 & Gundisalvus à Silva lib. 7. cap. 14.*

XVI. *Anno 1232. Thomas Cantipratanus* (i) *hac memoria prodit*: In Austriæ partibus [sicut per Abbatissam quandam piam & religiosam audivi] quidam sanctissimæ vitæ Cisterciensis Ordinis Monachus fuit, qui in Missa celebrata pro mortuis, ante participationem Corporis Christi, cùm diceret, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi, dona eis requiem*, audivit voces clamantium à remotis: *Festinate, festinate pacem suscipere, quia jam Missa propinquat ad finem.* Qui mox ut stabat Christi Corpus tenens in manibus, fuit raptus in spiritu, & vidit innumerabilium animarum multitudinem festinantem ad pacem. Et aliis recedentibus percepta pace, alias audivit clamantes: *Festinate, festinate, quia jam Missa propinquat ad finem.* Sic Monachus stetit à prima ferè hora diei usque ad horam nonam, præstolantibus aliis, & mirantibus quid stans haberet immobilis. Tandem verò reversus ad se, finivit Missam: & præcipiente Abbate, cunctis quid vidisset exposuit, & post paucos dies ipsemet Monachus vitam finivit. *Hactenùs Cantipratanus.*

i *To. Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 53. apud Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1232. cap. 3. n. 7.*

§. XIII.

De miraculis Sacramenti Eucharistiæ, quibus excitamur & ad credendum realem in illa præsentiam Corporis Christi, & ad recolendum Sacrosanctam Passionem suam.

I. ANNO 1178. (a) B. Gaufredus Monachus Claravallensis, postea Episcopus Sorensis in Sardinia, admirandæ pietatis vir, virtutibus & revelationibus & signis clarissimus. *De quo loquens Author Exordii Ordinis Cisterciensis,* [b] *refert illustre quoddam miraculum, eius tempore inventum in Eucharistia, cùm dicat*: Consilium ejusdem Præsulis fuit, ut quædam ipsius Basilica vetus & ruinosa dilapidaretur, & in majorem statum repararetur. Cùm ergo ipsum Altare in præsentia sua dirui præcepisset, reperit in eo Capsellam scabrosam ac veterem, Sanctorum Reliquias continentem. Porrò inter easdem Reliquias Corpus Domini repositum erat, quod ita sanum & integrum, ita mundum & candidum, & ab omni corruptione penitùs alienum inventum est, ac si recentissimè ibi repositum fuisset. Sanè nemo in terra illa repertus est, qui ejusdem Ecclesiæ vel Altaris constitutionem, vel constructionem, vel consecrationē se vidisse recoleret. Viso itaq; tanto miraculo, universi qui aderant, lætati sunt valdè, & ædificati in fide glorificaverunt Deum, cognoscentes utique ipsum esse Sacratissimū Corpus Christi Domini, de quo veraciter scriptum est: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. *Hæc Author Exordii magni habet: cujus verba leguntur etiam apud Herbertum lib. 3. de Miraculis cap. 10.*

II. *Anno 1640. Angelus Manrique vir doctissimus & clarissimus, dum scriberet Annales Cistercienses, & ageret de Monasterio Petræ Ordinis Cisterciensis in Regno Aragonum,* (c) *hac memoria prodit*: Multa quidem illustrant hoc Cœnobium: sed inter alia, imò supra alia, Sacræ Eucharistiæ species à multis annis transmutatæ in Carnem, [Mysterium vocant incolæ] quæ in hunc usque diem perseverant, visunturquè, & devotè venerantur anniversaria & festiva Solemnitate. *Hactenùs Manrique.*

III. Anno 1194. contigit, (d) ut cùm Augustana quædam fœmina ex sacro Altari Sacrosanctam Eucharistiam more Christiano suscepisset, illam paulò post clàm ex ore extraxerit, ac ceræ involutam domi suæ quinque annis asservaverit. Quæ divino deinde adacta impulsu, factum tamdiu dissimulatum celare ampliùs minimè valens, Religioso viro Berchtoldo Cœnobii Sanctæ Crucis Præposito confessa est, & Hostiam Sacram ceræ inclusam ultrò ei restituit. Aperiens ille aliquantulùm ceram, Corpus Dominicum in carnis forma tenui, & filio rubeo simili

a *Henriquez in Menol. Cist. ad diem 14. Octob.* b *Auctor Exordii magni lib. 3. cap. 23. apud Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1178. cap. 3. n. 8.* c *Idem Manrique ibid. ad ann. 1194. cap. 5. nu. 8.* d *Ex Libercu lo de vera & reali Christi præsentia in SS. miraculoso Sacramento, impresso Dilingæ anno 1662.*

mili in extremitate apparere deprehendit: ac ceram deinde utrinque omninò detrahens, illud quasi in duas partes divisum, venulis tamen quibusdam veluti nexibus connexum reperit. Obstupuit igitur viso tanto miraculo: ceræquè denuò implicatum Sacramentum recondidit, ac rem totam Udalscalco, tunc temporis Episcopo Augustano explicavit. Qui comitante Clero, populoquè universo, illud è Sanctæ Crucis Templo ad Cathedralem Ecclesiam honorificentissimè detulit: & triplo, vel quadruplo interea adauctum incremento, ac dehinc etiam à tempore Paschæ usque ad festum Sancti Joannis Baptistæ, inter Missarum præsertim solemnia, omnibus cernentibus, eousque excrevisse & intumuisse comperit, ut ceram à se planè disjunxerit. Quam avulsam postea, separatim cum Sacra Hostia vasculo cristallino (in quo etiam nunc asservatur) ita inclusit, ut absque fractura vasculum illud aperiri nequeat. Certus igitur Udalscalcus de tanto miraculo, summum id Omnipotentis beneficium ad confirmandam & augendam credentium fidem divinitùs concessum recognoscens, Sacram illam Hostiam in Templum prædicti Cœnobii solenniter reposuit: ac ne ejus memoria ex hominum mentibus aliquando excideret, solenne Officium de eadem Sacra Hostia quotannis undecima die Maii Augustæ celebrari constituit. Ut autem populo Christiano rei gestæ veritas, ac quanto in honore Deus hoc Sacramentum haberi vellet, evidentiùs constaret; plurima divinitùs beneficia collata sunt iis, qui variis languoribus & ægritudinibus laborantes ad illud ex pio voto venerabundi accesserunt. Multi à gravissimis periculis liberati sunt: multis oculorum cæcitate perculsis, linguæ aliorumquè membrorum usu destitutis, febricitantibus, maligno spiritu obsessis, aliisquè morbis gravibus divexatis restituta est sanitas; dum piâ animi fiduciâ, vel ex propinquis, vel ex remotioribus partibus & locis venientes, supplices Deo preces pro recuperanda valetudine coram Sacratissimo hoc Sacramento obtulerunt. *Hactenus Historia de Sacra Hostia miraculosa, quæ Augustæ Vindelicorum in Ecclesia S. Crucis Canonicorum Regularium, ab anno 1199. in hodiernum usque diem sub rubea Carnis specie visitur & colitur.*

IV. *Anno* 1198. *Herbertus ex Monacho Claræ-vallensi Archiepiscopus Turrium Sardiniæ scripsit de Miraculis libros tres. In quibus inter alia, hoc prodit memoria miraculum de Eucharistiæ Sacramento, in arca recondito, quod in Carnem conversum fuit, & divini luminis indicio proditum. De hoc autem miraculo* (e) *sic narrat*: Referente Christianissimo Rege Francorum Ludivico cognovimus, in pago Atrebatensi ante biennium tale quoddam de Corpore Domini accidisse miraculum. Die sancto Paschæ mulier quædam ad Ecclesiam eunti filio suo præcepit, ut postquam communicâsset, duobus parvulis suis domi remanentibus Corpus Domini secum afferre satageret. Qui jussa parentis exequi cupiens, duas Oblationes sacras, ignorante Presbytero, de Sacrario tulit, atque attullit matri. Illa verò suscipiens eas, unam communicaturis infantibus dispertivit, alteram institâ colligatam diligenter in arca recondidit. Post paucos itaque dies unus ex puerulis ejus vidit immensa luminaria circa eandem arcam divinitùs accensa, quæ totam domum ingenti claritate perlucebant. Quod videns infantulus, matrem suam festinanter accersiit, verbo digitoquè demonstrans luminaria copiosa, quæ in oculis ejus radiabant. Cùmquè mater intentè respiceret, & nihil penitùs videre prævaleret, arcam illam appositâ clavi reserare tentavit; sed nulla virtute, nulla funditùs arte prævaluit. Undè mirata & obstupefacta vehementer, properavit adducere Presbyterum ipsum ad tale miraculum intuendum. Qui cùm festinus adesset, & claritatem illam quam puer aspiciebat, videre non posset, illicò clavem illam de manu mulieris accepit, & sine ulla difficultate arcam celeriter reseravit. Quam cùm aperuisset, institam illam in qua ligata erat Eucharistia, infectam sanguine reperit: & eandem Hostiam Sacrosanctam, manente figura panis, in speciem Carnis permutatam invenit. Quo viso Presbyter, & qui cum eo erant mirati sunt valdè; & adorantes Deificum Corpus, cum honore & reverentia ad Ecclesiam detulerunt, atque in Sanctuario dignè collocaverunt.

V. *Anno* 1178. *idem Herbertus scribit,* (f) *Hostiæ Sacrosanctæ partem majorem in Carnem mutatam esse, cùm dicat*: Eodem Rege quo supra, referente cognovimus, quòd in pago Carnotensi hujusmodi signum super eodem Sacramento contigerit. Sacerdos quidam, dum Sacramenta offerret, invenit ante fractionem Corpus Dominicum in speciem defæcatæ ac pulcherrimæ carnis ex majori parte mutatum, ita tamen ut evidenter ejusdem Hostiæ circulus & literæ semper in ea apparerent. Verumtamen illa pars Hostiæ, quam inter digitos suos Presbyter tenuerat, solummodò panis speciem retinebat. Videns itaque Sacerdos, & plebs universa quæ aderat, rem tam mirabilem, obstupuerunt: & exultantes in Domino, cum tremore ipsam Eucharistiam in Sacrario collocaverunt; ubi etiam nunc in vase cristallino reposita, honorificè custoditur. Nuper verò cùm quidam Capellani & Clerici supradicti Francorum Regis, viri fideles & honesti, hujus rei veritatem nobis pro certo adstruerent; adfuit etiam unus inter eos, qui, teste DEO, asseverabat se ipsam Eucharistiam eodem modo quo prædiximus, immutatam propriis oculis aspexisse.

VI. *Anno* 1178. *idem Herbertus refert,* (g) *Hostiam Eucharisticam in Carnem conversam esse, & Calicem in Sanguinem commutatum in manibus sacrificantis Presbyteri, scribens ita*: Quidam honestæ conversationis Presbyter, dum in quadam feria sexta sacrificaret, reperit ante perceptionem Hostiam Sacratam in similitudinem carnis esse conversam, ipsumquè Calicis Sacramentum in speciem

Sanguinis

e *Herbertus de Miraculis lib. 3. cap. 20. re impressis Divione ann. 1660. curâ P. Petri Francisci Chifletii Soc. Jesu, sub titulo hoc S. Bern. Abbatis Genus illustre Assertum.*

f *Idem Herbert. ibid. lib. 3. cap. 21.* g *Idem ibidem cap. 22.*

Sanguinis commutatum. Quod cùm ille vidisset, nihil omninò exhorruit, sed totum fideli ore percepit. Cùmquè peractâ Missâ hoc ipsum quod acciderat, Episcopo suo revelâsset; increpavit eum Episcopus, quòd tantum Dei munus sibi ad videndum minimè reservâsset. Sequenti verò feriâ Sextâ cùm itidem Missam celebraret, idem ei miraculum accidit, ipsumquè Episcopo cernendum reservavit. Quod cùm ille vidisset, cunctisquè videndum exhibuisset; immensas Omnipotenti Deo gratias retulit, ac ipsum Sacramentum veluti thesaurum incomparabilem, præcepit in Ecclesia cum digna veneratione custodiri.

VII. *Eodem anno idem Herbertus* [h] *aliud miraculum prodit memoriæ in hæc verba*: Sanctimonialem quandam fœminam novimus, quæ magnis virtutibus pollens, etiam prophetandi gratiam habere probatur. Huic autem nuper Christus Dominus apparens, tale quid revelare dignatus est, dicens: *Inhonestiùs me tractant fideles mei, quàm Judæi, sive pagani. Modò namque fecêre me porcarium, depositum tenentes in proxima villa Corpus meum absconditè atque vilissimè in stabulo porcorum, ne porci pestilentiâ aut mortalitate dispereant.* Cùm igitur ancilla DEI protulisset in medium verbum hoc, continuò cœperunt investigare diligenter etiam cum interminatione anathematis, quis tantum sacrilegium perpetrâsset. Videns itaque reus quia jam latere non poterat, confessus est tandem malum quod egerat, ostendens etiam in ostio suilis foramen occultum, in quo Dominicum Corpus erat occultatum. Aperto igitur aditu, repererunt Hostiam sacrosanctam, in similitudinem carnis jam ex magna parte mutatam. Videntes verò fideles Sanctum canibus datum, & margaritam porcis appositam, graviter ingemuerunt; tollentesquè Sacrum de non sacro, cum timore & reverentia magna ad Ecclesiam reportârunt, atque in Sacrario [ut dignum est) reposuerunt.

VIII. *Eodem anno idem Herbertus* (i) *simile miraculum refert, his verbis dicens*: In Episcopatu Carnotensi quidam rusticanus atque pauperculus homo erat, qui nescio à quo impostore maligno audierat, quòd si Dominicum Corpus secum assiduè circumferret, in modico tempore divitiis abundaret. Accipiens itaq; die Paschæ sacrosanctũ Domini Corpus, integrum ore retinuit. Quòd protinùs affuens in margine cappæ, multo secùm tempore tulit: nec tamen ei paupertas & miseria defuit. Hic autem homo tactus ægritudine lethali, ad extrema devenit. Cùmquè se morti propinquare conspiceret, tandem miser ad se reversus, miserabili sensit experimento illud verum esse, quod ait Apostolus: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Dolens ergo & pænitens, confessus est rapinam, quam sacrilego ore pervaserat: indicans etiam corporale indignum, in quo dignissimum Corpus repositum erat. Accipiens itaque Presbyter ipsam vestem, & coram astante populo dissuens eam, invenit Hostiam sacram, (pristina quidem manente figura) in naturam & speciem carnis omninò conversam. Quod cùm nunciatum esset Præsuli Carnotensi, protinùs ad locum cum comitatu magno venire curavit. Assumensquè thesaurum illum incomparabilem, & ad Civitatem ipsam maximo cum honore deferens, (occurrente sibi Clero & populo innumerabili) in Ecclesiam B. V. Matris Dei solemniter intulit, ibiquè dignissimè conservandum, decenter ac sublimiter collocavit.

IX. *Eodem anno idem Herbertus* (k) *aliud miraculum narrat, ita scribens*: Quidam homo rusticula, dum ad cujusdam sortiarii sibilos virulentos malè credulam aurem applicuisset, persuasum est illi quòd si ore tenendo Dominicum Corpus insufflaret alveariis, apes inde plurimùm essent profecturæ, & crebriora examina mitterent, & uberiora mella conficerent. Perceptâ igitur Eucharistiâ, & ore retentâ, ad apiarium venit. Cùmquè per singulos calathos insufflando procederet, contigit tunc, ut Hostia sacra ab ore sufflantis elapsa, in unum calathorum per foramen intraret: quæ mox divinitùs acta, superiùs avolavit, ibiquè in superiori crate congruè locata triennio latuit. Cùmquè peritus ille insibilator curiosiùs intrò prospiceret, & eam minimè reperiret, contempsit & abiit: ipsum tamen calothum ne amoveretur, diligenti cura notavit. Post tres autem annos correptus ægritudine gravi, mortem in januis adesse cognovit: accersitoquè Presbytero confessus & pænitens, recognovit audaciam puniendam quam superbè præsumpserat, ipsamquè jacturam intolerabilem, quam postea negligenter incurrerat. Percunctante autem Presbytero utrumne præsepium illud agnosceret, in quod Hostia cecidisset: respondit sese optimè scire, nec distulit in continenti ostendere. Tunc igitur effracto canistro, Presbyter & qui aderant multi repererunt Dominicum Corpus diligenter & honestè reconditum in superiori statu, ita prorsùs integrum atque decorum, ac si fuisset ibidem ea die repositum.

X. Anno 1148. (l) Sanctus Malachias Archiepiscopus Hiberniæ, Sanctissimo Patri Bernardo singulari amicitiæ fœdere junctus, (qui Ordinem Monasticum in sua Insula jam penè collapsum, assumpto Cisterciensi habitu, secundùm Institutum nostrum reformavit,) crebris miraculis, ac Apostolico & prophetico spiritu plenus, in ipsa Claravalle feliciter obdormivit in Domino. *Ejus vitam scripsit Sanctus Bernardus, ubi inter alia miracula narrat, quendam Clericum malè sentientem de Eucharistia,* (m) *reductum esse ab eo ad viam veræ fidei, exprimens his verbis*: Fuit quidam Clericus in Lesmor probabilis [ut fertur] vitæ, sed fidei non ita. Is sciolus in oculis suis præsumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodò Sacramentum, & non rem Sacramenti, id est, solam sanctificationem, & non Corporis veritatem. Super quo à Malachia secretò & sæpè conventus est, sed in cassum. Vocatus autem ad medium est, seorsim tamen à laicis, ut si fieri posset sanaretur, & non confunderetur. Itaque in Conuentu Clericorum data facultas homini est pro

f sua

h *Idem ibidem cap.* 28. i *Idem ibid. cap.* 29.

k *Idem ibid. cap.* 22. l *Henriquez in Menolog. Cisterc. ad diem* 2. *Novemb.* m *S. Bern. lib. de vita S. Malachiæ Archiepisc. Hiber. cap.* 26. *quæ legitur tom.* 4. *Operum S. Bern. pag.* 461.

ſua ſententia reſpondendi. Cùmquè totis ingenii quo non mediocriter calebat, aſſerere & defendere conaretur errorem, Malachia è contra diſputante & convincente, judicio omnium ſuperatus, de Conventu confuſus quidem exiit, ſed non correctus. Dicebat autem ſe non ratione victum, ſed Epiſcopi preſſum authoritate. *Et tu* [inquit Clericus) *ô Malachia ſine cauſa me hodie confudiſti, adversùs profectò veritatem locutus, & contra tuam ipſius conſcientiam*. Mæſtus Malachias pro homine ſic indurato, ſed magis fidei dolens injuriam; timens verò periculum, Eccleſiam convocat, errantem publicè arguit, publicè monet ut reſipiſcat. Suadentibus hoc ipſum Epiſcopis & univerſo Clero, cùm non acquieſceret, contumaci anathema indicunt, hæreticum proteſtantes. Nec ſic evigilans: *Omnes* (inquit ille) *favetis homini potiùs quàm veritati: ego perſonam non accipio, ut deſeram veritatem*. Ad hoc verbum ſubſtomachans Sanctus Malachias: *Dominus* (inquit) *fateri te veritatem faciat vel ex neceſſitate*. Quo reſpondente *Amen*, ſolvitur Conventus. Tali ille inuſtus cauterio, fugam meditatur, infamis atque inhonorus fore non ſuſtinens, ſed continuò ſua tollens exibat: & ecce ſubita correptus infirmitate ſiſtit gradum, viribuſquè deficiens, in eodem loco jactat ſe ſuper ſolum anhelus & feſſus. Incidens autem in id loci quidam vagabundus inſanus homo, offendit Clericum, quem percontatur quidnam ibi agat? Reſpondet Clericus, gravi ſe infirmitate teneri, & neque procedere, neque redire valentem. Et ille inquit: Infirmitas iſta haud alia eſt, quàm ipſa mors. Hoc autem non dixit à ſemetipſo: ſed pulchrè Dominus per inſanum hominem corripuit Clericum, qui ſanis acquieſcere noluit conſiliis Senſatorum. Et addit homo ille inſanus: Revertere domum, ego te juvabo. Deniquè ipſo duce Clericus revertitur in Civitatem, redit ad cor, & ad miſericordiam Domini. Eadem hora accitur Sanctus Epiſcopus Malachias, agnoſcitur veritas, abjicitur error: confeſſus reatum Clericus abſolvitur, petit viaticum, datur reconciliatio; & uno penè momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur. Ita mirantibus cunctis, ſub omni celeritate completus eſt ſermo Malachæ Epiſcopi, & Scripturæ pariter dicentis: *Tantummodò ſola vexatio dat intellectum auditui*.

§. XIV.

De aliis miraculis Sacramenti Euchariſtiæ, quibus inducimur tam ad credendum realem in ea Corporis Chriſti præſentiam, quàm ad recolendum Paſſionem ejus.

I. ANno 1178. *Herbertus* (a) *hæc memoriæ prodit, ſcribens ita*: In Provincia Flandriæ terribile quid accidiſſe comperimus. Quidam carnalis ac perverſus homo cùm morti appropinquâſſet, allatum eſt ei Dominicum Sacramentum ut communicaret: quod cùm ille fuiſſet intuitus, illicò repercuſſis oculorum luminibus, quaſi magno fulminis ictu vehementer infremuit, & vibrato corpore de lecto exiliens, raptu dæmonum elevatus eſt ſupinus in aëra ſurſùm; ac protinùs extra lectulum recidens, medius crepuit, & animam infelicem evomuit. Porrò de manu Presbyteri Corpus Domini excluſum, & in eodem lectulo cadens, ſuper linteum venit. Ipſe autem Presbyter nimio terrore percuſſus, dementiam incurrit. Qui etiam multo poſtea tempore ſuperſtes, nunquam ſenſum recuperavit; ſed quaſi beſtia factus, quotidianam procurationem accipiebat de domo Comitis Flandrenſis.

II. *Anno* 1212. (b) *cùm diabolus invideret gloriæ fidei per tot ſigna oſtenſæ, & veris miraculis falſa præſtigia ad decipiendos homines opponeret, ut olim in Ægypto; ſed quali impotentia & confuſione, Cæſarius* (c) *deſcribit verbis ſequentibus*: Tempore illo, quo manifeſtari cœperunt hæreſes Albigenſes, quidam maligni homines virtute diabolica ſuffulti, quædam ſigna atque portenta oſtenderunt, quibus & eaſdem hæreſes roboraverunt, & multos fidelium in fide ſubverterunt. Super aquas enim ambulaverunt, & non ſunt ſubmerſi. Cernens hoc Sacerdos quidam & fide Catholicus & vitâ religioſus, ſciensquè vera ſigna cum falſa doctrina eſſe non poſſe, Corpus Domini in pixide repoſitum ad flumen (ubi illi maligni ſuas populis oſtenſuri eſſent virtutes) deportavit, dixitquè in audientia omnium: *Adjuro te diabole, per eum quem in manibus porto, ne in hoc flumine ad hujus populi ſubverſionem exerceas tantas phantaſias per hos homines*. Poſt hæc verba, illis ſuper undas fluminis ambulantibus ut priùs, Sacerdos turbatus, Corpus Dominicum in flumen jactavit. O mira Chriſti potentiâ! Mox enim ut elementum tetigit Sacramentum, phantaſia ceſſit veritati, & pſeudo attachi ſancti illi quaſi plumbum deſcendentes in profundũ ſunt ſubmerſi: pixis verò cum Sacramento ſtatim ab Angelis ſublata eſt. Videns Sacerdos hæc omnia, de miraculo quidem exul-

a *Herbert. de Miraculis lib. 3. cap 25.* b *Manrique in Annal. Ciſt. tom. 3. ad ann. 1212. cap. 2. num. 5.* c *Cæſarius Heiſterbac. in ſuis Dialog. Lib. 9. cap. 22. relatus ab eodem Manrique ibid.*

exûltavit, sed de jactura Sacramenti doluit: totam verò noctem in lachrymis & gemitu transigens, manè pixidem cum Sacramento reperit in Ecclesia super Altare. *Hactenus Cæsarius.*

III. Anno 1218. (d) mare in partibus Frisiæ terminos suos egrediens, multarum Provinciarum terras inundavit, villas delevit, Ecclesias lapideas dejecit: tantamquè extinxit hominum multitudinem, ut summa centum millia transcenderet. Ita enim exaltati sunt fluctus inundationis hujus, ut turrium altitudines operiri viderentur; & procella procellam impellens, generale diluvium minaretur. Qui quidem fluctus furentes etiam usque Coloniam pervenissent, si non is qui eos excitaverat, Genitricis suæ precibus compescuisset. Friso tamen quidam arte pugil, in eadẽ Provincia extitit causa: qui quoties de taberna ebrius rediit, toties uxorem verberibus & plagis satis tribulavit. Quæ tempore quodam timore mariti infirmitatem simulans, ne simulatio eadem posset notari, Corpus Domini sibi dari postulavit. Venienti autem Sacerdoti pugil ille cum scypho cerevisiæ ebrius occurrens, bibere monuit. Et cùm Sacerdos responderet: *Corpus Domini porto, non modò bibam*: iratus Friso pugil, scypho Pixidem percussit, & omnes Hostias de illa excussit, ita ut per pavimentum dispergerentur. Matronæ verò, quæ consolationis gratiâ convenerant, super singulas Hostias tanquam stellas radientes viderunt; quas Sacerdos gemens ac dolens, in Pixidem recollegit, & abiit. Friso deindè à Decano Provinciæ citatus, excommunicatus est, sed non curavit: qui tamen ad hoc compulsus est, ut Cruce pro tanto sacrilegio signatus, cum dicto Sacerdote etiam Cruce signato veniret Romam. Cui Honorius Papa Tertius culpam confitenti pro pænitentia injunxerat, ut mare transiret, ibiquè tribus annis in armis Christo serviret. Quid plura? Mare transierunt ambo, & ante Damiatam Ægypti civitatem mortui sunt ambo, Quibus defunctis, cùm anno eodem Dominus Provinciam Frisiæ terribiliter (ut supra dictum est) plagâsset, & causa plagæ populum lateret; matronæ cuidam valdè religiosæ, Domino in jejuniis & vigiliis & orationibus & eleemosinis servienti, (matercteræ videlicet Domini Winoboldi Abbatis Cænobii Sancti Bernardi in Frisia) Beata Deigenitrix Maria lachrymis ejus mota, populiquè miserta, apparens sic ait: *Propter injuriam Filii mei in Sacramentum Corporis ejus factam, submersa est Frisia, & adhuc ampliùs plagabitur, si condigna pænitentia non fuerit subsecuta.* Moxquè adjecit Mater misericordiæ: *Leva oculos tuos contra mare.* Quod cùm fecisset, contemplata est Pixidem à pugili percussam in summitate fluctuum natantem. Quæ cùm tantùm approximâsset, ut posset cognosci, ait: *Ecce Corpus Filii mei: in loco enim ubi dispersum est, ædificanda est Ecclesia, & debet ei tanta exhiberi reverentia, quomodò Sepulchro Dominico. Hoc etiam noveris, quòd ambo mortui sunt, pugil scilicet & Sacerdos: sed pugil eò quòd sine contritione obierit, sepultus est in inferno; Sacerdos verò tenetur adhuc in purgatorio.* Hactenùs Mater totius misericordiæ.

IV. Anno 1317. (e) in Herkenrodensi Cisterciensium Virginum Monasterio cæpit recoli memoria Sacramenti miraculosi, quod ibidem summa cum religione asservatur; & ad quod propter multiplices rerum formas, variasquè figuras quæ se passim offerunt intuentibus, ex diversis Provinciis magna populi multitudo confluere solet. Alii enim Christum in Crucem actum, (f) alii spineâ coronâ redimitum, seu flagellis cæsum, alii deniquè gloriosum, quasi tunc à mortuis surrexisse, alii alia obtuentur. Novi quendam nostri Ordinis Monachum, qui septies sacram Hostiam venerari meruit, & semper diversa contemplatus est: & semel puerum Jesum ovem inter brachia dulciter amplectentem conspexit. Et tandem omnes ferè, qui peregrinorum more Cænobium petunt, in sacra Pixide res admirandas deprehendunt. Horum miraculorum originem historia ipsius Henkenrodensis Monasterii, exarata in tabula, succinctè narrat his verbis sequentibus.

Anno Domini 1317. 25. Julii, in loco dicto Vivers propè urbem Fumay, in Comitatu Loozensi, infirmitate gravi homo quidam lecto decumbebat: cui cùm humana conditio mortis horrorem incussisset, sacro Viatico muniri petiit. Requisitus igitur supradicti loci de Vivers Vicepastor, is more consueto in Pixide Venerabilem Eucharistiam deferens, in ejusdem ægroti domûs mensa Pixidem apertam ex incuria (ut dicti ægroti Confessionem exciperet, eumquè ad tanto Hospiti dignum hospitium parandum hortaretur) reliquit. Nonnulli interea dignè minùs Pixidem hanc positam considerantes, indignè eandem cum sacra Hostia profanis manibus contrectarunt, ac tum demùm obstruxerunt. Audita ægroti Confessione, Vicepastor allaturus sacram Pixidem de loco in quo eam reliquerat, regressus est: qui reversus ad suum ægrotum, ut eum sacro Viatico communicaret, Pixidem magna cum reverentia aperuit. Quam cùm aperuisset, in ea sacrosanctam Hostiam quasi sordidam, ac sanguine commaculatam, Pixidis insuper linteo hærentem conspexit. Signum hoc tam mirandum Sacerdos timore magno perculsus contemplans, denuò sacram Pixidem reclusit, ac Venerabile Sacramentum celavit, ægrum suum verbis quàm potuit optimis consolatum relinquens. Referens igitur tremendum istud Mysterium ad suam Ecclesiam, cuncta ex ordine ejusdem Ecclesiæ Pastori exposuit. Quod Venerabilis ille Pastor intelligens, præ animi dolore & tremore valdè fuit anxius, nesciens quamnam ob causam tantum signum accidisset. Præcepit tamen ei, ut Venerabile hoc Sacramentum ad Monasterium Monialium de Herkenrode Ordinis Cisterciensis deferret, & insimul cuncta quæ contigerant, narraret cuidam doctissimo ac religiosissimo Viro, Domno Simoni, qui tunc temporis in

l 2 eodem

d *Idem Cæsarius ibidem lib. 6. cap. 7. relatus à Manrique in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1215. cap. 6. num. 1.*

e *Henriquez in Menol. Cist. ad diem 25. Julii impresso Antuerpiæ anno 1630.* f *Idem ibid. in Annotat.*

eodem Monasterio commorabatur. Vicepastor igitur nihil cunctatus, jussa exequi festinavit: quod bestiæ agri divino impulsu [ut ita dicam] præsentientes, suo modo congeniculantes ante hoc Venerabile Sacramentum, in eodem naturæ Auctorem se venerari & adorare his signis protestatæ sunt. Insuper Vicepastore Ecclesiam dicti Monasterii intrante, campanæ duæ sine alicujus adminiculo ultrò sonuerunt. Cantabatur tunc temporis in ipsa Ecclesia Introitus Missæ de Sancto Petro ad Vincula, qui incipit, *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum*: quem cantum eò avidiùs audire desiderabat, quò cælestis ille thesauri bajulus multis divinis cogitationibus in itinere fuerat recreatus. Unde certissimè eliciebat, Sanctum hoc Sacramentum præcipuè illo in Monasterio debere honorari & coli. Sacrificium Missæ tunc peragebat Religiosus quidam nomine Adamus, qui (sacrorum tamen signorum præsentiæ nescius) sese paulisper ab Altari divertit, necnon profunda humiliquè inclinatione Sacrum hoc Sacramentum adoravit. Nec solùm: verumetiam in eodem Sacramento (quamvis occultato) ei apparuit figura humana, circumsepta formâ cujusdam coronæ. Sed & eodem temporis spatio dæmoniacus quidam liberatus est. Ab eo tempore nunquam cessavit, neque hodie usque cessat Venerabile hoc Sacramentum manifestare omnibus peregrinis effectus suos divinos ac miracusos. *Hactenùs Historia ex ipsius Monasterii Herkeurodensis Archivio desumpta anno* 1630.

V. Anno 1206. (g) cùm Cistercium arderet spiritu, vir planè sanctus nomine Everhardus, Sancti Jacobi Plebanus apud Coloniam, ab Abbatibus Cistercii congregatis (charitate operante) non est admissus ad Ordinem. Quippè sciebant vitam ejus sanctam, ac suis ovibus esse pernecessariam: nec dubitabant communem utilitatem propriis commodis, & Dei gloriam privatæ anteponendam. Adhæsit tamen anima ejus nostris, à quibus solo habitu Monachali, ne gratiæ Dei collatæ sibi deesset, dividebatur: ut revera inter nostros memorari non immeritò debeat, qui noster affectu, & nisi per nos ipsos stetisset, opere fuit. *De hoc Everhardo jucundum satis miraculum* (h) *Cæsarius narrat his verbis*: Cùm die quadam Corpus Domini deferret in Pixide ad infirmum communicandum, & devenisset in viam arctam & angustam, essetquè nimis lutosa atque profunda, obvios habuit asinos frumento oneratos: sacci autem parietem ex parte una contingebant, ex altera verò de via dependebant. Scholaris verò qui præcedebat cum laterna, magno cum labore nunc impellens asinos, nunc ab ipsis impulsus pertransivit. Sacerdos hæc videns, & quòd vir senex esset ac debilis, considerans, pallere cœpit ac tremere, timens ab asinis impelli, & in luti illius profunditatem unà cum Sacramento præcipitari. Necesse erat ut tentatio talis justum probaret, quatenùs fides ejus clarescceret. Cernens itaque humanum deesse auxilium, ab eo quem portabat inspiratus, prorupit in hæc verba: *Quid est, quod agitis asini? numquid non consideratis quem gestem in manibus meis? State, descendite: date honorem Creatori vestro: in ejus siquidem nomine vobis præcipio.* O mira obedientia animalium brutorum! ad vocem Sacerdotis simul omnes steterunt, simul descenderunt. Accessit adhuc miraculum miraculo. Cùm enim esset descensus laboriosus, tamen non sunt lapsi sacci de dorsis asinorum: quorum obedientiam Vir sanctus admirans, Deumquè glorificans, sine periculo ad infirmum pervenit. Hoc factum satis celebre est usque hodie in civitate Coloniensi. *Hactenùs Cæsarius.*

VI. *Anno* 1178. *scribit Herbertus*, (i) *Eucharistiam ad moribundam fœminam latenter transmissam, publicatam esse à maligno spiritu, sic narrans*: In Territorio Catalaunensi, in vico quem nuncupant Belesmum, erat Presbyter quidam nomine Willelmus, homo labricus multùmquè inhonestus. Ad hunc itaque veniens aliquando quidam laicus homo, rogabat eum pro quadam paupercula parochiana sua, (quæ in rure proximo commanebat) ut eam citiùs visitaret, & morienti sacrum Viaticum ministraret. Ipse verò (ut erat piger & negligens) ire recusavit, sed eidem homini laico Corpus Domini committens, ait: Vade, & dicito Clerico illi qui in ipso viculo habitat, ut morientem fœminam audiens, hanc ei Eucharistiam tradat. (Erat autem nox.) Abiens itaque homo laicus cum Dominico Sacramento, dum esset in itinere, reperit in ipsa via jacentem spiritum immundum, & quasi mortuum aliquem, sudurio candido coopertum. Quem cùm primò vidisset, inhorruit: moxquè signo Crucis armatus, & Sacri Corporis virtute confisus, declinavit paululùm ab eo, & ita pertransiit. Tunc ille qui mortuus videbatur, repentè surrexit, & clamans post eum, dixit: *Nisi ille quem portas, tibi nunc præsidio esset, utiq; malo tuo huc advenisses.* Quo dicto versipilis insidiator evanuit: & ita nocenter innocens, atque inutiliter utilis fuit, qui nonmodò non potuit malignitatem explere quam vellet, verumetiam cogente Domino confessus est veritatem, quam dicere nollet.

VII. *Eodem anno Herbertus narrat*, (k) *qualiter celebrante Missam sacrilego Sacerdote, dum vellet communicare, Corpus & Sanguis Christi è patena caliceque evanuerunt. Hoc autem miraculum ita describit*: Presbyter quidam sæcularis appellatus est ad Dominum Papam, & accusatus coram eo de noxa criminali: qui cùm ab eo interrogaretur etiam sub anathematis comminatione, elegit potiùs excommunicari, quàm veritatem de perpetrato crimine confiteri. Et quoniam legitimis attestationibus convinci non poterat, dimissus est tandem velut innocens reus, ipsius qui non fallitur examini reservandus. Cùmquè reversum ad propria graviter remorderet conscientia, reliquit interim habitum Clericalem, (non animum sæcularem) ingressusquè Monasterium Clericorum Regularium, professus est inibi vitam regularem. Qui cùm jam in eo plurimum

g *Manrique in Annal. Cist. tom. 3. ad ann. 1206. cap. 5. num. 6.*
h *Cæsarius in suis Dialog. lib. 4. cap. 89. relatus à dicto Manrique loco citato, num. 7.*

i *Herbert. de Miraculis lib. 3. cap. 24.* k *Idem ibid. cap. 23.*

mum temporis peregisset, nolebat ullo modo confiteri justam illius excommunicationis sententiam, qua à Summo Pontifice innodatus erat; & tamen Sacerdotis officio incessabiliter fungi punienda temeritate præsumebat. Quadam itaque die sacrificante illo, & *Agnus Dei* iam dicto, cùm super patenam Corpus Domini posuit, & coram ipso modicè inclinando caput humiliâsset, continuò se erexit ut solito more communicaret. Sed (quod est mirabile dictu) eadem hora Angelico (ut fas est credere) ministerio sublatus est invisibiliter Panis ille cælestis de patena, & de calice Sanguis. Quod cùm Presbyter ille conspiceret, turbatus & contritus illicò obstupuit, nimirùm intelligens ac sciens, quàm justo & quàm tremendo judicio Dei evenisset: moxquè celeriter adiens Patrem spiritualem, confessus est tandem compunctus & pœnitens impietatem suam, quam etiam ipso tacente jam cæli revelabant.

VIII. *Eodem anno idem Herbertus* (l) *scribens de quadam fæmina pudica, quæ solita est videre tempore sacrificii Missæ Infantulum Jesum, probis spontè illabentem, ab improbis verò abhorrentem, sic narrat*: In Civitate Ambianensi est quædam mulier sancta & pudorata, quæ marito favente jam plurimis annis in castitatis proposito perseverat. Huic autem de Sacramento altaris Dominus magnalia revelare dignatur, quæ paucissimi hominum videre merentur. Cùm enim in Ecclesia celebrarentur sacrosancta Mysteria, solita est videre sæpissimè Dominum Jesum Christum supra sanctum Calicem in aëre stantem, in effigie parvuli super Solis radium coruscantis, ita ut oculi ejus à fulgore luminis reverberarentur. Horâ verò perceptionis ille sacer Infantulus in os Sacerdotis cum ipsa communione ingreditur; & nihilominùs ad eandem benedictam fæminam veniens, visibiliter ac sensibiliter ori ejus illabitur, ita ut fauces ejus ac viscera ineffabili suavitate & gaudio repleantur. Tres verò tantummodò sunt in eadem civitate Presbyteri, super quos istiusmodi gratiam descendere conspicit. Sacrificante verò aliquando quodam inhonestæ vitæ Presbytero, vidit mulier eundem puerum Jesum apparentem obscurum, & per totum corpus quasi cruore aspersum: qui etiam ad Sacerdotem accedere, atque in os illius intrare dedignabatur. Quod cùm illa videret, cæpit uberrimè flere; intelligens nimirùm & plangens hominem lethali vulnere interiùs esse confossum, pro quo exteriùs apparebat ita terribile signum.

IX. *Anno* 1222. (m) *Cæsarius prodit memoriæ magnum miraculum sub hujusmodi verbis*: Retulit nobis Domnus Bernardus de Lippia, Abbas Livoniæ Ordinis Cisterciensis, nunc Episcopus ibidem, rem satis gloriosam. Cùm quidam conversus, qui nuper fidem Catholicam susceperat, Monachos communicare vidisset, & sibi hoc minimè licere cognovisset, stans contra Altare communicandi desiderio suspiravit: & ecce pius Dominus (sine Sacerdotis ministerio) de Altari per Sacramentum descendere dignatus est in os ejus. Qui mox hostiam aperto ore ostendens, & causam tantæ gratiæ manifestans, cunctos qui aderant, in stuporem convertit: eandem enim Hostiam defuisse repererunt in Altari. *Hactenùs Cæsarius.*

X. *Eodem anno Chronicon Villariense* (n) *refert simile miraculum, in hunc modum*: Cùm Venerabilis Pater Guillelmus Abbas Villariensis quadam die Missam celebraturus esset, minister ejus Monachus juvenis bonæ indolis, ac bonis exercitiis totaliter deditus, petiit à sancto Patre sacram Dominici Corporis communionem sibi dari. Vir autem Dei paternarum Institutionum æmulator strenuus, petenti filio sic benignissimè respondit: *Fili charissime, die Dominica communicâsti secundùm Ordinis consuetudinem; ideo non est necessarium tuæ prounc satisfacere devotioni, cùm videatur Ordinis Institutionibus contraria. Imò credo, te salubriùs abstinere debere, quàm Patrum Statuta præterire: sed crede, & manduca saltem spiritualiter, licèt non sacramentaliter.* Ad hæc verba pii Patris, filius devotus subticuit, Deo (cui cordis abscondita manifesta sunt) suam devotionem commendans, non remurmurans, non recalcitrans, non impatiens repulsæ, sed sese humiliter custodiens infra limites veræ & perfectæ obedientiæ. Processit igitur Pater Venerabilis tantò devotiùs & sanctiùs, quantò illud Mysterium præ cæteris sublimius & diviniusest. Attendebat ad Sacra perficienda, & ecce mirum, & verè mirum! Postquam ad communionem est deventum, Corpore Christi in tribus partibus fracto, una Sanguine intingitur, altera sumitur, sed tertiam reperire non potuit: nam ab oculis Patris sancti disparuit, & in os ministri sui humilis & devoti jacentis in oratione, & puris medullis cordis deificam participationem desiderantis advolavit. Mira res, & nostris temporibus inaudita! Cui Pater sanctæ Religionis æmulator Corpus Dominicum tradere noluit, huic Deus per seipsum, ne suo frustraretur desiderio, se mirabiliter donavit. *Hactenùs de miraculis Sacramenti Eucharistiæ dicta sufficiant.*

§. XV.

1. De modo visitandi quotidie SS. Sacramentum. 2. De Communione spirituali. 3. De pia exercitatione pro his qui Missæ intersunt. 4. De de excellentia sacrificii Missæ.

I. Nullum efficacius est instrumentum (a) ad perfectionem & unionem cum Deo, quàm crebra per diem Salvatoris nostri Jesu Christi in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento latentis visitatio. Praxis autem hujus nobilissimi exercitii his ferè monitis continetur. *Primò.* Eundo ad Templum, considera & remirare incomprehensibilem Dei amorem erga te. Non enim satis illi fuit sub speciebus Sacramentalibus suum tibi Corpus & Sanguinem, ipsamquè

l *Herber. de Miraculis lib. 1. cap. 20.* m *Cæsarius Heisterbacen. in suis Dialog. lib. 9. cap. 37. relatus à Manriq. in Annal. Cisterc. tom. 4. ad ann. 1222. cap. 4. num. 10.*

n *Chronicon Monasterii Villariensis Ord. Cist. apud Henriq. in Fasc. SS. Ord. Cist. lib. [illegible] cap. 5. & apud Manriq. in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1222. cap. [illegible] Card. Bona Ord. Cistercien. in suo Horologio Ascet. cap. 5. § 2. num. 1.*

què Divinitatem tam mirabili dignatione largiri: sed jugiter etiam in Ecclesiis asservari voluit, ut in omni necessitate certissimum subsidium, in omni tribulatione tutissimum refugium, in omni rerum eventu præsentissimum consilium in proptu haberes, ejusquè præsentiâ, quantum viatori licet, perfruereris. Cùm novis igitur divinæ gratiæ auxiliis semper indigeas ad evitanda peccata, superandas tentationes, & virtutes exercendas; quid optatius tibi contingere potuit, quàm apertum accessum ad eum jugiter habere, qui solus potest te adjuvare, erudire, & consolari? Si Rex, vel Princeps magnæ potentiæ è Regia sua civitate ad exiguum oppidulum accederet, ut tibi vilissimo homini benefaceret; nonne ipsi continuò assisteres summa cum reverencia, amore, & gratitudine? Nunc autem Rex regum, & Dominus dominantium ab excelso cælorum habitaculo descendens, velatis radiis Majestatis suæ, in exigua pixide latere voluit ob inenarrabilem erga te amoris excessum: quàm detestabile ingrati animi vitium foret, non eum inflammatis amoris & reverentiæ affectibus aliquoties saltem in die visitare, & tam insignem benignitatem contemnere! Quis amicus non libenter cum amico versatur? Quis filius in suis necessitatibus non confugit ad patrem cum summa alacritate?& fiducia? Quæ sponsa non frequentissimè cum sponso moratur? Hic autem & Amicus,& Pater, & Sponsus est animæ tuæ, fons gratiarum, & omnium bonorum thesaurus inexhaustus. Accede ad eum, & vide,& gusta quàm suavis est, & delectabitur in crassitudine anima tua,dabitq; tibi petitiones cordis tui. Quære, (b) pete, pulsa: quia omnis qui quærit invenit, & qui petit accipit, & pulsanti aperietur. Clama & dic: *Amice commoda mihi tres panes*, veritatis scilicet, charitatis, fortitudinis. Deficit quippè ratio mea præ ignorantia veritatis, languet & voluntas præ inedia affectionis, infirmatur caro præ inopia fortitudinis. Commoda ergo mihi amice tres panes, ut intelligam, ut diligam, ut faciam voluntatem tuam: sic enim vivitur, & in talibus vita spiritus mei. Est etiam *Pater futuri sæculi*: (c) ut per eum scilicet in immortalitatem resurgamus, qui per præsentis sæculi patrem generamur ad mortem. Gratulare quoque, (d) gaude incomparabiliter, quia præsidentem & rectorem & sponsum habes in præsentis exilii militia. Pignus habes, arram tenes, quibus feliciter uniaris in patria. In terra sponsum habes in Sacramento, in cælis habiturus es sine velamento. Et hîc, & ibi est veritas: sed hîc palliata, ibi manifesta. Hîc utique sponsum babes suo ordine, nondum puritatis majestate, vel æternitatis securitate. Hîc revera quasi dulce præludium est, & jucunda desponsatio: ibi nuptiale convivium,& beata fiet conjunctio; cùm de fide ad speciem, de calore panum ad æternalis couvivii calorem transibimus. *Secundò*,(e) His & aliis hujusmodi considerationibus incitatus; ingredere in domum Dei usque ad locum Tabernaculi admirabilis,& confusione tui plenus, Christi presentiam viva fide apprehende, ipsumquè adora in spiritu humilitatis, & animo contrito. Ipse enim optimè novit quid sit in te, & quia nihil es; & ideò hoc recognosce & fatere coram eo. Ipse scit omnia beneficia tibi collata, pro quibus gratias age. Ipse videt omnia peccata tua, & malas inclinationes, quas recense in conspectu ejus, & veniam pete. Puta te Christum audire exprobrantem tibi ingratitudinem, & duriam cordis, tequè dignum omni malo pronunciantem in hac & in futura vita. Approba hoc judicium Christi, & tanquam executor ejus sententiæ, priva te omni bono; & paratum offer cor ad omnem infamiam, ignominiam, tribulationem, ægritudinem, pænalitatem, derelictionem, & mortem subeundam. Denique excita desiderium Deo ferventiùs serviendi: propone emendationem, & gratiam pete ad tui cordis innovationem necessariam: atque ita te compone, ut illi placeas. Magnifica nomen ejus, (f) dicens: Adoro te Christe, Rex Israël pariter & gentium, Princeps regum, terræ Dominus, Deus sabaoth, Virtus omnipotentis Dei fortissima. Adoro te, pretiosum precium redemptionis nostræ, Hostiam pacificam, qui sola odoris tui suavitate inæstimabili Patrem, qui in altis habitat, ad respiciendum humilia inclinâsti, & filiis iræ placabilem reddidisti. *Tertiò.* (g) Ad evitandum tædium, quod in ejusdem exercitii frequenti repetitione subrepere solet, varia tibi motiva propones, propter quæ Venerabile Sacramentum quotidie visitabis; quæ mutare subindè poteris, nunc unum, nunc alterum assumendo. Fines autem, sive motiva hæc sunt. I. Ut ipsum adores, glorifices, admireris. II. Ut offeras ei teipsum, & omnia. III. Ut ei gratias agas. IV. Ut indigentias tuas eidem exprimas, & remedia postules. V. Ut fruaris ejus præsentiâ, tequè cum ipso unias & communices spiritualiter. *Quartò.* (h) Accede ad ipsum eodem spiritu & aviditate, qua pauper ad divitem liberalem, esuriens ad convivium, sitibundus ad fontem, discipulus ad magistrum, filius ad patrem, æger ad medicum accedit: sit devotus affectus tuus, & fervens. Cùmquè corporaliter ad Ecclesiam ire nequis justa de causa præpeditus, imitare Danielem, & tres pueros: tequè ad Templum converte, & preces tuas eò dirige, ac si præsens adesses, & vacuus non redibis. *Quintò.* (i) Cùm aridus es, & mentaliter orare non potes, Psalmum *Credidi propter quod locutus sum*, vel Hymnum *Pange lingua gloriosi*, aut Canticum *Benedictus Dominus Deus Israel*, recita. Poteris etiam alicujus, vel pluriũ virtutum actus exercere. Poterisquoque Orationem Dominicam recitare. Nam Paulus Papa V. in sua Constitutione, (k) omnibus Religiosis cujusvis Ordinis intra Claustra viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante Altare eorum Ecclesiæ in quolibet die dixerint, quinque annos & totidem quadragenas concedit. Iis verò, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra Claustra degentes, quinquies eandem Orationem Dominicam, & totidem salutationem Angelicam ante Altare quodlibet similiter dixerint, etiam quinque annos & totidem quadrigenas concedit, & elargitur.

2.

b *S. Bern. Serm. in Rogationibus num.* 1. & 2. c *Idem Ser.* 2. *in Circumcis. Dom. num.* 5. d *Idem Serm. de SS. Sacram. num.* 7. *tom.* 6. *pag.* 735. e *Card. Bona in Horolog. Ascet. cap.* 5. §. 2. *nu.* 2.

f *S. Bern. Serm. de Pass. Dom. num.* 2. g *Card. Bona in Horolog. Ascet. cap.* 5. §. 2. *num.* 3. h *Idem ibid. num.* 4. i *Idem ibid. nu.* 5. k *Paul. Papa V. Const.* 21. §. 12. & 13. *edita anno* 1606. *in Bull. Rom. tom.* 3. *pag.* 149.

2. Sancti Patres (l) usum Communionis spiritualis commendàrunt, ut cùm quis percipere Corpus Christi sacramentaliter non potest, saltem illud spiritualiter percipiat, voto nimirùm ac desiderio, & fide viva, quæ per dilectionem operatur. De qua communione dicit Augustinus: *Crede, & manducasti.* Hæc autem Communio fieri potest, & cùm quis Missæ interest, & extra Missam, atque Ecclesiam: potestquè repeti multoties in die. Cùm Missam audis, sic procedes. Post Orationem Dominicam convertes animum tuum hac intentione ad Dominum, tuamquè fragilitatem & defectus, Deiquè majestatem in sacra Eucharistia præsentis meditaberis. Deinde *Agnus Dei* ter repetes cum Sacerdote, dolorem de peccatis tuis corde contrito excitabis; & pacem cum Deo, cum proximo, & cum teipso postulabis. Similiter iterans cum celebrante, *Domine non sum dignus*, affectu quàm potes humilitatis intentissimo, te tanta dignatione amabilissimi Salvatoris ad te venire parati indignissimum reputabis, ob peccatorum tuorum multitudinem & gravitatem: ob ingratitudinis tuæ pro tot beneficiis enormitatem: ob corporis & animæ fœditatem, & abyssalem tui nihili vilitatem. Tum Jesu Christi infinita bonitate fretus, eum invitabis ad mundandum, ornandum, & in æternum possidendum cor tuum ardentissimis suspiriis. Mox affectus fidei, amoris, & aliarum virtutum exercebis, ac si sacramentaliter communicâsses: & pro spirituali refectione gratias ages. Si verò extra tempus & locum Sacrificii spiritualiter communicare desideras, priorem Communionem sacramentalem in memoriam revocabis, & animo te conjunges Sacerdotibus offerentibus, ac ferventi desiderio dices: *Domine Deus meus, quandò te denuò in animam meam recipiam? Veni Deus meus etiam nunc in me spiritualiter, & refice me. Cupio esse particeps omnium Sacrificiorum, quæ ubique in Ecclesia Catholica tibi offeruntur. Veni dilecte mi in animam meam, purga eam stillicidio tui pretiosi Sanguinis, riga fluentis gratia, fœcunda rore misericordiæ: ut fructus proferat dulces gutturi tuo. Veni spes mea, possi le regnum cordis mei, conforma illud cordi tuo: ut idem tecum velit & nolit, nunc & in æternum.* Spirituali utique modo (m) hominū Conditor sanctis animabus id largiri solet. Non semel quippè legitur Christus cor suum univisse cordi S. Mecthildis. Cùm enim hæc Sancta à Communione regressa Deo gratias egisset, multùmquè cum illo collocuta fuisset; visum ei fuit Christum Dominum cor ejus assumere, effundere, liquefacere, & in divinum cor suum illud exprimere, ita ut duo illa corda in unum coalescerent. Illiquè dixit: *Dilecta mea, id unicè volui & desideravi, ut per flagrantia desideria hominum corda ita mihi uniruntur, ut ipsi nihil expetant voto proprio, sed omnia sua desideria secundùm cor meum disponant: non secùs ac duo venti simul spirantes, non nisi unicum & eundem aërem impellunt.* Sancta Lutgardis Ordinis nostri, (n) non contenta dono cælitùs sibi dato tam ad curandum infirmos, quàm ad perspicaciùs intelligendum Psalterium, dixit Domino: *Quorsùm verò attinet me idiotam Monialem Scripturæ arcana nosse?* At illi Dominus: *Quid vis igitur?* Et illa: *Volo*, inquit, *cor tuum.* Et Dominus ait: *Quin ego potiùs, & cor tuum.* Respondit illa: *Sit ita Domine; at sic tamen, ut cordis tui amorem cordi meo attemperes, & in te cor meum possideam omni tempore, tua protectione securum.* Facta est igitur ab ea die quædam permutatio cordium, vel potiùs unio spiritûs creati & increati per gratiæ excellentiam. Deinceps enim ita Christus cordi Virginis inhæsit, eam communiens & protegens, ut neque tentatio carnis, imò ne turpis cogitatio quidem mentem ejus vel temporis puncto infestârit. *Hactenùs Th. Cantipratanus, qui Virginem sanctam intimè novit, ita ut vix homo homini adeò familiaris inveniri posse videatur.* Rem itaque Mysterii (o) omni tempore, & in omni loco dominationis Dei, modo quo traditum est, id est, debitæ pietatis affectu, & sanctæ imitationis effectu agere, tractare, & sumere in salutem cunctis fidelibus in promptu est. Nam res Sacramenti etiam præter Sacramentum, vita æterna est accipienti. Spiritualiter tantùm sumit quisque fidelis, (p) qui est de membris Ecclesiæ, perseverans in charitate: quia licèt Sacramentum ore non contingat, virtutem tamen Sacramenti, id est, remissionem peccatorum, & spiritualis gratiæ infusionem comparat sibi per fidem & unionem Ecclesiæ. De hac sumptione quæ est spiritualis, ipse Dominus loquitur: *Caro nihil prodest, spiritus autem est qui vivificat.* Ac si diceret: Spiritualis sumptio absque carnali te vivificat. Quoties ergo (q) in commemorationem ejus qui pro te passus est, piè ac fideliter Christum imitando fueris affectus & devotus, toties Corpus ejus mãducas, & Sanguinem ejus bibis. Et quamdiù in eo manes per amorem, ipse verò in te per justitiæ & sanctitatis operationem; in ejus Corpore, & in membris ejus computaberis. Hinc est (r) quod ait Dominus in Evangelio: *Qui manducat carnem meam, in me manet, & ego in eo.* Ac si diceret: Ille in me manet, qui bonis operibus voluntatē meā adimplet. Alioquin nisi priùs maneat in me per fidem & bonam operationem, & ego in eo; Carnem meam manducare non potest, nec Sanguinem bibere.

3. Cùm sacrificium Missæ (s) sit viva & vera vitæ & passionis & mortis Christi repræsentatio, quotidie illi interesse oportet. Et si datur occasio eidem ministrandi, nullo modo negligenda est: nam cæteris paribus majus est ministrantis meritum, quàm simpliciter assistentis. In hoc autem ministerio (t) triplex est fructus. *Primò*, boni operis exercitium est. *Secundò*, opus est charitatis: quia proximum provocat ad bonum. *Tertiò*, opus est devotionis: quando enim adstas ante mensam Summi Regis, tunc cum eo loqueris in oratione & in ministerio cum Angelis, quibus & familior eris ex ministerio. Ex hoc Sacerdos specialiter, & omnes circumstantes generaliter pro te orare debent, imò tota Ecclesia ubique in orbe terrarum: eò quòd vices omnium geras, qui Domino suo de cælo cum devo-

l Card. Bona in suo Horolog. Ascet. cap. 5. §. 25. m Hæftenus in Schola Cordis lib. 3. lect. 18. ex lib. 1. Grat. Spirit. cap. 1. & 42. & lib. 2. cap. 14. & ex lib. 3. cap. 27. n Th. Cantipratanus in Vita S. Lutgar. lib. 1. cap. 16. relatus à Manriq. in Annal. Cist. tom. 4. ad ann. 1215. cap. 7. num. 1. & 2.

o S. Bern. Ser. 2. in Cœna Dom. num. 9. p Idem tract. de 3. præcip. myst. part. 2. cap. 12. q Idem Ser. 2. in Cœna Dom. num. 3. r Idem lib. de modo bene viven. cap. 28. num. 85. s Card. Bona in Horol. Ascet. cap. 5. §. 26. t S. Bern. in Opusc. Ad quid venisti cap. 11.

devotissima gratiarum actione vehementer ministrare deberent, si possent adesse. Et vix potest esse, quin Deus aliqua speciali gratia remuneret eum in præsenti, qui devotè & libenter ministrat ad Sacrificium illud tam salutare, quo nihil melius, neque sanctius potest esse in cælo & in terra. Divus Thomas jam Sacerdos & Doctor (u) post quotidianam celebrationem aliud Sacrum audiebat, cui etiam ut plurimùm ministrabat. Qui Missam cùm potest non audit, is Deo ingratus, suæ salutis immemor, & ad officia pietatis nimiùm languidus esse convincitur: in ea enim meritorum Christi inæstimabilis thesaurus cuivis Christiano proponitur, & sacrosancta redemptionis nostræ Mysteria renovantur. Si virtutes & merita omnium Sanctorum, si omnium Martyrum tormenta, si cuncta obsequia Deo præstita, præterita, præsentia & futura simul jungantur; non tam perfectam laudem & honorem Dei complecterentur, quàm unica continet Missa à quocunque Sacerdote celebrata. Atque hinc colligere potes quàm turpe sit & deplorandum, tanti Sacrificii dignitatem & utilitatem aut non æstimare ut par est, aut ignorare. Et revera hoc tremendum Mysterium ignorare aut spernere videntur illi, qui corpore præsentes in templo, mente & oculis vagantur, fabulas & nugas miscent, eiquè adstant tanquam comediæ spectatores. Hi sunt, qui in loco misericordiæ divinam contra se justitiam provocant: & nova committunt peccata, ubi vetera expiare debebant. Sed his omissis, modus piè audiendi Sacrum tradendus est. Et *primò* quidem eundo ad Ecclesiam, magnum in te excita pietatis sensum cum spirituali quadam alacritate, quæ oriatur ex consideratione præstantissimi Operis ad quod accedis. Opus enim est divinum, Deo gratissimum, & maximè utile ad propitiationem pro peccatis, ad exercendos actus præcipuarum virtutum, ad obtinendam mentis puritatem, & unionem cum Deo; ad exhibendum Sanctissimæ Trinitati cultum, honorem, gratiarum actionem modo excellentissimo; ad impetrandum tibi, & proximo quidquid ad vitam temporalem & æternam necessarium est. *Secundò*, In ingressu Ecclesiæ aquâ benedictâ te asperge elicito actu fidei, & contritionis. Tum locum elige, quantùm fieri potuerit, remotum à turba & ab occasione distractionum. Deum præsentem in propria domo Majestatis suæ adora, qua majori potes reverentia. Aperi mentis oculos, & vide Angelorum multitudinem circumvolantem, & Sacerdoti assistentem cum ingenti tremore & honore. Hos imitare, flexisquè genibus, internos externosquè sensus ita compone, ut quidquid est in Ecclesia, fiat tibi invisibile, nec aliquam sensibus impressionem faciat. Æternus Sol justitiæ, qui ibi adest, mentem tuam absorbeat, & sensus perstringat tanto claritatis excessu, ut nihil aliud videre, cogitare aut percipere possis. *Tertiò*, Sic compositus, Sacerdotem expecta: & dum ille se præparat, dum sacris se vestibus induit, excita in te fervorem devotionis, contritionem, & amorem: pete gratiam à Deo, & ora, ut Missæ sacrificio assistere possis ea devotione & attentione & reverentia, quam exigit divinæ Majestatis præsentia, tot Angelorum assistentium frequentia, tot mysteriorum quæ hîc geruntur, magnificentia. Splendet æquè (x) cùm est in Altari, ut in sublimitate cæli: non minùs radiat cùm est in manibus Sacerdotis, quàm in sinu Dei Patris. Neque autem credere debemus, (y) quòd soli Sacerdoti virtutes sint necessariæ, quasi solus consecret & sacrificet Corpus Christi. Non solus sacrificat & consecrat, sed totus conventus fidelium qui astat, cum illo consecrat & sacrificat. Nec solus ligni faber facit domum, sed alius virgas, alius ligna, alius trabes, &c. comportat. Debent itaque astantes habere de suo, sicut & Sacerdos, fidem firmam, orationem puram, devotionem piam. Sciendumque est, quòd sine firma fide nemo astantium esse debeat.

4. Cùm sacrificium Missæ (z) sit primarium religionis munus, planè decebat ut Christiana religio (quâ nulla perfectior & sublimior esse potest) nobilissimum haberet Sacrificium: cujus excellentia ex multis capitibus colligi potest. *Primò quidem ex eo quod in illo offertur*, qui est Christus Dominus, verus Deus & verus homo. Et quia nihil excelsius illo est: ideo ratione ipsius actio ipsa sacrificandi omnes humanas actiones excedit, etiam actus Sanctorum in cælis Deum laudantium. Cavendum est ergo, ne vestrâ irreverentiâ & indevotione tam magnæ rei oblationem dehonestetis. Et si DEUS olim sacerdotibus præcepit, *Mundamini qui fertis vasa Domini*: quantò majori puritate vos enitere debetis, qui purissimum Christi Corpus & pretiosissimum Sanguinem Deo offertis? Attendite (a) quantùm Deus vester vos extulit, quantùm præ omnibus creaturis vos sublimavit. Oratio vestra munda sit: quia datur locus voci vestræ in cælo, cùm ritè assistitis sacris Altaribus, cùm sanctissimum Mysterium cælestis sacrificii celebratis. *Secundò, ex persona cui offertur*, (b) qui est solus Deus. Nulli enim Sanctorum, nec ipsi Beatæ Virgini Mariæ offerri potest, sed ex ipsa intrinseca rei natura convenit soli Deo: quia per Sacrificium testificamur Deum esse primum principium & ultimum finem nostrum, & supremum Dominum omnium rerum, cui in signum nostræ subjectionis aliquod sensibile offerimus, ad significandum per rem sensibilem oblatam Sacrificium internum, quo anima se offert Deo sicut principio suæ creationis, & sicut fini suæ beatificationis. Hoc autem nec ipse Deus per absolutam suam potentiam efficere potest, ut alicui creaturæ conveniat. *Tertiò, ex ipsa consecratione*, qua panis & vinum in Corpus & Sanguinem Christi transsubstantiantur, manentibus accidentibus sine subjecto. Est autem hæc actio omninò supernaturalis,

u *Card. Bona in Horolog. Ascet. cap. 5. §. 26.*

x *S. Bern. tract. de 3. præcip. myst. cap. 7. num. 22.* y *Guerricus Abb. Igniac. Ord. Cist. ser. 5. de Purificat. B. M. V. num. 16. inter Opera S. Bern. tom. 6. pag. 1145.* z *Card. Bona Tract. de Sacrif. Missæ cap. 2. §. 2.* a *S. Bern. Tract. de 3. præcip. myst. cap. 8. num. 24.* b *Card. Bona Tract. de Sacrif. Missæ cap. 3. §. 2.*

ralis, quæ nullo modo pendere potest ab aliqua potentia creata, tanquam à causa principali: quia solus Deus efficit transsubstantiationem. *Quartò, ex valore ipsius Sacrificii*, qui est infinitus sicut merita & passio Christi: ac proinde æquè placet Deo, ac mors ejus in Cruce, licet effectus finitus sit. Multū quidem acceptum fuit munus Abel,(c) sed non ita. Multùm placuit sacrificium Abrahæ Patriarchæ, sed non adeò. Multùm approbata fuit oblatio Melchisedech, sed multò minùs isto. Omnia in figura contingebant antiquis, hîc veritas. Verus est enim Filius Dei, quem Sacerdos immolat, quem manibus attrectat, quem ore sumit, quem in corpus suum transmittit. Hæc est Hostia placabilis, (d) Deo placens hostia, Hostia viva. *Quintò, ex fine*, (e) propter quem cæteris omnibus abolitis institutū fuit. 1. ut nimirùm per ipsum Deo Creatori nostro cultum latriæ tribuamus, nostramquè servitutem & subjectionem humillimè testificemur. 2. ut dignas ei gratias perpetuò agamus pro universis beneficiis ejus. 3. ad auxilia divinæ gratiæ, ejusquè protectionis, excitationis & directionis impetranda. 4. ad obtinendam peccatorum veniam. 5. ad iram Dei placandam, & imminentia flagella avertenda. 6. ad succurrendum omnium vivorum & defunctorum necessitatibus, quæ sunt penè infinitæ. Porrò ex his clarissimè constat, nullam posse majorem aut præstabiliorem actionem in hac vita à mortalibus exerceri, quàm offerre Deo hoc sacrificium Missæ. Ideò nullus seu Rex, seu Pontifex esset, qui Sacerdotem celebrantem quacunque ex causa accersere, cæptumquè Sacrificium interrumpere auderet. *Siquidem nec ipsæ aviculæ domesticæ præsumpserunt aliquo modo interturbare hujusmodi Sacrificium*. Quadam enim die (f) dum ad Ecclesiam, in qua Summum Sacrum celebrabatur, veniret Beata Ida Virgo de Lovanio, in exteriori atrio manere decrevit, ut eò devotiùs, quò remotiùs à populi sequestrata tumultu, divinum Mysterium posset mentis intentione considerare. Undè cùm sola (cæteris in Ecclesiæ gremio congregatis) sederet, & solitudinis tædio molestata, quo potiretur, aliqualis creaturæ solatium affectaret; quasdam utriusque sexus aviculas, gallos videlicet & gallinas in victus sui quærendi postibus occupatas intuens, ad illas se convertit, & dixit: *Omnes vos gallinacei generis aves, in contiguis hujus atrii terminis habitantes, per Divinæ potentiæ bonitatem adjuro, quatenùs omissis interim postibus vestris ad Ecclesiam convolantis, & sacris Missarum solemniis ad honorem nostri Redemptoris mecum nunc pariter intersitis*. Res mira, nostrisquè temporibus quantò magis inusitata, tantò digniùs inter antiqua Sanctorum miracula recitanda! Vix enim sancta Dei famula verbum ore protulerat, cùm ecce præfati generis aves ex diversis locis undique concurrentes, ad illam convolare cæperunt, eamquè tanquam matrem propriam circumdantes, & quasi quibusdam exterioribus signis separatæ ad ejus obsequium acclamantes, erectis sursùm cristatis capitibus, ad eam indesinenter oculorum suorum aciem direxerunt. Stabant igitur omnes juxta eam veluti immobiles, in illam jugiter intuentes, ac ejus animum non mediocriter hoc suo spectaculo delectantes, donec Evangelica lectione jam in Ecclesia recitata, licentiam ab ea reciperent; & sic inclinatis capitibus quasi valedicentes ei, rursùm unde convenerant, ad loca sua revolarent. *Hæc ex Actis vita Beatæ Idæ Virginis sufficiant. Cùm autem sacrificio Missæ frequenter interesse, & Eucharisticis epulis refici, sit longè augustissimus modus, eoquè consilio à Christo institutus*, qui sic ait: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ideò *Carolus* Quintus Cæsar, [g] quantacunque negotiorum mole & belli occasione premeretur, tamen quotidiano interesat Sacro: semelquè duntaxat in omni vita sua animadversus est omisisse, cùm bello Africano implicitus nulla ratione quibat. Archidux *Carolus* [h] avus maternus Regis Catholici, divino Officio raris concentibus exornando admodùm addictus erat, & Sacrum quotidie cum pia devotione audiebat, ac cælesti pabulo se crebrò recreabat. *Maria* ejusdem conjux, materquè Margaritæ Austriacæ, præter duo in dies Sacra in quibus sedulò perseverabat, octiduo quolibet divinis epulis animum pavit, jussitquè domesticos mensem quemlibet ab hac sacrà Mensa auspicari. *Margarita* Philippi Catholici Regis pientissima conjux, æmula parentum suorum, præter quotidiana Sacra sæpenumerò tria, & uberrimas lachrymas crebertimè fusas, octavo quoque die cælesti ferculo avidam mentem satiebat. Deo dilecta *Anna* de Villaroel, (i) in Cænobio Sanctæ Annæ Abulensis Sanctimonialis in Hispania, singulis diebus vivifico Corporis Christi reficiebatur Sacramento: quo devotissimè sumpto, in exstasim statim rapiebatur in spiritu. *Sancta Hedvigis Regina seu Ducissa Poloniæ, assumpto habitu Ordinis Cisterciensis in Monasterio Trebnicensi*, (k) quotquot habere poterat Sacerdotes qui Missas dicerent, eorum omnium Sacrificiis singulari quadam animi devotione interfuit, orans interim vel toto prostrata corpore, vel procumbens in genua, vel ulnis incumbens humo: ubi tum præ devotione & animi humilitate terræ pulverem crebrò osculabatur. Porrò ad Sacramentum Corporis Dominici percipiendum accessura, tanto lachrymarum imbre faciem suam perfundebat, tantoquè studio precandi, genua flectendi, & corpus prosternendi tum specialiter occupabatur, ut fervor devotionis ejus non immeritò intuentes ad devotionem efficaciter permoveret. *Hæc refert Surius in vita Sanctæ Hedvigis.*

m ?. XVI.

c *S. Bern. Tract. de 3. præcip. myst. cap. 8. num. 25.* d *Idem ser. 3. in Purificat. B. V. Mariæ nu. 3.* e *Card. Bona Tract. de Sacrif. Missæ cap. 3. §. 2.* f *ex Libello cap. 18. de quinque Cisterciensibus Virginibus edito à Chrysost. Henriquez Antuerpiæ anno 1630. ex Volumine Agiologii Sanctorum Brabantiæ apud Manriquez in Annal. Cisterc. tom. 4. ad ann. 1226. cap. 7. num. 4.*

g *Surius in Chron. ad ann. 1559.* h *Jacob. Gusman. in vita Margar. par. 1. cap. 2. & 6. & par. 2. cap. 6.* i *Michael Vaquerus in Vita B. Mariæ Vela par. 1. cap. 47. apud Henriquez in Menolog. Cist. ad diem 26. Septemb.* k *Surius de vita S. Hedvigis tom. 5 ad diem 15. Octob. cap. 5.*

§. XVI.

I. *De perennibus monumentis, in quibus Deus ipse memoriam Passionis suæ expressam commendat nobis ad contemplandum.* 2. *De universis dolorum Christi mysteriis, quæ typis ex veteri lege correspondent.* 3. *De numero gressuum Christi, quibus in itinere eadem mysteria explevit tempore passionis suæ.*

1. PRimò *exprimitur in vario lapide perennis memoria Passionis Christi*. Videre est perelegans Caput Salvatoris (a) ex casta Jaspide Orientali, quod sub spineo diademate, unoquè oculorum cruentis guttis hinc & inde respergitur; idquè nativâ marmoris indole, & Jaspidinis venis, ita ad miraculum conspirantibus. Insuper pallor ipse opaco viridi interspersus, mortis speciem pingit in vultu, & rubentes minutiores venulæ instar stillarum sanguinis in genis sudant. *Hactenùs Petrus oculatus testis*. In monte Oliveti, (b) ubi Christus humi fusus Sanguine manavit, etiamnum conspiciuntur lapidi impressa manuum ejus & genuum pedumquè vestigia. Porrò non procul inde lapis ostenditur, in quo extremi digiti manuum ac pedum ejusdem, item & genua marmori insculpta cernuntur: quo in loco illum à militibus irruentibus captum esse volunt, humiquè prostratum. Cæterùm illud est mirum, quòd ex eodem lapide nihil, ne ferro quidem possit abradi. *Hactenùs Borchardus*. Huc pariter spectat, (c) pedum signa certiq; funis in ponte, ubi in torrentem Cedron præceps tractus est, clarè notata remansisse. *Hactenùs Aranda*. In marinos scopulos (d) cum Domina matre fortè oberrans B. Gonzaga, rarum lapillum offendit notis, quibusdam expressis distinctum, quæ sacratissimas Christi plagas perspicuè referebant: eumquè velut Christi dolorum ac vulnerum indicem, ac monitorem multa in veneratione habuit. *Hactenùs Ceparius*.

Secundò exprimitur in cruentis sindonibus perennis memoria Passionis Christi. Veronice matrona (e) tam spectatæ virtutis quàm generis (passim Veronicam vocant) lineum capitis peplum, sub Cruce anhelanti Christo supplex obtulit: cui is totius oris & vultûs cruentam imaginem illicò impressit, in benevolentiæ pignus æternum. Idem ipsum hodiequè Romæ in Basilica Sancti Petri cum honore magno asservatur, ac palàm statis diebus ostenditur. Quinimò digitorum vestigiis ab armata olim manu violenter impressis, signatum etiam modò spectari testatur Joannes Lanspertus *in Homil. 19. de Passion. Dom.* Christus non tantùm vivus, (f) sed & mortuus vivam sui ipsius effigiem inscripsit Sindoni illi, quo involutus fuit: ubi admirabili prorsùs modo cum majoribus vulnerum cicatricibus, totiusquè laceri corporis exacta expressione, minutiores etiam plagæ cruentis characteribus exaratæ ad oculum patent. Hæc olim Camberii apud Ducem Allobrogum in summo loco habita fuit, nunc apud Ducem Subaudiæ Taurinorum in ejus ditione religiosissimè servatur ac colitur. Quam quidem Sindonem sacram Paulus Secundus, Sixtus Quartus, Julius Secundus, Clemens Septimus Summi Pontifices Romani, publico nomine approbatam, vario honore cumulârunt. *Hactenùs Paleotus*.

Tertiò exprimitur in vario frutice perennis memoria Passionis Christi. Juxta Urbem Jerosolymitanam, (g) olim flos elegans stetit, quem Religiosi Ordinis S. Francisci dum fortè decerperent; ecce adnatum radici, & superexpansum divinitùs Crucifixum bipalmarem, eumquè ceu manu statuarii fabrefactum attoniti repererunt. Inde in Belgium Cœnobiumquè Deinsanum tertio lapide à civitate Gandensi dissitum, ante annos circiter centum à peregrinis translatus est, pluribusquè miraculis claruit. Deinde verò ob temporis tumultuumquè injuriam ductâ Gandavum coloniâ, eadem prodigiosa Radix apud ejusdem familiæ Deinsanas Moniales, eburneæ capsulæ atque argenteæ Cruci inclusa hucusque conservatur ac colitur. Porrò etiamnum liquidò conspicitur sanguineum vulnus ex alapa impressum dexteræ genæ: totius oris ejus omniumquè membrorum accuratum discrimen: quinimò cæsariem barbamquè promissam sensim crescere, multosquè potantes aquam, [cui hæc Radix immergi solet] ab æstu febrium liberari testantur monumenta Cœnobii prædicti. *Hactenùs de Radice prodigiosa*. Granadillus flos Indicus (h) exerit quinque sanguinolentas inq; orbem surgentes guttas: columnam inde, tres clavos, spineam coronam, omnia ad vivum expressa. Folium virens, & à lateribus emergens, lanceæ cuspidis similitudinem gerit. Claviculæ ut in vite, funium formam referunt: fructus verò repræsentant imaginem cordis. Denique flos quantus est, vivum floridumquè Christi passionis emblema est. *Hactenùs Rovillius*.

Quartò, perennis memoria passionis Dominicæ exprimitur in admirandis stigmatibus plurium dum viverent. Christi quinque plagis, sed dispari modo, insigniti fuerunt: (i) Sanctus Franciscus Seraphicus, Sancta Catharina Senensis, Beata Lucia Ferariensis, Beata Gertrudis Van Oosten, & Lydvvina Virgines Belgicæ. Gloriosa Catharina Senensis ea stigmata non quidem sanguine fluentia, (ut Divus Franciscus) sed radiis emicantia divinitùs accepisse dicitur.

At

a *Petrus de l'Ancre Consil. Reg. Fran. lib. 5. Inconst. apud Anonymum è Soc. Jesu Auctorem libri cui intitulati,* Fautius Ann. Christiani hominis, *impressi Rothomagi ann. 1645.* b *Borchardus in descript. Terræ Sanctæ par. 1. cap. 7.* c *Aranda in descript. Terræ Sanctæ.* d *Virgil. Ceparius in vita B. Gonzag. lib. 1. cap. 5.* e *Adricom. 2. par. descript. Jerusal. nu. 44.*

f *Paleot. Archiepisc. Bonon. in admirab. Hist. de Stigmat. Dom.* g *Ex Monumentis Monasterii Deinsani in Belgio.* h *Rovil. in Hist. plant. pereg.* i *Blos. l. 15. c. 2. Trithem. in Chron. ad ann. 1500. Rosueid. in vita Sanctior. ad diem 6. Januar. Surius ad die. 14. Apr. tom. 2. cap. 8.*

At verò è Beatæ Luciæ vulneribus omni feria sexta recens sanguis ebulliit. Beatæ Gertrudis Beghinæ Delfensis plagæ septies per diem statutis illis horis, quibus Officium divinum solet persolvi, cruore roseo manabant: & hoc quidē evenit ab hebdomada sancta usque ad eam ut minimùm diem, quæ Christo in cœlos ascendenti solemnis ac sacra est. Deniq; Lydvvinæ, cùm cœlestem hunc favorem cunctos latere vellet, hiantia Christus vulnera desuper cute contexit, livore tamen & dolore perpetuò permanente. *Hac ex Auctoribus infra citatis.* Huc attinet describere ex Cantipratano, (k) qui refert quandam Brabantinam Virginem pietate illustrem, perpetuâquè dolorum Christi commemoratione absorptam fuisse. In cujus latere per plures annos ingens vulnus apparuit, & de ipso vulnere ferè continenter sanguis emanans: ex hoc eodem nonnihil ad rei memoriam diu videre fuit in vitreo vase servatum, colore immutato pariter & vigore. *Hactenùs Cantipratanus.*

Quintò, perennis memoria passionis Dominicæ exprimitur in exenterato post obitum corde, & pectore. Stupenda sunt ea, (l) quæ in Beatæ Claræ de Montefalco exsecto corde patuerunt. In cordis ejus parte dextra, Christi in Cruce penduli imago magnitudine pollicis extensa, brachiis paululùm sublatis, colloquè declivi cernebatur: latus verò lividum ac saucium multo cruore manabat. Item ex parte læva sindon sanguineis guttulis videbatur aspersa: corona autem spinea ex nervis spinosis texebatur. Porrò ex tribus nerviculis tres clavi cernebantur; ex alio lancea tendebatur. Flagella verò ex quinque flexis nervis erant revincta, & nodulis pluribus aspersa: quin & columna erecta, funiculisquè circumdata. Novum hoc spectaculum ut vidit Cardinalis Bellarminus, attonitus exclamavit: Digitus Dei hic est. *Hac Isidorus Moschovius.* Mirandum est quoque & illud, (m) quod in pectore Venerabilis Volvandi Religiosi Ordinis S. Dominici, Prioris Conventus Argentinensis, deprehensum est post ejus obitum. In medio ipso pectore, spissitudine decenti elevata Crux ossa perspicuè eminebat; cujus superiora tria latera æqualiter extendebantur, inferiori citissimè longiori. Hoc insuper discrimine, quòd extremi trium laterum anguli supernè instar repandi lilii curvarentur, & pars ima quasi trunco alicui deberet infigi, in acumen infernè desineret. *Hac Cantipratanus.*

II. Ex imo cordis humani emergit vinea, (n) quæ hinc suis uvis universa mysteria cruciatuū Christi, indeverò suis foliis typos veteres iisdē doloribus respōdentes complectitur: in medio autem vineæ Christus veluti botrus torculari premitur. *Primo loco* sunt septem illa mysteria, quæ incipiunt ab horto Gethsemani usque ad prætorium Pilati.

Primum mysterium. Christus anhelus & anxius in horto prosternitur; Angelico inde recreatus alloquio, ad Calvariæ montem primum iter instituit. *Lucæ* 22. *Typus*: Elias ingenti absorptus tædio sub junipero jacet; Angeli hortatu in spem erectus, pergit ad montem Dei Horeb. *lib.* 3. *Reg.* 19.

Secundum mysterium. Christus à Juda salutatione benevola exceptus, traditur. *Matth.* 26. *Typus*: Dux Amasa à Joab osculo proditur. *lib.* 2. *Reg.* 29.

Tertium mysterium. Christus torrentem Cedron antè transgressus, trans eundem vinctus rapitur. *Joan.* 18. *Typus*: David nudis pedibus & lachrymis madens, trans torrentem Cedron proditorem filium fugit. *lib.* 2. *Reg.* 15.

Quartum mysterium. Christo in domo Annæ alapâ impingitur. *Joan.* 18. Typus: Veridicus Michæas à Sedecia in faciem cæditur. *lib.* 3. *Reg.* 22.

Quintum mysterium. Christus in domo Caiphæ velatis oculis plurima tolerat. *Marc.* 14. Typus: Samsonem luminibus orbatum Philistæi variè lacessunt. *Judic.* 16.

Sextum mysterium. Christum in curia Pilati validè Principes Sacerdotum accusant. *Luc.* 23. *Typus*: Principes Regis Darii insontem Danielem tam diu arguunt, donec tradatur in mortem. *Dan.* 6.

Septimum mysterium. Christus ut demens spernitur ab Herode. *Luc.* 23. Typus: David à Rege Achis eluditur ut insanus. *lib.* 1. *Reg.* 21.

Secundo loco sunt octo illa mysteria, quæ incipiunt à flagellatione Christi usque ad portam Judiciariam.

Primum mysterium. Christus à Pilato Præside dirè flagellatur. *Joan.* 19. *Typus*: Jeremias ab iratis Principibus immaniter cæditur. *Jerem.* 37. Flagris concisum Prophetam *S. Thomas, Lyranus, Rabanus, & Cornelius* afferunt.

Secundum mysterium. Christus spinis coronatur. *Marc.* 15. *Typus*: Abraham videt arietem spinis implexum, quem deinde immolat. *Gen.* 22.

Tertium mysterium. Christum Pilatus adducit Judæis foràs, & dicit eis: Ecce homo. *Joan.* 19. *Typus*: Ecce Job saucius ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem. *Job.* 2.

Quartum mysterium. Christus cruce se onerat. *Joan.* 19. *Typus*: Isaac fert ligna quibus immolandus esset. *Gen.* 22.

Quintum mysterium. Christus, prout habet vetus traditio, sub Cruce prosternitur. *Typus*: Jacob sub scala cœli jacet. *Gen.* 28.

Sextum mysterium. Quemadmodùm traditum est, flebili Filio flens Virgo Mater occurrit. *Typus*: Oniæ Pontifici summis angustiis presso, lugentes virgines obviæ fiunt. *lib.* 2. *Machab.* 3.

Septimum mysterium. Simon Cyrenæus cum Christo fert crucem. *Matth.* 27. *Typus*: Ethai Gethæus vult eandem crucem, & pericula cum profugo Rege subire. *lib.* 2. *Reg.* 15.

Octavum mysterium. Veronica excipit in sindone cruentam Christi imaginem. *Typus*: Jacob accepit sanguineam vestem, velut similitudinem cruenti Joseph. *Gen.* 37.

Tertio loco sunt septem illa mysteria, quæ incipiunt ab Urbis egressu usque ad sepulturam Christi.

Primum mysterium. Ex veteri traditione, iterùm cruento casu Christus in terram ruit ad portam Judiciari-

k *Cantiprat. de Apibus lib.* 1. *cap.* 25. l *Isidor. Moscov. in vita B. Claræ.* m *Th. Cantiprat. de Apibus lib.* 1. *cap. ult.* n *Anonymus è Soc. Jesu Auctor libelli de sancto Anno cap.* 2. *pag.* 121.

Judiciariam. *Typus*: Dux Amasa conspersus sanguine jacet in media via. *lib. 2. Reg.* 20.

Secundum mysterium. Filiæ Jerusalem dolores Christi miserantur. *Luc.* 23. *Typus*: Filiæ Israël Regem Josiam plangunt. *lib. 2. Paralip.* 35.

Tertium mysterium. Prout jam olim traditum est, Christus labitur postremò ad montem Calvariæ. *Typus*: Onias summus Sacerdos luctu planè obrutus, ante aram sternitur. *lib. 2. Machab.* 3.

Quartum mysterium. Christus nudus exponitur, illiquè offertur vinum cum felle mixtum. *Matth.* 27. *Typus*: Factus sum in derisum omni populo, replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio. *Jeremias Thren.* 3.

Quintum mysterium. Christus validis humi clavis affigitur. *Marc.* 15. *Typus*: Dalila Samsonem clavo terræ affigit. *Judic.* 16.

Sextum mysterium. Christus in Crucem tollitur. *Luc.* 23. *Typus*: Serpens æneus erigitur à Moyse. *Num.* 21.

Septimum mysterium. Christus in sepulchro conditur. *Joan.* 19. *Typus*: Jonas in ventre ceti tribus diebus & noctibus jacet. *Jon.* 2.

III. Duo sunt itinera continentia numerum gressuum, quibus prædicta mysteria Christus explevit. *Primum iter vulgò dicitur via Captivitatis, quæ incipit ab horto Gethsemani usque ad prætorium Pilati.* Ab horto usq; ad locum ubi Christus capitur, (o) censentur gressus 40. Inde ad domum Annæ trahitur trans torrentem Cedron, itinere gressuum 2360. Atq; hinc per 330. gressus ad Caipham abducitur. Inde quod 1000. gressibus aberat ad palatium Pilati. Est hinc porrò via 350. gressuum ad Herodem. Denuò per 600. gressus, alio tractu ad tribunal Pontii Pilati reducitur.

Secundum iter passim appellatur via dolorosa, sive Crucis: quæ incipit à prætorio Pilati usque ad ipsam Crucem. A domo Pilati [p] per 26. gressus eò ducitur Christus, ubi Crux imponitur. Inde procedit per 80. gressus ad locum, ubi traditur cum Cruce cecidisse. Hinc surgenti & ad 60. gressus ac tres pedes progresso mæstissima Virgo Mater occurrit. Isthinc verò trahitur per 71. gressus ac sesqui pedem ad trivium, ubi Simon Cyrenæus crucem ferre cogitur. Ulteriùs porrò post 191. gressus & semipedem, occurrit Veronica. Tum tendit per viam 336. gressuum & duorum pedum ad portam Judiciariam, ubi rursùs cum Cruce prolabitur. Prosequitur hinc iter per 348. gressus duosquè pedes, alloquiturquè in bivio plorantes filias Jerusalem. Ab his deinde pergit per 161. gressus & sesqui pedem ad radicem montis, ubi & postremò cadit. Protruditur isthinc per 18. gressus ad locum, ubi vestis extrahitur, vinumquè cum felle offertur. Deinde per 12. gressus adrepit ad locum, ubi clavis in Cruce transfigitur. Denique per gressus 14. trahitur, & ex Cruce pendens in foramine rupis Calvariæ figitur. Sepulchrum verò distabat à Cruce 108. gressibus. Cæterùm gressus, [q] de quo hîc agimus, duos pedes & medium continet. *Hactenus Adricomius.*

Hæc subducta linea, quarta pedis pars est, juxta eundem Adricomium num. 118.

Ad hujus quidem pedis, (r) & viæ Crucis atque viæ captivitatis mensuram (quam post multam sedulamquè indaginem tandem inveni) idcircò hîc tam exactè posui, ut quilibet Christianus quovis in loco, etiam inter domesticos parietes in ambitu domûs aut horti sæpiùs circumeundo, vel iter replicando, possit similem sibi viam ordinare; aut in Templo seu cubiculo mentis imaginatione similem viam concipere, & pio cordis affectu passionem Christi meditari. Quod ipsi gratum, nobisquè salutare esse dubium non est: cùm ad hoc tam sacra Scriptura, quàm sanctorum Patrum scripta nos crebrò exhortentur. *Ita Adricomius.* Hinc est, quòd Christiani Principes ad normam itineris Jerosolymitani supra recensitas tormentorum Christi per intervalla stationes, vel omnes, vel aliquas instituere, vel etiam institutas obire non dubitaverint. Olim typo prælusit ille, (s) qui dixit: *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Ita Augustissimus Ferdinandus II. Cæsar electus anno 1619. [t] priùsquàm præesset Imperio Romano, in suis ditionibus, comitatuquè Tirolensi, & finibus Gracii, Carinthiæ, &c. ejusmodi dicta mysteria in certas vias limitesquè divisit, divisaquè cum Serenissima familia in fidei augmentum (frendentibus licet conterminis hæreticis) palàm obeundo celebravit. Sic Serenissima Princeps Isabella Clara Eugenia, (u) posteaquàm quinq; generosas è curia sua virgines in Divæ Theresiæ domicilium solemniter induxisset, nihil antiquius habuit, quàm celeberrimum Sanctæ Crucis iter Gandavi accurato circuitu & imaginum serie à Jacobo Episcopo Mechliniensi distributum, & Indulgentiis auctum, cum Primatibus suis invisere. Pedes ipsa rigente tunc licèt cælo, [die 25. Decembris anno 1623.] comitata ab Excellentissimo Marchione aliisquè Proceribus, universas stationes obivit; atque ante singulas, adeòquè bis denas Iconas diu supplex flexit. Quinimò ad augendam loci religionem, ex sua munificentia primum Horti mysterium illustri vestibulo ornatum, in Sacelli augustam frontem erexit. Cæterùm ejusmodi Stationum celebris usus est in diversis Regionibus. In *Brabantia* quidem, Bruxellæ, Mechliniæ, Lovanii, Nivellis, Lyræ, Vilvordiæ, Hezeæ, &c. In *Flandria* verò, Gandavi, Ipris, Cortraci, Aldenardæ, Alosti, Furnis, Olsenæ, Exaerdæ, Ertveldæ, Hardoyæ, &c. In *Gallobelgio*, Tornaci, Insulis, Atrebati, Valencenis, Bethuniæ, &c. In *Regno Poloniæ*, in territorio Lanskoronensi propè Cracoviam, & in loco Gora nuncupato propè Varsaviam.

§. XVII.

---

o *Adricomius in descript. Jerusalem. num.* 209. p *Idem ibid. n.* 118. q *Idem ibid. num.* 207.

r *Idem ibid. num.* 118. s *Propheta David Psal.* 131. t *Ex literis & relationibus* u *Ibidem.*

§. XVII.

De acerbitate & magnitudine cruciatuum Christi, quos in præfatis mysteriis subiit: quibus adjunguntur etiam diversæ Revelationes, quibus excitamur ad meditandum Passionem Dominicam.

I. Acerbitas & magnitudo cruciatuum Christi [a] colligitur ex Psalmo vigesimo primo, & ex circumstantiis, aliisquè rationibus. Quis inprimis in hoc Psalmo hostium furor, hostium malignantium & deridentium, loquentium labiis, & moventium capita sua? Quis furor, qui canibus circumstantibus, qui vitulis multis, qui tauris pinguibus, qui cornibus unicornium, qui leoni rapienti rugientiquè confertur? Qualis deinde pingitur Christus in eodem Psalmo, linguâ faucibus adhærescente, dinumeratis omnibus ossibus, fossis manibus & pedibus, inquè pulverem mortis adductus? Iterùm qualis, qui liquescenti ceræ, qui arescenti testæ, qui aquæ effusæ comparatur? Qui denique vermis & non homo, qui opprobrium hominum, qui abjectio plebis dicitur? Porrò tam magna, (b) tam multa, tam ignominiosa perpessus est iñocens Jesus post tot prodigia, post tot in omnes merita, nulla lege aut jure servato, in Urbe Orbis Principe, in oculis innumeræ multitudinis, in Solemnitate Paschæ celeberrima, in flore ætatis & tenerrima corporis constitutione, in omnibus membris ac sensibus, omni genere suppliciorum, ab omni hominum ordine, nullo admixto solatio; quodquè potissimum est, pro juratis hostibus, pro me ingratissimo tam ignominiosa perpessus est. Sed age qualia ista fuère, vel quanta? Quanta nempè suggessit sitis quidquis sustinendi ardentissima, & charitas ejus erga homines infinita, quantaquè summæ Sapientiæ conjuncta potestas summa executa est. Fuère enim tanta, ut Angeli pacis amarè planxerint: tanta, ut ad naturæ stuporem eorum sola recordatio sanguineum sudorem expresserit: tanta denique fuère, ut etiã rupes scissæ, adaperta monumenta, cælum, terra, omniaquè elementa trepidàrint. De hoc autem (c) Scriptura sic ait: *A sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam: & obscuratus est Sol: & velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsùm: & terra mota est: & petræ scissæ sunt: & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt.* Qualis est hic, quia & cœlum & terra compatiuntur ei, cujus & mors mortuos vivificat? Ecce Agnus in Crucem levatur immolandus stipite, (d) opprobriũ hominum factus: & abjectio plebis: quo præ dolore Sol obscuratur, petræ scinduntur, & tota contremiscit orbita mundi. Videamus adhuc (e) totius mundi machinam Fabricatori suo compatientẽ, tetra caligine involutam. Terra enim tremuit, (f) & Sol sua lumina clausit: mærebantquè poli, mærebant & sidera cuncta. Omne suum jubar amisit Luna dolendo, recessitquè omnis ab alto æthere fulgor. Finduntur duri lapides: scinduntur fastigia templi: petræ durissimæ scissæ sunt: & monumenta aperta sunt: & surrexerunt multi apertis tumulis, fatentes voce magna Christum esse Deum. Expaluit (g) & expavit tota machina mundialis, & penè in antiquum chaos sunt omnia revoluta. Meritò quidem: (h) quia Christus per potentiam divinitatis est Princeps omnium creaturarum. Et licet sit Dominus majestatis: (i) tamen trementibus elementis, cæli luminaribus obscuratis, stupentibus Angelis, pati dignatus est tormentum abjectissimæ passionis. De dolore item (k) videamus quid dixerit ipse: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor, sicut dolor meus.* Intantùm enim (l) in Cruce distensus fuit, ut numerari possent omnia membra ejus. Ita enim dicit per Prophetam: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Ac si diceret: Intantùm distensus sum dextrorsùm & sinistrorsùm, & à summo deorsùm, ut corpore nudo in modum tympanicæ pellis distenso, facilè possent omnia ossa mea dinumerari. Adhuc autem intueamur, (m) quàm grandi admiratione, & tenerrima compassione dignus apparet. Videamus nudum & verberibus laceratum, in medio latronum cruci ignominiosæ ferreis clavis affixum, aceto in cruce potatum, & post mortem lanceâ in latere vulneratum, & copiosos Sanguinis rivos ex quinque vulneribus manuum & pedum & lateris effundentem. Spectaculum fit (n) & opprobrium mundo & hominibus: fit tanquam prodigium multis, & commotio capitis in populis Caput nostrum, honor noster, bonus Jesus. Duo nobis (o) in hæreditatem reliquerat ille vetus Adam qui fugit à facie Dei, laborem videlicet & dolorem: laborem in actione, dolorem in passione. Christus autem laborem & dolorem consideravit, ut traderet eos in manus suas, imò se magis in manus eorum. Et in vita passivam habuit actionem, & in morte passionem activam sustinuit, dum salutem nostram operaretur in medio terræ. Mitis & innocens Agnus in Cruce pendens, (p) utpotè qui coram tondente se obmutuit, non improperat circumstantibus & insanientibus in eum; sed dulciter suggerit transeuntibus per viam, & respicientibus ad eum. Sic enim scriptum est: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor, sicut dolor meus.* Hoc siquidem de cruce clamat transeuntibus. Sed unde transeuntibus? De mundo, non cum mundo. Quà, & quò transeuntibus? Per viam momentaneæ paupertatis, ad divitias æternæ fœlicitatis.

II. *Acerbitas & magnitudo cruciatuum Christi colligitur tam ex copia lachrymarum & sudoris, quàm ex numero verberum & vulnerum. Primò quidem* (q) Christus fudit sexaginta duo millia & ducentas.

a *Anonymus è Soc. Jesu Auctor Libelculi de fausto Anno cap. 4. n. 1 pag. 134.* b *Idem ibid. nu. 2.* c *S. Bern. Ser. de Pass. Dom. nu. 15.* d *Ser. 1. in ult. cœna num. 1.*

e *Tract. de vite myst. cap. 19. num. 17.* f *Ser. de lament. B.V. M. n. 7.* g *Ser. in fer. 4. heb. san. n. 7.* h *Tract. de modo benè vivendi cap. 16. n. 45.* i *Ser. in fer. 2. Paschæ n. 8.* k *Ser. in fer. 4. heb. san. nu. 11.* l *Tract. de vite myst. cap. 7.* m *Ser. de Pass. Dom. n. 24.* n *Tract. de vite myst. cap. 5. nu. 24.* o *Ser. de Pass. Dom. nu. 11.* p *Epist. 285. num. 8.* q *Petrus Cœlestinus in via Crucis, & Manuscript. Ital & Franc.*

ducentas lachrymas: cruenti verò ſudoris nonaginta ſeptem millia & trecentas ac quinque guttas fudit. Denique [r] à prætorio Pilati uſque ad Crucem fixit greſſus cruentos mille trecentos & viginti unum. *Secundò*, [s] ad columnam ſex millibus ſexcentis ſexaginta ſex plagis cæſum fuiſſe, cælitùs intellexit Bernardus, *teſte Joanne Aquilano*. Vir alius ſanctimoniâ vitæ clarus, (t) accepit divinitùs, ſi quis quotidiè per viginti annos in honorem ſanguineæ flagellationis, centies precationem Dominicam repeteret, ſubductâ ratione, unâ duntaxat precatiunculâ quamlibet Sanguinis guttam honoraret. Summa enim guttarum aſcendit ad ducentarum triginta millium & quinque. *Tertiò*, (u) ſacratiſſimum Chriſti caput ex coronatione mille punctúris ſauciatum fuit. Meditare, ô homo, [x] quàm pœnoſa, quantoquè cruciatu hæc coronatio plena fuerit. Erat enim corona ex ſpinis longis, & acutis, & penetrativis: ita plexa, ut ex omni parte caput ambiens & pungens vulneraret; nec minùs vertex, quàm tempora tegerentur. Hujuſmodi enim corona ad modum pilei fuit contexta, ita ut totum penè caput undique ambiendo contegeret, & laceraret. Sanctus Vincentius (y) dicit, hujuſmodi ſpinas coronæ Dominicæ fuiſſe ſeptuaginta duas. Alii verò fuiſſe tercentum probant ex Revelatione quadam, facta Sanctæ Catharinæ Senenſi.

Sancta Brigitta cùm eſſet Romæ, (z) & quadam die ſtaret in oratione mentali, tunc Chriſtus apparuit ei ſic dicens: *Parate vos jam ad peregrinandum in Jeruſalem, ad viſitandum Sepulchrum meum, & alia loca ſancta quæ ibi ſunt, & recedetis de Roma cùm ego dixero vobis.* Expectando itaq; ordinem divinũ, (a) iterùm apparuit ei Chriſtus dicens: *Ite jam, & recedite de Roma ad Jeruſalem.* Et excuſando ſe humiliter Sancta Brigitta, tam ob debilitatem virium, quàm etiam ob ſenilem ætatem, inhabilem jam fatigationibus tam longæ peregrinationis, reſpondit illi Redemptor: *Quid cauſatis de ætate? Ego ſum naturæ conditor: ego poſſum infirmare, & roborare naturam, ſicut mihi placet: ego ero vobiſcum, ego dirigam viam veſtram, ego ducam, & reducam vos Romã: & procurabo vobis neceſſaria magis ſufficientia, quàm unquam habuiſtis prius.* Itaque acquievit ſtatim voluntati divinæ, & ſine ulla mora præparavit ſe ad eundum in Jeruſalem, ad viſitandam illam felicem terram, quam fæcundavit ſuo Sanguine Redemptor. Dum autem perveniſſet in Jeruſalem, (b) ibiquè inter cætera loca ſancta viſitaviſſet montem Calvariæ, (ubi eſt fabricata una Capella multùm frequentata à Peregrinis) & plorans contemplata fuiſſet myſterium amariſſimæ crucifixionis, vidit Dominum nudum & flagellatum, ductum à Judæis ad crucifigendum, qui diligenter ab eis cuſtodiebatur. Vidit quoque tunc foramen quoddam exciſum in monte, & crucifixores paratos ad operandam crudelitatem. Dominus autem converſus ad illam, dixit ei: *Attende tu, quia in iſto foramine petræ infixus fuit pes Crucis meæ tempore paſſionis.* Et illa ſtatim vidit, qualiter ibi Crux ejus à Judæis figebatur, & firmabatur fortiter in foramine petræ montis, cum lignis confixis cum malleo validiſſimè circumquaque: ut Crux ſolidiùs ſtaret, ne caderet. Cùm igitur Crux ita ſolidè firmata eſſet ibidem, ſtatim adaptabantur tabulæ ligneæ in circuitu ſtipitis Crucis per modum graduum, uſque ad locum ubi pedes ejus crucifigi debebant: ut poſſent per illos gradus tabularum tam ipſe, quàm crucifixores aſcendere, & ſuper tabulas illas aptiori modo ſtare ad crucifigendum eum. Poſt hoc autem aſcenderunt ipſi crucifixores per illos gradus, ducentes Dominum cum irriſione & vituperio maximo. Qui gradanter aſcendens, velut agnus manſuetus ductus ad immolandum, cùm eſſet jam ſuper tabulas illas, non coactus, ſed ſtatim & voluntariè extendit brachium ſuum, & aperta ſua *dextera* manu, poſuit eam in Cruce: quam illi ſævi tortores immaniter crucifixerunt, perforantes eam clavo per illam partem, qua os ſolidius erat. Tum etiam trahentes cum fune vehementer manum ejus *ſiniſtram*, cruci affixerunt eam ſimili modo. Deinde extenſo corpore ultrà modum in Cruce, poſita fuit una tibia ejus ſuper aliam, & ſic junctos pedes affixerunt in cruce duobus clavis: & intantùm extenderunt illa glorioſa membra in Cruce vehementer, ut quaſi omnes venæ & nervi ejus rumperentur. Quo facto, (c) corona de ſpinis, quam depoſuerant de capite ejus cùm crucifigeretur, iterùm impoſuerunt, & aptaverunt capiti ſuo ſacratiſſimo: quæ tam fortiter pupugit reverendum caput ejus, ut oculi ſui repleti fuerint illicò fluente Sanguine. Aures quoq; obſtruebantur, & facies & barba quaſi tegebantur, & intincta erant illo roſeo Sanguine: & ſtatim illi crucifixores & milites amoverunt velociter omnes tabulas illas, quæ adhærebant Cruci; & tunc remanſit Crux ſola & alta, & Dominus crucifixus in illa. Cùmquè Chriſti famula Brigitta reſpiceret crudelitatem crucifixorum, vidit etiam tunc Matrem ejus mæſtiſſimam in terra jacentem, & quaſi trementem & ſemimortuam, quam conſolabantur Joannes & aliæ ſorores ejus, quæ tunc ſtabant non longe à Cruce ad ejus partem dexteram. Dolor igitur novus compaſſionis illius ſanctiſſimæ Matris intantùm tranſfixit Sanctam Brigittam, ut quaſi ſentiret, quòd cor ſuum pertranſibat quidam gladius acutus importabilis amaritudinis. Surgens tandem tunc illa Mater ejus doloroſa, (*inquit Sancta Brigitta*) quaſi exinanita corpore, reſpexit ad Filium ſuum; & ſic ſtabat ſuſtentata à ſororibus tota ſtupore ſuſpenſa, & velut mortua vivens gladio doloris transfixa. Quam cùm Filius reſpexiſſet, & alios amicos plorantes, voce flebili commendabat eam Joanni: & benè cernebatur in voce ejus & geſtu, quòd cor ejus ex compaſſione Matris penetrabatur acutiſſimâ ſagittâ doloris immenſi. Tunc autem oculi ejus amabiles & decori apparebant ſemimortui: os ejus erat apertum & ſanguinolentum, vultus pallidus & ſubmerſus

r *Adriacom. in deſcript. Jeruſalem. num. 118. S. Joan. Aquilanus Serm. de Paſſ. Dom.* t *Lanſperg. Hom. 50. de Paſſ. Dom.* u *S. Bern. Ser. de Paſſ. Dom. nu. 12.* x *Lanſperg. Theſ. anat. 19. & Hom. 33. de Paſſ.* y *S. Vincent. Ser. in die Paraſceves* z *S. Brigit. Lib. 7. Revelat. cap. 6. pag. 563.* a *Ibidem cap. 9. pag. 577.* b *Ibid. cap. 15. nu. 1. pag. 597.*

c *Ibid. cap. 15. nu. 2. pag. 597.*

mersus, totusquè lividus & intinctus Sanguine. Corpus quoque totum erat quasi lividum & pallidum, & languidum valdè ex continuo fluxu decurrentis Sanguinis: cutis etiam & caro illa virginea sanctissimi corporis ejus ita delicata & tenera erat, ut ex modica percussione illata signum lividum exteriùs appareret. Aliquando verò conabatur ipse extensiones facere in Cruce, præ amaritudine nimia (quam sentiebat) intensi doloris. Nam quandoque dolor de membris ejus & venis perforatis ascendebat ad cor, & vexabat eum crudeliter intenso martyrio; & sic mors ejus prolongabatur, & dilatabatur cum tormento gravi & ingenti amaritudine. Tunc igitur ille anxius præ nimia doloris angustia, & vicinus jam morti, *primò* ad Patrem clamabat alta voce & flebili, dicens: *O Pater, quare dereliquisti me?* Habebat & tunc labia pallida, & linguam sanguinolentam, & ventrem ita submissim cohærentem dorso, ac si nulla intùs habuisset viscera. *Secundò* quoque clamavit iterùm cum anxio dolore maximo: *O Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*: & tunc caput ejus erigens se, aliquantulùm statim inclinavit se, & sic emisit spiritum. Quæ tunc Mater ejus videns, tota contremuit præ immensa amaritudine volens cadere in terram, nisi quòd sustentabatur ab aliis mulieribus. In illa igitur hora manus illius aliquantulùm se retraxerunt à loco perforationis clavorum, præ nimio pondere corporis; & sic corpus ejus quasi sustentabatur à clavis, quibus pedes crucifixi erant. Digiti autem & manus & brachia magis jam extensa erant, quàm ante: scapulæ verò & dorsum ejus quasi stringebantur ad crucem. Tunc denique circumstantes Judæi irridentes clamabant, contra Matrem ejus multa dicentes. Alii namque dicebant: *Maria, jam mortuus est filius tuus?* Alii verò dicebant verba irrisoria. Et sic stantibus turbis in circuitu, [d] venit unus accurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in ejus latere dextro, tam vehementer & validè, ut quasi per aliam partem exanimi corporis lancea voluerit per transire. Et cùm extraheretur lancea de corpore ejus, statim abundanter exibat de vulnere illo cum impetu quasi quidam fluvius Sanguinis: ferrum verò lanceæ & aliqua pars hastæ rubicunda exibant de corpore, & intincta Sanguine sacro. Quæ videns Mater ejus, ita vehementer contremuit cum amaro gemitu, ut benè cerneretur in ejus facie & gestu, quòd anima ejus tunc penetrabatur acuto doloris gladio. His autem expletis, [e] cùm turbæ multæ recederent, deposuerunt de cruce Dominum quidam amici ejus. Quem tunc pia Mater recepit inter sua brachia sanctissima, & reclinavit eum sedens in genu suum, totum vulneratum, dilaceratum & lividum: & tunc Mater ejus mæstissima tersit cum linteo suo totum corpus ipsius & vulnera, clausitquè ejus oculos, deosculando eos, & involuit eum in sindone munda: & sic duxerunt eum cum planctu & dolore maximo, & posuerunt eum in sepulchro. *Hactenùs S. Brigitta de mysteriis amarissimæ Passionis Dominicæ.*

III. *Afferuntur Revelationes de Passione Domini nostri Jesu Christi, facta ab eodem Beatæ Mechtildi, Sanctæ Elisabethæ, & Sanctæ Brigittæ. Qui ista dicit verba, quæ sequuntur.*

Ego fui levatus à terra cum crinibus & fune,	23.
Angustatus & excruciatus fui,	170.
Ligatus ad columnam, cæsus fui plagis	6660.
Cecidi in terrã ab horto usq; ad domum Annæ,	7.
Cecidi in itinere eundo ad montem Calvariæ,	5.
Colaphi quibus fui percessus in facie, erant	102.
Guttæ sanguinis in summa erant sparsæ,	118225.
Pugni, quibus cæsus fui in facie, erant	20.
Percussiones in tibiis erant	32.
Percussiones mortales	19.
Percussiones in pectore & in capite	28.
Vulnera grossiora aliis erant	72.
Puncturæ mille, ex quo fuit detracta & pluries imposita corona spinea,	1000.
Impulsiones cum calcibus fuerunt	140.
Suspiria emissa foras ex pectore	190.
Impulsio cum calcibus fuit una mortalis, ad columnam illata,	1.
Aliæ impulsiones mortales fuerunt	3.
Sputa, cùm essem distensus in terra super Cruce, fuerunt	73.
Milites contra Christum armati erant	188.
Spectatores populi Judæorum erant	230.
Lictores qui Christum ligatum ducebant,	3.
Vulnera livida fuerunt in summa	1199.
Distractus, & dilaceratus in barba	78.

Sequuntur aliæ Revelationes factæ à Christo, cuidam personæ devotæ.

Vulnera in capite fuerunt numero	3.
Pugni super oculos inflicti	3.
Pugni super buccam, propter quos effluxit Sanguis per buccam & nasum, & commoti sunt duo dentes fuerunt	5.
Corona spinea imposita capiti, fuit percussa arundine & baculis, vicibus	40.
Detracta, & reimposita corona octies	8.
Spinæ, quæ transfixerunt os capitis, & penetrarunt usque ad cerebrum, erant	5.
Spinæ, quæ remanserunt ruptæ in cerebro usque post mortem, erant	3.
Guttæ Sanguinis, quæ profluxerunt per puncturas spinarum, fuerunt	3000.
Sputa in facie fuerunt	100.
Tractus fuit per nasum vigesies	20.
Tractus fuit per aures trigesies	30.
Percussiones supra dorsum ejus fuerunt	25.

Porrò tres sunt maiores dolores, quos Christus habuit in sua Passione.

Primus dolor, est parvus fructus, quem habebat facere suus Sanguis.

Secundus dolor est, dolor Matris suæ quæ erat præsens.

Tertius dolor fui Corporis, tracti cum funibus per manus & pedes ad affigendum Cruci, tam immanis

d Ibid. nu. 3. pag. 198. e Ibid. num. 4.

manis fuit, ut se disjunxerint omnes juncturæ sacratissimi Corporis sui. Et tunc adimpletum est dictum Psalmi: *Dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Compendium gratiarum cælestium, quas Christus Dominus concedit illis qui meditabuntur, vel habebunt memoriam suæ passionis & vitæ.

Dominus noster Jesus Christus cuidam Servo suo devoto revelavit ore proprio, quòd quælibet persona, quæ libenter legerit & revoluerit mente mysteria Passionis suæ, recipiet postea ab ipso istas particulares gratias.

Prima est, quòd obtinebit plenariam Indulgentiam suorum peccatorum: & totum id quod per negligentiam omiserit, restituetur ei propter merita mea.

Secunda, quòd ita confortabitur ad resistendum suis inimicis, ut nequeant reportare aliquam victoriam: & si contigerit eum per fragilitatem cadere, nihilominùs submittam manum meam dexteram, ut ipse non pereat.

Tertia, quòd accipiet fortitudinem acquirendi diversas virtutes, & cuncta opera bona.

Quarta, quòd pro qualibet licet minima meditatione, quam ille fecerit de Passione mea, semper anima sua multiplicabit in seipsa gradus divinæ gratiæ meæ.

Quinta, quòd libenter manebo & assistam ei, qui devotè meditabitur Passionem meam.

Sexta, quòd nonnunquàm dabo ei altissimam cognitionem divinorum mysteriorum: & revelabo ipsi secreta mihi manifesta à Patre æterno.

Septima, quòd ante mortem suam faciam eum amicum meum: & post mortem præmiabo illum gloria cælesti cum aliis meis caris amicis.

Octava, quòd non denegabo ei ullam gratiam, quam petet à me rationabiliter, & convenienter.

Nona, quòd assistam ei personaliter in hora mortis suæ, & illum defendam ab inimicis suis: & reddam eum certum & securum de vita æterna.

Sententiæ de utilitate meditationis Passionis Dominicæ.

Licet B. Albertus Magnus asserat, quòd simplex recordatio & meditatio Passionis Christi pluris æstimanda sit, quàm uno anno integro jejunare in pane & aqua, flagrisquè in dies ad sanguinem usque diverberare, ac Psalterium integrum quotidiè recitare. Nihilominùs S. Bernardus in sermone habito feriâ quartâ hebdomadæ sanctæ num. 11. sic ait: *Facit ergo mihi fortitudo, facit similitudo, sed si accesserit etiam imitatio, ut sequar vestigia Christi. Alioquin etiam exquiretur à me Sanguis justus, qui effusus est super terram, &c.* Item sermone 2. in Cæna Domini num. 6. sic ait: *Dignum est, & tibi multum expedit, compati, commori, consepeliri; passo, mortuo, & sepulto Christo. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Qui enim tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere; debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Hactenus S. Bernardus.

Recordatio Passionis Christi est efficacissimum auxilium in omni infirmitate spirituali, maximè autem in articulo mortis, ad effectum transeundi de hoc mundo in gratia Dei.

Præservat à pœna Purgatorii, & subministrat gratiam liberandi ex illo animas, quotiescunq; offeruntur Deo, tanquam Sacrificium, mysteria Passionis Dominicæ.

S. Bernardus consumebat totam vitam suam in isto exercitio sancto, & mediante illo pervenit ad summam perfectionem.

S. Franciscus acquisivit perfectionem & sanctitatem vitæ, jugiter meditando Crucifixum.

S. Bonaventura dicit, quòd inter alia magis utilia & efficacia exercitia spiritualia, sola & unica est consideratio vitæ & passionis Salvatoris nostri.

S. Augustinus dicit, quòd meditatio passionis Dominicæ est remedium efficacissimum contra tentationes: dat gratiam & fortitudinem in tribulationibus & adversitatibus sustinendis: causat compunctionem de peccatis, & spem de indulgentia, etiamsi forent gravissima & enormia: purgat & sanat à vitiis, & passionibus vitiosis licet radicatis in anima: depellit omnem pigritiam ab animo, & efficit ut serviamus Deo cum fervore. Nulla oratio magis inflammat animas nostras ad amandum Deum, quàm fervens meditatio vitæ & passionis Christi.

S. Bonaventura dicit, quòd meditatio passionis Dominicæ replet animam tanta consolatione spirituali, illamquè extollit ad contemplationem Dei, ut non sentiat ampliùs delectationem terrenam: & quòd non intratur per aliam portam ad felicitatem æternam, quàm per portam passionis Christi. Et qui cogitat aliter intrare, perdet iter: quia sine recordatione passionis Dominicæ est vanum & erroneum quodcunque medium. In summa concludunt omnes Doctores, & Sancti Patres, quòd hæc recordatio est clavis & porta ad intrandum in Paradisum cælestem.

Sciendum autem est, quòd præinserta Revelationes, & Compendium gratiarum cælestium, & Sententia de utilitate meditationis Passionis Dominica, descripta sint ex Tabella appensa Cappella SS. Crucifixi in Ecclesia Aracælitana Ordinis S. Francisci Romæ, & ex idiomate Italico in Latinum translata per Authorem hujus Philosophiæ Christianæ. Caterùm pro majori notitia legantur Libri supradictarum trium Sanctarum, quibus Revelationes factæ à Christo referuntur. Et primò quidem B. Mechtildis Virginis, Monialis Ordinis S. Benedicti Liber gratiæ spiritualis. Secundò, S. Elisabetha de Schonaugia Virginis Monialis Ord. Cister. Libri tres Revelationum: de quibus mentionem facit Card. Bona in Notitia Auctorum initio Libri de Divina Psalmodia, & ibid. cap. 16. §. 5. *n.* 2. *Tertiò, S. Brigitta Vidua Sueca Revelationes sunt,* quæ comprehenduntur octo Libris: quas maturo Theologorum judicio approbatas esse testatur Card. Bona in Notitia Auctorum. Has autem Revelationes S. Brigittæ Confessarius Petrus Olanus Ord. Cister-

Cisterciensis in linguam latinam transtulit. Fueruntquè confirmatæ à Summis Pontificibus Bonifacio IX. & Martino V.

§. XVIII.

De immensitate dolorum Deiparæ, quos sustinuit in passione Filii sui: quibus excitamur non solùm ad compatiendum Matri ejus dolorosæ, sed etiam ad meditandum mysteria passionis Christi.

Gemitus matris tuæ ne obliviscaris. *Eccl. 7.*

Proëmium.

B*Eata Virgo Maria omnium fidelium mater fuit constituta tunc, quàdo Christus filium illi substituit Joannem per illa verba*: Mulier, ecce filius tuus. *Ita Rupertus* (a) *expendens illa verba*: Mulier cùm parit, tristitiam habet. Proinde, *inquit*, quia ibi dolores ut parturientis sustinuit in passione Unigeniti sui, omnium nostrûm salutem B. V. peperit, & facta planè est omnium nostrûm mater. *Et S. Bernardinus* (b) *ait*: *Mulier ecce filius tuus*: ut exclusa omni superfluitate verborum, secretum mysterii penetremus. Mysticè igitur in Joanne intelligimus animas electorum, quorum per dilectionem Beata Virgo facta est mater. Ipsa utiq; Virgo Mater, (c) quæ se Patris Unicum genuisse gloriatur, eundem Unicum suum in omnibus membris ejus amplectitur; omniumquè in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, matrem se vocari non confunditur. Eva vetus illa non tam mater quàm noverca, quæ filiis antè propinavit præjudicium mortis quàm initium lucis, dicta est quidem mater cunctorum viventium, sed inventa est veriùs interfectrix viventium, seu genitrix morientium: cùm suum generare nihil aliud sit, quàm mortem ingenerare. Et quia Eva non potuit fideliter interpretari nomen suum, ideò Virgo Mater implevit mysterium: quæ & ipsa sicut Ecclesia (cujus forma est) mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est Vitæ, quâ vivunt universi: quam dum ex se genuit, nimirùm omnes qui ex ea victuri sunt, quodammodò regeneravit. Unus quidem generabatur, sed omnes regenerabamur: quia videlicet secundùm rationem seminis, quo generatio fit, jam tunc in illo omnes eramus. Porrò Beata Mater Christi, (d) quia se matrem Christianorum cognoscit ratione mysterii, curâ quoque se matrem eis præstat & affectu pietatis. Neque enim duratur ad filios, quasi non sint sui: cujus viscera semel quidem fœta, sed nunquam effœta, nunquàm desinunt fructum parturire pietatis. Vide autem si non & filii Matrem videntur agnoscere, (e) dictante utique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, ut ad invocationem nominis ejus primò vel maximè refugiant in omnibus necessitatibus & periculis, tanquam parvuli ad sinum matris. Unde nimirùm de his filiis puto non absurdè intelligi, quod per Prophetam Isaiam promissum est ei: *Habitabunt in te filii tui*: salvo duntaxat intellectu, quo de Ecclesia hæc prophetia principaliter accipitur. Et nunc siquidem habitamus in adjutorio Matris Altissimi, in protectioneq; ipsius commoramur, tanquam sub umbra alarum ejus: & postmodùm in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confovebimur. *Item Guillelmus affirmat*, (f) *B. Virginem in matrem fidelium evasisse eo tempore, quo Christum corporaliter peperit. Ita enim scribit*: In uno Salvatore omnium JESU plurimos Maria peperit ad vitam. Eo ipso quòd Mater est capitis, multorum membrorum mater est. Mater Christi, mater est membrorum Christi, quia caput & corpus unus est Christus: corporaliter caput parturiendo, spiritualiter membra peperit. Unde etiam ab omnibus Mater appellatur, & ab omnibus cultu debito ut Mater honoratur. *Sic enim canimus in Hymno*: Monstra te esse Matrem, &c. *Ejusdem etiam sententia videtur esse S. Ambrosius*, (g) *cùm inquit*: Eja, charissimi, omnes nunc gaudeamus, nunc omnes gaudendo dicamus: Benedictus frater, per quem Maria est nostra mater: & benedicta Mater, per quam Christus est noster frater. *Idipsum S. Bonaventura devotè perpendit in Speculo*, (h) *ubi sic ait*: Sed numquid solius Christi Mater est Maria? Imò certè, quod jucundissimum est, Maria non solùm est Mater Christi singularis, sed etiam est mater omnium fidelium universalis. *Hoc quoque constat ex revelatione facta famulæ suæ Brigittæ à Beata Virgine Maria*, (i) *quæ ita ei dicit*: Ego sum Mater omnium peccatorum se volentium emendare, & habentium voluntatem in Deum ampliùs non peccare: & sum voluntaria ipsum peccatorem in meam defensionem accipere, sicut charitativa mater, dum videret filium unicum ab inimicis acutos gladios habentibus sibi occurrere. Nonne tunc ipsa opponeret se periculis viriliter, ut filium suum de manibus inimicorum suorum liberaret & eriperet, & in sinu suo gaudenter conservaret? Ita facio, & faciam ego omnibus peccatoribus, misericordiam meam à Filio meo petentibus cum vera contritione, & divina dilectione. *Id etiam Christus confirmat*, (k) *dum ad sponsam suam Brigittam loquitur sic*: Et Maria Mater mea propter compassionem & charitatem facta est est mater omnium in cœlis & in terris. *Ex quibus verbis colligitur, Beatam Virginem tunc constitutam esse matrem omnium fidelium à suo Filio, quando stabat juxta Crucem ejus lachrymosa. Nunc jam libet cogitare quantus dolor adfuit Virgini Matri.*

I. *Consideratur immensitas doloris Deiparæ ex prophetia Simeonis, qui apertè pronuncians Jesum esse natum in signum cui contradicendum erat, ad Mariam Matrem ejus sic dicebat*: Positus est hic in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit

a *Rupert. apud Novatum Tom. 1. de Eminent. Deip. cap. 18. quæst. 25. pag. 399.* b *Bernard. Senens. Tom. 1. Ser. 55. de Pass. Christi.* c *Guerricus Abb. Igniacen. Ord. Cist. Ser. 1. in Assumpt. B. M. nu. 2. pag. 1243. tom. 6. Operum S. Bern.* d *Idem ibid. nu. 3.* e *Idem ibid. nu. 4.*

f *Guillel. in exposit. illor. verb. Cant. 4.* Emissiones tuæ paradisus g *S. Ambros. ser. de Annunc. B. V. M.* h *S. Bonaven. relatus à Novato Tom. 1. de Eminen. Deip. cap. 18. quæst. 25. pag. 400.* i *Lib. 4. Revel. S. Brigit. cap. 138. pag. 378.* k *Lib. 8. Revelat. cap. 12. pag. 655.*

bit gladius. *Hæc verba exponens S. Bernardus*, (l) *inquit*: Martyrium ſanè Virginis in Simeonis prophetia commendatur: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Verè tuam, ô beata Mater, animam gladius pertranſivit. Alioquin non, niſi eam pertranſiens, carnem Filii tui penetraret. Et quidem poſteaquàm emiſit ſpiritum tuus ille Jeſus, ipſius planè non attigit Animam crudelis lancea, quæ ipſius aperuit latus, ſed tuam utique animam pertranſivit. Ipſius nimirùm Anima jam ibi non erat, ſed tua planè inde nequibat avelli. Tuam ergo pertranſivit animam tanta vis doloris, ut plùs quàm martyrem non immeritò prædicemus: in qua nimirùm corporeæ ſenſum paſsionis exceſſerit compaſsionis affectus. Non mireris, ô homo,(m) quòd Maria martyr in anima fuiſſe dicatur. Miretur, qui non meminerit ſe audiſſe Paulum inter maxima Gentium crimina memorantem, quòd ſine affectione fuiſſent. Longè id fuit à Mariæ viſceribus. Sed fortè quis dicat: Super hæc doluit Crucifixum? Et vehementer. Alioquin quiſnam tu, aut unde tibi hæc ſapientia, ut mireris plùs Mariam compatientem, quàm Mariæ Filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, iſta commori corde non potuit? Fecit illud charitas, quâ majorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui poſt illam ſimilis altera non fuit. Mater erat laniata [n] morte chari pignoris. Mente Mater erat percuſſa cuſpide teli, quo membra Chriſti ſervi foderunt impii. Ipſa enim erat, quam dolor tenebat. In mente ejus creverant immenſi dolores, nec poterant tunc extrà refundi. Intùs atrociùs ſævientes dolores Filii, Matris animam gladiebant. *Guillelmus* [o] *etiam ſic ait*: Planè gladius acutiſsimus dolor Dominicæ paſsionis animam piæ Matris penetrans, atque tranſverberans, eam ſpiritualiter commori Filio fecit. Martyres alii fuerunt moriendo pro Chriſto, hæc commoriendo Chriſto martyr fuit, & commartyr Chriſti: illorum corporale, Matris ſpirituale. *S. Ildephonſus* [p] *hæc habet*: Quòd ſi gladius uſque ad animam pervenit, quando juxta Crucem ſtetit videns Dominum pendentem, etiam plùs quàm martyr fuit: quia in animo non minus amoris quàm mæroris eſt intùs gladio vulnerata. *Et clariùs S. Hieronymus* [q] *loquitur ſic*: Alii Sancti paſſi ſunt pro Chriſto in carne: ſed Beata Virgo in ea parte ſui paſſa eſt, quæ immortalis habetur. Et ideò, ut verum fatear, quia ſpiritualiter & atrociùs paſſa eſt gladio paſsionis, plùs quàm martyr fuit. *Dic nobis S. Pauline, quis ex hoc gladio dolor?* Is idem dolor (r) qui Chriſti corpus in Cruce transfodit, cor adſtantis Virginis animumquè confixit. *Sancte Damaſcene quis dolor?* Quo viſcera (s) ſibi lacerari ſenſit, intimèquè diſcerpi. *Sancte Anſelme quis dolor?* Tam immanis erat,(t) ut quidquid crudelitatis inflictum eſt Martyrum corporibus, hujus compaſsione dixeris vel leve fuiſſe, vel nihil. *Sancte Bernarde quis dolor?* Nec lingua poterit loqui, (u) nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viſcera Mariæ. Nunc ſolvit Virgo cum uſura, quod in partu non habuit à natura. Dolorem pariendo Filium Mater non ſenſit, quem millies replicatum Filio moriente ſuſtinuit. Dicat qui poteſt, cogitet quantum poteſt, meditetur ſi poteſt, quæ doloris immenſitas tunc maternam animam cruciabat? Non credo plenè enarrari vel meditari poſſe dolorem Virginis, niſi tantum fuiſſe credamus, quantum unquam dolere potuit de tali Filio talis Mater. Verumtamen rectum erat amoris & mæroris continens modum. Non deſperabat, ſed piè & juſtè dolebat; ſperans tamen firmiter, fortiterquè tenens ipſum ſecundùm promiſſum ſuum tertia die reſurrecturum. *Sancte Ildephonſe quis dolor?* Dolor [x] quo plùs quàm martyr effecta eſt. *Sancte Bernardine* (y) *quis dolor?* Tantus fuit dolor Virginis, ut ſi in omnes creaturas quæ pati poſſunt, divideretur, omnes ſubitò interirent. *Beate Adalberte Magne* (z) *quis dolor adfuit Virgini Matri?* Vitam ei ademiſſet, niſi fuiſſet corroborata divinitùs. *Sancte Thoma Angelice Doctor dic nobis, qualenam Virgo Mater meritum habuit ex dolore, quem ſuſtinuit in paſſione Filii ſui?* (a) Roſa ſignificat Martyres per effuſionem ſanguinis, qui habet colorem rubeum: Deipara verò habuit meritum Martyris, mortem crucis cum Filio patiendo. *Sanctus Bonaventura Virginem Mariam juxta Crucem ſtantem* (b) *ſic alloquitur*: O mira res! ô ſtupendum prodigium! Tota quippè es in vulneribus Jeſu Chriſti, & totus Jeſus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus cordis tui.

II. *Conſideratur immenſitas doloris Deiparæ ex verbis ſancti Evangelii ſecundùm Joannem, qui ſic dicit*: Stabant juxta Crucem Jeſu Mater ejus, & ſoror matris ejus, &c. *Hæc verba exponens Sanctus Bernardus* (c) *ſic ait*: Stabat juxta Crucem Maria Mater intuens vultu benigno Chriſtum pendentem in patibulo, pedumquè ſummitatibus innitens manus levabat in altum, amplectens rubricatam Crucem, ac in oſcula ejus ruens ex ea parte, quâ unda pretioſiſſimi Sanguinis defluebat. Surſùm manus niſu quo poterat extendebat, Unicum ſuum Filium amplecti deſiderans: nec valebat. Superat enim amor multa, quæ nunquam vel rarò fieri poſſunt: impatiens ſiquidem amor credit, quòd ſibi debeant cedere univerſa. Volebat amplecti Chriſtum in alto pendentem, ſed manus fruſtra protenſæ, in ſe complosæ redibant complexæ. Levabatur à terra ſurſùm, ut dilectum ſuum Filium contingeret: ipſumquè tangere nequiens, duriſſimè recollidebatur ad terram. Ibi doloris immenſitate oppreſſa, proſtrata jacebat: ſed maxima vis amoris, quâ incenſa mens ejus ardebat, eam erigere compellebat. Unde amoris impetu ſurgens, reextenſis manibus ſuum attrectare Filium affectabat: ſed rurſùm magno cruciata dolore, terram repetere cogebatur. O quàm malè tunc illi erat! Gravius illi erat vita vivere tali, quàm diro gladio ſævè necari ab impiis. Tanquàm mortis pallor ejùs vultum perfundebat, genis & ore tantùm cruore Chriſti rubentibus: cadentes guttas Sanguinis ore ſacro tangebat, terram

l S. Bern. Ser. 1. de Virg. Deip. num. 14. m Idem ibid. num. 15. n Idem Serm. de Lament. V. M. nu. 7. o Guillel. in expoſit. illor. verborum Aſcendi is purpureus Cant. 3. p S. Ildeph. Ser. 2. de Aſſumpt. B. M. V. q S. Hier. Ser. 4. de Aſſumpt. B. V. M. r S. Paulin. in epiſt. ad S. Auguſ. s S. Damaſc. lib. de Fide Orthodox. cap. 15. t S. Anſelm. de excell. V. M. cap. 5. u S. Bern. de Lament. B. V. nu. 8. & 11.

x S. Ildephon. Ser. 2. de Aſſum. B. M. y S. Bernardin. tom. 1. Ser. 61 art. 3. cap. 2. z B. Albert. Ser. ſuper Miſſus eſt. a S. Th. in explicat. verborum Eccl. 24. Quaſi plantatio roſæ in Jericho. b S. Bonavent. in Stimulo amoris cap. 4. de planctu Virg. c S. Bern. de lament. V. M. num. 8.

terram illam de osculans sæpissimè, quam cruoris unda perfundebat. O grave martyrium! O frequens suspirium! O languens pectus virgineum! Anima ejus liquefacta est: facies quidem pallet rosea, sed pretioso Filii Sanguine rubet respersa. Quoties denique ipsam(d) propter verecundiam virginalem pariter & immensitatem doloris (ut æstimo) capite cooperto ingemuisse putas lugendo Filium & dicendo: *Fili mi Jesu, Jesu Fili mi, quis mihi det, ut tecum & propter te moriar Fili mi dulcis Jesu?* Quoties ipsam præ immensitate doloris credis potuisse deficere, à quo ipsam summè miror etiam mortuam non fuisse. Moriebatur vivens, vivendo ferens dolorem morte crudeliorem. Sed ne moriendo deficeret, à Filio pro ipsa mortalitate confortata est. Confortata est intrinsecùs, exteriùs verò & verbis & factis piè consolata. Quomodò autem *stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus?* Verè juxta Crucem stabat, quia crucem Filii præ cæteris Mater majore cum dolore ferebat. Stabant & aliæ mulieres: sed proxima stabat Mater ejus. Planè Mater,(e) quæ nec in terrore mortis Filium deserebat. Quomodò enim morte terreri poterat, cujus charitas fortis ut mors, imò fortior quàm mors erat? Planè juxta Crucem Mater stabat, cujus mentem dolor crucis simul crucifigebat: suamque ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius, quantis confossum corpus Filii cernebat vulneribus. Meritò igitur ibi agnita est Mater, & cura ipsius idoneo tutori delegata est, ubi maximè probata est & Matris ad Filium sincera charitas, & Filii de Matre vera humanitas. Est enim sagitta electa amor Christi, (f) quæ Mariæ animam nonmodò confixit, sed etiam pertransivit: ut nullam in pectore Virginali particulam vacuam amore relinqueret, sed toto corde, totâ animâ, tota virtute diligeret. Et ideò (g) in Deipara omnium virtutum aromata pilo tribulationis ad præclaram redolentiam in pulverem erant contusa, quia cunctis Filii perpessionibus materno affectu communicabat. Horum aromatum duo præcipuè nominantur, nimirùm myrrha sacri doloris, & thus pii amoris. Quantum amabat, tantum in Filii passione dolebat, atque ita thus & myrrham æqualiter spirabat. *Eleganter hujusmodi Deiparæ affectus prosequitur Sanctus Bernardus, (h) inducens eam sic alloquentem Filium Dei & suum in Cruce pendentem*: Fili mi, Fili mi, amor unice, Fili dulcissime, noli me derelinquere post te: trahe me ad teipsum, ut & ego moriar tecum. Malè solus moreris: moriatur tecum ista tua genitrix. O mors misera, noli mihi parcere! quia tu mihi sola places: exaggera vires, trucida Matrem, Matrem cum Filio perime simul. Fili dulcor unice, singulare gaudium, vita animæ meæ, & omne solatium, fac ut ego ipsa tecum moriar, quæ te ad mortem genui: sine Matre noli mori. O Fili, recognosce miseram, & exaudi precem meam! Decet enim Filium exaudire Matrem desolatam. Exaudi me obsecro, in tuo me suscipe patibulo, ut qui una carne vivunt, & uno se amore diligunt, una morte pereant. O Fili charissime, (i) ô benignissime nate, miserere Matri tuæ, & suscipe preces ejus! Desine nunc mihi esse durus, qui cunctis semper fuisti benignus. Suscipe Matrem tuam in Cruce, ut vivam tecum post mortem semper. Nihil mihi dulcius est, quàm te amplexato in Cruce tecum mori: & nihil certè amarius est, quàm vivere post tuam mortem. O vere Dei nate, tu mihi pater, tu mihi mater, tu mihi filius, tu mihi sponsus, tu mihi anima eras: nunc orbor patre & matre, viduor sponso, desolor filio, omnia perdo! *Et Sanctus Bonaventura (k) Virginem Matrem sic loquentem ad Filium introducit*: Vivere sine te mors mihi est: tecum ergo vellem ligari, tecum alapis cædi, tecum flagellari, spinis coronari, & breviter omni tuo vulnere vulnerari. Non possum sine vulnere stare: te enim intuens, ô dulcissime Fili, vulnerantur tota viscera præ nimio dolore. Te video sic crudeliter vulneratum, te ab amicis derelictum, te facie lividum, te in medio latronum pendentem. Heu Fili mi! heu me dolentem! quid faciam? Quare me permittis stare juxta Crucem, & te videre in Cruce? O care Fili, quare non acquiescis petitioni infelicissimæ Matris? Quare vis sine Matre stare in Cruce? Nonne cor meum tecum est? Sume ergo & corpus meum, ut ambo in Cruce moriamur. O Fili mi, (l) ultrà quid faciam? Væ mihi! væ mihi! Quò vadam charissime? ubi me vertam dulcissime? quis mi de cætero consilium & subsidium præstabit? Fili dulcissime, omnia tibi possibilia sunt: sed & si non vis ut moriar tecum, mihi saltem relinque aliquod benignum consilium.

III. *Consideratur immensitas doloris Deiparæ ex Evangelii verbis sequentibus*: Cùm vidisset ergo Jesus Matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: *Mulier, ecce Filius tuus.* Deinde dicit discipulo: *Ecce Mater tua.* Quantus in ipso fuerat(m) circa Matrem suam charitatis affectus jam corporaliter recessuro, brevibus intimavit verbis, dicens: *Ecce filius tuus.* Et ut Crucis suæ taceam passionem, quanta circa beatam Matrem compassione mutua credis fuisse cor ejus, cujus mitissimum tam valido doloris sui gladio transverberatū cor perfectè sciebat, adauxit vulnerum passionem materna compassio, cùm Matrem contritissimo corde, manibus complosis; oculis lachrymarum torrente fluentibus, vultu contracto, voce querula, & totis viribus cordis destitutam videret viriliter adstare sibi pendenti in Cruce. O dolores inexplicabiles! (n) ô ineffabilis reciprocatio sancti amoris! Filius patitur, & intùs valdè compatitur Matri: Mater verò compassa est patienti Filio. Tantus nempè impetus passionis Domini Jesu fuit, ut quasi torrens ipsum impleret patientem: quia (teste Psalmista) de torrente passionis in via bibet, ut sic Christo impleto, in Matrem flueret compatientem; quâ similiter impletâ, ad Filium redundaret inundatio amaritudinis & mæroris. Gemebat Filius, (o) quòd Mater in tam horrendo esset spectaculo. Et ad cor Virginis loquebatur dicens: Ut quid venisti columba mea, for-

d *Idem tract. de vite myst. cap. 10. num. 46.* e *Guerricus Abb. Igniacen. discipulus S. Ber. Ser. 4. de Assumpt. B. M. num. 1. tom. 6. Operum S. Bern. pag. 1253.* f *S. Bern. Ser. 29. in Cant. num. 8.* g *Rupert. Abb. in illud Cant. 3.* Quæ est ista &c. h *S. Bern. de lament. V. M. num. 4.*
i *Ibidem num. 5.* k *S. Bonavent. de planctu V. M.* l *S. Bern. de lament. V. M. num. 5.* m *Idem tract. de Vite myst. cap. 10. num. 46.* n *S. Bernardin: Homil. sup. Evang. verba:* Stabant juxta Crucem. o *S. Laurent. Justin. lib. de triumphali agone cap. 1.*

mosa mea? Dolor tuus meum auget dolorem, cruciatus tuus transfigit me. *Porrò* (p) Filius Virginem alloquitur: Tactus sum intrinsecùs dolore, cùm viderē te dolentē pedes in Cruce, in uno oculorū, id est in uno materno affectu; & in uno crine colli tui, id est in uno ornamento humilitatis, quo mihi inhæsisti ut collum capiti. Quodāmodò crucifigebatur & Maria, (q) cùm Filium suum crucifigi videret; novamquè crucem Christo inferebat. Tunc (r) compatiebatur Filius Matri compatienti sibi: cōmota sunt quippè omnia viscera ejus super Matre sua. Sciebat enim ipse angustias materni cordis, & (ut dicit Damascenus) quia dolores, quos ipsa in sua parturitione non senserat, nunc geminabantur sibi in ejus passione; ideoq; & ipse geminum dolorem patiebatur, scilicet crucis & Matris. Intantùm Virgo compassa est illi, [s] ut si fieri potuisset, omnia tormenta quæ Filius pertulit, ipsa multò libentiùs sustinuisset. Proinde [t] speciali quodam splendore in Maria coruscat martyrium cordis. Martyrium sanè Virginis [u] in ipsa Dominicæ passionis historia commendatur. An non ei plùs quàm gladius fuit sermo ille revera pertransiens animam, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs: *Mulier, ecce filius tuus: ecce mater tua?* O commutationem! Joannes illi pro Jesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodò non suam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra licèt saxea, licèt ferrea pectora sola recordatio scindit? Dum autem hæc diceret Jesus, [x] tunc illi duo dilecti (*Maria & Joannes*) lachrymas fundere non cessabant. Tacebant ambo illi martyres, & præ nimio dolore loqui non poterant. Isti duo virgines audiebant Christum voce rauca & semiviva loquentem, ipsum videbant paulatim morientem: nec ei poterant respondere verbum, quia illum videbant quasi jam mortuum. Erant enim illi duo quasi jam mortui, unde spiritus illorum voces exhalare nequibant. Defecerant spiritus illorum, & virtutem loquendi amiserant. Audiebant, & tacebant: quia præ angustia loqui non poterant. Solus illis dolor luctusquè remansit amicus. Amabant flere, & flebant amarè. Amarè flebant, quia amarè dolebant. Nam gladius mortis Christi animas utrorumque transibat. Transibat sævus, sævus perimebat utrumque. Cæterùm Mater quò magis amabat, eò sævior fiebat in Matre dolor. Vulnera Christi moriētis, erant vulnera Matris dolentis. *B. Ephrem inducens Virginem plangentem & lamentantem*, [y] *sic ait*: Cùm gravibus suspiriis, cum fletu ingenti, cum lamentis dolorosissimis exclamavit dicens: Fili mi dulcissime, Fili mi, & Deus meus, deficio te suspiciens in ligno suspensum, conclavatum, plagisquè plenum. O Simeon admirande! en nunc gladius, quo mihi prædixisti cor meum trajiciendum. Ecce gladius, ecce vulnus, Fili mi & Deus meus! Tua mors cor meum subiit, viscera mea sunt disrupta, & pectus meum gravis pertransivit gladius. O Domina, (z) quos fontes lachrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, cùm attenderes unicum Filium tuum innocentem coram te pendentem & morientem in Cruce?

§. XIX.

De mysteriis dolorum Christi Domini, quos ipse ac ejus Mater revelârunt Sanctæ Brigittæ, ut eos semper in memoria retineret, & assidua meditatione revolveret.

Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis. *Matth. 11.*

I. REvelatio (a) non est aliud quàm infusio gratiæ spiritualis. Adsunt revelationes, (b) sed in spiritu & virtute: ut tempori gratiæ quæ nunc est, nihil in ulla gratia deesse probetur. Nobis enim tantò efficacior gratia & revelatio dignior est, quantò nimirùm excellentiora constat esse quæ expectamus. Denique (c) revelat Filius seipsum cui vult, revelat & Patrem. Revelat autem sine dubio per Spiritum Sanctum, Apostolo teste qui ait: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* At verò dando Spiritum per quem revelat, etiam ipsum revelat. Dando revelat, & revelando dat. Porrò revelatio quæ per Spiritum Sanctum fit, non solùm illustrat ad agnitionem, sed etiam accendit ad amorem, dicente Paulo: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Profectò *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Enarravit, dixerim, non mihi misero & indigno, sed planè Ioanni amico Sponsi, cujus hæc verba sunt. Non solùm autem illi enarravit, sed & Ioanni Evangelistæ, utique discipulo quem diligebat Jesus. Placita enim fuit Deo & anima istius, digna prorsùs nomine & dote sponsæ, digna sponsi amplexibus, digna denique quæ recumberet super pectus Domini. Hausit Joannes de sinu Unigeniti quod de paterno hauserat ille. Nec solus ipse tamen hausit, sed & omnes quibus idem aiebat magni consilii Angelus: Vos dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis. *Hausit & Sancta Brigitta, cujus Revelationes non sunt ab homine, neque ab homine illas accepit, sed per revelationem Jesu Christi, ejusquè Matris. Profectò hæc sponsa Christi Brigitta tam feliciter quàm veraciter dicere potest*: Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. *Item*: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis. Haud dubium (d) quin secreta veritatis: *à sapientibus & prudentibus*, id est à superbis: *& revelâsti ea parvulis*, hoc est humilibus. Et in hoc apparet, quòd veritas, quæ superbis absconditur, humilibus revelatur. *Sancta*

p *Honorius Augustodunen. in Opusc. de Sigillo B. M. V. in verba Cant.* 4. Vulnerâsti cor meum &c. q *Joann. Lansperg. Homil. 48.* r *Rodulph. in Vita Christi par. 2. cap. 63.* s *S. Bonavent. in I. Senten. distinct. 16 quæst. ult.* t *S. Bern. Ser. 1. de Virg. Deip. nu. 7.* u *Ibid. nu. 14.* x *Idem de lament. V. M. num. 7.* y *B. Ephrem Serm. de lament. Virg.* z *S. Anselm. de compass. Virginis.*

a *S. Bern. Epist. 107. num. 9.* b *Ser. de S. Martino. num. 11.* c *Ser. 8. in Cant. nu. 4. & 7.* d *S. Bern. tract. de grad. humilitatis cap. 1. num. 1.*

cta Brigitta quò abundantiores gratias accipiebat à suo cælesti sponso Jesu Christo, eò magis se humiliabat dicens: (e) O Domine mi, & Filius Virginis, quare dignatus es tu tam vilem viduam visitare, quæ sum pauper in omnibus bonis operibus, & modica in conscientiæ intellectu, & consumpta in omni peccato longitudine temporis? *Ad hæc verba Dominus benignè respōdit ei sic:* Ego te elegi sicut phænicem, quæ cùm senio gravatur, comportat in vallem stipulas siccas, inter quas comportat etiam stipulas unius arboris, quæ exteriùs est sicca ex natura & intùs calida, in quam primò venit calor, & ex Solis radiis incenditur, deinde ex ipsa omnes stipulæ accenduntur. Sic oportet te congregare virtutes, quibus renoveris quasi cælestis phænix in rogo charitatis, & extendaris in altissimas intelligentias secretorum cælestium.

II. *Anno 1346. cùm S. Brigitta Vidua Sueca hospitaretur in Monasterio de Alvestra Ordinis Cistercienfis, in Ostroggothiæ fundato per Suercherium Regem Sueciæ anno 1143. vocatis Claravallensibus Monachis discipulis Sancti Bernardi tunc viventis, essetquè rapta in altissimam contemplationem, apparuit ei Christus Dominus, præcipiens ut iret Romam his verbis:* (f) Vade Romam, & manebis ibi donec videas Papam, & Imperatorem: & illis loqueris ex parte mea verba mea, quæ tibi dicturus sum. Venit igitur sponsa Christi Brigitta Romam anno ætatis suæ 42. & mansit ibi juxta præceptum divinum annis quindecim, antequam veniret Romam Urbanus Papa V. & Imperator Carolus V. quibus obtulit revelationes pro reformatione Ecclesiæ, & Regulam. In illis siquidem 15. annis, quibus mansit Romæ ante adventum Summi Pontificis & Imperatoris, habuit multas revelationes de statu Urbis, in quibus arguebat Dominus noster Jesus Christus excessus & peccata inhabitantium Urbem, cum gravi comminatione vindictæ. Quæ relictis omnibus, (g) ex præcepto Domini ad Urbem peregrinata est, ubi & Crucifixus ei ardenter in Ecclesia S. Pauli oranti dignatus est loqui. *Non solùm autem ad præmissum effectum venit Romam S. Brigitta jussa à Christo Domino, verumetiam ut excitaret in fidelibus memoriam quasi extinctam Passionis suæ, & inflammarentur frigescentia eorum corda ad meditandum mysteria passionis Dominicæ, prout ipsa Deipara dignoscitur innuisse suæ famulæ Brigittæ his verbis:* (h) Ut passio Filii mei reduceretur in memoriam, ideò verba Dei tibi divinitùs data venerunt in mundum. *Cùm autem Sancta Brigitta amara illa omnia, quæ pro nobis pertulit Christus, semper in memoria retineret, & assidua meditatione revolveret; ipse revelavit ei modum colligendi fructum ex hac tam pia meditatione, dicens ei:* (i) Ego sum Creator cæli & terræ, & illud quod consecratur in Altari est Corpus meum verum: ideò dilige me toto corde, quia ego dilexi te. Ego spontaneè tradidi me inimicis meis, & remanserunt amici mei & Mater mea in amarissimo dolore & fletu. Licèt autem viderem lanceam, clavos, flagella, & alia passionis instrumenta præparata, processi nihilominùs lætus ad passionem. Cùmquè caput meum esset undique coronâ spineâ cruentatum, & undique Sanguis flueret, & etiamsi adhuc inimici tetigissent cor meum, magis hoc tamen paterer dividi & vulnerari, quàm te carere vellem. Propterea nimis ingrata esses, si me pro tanta charitate non diligeres. Si enim caput meum punctum est, & inclinatum in Cruce pro te; caput etiam tuum debet inclinari ad humilitatem. Et quia oculi mei erant sanguinolenti, & pleni lachrymis; ideò oculi tui debent lachrymas fundere, & abstinere à delectabili visu. Et quia aures meæ implebantur Sanguine, & audiebant verba detractionis meæ; idcircò aures tuæ avertantur à scurrilibus & ineptis locutionibus. Quia os meum potatum est amarissima potatione, & prohibitum à bona; ideò etiam os tuum obstruatur à malis verbsi, & aperiatur ad bona. Et quia manus meæ extensæ sunt cum clavis, propterea opera tua quæ figurantur in manibus, extendantur ad pauperes, & ad præcepta mea. Pedes tui, id est affectus tui, quibus ad me ire debes, crucifigantur à voluptatibus. Et sicut in omnibus membris passus sum ego; sic omnia membra tua parata sint ad obsequiū meū: à te enim majus servitium exigo quàm ab aliis. *Ut autem magis confirmaretur S. Brigitta in hac devotione adeo essentiali, permisit Christus Dominus, ut ipsi appareret anima cujusdam Principissæ suæ amicæ, quæ referendo ei causam suæ salutis, ita dicit:* (k) Appropinquante tempore mortis, venit mihi in mentem consideratio passionis Dei mei, scilicet quòd illa multò gravior & amarior erat, quàm mea angustia, quam propter demerita mea digna sum pati. Et ex tali consideratione obtinui lachrymas, ingemiscens quòd tanta charitas Dei erat erga me, & mea tam modica erga ipsum. Respexi enim eum tunc oculis conscientiæ meæ, & dixi: *O Domine, ego credo te Deum meum, miserere mei Fili Virginis propter amaram passionem tuam: amodò enim ego libenter emendarem vitam meam, si haberem tempus!* Et in illo puncto accensa fuit scintilla quædam charitatis in corde meo, quâ amarior videbatur mihi passio Christi, quàm mors mea: stando tota involuta his cogitationibus, soluta erat à vinculis mortalibus ista anima, quæ præsentata à spiritibus infernalibus coram æterno Judice invenit misericordiam & clementiam. *Quantùm autem se monstrat Redemptor misericordem & benignum erga illos, qui compatiuntur anxietatibus & amaritudinibus Christi Domini sui; tantùm se ostendit inexorabilem erga ingratos illos, qui agunt annos & vitam sine recordatione suæ Passionis.*

III. Sancta Brigitta rapta in spiritu, [l] vidit palatium grande simile cœlo sereno, in quo erat exercitus cælestis militiæ innumerabilis quasi atomi Solis, habens fulgorem sicut radii Solis. In palatio verò sedebat in throno mirabili quædam persona similis homini, incomprehensibilis pulchritudinis, & immensæ potentiæ Dominus: cujus vestes erant mirabiles, & indicibilis claritatis. Sedensquè in throno

e *Lib. 2. Revelat. cap. 18. nu. 2. pag. 131. noviter impressi. Monachii anno 1680.* f *Ex Revelat. quæ communiter* Extravagantes *nuncupantur, cap. 8. pag. 754.* g *Consul. Durant. Episc. Fereirani tract. de Visionibus cap. 12. in fine ex antiquiss. codice Revelat. S. Brigittæ.* h *Lib. 8. Revel. cap. 47. ante nu. 1. pag. 669.* i *lib. 1. Rev. pa. 11. ca. 22.*

k *Lib. 6. cap. 52. pag. 517.* l *Lib. 7. cap. 30. pag. 623.*

throno, aperuit os suum, & dixit: Audite inimici mei in mundo viventes, quia ad amicos meos non loquor, qui sequuntur voluntatem meam. Audite omnes cujuscunque conditionis & gradus estis, magni & parvi qui inhabitatis orbem, verba hæc, quæ ego ipse qui creavi vos, nunc loquor ad vos. Ego conqueror adversùm vos, quia recessistis à me, & dedistis fidem diabolo inimico meo: vos dereliquistis mandata mea, & sequimini diaboli voluntatem, & obeditis suggestionibus ejus: vos non attenditis quòd ego æternus Deus & Creator vester descendi de cælis ad Virginem, sumens ex ea carne, & conversatus sum vobiscum. Ego per memetipsum aperui vobis viam, & ostendi consilia, per quæ iretis ad cælum. Ego fui nudatus, flagellatus, spinis coronatus, & ita fortiter extensus in Cruce, ut quasi omnes nervi & compagines coporis mei solverentur. Ego audivi omnia opprobria, & sustinui contemptibilissimam mortem, & amarissimum cordis dolorem pro salute vestra. Hæc omnia, ô inimici mei, non attenditis, quia decepti estis. Portatis jugum & onus diaboli cum suavitate fallaci, & nescitis, nec ista sentitis, antequam dolor super onus interminabile appropinquat. Nec sufficiunt vobis ista: sed & tanta est superbia vestra, ut si possetis ascendere super me, libenter faceretis. Tantaquè est vobis voluptas carnis, ut libentiùs velletis carere me, quàm dimittere inordinatam delectionem vestram. Insuper cupiditas vestra est insatiabilis, quasi saccus perforatus: quia nihil est, quod satiare posset cupiditatem vestram. Ideò juro in Deitate mea, quòd si moriemini in statu hoc in quo nunc estis, nunquam videbitis faciem meam, &c. Verumtamen, ô inimici, quia ego Sanguine meo redemi vos, & nihil quæro nisi animas vestras: ideò redite adhuc ad me cum humilitate, & gratanter ut filios suscipiam vos. Excutite grave jugum diaboli à vobis, & recordamini charitatis & passionis meæ, & videbitis in conscientia vestra quòd ego sum suavis & mitis. *Post hæc mox cognovit Brigitta effectum prædictarum minarum in quodam peccatore, cujus animã vidit præsentatam coram tribunali Christi Domini, qui improperando illi ingratitudinem quòd non doluit de doloribus suæ passionis, voce horribili dixit ei*: (m) Vade anima ingrata in locum, ubi vives in morte tua æternaliter, quia noluisti vivere in luce & vita mea: ego te ampliùs non recognosco pro mea, quã nihil de mea dolorosa passione cogitasti. De vulnere quippè *lateris* mei & cordis mei non plùs compassa es, quàm si perforaretur clypeus inimici tui. De vulneribus *manuum* mearum tantum curasti, ac si pannus gracilis rumperetur. Vulnera etiam *pedum* meorum tam mollia tibi fuerunt, ac si videres scindi molle pomum. Tu frequenter quæsivisti in vita tua, quare ego Deus in corpore mortuus fui? Nunc autem ego quæro à te, quare tu misera anima mortua es? Respondit illa: quia non dilexi te. Et Dominus dicit animæ: Tu fuisti mihi quasi puer abortivus matris suæ, quæ non minorem dolorem patitur pro eo, quàm pro illo qui vivus procedit de utero ejus. Sic ego tanto precio & tanta amaritudine te redemi, sicut aliquem Sanctorum meorum, licet modicùm curasti. Verùm sicut puer abortivus non habet dulcedinem de uberibus maternis, nec consolationem de verbis, nec calorem de pectore. Sic tu nunquam habebis dulcedinem electorum meorum ineffabilem, quia dulcedo tua placuit tibi: nunquam audies verba mea ad profectum tuum, quia verba oris tui & mundi placuerunt tibi, & verba oris mei erant tibi amara: nunquam senties charitatem & bonitatem meam, quia frigida eras quasi gelu ad omne opus bonum. Vade igitur in locum ubi abortivi projici solent, ubi vives in morte æternaliter.

IV. *Videns autem Sancta Brigitta quantum placeat Christo Domino sacrosanctæ Passionis ipsius recolere beneficia, non solùm consumebat dies noctesquè in hoc exercitio, sed desiderabat etiam ferventer sibi revelari numerum percussionum, quas accepit in sua crudelissima flagellatione. Cui Christus sic respondit*: (n) Filia, si per integrum annum omni die dixeris XV. *Pater noster*, & totidem *Ave Maria*: elapso anno, quodlibet vulnus corporis mei veneratæ es uno Pater noster, & uno Ave Maria. Ex quo facilè constat, Christum Dominum accepisse in sua flagellatione vulnera 5475. dum esset ligatus ad columnam. *Deipara etiam Virgo ut magis animaret Sanctam Brigittam ad meditandum passionem Christi, apparuit ei quadam die veneris, quã contemplabatur mysteria dolorosa, & dixit illi*: (o) Isto tempore patiebatur Filius meus, qui appropinquante Juda traditore suo inclinavit se ad eum, (*quia* Judas brevis staturæ erat) dans ei osculum, dicens: *Amice ad quid venisti?* Et statim alii rapuerunt eum, alii traxerunt eum per crines, alii sputis deturpabant eum. *Alia vice Deipara apparens ei, totam seriem passionis Redemptoris enarravit his verbis*: Considera inprimis, [p] qualiter instante tempore passionis Filii mei, rapuerunt eum inimici ejus, percutientes eum in maxilla & collo, & conspuentes illuserunt ei. Deinde ductus ad columnam personaliter se vestibus exuit, personaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici sine misericordia ligaverunt. Alligatus autem nihil omninò operimenti habebat, sed sicut natus est, sic stabat, & patiebatur erubescentiam nuditatis suæ. Consurrexerunt tunc inimici ejus, qui undique adstabant, & flagellabant corpus ejus ab omni macula & peccato mundum. Flagellis aculeatis, (q) infixis aculeis, & retractis, non evellendo, sed sulcando totum corpus ejus lacerabant. Ad primum igitur ictum (r) ego quæ stabam propinquiùs, cecidi quasi mortua: & resumpto spiritu, vidi corpus ejus verberatum & flagellatum usque ad costas, ita ut costæ ejus viderentur: & quod amarius erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipsius flagellis sulcabantur. Cùmq; Filius meus totus sanguinolentus, & totus sic laceratus stabat, ut in eo non inveniretur sanitas, nec quid flagellaretur, tunc unus concitato in se spiritu quæsivit: *Numquid*

inter-

m *lib. 6. cap. 28. pag. 471.*

n *In Prolog. ante XV. Orationes tom. 2. Revelat. pag. 747.*
o *lib. 4. cap. 99. pag. 329.* p *lib. 1. cap. 10. nu. 7. pag. 17.*
q *lib. 4. cap. 70. pag. 289.* r *lib. 1. cap. 10. nu. 8. & 9. pag. 17.*

interficietis eum sic injudicatum? & statim secuit vincula ejus. Inde Filius meus induit se vestibus suis: tunc locum ubi stabant pedes ejus, totum repletum vidi Sanguine, & ex vestigiis ejus cognoscebam incessum suum: quò enim procedebat, apparebat terra Sanguine infusa: nec ipsi patiebantur inimici, ut se indueret totaliter, sed compulerunt & traxerunt eum ut acceleraret. Cùm autem duceretur quasi latro, ipse Filius meus extersit sibi Sanguinem ab oculis suis. Cùmq; judicatus esset, tunc imposuerunt sibi Crucem portandam: quam cùm admodùm portâsset, veniens vnus assumpsit eam sibi portandam. Interim eunte Filio meo ad locum passionis, alii percusserunt eum in collo, alii in faciem ceciderunt: & tam fortiter & valenter percussus est, ut licèt ego non viderem percutientem, audivi tamen clarè sonitum percussionis. Cùmquè venissem cum eo ad locum passionis, omnia instrumenta vidi ibi præparata ad crucifigendum eum. Et ipse Filius meus veniens illuc, exuit se personaliter vestibus suis, ministris inter se dicentibus: *Hæc vestimenta nostra sunt, nec ea rehabebit, quia damnatus est ad mortem.* Stante autem Filio meo sicut natus erat nudo corpore, unus tunc accurrens apportavit ei velamen, quo ipse intimè exultans velabat verenda sua. Postea rapuerunt eum sævi tortores, [s] & extenderunt eum in Cruce, primò dexteram manum ejus affigentes stipiti qui pro clavis perforatus erat, & manum ipsam ex ea parte perforabant, qua os solidius erat: inde trahentes cum fune aliam manum ejus ad stipitem, eam simili modo affixerunt. Deinde dextrum pedem crucifixerunt, & super hunc sinistrum duobus clavis, ita ut omnes nervi & venæ extenderentur, & rumperentur. Quo facto, aptaverunt coronam de spinis capiti ejus: quæ tam vehementer reverendum caput Filii mei pupugit, ut ex Sanguine fluente replerentur oculi ejus, obstruerentur aures, & barba tota decurrente Sanguine deturparetur. Cùmquè sic sanguinolentus & perforatus staret, condolens mihi adstanti & gementi, respexit sanguinolentis oculis ad Joannem sororium meum, & me commendabat ei. Sed, sicut dictum est, (t) cùm primus clavus infigeretur ei, ego ad primum ictum conturbata cecidi quasi mortua, oculis obscuratis, manibus trementibus, pedibus nutantibus; & non respexi præ amaritudine, antequam ex toto affixus fuerit. Surgens verò, vidi Filium meum miserabiliter pendentem in Cruce: & ego Mater ejus mæstissima undique consternata, præ dolore vix stare potui. Filius autem meus videns me, & amicos suos inconsolabiliter flentes, flebili voce & alta clamabat ad Patrem suum dicens: *Pater quare me dereliquisti?* Quasi diceret: Nullus est qui misereatur mei, nisi tu Pater. Tunc oculi ejus apparuerunt semimortui, maxillæ ejus submersæ, vultus lugubris, os ejus apertum, lingua sanguinolenta, venter dorso inhærens consumpto humore quasi non haberet viscera. Omne corpus pallidum erat & languidum ex fluxu & egressione Sanguinis. Manus & pedes ejus rigidissimè extenti erant, & juxta formam crucis cruci attracti conformati; barba etiā & crines ex toto respersi erant sanguine, &c. Cùmq; Filius meus sic laceratus & lividus staret, respexit ad amicos suos flentes, qui maluissent pœnam illam in se cum auxilio ejus perferre, vel in æternum in inferno ardere, quàm eum sic videre cruciari. Dolor ille ex amicorum dolore omnem dolorem & tribulationem, quam vel in corde vel in corpore sustinuit, excedebat, quia tenerè diligebat eos. Tunc præ nimia corporis angustia ex parte humanitatis clamabat ad Patrem: *O Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Hanc igitur vocem cùm audîssem ego ejus mæstissima Mater, contremuerunt omnia membra cum amaro cordis mei dolore: & quoties postea hanc vocem cogitabam, quasi in aure mea præsens & recens erat. Appropinquante autem morte, (u) cùm cor Filii mei præ violentia dolorum rumperetur, tunc omnia membra contremuerunt, & caput ejus quasi modicùm se erigens inclinabatur. Os ejus apertum videbatur, & lingua sanguinolenta. Manus ejus retraxerunt se modicùm de loco perforationis, & pondus corporis pedes ampliùs non sustentabant. Digiti & brachia quodammodò extendebant se, & dorsum fortiter stringebatur ad stipitem. Tunc quidam dixerunt ad me: *Maria, filius tuus mortuus est.* Alii autem dixerunt: *Mortuus est, sed resurget.* Omnibus itaque dicentibus, unus adveniens infixit lanceam in latus ejus tam validè, ut penè per aliud latus transiret: & cùm extraheretur hasta, apparuit cuspis rubea Sanguine. Tunc mihi videbatur quòd quasi cor meum perforaretur, cùm vidissem cor Filii mei charissimi perforatum. Deinde depositus est de Cruce, quem ego recepi in genu meum quasi leprosum, & totum lividum. Nam oculi ejus erant mortui & Sanguine pleni, os frigidum quasi nix, barba quasi restis, facies contracta: manus quoque sic diriguerant, ut non possent deponi nisi circa umbilicum. Sicut stetit in Cruce, sic habui eum in genu meo, quasi hominem contractum in omnibus membris. Postea posuerunt eum in linteo mundo: & ego linteo meo extersi vulnera & membra ejus, & clausi oculos & os ejus, quæ in morte fuerunt aperta. Deinde posuerunt eum in sepulchro. O quàm libenter tunc posita fuissem viva cum Filio meo, si fuisset voluntas ejus! His completis, venit ille bonus Joannes, & duxit me in domum. Ecce, filia mea, talia sustinuit Filius meus pro te. Considera passionem Filii mei, (x) cujus membra fuerunt mihi quasi membra mea, & quasi cor meum. Nam ipse sicut alii filii in visceribus matris solent esse, sic fuit in me. Propterea audacter dico, quia dolor ejus erat dolor meus: quia cor ejus erat cor meum. Ideò filia mea cogita qualis ego eram in morte Filii mei, & non erit tibi grave relinquere mundum. Non discedat (y) dolor iste meus ab anima tua: quia nisi essent tribulationes, paucissimi ad cælestia regna pervenirent. Ergo quicunque est in mundo, (z) consideret qualis eram in morte Filii mei, & semper habeat præ oculis.

§. XX.

s *Ibidem num. 10. & 11.* t *Ibid. num. 12.*

u *Ibid. num. 13.* x *lib. 1. cap. 35. pag. 53.* y *lib. 6. cap. 57. pag. 524.* z *lib. 1. cap. 27. pag. 42.*

§. XX.

De ſeptem doloribus Deiparæ, quos revelavit Sanctæ Brigittæ, mandavitquè publicari Chriſtianis ut jugiter recogitent eos, & compatiantur Matri doloroſæ.

Gemitus matris tuæ ne obliviſcaris. *Eccl. 7.*

I. N*Ovit quicunque rectè ſapit, quantum Chriſtianæ pietati expediat, quantum Deiparæ cultorem deceat amariſſimos dolores ipſius fideliter recolere, ad fruendum ſuaviter in conſcientia, & ad recondendum pleniùs per imitationem in memoria. Hoc in revelationibus Sanctæ Brigittæ*(a) *videtur exigere à nobis Mater doloroſa, his verbis eam alloquens*: Reſpicio ad omnes qui in mundo ſunt, ſi fortè ſint aliqui qui compatiantur mihi, & recogitent dolorem meum: ſed paucos invenio, qui cogitent tribulationem & dolorem meum. Ideò filia mea, licèt à multis oblita & neglecta ſim, tu tamen non obliviscaris mei. Vide dolorem meum, & imitare quantum potes: conſidera dolores meos & lachrymas, & dole quia amici mei pauci ſunt. *Proinde mentem & oculos pariter cum manibus ad Reginam mundi attollamus, & coram ſua celſitudinis gloria flectamus, ac plenis ſuſpiriis expoſtulemus ab ea gratiam, ut affectus doloris eliciamus, & amara illa omnia quæ perpeſſa eſt, aſſidua meditatione revolvamus. Expoſtulemus autem verbis S. Bernardi, cum ipſo*(b) *ſic dicentes*: Utinam dolor ille tuus, quem paſſam te fuiſſe non dubito, ſic quotidiè inhæreat viſceribus meis, ſicut inhæſit tuis. Utinam die illa, quâ aſſumpta fuiſti in cælum, ut in æternum gauderes cum Filio tuo, mihi indices lachrymas tuas, ut per illas cognoſcam quantum tibi amaritudinis fuit, cùm Jeſum dilectum (heu, heu, & parùm dilectum mihi!) clavis in ligno Crucis confixum, capite inclinato ſuum ſanctiſſimum exhalare videres ſpiritum. Verumtamen nunc tu Domina mea gaude gaudio magno valdè, ab ipſo glorificata in cælis, quæ in mente tantis clavis amariſſimis fuiſti confixa ſuæ piiſſimæ mortis. Mihi tamen, obſecro, lachrymas illas infunde, quas ipſa habuiſti in paſſione Filii tui, ut his lachrymis affluam largiùs. *Meritò quidem Deipara Virgo exigit à nobis compaſſionem ſui, & jugem meditationem dolorum ſuorum: quia ipſa compatiendo ſuo Filio patienti, cooperata eſt redemptioni noſtræ, prout conſtat ex revelatione facta Sanctæ Brigittæ,* (c) *ubi Deipara eam alloquitur his verbis*: Dolor Chriſti erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum. Sicut enim Adam & Eva vendiderunt mundum pro uno pomo, ſic Filius meus & ego redemimus mundum uno corde. *De hac cooperatione ſalutis noſtræ etiam Sanctus Bernardus* (d) *ſic ait*: Naſcitur Maria, & per ipſam, & in ipſa, & de ipſa, & cum ipſa totum hoc opus redemptionis faciendum decernitur, ut ſicut ſine illo nihil eſt factum, ita ſine illa nihil refectum ſit. *Item ait*: (e) Et quidem ſufficere poterat Chriſtus, ſiquidem & nunc omnis ſufficientia noſtra ex eo eſt: ſed nobis bonum non erat eſſe hominem ſolum. Congruum magis erat, ut adeſſet noſtræ reparationi ſexus uterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet. Per Mariam utiq; cælum repletum, (f) infernus evacuatus eſt, inſtauratæ ruinæ cæleſtis Jeruſalem, expectantibus miſeris vita perdita data. Sic potentiſſima & piiſſima charitas ejus & affectu compatiendi, & ſubveniendi abundat effectu, æquè locuples in utroque. Cooperabatur plurimùm (g) ſecundùm modum ſuum ad propitiandum Deum ille Virginis Matris affectus, cùm tam propria, quàm Matris vota charitas Chriſti proferret ad Patrem: cùm quod Mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret. Ideò voluit Chriſtus (h) Matrem adeſſe ſibi in doloribus, ut ex his quæ foris oculis cerneret, intùs animo vulneraretur, ut ſic Chriſti paſſionis redemptioniſquè noſtræ particeps fieret, & cooperatrix. *Porrò* (i) dividunt coram Patre inter ſeſe Mater & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium, & condunt inter ſe reconciliationis noſtræ inviolabile teſtamentũ. Maria enim Chriſto ſe ſpiritu immolat, & pro mundi ſalute obſecrat; Filius impetrat, Pater condonat. Omninò tunc erat una Chriſti & Mariæ voluntas, unumquè holocauſtum ambo pariter offerebant Deo Patri: hæc in ſanguine cordis, hic in Sanguine carnis. Quis igitur iſta perpendens, (k) exiſtimare queat qua laude digna ſit, quæ tantorum beneficiorum ſola præ cunctis effici debuit mediatrix? Hæc eſt ſola Virgo beata, (l) quæ totius mundi reparationem obtinuit, ſalutem omnium impetravit. Conſtat enim pro univerſo genere humano fuiſſe ſollicitam, cui dictum eſt: *Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum.* Inveniſti quod quærebas, (m) inveniſti quod nemo ante te potuit invenire. *Inveniſti gratiam apud Deum.* Quam gratiam? Dei & hominum pacem, mortis deſtructionem, vitæ reparationem. Hoc ſupplicabat à te [n] flebilis Adam cum miſera ſobole ſua exul de paradiſo, hoc Abraham, hoc David. Hoc cæteri flagitabant ſancti patres, patres ſcilicet tui, qui & ipſi habitabant in regione umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectabat. Nec immeritò: quandoquidẽ ex ore tuo pendebat conſolatio miſerorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, ſalus denique univerſorum filiorum Adam, totius generis tui. Omnibus deniq; omnia facta es, (o) ſapientibus & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem te feciſti: omnibus miſericordiæ ſinum aperis, ut de plenitudine tua accipiant univerſi, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam

a *lib. 2. Revelat. cap. 24. pag. 147.* b *S. Bern. Ser. de lament. V. M. num. 2.* c *Lib. 1. Revelat. cap. 35. pag. 53.*

d *S. Bern. Ser. 2. de Nat Dom. n. 2. to. 6. pag. 615.* e *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 1.* f *Ser. 4. de Aſſumpt. B. V. M. nu. 8.* g *Arnald. Carnot. Tr. 6. de verbis Dom. in Cruce.* h *Lanſperg. Homil. 48. de Paſs. Dom.* i *Arnold. Carnot. de laud. Mariæ.* k *S. Anſel. de excellen. Virg. cap. 9.* l *S. Bern. Ser. 4. de Aſſumpt. B. V. M. num. 8.* m *Ser. 3. ſup.* Miſſus *num. 10.* n *Ser. 4. ſup.* Miſſus *num. 8.* o *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 2.*

tiam, Angelus lætitiam: ut non sit qui se abscondat à calore tuo. Quis ergo (p) misericordiæ tuæ longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? Nam *longitudo* ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. *Latitudo* ejus replet orbem terrarum: ut tuâ quoque misericordiâ plena sit omnis terra. Sic & *sublimitas* ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, & *profundum* ejus sedentibus in tenebris & in umbra mortis obtinuit redemptionem.

O homo quid retribues Deipara Virgini, inventrici gratiæ, consolatrici miserorum, redemptrici captivorũ, liberatrici damnatorũ, vitæ reparatrici, cooperatrici redemptionis generis humani, pro omnibus beneficiis quæ retribuit tibi? Solam compassionem sui exigit: sola ei meditatio dolorum suorum sufficit. Hoc enim innuere videtur Deipara, (q) *sic alloquens Sanctam Brigittam*: Quicunque est in mundo, consideret qualis eram in morte Filii mei, & semper habeat præ oculis. Talis ego eram: (r) nam ego plena fui tribulatione à nativitate Filii mei usque ad mortem ejus. Ego in *dorso* meo portavi maximum onus, cùm labori divino jugiter instabam, & omnia advenientia mihi portabam patienter. Inter *brachia* mea tolerabam onerosum pondus, cùm tribulationem & dolorem cordis ultrà omnem creaturam patiebar. Ego habui *oculos* meos plenos lachrymis, quando considerabam in membris Filii mei loca clavorum, & passionem meam futuram; & cùm viderem in eo omnia compleri, quæ audiebam à Prophetis vaticinata. Sed nunc respicicio ad omnes qui in mundo sunt, si fortè sint aliqui qui compatiantur mihi, & recogitent dolorem meum: sed valdè paucos invenio, qui cogitant tribulationem & dolorem meum. Ideò filia mea, licet à multis oblita & neglecta sum, tu tamen non obliviscaris mei, vide dolorem meum, & imitare quantùm potes. Considera dolores meos & lachrymas, & dole quia amici mei pauci sunt.

II. Porrò scias Filia mea, [s] quòd ego non indigebam Purificatione, sicut aliæ fæminæ: quia Filius meus qui natus est ex me, ipse mundavit me. Nec ego aliquam quantumcunq; minimã maculam contraxi, quæ Filium mundissimũ sine aliqua immũditia generavi, &c. Verumtamen tali die Purificationis dolor meus augmentatus fuit. Nam licet sciebam Filium meum ex inspiratione divina passurum, tamen ex verbis Simeonis, quibus dixit gladium pertransiturum animam meam, & Filium meum positum esse in signum cui contradiceretur, graviùs perforabat cor meum dolor iste: qui usquedum assumpta fui corpore & animâ in cælum, nunquam defuit à corde meo, licet ex consolatione Spiritus Dei temperabatur. Scire etiam te volo, quòd ab isto die Purificationis dolor meus septuplex fuit.

Primus dolor fuit ille quem habui, (t) quando Filium meum deferebam fugiens in Ægyptum, & quando audivi pueros occidi Innocentes, & Herodem persequi Filium meum. Sed licet scirem quæ scripta erant de Filio meo, tamen cor meum præ amoris magnitudine, quem habebam ad Filium meum, dolore & mæstitiâ replebatur. Nunc autem quærere poteris, quid egerit Filius meus in toto illo tempore ætatis suæ antequam pateretur? Respondeo, quòd sicut loquitur Evangelium, subditus erat parentibus, & sicut alii infantes se gessit, donec venit ad ætatem majorem. Nec mirabilia defuerunt ætati suæ: quandoquidẽ creaturæ servierunt Creatori suo, idola obmutuerunt, & plurima ruerunt in adventu suo in Ægyptum: Magi prædixerunt Filium meum fore signum magnorum futurorum: ministeria etiam Angelorum apparuerunt, &c. Cùm verò venit ad majorem ætatem, in orationibus erat continuus, & obediens ascendebat nobiscum ad statuta festa in Jerusalem, & alia loca, &c. Accrescens verò ætate, & sapientiâ, quâ ab initio plenus erat, laborabat manibus, quandoque ea quæ decentia erant, agebat: & loquebatur nobis separatim verba consolatoria, verba Deitatis, ita ut indicibili gaudio repleremur. Cùm verò in timoribus, paupertate & difficultatibus essemus, non fecit nobis aurum & argentum, sed hortabatur ad patientiam: & mirabiliter servati fuimus ab invidis. Necessaria quoq; provenerunt nobis quandoque ex compassione piarum mentium, quandoque ex labore nostro, ita ut haberemus necessaria ad solam sustentationem, non ad superfluitatem: quia nihil aliud quæsivimus nisi soli servire Deo, &c. Cùmquè quodam tempore, cogitante me de passione sua, videret me mæstissimam, respondit mihi: Non credis mater quia ego in Patre sum, & Pater in me est? numquid tu polluta es ad ingressum meum, aut in egressu meo tribulata es? cur ergo mærore contraheris? Voluntas enim Patris mei est, me pati mortem, imò voluntas mea cum Patre. Quod autem habeo de Patre, pati non potest: sed caro quam sumpsi de te, patietur, ut caro aliorum redimatur, & spiritus salventur, &c.

Secundus fuit dolor meus in *cogitatione*. (u) Nam quoties aspiciebam Filium meum, quoties involvebam eum pannis, quoties videbam ejus manus & pedes, toties animus meus quasi novo dolore absorptus est: quia cogitabam quomodo crucifigeretur. Cùmquè conspicerem & considerarem pulchritudinem ejus, (x) anima mea quasi rorem præ gaudio stillabat, sciens me esse indignam tali Filio. Quando verò considerabam loca clavorum in manibus & pedibus, quos secundùm Prophetas crucifigendos audivi, tunc oculi mei replebantur lachrymis, & cor meum quasi scindebatur præ tristitia: & cùm Filius meus inspexit oculos meos lachrymantes, tristabatur quasi ad mortem. Cùm verò considerarem potentiam Deitatis ejus, consolabar iterùm, sciens quòd ipse sic vellet, & sic expediret: & omnem voluntatem meam conformavi voluntati ejus, & sic semper erat lætitia mea mixta cum dolore. Scias etiam, (y) quòd quandocunque ego induebam Filium meum illâ tunicâ, quam ego propriis manibus feci propter

 utili-

p Ser 4. de Assumpt. B.V.M. nu. 8. q lib. 1. Revelat. cap. 27. pag. 42. r lib. 2. cap. 24. pag. 142. s Lib. 6. cap. 57. pag. 524. t lib. 6. cap. 58. pag. 525. u lib. 6. cap. 57. x lib. 1. cap. 10. num. 6. pag. 17. y lib. 7. cap. 8. num. 2. pag. 586.

utilitatem sui sanctissimi corporis, tunc oculi mei statim replebantur lachrymis, & totum cor meum torquebatur tribulatione & dolore, & affligebatur intensa amaritudine: ex eo videlicet quòd ego benè noveram modum, quo in futurum illa tunica ab eodem Filio meo esset separanda, scilicet tempore Passionis ejus, quando ipse nudus & innocens à Judæis crucifigeretur. Et hæc tunica fuit illa vestis, super quam crucifixores ejus miserunt sortem: nullusquè in vita ejus eandem tunicam habuit, nisi solus ipse.

Tertius fuit dolor meus in *auditu*. (z) Nam quoties audivi opprobria Filii mei, & mendacia, & insidias ei positas, toties animus meus motus est dolore, ita ut vix se tenere potuerit: sed virtute Dei dolor meus modum & honestatem habuit, ne impatientia & levitas in me notarentur. Instante tempore passionis Filii mei, (a) rapuerunt eum inimici ejus, & flagellabant corpus ejus ab omni macula & peccato mundum. Ad primum igitur ictum ego quæ stabam propiùs, cecidi quasi mortua: & reassumpto spiritu, vidi corpus ejus verberatum & flagellatum usque ad costas, ita ut costæ ejus viderentur. Postea rapuerunt eum sævi tortores, & extenderunt in cruce. Tunc audivi alios dicentes, quòd Filius meus latro erat, aliosquè quòd mendax, alios quòd nullus dignior esset morte quàm Filius meus: ex quorum auditu dolor meus renovabatur. Filius meus (b) postquàm me commendavit discipulo suo, vocem ex imo pectoris, erecto capite & oculis in cælum directis & lachrymantibus, emisit dicens: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quam vocem ego nunquam, donec ad cælum veni, oblivisci potui: quam plùs ex compassione mea quàm sua permotus protulit. Tunc etiam præ nimia corporis angustia, (c) ex parte humanitatis clamabat ad Patrem: *O Pater, in manus tuas commendo spiritum meũ.* Hanc vocem cùm audîssem ego ejus mæstissima Mater, contremuerunt omnia membra cum amaro cordis mei dolore: & quoties postea hanc vocem cogitabam, quasi in aure mea præsens & recens erat.

Quartus fuit dolor meus in *visu*. (d) Nam quando vidi Filium meum ligari, & flagellari, & in ligno suspendi, corrui quasi exanimis: sed reassumpto spiritu steti dolens, & sic patienter sufferens, ut nec inimici, nec alii in me aliud repererint nisi gravitatem. Imminente passione Filii mei, (e) lachrymæ erant in oculis ejus, & sudor in corpore præ timore passionis, & mox à conspectu meo abstractus est; nec eum ultrà vidi, donec educeretur ad flagellandum. Deinde columnam spontè amplectens, reste ligabatur, & flagellis aculeatis, infixis aculeis, & retractis, non evellendo, sed sulcando, totum corpus ejus lacerabatur. Ad primum ictum ego quasi corde percussa, sensibus abducta eram; & post tempus evigilans, corpus ejus laceratum vidi: toto enim corpore nudus erat cùm flagellaretur. Ad primum, inquam, ictum (f) ego quæ stabam propiùs, cecidi quasi mortua; & reassumpto spiritu vidi corpus ejus verberatum & flagellatum usque ad costas, ita ut costæ ejus viderentur: & quod amarius erat, cùm retraheretur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur. Tunc locum, ubi stabant pedes Filii mei, totum repletum vidi Sanguine, & ex vestigiis Filii mei cognoscebam incessum ejus: quò enim procedebat, apparebat terra infusa Sanguine, &c. Cùmquè venissem cum eo ad locum passionis, omnia instrumenta vidi ibi præparata ad crucifigendum Filium meum, &c. Cùm autem primus clavus infigeretur ei, ego ad primum ictum conturbata cecidi quasi mortua, oculis obscuratis, manibus trementibus, pedibus nutantibus: & non respexi præ amaritudine, antequam ex toto affixus erat. Surgens verò vidi Filium meum miserabiliter pendentem in Cruce; tunc ego mater ejus mæstissima undique consternata, præ dolore vix stare potui. Ego stabam viciniùs Cruci ejus: (g) & sicut hoc graviùs pungit quod vicinius est cordi, sic dolor ejus gravior erat præ cæteris mihi. Cùmquè respexisset & ad me de Cruce, & ego ad eum, tunc de oculis meis quasi sãguis de venis, lachrymæ exibãt. Et cùm ipse me cerneret dolore confectam, intantùm amaricabatur de dolore meo, ut omnis dolor vulnerũ suorum fuerit quasi sopitus sibi præ dolore meo, quem in me videbat. Propterea audacter dico, quòd dolor ejus erat dolor meus, quia cor ejus erat cor meum.

Quintus (h) fuit dolor meus in *tactu*. Ego enim cum aliis deposui Filium meum de Cruce, & involvi linteo, & posui in tumulo: & sic tunc augebatur dolor meus, ut vix manus & pedes mei haberent robur ad subsistendum. Depositus est de cruce, (i) quem ego recepi in genu meum, quasi leprosum & totum lividum. Nam oculi ejus erant mortui & Sanguine pleni, os frigidum quasi nix, facies contracta. Manus quoque sic diriguerant, ut non possent deponi nisi circa umbilicum. Sicut stetit in cruce, sic habui eum in genu, quasi hominem contractum in omnibus membris: & ego cum linteo meo extersi vulnera & membra ejus, & clausi oculos & os ejus, quæ in morte fuerunt aperta. Tunc jam quasi consolata sum, (k) quando corpus ejus de cruce depositum contingere potui, & in sinum recipere, vulnera explorare, & extergere Sanguinem. Deinde os ejus digiti mei clauserunt, & oculos pariter composui: brachia tamen rigentia flectere non potui, ut se supra pectus componerent, sed super ventrem. Genua quoque extendi non potuerunt, sed eminebant, sicut in Cruce obriguerunt. Postea (l) posuerunt eum in sepulchro. O quàm libenter tunc posita fuissem viva cum Filio meo, si fuisset voluntas ejus. His completis, venit ille bonus Joannes, & duxit me in domum. Ecce, filia mea, talia sustinuit Filius meus pro te.

Sextus fuit dolor meus, (m) quem patiebar ex vehementi *desiderio* perveniendi ad Filium meum, postquàm ipse ascendit in cælum: quia longa mora, quam habui in mundo post Ascensionem ejus, dolorem meum augmentabat. Et licet gratia Dei semper perseverabat mecum, & voluntas mea erat secundùm velle Dei: attamen dolor meus continuus erat per-

z *lib. 6. cap. 57. pag. 524.* a *lib. 1. cap. 10. nu. 8. 9. & 12.* b *lib. 4. cap. 70. nu. 6. pag. 200.* c *lib. 1. cap. 10 nu. 12. pag. 18.* d *lib. 6. cap. 57. pag. 524.* e *lib. 4. cap. 70. pag. 289.* f *lib. 1. cap. 10. pag. 17.*
g *lib. 1. cap. 35. pag. 52. 53.* h *lib. 6. cap. 57. pag. 524* i *lib. 1. cap. 10. nu. 14. pag. 18.* k *lib. 3. cap. 70. nu. 3. pag. 290.* l *lib. 1. cap. 10 nu. 14.* m *lib. 6. cap. 57. pag. 524.*

permixtus consolatione, donec assumpta fui corpore & animâ in cœlum ad Filium meum. Sunt quidem aliqui,(n) qui maligno spiritu negant me esse assumptam corpore & anima: aliqui etiam negant, quia nesciunt melius. Sed ista est pro certissimo rei veritas, quòd cum corpore & anima ad Deitatem assumpta sum. Ego, (o) postquàm Filius meus ascendit ad cœlos, vixi in mundo per quindecim annos, & tanto tempore plùs(quantum est de festo Ascensionis ejusdem Filii mei) usque ad mortem meam. Extunc jacui in sepulchro in valle Josephat sito, per quindecim dies, deinde fui assumpta in cœlum cum infinito honore & gaudio. Vestes autem meæ, cum quibus fui sepulta, tunc remanserunt in isto sepulchro: & ego fui tunc induta talibus vestibus, qualibus indutus est Filius meus, & Dominus meus Jesus Christus. Item scias, quòd nullum corpus humanum in cœlo est, nisi Corpus gloriosum Filii mei, & corpus meum. Tu igitur filia mea, (p) sic laudare debes me: Benedictus sis Deus, qui Mariam Virginem Matrem tuam post Ascensionem tuam crebris consolationibus lætificasti, & per teipsum eam consolando visitasti. Benedictus sis tu Deus,qui corpus & animam Mariæ Virginis Matris tuæ in cœlum assumpsisti, & super omnes Angelos juxta Deitatem tuam honorificè collocâsti.

Septimus fuit dolor meus, (q) quem patiebar ex *tribulatione* Apostolorum, & amicorum Dei, quorum dolor erat dolor meus, timens semper & dolens: timens, ne succumberent tentationibus & tribulationibus: dolens, quia verba Filii mei ubique habebant contradictionem.

III. Verumtamen ipse moriebatur sic propter inimicos suos,(r)sicut propter me,& amicos suos. Sed quando inimici ejus crucifixerunt eum, quatuor ei fecerunt. *Primò* coronaverunt eum spinis. *Secundò* manus & pedes perforaverunt. *Tertiò* propinaverunt ei fel. *Quartò* pupugerunt latus ejus. Sed nunc conqueror, quia Filius meus ab inimicis suis,(*malis Christianis*) qui nunc sunt in mundo, amariùs crucifigitur, quàm tunc Judæi crucifixerunt eum. Nam licet Deitas impassibilis sit, nec mori possit, tamen cum propriis vitiis crucifigunt eum inimici sui. Sicut enim aliquis homo imagini alicujus inimici sui contumeliam & læsionem faceret, licet imago non sentiret illata, tamen propter voluntatem malam lædendi læsor quasi pro opere argueretur, & dijudicaretur: sic eorum vitia, quibus spiritualiter crucifigunt Filium meum, abominabiliora & graviora sunt, quàm illorum qui crucifixerunt eum in corpore. Sed fortè tu potes quærere,(s) Quomodò crucifigunt eum? Respondeo: *Primò* ponunt eum in Cruce, quam sibi præparaverant, quando de præceptis Creatoris sui & Domini non curant: & dehonestant eum, quando ipse monet eos per Servos suos servire sibi, & ipsi hoc contemnentes faciunt quæ sibi placent. *Secundò* crucifigunt dexteram manum ejus, quando tenent justitiam pro injustitia, dicentes: Peccatum non est sic grave & odiosum Deo sicut dicitur, nec Deus in æternum affligit quenquam, sed propter timorem minatus est. Quare enim redimeret hominem, si vellet eum punire? Non attendentes quòd minimum peccatum, si homo delectetur in eo, satis est ei ad supplicium æternum. Et quia nec minimum peccatum dimittit Deus impunitum, sicut nec minimum bonum sine remuneratione: ideò sempiternum erit eis supplicium, quia sempiternam habent voluntatem peccandi, quam Filius meus qui videt cor, reputat pro opere: quia sicut habent voluntatem, sic etiam opere complerent, si permitteret Filius meus. *Tertiò* crucifigunt sinistram manum ejus, quando virtutem vertunt in vitium, volentes usque in finem peccare, dicentes: Si dixerimus semel in fine vitæ, *Miserere mei Deus*: tanta est misericordia Dei, quòd habebimus veniam. Hoc non est virtus, velle peccare, & non emendare: aut velle præmium habere sine labore, nisi esset contritio in corde, quòd libenter vellet emendare, si posset præ infirmitate, vel aliquo alio impedimento. *Quartò* crucifigunt pedes ejus, quando delectantur in faciendo peccatum: & nec semel cogitant amaram passionem Filii mei, nec regratiantur ei semel de intimo corde dicentes: *O quàm amara erat passio tua Deus: Laus tibi sit pro morte tua*. Hoc nunquam procedit vel rarò de ore eorum. Coronant eum deinde coronâ derisionis, (t) quando deridient Sermones ejus: & vanitatem reputant, servire ei. Dant ei etiam fel bibere, quando gaudent & exultant in peccato: nec ascendit semel in corde eorum, quàm grave & quàm multiplex sit. Pungunt latus ejus, quando voluntatem habent perseverandi in peccato. Verè dico tibi, & hoc amicis meis dicere poteris, quòd tales sunt ante Filium meum injustiores judicantibus eum, immitiores crucifixoribus ejus, impudentiores venditoribus ejus: & major pœna debetur istis, quàm illis. Pilatus scivit benè Filium meum non peccâsse, nec dignum esse aliqua morte: tamē quia timuit amissionem temporalis potestatis, & seditionem Judæorum, ideò judicavit quasi invitus Filium meum ad mortem. Quid autem haberent isti timere, si ei servirent? aut quid de honore suo & dignitate amitterent, si ipsum honorarent? Ideò graviùs isti judicabuntur, & deteriores sunt Pilato in conspectu Filii mei: quia Pilatus judicavit eum propter petitionem & voluntatem aliorum, cum timore quodam. Isti autem judicant eum propter voluntatem propriam absque timore, quando inhonorant eum per peccatum, à quo si vellent possent abstinere. Deteriores sunt Judâ: [u] quia Judas tradito Domino, benè scivit ipsum esse Deum, & graviter se contra eum peccâsse: sed desperavit suspendens seipsum, & properavit dies suos ad infernum, credens se indignum vivere. Isti autem benè sciunt peccatum suum, & tamen perseverant in eo, nullam pro eo in corde compunctionem habentes: sed volunt cum violentia & potentia quadam sumere regnum cœlorum, quando hoc non operibus, sed propter spem vanam habere cogitant, quod nulli dabitur nisi operanti bonum, & patienti aliquid propter Deum. Deteriores sunt etiam crucifixoribus

n *lib. 1. cap. 9. num. 7. pag. 14.* o *lib. 7. cap. 26. pag. 615.* p *lib. 1. cap. 8. pag. 12.* q *lib. 6. cap. 57. pag. 524.* r *lib. 1. cap. 37. num. 2 pag. 55.* s *Ibid. num. 3.*

t *Ibid. num. 4. & 5.* u *Ibid. num. 6. & 7.*

ejus: quia cùm illi viderunt opera Filii mei bona, (scilicet quia resuscitavit mortuos, leprosos mūdavit) cogitabant apud se dicētes: Hic facit inaudita, & mirabilia inusitata: nam prosternit quos vult uno verbo, scit cogitationes nostras, facit quæcunque vult si processum suum habebit, omnes subiiciemur potestati ejus, & subditi ejus erimus. Ideò ne subiicerentur ei, crucifixerunt eum propter invidiam. Si enim scivissent quòd fuisset Rex gloriæ, nunquam crucifixissent eum. Isti ergo vident opera ejus quotidiè, & magna mirabilia, utuntur beneficiis ejus, & audiunt quomodo ei servire debent, & ad eum venire: sed cogitant apud se, si omnia temporalia sunt relinquenda, si voluntas ejus, & non nostra relinquenda est, grave est hoc & intolerabile. Ideò contemnentes voluntatem ejus ne sit super voluntatem eorum, crucifigunt Filium meum per indurationem, addentes contra conscientiam suam peccatum super peccatum. Isti ergo pejores sunt crucifixoribus: quia Judæi fecerunt propter invidiam, & quia nesciebant eum esse Deum. Isti autem sciunt eum esse Deum, & ex malitia sua & præsumptione, causâ propriæ cupiditatis crucifigunt amariùs spiritualiter, quàm Judæi carnaliter: quia isti redempti sunt, illi nondum redempti erant. In morte Filii mei (x) omnia conturbabantur. Nam *Deitas*, quæ Filium tradidit in mortem, & nunquam ab eo separabatur nec in morte, in illa horula mortis tanquam compatiens videbatur, licet nullum dolorem vel pœnam Deitas pati possit, quia impassibilis & immutabilis est. *Filius* ipse patiebatur dolorem in omnibus membris, & etiam in corde, qui tamen secundùm Deitatem erat immortalis. *Anima* quoque ejus, quæ immortalis erat, patiebatur: quia exivit de corpore. Congregati *Angeli* etiam quasi turbati videbantur, cùm viderunt Deum in humanitate pati in terra. Omnia deniq; *elementa* turbabantur: Sol & Luna dimiserunt splendorem suum, terra tremuit, lapides scindebantur, sepulchra aperiebantur in hora mortis Filii mei. Omnes *Gentiles* turbabantur ubicunque erant: quia in corde eorum venit quasi quædam punctura doloris, licet nescierunt unde esset. Tribulabatur etiam *cor crucifigentium* eum in illa hora, sed non ad gloriam eorum. Adhuc etiam *immundi spiritus* turbabantur in illa hora, & quasi in unum congregati turbabantur. Illi verò *qui erant in sinu Abrahæ*, multùm turbabantur, intantum ut mallent potiùs in æternū esse in inferno, quàm talem pœnam videre in Domino suo. Ego autem Virgo & Mater ejus, quæ tunc eidem Filio meo morienti adstabam, qualem dolorem tunc patiebar, nullus potest considerare. Ideò filia mea recordare passionem Filii mei, fuge instabilitatem mundi, qui non est nisi quidam visus & flos citò arescens. Considera filia passionem Filii mei, [y] cujus membra fuerunt mihi quasi membra mea, & quasi cor meum. Tria autem (z) cogitare debes filia mea. *Primò* quidem, quòd omnia membra Filii mei in morte diriguerunt & frigescebant, & sanguis, qui de vulneribus ejus in passione effluxit, membris omnibus adhæsit coagulatus. *Secundo*, quòd in corde punctus erat tam amarè & immisericorditer, ut pungens non destiterit, donec lancea attigit costam, & ambæ partes cordis essent in lancea. *Tertio* cogita eum, quomodo deponebatur de Cruce. Duo viri deponebant eum de Cruce, qui tres applicabāt scapulas: quarum una protendebatur ad pedes, secunda subtùs scapullas & ad brachia, tertia ad medietatem corporis. Primus ascendit, & tenebat eum per medium: secundus ascendens per aliam scalam, excussit primò unum clavum de uno brachio, deinde applicatâ scalâ excussit clavum alterius manus. Qui quidem clavi longè ultra stitipem Crucis protendebantur. Descendente igitur illo, qui sustentabat onus corporis, paulatim & modicè prout poterat: ille alius ascendit scalam quæ protendebatur ad pedes, & excussit clavos de pedibus. Cùmque appropinquaret ad terram, unus eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes, ego verò quæ Mater eram, tenui per medium. Et sic nos tres portavimus eum ad quandam petram, quæ linteo mundo per me operta erat: in qua obvoluimus corpus, sed non consui linteum. Sciebam enim pro certo, quòd in tumulo non putresceret. Postea & Maria Magdalena, & aliæ sanctæ mulieres venerunt: necnon & Angeli sancti multi quasi atomi Solis adfuerunt, obsequium exhibentes Creatori suo. Qualem autem tristitiam tunc temporis habui, non est qui valeat dicere. Eram enim quasi mulier parturiens, cujus omnia membra post partum tremula sunt: quæ licet præ dolore vix respirare possit, tamen gaudet interiùs quantum potest, eò quòd scit filium suum natum in eandem miseriam (de qua exivit) nunquam rediturum. Sic ego licet ex morte Filii mei eram incomparabiliter tristis, tamen quia scivi Filium meum non ampliùs moriturum, sed in æternum victurum, gaudebam in anima mea, & sic cum tristitia quædam lætitia miscebatur. Verè dicere possum, quòd sepulto Filio meo, quasi duo corda in uno sepulchro fuerunt. Numquid non dicitur: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*? Sic in sepulchro Filii mei semper cogitatio mea, & cor meum versabatur. *Hactenus Deipara ad Sanctam Brigittam*.

§. XXI.

De doloribus Deiparæ, quos perpessa est statim post mortem & ascensionem Filii sui, jugiter meditando Passionem ejus, quousque in cælum assumpta fuit.

1. POstquàm Dominus Jesus expiravit, (a) vir quidam nobilis nomine Joseph ad Pilatum accessit, postulans sibi donari Corpus ejus: quo sibi concesso, accersivit quendam virum nomine Nicodemum discipulum Christi, occultum tamen. Et venerunt ad locum ubi erat Dominus crucifixus, secum instrumenta ferentes quibus clavos extraherent, & ut eum de Cruce deponerent. Quos cùm mœstissima Mater aspiceret, & sciret eos unicum Filium suum velle deponere de Cruce, quasi de morte consurgens

x *lib. 6. cap. 11. pag. 454.* y *lib. 1. cap. 35. pag. 53.* z *lib. 2. cap. 21. pag. 237.*

a *S. Bern. ser. de lamentat. Virg. Mariæ num. 9. tom. 6. pag. 1060.*

surgens, paululùm revixit anima ejus: & de terra exiliens, ubi jacebat doloris violentiâ prostrata, quod poterat adjutorium illis ministrabat debilissima. Unus eorum duros illos ac diros clavos extrahebat de manibus, alius verò ne corpus exanime caderet sustentabat. Stabat & Maria Mater eius, brachia levans in altum, vulnera contemplans, manus perforatas sacroquè Sanguine respersas intuens, vix sustinere se potuit. Tandem manibus suis brachia sancta & caput supra triste pectus suscepit, ut hoc ultimo & miserando solatio posset consolari. Quem ut attingere valuit, amore materno ruens in dulcissimos amplexus & oscula, de suo sic malè tractato Filio non poterat satiari. Sed cùm de Cruce corpus ejus fuisset totaliter depositum, præ doloris vehementia & amoris immensitate quasi exanimis facta fuit. Porrò Maria Virgo, (b) deposito Christo de Cruce, osculata est os ejus plùsquàm mille vicibus. Osculabatur benignum caput ejus spinis coronatum, & faciem ejus livoribus plenam. Osculabatur frontem, & collum. Osculabatur manus clavis perforatas. Osculabatur brachia, & pectus lanceâ perforatum. Osculabatur pedes clavis perfossos. Lavit & rigavit lachrymis universa ejus vulnera: & plorans acerrimè super singulis vulneribus, amplexabatur caput ejus, comprimens ad ubera sua. Sedebat ad caput extincti Filii Mater mæstissima, (c) & ejus regalem faciem mortis palloribus obfuscatam, magnâ rigabat affluentiâ lachrymarum. Aspiciebat illud reverendissimum caput diris coronæ spineæ aculeis perforatum, manus illas & pedes sacros clavis ferreis crudelissimè perforatos, latusquè perfossum lanceâ, cum cæteris membris laceratis. Et amarissimè suspirans ac flens, (d) dicebat: *O Fili mi dulcissime quid fecisti? quare crudelissimi Judæi te crucifixerunt? quæ causa mortis tuæ? Commisistine scelus ut tali morte damnareris? Non Fili, non Fili: sed sic tuos redimere dignatus es, ut posteris exempla relinquas. In gremio meo nunc te mortuum teneo. Quid ego tua Mater, Fili mi dilectissime, faciam? Væ mihi Fili mi, dulcedo mea, consolatio mea, vita mea! Ubi est illud gaudium indicibile quod in tua admirabili nativitate habui? Væ mihi Fili mi! O in quantum dolorem & tristitiam versum est nunc illud tam magnificum gaudium! Succurre mihi Fili mi, & Spiritum Sanctum mihi interim infunde: quia jam gaudii illius, quod in obumbratione & angelica salutatione percepi, ferè præ dolore immemor deficio.* Interim autem frontem & genas, nasum & oculos simulquè os frequentiùs osculabatur, tantâ perfluens affluentiâ lachrymarum, ut carnem cum spiritu resolvi putares in lachrymas. Cogitabat mirabilia facta unici sui Filii, & durissima opprobria & tormẽta, quæ viderat oculis suis, & auribus adierat. Revolvebat in mente, quis videlicet & qualis & quantus fuerat, quem ipsa Virgo concepit illæso pudore, & peperit sine dolore: quem etiam cum summa diligentia lactaverat, custodierat, & educaverat: qui erat ei vita & dulcedo, gaudium & solatium, consilium, refugium, & auxilium vitæ suæ. Videbat, inquam, Dominum & Deum suum, unicum Filium suum sic viliter & crudeliter pertractatum. Unde dicebat: *Dic Fili dilectissime, dic amor unice, vita mea singulare gaudium, unicum solatium, quare sic me dolore perimi permittis? Cur tam longè factus es à me? Deus meus consolare animam meam, miserere mei, & respice in me.* Aderant secum (e) quædam sanctæ & paucæ mulieres, quæ Christum Dominum cum Matre flente amarissimè flebant. Erant similiter & Angeli dolentibus condolentes. Dolebant pio justoquè dolore, morti compatientes Dei & Domini sui. Flebant & ipsi (ut arbitror) amarissimè, mente turbati, videntes Dominam suam, Matrem utique Dei sui tam vehementi dolore repletam, tot rivulis affluentium lachrymarum perfusam. O quis tunc Angelorum etiam contra naturam suam non fleret, ubi auctor naturæ Deus immortalitatis homo mortuus jacebat? Videbant Christi corpus sic malè tractatum ab impiis, sic laceratum à pessimis, jacere exanime, suo Sanguine cruentatum. Videbant etiam illam piissimam, illam sanctissimam ac beatissimam Virginem Matrem ejus tantis cruciari singultibus, tam amaris repleri doloribus, tam abundantibus lachrymis perfundi, sic amarissimè flere, ut nullo modo potuerit suas lachrymas refrænare. Et quis poterat tunc à lachrymis abstinere? Fiebat proinde mæror & luctus ab Angelis ibidem præsentibus, qualis decebat Spiritus almos: immo mirarer si omnes Angeli in illa beatitudine, ubi flere est impossibile, non flevissent. Credo, propter quod & loquor, quia dolebant si dolere valebant. Sicut enim fuit possibile Deum per assumptum hominem mori, ita possibile fuit Angelos bonos flere de morte Domini Dei sui. Sed dices: (f) Quomodo turbari (*seu flere*) possunt Angeli, qui immortales sunt? Utique sicut justus, cùm viderit amicum suum pati aliqua, de quibus consequeretur maximam gloriam, & gauderet quidem de gloria ejus adipiscenda, sed tamen propter passionem quasi quodammodò contristaretur. Sic Angeli quasi contristabantur de pœna Domini sui, cùm tamen impassibiles sint: sed gaudebant de gloria ejus futura, & de utilitate ex Passione ejus ventura.

II. Joseph autem ab Arimathia vir sanctus & justus, (g) qui corpus Christi cum Nicodemo deposuerat de Cruce, mercatus sindonem, involuit illud preciosis conditum aromatibus, ut in monumento novo quod sibi exciderat, sepeliret. Tunc Angelorum millia millium, qui ad Christi sepulchrum convenerant, dulces ei ac devotas exequias & victoriam decantabant. Illi quidem Domino laudes canebant, sed Virgo Maria gemitus & suspiria emittebat. Dum igitur Joseph & Nicodemus Dominum ponerent in sepulchro, volebat simul cum illo Mater mæstissima sepeliri. Erat enim innixa super dilectum suum, quem amplectens suaviterquè deosculans, sic dicebat: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei. Illum adhuc paululùm mihi relinquite, ut faciem ipsius sublato velamine valeam contemplari, & præ amore ipsius aliquantulùm videndo consolari. Nolite quæso eum tam*

b *Daniel Mallonius lib. de Christi stigmatibus cap.* 13. c *S. Bern. ser. de lament. V. M. num.* 9. d *Idem ibidem num.* 10.

e *Idem ibidem num.* 11. f *Ex Revelat. S. Brigittæ lib.* 6. *cap.* 11. *pag.* 454. g *S. Bern. ser. de lament. V. M. num.* 12.

tam citò tradere sepultura, sed ipsum reddite mihi miseræ matri suæ, ut illum mecum habeam saltem vel defunctum: aut si illum in sepulchro reconditis, ibidem me miseram matrem cum ipso sepelite, quia malè post ipsum superero. Ut quid post ipsum vivam? Illi volebant ponere Dominum in sepulchro, & ipsa nisu quo poterat, illum ad se trahere conabatur. Illa volebat eum sibi cum totis viribus retinere, & ipsi volebant eum tradere sepulturæ. Sicquè pia lis erat & contentio miseranda inter ipsos. Omnes tamen virgineo compatientes dolori, pio desiderio coacti sic amarissimè flebant, ut nullus eorum posset ad plenum verba formare. Videbant enim piam Matrem omni quidem solatio destitutam, & super ipsam potiùs quàm super Dominum suum extinctum plangebant. Major illis inerat dolor de dolore Matris, quàm de morte Domini sui. Utinam dolor ille (h) sic quotidie inhæreat & visceribus meis, sicut inhæsit tunc visceribus Matris. Utinam mihi indicet lachrymas suas, ut per illas cognoscam quantum ei amaritudinis tunc fuit, cùm Filium suum dilectum tradi sepulturæ videret. Rigabat felicibus lachrymis corpus exanime Filii sui, (i) & monumentum in quo posuerunt eum, modo mirabili madidabat: ubi & ejus lachrymæ adhuc apparere dicuntur, indicativæ doloris intimi, qui animam ejus tanquam gladius acutus pertransivit. *Hactenùs S. Bernardus*. Refert etiam Joannes Lignius, (k) in quibusdam nempè Ecclesiis lachrymas Beatæ Virginis reperiri, cultuquè maximo & pietate à fidelibus observari. Imò Daniel Mallonius asserit, (l) in Bibliotheca S.Mariæ Gratiarum Bononiæ reperiri in quodam Manuscripto continente fragmenta Historiæ Theophili scribentis sic: *Intantùm planxerat Maria Virgo affligens se, ut oculi ipsius ruberent sanguine, & palpebræ ipsius tumerent. Jam corrosæ erant genæ illius roseæ: etiam lachrymæ sanguineæ de ejus oculis emanarunt, propter fletum tam amarum.* Idem dictus Daniel repetit, [m] adducitquè in confirmationem verba B. Virginis, (n) sic alloquentis Sanctam Brigittam: *Ex oculis meis ita erumpebant lachrymæ, sicut sanguis è venis.* Porrò supradictus Daniel [o] addit testimonium Beati Germani dicentis Deiparam adeò amarè flevisse, ut post effusum uberrimum lachrymarum fluvium, tandem sanguineas etiam lachrymas emiserit. Unde non parvum miraculum in hoc [p] Deus tunc fecisse dignoscitur, cùm Virgo Mater tot & tantis doloribus intrinsecùs sauciata suum spiritum non emisit. Quemadmodùm enim suus Filius super omnes in hoc mundo viventes amarissimam mortem sustinuit, ita ipsius Mater in sua benedicta anima amarissimos dolores sufferendo portavit. Commemorat sacra Pagina, quòd uxor Phinees Arcam Dei ab ejus inimicis captam esse percipiens, præ dolorum vehementia protinùs expiravit: cujus mulieris dolores Mariæ Virginis doloribus comparari non possent, quæ sui benedicti Filii corpus (quod arca prædicta figurabat) inter clavos & lignum captum detineri videbat. Majori namque charitate Virgo suum Filium Deum verum & hominem peramabat, quàm aliquis à viro & muliere genitus seipsum. Unde quia mirabile cernitur, quòd illa uxor Phinees præ doloribus mortua fuit, quæ minoribus doloribus urgebatur; Maria verò revixit, quæ gravioribus mæstitiis extitit lacessita. Quis in hoc aliud cogitare poterit, nisi quòd de speciali omnipotentis Dei dono contra omnes corporales vires suas ipsa vitam retinuit? Dicat qui potest, (q) cogitet quantum potest, meditetur si potest, quæ doloris immensitas tunc maternam animā cruciabat. Non credo plenè enarrari, vel meditari posse dolorem Virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum unquam dolere potuit de tali Filio talis Mater. Quo sepulto, (r) Mater ejus sepulchrum amplectebatur, & voce qua poterat suum benedicebat Filium jam sepultum, ingemiscensquè vocabat. O singularis Virgo & Mater, jam dicere poteras: *Anima mea liquefacta est ut dilectus locutus est in cruce, quando dixit: Mulier, ecce filius tuus.* Nunc dicere potes: *Quæsivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi*, scilicet ad sepulchrum. Ibi sedens innixo capite, manus extendebat desuper illud osculans, amarissimisquè singultibus suum Filium deplorabat. Accessit autem novus filius ejus Joannes, lugens & ipse inconsolabiliter, ipsam lugentem & gementem levavit. Nam cruciata gemitibus, fatigata doloribus, afflicta ploratibus, pedibus se sustinere nequibat: tamen sicut potuit, à mulieribus honestis & sanctis adjuta, cunctis simul plorantibus Jerusalem ingreditur, & pervenit ad domum Joannis. Ibi resedit, ibi permansit: ibi eam in sua domo Joannes retinuit, & sicut propriam matrem in omni charitate dilexit.

III. Sepulto itaque Domino, (s) à Judæis signatum est monumentum, & traditum est custodibus ut custodirent illud. Interim Virgo Maria in domo Joannis manebat, ibiquè jacebat, quia nimio dolore confecta non poterat nisi cum difficultate magna ambulare. Ibi enim die noctuquè plorans gemebat, nec erat qui consolari eam posset ex omnibus charis suis amicis, nec suæ sorores, nec etiam ipse Joannes. Ibi amaro corde opprobriosam passionem dilecti Filii sui revolvebat, modò sputa, modò ludibria, modò colaphos, alapas & flagella; modò Crucis angariam, modò dira clavorum vulnera, modò lanceam, modò coronam spineam, modò aceti & fellis pocula, mortem, verbera & improperia, modò mortem, mortem autem crucis. Hæc autem cogitando plorabat, atque plorando & ejulando clamabat: *Fili mi Jesu, Jesu Fili mi, bone ac benigne, & Creator omnium Deus, qui factus homo morte turpissima es peremptus: quem terra, pontus, æthera capere nequeunt, modò arcto clausus es sepulchro. Jacet Filius meus extinctus, & sub lapide clausa*

h *Ibid. num. 2.* i *Ibid. nu. 10.* k *Joan. Bapt. Lignius in lib. de Reliq. & venerat. Sanctor.* l *Daniel Mallon. lib. de stigmat. Christi cap. 5. nu. 16. relatus à Novato tom. 1. de Eminent. Deip. cap 18. quæst. 4. pag. 356.* m *Idem ibid. cap. 8. sub num. 18.* n *Lib. 1. Revelat. cap. 35. pag. 53.* o *Daniel Mallon. relatus à Novato cito citato.* p *Ex sermone Angelico ad S. Brigittam c. 18. pag. 731.*

q *S. Bern. ser. de lament. V. M. num. 11.* r *Ibidem num. 13. & 14.* s *Ibidem num. 15.*

clausa est vita mea. O quoties ipsam (t) præ immensitate doloris credis potuisse deficere! à quo, ipsam summè miror etiam mortuam non fuisse. Moriebatur vivens, vivendo ferens dolorem morte crudeliorem. Verumtamen rectum erat (u) amoris & mœroris continens modum. Non desperabat, sed piè & justè dolebat: sperans tamen firmiter, fortiterquè tenens, Filium secundùm promissum suum tertia die resurrecturũ. In ipsa enim sola in triduo illo fides Ecclesiæ stabat: & dũ unusquisq; hæsitabat, hæc quæ fide concepit, fidem quam à Deo semel accepit, nunquam perdidit, spequè certissima Domini resurgentis gloriam expectavit. Si verò tunc fugam mentalem intelligimus, (x) nec vir nec mulier relictus est cum Christo, præter illam, quæ sola benedicta est in mulieribus: quæ sola per illud triste Sabbathum stetit in fide, & salvata fuit Ecclesia in ipsa sola. Propter quod aptissimè tota Ecclesia in laudem & gloriam ejusdem Virginis Mariæ, diem Sabbathi per totius anni circulum celebrare consuevit. *Hanc sententiam repetit Sanctus Bonaventura, (y) dicens;* Domina stabat mente tranquilla & pacata, quia certissimam spem habebat de resurrectione Filii sui, & in ea sola remansit fides in ipsa die Sabbathi: & propterea dies Sabbathi attribuitur ei. *In confirmationem horum Novatus adducit consuetudinem Ecclesiæ, (z) de qua sic ait:* Favere videtur huic opinioni consuetudo illa Ecclesiæ, quæ in officio Hebdomadæ sanctæ, reliquis candelis extinctis, unam accensam asservat. Quorsùm enim hoc, nisi ad insinuandum fidem in Deipara velut lucernam inextinguibilem, nullo alienæ fidei lumine nõ extincto, semper eluxisse tempore passionis & mortis Christi? *Hanc fidem Virginis Mariæ jubari Lunæ assimilat Angelus, (a) sic alloquens Sanctam Brigittam:* Quemadmodùm Deus duo luminaria huic mundo necessaria creavit, unum, ut præesset diei, & alterum, ut præesset nocti: ita & in Virgine Maria alia duo luminaria clariora fieri prævidit. *Primum* namque erat ejus divina obedientia, quæ instar Solis coram Angelis in cælo, & coram bonis hominibus in mundo (quibus verè Deus sempiternus dies est) lucidissimè radiaret. *Secundum* verò luminare erat Virginis Mariæ constantissima fides, quâ multi nocturno tempore, hoc est, ab illa hora quâ Creator in carne pro creatura pati debebat, usque ad resurrectionem in tenebris desperationis & perfidiæ miserè pervagantes, veluti quodam lunari jubare ad veritatis agnitionem deducendi erant. *Deinde Virgo Mater non solùm tempore passionis Filii sui, sed etiam toto tempore post eius Ascensionem, mente revolvebat amarissimam Passionem illius, prout ipsamet Virgo Maria S. Brigittæ revelavit, (b) his verbis dicens.* Ego post ascensionem Filii mei longo tempore vixi in mundo: & hoc voluit Deus, ut visâ patientiâ meâ, & moribus meis, plures animæ converterentur ad eum, & Apostoli, aliiquè electi roborarentur. Et etiam naturalis dispositio corporis mei hoc exigebat quòd diutiùs viverem, ut corona mea augeretur. Nam omni tempore, quo post ascensionem Filii mei vixi, visitavi loca in quibus ipse passus est, & mirabilia sua ostendit. Sic quoque Passio sua in corde meo fixa erat, ut sive comedebam, sive laborabam, quasi recens fuerit in memoria mea. Sic etiam sensus mei abstracti erant à mundialibus rebus; & jugiter quasi novis desideriis inflammabar, vicissimquè doloribus excitabar. Verumtamen sic dolorem temperabam, & gaudium meum, ut nihil omitterem de his quæ erant Dei. Ergo & vos omnes fideles Christi, (c) recolite de morte & passione Domini nostri Jesu Christi, & per totum vitæ vestræ tempus lachrymas fundere non cessetis. Agnosce ô homo, (d) quàm gravia sunt vulnera animæ tuæ, pro quibus necesse erat Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam per eorum remedio Dei Filius moreretur. Si membrum Christi es, (e) compatire Capiti tuo: si frater Christi es, commorere Fratri tuo. Plange, dole cum gemitu & lachrymis super mortem pretiosam Unigeniti Dei Patris. Alioquin si non doles, si non plangis, si non compateris; deliras, degeneras, belluam sapis, lethargum pateris, hominem diffiteris. Dignum est [f] & tibi multùm expedit, compati, commori, consepeliri: passo, mortuo, & sepulto Domino. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Alioquin etiam exquiretur à te sanguis justus, (g) qui effusus est super terram: nec immunis eris ab illo tam singulari scelere Judæorum, quòd videlicet tantæ charitati ingratus fueris, quòd Spiritui gratiæ contumeliam feceris, quòd Sanguinem pollutum duxeris, quòd conculcaveris Filium Dei. Præterea (h) non discedat dolor Virginis Matris ab anima tua: quia nisi essent tribulationes, paucissimi ad cælestia regna pervenirent. Ergo quicunque es in mundo, (i) consideres qualis erat Deipara in morte Filii sui, & semper habeas præ oculis dolores Matris Dei. *Hanc enim considerationem dolorum suorum ipsamet exposcit à Sancta Brigitta, (k) cùm dicat:* Respicio ad omnes qui in mundo sunt, si fortè sint aliqui qui compatiantur mihi, & recogitent dolorem meum: sed paucos invenio, qui cogitant tribulationem & dolorem meum. Ideò filia mea, licet à multis oblita & neglecta sim, tu tamen non obliviscaris mei: vide dolorem meum, & imitare quantùm potes: considera dolores meos & lachrymas, & dole quia amici mei pauci sunt.

§. XXII.

t *S. Bern. Tract. de vite myst. cap. 10. nu. 46.* u *Idem ser. de lament. V. M. nu. 11.* x *Idem Tract. de vite myst. c. 2. n. 4.* y *S. Bonau. l. de medit. vitæ Christi cap. 84.* z *Jo: Bapt. Novat. tom. 1. de Eminent. Deiparæ. cap. 18. quæst. 30.* a *Ser. Angeli ad S. Brigit. cap. 5. pag. 717.* b *lib. 6. Revelat. cap. 61. pag. 530.*

c *S. Bern. ser. de lament. V. M. nu. 15.* d *Idem ser. 3. in Nativ. Dom. nu. 4.* e *Idem ser. de excellen. SS. Sacram. nu. 6.* f *Idem ser. 2. in cæna Dom. num. 6.* g *Idem ser. in fer. 4. hebd. San. nu. 11.* h *lib. 6. Revelat. cap. 57. pag. 524.* i *lib. 1. cap. 27. pag. 42.* k *lib. 2. cap. 24. pag. 142.*

§. XXII.

De quindecim mysteriis dolorum Virginis Deiparæ, typicis imaginibus olim adumbratorum: & de triplici modo commemorandi dolores ipsius: necnon de fructu proveniente ex compassione, & recordatione eorundem dolorum.

I. Quemadmodùm è Christi suppliciis alii quinque vulnera, (a) alii septem Sanguinis effusiones, alii novem, alii quindecim celebrant: alii verò pro alio pietatis sensu, mysteria ejusdem plura, aut pauciora meminerunt. Ita pariter dissimili numero, variaquè religione dolores Virginis Deiparæ recensentur. Sunt quidem qui è sacratissimo Rosario quinque duntaxat dolorum iconas pingunt: alii autem gladium unum materno cordi infigunt, juxta Simeonis prophetiam: alii septem, juxta revelationem Sanctæ Brigittæ factam. Oportunius tamen visum fuit, [præsertim evoluendo Rosario] mysteria dolorũ omnia, in certa ætatis Christi tempora per tres partes seu quinquagenas dispertiri: suntquè cujusque partis quinque mysteria dolorum Deiparæ, dum quinque decades percurruntur, consideranda. *Prima* pars complectitur quinque mysteria ab infantia Christi, usque ad annum suæ ætatis duodecimum. *Secunda* pars complectitur quinque mysteria ab anno Christi duodecimo, usque ad ipsius passionem exclusivè. *Tertia* pars complectitur alia quinque mysteria, quæ tempore passionis Dominicæ sunt facta.

Prima pars habet quinque mysteria dolorum Deiparæ, quæ incipiunt ab infantia Filii sui usque ad annum duodecim, (b) *totidem typicis imaginibus olim adumbrata.*

Primum mysterium. *Joan.* 1. & *Lucæ* 2. Sui Virginem, licet prægnantem non recipiunt: hinc cogitur ad stabulum errabunda divertere. *Typus*: Agar è domo herili proscripta, vagatur exul cum infantulo. *Gen.* 21.

Secundum. *Lucæ* 2. Virgo Mater videt cruentam parvuli circumcisionem. *Typus*: Tulit Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui, tetigitquè pedes ejus, & ait: Sponsus sanguinum tu mihi es. *Exodi.* 4.

Tertium. *Lucæ* 2. Virgo Mater ingressa templum, inter laudum carmina audit filiolum multis positum in ruinam, suam verò animam gladio fodiendam. *Typus*: Bethlehem ingressa Noëma, plausuquè excepta, inclamat omnibus: Ne vocetis me Noëmi, id est pulchram; sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valdè replevit me Omnipotens. *Ruth.* 1.

Quartum. *Matth.* 2. Jussu Herodis cædes Innocentum, quos Virgo Mater deplorat. *Typus*: Pharaonis imperio infanticidium masculorum, quos luget Maria soror Moysis. *Exodi* 2.

Quintum. *Matth.* 2. Virgo Mater jubetur fugere cum sancto Josepho & puerulo Jesu in Ægyptum. *Typus*: Cogitur descendere Sarai cum Abram viro suo in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi. *Gen.* 12.

Secunda pars habet alia quinque mysteria dolorum Deiparæ, quæ incipiunt ab anno sui Filii duodecimo usque ad ipsam Passionem exclusivè, (c) *totidem typicis imaginibus olim adumbrata.*

Sextum mysterium. *Luc.* 2. Virgo Mater dolens quærit amissum Filium suum. *Typus*: De Anna ad filium Tobiam absentem suspirante dicitur: Eò quòd die statuto minimè reverteretur filius, flebat mater ejus irremediabilibus lachrymis. *Tob.* 10.

Septimum. Carissimus sibi sponsus Joseph vitâ defungitur. *Typus*: Mortuus est Manasses solatium Judith conjugis suæ. *Judith.* 8.

Octavum. *Marci* 6. Capite plectitur consanguineus Virginis Mariæ Joannes Baptista, Filiiquè sui præco sanctissimus. *Typus*: Integerrimum Regem Josiam interemptum lugent filiæ Israël. *lib.* 2. *Paralip. cap.* 35.

Nonum. *Matt.* 11. Virgo Mater intelligit Filium suum ludibrio à sua gente haberi. *Typus*: Dolet Rachel primogenitum suum Joseph à fratribus illuderi. *Gen.* 37.

Decimum. *Joan.* 5. Virgo Mater dolet super Filio suo, quia quærebant eum Judæi interficere. *Typus*: Incredibile mærore conficitur Esther, quia impius Aman necem machinatur Hebræis. *Esth.* 14.

Tertia pars habet alia quinque mysteria dolorum Virginis Deiparæ, [d] *quæ tempore passionis sui Filii sunt facta.*

Undecimum mysterium. Virgo Mater Filio suo, priusquàm se ad subeundam in monte Calvariæ mortem accingat, extremò valedicit. *Typus*: Sara suum unicum Isaac ad sacrificium, in eundem montem olim tendentem, postremò à se dimittit. *Gen.* 22. Docent enim *Sanctus Augustinus*, *Nyssenus*, *Procopius*, Saram immolationis sui filii conscium, eiquè assensam fuisse.

Duodecimum. Virgo Mater cum aliis sanctis mulieribus fit obvia Christo crucem ferenti. *Typus*: Mæstissimo Pontifici Oniæ flentes virgines occurrunt. *Machab.* 2. *cap.* 3.

Decimumtertium. *Joan.* 19. Stabat juxta crucem Jesu mater ejus. *Typus*: Mater Machabæorum pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspicit. *Machab. lib.* 2. *cap.* 7.

Deci-

a *Auctor Anonymus è Soc. Jesu Liberc. de fausto anno homin. Christiani. cap.* 2. *de dolorib. Virg. pag.* 175. b *Ibid. pag.* 182.

c *Ibid. pag.* 182. d *Ibid. pag.* 183.

Decimumquartum. Mortuus Filius materno in sinu jacet. Narrat Adricomius *in descriptione Jerusalem num.* 255. quòd etianum ostenditur locus, ubi corpus Christi de cruce depositum gremio Virgo Mater excepit: distatquè à loco, in quo crucifixus est, gressibus tredecim. *Typus*: Sunamitidis dolens videt in sinu & genibus suis filium expirantem. *Lib.* 4. *Reg. cap.* 4.

Decimumquintum mysterium. *Marci* 15. Magno Virginis Matris dolore corpus Christi extinctum sepelitur. *Typus*: Filii Respha, quos mater substrato sibi cilicio in crucem actos luxerat & custodierat, sepulturæ traduntur. *Lib.* 2. *Reg. cap.* 21.

Vis per modum compendii, tres hosce Mysteriorum quinarios tanquam fasciculum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Deiparæ colligare, & amara illa omnia quæ pertulit, semper in memoria retinere, assiduaquè meditatione revolvere? En habes tres versiculos, qui complectuntur eodem ordine ut supra, quindecim mysteria dolorum Virginis Matris, videlicet:

1. Stabulum, 2. Cultrum, 3. Gladium, 4. Cædemquè, 5. Fugamquè.
1. Amissum, 2. Punctum, 3. Plexum, 4. Irrisum, 5. Interimendum.
1. Amplexum, 2. Occursum, 3. Fixum, 4. Positum, 5. atque Sepultum.

II. *Triplex est modus commemorandi dolores præfatos. Primus quidē modus consistit in erectione Confraternitatis, sub invocatione septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis: cui nomen suum inscribant Christifideles.* Dum Provincia Belgica (e) anno circiter 1482. civilibus bellis arderet, & passim inter Primates plebemquè intestinis odiis ac cruentis litibus scinderetur, neque porrò spes ulla rem deploratam instaurandi effulgeret: tandem auspiciis Philippi I. Austriaci Sodalitium in venerationem septem Dolorum Virginis feliciter cæptum est. Et ecce illicò tumultus publici sopiti, seditionesquè compositæ, & mores Urbium in melius commutati sunt. Cæterùm præter Cardinales, Archiepiscopos, aliosquè Præsules, etiam Philippus I. cum parente suo Maximiliano Primo & Margareta Austriaca sua sorore, deinde ejusdem Philippi Filius Carolus V. interq; Reges, Serenissimi Belgarum Duces & Principes Albertus & Isabella in Album Sodalium sunt relati. Idem Sodalitium ab Alexandro VI. Leone X. Paulo V. Summis Pontificibus confirmatum, Indulgentiisquè auctum, innumeris claret miraculis. *Gandavi* præter Confraternitatem jam olim Virgineis Doloribus memorandis ante aliquot sæcula institutam, etiā solemnitas novē dierum quà supplicationibus, quà prædicatione verbi Dei, quà Sacrificiis religiosè celebratur in Ecclesia S. Salvatoris. Superioribus annis à Reverendissimo D. Antonio Triest Episcopo Gandavi, in afflictæ patriæ opportunum solatium, apud Virgines Religiosas (quibus ab Annunciata Virgine nomen est) post Statuam Deiparæ solemniter dicatam, sub titulo septem Dolorum est erecta Confraternitas Dominicâ Passionis die 16. Martii anno 1625.

Porrò eodem anno Rmus Dionysius Christophori Brugensis Episcopus, non minùs ardenti sua pietate, quàm auspicato natu Serenissimæ Infantis Isabellæ, feliciter instauravit in insigni Ecclesia Collegiata S. Salvatoris, jam propè collapsum Sodalitium septem dolorum, olim à Cive Brugensi Philippo Primo Austriaco primitùs inchoatum. Deinde Philippus IV. Rex Catholicus sese Patronum & Protectorem præfati Sodalitii constituit, ut testatur ejus Diploma datum Bruxellis anno Regnorum illius septimo, die 24. Decembris 1625. Unde etiam nunc quotannis Regiæ ipsius Majestatis commissas vices gerunt Septem Viri è primariis ejusdem Civitatis, in solemnissima supplicatione de prædictis septem Doloribus Deiparæ. Hanc autem solemnitatem celebrant Dominicâ Palmarum Decanus cum Capitulo Ecclesiæ præfatæ, & Patres Capucini, adornato circuitu, adhibitis spectaculis hominum, in nigro sacco horridoquè cilicio à capite usque ad calcem indutorum. Præferunturq; huic Processioni dolorosæ Virginis icones, & cruenta passionis Christi instrumenta, ad excitandum compassionem erga Virgin. Dolorosam. Accedit deniq; ad annuam istam festivitatem menstrua Concio, Supplicatio, Laudes, & hebdomadarium solemne Sacrum.

Insuper *Mechliniæ* idem Sodalitium in augusta Transdilianæ Virginis Ecclesia canonicè est institutum ab Illustrissimo Domino Jacobo Archiepiscopo Mechlinensi die 12. Kalendas Octobris anno 1626. In Album ejusdem Confraternitatis adscripti per octo dies numerantur populi 4691. Princepsquè inter illos Archiepiscopus: paucis verò hebdomadis elapsis recensentur adscripti septem millia populorum. Ibidem singula mæroris Virginei monumenta imaginibus septem expressa, & circa Templum vicumquè adiacentem certis interuallis, atque distinctis Stationibus, à concursu celeberrimo collocata cernebantur. Quod iter inde usquehuc sedulitate sanè ingenti, ab omni genere hominum frequentari solet, etiam intempestivis horis & tempore perfrigido: Taceo libellos ejus argumenti ad aliquot millia distributos, Votiva Sacra, aliaquè id genus pietatis officia. Visa est ipsamet Virgo pluribus admirandis rebus hanc populi pietatem divinitus confirmasse: à quibus tamen volgandis supersedemus, donec legitimis Instrumentis ac sigillo publico approbentur.

Secundus modus commemorandi Dolores Deiparæ consistit in institutione Stationum, quæ repræsentent mysteria septem Dolorum Matris dolorosæ.

Serenissima Maria Austriaca, (f) Ferdinandi II. Imperatoris parens, tam æstate quàm hyeme in Ædem sacram, uno circiter lapide à *Gracio* dissitam, quolibet die Sabbathi proficisci consuevit, causâ pietatis ac religionis erga Virginem Deiparam. In itinere occurrunt ex utroque latere septem Columnæ pari intervallo inter se divisæ: in quibus hinc Gaudiorum, illinc Dolorum Virginis mysteria

e *Idem Auctor Anonymus Ibid. cap.* 3. *pag.* 187. *& seqq. ex Georgio Colvener. lib. de Virg. Dolor. & origine Sodalitii.*

f *Idem ibid. pag.* 199. *ex Jac. Susman. in vita Margar. Austr. par.* 1. *cap.* 14.

ria expressa spectantur. Quàm primùm ad columnam primam ventum erat, statim ipsa Princeps cũ suis filiabus totoquè comitatu descedebat de curru, concentu musico Litanias audiebat, flexo poplite ad singulas columnas advoluebatur, precatiunculas cuique Mysterio accomodatas recitabat, deinde ipsam Ecclesiam intrabat, ac tribus Sacris continuò assistebat. Porrò (g) *Gandavum* Metropolis Flandriæ in hoc genere amænum ac sanctum toti Provinciæ Belgicæ spectaculum præbet. Siquidem in vicino monte Blandinio, (ubi per longum circuitum & disposita intervalla, Virginei luctus variæ imagines inter Gaudiorum mysteria palàm exhibentur) incredibile dictu est, præter stata quoque sabbatho pietatis obsequia, quantus sit mense præsertim Augusto per dies novem circumeuntium fervor hominum, quot in mediis plateis ad singulas imagines procumbentium & orantium millia, quanta omnis ordinis, ætatis, sexus multitudo, quanta summorum infimorumquè religio erga Virginem Matrem dolorosam.

Tertius modus commemorandi Dolores Deiparæ consistit in externo signo, id est in delatione habitûs seu scapularis coloris nigri, ob commiserationem erga Matrem dolorosam: vel in oblatione votivorum donariorum ad ipsius Imaginem, seu Altare.

Anno 1240. (h) hortatu Deiparæ è cælo nigrum habitum manu præferentis, Ordo Servitarum institutus est, ut Virgineis ærumnis piè recolendis vel maximè intẽderet: atroq; habitu se in posterũ induit, in venerationem scilicet cultumquè istius mæstitiæ, quam in amarissima Filii sui passione & morte toleravit Virgo Mater. Horum exemplo is cui visum esset pietatis causâ cælibem vitam agere, posset singulari etiam hoc nomine (vestium omni luxu abdicato) nigras vestes induendas eligére, in perpetuum quasi doloris argumentum. Profectò immensus est numerus eorum, (i) qui vario pietatis ductu, sive concepto voto, sive luminibus accensis, aliisq; id genus obsequiis dolorosæ V. Matris præsidiũ deposcentes, divinitùs adjuti fuerunt. In ipso duntaxat Sodalitio septem Dolorum Deiparæ, decem supra ducenta miracula in istiusmodi hominum opem cælitùs perpetrata sunt, & authoritate publicâ approbata.

III. Refert Carthagena, (k) Sanctæ Elisabethæ de Schonaugia fuisse revelatum, quòd Mariæ Virgini concessum sit â Christo Domino, ut Dolores ipsius Virginis recolenti, quemcunque favorem ad ejus salutem conducentem posset libere elargiri: atque hoc præcipuè, ut non nisi peractâ de admissis culpis verâ pœnitentiâ, è vita migraret. *Porrò* cùm aliquando B. Joannem Evangelistam (l) ardens incessit cupido videndi Deiparam, (postquàm jam in cælum erat assumpta) à se abreptus spectavit cum Filio Matrem, & audivit æquè de illius tormentis in cruce toleratis, atque de ingenti sua erga eum commiseratione disserentem. Filio deinde supplicavit, ut cæleste quoddam munus, idquè non vulgare omnibus impertiret, qui piè Dolorum Virginis meminissent. Filius illicò hæc quatuor dona spopondit. *Primum* erat, ut quisquis Virginem per Dolores ante adductos precaretur, is priusquàm è vita decederet, verum germanumquè de præteritis culpis dolorem cælitùs impetraret. *Secundum*, fore ut suo ipsius, præsertim imminente morte, præsidio muniretur. *Tertium*, se illius quisquis esset cordi sua supplicia inscripturum, ideoquè mercedem olim munificam præstiturum. *Quartum*, se Matri omne jus, facultatemquè concedere pro tali aliquo quidlibet impetrandi.

Silvanus refert (m) Clericum quendam fuisse, qui licet non religiosè admodùm vixisset, attamen Deiparam super Filii morte ingentibus immersam doloribus tenerè miserebatur. Ideoquè quinque propositis gaudiis reficere ac recreare ipsam nitebatur, his verbis: *Gaude ô felicissima Virgo, quia Archangelus immenso te olim gaudio ac voluptate perfudit. Gaude ô beatissima Virgo, quia Dei Mater effecta es. Gaude ô admirabilis Virgo, quia Vir. simul & Mater es. Gaude ô lucidissima Virgo, quia orbi peperisti lumen orbis. Gaude ô benedicta Virgo, quia beatam te dicent omnes generationes.* Huic autem Clerico in amaro mortis discrimine, & ancipiti lucta gravissimis presso molestiis lætissima occurrens Virgo, ait: *Ecquid mærore conficeris fili, qui à me toties mærorem es conatus expellere? Gaude eja mecum, & me praeuntem lætus sequere.* Hoc dicto abiit, & comitem hanc animam secum abduxit. Nos ex hoc monens Deipara, quàm ingens præmium sit præparatum iis, qui suos Dolores, quos ipsa pertulit compatiendo Filio suo, non solùm in memoria retinent & assidua meditatione revolvunt, sed etiam ultrò macerant carnem suam in venerationem Dolorum Virginis Deiparæ. *Greterus* scribit, [n] quòd B. Henricus Suso Ordinis Prædicatorum, vir longè religiosissimus dolentem Filium Virginis Mariæ, & Filio collacrhymantem Matrem hoc pacto veneratus sit. Crucem palmari longitudine sibi fabrefecit, cui acutos triginta claviculos infixit, & nudum inter utrumque humerum exporrexit, ac per octo annos die noctuquè gestavit in honorem cruciatuum Christi. Horum annorum postremo per eandem Crucem, præter dictos claviculos, tormenti genere inaudito septem ingentes acus trajecit, quæ perpetuo dolore teneram carnem infernè configerent, & suo acumine septiformi, quasi septem gladios Virginei doloris exprimerent. Quòd si hujusmodi macerationem carnis spontè suscipere non audemus, saltem ærumnas sive mentis, sive corporis, in honorem Virginis dolorosæ, volenti lubentiquè animo subeamus. Non aspernatur illa affectum compassionis & devotionis erga suos Dolores: non aspernatur ingens desiderium quorumlibet quamvis peccatorum, qui totam spem suam in Deipara posuerint, ejusq; Doloribus compassi fuerint.

Cùm S. Brigitta Vidua (o) ex compassione oraret pro quodam viro nobili, & magno domino secundùm mundum, (qui licet graviter infirmaretur, tamen peccata sua confiteri Sacerdoti nolebat

g *Ibid. pag. 200.* h *Petr. Ant. Spreclius lib. de Mœsta Deip. cap. 40. n. 10.* i *Georg. Colvener. lib. de Virg. Dolor. de Modo ac. & origin. Sodalitii 7. Dolor.* k *Cartag. tom. 2. lib. 12. Homil. 1.* l *Pomerius lib. 3. de B.V.M. par. 4. art. 3.*

m *Silvan. Razzius lib. 1. Miraculor. B.V.M.* n *Greterus lib. de disciplina* o *lib. 6. Revelat. cap. 97. pag. 561.*

bat) Christus apparens Brigittæ ait: *Dic Confessori tuo, ut istum hominem infirmũ visitet, & Confessionē ejus audiat.* Missus igitur Sacerdos à Sancta Brigitta, venit ad eundem infirmum: sed iste respondit, se non indigere Confessione, testans se sæpissimè confessum esse. Sequenti die jussu Christi sacerdos à S. Brigitta iterùm mittitur ad illum, à quo etiam id quod priùs responsum accepit. Tertiò autem die reversus Sacerdos ad infirmum, exposuit ei illa impedimenta salutis suæ, quæ Christus Dominus Beatæ Brigittæ revelaverat. Tunc ille resolutus in fletum dixit Sacerdoti: Et quomodò ego veniam peccatorum meorum consequi possem, qui tot sceleribus sum irretitus? Cui Sacerdos inquit: Etiamsi multò plura & graviora perpetrasses, salvaberis tamen per veram contritionem & Confessionem: hoc fidenter tibi promitto. At ille: Ego de salute animæ meæ desperabam, quia homagium feci diabolo, qui mihi multoties locutus est. Ego sum modò sexaginta annorum, & nunquam feci Confessionem, nec sumpsi Corpus Christi: jam verò dico tibi Pater, quòd tales lachrymas nunc me habere sentio, quales nunquam me habuisse recordor. Igitur die illo quater confessus est, & sequenti die etiam post Confessionem accepit Sacram Eucharistiam, ac sexto die mortuus est. De quo Christus Dominus postea apparens Sanctæ Brigittæ sic loquebatur, dicens: Iste homo, cujus periculum ostendi tibi priùs, jam venit ad purgatorium: & hujus liberationis signum est contritio, quam habebat in fine vitæ suæ. Sed potes quærere: Quare meruit contritionem homo iste, qui tantis sceleribus involutus erat? Respondeo tibi: *Hoc fecit dilectio mea, (qui usque ad ultimum punctum expecto hominis conversionem) & meritum Matris meæ. Et licet homo iste non dilexit eam corde, tamen quia consuetudo sua erat compati dolori ejus, quoties eam considerabat, & audiebat nominari: ideò compendium salutis suæ invenit, & salvatus erit.* Ergo quicunque sumus in mundo, (p) consideremus qualis erat Deipara in morte Filii sui, & semper habeamus præ oculis dolorem ejus. Non discedat [q] dolor suus ab anima nostra: quia nisi essent tribulationes, paucissimi ad cælestia regna pervenirent. *Porrò imitemur in hoc D. Bonaventuram, qui cum afflicta Deipara dolere exoptans,* (r) *his declarat verbis*: Tu vulnerata es Mater Christi, vulnera & servum sine vulneribus miserum, & nil aliud præter vulnera postulantē. Non peto cœlũ, non terram, non lunam, non sidera, sed vulnera. Nonne tu es Domina spes nostra? nonne tu es Domina Regis? nonne tu es Mater præmii? nonne tu es, quæ nos exaltare desideras? Si ergo nos vis facere gloriosos, imò quia vis, quare negas nobis causam? nam absque vulnere salvari non possumus. O Domina mea, ô vita mea, ô spes mea, ô dulcedo mea, ô bona Domina, vulnera corda nostra. Nonne plùs sine comparatione nos diligis, ac bona nostra procuras, quàm mater carnalis? Quid enim aliud habes facere, quàm corda nostra vulnerare? non enim possumus stare sine vulnere Filii tui, fratris nostri. Verecundùm enim nobis valdè est, videre Filium tuum Dominum nostrum sic vulneratum, & te Dominam nostram sic crudeliter vulneratam, nos verò peccatores, servos vestros vilissimos, sic liberos pertransire & illæsos.

§. XXIII.

De Mysteriis septem dolorum, institutis ab Ecclesia in memoriam passionis Dominicæ: quibus, dum recitamus divinum Officium, excitamur ad recolendam passionem Christi.

1. AD conservandam copiosæ redemptionis memoriam, (a) septies in die laudem dicimus Domino, juxta vulgatissimos (b) Glossæ versiculos sequentes:

Hæc sunt, septenis propter quæ psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis. Causam dat Tertia mortis.
Sexta Cruci nectit. Latus ejus Nona bipertit.
Vespera deponit. Tumulo completa reponit.

Qui septenarius sacratus numerus (c) à nobis sic implebitur, si Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriiquè tempore nostræ servitutis officia persolvamus, quia de his Horis diurnis dicit Propheta: *Septies in die laudem dixi Dno.* Nam de nocturnis Vigiliis idem ipse Propheta ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super judicia justitiæ suæ, id est Matutinis, Primâ, Tertiâ, Sextâ, Nonâ, Vesperâ, Completorio: & nocte surgamus ad confitendum ei. *Hactenus Regula D. Benedicti.* Hæc autem potissima ratio est, [d] ob quam his septem Horis divina celebrantur Officia: hæc sunt præcipua mysteria passionis Dominicæ, quibus, dum psallimus, insistere debemus. Nihil enim (e) inter omnia opera Dei, in quibus humana admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ oblectat, sicut Passio Salvatoris nostri. Cibus in ore, (f) Psalmus in corde sapit. Tantùm illum terere non negligat fidelis & prudens anima dentibus intelligentiæ suæ, nè si fortè integrũ glutiat & non mansum, frustretur palatum sapore desiderabili & dulciori super mel & favum. Offeramus cum Apostolis in cælesti convivio & Dominica mensa favum mellis. Mel in cera, devotio in litera Psalmi est. Alioquin litera occidit, si absque spiritûs condimento glutieris. Si autem cum Apostolo psallas spiritu, psallas & mente, cognosces & tu de illius veritate sermonis quem dixit Jesus in Evangelio Joannis: *Verba quæ locutus sum vobis spiritus & vita sunt.* Et item quem legimus dicente Sapientia: *Spiritus meus super mel dulcis.* Sic delectabitur in crassitudine anima tua, sic holocau-

p *lib. 1. cap. 27. pag. 42.* q *lib. 6. cap. 57. pag. 524.* r *D. Bonaven. in Stimulo amoris de planctu Virginis cap. 4.*

a *Card. Bona lib. de divina Psalmod. cap. 2. §. 9. num. 2.* b *Glos. in cap. 1. de celebr. Missarum.* c *D. Bened. in sua Reg. cap. 16.* d *Card. Bona loco citato.* e *S. Leo Magnus ser. 11. de Pass. Dom.* f *S. Bernard. ser. 7. in Cant num. 6.*

stum tuum pingue fiet. Passio Christi (g) est dulcissima medicina, quæ morbum omnem expellit, vires atque virtutes non habenti acquirit: quæ non solùm sanat ægrotos, sed etiam vivificat mortuos. Inde holocausta orationum (h) tanquam ex adipe vituli saginati impinguantur. Utinam ego possem his septem horis, (i) ac momentis vitæ meæ tam beatæ Passionis, tam vivificæ mortis recordari, à qua & vita & resurrectio mea, & omne bonum meum procedit. Plus enim mihi contulit Dominus redimendo, quàm creando. Creando quippè me mihi dedit: redimendo verò & seipsum dedit, & me reddidit mihi. De nihilo creatus sum, sed non de nihilo redemptus. Flagella, spinas, clavos, & crucem sustinuit amarissimam, totumquè Sanguinem effudit, ut me vitæ sempiternæ participem efficeret. Vade igitur anima mea ad montem myrrhæ, collige tibi fasciculum ex omnibus amaritudinibus Domini tui Jesu Christi, & dic anima dilecta: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Hunc fasciculum si semel collegero, nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. In hoc justitiæ mihi consummationem constitui, in hoc scientiæ plenitudinem, in hoc divitias salutis, & copias meritorum. Hæc mea sublimior Philosophia, scire Jesum, & hunc crucifixum. Nullibi enim meliùs discitur quid sit sanctitas, quid sit perfectio, quàm in vulneribus Salvatoris. Nulla efficacior est medicina ad purgandas animæ sordes, ad curanda conscientiæ vulnera, quàm Christi vulnerum meditatio. Quid tam pium fidelium affectibus, (k) tam medicinale moribus, quid sic interficit peccata, crucifigit vitia, virtutes nutrit & roborat, sicut Crucifixi memoria? Loquatur quidem Paulus inter perfectos sapientiam in mysterio absconditam, sed mihi cujus imperfectum vident etiam oculi hominum, loquatur Christum crucifixum: his quidem qui pereunt stultitiam, mihi autem & his qui salvi fiunt planè Dei virtutem, Deiquè sapientiam: mihi prorsùs altissimam atque nobilissimam Philosophiam, per quam irrideo infatuatam tam mundi quàm carnis sapientiam. O quàm perfectum me putarem, & quàm provectum in sapientia, si hujus Crucifixi idoneus inveniar auditor, qui factus est nobis à Deo non solùm sapientia, sed & justitia, & sanctificatio, & redemptio! Omninò & tu si Christi confixus es Cruci, sapiens es, justus es, sanctus es, liber es. An non sapiens est ille, qui cũ Christo exaltatus à terra, sapit & quærit quæ sursùm sunt? An non justus, in quo destructum est corpus peccati, ut ultrà non serviat peccato? An non sanctus, qui semetipsum exhibet hostiam vivam, sanctam, placentem Deo? An non verè liber, quem Filius Dei liberavit? Venit princeps hujus mundi, (l) & in Salvatore non invenit quidquam; & cùm nihilominùs innocenti manus injecit, justissimè quos tenebat amisit: quando is qui morti nihil debebat, acceptâ mortis injuriâ, jure illum qui obnoxius erat, & mortis debito, & diaboli solvit dominio.

II. *Doceamur ut his septem horis, quibus septies in die laudem dicimus Domino, memoriam Passionis eius recogitemus, juxta vulgatissimos Glossæ versiculos*.

Matutina ligat Christum. Occurrat itaque spiritualiter, (m) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, proditus & venditus à discipulo, à Judæis tanquam vile mancipium precio satis exiguo camparatus, captus, ligatus, & tractus tanquam homo sine adjutorio. Vinculum fuit funis, (n) quo ligabatur, cùm traditus esset, & caperetur. Ita enim narrat Matthæus in Evangelio: *Tunc injecerunt manus in Jesum, & vinxerunt eum*. O Rex regum & Domine dominantium, quid tibi & vinculis? Tot adeò ligaris vinculis, qui solus ligandi & solvendi potestatem habes? Sed propter misericordiam tuam ligatus es, ut nos à miseriis nostris faceres absolutos. O quàm immitia fuerunt illorum immitissimorum vincula, quibus Agnum mitissimum vinciebant! Quis enim audiat sine gemitu, [o] qualiter homicidas manus in illa hora in te Jesu bone injecerunt, & innocentes manus tuas vinculis adstringentes, te Agnum mansuetissimum nihil loquentem, adinstar latronis contumeliosè traxerunt ad victimam. Video oculis mentis te Domine Jesu, (p) tam duris nexibus adstrictum tanquam latronem trahi ad judicium Principis sacerdotum, & perhorresco, & admiror: & admirando deficerem, nisi quòd liquidè cognosco te priùs in corde charitatis nexibus fuisse constrictum, qui ad duriora sufferenda te leviter attrahere potuerunt. Gratia sit vinculis tuis bone Jesu. Ipsa enim nostra vincula tam potenter diruperunt.

Prima replet sputis. Occurrat itaque spiritualiter, (q) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, vellicatis genis, facie sputis illita. Sic enim narrat Matthæus in Evangelio: *Tunc exspuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt*. Concilio malignantium pontificum præsentatus, (r) & veritatem prout oportuit confessus, quasi de blasphemia adjudicatus est morti. Ibi conspuerunt in faciem dulcis Jesu, (s) & colaphis eum cædebant, & alapas in caput ejus certatim ministri dederunt. O amantissime Domine, (t) quanta illic indigna à propria gente pertulisti! Vultum tuum desiderabilem (in quem desiderant Angeli prospicere, qui omnes cælos adimplevit lætitiâ, quem deprecabantur omnes divites plebis,) Judæi polluti labiis suo sputo coinquinaverunt, sacrilegis manibus cæciderunt, velo in derisum operuerunt, & te Dominum universæ creaturæ tanquam servum contemptibilem colaphizaverunt: adhuc autem & Animam tuam incircumcisæ carni deglutiendam tradiderunt. Vinctum siquidem ante faciem Pilati perduxerunt, postulantes crucis supplicio te interimi qui peccatum non noveras, & virum homicidam dari sibi: agnum lupo, aurum luto postponentes. O indignum & infelix commercium! Et quidem non ignorabat impius Pilatus, per invidiam

---

g *Idem Ser. 11. in ult. Cœna num. 85.* h *Idem Ser. 22. in Cant. num. 7.* i *Cardin. Bona de Divin. Psalmod. cap. 2. num. 2.* k *Guerricus Abb. Ord. Cist. ser. 2. in Dom. Palm. nu. 1. inter Opera S. Bern. tom. 6. pag. 1187.* l *S. Bern. tract. de error. Abaelar. cap. 6. num. 15.*

m *Ser. 2. in Cœna Dom. num. 7.* n *Tract. de vite myst. cap. 4. num. 12.* o *Ser. de Pass. Dom. nu. 10.* p *Tract. de vite myst. cap. 4. nu. 12.* q *Ser. 2. in Cœna Dom. num. 7.* r *Ser. de Pass. Dom. nu. 10.* s *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 13.* t *Ser. de Pass. Dom. nu. 10. 11. & 12.*

diam hæc in te Domine fieri, nec tamen abstinuit à te temerarias manus, sed replevit Animam tuam amaritudine sine causa. Illusum recepit, in conspectu illusorum adstare te jussit: nec percepit amarissimis verberibus virgineam carnem tuam divellere, plagis plagas, livores livoribus crudeliter infligere. Novissimè autem incircumcisorum militum manibus devolutus es morte turpissima consumendus.

Causam dat Tertia mortis. Occurrat itaque spiritualiter, (u) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, scisso verberibus dorso, puncti vepribus capite, morte turpissima condemnatus. Hac enim hora tertia (x) Dominus noster spinis coronatus, Judæorum vocibus crucifixus est, juxta illud Psalmi quinquagesimisexti: *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Nam Pilato judicante illum dimitti, Judæi firmaverunt sibi sermonem nequam, pertinaciter clamando: *Crucifige, crucifige eum.* Et ille quidem iniquus judex sacrilegis Judæorum clamoribus commotus, Auctorem vitæ morte turpissima condemnavit. Jesus autem cum iniquis reputatus, Agnus sine macula sævissimæ luporum rapacitati traditus est. Tum bajulans sibi Crucem, ad locum supplicii contumeliis & blasphemiis lacessitus pervenit: ipsoquè patibulo in terra defixo, immania tormentorum genera erga ipsum Dei Filium innovata sunt. Hæc verò omnia (y) horâ tertiâ contigisse Ignatius Martyr & Athanasius observant. Et quidem non ignorabat impius Pilatus, (z) per invidiam hæc in Jesum fieri, nec tamen abstinuit ab eo temerarias manus, sed replevit Animam ejus amaritudine sine causa, dimittens Judæis Barabbam homicidam, Jesum verò innocentem tradens voluntati eorum, ut crucifigeretur. Per Sacerdotum quippè persuasionem populus dimitti Barabbam, (a) Christum verò crucifigi acclamavit, & Pilatus fieri adjudicavit. Linguis ergo non manibus ipsum crucifixerunt, sicut dicit Propheta David: *Linguas suas ut gladium acuerunt.*

Sexta Cruci nectit. Occurrat itaque spiritualiter, (b) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, terebratis palmis, pedibusquè confossis: qui tanquam jugulatori suo alludens, seipsum non reluctans exposuit, & nudum corpus quasi incudem malleatorum ictibus patienter explicuit. Hoc autem spectaculum est sextâ horâ exhibitum, (c) ac mysterium hac hora fuit impletum, quod animum meum magis percellit, commovet viscera, concutit mentem, calamum urget. Christus Dei Filius, heu quantum in hoc nomine & doloris, & sensûs! Jesus inquam Salvator mundi hac ipsa hora pro salute nostra crudeliter crucifixus est. Ita sanè congruum fuit, (d) ut quo tempore eversio facta fuit, eodem fieret reparatio. Congruum fuit, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & eâdem horâ, quâ morbus irrepserat, remedium applicaretur. Ecce Abel occisus à fratre, ecce Isaac ligatus à patre, ecce serpens æneus in deserto exaltatus à Moyse, ecce Agnus immolatus in lege, ecce Deus occisus ab homine. Ecce, ô homo, Vita tua quasi pendens ante te. Hostia scilicet pacifica, hostia pro peccatis extra templum, extra civitatem, extra castra immolatur: ut veterum victimarum figura cessante, Hostia nova novo Altari imponeretur, & Crux Christi gloriosa in conspectu totius orbis exaltaretur, ipso Domino magnæ promissionis fidem adimplente, qui dixerat: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.*

Latus ejus Nona bipertit. Occurrat itaque spiritualiter, (e) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, saucio latere, qui pro nobis per hujus vitæ pelagus ad patriam de exilio transferendis, rapacibus piratis naulum propriæ mortis exoluit. Sunt (f) qui dicant, hac hora nona ejectos esse primos parentes è paradiso, nam post meridiem ambulabat Dominus ad auram, ut perniciosam illorum transgressionem argueret: cùmquè debitam peccato pœnam imposuisset, emisit eos de paradiso voluptatis, ut qui terram prætulerant cælo, terrenis operibus occuparentur. Quàm insipientes fecit eos peccatum! Audita voce Dei absconderunt se non ferentes confusionem, gratiâ expoliati, quâ priùs vestiti erant. Mox enim ut intravit peccatum, simul eos invasit erubescentia, clamante conscientia, & reos accusante, durisquè flagellis puniente. Deus autem misericors & miserator, cujus bonitatis infinitus est thesaurus, ante durissimi exilii, mortisquè corporalis sententiam Redemptorem miseris promisit: qui, ut effectus promissioni & merito conveniret & tempore, circa finem diei Protoparentibus promissus, circa finem sæculi missus in mundum, horâ item nonâ crudelissima morte exivit è mundo. Hæc potissima ratio est, ob quam ad horæ nonæ celebranda mysteria non sine lachrymis & singultibus convenire debemus. Hac enim hora Dominus Jesus exclamans voce magna emisit spiritum. Tunc extensis in Cruce manibus damnatam in primo homine posteritatem ad esum ligni vitæ secundus homo revocavit. Tunc Passio Domini passiones nostras evicit, & singularis misericordia reatum primæ prævaricationis absolvit. *Proprio scilicet Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: ut si eum amare superba mens nostra detractabat, saltem amori tam singulari dilectionem rependere non neget.

Vespera deponit. Occurrat itaque spiritualiter, (g) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Jesus: cōsideremus quomodo corpus ejus exanime deponitur de Cruce. Sustinet enim adhuc, (h) & diligenter considerat si quis sit qui simul contristetur: si quem inveniat, qui Sanguinis rivos abstergat, & de cruce depositum Corpus suum munda sindone non panni sed cordis involuat, & flens cum beatis mulieribus ad tumulum prosequatur. Vespera tunc erat, (i) cùm è Cruce depositus, & afflictissimæ Matris sinu exceptus dolorem ipsius innovavit, cùm Angeli pacis

u *Ser. 2. in Cæna Dom. num. 7.* x *Card. Bona libr. de Divina Psalmod. cap. 7. §. 1. num. 1. ex Ruperto Abb. lib. 1. de Div. Off. cap. 3.* y *Idem Card. ibid. citat Ignatii Epist. ad Trallian., & Athan. lib. de Virginit.* z *S. Bern. ser. de Pass. Dom. num. 11.* a *Ser. in fer. 2. Paschæ num. 23. tom. 6. pag. 723.* b *Ser. 2. in Cæna Dom. num. 7.* c *Card. Bona libr. de Div. Psalmod. cap. 8. §. 3. nu. 3.* d *Cyrill. Hierosol. cap. 14. ab eodem Card. relat. ibid.*

e *S. Bern. Ser. 2. in Cæna Dom. num. 7.* f *Moses Barc. par. 1. de Paradiso cap. 28. relatus à Card. Bona lib. de Div. Psalmod. cap. 9. §. 2. num. 2.* g *S. Bern. ser. 2. in Cæna Dom. num. 7.* h *Tract. de vita myst. cap. 4. nu. 16.* i *Card. Bona lib. de Div. Psalmod. cap. 10. §. 4. nu. 2.*

pacis ad obsequiū Reginæ suæ circumstantes amarè flebant. Quis hîc gemitus (k) lachrymasquè contineat? Quis hîc non doleat? Quia si est piū congaudere pio Jesu, ita est pium flere pium Jesum. Venite quæso, (l) & condolete ei omnes, qui gaudere desideratis in Domino. Attendite manu fortem nostrum, quomodò contritus est: desiderabilem nostrum, quomodò miserabiliter deformatus est: pacificum nostrum, quomodò in bello peremptus est. Vacate & videte quàm amarâ, quàm turpi morte condemnatus est. Agnosce ô homo, (m) quàm gravia sunt vulnera animæ tuæ, pro quibus necesse fuit Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Proinde (n) recole frequentiùs Salutem mundi pro te passam, Vitam pro te mortuam, Fortitudinem infirmatam. Si membrum Christi es, compatire Capiti tuo: si frater Christi es, commorere Fratri tuo. Plange, dole cum gemitu & lachrymis super mortē pretiosam Unigeniti Dei Patris. Et dic: Fletus deducite oculi mei, [o] & liquesce anima mea igne compassionis super contritione amabilis Jesu, quem in tanta amaritudine tot vides affectum doloribus. O dulcissime [p] & amantissime Jesu, quis te usque ad hæc non solùm dirissima, sed etiam turpissima vulnera patienda pertraxit? quis te tam amaræ & tam odiosæ morti addixit? Vulnerum utique antiquorum nostrorum unica mors Salvator.

Tumulo Completa reponit. Occurrat itaque spiritúaliter, (q) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Jesus, quomodò corpus ejus reponitur in sepulchro. Hac quippè hora [r] Dominicæ sepulturæ memoria celebratur. Corpus enim Christi è cruce depositum in monumento positum est, non corruptioni obnoxium, sed ad immortalitatem resurrecturum. Quiescamus suaviter in hoc Sepulchro, quicunque Christi passionibus communicamus. Maneamus in eo securi, nam futurum illud gloriosum Propheta Isaias prædixit. Quiescamus inquam & nos, & moriamur cum eo, ea scilicet morte, de qua psallimus. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*: ut consepulti cum Christo ingrediamur in abundantia sepulchrum. Hæc mors perducit nos ad vitam, quæ nonnisi mortua carne cognoscitur, sicut scriptum est: *Non videbit me homo, & vivet*. In patibulo Sextâ feriâ (s) redemit hominem, ipsa die qua fecerat hominem initio: sequenti die sabbatizavit in monumento, consummato opere quod susceperat. Tertia verò die, quæ prima dierum est, primitiæ dormientium apparuit mortis victor novus Homo. Ita & nos quicunque sequimur Caput Christum nostrum, tota die hac qua plasmati & redempti sumus, non cessemus tollere crucem nostram, perseverantes in ea sicut ipse perseveravit, & donec dicat Spiritus ut requiescamus à laboribus nostris. Persistamus in cruce, moriamur in cruce: deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. Caput Christum nostrum deposuêre viri justi: nos verò dignatione sua Angeli sancti deponant, ut consummata viriliter die crucis, secundâ quæ post mortem est die quiescamus suaviter, dormiamus feliciter in sepulchris: expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, qui resuscitabit corpora nostra tertia demùm die, configurata Corpori claritatis suæ.

III. *Proponitur nobis pia exercitatio erga Christum crucifixum, desumpta ex Horologio Ascetico Eminentissimi Cardinalis Bona Ordinis Cisterciensis, cap. 5. §. 9.*

Montibus Hannoniæ parvus libellus impressus est anno 1634. praxim quandam continens spiritualis exercitationis erga Christum crucifixum, qua pius quidam Dei Servus utebatur. Est autem hujusmodi *tenoris*:

1. Habebat hic in cubiculo suo Christi è Cruce pendentis affabrè factam Imaginem opere anaglyptico, quam semel in mense nudis pedibus maxima humilitate adorabat, fidelitatis juramentum ei præstans: dequè omni quod erat, quod poterat, quod habebat, homagium illi faciebat, petens, ut sibi tanquam servo emptitio ejus pedes exosculari liceret. Singulis verò Sextis feriis ipsum cum universa familia adorabat, sicut solet Ecclesia feriâ Sextâ majoris hebdomadæ.

2. Cùm aliqua tentatione vexabatur, ad ipsum confugiebat: & si foris fuisset, anima ejus ad pedes ipsius volabat, & in sacris ipsorum vulneribus se abscondebat. Cùm verò è cubiculo egrediebatur, in una plagarum animam suam relinquebat: & si alicubi inutilia audiebat colloquia, in nidulo suo colligebat se, mente Crucifixum adorans, & dulcia cum eo miscens colloquia. Quòd si domi tentabatur, Crucifixum arripiens eo seipsum signabat, eumquè amplectabatur, sicut infans terrore correptus ad matrem vel nutricem fugit. Deinde dicebat sibi: *In hoc signo vinces*. Et ad diabolum: *Ecce signum Crucis Domini nostri Jesu Christi, fugite partes adversæ, vicit leo de tribu Juda, radix David*.

3. Si aliquando tentationi succumbens culpam aliquam admisisset, concito gressu ad Crucifixum properabat, sequè accusabat ante tribunal justitiæ ejus, & quasi ex ore Domini sententiam suæ damnationis proferri audiret, se humi prosternebat, atque illicò pænitentiam sibi inspiratam faciebat. Interdùm etiam graviora sua peccata scribebat, & ad pedes Salvatoris ferebat, ut pretioso suo Sanguine ea deleret. Suo item cordi cor saucium JESU Christi aliquando applicabat, manibus manus, pedibus pedes, ut à fonte totius sanctitatis remedium acciperet suarum necessitatum.

4. In omnibus dubiis ac difficultatibus suis consilium ab eo petere solebat, dicens: *Loquere Domine, quia audit servus tuus*. Quoties aliquid composuerat, ad pedes ejus ferebat, inquiens: *Tua est hæc doctrina*

k S. Bern. tract. de vite myst. cap. 4. nu. 15. l Ibid. cap. 5. nu. 27. m Ser. 3. in Nat. Dom. nu. 4. n Ser. de excellen. SS. Sacramen. nu. 6. o Ser. de Pass. Dom. num. 14. p Tract. de vite myst. cap. 5. nu. 24. q Ser. 2. in Cœna Dom. num. 4. r Card. Bona libro de Div. Psalmod. cap. 11. §. 2. num. 2. s S. Bern. Ser. 1. in die Paschæ num. 8.

ctrina Domine, tu mihi eam dictâsti: corrige hac scripta, & omnis eorum laus tua sit. In desolationibus ad eum recurrebat sēper, dicens: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Confugiebat ad eundē in ariditatibus, & dicebat: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi, velociter exaudi me Dòmine.* Cùm ægrotabat, subinde ad ipsum respiciebat, æstimans se felicem quòd aliquid pro illo pateretur. Porrò scribebat illi epistolas plenas amore, omnemquè statum suum internum ei revelabat, & consilium ab eo petebat. Serto florum eum coronabat, accipiens sibi spineam coronam. Erant autem flores, diversæ de seipso victoriæ, actusquè virtutum, quos illi offerebat serò post examen conscientiæ: spinæ verò erant mortificationes.

5. Vocatus ad aliquam conversationem, ponebat Crucifixum super os, oculos, & aures, dicens: *Pone te Domine, sicut seram ori meo; sicut sepem spinarum auribus meis, & aliis sensibus, ut nihil intret in cor meum, quod displiceat cordi tuo.* Quòd si in illa conversatione aliquo modo deliquisset, pœnam imponebat ori suo, ne sacra vulnera oscularetur: oculis, ne in faciem ejus respicerent: linguę, ne coram eo loqui præsumeret usque ad certum tempus, donec crederet culpam esse expiatam. Semper eum præsentem habere conabatur, cupiens mori cum eo in Cruce. Omnes actiones suas actionibus ejus conformare satagebat: ipsumquè jugiter precabatur, ut inter brachia sua, & cor apertum reciperet spiritum suum. Hæc & alia obsequia erga Christum crucifixum præfatus Dei Servus præstabat: sed ista duntaxat è multis excerpsi, quæ ad exemplum & imitationem sufficere possunt. Amor autem, & Spiritus Domini Jesu se devotè exercitanti plura suggerent. Ipse enim Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, ipse postulat pro nobis, & facienti quod in se est, vires & robur subministrat.

IV. *Proponitur nobis Oratio ad quinque vulnera Christi, excerpta ex Horologio Ascetico ejusdem Cardinalis Bona, cap. 5. §. 24.*

1. Salve vulnus benedictum dexteræ manus Domini mei JESU Christi crucifixi, pro mea & omnium hominum salute roseo stillans cruore. Protege me Domine dexterâ tuâ, ne quando dicat inimicus meus, *Prævalui adversùs eum,* quem tu Sanguine tuo redemisti. Deducat me mirabiliter dextera tua, ut omnes cogitationes meæ & sermones mei semper rectâ viâ tendāt, & dirigātur ad te utpotè scopum & finem meum. Da mihi gestare semper ardentem lampadem, oleo charitatis instructam, ut dignus habear, qui tecum ad cœlestes nuptias intromittar: & ut, cùm sæculum judicaturus veneris, ad dexteram tuam constitutus audire merear cum electis tuis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum paratum vobis à constitutione mundi.* Amen.

2. Salve beatificum vulnus sinistræ manus Salvatoris mei Iesu Christi, pretiosissimo ejus Sanguine purpuratum. Manu tua forti & bracchio excelso ad nihilum redige Domine, quidquid sinistrum & perversum moliuntur adversùm me, qui cogitant mihi mala. Comprime vires hostium, qui quærunt animam meam. Tuere me, & adesto mihi in omnibus adversitatibus & tribulationibus meis. Dic animæ meæ, *Salus tua ego sum*: ut de manu inimicorum meorum liberatus, in sanctitate & justitia serviam tibi omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

3. Salve gloriosum vulnus dextri pedis Domini mei Iesu Christi, Sanguine Agni immaculati conspersum. Perfice Domine pedes meos tanquam cervorum, ut indefesso cursu per viam mandatorum tuorum incedam, eaquè semper exquiram, quæ placita sunt tuæ divinæ voluntati. Dirige gressus meos in virtutem, donec videam Deum deorum Syon. Lucerna pedibus meis sit verbum tuum, & lumen semitis meis, ut etiam proximis lucis exempla præbeam, quatenùs tu Deus meus in omnibus & ante omnia glorificeris, nunc & in æternum. Amen.

4. Salve venerabile vulnus sinistri pedis Christi Sanguine madefactum. Evelle Domine pedes meos à laqueo, quem statuerunt mihi inimici mei. Custodi animam meam à lapsu, ne fiam hostibus meis in prædam. Non veniat mihi pes superbiæ, sed in simplicitate cordis mei incedam coram te omni tempore. Edoce me vias tuas, ut sciam quid acceptum sit coram te, & opere compleam universa quæ præcepisti mihi. Amen.

5. Salve vulnus saluberrimum cordis JESU Christi crudeli cuspide inflictum, è quo Sanguis & aqua copiosè emanàrunt in ablutionem peccatorum nostrorum. Vulnera cor meum Domine amoris tui jaculo, ut te in omnibus & super omnia colat: tequè & proximum propter te ferventi semper amore prosequatur. Munda me purissimo Sanguine & aquâ salutari, ut ab omni labe emundatus, te Deum Salvatorem meum, quem soli mundo corde videbunt, in omni æternitate merear contemplari. Amen.

§. XXIV.

Afferuntur variæ causæ, quibus excitamur ad recolendam Passionem Christi.

Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem. *Hebr.* 12.

I. MEditatio passionis Dominicæ, *est incitamentum ad amandum Christum Deum nostrum Redemptorem.* Quid enim efficacius potest esse, (a) quàm jugis recordatio passionis ejus, per quam apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei? Super omnia Christum Jesum passio sua nobis amabilem facit: ipsa enim propitiata est omnibus iniquitatibus nostris. Super omnia, inqam, (b) reddit nobis amabilem Jesum bonum calix quem bibit, opus scilicet redemptionis nostræ. Hoc omninò amorem nostrum facilè vendicat totum sibi. Hoc inquam est opus, quod nostrā devotionem & blandiùs allicit, & justiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs. Et verè (c) in nullo sic commendat Deus charitatem suam, quomodo in mysterio passionis suæ: in nullo sic

a S. Bern. lib. 3. de amore Dei cap. 26. num. 88. b ser. 20. in Cant. num. 2. c ser. 29. div. nu. 3.

sic revelatur ejus pietas, in nullo sic apparet ejus benignitas, quomodo in humanitate, Apostolo teste qui ait: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*. Et ideò (d) hoc repletum amore cor humanum, nihil libentiùs, nihil legit studiosiùs, nihil frequentiùs recolit, nihil suaviùs meditatur, quàm passionem Dominicam. Judæus sanè, (e) sive paganus nequaquam talibus aculeis incitatur amoris, quales Ecclesia experitur, quæ ait: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Cernit cæsum & consputum Dominum majestatis. Cernit Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua Synagoga. Cernit Unicum Patris crucem sibi bajulantem. Cernit auctorem vitæ & gloriæ confixum clavis, percussum lanceâ, opprobriis saturatum: cernit tandem illam dilectam Animam suam ponere pro amicis suis. Cernit hæc, & suam magis ipsius animam gladius amoris transverberat, & dicit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Hæc mala, (f) hi flores, quibus sponsa Ecclesia se interim stipari postulat & fulciri, credo sentiens facilè vim in se amoris posse tepescere & languescere quodammodò, si non talibus jugiter foveatur incentivis. Sit ergo (g) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

II. *Meditatio passionis Dominicæ excitat zelum acquirendi animas Christo Deo nostro*. Hoc siquidem habet (h) vera & casta contemplatio passionis Dominicæ, ut mentem, quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdùm repleat zelo & desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant, ut ocium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat: & rursùm potita votis, aliquatenùs in hac parte tantò ardentiùs redeat in idipsum, quantò se fructuosiùs intermisisse meminerit: & item sumpto contemplationis gustu, valentiùs ad conquirenda lucra solitâ alacritate recurrat. Meditatio passionis Christi (i) replet ubera matrum spiritualium: & ideò inter ubera mea commorabitur. Tantæ nempè efficaciæ (k) osculum sanctum est, ut ex ipso mox cùm acceperit illud sponsa concipiat, tumescentibus nimirùm uberibus, & lacte quasi pinguescentibus in testimonium. Quibus studium est orare frequenter, experti sunt quod dico. Sæpè corde tepido & arido accedimus ad meditationem: persistentibus autem repentè infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera inundatio pietatis; & si sit qui premat lac conceptæ dulcedinis, ubertim fundere non tardabũt. Sed demus (l) & sodalibus ista depromere. Aliud siquidẽ est quod unius lætificat cor hominis, & aliud quod ędificat multos. Nã etsi Rachel formosior, sed Lya fœcundior est. Tu quoque si sapis (m) imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit Christus Dominus, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens, quo possis dicere & tu: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Sit tibi Iesus semper in corde, (n) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua.

III. *Meditatio passionis Dominicæ est fons omnium bonorum*. Continentia carnis, [o] cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non solùm autem, sed & si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Inde scientiæ & sapientiæ sermo manat. Thesauri siquidẽ sapientię & scientiæ omnes ibi abscõditi sunt. Quid casta consilia, justa judicia, sancta desideria, nonne rivuli fontis illius sunt? Quid æquè (p) mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? Quid denique (q) tam efficax est ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerũ sedula meditatio? Hæc est sola, (r) quæ ad omnia valet. Et primùm quidem ipsum fontem suum, id est mentem de qua oritur, purificat. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat. Hæc est sola, (s) quæ humectat interiora arẽtis cõscientiæ, escas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra: fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansquè charitatem, & impinguans mores. Passio Christi (t) ultimum est refugium, singulare remedium. Proinde (u) accedendum est mente ad cor Jesu crucifixi per januam lateris lanceati. Ibi enim thesaurus ineffabilis desiderabilis charitatis latet, ibi nova devotio invenitur: inde lachrymarum gratia extrahitur: ibi discitur mansuetudo & patientia in adversis, compassio in afflictis. Ibi quoq; remediũ vulnerũ, (x) ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum, ibi profectuum copiæ inveniuntur: ibi deniq; quidquid accipere vel habere hominibus expedit, quidquid decet, quidquid oportet, reperitur. Sit ergo (y) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

IV. *Meditatio passionis Dominicæ est medicina animæ vulneratæ*. Si enim intelleximus (z) fossam esse humum illam quæ ait, *Foderunt manus meas & pedes meos*: non erit ambigendum de sanitate in ea citiùs adipiscenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur. Quid enim tam efficax potest esse ad curanda conscientiæ vulnera, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? Hæc est dulcissima medicina, (a) quæ morbum omnem expellit, vires atque virtutes non habenti acquirit: quæ non solùm sanat ægrotos, sed etiam vivificat mortuos. Mihi meus auditor credat, imò mihi credat crucis amator, quòd jam non lædetur à morte secunda, si in hac vita usus fuerit tali medicina. Mirabilis est passio Domini Iesu,

d *Ser. 20. in Cant. num. 7.* e *Tract. de dilig. Deo cap. 3. num. 7.* f *Ibid. num. 10.* g *Ser. 1. de verb. Esai. num. 2.* h *Ser. 57. in Cant. num. 9.* i *Ser. 43. in Cant. num. 4.* k *Ser. 9. in Cant. num. 7.* l *Ibid. num. 8.* m *Ser. 43. in Cant. nu. 2.*

n *Ex formula honestæ vitæ nu. 2. tom. 6. pag. 1034.* o *Ser. 23. in Cant. nu. 1.* p *Ser. 15. in Cant. nu. 6.* q *Ser. 62. in Cant. nu. 7.* r *Lib. 1. de consid. ad Eugen. Papam cap. 7.* s *Ser. 13. in Cant. nu. 6.* t *Ser. 22. in Cant. nu. 9.* u *Tract. de vite myst. cap. 41. nu. 169.* x *Ser. 26. in Cant. nu. 3.* y *Ser. 1. de verb. Esai. nu. 2.* z *Ser. 62. in Cant. nu. 7.* a *Ser 11. in ult. cœna nu. 65.*

ſu, (b) quæ paſſiones omnium noſtrûm propulſavit: propitiata eſt omnibus iniquitatibus noſtris, & nulli unquam peſti noſtræ invenitur ineſſicax. Quid enim tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſalvetur? Si ergo (c) in mentem venerit tam potens tamquè efficax medicamentum, nullâ jam poſſum morbi malignitate terreri. Nihil enim ita iræ impetum cohibet, [d] ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat livoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem, ſicut Chriſti vulnerum ſedula meditatio. Siquidem cùm recogito Jeſum crucifixum, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum, eundemquè ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adjutorio. Itaque cùm defecerit virtus mea, [e] non conturbor, non diffido, ſcio quid faciam: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Hoc eſt: [f] Monumēta Paſſionis ſuę intra animę meæ ſinum, & intra memoriæ meæ cellas ſemper revolvam. Aſpiciam Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua. Aſpiciam eum ligatum, flagellatum, conſputum, ſaturatum opprobriis, clavisquè confixum. Aſpiciam in hujus exilii deſerto Serpentem æneum ſuper columnam Crucis exaltatum, ut ſerpentes qui me mordent, moriantur: quia nullus qui credit in eum peribit, ſed habebit vitam æternam. Hæc & alia patientis ac morientis Domini mei memorialia, memoriæ meæ arctiùs commendabo, & ad os cogitationis revocans ruminabo diutiùs, ut impinguer devotiùs.

V. *Meditatio paſſionis Dominicæ eſt refectio animæ Chriſtianæ*. Novit quicunque rectè ſapit, [g] quantum Chriſtianæ pietati expediat, quantum Dei ſervum deceat ſacroſanctæ Paſſionis ipſius fideliùs recolere beneficia, ad fruendum ſuaviter in conſcientia, ad recondendum pleniùs per imitationem in memoria: quod eſt ſpiritualiter manducare Corpus Domini, & Sanguinem ejus bibere, ob amorem & reverentiam ejus, qui credentibus in ſe præcipit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. Item [h] quotidiè nobis de memoria Paſſionis in Eccleſia replicatur: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*. Ac ſi diceret: Qui recolit mortem meam, & exemplo meo mortificat membra ſua quæ ſunt ſuper terram, habet vitam æternam. Hoc eſt: Si compatimini, & conregnabitis. Quoties ergo in cōmemorationem ejus qui pro te paſſus eſt, (i) piè ac fideliter Chriſtum imitando fueris affectus & devotus, toties Corpus ejus manducas, & Sanguinem ejus bibis: & quamdiù in eo manes per amorem, ipſe verò in te per juſtitiæ & ſanctitatis operationem, in ejus Corpore & in membris ejus computaberis. Propheta etiam David (k) dicit: *Memoriam abundantiæ ſuavitatis eructabunt*. O ſummè pia & verè ſuavis memoria, annunciate mortem Domini donec veniat. Habeamus ergo [l] eorum quæ contemptibilia Chriſto ſunt illata, continuam & indeſinentem memoriam: non utique ocioſam, non tepidam, non torpentem, ſed compaſſionis ardore ſuper omnia plurimùm delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem. Unde idem Propheta inquit: *Delectare in Domino*, ut ſpreta mundi vitiorum omnium jucunditate ſuavior ejus recordatio ſit: *& dabit tibi petitiones cordis tui*, non carnis. Foderunt manus ejus & pedes, (m) latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleumquè de ſaxo duriſſimo, id eſt guſtare & videre quoniam ſuavis eſt Dominus. Sit tibi quoque Jeſus ſemper in corde, [n] & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi ſit cibus & potus, dulcedo & conſolatio tua, mel tuum & deſiderium, lectio & meditatio tua.

VI. *Meditatio paſſionis Dominicæ omnia amara illa quæ patimur, dulcorat*. Siquidem Chriſtus Dominus pro peccatis noſtris crucifixus, (o) crucem amaram ſuis amatoribus dulcoravit. Quid enim tam amarum poteſt eſſe, (p) quod in recordatione vivificæ Paſſionis non poſſit dulceſcere? Certè legimus Hebræos cùm exiſſent de Ægypto, veniſſe ad aquam amariſſimam, quam nullus guſtare poterat: cui cum Moyſes lignum injeciſſet, dulcorata eſt, ſic ut eam delectabiliter biberent. Quid apertiùs per aquam amaram quàm cujuslibet adverſitatis amaritudo ſignatur? cui cùm lignum crucis inijcitur, id eſt, cùm paſſio dulcis Jeſu conſideratur, neceſſe eſt omnem paſſionem hominis levem videri reſpectu paſſionis Dominicæ. Inde martyrii tolerantia, (q) inde Martyri magna fiducia apud Deum Altiſſimum. Non eſt quod vereatur Martyr exanguem lividamquè levare ad eum faciem, cujus livore ſanatus eſt. Quid vereatur cui etiam à Domino dicitur: *Oſtende mihi faciem tuam*? Vult benignus Dux devoti militis vultum & oculos in ſua ſuſtolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſui reddat ad tolerandum fortiorem. Deinde (r) quid mirum ſi cruci ſuavitatem dedit, qui dedit & igni? aut quomodò crux judicatur inſipida, ubi dulce ſapit & flamma? Quid enim ſapiebat Laurentio ignis, cùm irrideret carnifices, judicem ſubſannaret dicens: *Aſſatum eſt jam, verſa, & manduca*? Quid nos ad iſta dicemus, Fratres, quòd non ſapit etiam nobis tribulatio quæ pro Chriſto eſt, nec guſtamus & nos manna abſconditum? Mementote (s) quia accepit eum Simeon in ulnis ſuis, Maria geſtavit in utero, fovit in gremio, ſponſa ſibi inter ubera collocavit. Hi omnes ante ſe eum habuerunt, & nullus retrò. Exemplo ergo ſint vobis, ut & vos ſimiliter faciatis. Habete illum ſemper non retrò in humeris, ſed ante præ oculis: ne portantes & non adorantes, & onus premat, & odor non erigat. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes anguſtias Domini, leviùs veſtras portabitis. Sit meditatio noſtra Chriſtus, (t) & hic crucifixus: quia ſi com-

b *ſer. in fer. 4. hebd. ſan. nu. 1.* c *ſer. 61. in Cant. nu. 3.* d *ſer. 75. in Cant. nu. 6. & 7.* e *ſer. 22. in Cant. nu. 9.* f *ſer. de verb. Iſa. num. 5. tom. 6. pag. 770.* g *ſer. 2. in cœna Dom. nu. 9.* h *Tract. de diligen. Deo cap. 4. nu. 11.* i *ſer. 2. in cœna Dom. nu. 9.* k *ſer. de excell. S S. Sacram. nu. 6.*

l *ſer. 2. in cœna Dom. nu. 9.* m *ſer. 61. in Cant. nu. 4.* n *Ex formula bon. vit. nu. 2.* o *ſer. de Paſſ. Dom. nu. 1.* p *Tract. de vita myſt. cap. 44. nu. 171.* q *ſer. 61. in Cant. nu. 7.* r *ſer. 1. de S. Andrea nu. 2.* s *ſer. 43. in Cant. nu. 5.* t *ſer. 1. de verb. Eſai n. 2.*

patimur, & conregnabimus. Ipsum ponamus signaculum super cor, signaculum super brachiū nostrum.

VII. *Meditatio passionis Dominicæ est sublimis philosophia Christianorum*. Hæc est enim, (u) quæ divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Quam utique scientiam (x) haud facilè nisi qui mundo crucifixus fuerit, apprehendit. Porrò (y) ad discendam hanc scientiam opus est potiùs intima compunctione, quàm profunda investigatione: suspiriis, quàm argumentis: crebris lamentationibus, quàm copiosis argumentationibus: lachrymis, quàm sententiis: meditatione, quàm lectione. Meditatio ruminat livores vulnerum Christi, (z) fixuras clavorum, acetum & lanceam, persecutorum sævitiam, mortem turpissimam, Corpris sepulturam. Quid horum non verè, (a) non piè, non sanctè cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito, & per omnia est Deus meus. Hæc ego meditari dixi sapientiam, & prudentiam judicavi eructare memoriam suavitatis. Memoriam abundantiæ suavitatis horum eructabo (b) quoad vixero. In æternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum. Recordabor quamdiu fuero, (c) dolorum Christi, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumquè similium, quæ per eum & super eum abundantiùs transierunt. Et propterea non fascem, (d) sed fasciculum dilectum dicit sponsa: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Hoc est: Sufficit mihi, nolo jam scire nisi Iesum, & hunc crucifixum. Tu quoq; si sapis, [e] imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens, quo possis dicere & tu: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Et ego ab ineunte mea conversione, (f) pro acervo meritorum quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Hæc meditari dixi sapientiam: in his mihi plenitudinem scientiæ constitui. Hæc mea sublimior interim philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum: & ideò inter ubera mea commorabitur. Hunc & vos, dilectissimi, (g) tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur. Sit meditatio nostra Christus, [h] & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

VIII. *Meditatio passionis Dominicæ elicit gratiam compunctionis*. Quoties enim (i) in contemplatione Dominicæ passionis suspendimur, toties ex recordatione tantæ admiratinnis in oratione compungimur. Meditatio ruminat livores vulnerum, fixuras clavorum, acetum & lanceam. Oratio fundit suspira, piæ devotionis stillat aromata, tota resolvitur in lamenta. Proinde (k) videre est homines sic affectos erga hujusmodi passionem Christi, ut vix sine lachrymis audiant vel recordentur. Qui enim Christo passo piè compatitur, (l) facilè compungitur, & movetur ad memoriam horum quæ pertulit: atque istius devotionis suavitate pascitur, & confortatur ad quæque salubria, honesta, & pia. Et ideò (m) accedendū est ad manus & pedes ejus perfossos, sanguineis manantes guttis: undelibet quærēda est devotio, & gratia lachrymosæ compunctionis: utrinq, cōsiderandum est, quàm immites fixuræ clavorum, quàm amara venarū ossiumquè perfractio in manibus & pedibus Iesu Christi. Tandem accedendum est ad cor ejus (n) per januam lateris lanceati: ibi præcipuè cor contritum & humiliatum invenitur. Ibi avidissimè prælibantur (o) incomparabiles deliciæ charitatis: & succisis spinis ac vepribus quibus antea pungebatur, unctione misericordiæ perfusus animus in conscientia bona requiescit. O quàm felix eris, (p) si postquàm intra vulnera Crucifixi fueris intromissus, ab hujus mundi strepitu per dimidiam saltem horam valeas omninò liberari, & soli ei ad quem introisti vacans, gustare possis quàm dulcis est Dominus. Cæterùm ut validiùs compungamur, [q] & ampliùs moveamur, revoluamus connectendo fasciculum de omnibus & singulis, quæ facta referuntur de Redemptore nostro piissimo. Occurrat itaque spiritualiter, & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, proditus & venditus à discipulo, à Iudæis tanquam vile mancipium pretio satis exiguo comparatus: captus, ligatus, & tractus tanquam homo sine adjutorio: scisso etiam verberibus dorso, vellicatis genis, facie sputis illita, puncto vepribus capite, saucio latere, terebratis palmis, pedibusquè confossis. Quis tam irreligiosus (r) qui non compungatur? quis tam insolens ut non humilietur? quis tam iracundus ut non indulgeat? quis tam deliciosus ut non abstineat? quis tam flagitiosus ut non contineat? quis tam malitiosus ut non pœniteat, recogitans passionem Dominicam? Sit ergo (s) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

IX. *Meditatio passionis Dominicæ purificat mentem, reprimitquè vitia*. Quid enim potest esse (t) tam efficax ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? Verè nihil est, (u) quod ita ab omnium vitiorum impulsu & cogitatione mentem nostram purificet, & in puritate conservet, sicut jugis memoria passionis Domini Iesu. Colligamus ergo nobis (x) ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini nostri talem memoriam, ut stigmata ejus in memoria jugiter retinentes, mundemur ab omni delicto, & in bonis operibus jugiter per humilitatis custodiam conservemur. Hoc tamen sciendum est, (y) quòd cogitatio quantumlibet immunda mentem non polluit, cui ratio non consentit. Quis enim cogitationes suas ita refrænare potest, ut non qualibet immunditia titilletur? Sed conti-

u *lib. 1. de Considerat. ad Eugen. cap. 7.* x *Epist. 108. num. 2.* y *Tract. de interiori domo cap. 41. nu. 93.* z *ser. in fer. 2. Pasche n. 2.* a *ser. 2. de Virg. Deip. n. 11.* b *ser. 43. in Cant. nu. 3.* c *ser. in fer. 4. hebd. san. nu. 11.* d *ser. 45. in Cant. nu. 3.* e *ser. 43. in Cant. nu. 2.* f *Ibid. nu. 3. & 4.* g *Ibid. nu. 5.* h *ser. de verb. Esai. nu. 2.* i *ser. in fer. 2. Pasche nu. 2.*

k *ser. 29. div. nu. 4.* l *ser. 20 in Cant. nu. 9.* m *Tract. de vite myst. cap. 44. nu. 168.* n *Ibid. nu. 169.* o *Tract. de convers. ad Clericos cap. 13. nu. 25.* p *Tract. de vite myst. cap. 44. nu. 168.* q *ser. 2. in cœna Dom. nu. 7.* r *ser. in fer. 4. hebd. san. nu. 1.* s *ser. 1. de verb. Esai. nu. 2.* t *ser. 62. in Cant. nu. 7.* u *Tract. de vite myst. cap. 44. nu. 171.* x *Ibidem nu. 172.* y *Ibid. cap. 19. n. 76.*

continuò talium cogitationum insultus sunt reprimendi: ut unde sperabat se hostis vincere, per hoc magis victus abscedat. Quod ita fit: quoties pravis & immundis cogitationibus attacti statim ad passionis Dominicæ recordationem confugimus, toties suo telo in bello fortes effecti hostem ferimus. Nihil proficiet inimicus in eo, (z) quem crux Christi delectat, si carnalem suggesserit delectationem. Astat oranti sacra imago Hominis Dei morientis, (a) vel stringat necesse est animum in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fuget illecebras, desideria sedet. Si autem quandoque (b) importunis carnis nostræ clamoribus ad curam carnis in desideriis peragendam revocemur, anxietates Christi crucisque supplicium ponamus præ oculis, & confestim ipsa nos docebit experientia, quid senserit Apostolus cùm dixit: *Verbum crucis his qui salvi fiunt, virtus Dei est.* Et, *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.* Quare? Quia sicut fluit cera à facie ignis, sic pereunt omnes immunditiæ à facie Crucis. Dei siquidem infirmitas, nostra est fortitudo. Sit ergo (c) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

X. *Meditatio passionis Dominicæ est singulare remedium contra tentationes.* Dæmonum officium est, (d) suggestiones malas ingerere: nostrum est, illis non consentire. Nam quoties resistimus, toties diabolum superamus, Angelos lætificamus, Deum honorificamus. Ipse enim nos hortatur ut pugnemus, adjuvat ut vincamus: certantes in bello spectat, deficientes sublevat, vincentes coronat. Cæterùm (e) respiciamus in faciem Serpentis ænei, Christi in cruce suspensi, si volumus à pravorum dæmonum suggestionibus liberari. Respicere autem est tendere fide in ipsum: quod non infirma, sed forti & perfecta fide completur. Et quoties alicujus serpentinæ tentationis morsu nos cognoverimus esse vulneratos, toties ad Crucifixum curramus, & ad thronum Crucis quandoquè ignominiæ, nunc autem summæ gloriæ accedamus: & fide, spe, & charitate liberatorem piissimum intendentes, per mortem nostri Serpentis (qui mortem antiqui serpentis occidit) à serpentum morsibus petamus liberari. Gravis equidem (f) nobis est inimici tentatio: sed longè gravior est illi meditatio & oratio nostra. Meditatione (g) agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione evadimus, præstante Domino nostro Iesu Christo. Si tentationum sentis aculeos, (h) exaltatum in ligno Serpentem æneum intuere: & suge non tam vulnera, quàm ubera Crucifixi. Porrò quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, (i) & ad illicitam delectationem affici: toties pone ante mentis tuæ oculos, quomodo Christus in cruce crucifixus est pro te. Præterea increpa te, & dic: *Ita Redemptor meus moritur pro me, & ego nescio cujusmodi sordida cogitatione sordidor in mente.* Sufficere posset hæc cogitatio ad excludendas omnes illicitas cogitationes, sed ecce ad alia adhuc transeamus. Si fortè luxuriæ te pompa concusserit, (k) recordare dilectum tuum Iesum positum in doloribus, & universum stratum suum versatum in infirmitate ejus, hæc dicens in corde tuo: *Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* Sicquè invocato nomine Salvatoris, ingeminando sæpè Nomen salutis, cessabit tandem Deo succurrente quassatio. Sit tibi itaque Iesus semper in corde, (l) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua.

§. XXV.

De multiplici fructu meditationis passionis Dominicæ.

Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. *S. Paul. Rom. 6.*

I. F*ructus meditationis nostræ est Christus crucifixus.* Seminavit vetus homo in carne, (a) messuit postmodùm corruptionem, nimirùm passionem Christi. Nisi enim vetus homo transgrederetur, novus non pateretur. Quàm multi Reges (b) & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt: audire, & non audierunt. Ipsi laboraverunt, & ego in labores eorum introivi. Ego messui myrrham quam illi plantaverunt. Mihi hic salutaris fasciculus servatus est. Nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. Omnium nempè temporum, (c) quæ sub conversatione veteris hominis transegimus, fructus noster est passio Christi, cui debemus configurari, mortificationem circumferentes in carne nostra mortali. Quem utique fructum Ecclesia (d) non solùm ex his qui sunt sub tempore gratiæ, sed etiam à mundi principio justè congregata, dulcem sibi fore gratulatur dicens de Sponso Jesu: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Meritò ejus desideraverat umbram, (e) de quo & refrigerium & refectionem pariter acceptura esset. Nam cætera quidem sylvarum ligna etsi umbram solatii habent, sed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos salutis. Unus est enim vitæ auctor, unus mediator Dei & hominum, Homo Christus Jesus, qui dicit sponsæ suæ Ecclesiæ: *Salus tua ego sum.* Propterea Christi potissimùm desideraverat umbram, quòd solus sit, qui non solùm ab æstu refrigerat vitiorum, sed & replet delectatione virtutum. Unde ait sponsa: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo:* gustum contemplationis significans, quem obtinuerat per amorem suaviter sublevata. Nihil enim in hac vita dulcius sentitur, (f) nihil avidius sumitur, quàm contemplatio passionis Christi. Foderunt manus ejus & pedes, (g) latus-

z *Ser. 1. de S. Andr. nu. 3.* a *Ser. 20. in Cant. nu. 7.* b *Ser. de verb. Sap. nu. 6. tom. 6. pag. 770.* c *Ser. 1. de verb. Esai. nu. 2.* d *Tract. de cognit. humanæ condit. cap. 12. nu. 35. tom. 5. pag. 399.* e *Tract. de vite myst. cap. 45. nu. 176.* f *Ser. 3. in dedicat. Eccl. num. 2.* g *Ser. 1. de S. Andr. nu. 10.* h *Epist. 351. nu. 1.* i *Tract. de inter. domo cap. 22. nu. 47. tom. 5. pag. 427.*

k *Ex formula hon. vit. nu. 13.* l *Ibid. nu. 1.* a *Ser. de verb. Sap. nu. 7.* b *Ser. 43. in cant. nu. 4.* c *Ser. de verb. Sap. nu. 8.* d *Tract. de vite myst. cap. 46. nu. 178.* e *Ser. 48. in Cant. nu. 6. & 8.* f *Tract. de cognit. hum. condit. cap. 7. nu. 22.* g *Ser. 61. in Cant. nu. 4.*

latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est gustare & videre quoniam suavis est Dominus. Fructum igitur redemptionis nostræ (h) toto desiderio cōplectamur, & sæpiùs imò sine intermissione eum ad memoriam revocantes, latentem in ipso dulcedinē linguâ intellectus nostri degustemus. Et in vase memoriæ nostræ recondamus Sanguinē rubicundi Jesu: quia factus est nobis redēptio, quia per ipsum salvati & liberati sumus. Hoc fructu jugiter reficienda est fidelis anima, ne in hoc tædioso deserto deficiat, in quo sine requie & sine intermissione laborat, suspirans ad illam terram lacte & melle manantem, & cum sponsa proclamans: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Hæc sunt quippè mala punica, (i) quæ in hortum introducta Dilecti sponsa carpit ex ligno vitæ, à cælesti Sponso proprium mutuata saporem, colorem à Sanguine Christi. Sit ergo (k) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

II. *Fructus meditationis nostræ est Christus Jesus crucifixus.* Christus (l) non immeritò fructus esse intelligitur, dicente David: *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*. Et iterùm: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Libet adjungere verba Elizabeth (m) dicentis: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*. Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie.

Primo. De *odore* hujus fructus cujus fragrantiā sentiens Isaac Patriarcha sic dicebat: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Necdum speciem suam ille flos induerat, (n) & jam dabat odorem suum, quando eum ut hoc præ gaudio exclamaret præsensit spiritu, corpore marcens sanctus & senex Patriarcha caligans visu, sed odoratu sagax. Qui filium suum Jacob tangens, (o) & Christum sentiens, inquit: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Cùm hoc dicebat, habebat delicias sibi, nec cuiquam illas communicabat. Vestimenti fragrantiam sensit, (p) sed vestiti præsentiam non agnovit: soloquè vestis tanquam floris odore forinsecùs delectatus, quasi fructus interioris dulcedinem non gustavit, dum & electi filii simul & sacramenti fraudatus cognitione remansit. At currebant in odore *sapientiæ* (q) qui missi fuerant à Pharisæis, cùm reversi dicerent: *Nunquam homo sic locutus est*: utique admirantes doctrinam, & confitentes sapientiam. Currebat in hoc ipso odore sanctus Nicodemus, qui venit ad Iesum nocte, in splendore multo sapientiæ: de multis quippè instructus edoctusquè recessit. Verùm in odore *justitiæ* cucurrit Maria Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cucurrit & Petrus, qui lapsus flevit amarè, quatenùs culpam dilueret, recuperaret justitiam. Porrò (r) in odore *sanctificationis* Paulus currere sese testatur, cùm Christi se imitatorem esse gloriatur, dicens ad discipulos: *Estote imitatores mei, sicut & ego Christi*. Cucurrerunt & omnes qui ajebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Desiderio quippè sequendi Christum reliquerant omnia. Iam qui in odore *passionis* cucurrerint, si audire vis, universos Martyres accipe. Superat quippè (s) omnes odores omnium virtutum uncti Iesu odor Crucifixi, ubi perfectio præcipuè efflorebat, & de floribus vulnerum suorum inæstimabilem odorem effudit. Odor iste [t] omnium suavitatum in se continet monarchiam: quia omnem balsami odorem excedit, etiam quidquid in odoribus continetur. Odor iste omnium odorum suavitas Dominus Iesus est: odor bonus, odor suavissimus, melle & lacte dulcior, nectare suavior, gemmis & auro pretiosior. Hunc tantum ac talem odorem si toto cordis olfactu odorare non desierimus, in æternum proculdubiò non peribimus: quoniam est resurrectio & vita. Colligamus ergo nobis [u] in vulneribus Domini Iesu Christi talem memoriam, talem delectationem, ut stigmata Crucifixi nostri in memoria jugiter retinentes, in ipso qui solus est dulcis, delectemur. Sit nobis Iesus semper in corde, (x) & nunquam imago Crucifixi ab animo nostro recedat. Hic nobis sit dulcedo & consolatio nostra, mel & desiderium nostrum, lectio & meditatio nostra, oratio & contemplatio nostra.

Secundò. De *sapore* hujus fructus (y) Propheta David quod gustaverat, taliter eructabat dicens: *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*. Etiterùm: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*! Et Petrus Apostolus inquit: *Si tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus*. Et ipse fructus Jesus de se, invitans nos ad se, ait: *Qui edit me, adhuc esuriet: & qui bibit me, adhuc sitiet*. Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium & sitientium justitiam, & esca & potus est. Exinde (z) cibat nos pane vitæ & intellectûs, & potat aquâ sapientiæ salutaris. Est enim intellectus rerum spiritualium verus animæ panis, confirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Et certè hujusmodi intelligentiâ veritatis internæ vivit anima, & hic est spiritualis cibus. Verumtamen donec sapit tibi veritas, non sine difficultate ad interiora trajicitur. Ubi verò cœperis in ea oblectari, jam non cibus, sed potus est, & sine difficultate intrat in animam: quo videlicet spiritualis cibus intelligentiæ potu sapientiæ digeratur, ne ipsius interioris hominis artubus, id est affectibus siccitate laborantibus, oneri magis sit quàm utilitati. Cibus sitim excitat, (a) potandus est. Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritûs, quod inebriat, & carnalium voluptatū infundit oblivionem: humectat interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit,

&

h *Tract. de vite myst. cap.* 46. *nu.* 184. i *Tract. de diligen. Deo cap.* 3. *nu.* 7. k *Ser.* 1. *de verb. Esai. nu.* 2. l *Ser.* 1. *super* Missus *nu.* 3. m Ibid. *ser.* 2. *nu.* 5. & 6. n *Ser.* 47. *in Cant. nu.* 7. o *Ser.* 60. *in Cant. nu.* 8. p *Tract. de exhortat. ad mil. Temp. cap.* 7. q *Ser.* 22. *Cant. nu.* 10. r Ibid. *nu.* 11.

s *Tract. de vite myst. cap.* 43. *nu.* 161. t *Ser.* 4. *in ult. Cœnæ nu.* 25. u *Tract. de vite myst. cap.* 44. *nu.* 172. x *Ex formula honest. vit. nu.* 2. y *Ser.* 3. super Missus *nu.* 6. z *Ser.* 2. *in Annunc. B. M. nu.* 4. a *Ser.* 18. *in Cant. nu.* 6.

& deducit per quædam animæ membra: fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansquè charitatem, & impinguans mores. Sit tibi ergo Jesus semper in corde, (b) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua. Nihil enim (c) in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nil ita mentem ab amore mundi separat, nil sic animam contra tentationes roborat, nil hominem ita excitat & adjuvat ad omne opus bonum, quàm contemplatio passionis Dominicæ. Renuat consolari anima tua in aliis, (d) si vis in Dei Hominis crucifixi memoria delectari. Manna enim est, omnem saporem habens, & odoris delectationem. Huic autem suavitati, (e) huic sapori omne quod desideratur, non valet comparari. Quid enim? Miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fæcunditatem? Sed à DEO hæc universa donata sunt: nec dubium quin multò ampliùs reservaverit sibi, quàm dederit creaturis. Sit ergo (f) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus. Siquidem (g) internæ suavitatis gustus dulcedo est, & manna absconditum. Mel est quod sugit Israël de petra, oleumquè de saxo durissimo. Foderunt manus ejus & pedes, (h) latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est gustare & videre quoniam suavis est Dominus.

Tertiò. Audisti de odore, (i) audisti de sapore, audi & de *specie* hujus fructus. Si enim fructus ille mortis non solùm suavis fuit ad vescendum, sed etiam delectabilis aspectu: quantò magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere, in quem desiderant etiam Angeli prospicere? Cujus pulchritudinem in spiritu videbat, & in corpore videre cupiebat David, cùm dicebat: *Ex Syon species decoris ejus*. Et ne mediocrem tibi videatur commendâsse decorem, recole quod in alio Psalmo legis: *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, &c.* Porrò [k] sublimis quædam visio nobis describitur ab Isaja Propheta, qui sic ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum.* Sed aliam quoque audio Prophetæ ejusdem, & ejusdem Domini longè dissimilem visionem. Siquidem Isaias iste in alio loco sic loquitur: *Vidimus eum, & non erat ei species neque decor, & æstimavimus eum tanquam leprosum, &c.* Idem Propheta utrobique vidit eundem, [l] sed non vidit eodem modo, ac per hoc quodammodò non eundem. Ibi enim vidit Dominum sedentem super solium excelsum: hîc autem vidit eum lividum plagis, saturatum opprobriis, affectum suppliciis, lacessitum injuriis. Nec sine causa (m) sanè ibi, *Vidi*, scriptum est, & hîc, *Vidimus*: nisi ut illam visionem intelligam esse propriam prærogativæ propheticæ, hanc verò communem. Propterea (n) hæc mea sublimior interim philosophia, scire Jesum, & hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Illud sublimius, istud suavius vel paratius. Sublimis in Regno, (o) sed suavis in Cruce. In hac me visione præveniat, in illa adimpleat. *Adimplebis me* (ait Proheta David) *lætitiâ cum vultu tuo*. Utraque visio salutaris, utraque suavis: sed illa in sublimitate, ista in humilitate. Illa in splendore, hæc in pallore. Splendor [p] & figura substantiæ Dei obnubilatur in forma servi, pro vita servi. Candor vitæ æternæ nigrescit in carne, pro carne purganda. Speciosus formâ præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obscuratur in passione, turpat in Cruce, pallet in morte: ex toto non est ei species neque decor. Agnosco pellem Salamonis, [q] imò ipsum in pelle foris nigra Salomonem amplector, *nempè Christum*. Habet & Salomon nigredinem, sed in pelle. Foris niger, in cute niger, non intùs. Alioquin omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs. Intùs Divinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, innocentiæ puritas. Sed tegit hæc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus est vultus ejus & despectus, dum tentatur per omnia pro similitudine absque peccato. Aliud cernitur, & aliud creditur. Nigrum sensus renunciat, fides candidum & formosum probat. Niger est, sed oculis insipientium: nam Fidelium mentibus est formosus valdè. Niger est, sed formosus. Niger reputatione Herodis, sed formosus confessione Latronis, Centurionis fide. Et quia Isaias eum modò sedentem super soliū excelsum, (r) modò tanquàm leprosum se vidisse testatur, id est, non in carne tantùm, sed in similitudine carnis peccati. Tu quoque si desideras videre sublimem, humilem priùs Jesum videre curato. Intuere priùs exaltatum in deserto Serpentem, si videre desideras Regem in solio residentem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet humiliatum. Reprimat & sanet ista tumorem tuum, ut illa repleat & satiet desiderium tuum. Exinanitum vides? non sit ociosa visio, quia exaltatum ociosè videre non poteris. Similis eris illi, cùm videris eum sicuti est. Talis visio non est vitæ præsentis, [s] sed in novissimis reservatur, his duntaxat qui dicere possunt: *Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Esto & nunc similis ei, (t) videns eum sicut propter te factus & passus est. Si enim ne in humilitate quidem similitudinem ejus abnuis, certa tibi sublimitatis quoque similitudo debetur: Nunquam ille socium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri. Sit ergo meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

III. *Meditatio passionis Dominicæ est fundamentum pietatis Christianæ.* Scit (u) quicunque sensum Christi habet, quantum pietati Christianæ expediat, & utile sit unâ saltem aliquâ diei horâ passionis Christi attētiùs recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia. In hac Passione (x) tria specialiter convenit

b *Ex form. hon vit. n. 2.* c *Tract. de cogn. hum. condit. c. 7. n. 22.* d *Ser. 4. super Isai. 9. nu. 2.* e *Ser. 1. de Omn. SS. nu. 4.* f *Ser. 1. de verb. Esai. nu. 2.* g *Ser. . . sup. Sal. Reg. nu. 5.* h *Ser. 61. in Cant. nu. 4.* i *Ser. 2. sup. Missus nu. 6.* k *Ser. 1. de verb. Esai. nu. 1.* l *Ser. 5. de verb. Esai. nu. 4.* m *Ser. 1. de verb. Esai. nu. 1.* n *Ser. 43. in Cant. nu. 4.*

o *Ser. 61. in Cant. nu. 6.* p *Ser. 28. in Cant. nu. 1.* q *Ibid. nu. 2. & 3.* r *Ser. 1. de verb. Esai. nu. 2.* s *Ser. 31. in Cant. nu. 1.* t *Ser. 1. de verb. Esai. nu. 2.* u *Tract. de vita solitar. cap. 10. nu. 32. tom. 5. pag. 250.* x *Ser. in fer. 4. hebd. San. nu. 2.*

nit intueri, opus, modũ, causam. *Primò* quidem in *opere* singularis patientia Christi commendatur, quòd videlicet cùm supra dorsum ejus fabricarent peccatores, ipse tanquam ovis coram tondente non aperuit os suum: non adversùs Patrem murmurans, à quo missus fuerat: non adversùs humanum genus, pro quo quæ non rapuit exoluebat: non denique vel contra populum ipsum peculiarem sibi, à quo pro tantis beneficiis tanta mala recipiebat. Nec solùm enim ingrati gratuitis beneficiis ejus extitère, (y) sed contumeliis affecerunt Dominum dominantium, & fecerunt ei quæcunque voluerunt. Ipso enim faciente opera Dei, quæ nemo alius fecit, dixerunt: *Non est hic homo à Deo: in principe dæmoniorum ejicit dæmonia, dæmonium habet, seducit turbas, vorax est, potator est vini, & amicus publicanorum & peccatorum.* Flagellantur alii (z) non tam purgandi, quàm probandi coronandiquè, & major in eis patientia comprobatur & commendatur. Quomodò non maxima patientia censeatur esse in Christo, qui ab his, quibus specialiter advenerat Salvator, crudelissimè flagellabatur sicut fur? Cùm autem (a) in summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de corde ejus nisi dulcedo, sed patientiam in amarissima passione retinuit. Patientia ejus fuit singularis, [b] quòd videlicet cùm sic extenderetur ligno ut dinumerarentur omnia ossa ejus, cùm foderentur manus ejus & pedes, ipse tanquam ovis coram tondente non aperuit os suum. Qualis est hic, (c) qui in omnibus pressuris suis nec semel aperuit os suum, ut aut querelæ, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum adversùm maledictos canes illos proferret? Plectuntur aliqui pro peccatis suis, (d) & humiliter sustinent: hoc ipsum tamen eis ad patientiam reputatur. Quomodò non maxima patientia censeatur esse in Christo, qui ab his, quibus specialiter advenerat Salvator, crudelissima morte mulctabatur sicut fur? Ita ergo habes in opere patientiam.

Secundò, (e) admirabilis in *modo humilitas* Christi commendatur. Nam modum ipsum si diligenter attendas, nonmodò mitem, sed & humilem cognosces. Dominus omnium (f) servili forma indutus est, de paupercula Virgine natus est: & cùm liber esset à lege, factus est sub lege, sine querela conversatus est in lege: cum publicanis & peccatoribus cibum sumpsit: discipulorum quos elegerat, pedes lavit. Hoc ab ortu suo usque ad finem vitæ satagens, ut sicut in Matre specialis & sine exemplo fuit virginitas, sic in Filio singularis & unica esset humilitas. Quis dignè penset (g) quantæ fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis, Dominum majestatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Denique in humilitate judicium ejus sublatum est, (h) cùm nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima quæ sibi objiciebantur quidquam responderet. In Cruce quoque (i) humillimus fuit. In hac enim humilitate solum colorem intuentibus Judæis & Gentibus ipse color vilis apparuit: nobis verò qui virtutem agnoscimus Passionis, ipsa etiam humilitas despecta, humanitas Christi placet, & per humilitatem maximè commendatur. Contemnat Herodes, (k) ego tantò magis non contemno, quantò magis contemptibilem se ostendit. O quanta humilitas! (l) Incomprehensibilis DEUS voluit comprehendi, Summus humiliari, Potentissimus despici, pulcherrimus deformari. Sic enim Propheta inquit: (m) Vidimus eum, & non erat ei aspectus; nec speciosum formâ præ filiis hominum, sed tanquam leprosum, novissimum virorum, planè virum dolorum, à Deo percussum & humiliatum, ita ut nulla esset ei species neque decor. O novissimum, & altissimum! ô humilem, & sublimem! ô opprobrium hominum, & gloriam Angelorum! Nemo illo sublimior, nemo humilior. Denique sputis illitus est, opprobriis saturatus est, morte turpissima condemnatus est, cum sceleratis reputatus est. Nihilne merebitur vel ista humilitas, quæ hunc habet modum, imò quæ tam est ultra modum? Sic est patientia singularis, sic & humilitas admirabilis: utraque sine exemplo. Habeamus ergo (n) eorum quæ contemptibilia Christo sunt illata, continuam & indesinentem memoriam: non utique ociosam, non tepidam, non torpentem, sed compassionis ardore super omnia plurimùm delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem.

Tertiò, (o) in *causa* ipsa commendatur Christi *charitas* inæstimabilis. Propter nimiam quidem charitatem quâ dilexit nos Deus, ut servum redimeret, nec Pater Filio, nec sibi Filius pepercit. Verè nimiam: quia & mensuram excedit, & modum superat, planè supereminens universis. *Majorem*, inquit, *charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Tu majorem habuisti Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cùm enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam & tibi reconciliati sumus, & Patri. Alioqnin (p) si non dilexisses inimicos, nondum possedisses amicos: sicut nedum quos sic diligeres essent, si non dilexisses qui nondum essent. Verè Domine nimis excessisti: (q) quia cùm sis splendor paternæ gloriæ, & figura substantiæ ejus, & Dominns majestatis, pati dignatus es tormentum abjectissimæ passionis. Verè fuit excessus, cùm dedisti vellentibus genas tuas: cùm faciem tuam non avertisti ab increpantibus & conspuentibus: quando cum iniquis reputatus es. Quænam alia videbitur esse, (r) vel fuisse, vel fore huic similis charitati? Vix pro justo quis moritur, tu pro impiis passus es: moriens propter delicta nostra, qui venisti justificare gratis peccatores, servos facere fratres, captivos cohæredes, exules reges. Nec sanè aliud aliquid patientiam hanc & humilitatem illustrat, quàm quòd tradidit in mortem animam suam, & peccata multorum tulit, etiam pro transgressoribus rogavit, ut non perirent. Flagellis cæsus est,

(s) spinis

y *Ser. de Pass. Dom. num.* 6. z *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. num.* 2. a *Tract. de vite myst. cap.* 12. *num.* 50. b *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. nu.* 2. c *Ser. de Pass. Dom. nu.* 13. d *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. n.* 2. e *Ibid. nu.* 3. f *Ser.* 2. *in Cœna Dom. nu.* 2. g *Ser.* 11. *in Cant. nu.* 7. h *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. nu.* 3. i *Tract. de vite myst. cap.* 17. *nu.* 65.

k *Ser.* 61. *in Cant. num.* 6. l *Tract. de vite myst. cap.* 17. *nu.* 70. m *Ser. in fer.* 4. *hebd. san. nu.* 3. n *Ser.* 2. *in Cœna Dom. nu.* 9. o *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. nu.* 4. p *Ser.* 20. *in Cant. nu.* 2. q *Ser. in fer.* 2. *Pasch. nu.* 8. r *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. nu.* 4.

(s) spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor ait: *Pater, ignosce illis quia nesciunt quid faciunt*. Hinc multæ miseriæ corporis, hinc multæ misericordiæ cordis: hinc dolores, hinc miserationes: hinc oleum exultationis, hinc Sanguinis guttæ decurrentis in terram. O quàm multus es (t) ad ignoscendum Domine! O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ! O quàm longè cogitationes tuæ à cogitationibus nostris! O quàm firmata est etiam super impios misericordia tua! Mira res. Ille clamat, *Ignosce*: Judæi, *Crucifige*. Molliti sunt sermones ejus super oleum: & isti sunt jacula. O charitas patiens, sed & compatiens! Charitas patiens est, sufficit. Charitas benigna est, cumulus est. Digna est ergo charitas tam inæstimabilis, (u) humilitas tam admirabilis, patientia tam insuperabilis. Quomodò enim non illius *patientia* recordatio omnem arceat voluptatem? Quomodò non illius *humilitatis* consideratio superbiam vitæ prorsùs extundat? cùm *charitas* illa planè digna ejus meditatione sic mentem occupet, sic totam sibi vendicet animam humanam, ut omninò vitium curiositatis exsufflet. Fortis igitur est contra hæc meditatio passionis Salvatoris.

IV. *Meditatio passionis Christi est incitamen ad imitandum obedientiam ejus*. Nam illa mors, (x) illa crux, opprobria, sputa, flagella, (quæ omnia Christus pertulit) quid aliud nobis quàm præclara obedientiæ documenta fuerunt? *Christus enim* (ait Paulus) *factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis*. Qua necessitate? Respondeat Apostolus Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplũ, ut sequamini vestigia ejus*: id est, ut imitemini obedientiam ejus. Qui enim (y) tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Familiaris quidem (z) & amica saluti obedientia est, sed obedientia firma & stabilis, quæ fundata est supra petram. *Melior est enim obedientia quàm victima*. Unde & vitæ quoque ipse Salvator prætulit hanc virtutem, eligens magis animam ponere, quàm obedientiam non implere. Christus namque (a) factus est obediens Patri. Unde & ipse dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me*. Et in alio loco ait: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me Patris*. Postremò (b) obedientia consummata fuit in Christo, cùm inclinato capite tradidit spiritum factus obediens usque ad mortẽ. Ex his autẽ omnibus, quæ passus est Christus, (c) discimus quanta nos qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia perpeti, pro qua is qui & Deus erat non dubitavit mori. Panis obedientia est: (d) quoniam *meus cibus est*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus qui misit me*. Cibus utique, (e) sed cibus cordis. Quid enim æquè confirmat & corroborat cor humanum, quid ita in omni necessitate confortat & sustentat, ut divinæ voluntatis executio, velut in quendam animæ ventrem, conscientiam scilicet ejus ingesta? Quisquis ad intelligentiam pervenire desiderat, (f) profectò necesse est ut priùs per omnia bona sese diligenter exerceat, sicut scriptum est in Psalmo: *A mandatis tuis intellexi*. Si videre desideras Christum, (g) oportet te priùs audire eum, audire de eo, ut dicas cùm videris: *Sicut audivimus, sic vidimus*. Denique *à mandatis tuis intellexi*, inquit Propheta: quòd intellectum reddat observatio mandatorum, quem tulit transgressio. *A mandatis tuis intellexi*, inquit: (h) ut scias nisi obedientiæ mandatorum contemplationis gustum penitùs non deberi. Non igitur putes de propriæ amore quietis, sanctæ obedientiæ actibus præjudicium ullatenùs faciendum. Alioquin non dormiet tecum Sponsus in lectulo uno, illo præsertim quem tu tibi pro obedientiæ floribus, cicutis atque urticis inobedientiæ aspersisti. Propter quod non exaudiet orationes suas, vocatusquè non veniet. Nec enim dabit inobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, ut mori potiùs quàm nõ obedire maluerit. O homo, (i) quid causaris contra inobedientiam Adæ! ecce datur tibi obedientia Christi, ut si gratis venundatus es, gratis & redimaris. Sit tibi ergo (k) Jesus semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua.

V. *Meditatio passionis Dominicæ est ars artium*. Hæc est enim (l) sublimior philosophia, scire Jesum, & hunc crucifixum. Hæc est, (m) quæ divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa disterminat, hiantia coit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fugata explorat. Hæc est, quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit: quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est. Incomprehensibilis erat & inaccessibilis, (n) invisibilis & incogitabilis omninò. Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit: jacens in præsepio, in Virginali gremio cubans, & in Cruce pendens, in morte pallens. Quid horum non verè, non piè, non sanctè cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito, & per omnia est Deus meus. Hæc ego meditari dixi sapientiam, & prudentiam judicavi eructare memoriam suavitatis. Sufficit mihi, [o] nolo jam scire nisi Jesum, & hunc crucifixum. O quàm salubriùs (p) & tu disceres Jesum, & hunc crucifixum! Quam utique scientiam haud facilè nisi qui mundo crucifixus fuerit, apprehendit. Scientia autem ista (q) in primo gradu operatur pænitudinem & dolorem, ut risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mærorem convertat: & incipiant tibi displicere, quæ vehementer ante placuerunt, ut illa specialiter horreas, quæ specialiter appetebas. Sic enim scriptum est: *Qui addit scientiam, addit & dolorem*: ut veracis & sanctæ scientiæ sit dolor subsequens argumentum. Proinde (r) sic de omni-

s Ibid. nu. 8. t Ibid. nu. 9. u Ibid. nu. 5. x Tract. de grad. humil. cap. 7. nu. 7. y Ser. 2. in Cæna Dom. nu. 6. z Tract. de vit. & mori. Cleric. cap. 1. nu. 1. a Ser. 2. in Cæna Dom. nu. 2. b Ser. 1. in die Paschæ nu. 3. c Ser. 2. in Cæna Dom. nu. 7. d Ser. 1. in Dom. 6. post Pent. num. 4. e Ser. 3. in Dom. Palm. nu. 4.

f Ser. 5. in Assump. B. M. nu. 5. g Ser. 28. in Cant. nu. 6. h Ser. 46. in Cant. nu. 5. i Ser. 1. in Dom. 1. post Oct. Epiph. nu. 3. k Ex formula hon. vit. nu. 2. l Ser. 43. in Cant. nu. 4. m Lib. 1. de consider. cap. 7. n Ser. 2. de Virg. Deip. nu. 11. o Ser. 45. in Cant. nu. 3. p Epist. 108. nu. 2. q Ser. 2. in vig. Nat. Dom. nu. 4. r Ex formula hon. vit. nu. 3.

ria expressa spectantur. Quàm primùm ad columnam primam ventum erat, statim ipsa Princeps cũ suis filiabus totoquè comitatu descedebat de curru, concentu musico Litanias audiebat, flexo poplite ad singulas columnas advoluebatur, precatiunculas cuique Mysterio accomodatas recitabat, deinde ipsam Ecclesiam intrabat, ac tribus Sacris continuò assistebat. Porrò (g) *Gandavum* Metropolis Flandriæ in hoc genere amænum ac sanctum toti Provinciæ Belgicæ spectaculum præbet. Siquidem in vicino monte Blandinio, (ubi per longum circuitum & disposita intervalla, Virginei luctus variæ imagines inter Gaudiorum mysteria palàm exhibentur) incredibile dictu est, præter stata quoque sabbatho pietatis obsequia, quantus sit mense præsertim Augusto per dies novem circumeuntium fervor hominum, quot in mediis plateis ad singulas imagines procumbentium & orantium millia, quanta omnis ordinis, ætatis, sexus multitudo, quanta summorum infimorumquè religio erga Virginem Matrem dolorosam.

Tertius modus commemorandi Dolores Deiparæ consistit in externo signo, id est in delatione habitûs seu scapularis coloris nigri, ob commiserationem erga Matrem dolorosam: vel in oblatione votivorum donariorum ad ipsius Imaginem, seu Altare.

Anno 1240. (h) hortatu Deiparæ è cælo nigrum habitum manu præferentis, Ordo Servitarum institutus est, ut Virgineis ærumnis piè recolendis vel maximè intẽderet: atq; habitu se in posterũ induit, in venerationem scilicet cultumquè istius mæstitiæ, quam in amarissima Filii sui passione & morte toleravit Virgo Mater. Horum exemplo is cui visum esset pietatis causâ cælibem vitam agere, posset singulari etiam hoc nomine (vestium omni luxu abdicato) nigras vestes induendas eligére, in perpetuum quasi doloris argumentum. Profectò immensus est numerus eorum, (i) qui vario pietatis ductu, sive concepto voto, sive luminibus accensis, aliisq; id genus obsequiis dolorosæ V. Matris præsidiũ deposcentes, divinitùs adjuti fuerunt. In ipso duntaxat Sodalitio septem Dolorum Deiparæ, decem supra ducenta miracula in istiusmodi hominum opem cælitùs perpetrata sunt, & authoritate publicâ approbata.

III. Refert Carthagena, (k) Sanctæ Elisabethæ de Schonaugia fuisse revelatum, quòd Mariæ Virgini concessum sit â Christo Domino, ut Dolores ipsius Virginis recolenti, quemcunque favorem ad ejus salutem conducentem posset libere elargiri: atque hoc præcipuè, ut non nisi peractâ de admissis culpis verâ pœnitentiâ, è vita migraret. *Porrò* cùm aliquando B. Joannem Evangelistam(l) ardens incessit cupido videndi Deiparam, (posteaquàm jam in cælum erat assumpta) à se abreptus spectavit cum Filio Matrem, & audivit æquè de illius tormentis in cruce toleratis, atque de ingenti sua erga eum commiseratione differentem. Filio deinde supplicavit, ut cæleste quoddam munus, idquè non vulgare omnibus impertiret, qui piè Dolorum Virginis meminissent. Filius illicò hæc quatuor dona spopondit. *Primum* erat, ut quisquis Virginem per Dolores ante adductos precaretur, is priusquàm è vita decederet, verum germanumquè de præteritis culpis dolorem cælitùs impetraret. *Secundum*, fore ut suo ipsius, præsertim imminente morte, præsidio muniretur. *Tertium*, se illius quisquis esset cordi sua supplicia inscripturum, ideoquè mercedem olim munificam præstiturum. *Quartum*, se Matri omne jus, facultatemquè concedere pro tali aliquo quidlibet impetrandi.

Silvanus refert (m) Clericum quendam fuisse, qui licet non religiosè admodùm vixisset, attamen Deiparam super Filii morte ingentibus immersam doloribus tenerè miserebatur. Ideoquè quinque propositis gaudiis reficere ac recreare ipsam nitebatur, his verbis: *Gaude ô felicissima Virgo, quia Archangelus immenso te olim gaudio ac voluptate perfudit. Gaude ô beatissima Virgo, quia Dei Mater effecta es. Gaude ô admirabilis Virgo, quia Vir. simul & Mater es. Gaude ô lucidissima Virgo, quia orbi peperisti lumen orbis. Gaude ô benedicta Virgo, quia beatam te dicent omnes generationes.* Huic autem Clerico in amaro mortis discrimine, & ancipiti lucta gravissimis presso molestiis lætissima occurrens Virgo, ait: *Ecquid mœrore conficeris fili, qui à me toties mœrorem es conatus expellere? Gaude eja mecum, &c. me præeuntem lætus sequere.* Hoc dicto abiit, & comitem hanc animam secum abduxit. Nos ex hoc monens Deipara, quàm ingens præmium sit præparatum iis, qui suos Dolores, quos ipsa pertulit compatiendo Filio suo, non solùm in memoria retinent & assidua meditatione revolvunt, sed etiam ultrò macerant carnem suam in venerationem Dolorum Virginis Deiparæ. *Gretserus* scribit, [n] quòd B. Henricus Suso Ordinis Prædicatorum, vir longè religiosissimus dolentem Filium Virginis Mariæ, & Filio collacrhymantem Matrem hoc pacto veneratus sit. Crucem palmari longitudine sibi fabrefecit, cui acutos triginta claviculos infixit, & nudum inter utrumque humerum exporrexit, ac per octo annos die noctuquè gestavit in honorem cruciatuum Christi. Horum annorum postremo per eandem Crucem, præter dictos claviculos, tormenti genere inaudito septem ingentes acus trajecit, quæ perpetuo dolore teneram carnem infernè configerent, & suo acumine septiformi, quasi septem gladios Virginei doloris exprimerent. Quòd si hujusmodi macerationem carnis spontè suscipere non audemus, saltem ærumnas sive mentis, sive corporis, in honorem Virginis dolorosæ, volenti lubentiquè animo subeamus. Non aspernatur illa affectum compassionis & devotionis erga suos Dolores: non aspernatur ingens desiderium quorumlibet quamvis peccatorum, qui totam spem suam in Deipara posuerint, ejusq; Doloribus compassi fuerint.

Cùm S. Brigitta Vidua (o) ex compassione oraret pro quodam viro nobili, & magno domino secundùm mundum, (qui licet graviter infirmaretur, tamen peccata sua confiteri Sacerdoti nolebat

g *Ibid. pag. 200.* h *Petr. Ant. Spinellus lib. . Maria Deip. cap. 40. n. 10.* i *Georg. Colvener. lib. de Virg. Dolor. de Mirac. & origin. Sodalitii 7. Dolor.* k *Cartag. tom. 3. lib. 12. Homil. 1.* l *Pomerius lib. 3. de B.V.M. par. 4. art. 3.*

m *Silvan. Razzius lib. 1. Miraculor. B.V.M.* n *Gretserus lib. de disciplina* o *lib. 6. Revelat. cap. 97. pag. 561.*

bat) Christus apparens Brigittæ ait: *Dic Confessori tuo, ut istum hominem infirmũ visitet, & Confessionẽ ejus audiat*. Missus igitur Sacerdos à Sancta Brigitta, venit ad eundem infirmum: sed iste respondit, se non indigere Confessione, testans se sæpissimè confessum esse. Sequenti die jussu Christi sacerdos à S. Brigitta iterùm mittitur ad illum, à quo etiam id quod priùs responsum accepit. Tertiò autem die reversus Sacerdos ad infirmum, exposuit ei illa impedimenta salutis suæ, quæ Christus Dominus Beatæ Brigittæ revelaverat. Tunc ille resolutus in fletum dixit Sacerdoti: Et quomodò ego veniam peccatorum meorum consequi possem, qui tot sceleribus sum irretitus? Cui Sacerdos inquit: Etiamsi multò plura & graviora perpetrasses, salvaberis tamen per veram contritionem & Confessionem: hoc fidenter tibi promitto. At ille: Ego de salute animæ meæ desperabam, quia homagium feci diabolo, qui mihi multoties locutus est. Ego sum modò sexaginta annorum, & nunquam feci Confessionem, nec sumpsi Corpus Christi: jam verò dico tibi Pater, quòd tales lachrymas nunc me habere sentio, quales nunquam me habuisse recordor. Igitur die illo quater confessus est, & sequenti die etiam post Confessionem accepit Sacram Eucharistiam, ac sexto die mortuus est. De quo Christus Dominus postea apparens Sanctæ Brigittæ sic loquebatur, dicens: Iste homo, cujus periculum ostendi tibi priùs, jam venit ad purgatorium: & hujus liberationis signum est contritio, quam habebat in fine vitæ suæ. Sed potes querere: Quare meruit contritionem homo iste, qui tantis sceleribus involutus erat? Respondeo tibi: *Hoc fecit dilectio mea*, (*qui usque ad ultimum punctum expecto hominis conversionem*) *& meritum Matris meæ. Et licet homo iste non dilexit eam corde, tamen quia consuetudo sua erat compati dolori ejus, quoties eam considerabat, & audiebat nominari: ideò compendium salutis suæ invenit, & salvatus erit*. Ergo quicunque sumus in mundo, (p) consideremus qualis erat Deipara in morte Filii sui, & semper habeamus præ oculis dolorem ejus. Non discedat [q] dolor suus ab anima nostra: quia nisi essent tribulationes, paucissimi ad cælestia regna pervenirent. *Porrò imitemur in hoc D. Bonaventuram, qui cum afflicta Deipara dolere exoptans*, (r) *his declarat verbis*: Tu vulnerata es Mater Christi, vulnera & servum sine vulneribus miserum, & nil aliud præter vulnera postulantẽ. Non peto cœlũ, non terram, non lunam, non sidera, sed vulnera. Nonne tu es Domina spes nostra? nonne tu es Domina Regis? nonne tu es Mater præmii? nonne tu es, quæ nos exaltare desideras? Si ergo nos vis facere gloriosos, imò quia vis, quare negas nobis causam? nam absque vulnere salvari non possumus. O Domina mea, ô vita mea, ô spes mea, ô dulcedo mea, ô bona Domina, vulnera corda nostra. Nonne plùs sine comparatione nos diligis, ac bona nostra procuras, quàm mater carnalis? Quid enim aliud habes facere, quàm corda nostra vulnerare? non enim possumus stare sine vulnere Filii tui, fratris nostri. Verecundùm enim nobis valdè est, videre Filium tuum Dominum nostrum sic vulneratum, & te Dominam nostram sic crudeliter vulneratam, nos verò peccatores, servos vestros vilissimos, sic liberos pertransire & illæsos.

§. XXIII.

De Mysteriis septem dolorum, institutis ab Ecclesia in memoriam passionis Dominicæ: quibus, dum recitamus divinum Officium, excitamur ad recolendam passionem Christi.

1. AD conservandam copiosæ redemptionis memoriam, (a) septies in die laudem dicimus Domino, juxta vulgatissimos (b) Glossæ versiculos sequentes:

Hæc sunt, septenis propter quæ psallimus horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis. Causam dat Tertia mortis.
Sexta Cruci nectit. Latus ejus Nona bipertit.
Vespera deponit. Tumulo completa reponit.

Qui septenarius sacratus numerus (c) à nobis sic implebitur, si Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriiquè tempore nostræ servitutis officia persolvamus, quia de his Horis diurnis dicit Propheta: *Septies in die laudem dixi Dno.* Nam de nocturnis Vigiliis idem ipse Propheta ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*. Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super judicia justitiæ suæ, id est Matutinis, Primâ, Tertiâ, Sextâ, Nonâ, Vesperâ, Completorio: & nocte surgamus ad confitendum ei. *Hactenus Regula D. Benedicti*. Hæc autem potissima ratio est, [d] ob quam his septem Horis divina celebrantur Officia: hæc sunt præcipua mysteria passionis Dominicæ, quibus, dum psallimus, insistere debemus. Nihil enim (e) inter omnia opera Dei, in quibus humana admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ oblectat, sicut Passio Salvatoris nostri. Cibus in ore, (f) Psalmus in corde sapit. Tantùm illum terere non negligat fidelis & prudens anima dentibus intelligentiæ suæ, nè si fortè integrũ glutiat & non mansum, frustretur palatum sapore desiderabili & dulciori super mel & favum. Offeramus cum Apostolis in cælesti convivio & Dominica mensa favum mellis. Mel in cera, devotio in litera Psalmi est. Alioquin litera occidit, si absque spiritûs condimento glutieris. Si autem cum Apostolo psallas spiritu, psallas & mente, cognosces & tu de illius veritate sermonis quem dixit Jesus in Evangelio Joannis: *Verba quæ locutus sum vobis spiritus & vita sunt.* Et item quem legimus, dicente Sapientia: *Spiritus meus super mel dulcis.* Sic delectabitur in crassitudine anima tua, sic holocau-

 stum

p *lib. 1. cap. 27. pag. 42.* q *lib. 6. cap. 57. pag. 524.* r *D. Bonaven. in Stimulo amoris de planctu Virginis cap. 4.*

a *Card. Bona lib. de divina Psalmod. cap. 2. §. 3. num. 2.* b *Glos. in cap. 1. de celebr. Missarum.* c *D. Bened. in sua Reg. cap. 16.* d *Card. Bona loco citato.* e *S. Leo Magnus ser. 11. de Pass. Dom.* f *S. Bernard. ser. 7. in Cant num. 6.*

ſtum tuum pingue fiet. Paſsio Chriſti (g) eſt dulciſsima medicina, quæ morbum omnem expellit, vires atque virtutes non habenti acquirit: quæ non ſolùm ſanat ægrotos, ſed etiam vivificat mortuos. Inde holocauſta orationum [h) tanquam ex adipe vituli ſaginati impinguantur. Utinam ego poſſem his ſeptem horis, (i) ac momentis vitæ meæ tam beatæ Paſsionis, tam vivificæ mortis recordari, à qua & vita & reſurrectio mea, & omne bonum meum procedit. Plus enim mihi contulit Dominus redimendo, quàm creando. Creando quippè me mihi dedit: redimendo verò & ſeipſum dedit, & me reddidit mihi. De nihilo creatus ſum, ſed non de nihilo redemptus. Flagella, ſpinas, clavos, & crucem ſuſtinuit amariſsimam, totumquè Sanguinem effudit, ut me vitæ ſempiternæ participem efficeret. Vade igitur anima mea ad montem myrrhæ, collige tibi faſciculum ex omnibus amaritudinibus Domini tui Jeſu Chriſti, & dic anima dilecta: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Hunc faſciculum ſi ſemel collegero, nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. In hoc juſtitiæ mihi conſummationem conſtitui, in hoc ſcientiæ plenitudinem, in hoc divitias ſalutis, & copias meritorum. Hæc mea ſublimior Philoſophia, ſcire Jeſum, & hunc crucifixum. Nullibi enim meliùs diſcitur quid ſit ſanctitas, quid ſit perfectio, quàm in vulneribus Salvatoris. Nulla efficacior eſt medicina ad purgandas animæ ſordes, ad curanda conſcieatiæ vulnera, quàm Chriſti vulnerum meditatio. Quid tam pium fidelium affectibus, (k) tam medicinale moribus, quid ſic interficit peccata, crucifigit vitia, virtutes nutrit & roborat, ſicut Crucifixi memoria? Loquatur quidem Paulus inter perfectos ſapientiam in myſterio abſconditam, ſed mihi cujus imperfectum vident etiam oculi hominum, loquatur Chriſtum crucifixum: his quidem qui pereunt ſtultitiam, mihi autem & his qui ſalvi fiunt planè Dei virtutem, Deiquè ſapientiam: mihi prorsùs altiſſimam atque nobiliſſimam Philoſophiam, per quam irrideo infatuatam tam mundi quàm carnis ſapientiam. O quàm perfectum me putarem, & quàm provectum in ſapientia, ſi hujus Crucifixi idoneus inveniar auditor, qui factus eſt nobis à Deo non ſolùm ſapientia, ſed & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio! Omninò & tu ſi Chriſti confixus es Cruci, ſapiens es, juſtus es, ſanctus es, liber es. An non ſapiens eſt ille, qui cũ Chriſto exaltatus à terra, ſapit & quærit quæ ſursùm ſunt? An non juſtus, in quo deſtructum eſt corpus peccati, ut ultrà non ſerviat peccato? An non ſanctus, qui ſemetipſum exhibet hoſtiam vivam, ſanctam, placentem Deo? An non verè liber, quem Filius Dei liberavit? Venit princeps hujus mundi, (l) & in Salvatore non invenit quidquam; & cùm nihilominùs innocenti manus injecit, juſtiſſimè quos tenebat amiſit: quando is qui morti nihil debebat, acceptâ mortis injuriâ, jure illum qui obnoxius erat, & mortis debito, & diaboli ſolvit dominio.

II. *Docemur ut his ſeptem horis, quibus ſepties in die laudem dicimus Domino, memoriam Paſſionis eius recogitemus, juxta vulgatiſſimos Gloſſæ verſiculos.*

Matutina ligat Chriſtum. Occurrat itaque ſpiritualiter, (m) & ingerat ſeipſum cordibus noſtris Dominus Chriſtus, proditus & venditus à diſcipulo, à Judæis tanquam vile mancipium precio ſatis exiguo camparatus, captus, ligatus, & tractus tanquam homo ſine adjutorio. Vinculum fuit funis, (n) quo ligabatur, cùm traditus eſſet, & caperetur. Ita enim narrat Matthæus in Evangelio: *Tunc injecerunt manus in Jeſum, & vinxerunt eum*. O Rex regum & Domine dominantium, quid tibi & vinculis? Tot adeò ligaris vinculis, qui ſolus ligandi & ſolvendi poteſtatem habes? Sed propter miſericordiam tuam ligatus es, ut nos à miſeriis noſtris faceres abſolutos. O quàm immitia fuerunt illorum immitiſſimorum vincula, quibus Agnum mitiſſimum vinciebant! Quis enim audiat ſine gemitu, [o] qualiter homicidas manus in illa hora in te Jeſu bone injecerunt, & innocentes manus tuas vinculis adſtringentes, te Agnum manſuetiſſimum nihil loquentem, adinſtar latronis contumelioſè traxerunt ad victimam. Video oculis mentis te Domine Jeſu, (p) tam duris nexibus adſtrictum tanquam latronem trahi ad judicium Principis ſacerdotum, & perhorreſco, & admiror: & admirando deficerem, niſi quòd liquidè cognoſco te priùs in corde charitatis nexibus fuiſſe conſtrictum, qui ad duriora ſufferenda te leviter attrahere potuerunt. Gratia ſit vinculis tuis bone Jeſu. Ipſa enim noſtra vincula tam potenter diruperunt.

Prima replet ſputis. Occurrat itaque ſpiritualiter, (q) & ingerat ſeipſum cordibus noſtris Dominus Chriſtus, vellicatis genis, facie ſputis illita. Sic enim narrat Matthæus in Evangelio: *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt*. Concilio malignantium pontificum præſentatus, (r) & veritatem prout oportuit confeſſus, quaſi de blaſphemia adjudicatus eſt morti. Ibi conſpuerunt in faciem dulcis Jeſu, (s) & colaphis eum cædebant, & alapas in caput ejus certatim miniſtri dederunt. O amantiſſimè Domine, (t) quanta illic indignâ à propria gente pertuliſti! Vultum tuum deſiderabilem (in quem deſiderant Angeli proſpicere, qui omnes cælos adimplevit lætitiâ, quem deprecabantur omnes divites plebis,) Judæi polluti labiis ſuo ſputo coinquinaverunt, ſacrilegis manibus cæciderunt, velo in deriſum operuerunt, & te Dominum univerſæ creaturæ tanquam ſervum contemptibilem colaphizaverunt: adhuc autem & Animam tuam incircumciſæ carni deglutiendam tradiderunt. Vinctum ſiquidem ante faciem Pilati perduxerunt, poſtulantes crucis ſupplicio te interimi qui peccatum non noveras, & virum homicidam dari ſibi: agnum lupo, aurum luto poſtponentes. O indignum & infelix commercium! Et quidem non ignorabat impius Pilatus, per invidiam

g *Idem Ser. 11. in ult. Cæna num. 25.* h *Idem Ser. 22. in Cant. num. 7.* i *Cardin. Bona de Divin. Pſalmod. cap. 2. num. 2.* k *Guerricus Abb. Ord. Ciſt. ſer. 2. in Dom. Palm. nu. 1. inter Opera S. Bern. tom. 6. pag. 1187.* l *S. Bern. tract. de error. Abailar. cap. 6. num. 15.*

m *Ser. 2. in Cæna Dom. num. 7.* n *Tract. de vite myſt. cap. 4. num. 12.* o *Ser. de Paſſ. Dom. nu. 10.* p *Tract. de vite myſt. cap. 4. nu. 12.* q *Ser. 2. in Cæna Dom. num. 7.* r *Ser. de Paſſ. Dom. nu. 10.* s *Tract. de 3. præcip. myſt. cap. 6. num. 13.* t *Ser. de Paſſ. Dom. nu. 10. 11. & 12.*

diam hæc in te Domine fieri, nec tamen abstinuit à te temerarias manus, sed replevit Animam tuam amaritudine sine causa. Illusum recepit, in conspectu illusorum adstare te jussit: nec percepit amarissimis verberibus virgineam carnem tuam divellere, plagis plagas, livores livoribus crudeliter infligere. Novissimè autem incircumcisorum militum manibus devolutus es morte turpissima consumendus.

Causam dat Tertia mortis. Occurrat itaque spiritualiter, (u) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, scisso verberibus dorso, punctis vepribus capite, morte turpissima condemnatus. Hac enim hora tertia (x) Dominus noster spinis coronatus, Judæorum vocibus crucifixus est, juxta illud Psalmi quinquagesimisexti: *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*. Nam Pilato judicante illum dimitti, Judæi firmaverunt sibi sermonem nequam, pertinaciter clamando: *Crucifige, crucifige eum*. Et ille quidem iniquus judex sacrilegis Judæorum clamoribus commotus, Auctorem vitæ morte turpissima condemnavit. Jesus autem cum iniquis reputatus, Agnus sine macula sævissimæ luporum rapacitati traditus est. Tum bajulans sibi Crucem, ad locum supplicii contumeliis & blasphemiis lacessitus pervenit: ipsoquè patibulo in terra defixo, immania tormentorum genera erga ipsum Dei Filium innovata sunt. Hæc verò omnia (y) horâ tertiâ contigisse Ignatius Martyr & Athanasius observant. Et quidem non ignorabat impius Pilatus, (z) per invidiam hæc in Jesum fieri, nec tamen abstinuit ab eo temerarias manus, sed replevit Animam ejus amaritudine sine causa, dimittens Judæis Barabbam homicidam, Jesum verò innocentem tradens voluntati eorum, ut crucifigeretur. Per Sacerdotum quippè persuasionem populus dimitti Barabbam, (a) Christum verò crucifigi acclamavit, & Pilatus fieri adjudicavit. Linguis ergo non manibus ipsum crucifixerunt, sicut dicit Propheta David: *Linguas suas ut gladium acuerunt*.

Sexta Cruci nectit. Occurrat itaque spiritualiter, (b) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, terebratis palmis, pedibusquè confossis: qui tanquam jugulatori suo alludens, seipsum non reluctans exposuit, & nudum corpus quasi incudem malleatorum ictibus patienter explicuit. Hoc autem spectaculum est sextâ horâ exhibitum, (c) ac mysterium hac hora fuit impletum, quod animum meum magis percellit, commovet viscera, concutit mentem, calamum urget. Christus Dei Filius. heu quantum in hoc nomine & doloris, & sensûs! Jesus inquam Salvator mundi hac ipsa hora pro salute nostra crudeliter crucifixus est. Ita sanè congruum fuit, (d) ut quo tempore eversio facta fuit, eodem fieret reparatio. Congruum fuit, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & eâdem horâ, quâ morbus irrepserat, remedium applicaretur. Ecce Abel occisus à fratre, ecce Isaac ligatus à patre, ecce serpens æneus in deserto exaltatus à Moyse, ecce Agnus immolatus in lege, ecce Deus occisus ab homine. Ecce, ô homo, Vita tua quasi pendens ante te. Hostia scilicet pacifica, hostia pro peccatis extra templum, extra civitatem, extra castra immolatur: ut veterum victimarum figura cessante, Hostia nova novo Altari imponeretur, & Crux Christi gloriosa in conspectu totius orbis exaltaretur, ipso Domino magnæ promissionis fidem adimplente, qui dixerat: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*.

Latus ejus Nona bipertit. Occurrat itaque spiritualiter, (e) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, saucio latere, qui pro nobis per hujus vitæ pelagus ad patriam de exilio transferendis, rapacibus piratis naulum propriæ mortis exoluit. Sunt (f) qui dicant, hac hora nona ejectos esse primos parentes è paradiso, nam post meridiem ambulabat Dominus ad auram, ut perniciosam illorum transgressionem argueret: cùmquè debitam peccato pœnam imposuisset, emisit eos de paradiso voluptatis, ut qui terram prætulerant cælo, terrenis operibus occuparentur. Quàm insipientes fecit eos peccatum! Audita voce Dei absconderunt se non ferentes confusionem, gratiâ expoliati, quâ priùs vestiti erant. Mox enim ut intravit peccatum, simul eos invasit erubescentia, clamante conscientia, & reos accusante, durisquè flagellis puniente. Deus autem misericors & miserator, cujus bonitatis infinitus est thesaurus, ante durissimi exilii, mortisquè corporalis sententiam Redemptorem miseris promisit: qui, ut effectus promissioni & merito conveniret & tempore, circa finem diei Protoparentibus promissus, circa finem sæculi missus in mundum, horâ item nonâ crudelissima morte exivit è mundo. Hæc potissima ratio est, ob quam ad horæ nonæ celebranda mysteria non sine lachrymis & singultibus convenire debemus. Hac enim hora Dominus Jesus exclamans voce magna emisit spiritum. Tunc extensis in Cruce manibus damnatam in primo homine posteritatem ad esum ligni vitæ secundus homo revocavit. Tunc Passio Domini passiones nostras evicit, & singularis misericordia reatum primæ prævaricationis absolvit. *Proprio scilicet Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: ut si eum amare superba mens nostra detractabat, saltem amori tam singulari dilectionem rependere non neget.

Vespera deponit. Occurrat itaque spiritualiter, (g) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Jesus: cõsideremus quomodo corpus ejus exanime deponitur de Cruce. Sustinet enim adhuc, (h) & diligenter considerat si quis sit qui simul contristetur: si quem inveniat, qui Sanguinis rivos abstergat, & de cruce depositum Corpus suum munda sindone non panni sed cordis involuat, & flens cum beatis mulieribus ad tumulum prosequatur. Vespera tunc erat, (i) cùm è Cruce depositus, & afflictissimæ Matris sinu exceptus dolorem ipsius innovavit, cùm Angeli

pacis

u *Ser. 2. in Cœna Dom. num. 7.* x *Card. Bona libr. de Divina Psalmod. cap. 7. §. 2. num. 1. ex Ruperto Abb. lib. 1. de Div. Off. cap. 3.* y *Idem Card. ibid. citat Ignatii Epist. ad Trallian., & Athan. lib. de Virginit.* z *S. Bern. ser. de Pass. Dom. num. 11.* a *Ser. in fer. 2. Paschæ num. 13. tom. 6. pag. 723.* b *Ser. 2. in Cœna Dom. num. 7.* c *Card. Bona libr. de Div. Psalmod. cap. 8. §. 3. nu. 3.* d *Cyrill. Hierosol. cap. 14. ab eodem Card. relat. ibid.*

e *S. Bern. Ser. 2. in Cœna Dom. num. 7.* f *Moses Barc. par. 1. de Paradiso cap. 28. citatus à Card. Bona lib. de Div. Psalmod. cap. 9. §. 2. num. 2.* g *S. Bern. ser. 2. in Cœna Dom. num. 7.* h *Tract. de vita myst. cap. 4. nu. 16.* i *Card. Bona lib. de Div. Psalmod. cap. 10. §. 4. nu. 2.*

pacis ad obsequiũ Reginæ suæ circumstantes amarè flebant. Quis hîc gemitus (k) lachrymasquè contineat? Quis hîc non doleat? Quia si est piũ congaudere pio Jesu, ita est pium flere pium Jesum. Venite quæso, (l) & condolete ei omnes, qui gaudere desideratis in Domino. Attendite manu fortem nostrum, quomodò contritus est: desiderabilem nostrum, quomodò miserabiliter deformatus est: pacificum nostrum, quomodò in bello peremptus est. Vacate & videte quàm amarâ, quàm turpi morte condemnatus est. Agnosce ô homo, (m) quàm gravia sunt vulnera animæ tuæ, pro quibus necesse fuit Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Proinde (n) recole frequentiùs Salutem mundi pro te passam, Vitam pro te mortuam, Fortitudinem infirmatam. Si membrum Christi es, compatire Capiti tuo: si frater Christi es, commorere Fratri tuo. Plange, dole cum gemitu & lachrymis super mortẽ pretiosam Unigeniti Dei Patris. Et dic: Fletus deducite oculi mei, [o] & liquesce anima mea igne compassionis super contritione amabilis Jesu, quem in tanta amaritudine tot vides affectum doloribus. O dulcissime [p] & amantissime Jesu, quis te usque ad hæc non solùm dirissima, sed etiam turpissima vulnera patienda pertraxit? quis te tam amaræ & tam odiosæ morti addixit? Vulnerum utique antiquorum nostrorum unica mors Salvator.

Tumulo Completa reponit. Occurrat itaque spiritualiter, (q) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Jesus, quomodò corpus ejus reponitur in sepulchro. Hac quippè hora [r] Dominicæ sepulturæ memoria celebratur. Corpus enim Christi è cruce depositum in monumento positum est, non corruptioni obnoxium, sed ad immortalitatem resurrecturum. Quiescamus suaviter in hoc Sepulchro, quicunque Christi passionibus communicamus. Maneamus in eo securi, nam futurum illud gloriosum Propheta Isaias prædixit. Quiescamus inquam & nos, & moriamur cum eo, ea scilicet morte, de qua psallimus. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*: ut consepulti cum Christo ingrediamur in abundantia sepulchrum. Hæc mors perducit nos ad vitam, quæ nonnisi mortua carne cognoscitur, sicut scriptum est: *Non videbit me homo, & vivet.* In patibulo Sextâ feriâ (s) redemit hominem, ipsa die qua fecerat hominem initio: sequenti die sabbatizavit in monumento, consummato opere quod susceperat. Tertia verò die, quæ prima dierum est, primitiæ dormientium apparuit mortis victor novus Homo. Ita & nos quicunque sequimur Caput Christum nostrum, tota die hac qua plasmati & redempti sumus, non cessemus tollere crucem nostram, perseverantes in ea sicut ipse perseveravit, & donec dicat Spiritus ut requiescamus à laboribus nostris. Persistamus in cruce, moriamur in cruce: deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. Caput Christum nostrum deposuêre viri justi: nos verò dignatione sua Angeli sancti deponant, ut consummata viriliter die crucis, secundâ quæ post mortem est die quiescamus suaviter, dormiamus feliciter in sepulchris: expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, qui resuscitabit corpora nostra tertia demùm die, configurata Corpori claritatis suæ.

III. *Proponitur nobis pia exercitatio erga Christum crucifixum, desumpta ex Horologio Ascetico Eminentissimi Cardinalis Bona Ordinis Cisterciensis, cap. 5. §. 9.*

Montibus Hannoniæ parvus libellus impressus est anno 1634. praxim quandam continens spiritualis exercitationis erga Christum crucifixum, qua pius quidam Dei Servus utebatur. Est autem hujusmodi *tenoris*:

1. Habebat hic in cubiculo suo Christi è Cruce pendentis affabrè factam Imaginem opere anaglyptico, quam semel in mense nudis pedibus maxima humilitate adorabat, fidelitatis juramentum ei præstans: dequè omni quod erat, quod poterat, quod habebat, homagium illi faciebat, petens, ut sibi tanquam servo emptitio ejus pedes exosculari liceret. Singulis verò Sextis feriis ipsum cum universa familia adorabat, sicut solet Ecclesia feriâ Sextâ majoris hebdomadæ.

2. Cùm aliqua tentatione vexabatur, ad ipsum confugiebat: & si foris fuisset, anima ejus ad pedes ipsius volabat, & in sacris ipsorum vulneribus se abscondebat. Cùm verò è cubiculo egrediebatur, in una plagarum animam suam relinquebat: & si alicubi inutilia audiebat colloquia, in nidulo suo colligebat se, mente Crucifixum adorans, & dulcia cum eo miscens colloquia. Quòd si domi tentabatur, Crucifixum arripiens eo seipsum signabat, eumquè amplectabatur, sicut infans terrore correptus ad matrem vel nutricem fugit. Deinde dicebat sibi: *In hoc signo vinces.* Et ad diabolum: *Ecce signum Crucis Domini nostri Jesu Christi, fugite partes adversæ, vicit leo de tribu Juda, radix David.*

3. Si aliquando tentationi succumbens culpam aliquam admisisset, concito gressu ad Crucifixum properabat, sequè accusabat ante tribunal justitiæ ejus, & quasi ex ore Domini sententiam suæ damnationis proferri audiret, se humi prosternebat, atque illicò pœnitentiam sibi inspiratam faciebat. Interdùm etiam graviora sua peccata scribebat, & ad pedes Salvatoris ferebat, ut pretioso suo Sanguine ea deleret. Suo item cordi cor saucium JESU Christi aliquando applicabat, manibus manus, pedibus pedes, ut à fonte totius sanctitatis remedium acciperet suarum necessitatum.

4. In omnibus dubiis ac difficultatibus suis consilium ab eo petere solebat, dicens: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Quoties aliquid composuerat, ad pedes ejus ferebat, inquiens: *Tua est hac doctrina*

k *S. Bern. tract. de vite myst. cap. 4. nu. 15.* l *Ibid. cap. 5. nu. 27.* m *Ser. 3. in Nat. Dom. nu. 4.* n *Ser. de excellen. SS. Sacramen. nu. 6.* o *Ser. de Pass. Dom. num. 14.* p *Tract. de vite myst. cap. 5. nu. 24.* q *Ser. 2. in Cæna Dom. num. 1.* r *Card. Bona libro de Div. Psalmod. cap. 11. §. 2. num. 2.* s *S. Bern. Ser. 1. in die Paschæ num. 8.*

ctrina Domine, tu mihi eam dictasti: corrige hac scripta, & omnis eorum laus tua sit. In desolationibus ad eum recurrebat sẽper, dicens: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Confugiebat ad eundẽ in ariditatibus, & dicebat: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi, velociter exaudi me Domine.* Cùm ægrotabat, subinde ad ipsum respiciebat, æstimans se felicem quòd aliquid pro illo pateretur. Porrò scribebat illi epistolas plenas amore, omnemquè statum suum internum ei revelabat, & consilium ab eo petebat. Serto florum eum coronabat, accipiens sibi spineam coronam. Erant autem flores, diversæ de seipso victoriæ, actusquè virtutum, quos illi offerebat serò post examen conscientiæ: spinæ verò erant mortificationes.

5. Vocatus ad aliquam conversationem, ponebat Crucifixum super os, oculos, & aures, dicens: *Pone te Domine, sicut seram ori meo; sicut sepem spinarum auribus meis, & aliis sensibus, ut nihil intret in cor meum, quod displiceat cordi tuo.* Quòd si in illa conversatione aliquo modo deliquisset, pœnam imponebat ori suo, ne sacra vulnera oscularetur: oculis, ne in faciem ejus respicerent: linguę, ne coram eo loqui præsumeret usque ad certum tempus, donec crederet culpam esse expiatam. Semper eum præsentem habere conabatur, cupiens mori cum eo in Cruce. Omnes actiones suas actionibus ejus conformare satagebat: ipsumquè jugiter precabatur, ut inter brachia sua, & cor apertum reciperet spiritum suum. Hæc & alia obsequia erga Christum crucifixum præfatus Dei Servus præstabat: sed ista duntaxat è multis excerpsi, quæ ad exemplum & imitationem sufficere possunt. Amor autem, & Spiritus Domini Jesu se devotè exercitanti plura suggerent. Ipse enim Spiritus adjuvat infirmitatem nostram, ipse postulat pro nobis, & facienti quod in se est, vires & robur subministrat.

IV. *Proponitur nobis Oratio ad quinque vulnera Christi, excerpta ex Horologio Ascetico ejusdem Cardinalis Bona, cap. 5. §. 24.*

1. Salve vulnus benedictum dexteræ manus Domini mei JESU Christi crucifixi, pro mea & omnium hominum salute roseo stillans cruore. Protege me Domine dexterâ tuâ, ne quando dicat inimicus meus, *Prævalui adversùs eum*, quem tu Sanguine tuo redemisti. Deducat me mirabiliter dextera tua, ut omnes cogitationes meæ & sermones mei semper rectâ viâ tendãt, & dirigãtur ad te utpotè scopum & finem meum. Da mihi gestare semper ardentem lampadem, oleo charitatis instructam, ut dignus habear, qui tecum ad cælestes nuptias intromittar: & ut, cùm sæculum judicaturus veneris, ad dexteram tuam constitutus audire merear cum electis tuis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum paratum vobis à constitutione mundi.* Amen.

2. Salve beatificum vulnus sinistræ manus Salvatoris mei Iesu Christi, pretiosissimo ejus Sanguine purpuratum. Manu tua forti & bracchio excelso ad nihilum redige Domine, quidquid sinistrum & perversum moliuntur adversùm me, qui cogitant mihi mala. Comprime vires hostium, qui quærunt animam meam. Tuere me, & adesto mihi in omnibus adversitatibus & tribulationibus meis. Dic animæ meæ, *Salus tua ego sum*: ut de manu inimicorum meorum liberatus, in sanctitate & justitia serviam tibi omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

3. Salve gloriosum vulnus dextri pedis Domini mei Iesu Christi, Sanguine Agni immaculati conspersum. Perfice Domine pedes meos tanquam cervorum, ut indefesso cursu per viam mandatorum tuorum incedam, eaquè semper exquiram, quæ placita sunt tuæ divinæ voluntati. Dirige gressus meos in virtutem, donec videam Deum deorum Syon. Lucerna pedibus meis sit verbum tuum, & lumen semitis meis, ut etiam proximis lucis exempla præbeam, quatenùs tu Deus meus in omnibus & ante omnia glorificeris, nunc & in æternum. Amen.

4. Salve venerabile vulnus sinistri pedis Christi Sanguine madefactum. Evelle Domine pedes meos à laqueo, quem statuerunt mihi inimici mei. Custodi animam meam à lapsu, ne fiam hostibus meis in prædam. Non veniat mihi pes superbiæ, sed in simplicitate cordis mei incedam coram te omni tempore. Edoce me vias tuas, ut sciam quid acceptum sit coram te, & opere compleam universa quæ præcepisti mihi. Amen.

5. Salve vulnus saluberrimum cordis JESU Christi crudeli cuspide inflictum, è quo Sanguis & aqua copiosè emanàrunt in ablutionem peccatorum nostrorum. Vulnera cor meum Domine amoris tui jaculo, ut te in omnibus & super omnia colat: tequè & proximum propter te ferventi semper amore prosequatur. Munda me purissimo Sanguiue & aquâ salutari, ut ab omni labe emundatus, te Deum Salvatorem meum, quem soli mundo corde videbunt, in omni æternitate merear contemplari. Amen.

§. XXIV.

Afferuntur variæ causæ, quibus excitamur ad recolendam Passionem Christi.

Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem. *Hebr. 12.*

I. M*Editatio passionis Dominicæ, est incitamentum ad amandum Christum Deum nostrum Redemptorem.* Quid enim efficacius potest esse, (a) quàm jugis recordatio passionis ejus, per quam apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei? Super omnia Christum Jesum passio sua nobis amabilem facit: ipsa enim propitiata est omnibus iniquitatibus nostris. Super omnia, inqam, (b) reddit nobis amabilem Jesum bonum calix quem bibit, opus scilicet redemptionis nostræ. Hoc omninò amorem nostrum facilè vendicat totum sibi. Hoc inquam est opus, quod nostrã devotionem & blandiùs allicit, & justiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehemẽtiùs. Et verè (c) in nullo sic commendat Deus charitatem suam, quomodo in mysterio passionis suæ: in nullo sic

a S. Bern. lib. 3. de amore Dei cap. 26. num. 38. b ser. 22. in Cant. num. 2. c ser. 29. div. nu. 3.

ſic revelatur ejus pietas, in nullo ſic apparet ejus benignitas, quomodo in humanitate, Apoſtolo teſte qui ait: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris noſtri Dei.* Et ideò (d) hoc repletum amore cor humanum, nihil libentiùs, nihil legit ſtudioſiùs, nihil frequentiùs recolit, nihil ſuaviùs meditatur, quàm paſſionem Dominicam. Judæus ſanè, (e) ſive paganus nequaquam talibus aculeis incitatur amoris, quales Eccleſia experitur, quæ ait: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Cernit cæſum & conſputum Dominum majeſtatis. Cernit Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua Synagoga. Cernit Unicum Patris crucem ſibi bajulantem. Cernit auctorem vitæ & gloriæ confixum clavis, percuſſum lanceâ, opprobriis ſaturatum: cernit tandem illam dilectam Animam ſuam ponere pro amicis ſuis. Cernit hæc, & ſuam magis ipſius animam gladius amoris tranſverberat, & dicit: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Hæc mala, (f) hi flores, quibus ſponſa Eccleſia ſe interim ſtipari poſtulat & fulciri, credo ſentiens facilè vim in ſe amoris poſſe tepeſcere & langueſcere quodammodò, ſi non talibus jugiter foveatur incentivis. Sit ergo (g) meditatio noſtra Chriſtus, & hic crucifixus: quia ſi compatimur, & conregnabimus.

II. *Meditatio paſſionis Dominicæ excitat zelum acquirendi animas Chriſto Deo noſtro.* Hoc ſiquidem habet (h) vera & caſta contemplatio paſſionis Dominicæ, ut mentem, quam divino igne vehementer ſuccenderit, tanto interdùm repleat zelo & deſiderio acquirendi Deo qui eum ſimiliter diligant, ut ocium contemplationis pro ſtudio prædicationis libentiſſimè intermittat: & rurſùm potita votis, aliquatenùs in hac parte tantò ardentiùs redeat in idipſum, quantò ſe fructuoſiùs intermiſiſſe meminerit: & item ſumpto contemplationis guſtu, valentiùs ad conquirenda lucra ſolitâ alacritate recurrat. Meditatio paſſionis Chriſti (i) replet ubera matrum ſpiritualium: & ideò inter ubera mea commorabitur. Tantæ nempè efficaciæ (k) oſculum ſanctum eſt, ut ex ipſo mox cùm acceperit illud ſponſa concipiat, tumeſcentibus nimirùm uberibus, & lacte quaſi pingueſcentibus in teſtimonium. Quibus ſtudium eſt orare frequenter, experti ſunt quod dico. Sæpè corde tepido & arido accedimus ad meditationem: perſiſtentibus autem repentè infunditur gratia, pingueſcit pectus, replet viſcera inundatio pietatis; & ſi ſit qui premat lac conceptæ dulcedinis, ubertim fundere non tardabũt. Sed demus (l) & ſodalibus iſta depromere. Aliud ſiquidẽ eſt quod unius lætificat cor hominis, & aliud quod ędificat multos. Nã etſi Rachel formoſior, ſed Lya fœcundior eſt. Tu quoque ſi ſapis (m) imitaberis ſponſæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum faſciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit Chriſtus Dominus, ſemper in memoria retinens, & aſſidua meditatione revolvens, quo poſſis dicere & tu: *Faſciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Sit tibi Ieſus ſemper in corde, (n) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi ſit lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua.

III. *Meditatio paſſionis Dominicæ eſt fons omnium bonorum.* Continentia carnis, [o] cordis induſtria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non ſolùm autem, ſed & ſi quis callet ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet, inde eſt. Inde ſcientiæ & ſapientiæ ſermo manat. Theſauri ſiquidẽ ſapientię & ſcientiæ omnes ibi abſcõditi ſunt. Quid caſta conſilia, juſta judicia, ſancta deſideria, nonne rivuli fontis illius ſunt? Quid æquè (p) mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honeſtos, caſtas fovet affectiones? Quid denique (q) tam efficax eſt ad purgandam mentis aciem, quàm Chriſti vulnerũ ſedula meditatio? Hæc eſt ſola, (r) quæ ad omnia valet. Et primùm quidem ipſum fontem ſuum, id eſt mentem de qua oritur, purificat. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat & ordinat. Hæc eſt ſola, (s) quæ humectat interiora a rẽtis cõſcientiæ, eſcas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra: fidem roborans, ſpem confortans, vegetans ordinanſquè charitatem, & impinguans mores. Paſſio Chriſti (t) ultimum eſt refugium, ſingulare remedium. Proinde (u) accedendum eſt mente ad cor Jeſu crucifixi per januam lateris lanceati. Ibi enim theſaurus ineffabilis deſiderabilis charitatis latet, ibi nova devotio invenitur: inde lachrymarum gratia extrahitur: ibi diſcitur manſuetudo & patientia in adverſis, compaſſio in afflictis. Ibi quoq; remediũ vulnerũ, (x) ibi ſubſidia neceſſitatum, ibi reſarcitus defectuum, ibi profectuum copiæ inveniuntur: ibi deniq; quidquid accipere vel habere hominibus expedit, quidquid decet, quidquid oportet, reperitur. Sit ergo (y) meditatio noſtra Chriſtus, & hic crucifixus: quia ſi compatimur, & conregnabimus.

IV. *Meditatio paſſionis Dominicæ eſt medicina animæ vulneratæ.* Si enim intelleximus (z) foſſam eſſe humum illam quæ ait, *Foderunt manus meas & pedes meos*: non erit ambigendum de ſanitate in ea citiùs adipiſcenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur. Quid enim tam efficax poteſt eſſe ad curanda conſcientiæ vulnera, quàm Chiſti vulnerum ſedula meditatio? Hæc eſt dulciſſima medicina, (a) quæ morbum omnem expellit, vires atque virtutes non habenti acquirit: quæ non ſolùm ſanat ægrotos, ſed etiam vivificat mortuos. Mihi meus auditor credat, imò mihi credat crucis amator, quòd jam non lædetur à morte ſecunda, ſi in hac vita uſus fuerit tali medicina. Mirabilis eſt paſſio Domini Ieſu,

d *Ser. 20. in Cant. num. 7.* e *Tract. de diligen. Deo cap. 3. num. 7.* f *Ibid. num. 10.* g *Ser. 1. de verb. Eſai. num. 2.* h *Ser. 57. in Cant. num. 9.* i *Ser. 43. in Cant. num. 4.* k *Ser. 9. in Cant. num. 7.* l *Ibid. num. 8.* m *Ser. 43. in Cant. nu. 2.*

n *Ex formula honeſtæ vitæ nu. 2. tom. 6. pag. 1036.* o *Ser. 13. in Cant nu. 1.* p *Ser. 15. in Cant. nu. 6.* q *Ser. 62. in Cant. nu. 7.* r *Lib. 1. de conſid. ad Eugen. Papam cap. 7.* s *Ser. 13. in Cant. nu. 6.* t *Ser. 22. in Cant. nu. 9.* u *Tract. de vite myſt. cap. 41. nu. 169.* x *Ser. 86. in Cant. nu. 3.* y *Ser. 1. de verb. Eſai. nu. 2.* z *Ser. 62. in Cant. nu. 7.* a *Ser 12. in ult. cœna nu. 65.*

ſu, (b) quæ paſſiones omnium noſtrûm propulſavit: propitiata eſt omnibus iniquitatibus noſtris, & nulli unquam peſti noſtræ invenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſalvetur? Si ergo (c) in mentem venerit tam potens tamquè efficax medicamentum, nullâ jam poſſum morbi malignitate terreri. Nihil enim ita iræ impetum cohibet, [d] ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat livoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem, ſicut Chriſti vulnerum ſedula meditatio. Siquidem cùm recogito Jeſum crucifixum, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum, eundemquè ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adjutorio. Itaque cùm defecerit virtus mea, [e] non conturbor, non diffido, ſcio quid faciam: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Hoc eſt: [f] Monumēta Paſſionis ſuę intra animę meæ ſinum, & intra memoriæ meæ cellas ſemper revolvam. Aſpiciam Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua. Aſpiciam eum ligatum, flagellatum, conſputum, ſaturatum opprobriis, claviſquè confixum. Aſpiciam in hujus exilii deſerto Serpentem æneum ſuper columnam Crucis exaltatum, ut ſerpentes qui me mordent, moriantur: quia nullus qui credit in eum peribit, ſed habebit vitam æternam. Hæc & alia patientis ac morientis Domini mei memorialia, memoriæ meæ arctiùs commendabo, & ad os cogitationis revocans ruminabo diutiùs, ut impinguer devotiùs.

V. *Meditatio paſſionis Dominicæ eſt refectio animæ Chriſtianæ.* Novit quicunque rectè ſapit, [g] quantum Chriſtianæ pietati expediat, quantum Dei ſervum deceat ſacroſanctæ Paſſionis ipſius fideliùs recolere beneficia, ad fruendum ſuaviter in conſcientia, ad recondendum pleniùs per imitationem in memoria: quod eſt ſpiritualiter manducare Corpus Domini, & Sanguinem ejus bibere, ob amorem & reverentiam ejus, qui credentibus in ſe præcipit dicens: *Hoc facite in meam còmmemorationem.* Item [h] quotidiè nobis de memoria Paſſionis in Eccleſia replicatur: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Ac ſi diceret: Qui recolit mortem meam, & exemplo meo mortificat membra ſua quæ ſunt ſuper terram, habet vitam æternam. Hoc eſt: Si compatimini, & conregnabitis. Quoties ergo in cōmemorationem ejus qui pro te paſſus eſt, (i) piè ac fideliter Chriſtum imitando fueris affectus & devotus, toties Corpus ejus manducas, & Sanguinem ejus bibis: & quamdiù in eo manes per amorem, ipſe verò in te per juſtitiæ & ſanctitatis operationem, in ejus Corpore & in membris ejus computaberis. Propheta etiam David (k) dicit: *Memoriam abundantiæ ſuavitatis eructabunt.* O ſummè pia & verè ſuavis memoria, annunciate mortem Domini donec veniat. Habeamus ergo [l] eorum quæ contemptibilia Chriſto ſunt illata, continuam & indeſinentem memoriam: non utique otioſam, non tepidam, non torpentem, ſed compaſſionis ardore ſuper omnia plurimùm delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem. Unde idem Propheta inquit: *Delectare in Domino*, ut ſpreta mundi vitiorum omnium jucunditate ſuavior ejus recordatio ſit: *& dabit tibi petitiones cordis tui*, non carnis. Foderunt manus ejus & pedes, (m) latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleumquè de ſaxo duriſſimo, id eſt guſtare & videre quoniam ſuavis eſt Dominus. Sit tibi quoque Jeſus ſemper in corde, [n] & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi ſit cibus & potus, dulcedo & conſolatio tua, mel tuum & deſiderium, lectio & meditatio tua.

VI. *Meditatio paſſionis Dominicæ omnia amara illa quæ patimur, dulcorat.* Siquidem Chriſtus Dominus pro peccatis noſtris crucifixus, (o) crucem amaram ſuis amatoribus dulcoravit. Quid enim tam amarum poteſt eſſe, (p) quod in recordatione vivificæ Paſſionis non poſſit dulceſcere? Certè legimus Hebræos cùm exiſſent de Ægypto, veniſſe ad aquam amariſſimam, quam nullus guſtare poterat: cui cum Moyſes lignum injeciſſet, dulcorata eſt, ſic ut eam delectabiliter biberent. Quid apertiùs per aquam amaram quàm cujuslibet adverſitatis amaritudo ſignatur? cui cùm lignum crucis injicitur, id eſt, cùm paſſio dulcis Jeſu conſideratur, neceſſe eſt omnem paſſionem hominis levem videri reſpectu paſſionis Dominicæ. Inde martyrii tolerantia, (q) inde Martyri magna fiducia apud Deum Altiſſimum. Non eſt quod vereatur Martyr exanguem lividamquè levare ad eum faciem, cujus livore ſanatus eſt. Quid vereatur cui etiam à Domino dicitur: *Oſtende mihi faciem tuam?* Vult benignus Dux devoti militis vultum & oculos in ſua ſuſtolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſui reddat ad tolerandum fortiorem. Deinde (r) quid mirum ſi cruci ſuavitatem dedit, qui dedit & igni? aut quomodò crux judicatur inſipida, ubi dulce ſapit & flamma? Quid enim ſapiebat Laurentio ignis, cùm irrideret carnifices, judicem ſubſannaret dicens: *Aſſatum eſt jam, verſa, & manduca?* Quid nos ad iſta dicemus, Fratres, quòd non ſapit etiam nobis tribulatio quæ pro Chriſto eſt, nec guſtamus & nos manna abſconditum? Mementote (s) quia accepit eum Simeon in ulnis ſuis, Maria geſtavit in utero, fovit in gremio, ſponſa ſibi inter ubera collocavit. Hi omnes ante ſe eum habuerunt, & nullus retrò. Exemplo ergo ſint vobis, ut & vos ſimiliter faciatis. Habete illum ſemper non retrò in humeris, ſed ante præ oculis: ne portantes & non adorantes, & onus premat, & odor non erigat. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes anguſtias Domini, leviùs veſtras portabitis. Sit meditatio noſtra Chriſtus, (t) & hic crucifixus: quia ſi compatimur

q

b *ſer. in fer. 4. hebd. ſan. nu. 1.* c *ſer. 61. in Cant. nu. 3.* d *ſer. 15. in Cant. nu. 6. & 7.* e *ſer. 22. in Cant. nu. 9.* f *ſer. de verb. ſap. nom. 5. tom. 6. pag. 770.* g *ſer. 2. in cæna Dom. nu. 9.* h *Tract. de diligen. Deo cap. 4. nu. 11.* i *ſer. 2. in cæna Dom. nu. 9.* k *ſer. de excell. S S. Sacram. nu. 6.*

l *ſer. 2. in cæna Dom. nu. 9.* m *ſer. 61. in Cant. nu. 4.* n *Ex formula bon. vit. nu. 2.* o *ſer. de Paſſ. Dom. nu. 1.* p *Tract. de vite myſt. cap. 44. nu. 171.* q *ſer. 61. in Cant. nu. 7.* r *ſer. 1. de S. Andrea nu. 2.* s *ſer. 43. in Cant. nu. 5.* t *ſer. 1. de verb. Eſai n. 2.*

patimur, & conregnabimus. Ipſum ponamus ſignaculum ſuper cor, ſignaculum ſuper brachiũ noſtrum.

VII. *Meditatio paſſionis Dominicæ eſt ſublimis philoſophia Chriſtianorum.* Hæc eſt enim, (u) quæ divinarum pariter & humanarum rerum ſcientiam confert. Quam utique ſcientiam (x) haud facilè niſi qui mundo crucifixus fuerit, apprehendit. Porrò (y) ad diſcendam hanc ſcientiam opus eſt potiùs intima compunctione, quàm profunda inveſtigatione: ſuſpiriis, quàm argumentis: crebris lamentationibus, quàm copioſis argumentationibus: lachrymis, quàm ſententiis: meditatione, quàm lectione. Meditatio ruminat livores vulnerum Chriſti, (z) fixuras clavorum, acetum & lanceam, perſecutorum ſævitiam, mortem turpiſſimam, Corpris ſepulturam. Quid horum non verè, (a) non piè, non ſanctè cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito, & per omnia eſt Deus meus. Hæc ego meditari dixi ſapientiam, & prudentiam judicavi eructare memoriam ſuavitatis. Memoriam abundantiæ ſuavitatis horum eructabo (b) quoad vixero. In æternum non obliviſcar miſerationes iſtas, quia in ipſis vivificatus ſum. Recordabor quamdiu fuero, (c) dolorum Chriſti, conviciorum, ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobrationum, clavorum, horumquè ſimilium, quæ per eum & ſuper eum abundantiùs tranſierunt. Et propterea non faſcem, (d) ſed faſciculum dilectum dicit ſponſa: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Hoc eſt: Sufficit mihi, nolo jam ſcire niſi Ieſum, & hunc crucifixum. Tu quoq; ſi ſapis, [e] imitaberis ſponſæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum faſciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit, ſemper in memoria retinens, & aſſidua meditatione revolvens, quo poſſis dicere & tu: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Et ego ab ineunte mea converſione, (f) pro acervo meritorum quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Hæc meditari dixi ſapientiam: in his mihi plenitudinem ſcientiæ conſtitui. Hæc mea ſublimior interim philoſophia, ſcire Jeſum & hunc crucifixum: & ideò inter ubera mea commorabitur. Hunc & vos, dilectiſſimi, (g) tam dilectum faſciculum colligite vobis, hunc medullis inſerite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur. Sit meditatio noſtra Chriſtus, [h] & hic crucifixus: quia ſi compatimur, & conregnabimus.

VIII. *Meditatio paſſionis Dominicæ elicit gratiam compunctionis.* Quoties enim (i) in contemplatione Dominicæ paſſionis ſuſpendimur, toties ex recordatione tantæ admiratinnis in oratione compungimur. Meditatio ruminat livores vulnerum, fixuras clavorum, acetum & lanceam. Oratio fundit ſuſpira, piæ devotionis ſtillat aromata, tota reſolvitur in lamenta. Proinde (k) videre eſt homines ſic affectos erga hujuſmodi paſſionem Chriſti, ut vix ſine lachrymis audiant vel recordentur. Qui enim Chriſto paſſo piè compatitur, (l) facilè compungitur, & movetur ad memoriam horum quæ pertulit: atque iſtius devotionis ſuavitate paſcitur, & confortatur ad quæque ſalubria, honeſta, & pia. Et ideò (m) accedendũ eſt ad manus & pedes ejus perfoſſos, ſanguineis manantes guttis: undelibet quærẽda eſt devotio, & gratia lachrymoſæ compunctionis: utrinq, cõſiderandum eſt, quàm immites fixuræ clavorum, quàm amara venarũ oſſiumquè perfractio in manibus & pedibus Ieſu Chriſti. Tandem accedendum eſt ad cor ejus (n) per januam lateris lanceati: ibi præcipuè cor contritum & humiliatum invenitur. Ibi avidiſſimè prælibantur (o) incomparabiles deliciæ charitatis: & ſuccisis ſpinis ac vepribus quibus antea pungebatur, unctione miſericordiæ perfuſus animus in conſcientia bona requieſcit. O quàm felix eris, (p) ſi poſtquàm intra vulnera Crucifixi fueris intromiſſus, ab hujus mundi ſtrepitu per dimidiam ſaltem horam valeas omninò liberari, & ſoli ei ad quem introiſti vacans, guſtare poſſis quàm dulcis eſt Dominus. Cæterùm ut validiùs compungamur, [q] & ampliùs moveamur, revoluamus connectendo faſciculum de omnibus & ſingulis, quæ facta referuntur de Redemptore noſtro piiſſimo. Occurrat itaque ſpiritualiter, & ingerat ſeipſum cordibus noſtris Dominus Chriſtus, proditus & venditus à diſcipulo, à Iudæis tanquam vile mancipium pretio ſatis exiguo comparatus: captus, ligatus, & tractus tanquam homo ſine adjutorio: ſciſſo etiam verberibus dorſo, vellicatis genis, facie ſputis illita, puncto vepribus capite, ſaucio latere, terebratis palmis, pedibuſquè confoſſis. Quis tam irreligioſus (r) qui non compungatur? quis tam inſolens ut non humilietur? quis tam iracundus ut non indulgeat? quis tam delicioſus ut non abſtineat? quis tam flagitioſus ut non contineat? quis tam malitioſus ut non pœniteat, recogitans paſſionem Dominicam? Sit ergo (s) meditatio noſtra Chriſtus, & hic crucifixus: quia ſi compatimur, & conregnabimus.

IX. *Meditatio paſſionis Dominicæ purificat mentem, reprimitquè vitia.* Quid enim poteſt eſſe (t) tam efficax ad purgandam mentis aciem, quàm Chriſti vulnerum ſedula meditatio? Verè nihil eſt, (u) quod ita ab omnium vitiorum impulſu & cogitatione mentem noſtram purificet, & in puritate conſervet, ſicut jugis memoria paſſionis Domini Ieſu. Colligamus ergo nobis (x) ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini noſtri talem memoriam, ut ſtigmata ejus in memoria jugiter retinentes, mundemur ab omni delicto, & in bonis operibus jugiter per humilitatis cuſtodiam conſervemur. Hoc tamen ſciendum eſt, (y) quòd cogitatio quantumlibet immunda mentem non polluit, cui ratio non conſentit. Quis enim cogitationes ſuas ita refrænare poteſt, ut non qualibet immunditia titilletur? Sed conti-

u *lib.* 1. *de Conſiderat. ad Eugen. cap.* 7. x *Epiſt.* 108. *num.* 2. y *Tract. de interiori domo cap.* 41. *nu.* 93. z *ſer. in fer.* 2. *Paſchæ n.* 2. a *ſer.* 2. *de Virg. Deip. n.* 11. b *ſer.* 43. *in Cant. nu.* 2. c *ſer. in fer.* 4. *hebd. ſan. nu.* 11. d *ſer.* 45. *in Cant. nu.* 3. e *ſer.* 43. *in Cant. nu.* 2. f *Ibid. nu.* 3. & 4. g *Ibid. nu.* 5. h *ſer. de verb. Eſai. nu.* 2. i *ſer. in fer.* 2. *Paſchæ nu.* 2.

k *ſer.* 29. *diu. nu.* 4. l *ſer.* 20 *in Cant. nu.* 9. m *Tract. de vita myſt. cap.* 44. *nu.* 168. n *Ibid. nu.* 169. o *Tract. de conver. ſ. ad Clericos cap.* 13. *nu.* 25. p *Tract. de vita myſt. cap.* 44. *nu.* 168. q *ſer.* 2. *in cæna Dom. nu.* 7. r *ſer. in fer.* 4. *hebd. ſan. nu.* 1. s *ſer.* 1. *de verb. Eſai. nu.* 2. t *ſer.* 62. *in Cant. nu.* 7. u *Tract. de vita myſt. cap.* 44. *nu.* 171. x *Ibidem nu.* 172. y *Ibid. cap.* 19. *n.* 76.

continuò talium cogitationum insultus sunt reprimendi: ut unde sperabat se hostis vincere, per hoc magis victus abscedat. Quod ita fit: quoties pravis & immundis cogitationibus attacti statim ad passionis Dominicæ recordationem confugimus, toties suo telo in bello fortes effecti hostem ferimus. Nihil proficiet inimicus in eo, (z) quem crux Christi delectat, si carnalem suggesserit delectationem. Astat oranti sacra imago Hominis Dei morientis, (a) vel stringat necesse est animum in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fuget illecebras, desideria sedet. Si autem quandoque (b) importunis carnis nostræ clamoribus ad curam carnis in desideriis peragendam revocemur, anxietates Christi crucisquè supplicium ponamus præ oculis, & confestim ipsa nos docebit experientia, quid senserit Apostolus cùm dixit: *Verbum crucis his qui salvi fiunt, virtus Dei est.* Et, *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi*. Quare? Quia sicut fluit cera à facie ignis, sic pereunt omnes immunditiæ à facie Crucis. Dei siquidem infirmitas, nostra est fortitudo. Sit ergo (c) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

X. *Meditatio passionis Dominicæ est singulare remedium contra tentationes*. Dæmonum officium est, (d) suggestiones malas ingerere: nostrum est, illis non consentire. Nam quoties resistimus, toties diabolum superamus, Angelos lætificamus, Deum honorificamus. Ipse enim nos hortatur ut pugnemus, adjuvat ut vincamus: certantes in bello spectat, deficientes sublevat, vincentes coronat. Cæterùm (e) respiciamus in faciem Serpentis ænei, Christi in cruce suspensi, si volumus à pravorum dæmonum suggestionibus liberari. Respicere autem est tendere fide in ipsum: quod non infirma, sed forti & perfecta fide completur. Et quoties alicujus serpentinæ tentationis morsu nos cognoverimus esse vulneratos, toties ad Crucifixum curramus, & ad thronum Crucis quandoquè ignominiæ, nunc autem summæ gloriæ accedamus: & fide, spe, & charitate liberatorem piissimum intendentes, per mortem nostri Serpentis (qui mortem antiqui serpentis occidit) à serpentum morsibus petamus liberari. Gravis equidem (f) nobis est inimici tentatio: sed longè gravior est illi meditatio & oratio nostra. Meditatione (g) agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione evadimus, præstante Domino nostro Iesu Christo. Si tentationum sentis aculeos, (h) exaltatum in ligno Serpentem æneum intuere: & fuge non tam vulnera, quàm ubera Crucifixi. Porrò quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, (i) & ad illicitam delectationem affici: toties pone ante mentis tuæ oculos, quomodo Christus in cruce crucifixus est pro te. Præterea increpa te, & dic: *Ita Redemptor meus moritur pro me, & ego nescio cujusmodi sordida cogitatione sordidor in mente*. Sufficere posset hæc cogitatio ad excludendas omnes illicitas cogitationes, sed ecce ad alia adhuc transeamus. Si forte luxuriæ te pompa concusserit, (k) recordare dilectum tuum Iesum positum in doloribus, & universum stratum suum versatum in infirmitate ejus, hæc dicens in corde tuo: *Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* Sicquè invocato nomine Salvatoris, ingeminando sæpè Nomen salutis, cessabit tandem Deo succurrente quassatio. Sit tibi itaque Iesus semper in corde, (l) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua.

§. XXV.

De multiplici fructu meditationis passionis Dominicæ.

Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. *S. Paul. Rom. 6.*

I. Fructus *meditationis nostræ est Christus crucifixus*. Seminavit vetus homo in carne, (a) messuit postmodùm corruptionem, nimirùm passionem Christi. Nisi enim vetus homo transgrederetur, novus non pateretur. Quàm multi Reges (b) & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt: audire, & non audierunt. Ipsi laboraverunt, & ego in labores eorum introivi. Ego messui myrrham quam illi plantaverunt. Mihi hic salutaris fasciculus servatus est. Nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. Omnium nempè temporum, (c) quæ sub conversatione veteris hominis transegimus, fructus noster est passio Christi, cui debemus configurari, mortificationem circumferentes in carne nostra mortali. Quem utique fructum Ecclesia (d) non solùm ex his qui sunt sub tempore gratiæ, sed etiam à mundi principio justè congregata, dulcem sibi fore gratulatur dicens de Sponso Jesu: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo*. Meritò ejus desideraverat umbram, (e) de quo & refrigerium & refectionem pariter acceptura esset. Nam cætera quidem sylvarum ligna etsi umbram solatii habent, sed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos salutis. Unus est enim vitæ auctor, unus mediator Dei & hominum, Homo Christus Jesus, qui dicit sponsæ suæ Ecclesiæ: *Salus tua ego sum*. Propterea Christi potissimùm desideraverat umbram, quòd solus sit, qui non solùm ab æstu refrigerat vitiorum, sed & replet delectatione virtutum. Unde ait sponsa: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo*: gustum contemplationis significans, quem obtinuerat per amorem suaviter sublevata. Nihil enim in hac vita dulcius sentitur, (f) nihil avidius sumitur, quàm contemplatio passionis Christi. Foderunt manus ejus & pedes, (g)

z *Ser. 1. de S. Andr. nu. 3.* a *Ser. 20. in Cant. nu. 7.* b *Ser. de verb. Sap. nu. 6. tom. 6. pag. 770.* c *Ser. 1. de verb. Esai. nu. 2.* d *Tract. de cognit. humanæ condit. cap. 12. nu. 35. tom. 5. pag. 399.* e *Tract. de vite myst. cap. 45. nu. 176.* f *Ser. 3. in dedicat. Eccl. num. 2.* g *Ser. 1. de S. Andr. nu. 10.* h *Epist. 351. nu. 1.* i *Tract. de inter. domo cap. 22. nu. 47. tom. 5. pag. 427.*

k *Ex formula hon. vit. nu. 13.* l *Ibid. nu. 1.* a *Ser. de verb. Sap. nu. 7.* b *Ser. 43. in cant. nu. 4.* c *Ser. de verb. Sap. nu. 8.* d *Tract. de vite myst. cap. 46. nu. 178.* e *Ser. 48. in Cant. nu. 6. & 8.* f *Tract. de cognit. hum. condit. cap. 7. nu. 22.* g *Ser. 61. in Cant. nu. 4.*

latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est gustare & videre quoniam suavis est Dominus. Fructum igitur redemptionis nostræ (h) toto desiderio cōplectamur, & sæpiùs imò sine intermissione eum ad memoriam revocantes, latentem in ipso dulcedinē linguâ intellectus nostri degustemus. Et in vase memoriæ nostræ recondamus Sanguinē rubicundi Jesu: quia factus est nobis redēptio, quia per ipsum salvati & liberati sumus. Hoc fructu jugiter reficienda est fidelis anima, ne in hoc tædioso deserto deficiat, in quo sine requie & sine intermissione laborat, suspirans ad illam terram lacte & melle manantem, & cum sponsa proclamans: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Hæc sunt quippè mala punica, (i) quæ in hortum introducta Dilecti sponsa carpit ex ligno vitæ, à cælesti Sponso proprium mutuata saporem, colorem à Sanguine Christi. Sit ergo (k) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

II. ***Fructus meditationis nostræ est Christus Jesus crucifixus.*** Christus (l) non immeritò fructus esse intelligitur, dicente David: *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*. Et iterùm: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Libet adjungere verba Elizabeth (m) dicentis: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*. Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie.

Primo. De *odore* hujus fructus cujus fragrantiā sentiens Isaac Patriarcha sic dicebat: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Necdum speciem suam ille flos induerat, (n) & jam dabat odorem suum, quando eum ut hoc præ gaudio exclamaret præsensit spiritu, corpore marcens sanctus & senex Patriarcha caligans visu, sed odoratu sagax. Qui filium suum Jacob tangens, (o) & Christum sentiens, inquit: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Cùm hoc dicebat, habebat delicias sibi, nec cuiquam illas communicabat. Vestimenti fragrantiam sensit, (p) sed vestiti præsentiam non agnovit: soloquè vestis tanquam floris odore forinsecùs delectatus, quasi fructus interioris dulcedinem non gustavit, dum & electi filii simul & sacramenti fraudatus cognitione remansit. At currebant in odore *sapientiæ* (q) qui missi fuerant à Pharisæis, cùm reversi dicerent: ***Nunquam homo sic locutus est***: utique admirantes doctrinam, & confitentes sapientiam. Currebat in hoc ipso odore sanctus Nicodemus, qui venit ad Iesum nocte, in splendore multo sapientiæ: de multis quippè instructus edoctusquè recessit. Verùm in odore *justitiæ* cucurrit Maria Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multùm. Cucurrit & Petrus, qui lapsus flevit amarè, quatenùs culpam dilueret, recuperaret justitiam. Porrò (r) in odore *sanctificationis* Paulus currere sese testatur, cùm Christi se imitatorem esse gloriatur, dicens ad discipulos: ***Estote imitatores mei, sicut & ego Christi***. Cucurrerunt & omnes qui ajebant: ***Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te***. Desiderio quippè sequendi Christum reliquerant omnia. Iam qui in odore *passionis* cucurrerint, si audire vis, universos Martyres accipe. Superat quippè (s) omnes odores omnium virtutum uncti Iesu odor Crucifixi, ubi perfectio præcipuè efflorebat, & de floribus vulnerum suorum inæstimabilem odorem effudit. Odor iste [t] omnium suavitatum in se continet monarchiam: quia omnem balsami odorem excedit, etiam quidquid in odoribus continetur. Odor iste omnium odorum suavitas Dominus Iesus est: odor bonus, odor suavissimus, melle & lacte dulcior, nectare suavior, gemmis & auro pretiosior. Hunc tantum ac talem odorem si toto cordis olfactu odorare non desierimus, in æternum proculdubiò non peribimus: quoniam est resurrectio & vita. Colligamus ergo nobis [u] in vulneribus Domini Iesu Christi talem memoriam, talem delectationem, ut stigmata Crucifixi nostri in memoria jugiter retinentes, in ipso qui solus est dulcis, delectemur. Sit nobis Iesus semper in corde, (x) & nunquam imago Crucifixi ab animo nostro recedat. Hic nobis sit dulcedo & consolatio nostra, mel & desiderium nostrum, lectio & meditatio nostra, oratio & contemplatio nostra.

Secundò. De *sapore* hujus fructus (y) Propheta David quod gustaverat, taliter eructabat dicens: ***Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus***. Etiterùm: ***Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!*** Et Petrus Apostolus inquit: ***Si tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus***. Et ipse fructus Jesus de se, invitans nos ad se, ait: ***Qui edit me, adhuc esuriet: & qui bibit me, adhuc sitiet***. Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium & sitientium justitiam, & esca & potus est. Exinde (z) cibat nos pane vitæ & intellectûs, & potat aquâ sapientiæ salutaris. Est enim intellectus rerum spiritualium verus animæ panis, confirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Et certè hujusmodi intelligentiâ veritatis internæ vivit anima, & hic est spiritualis cibus. Verumtamen donec sapit tibi veritas, non sine difficultate ad interiora trajicitur. Ubi verò cæperis in ea oblectari, jam non cibus, sed potus est, & sine difficultate intrat in animam: quo videlicet spiritualis cibus intelligentiæ potu sapientiæ digeratur, ne ipsius interioris hominis artubus, id est affectibus siccitate laborantibus, oneri magis sit quàm utilitati. Cibus sitim excitat, (a) potandus est. Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritûs, quod inebriat, & carnalium voluptatū infundit oblivionem: humectat interiora arentis conscientiæ, escas bonorum actuum digerit, &

h *Tract. de vite myst. cap.* 46. *nu.* 184. i *Tract. de diligen. Deo cap.* 3. *nu.* 7. k *Ser.* 1. *de verb. Esai. nu.* 2. l *Ser.* 1. *super* Missus *nu.* 3. m *Ibid. ser.* 2. *nu.* 5. & 6. n *Ser.* 47. *in Cant. nu.* 3. o *Ser.* 60. *in Cant. nu.* 8. p *Tract. de exhortat. ad mil. Temp. cap.* 7. q *Ser.* 22. *Cant. nu.* 10. r *Ibid. nu.* 11.

s *Tract. de vite myst. cap.* 43. *nu.* 161. t *Ser.* 4. *in ult. Cœna nu.* 25. u *Tract. de vite myst. cap.* 44. *nu.* 172. x *Ex formula honvit. nu.* 2. y *Ser.* 3. super Missus *nu.* 6. z *Ser.* 2. *in Annunc. B. M. nu.* 4. a *Ser.* 18. *in Cant. nu.* 6.

& deducit per quædam animæ membra: fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansquè charitatem, & impinguans mores. Sit tibi ergo Jesus semper in corde, (b) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua. Nihil enim (c) in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nil ita mentem ab amore mundi separat, nil sic animam contra tentationes roborat, nil hominem ita excitat & adjuvat ad omne opus bonum, quàm contemplatio passionis Dominicæ. Renuat consolari anima tua in aliis, (d) si vis in Dei Hominis crucifixi memoria delectari. Manna enim est, omnem saporem habens, & odoris delectationem. Huic autem suavitati, (e) huic sapori omne quod desideratur, non valet comparari. Quid enim? Miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fœcunditatem? Sed à DEO hæc universa donata sunt: nec dubium quin multò ampliùs reservaverit sibi, quàm dederit creaturis. Sit ergo (f) meditatio nostra Christus, & hic crucifixus. Siquidem (g) internæ suavitatis gustus dulcedo est, & manna absconditum. Mel est quod sugit Israël de petra, oleumquè de saxo durissimo. Foderunt manus ejus & pedes, (h) latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est gustare & videre quoniam suavis est Dominus.

Tertiò. Audisti de odore, (i) audisti de sapore, audi & de *specie* hujus fructus. Si enim fructus ille mortis non solùm suavis fuit ad vescendum, sed etiam delectabilis aspectu: quantò magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere, in quem desiderant etiam Angeli prospicere? Cujus pulchritudinem in spiritu videbat, & in corpore videre cupiebat David, cùm dicebat: *Ex Syon species decoris ejus*. Et ne mediocrem tibi videatur commendâsse decorem, recole quod in alio Psalmo legis: *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, &c.* Portò [k] sublimis quædam visio nobis describitur ab Isaja Propheta, qui sic ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum.* Sed aliam quoque audio Prophetæ ejusdem, & ejusdem Domini longè dissimilem visionem. Siquidem Isaias iste in alio loco sic loquitur: *Vidimus eum, & non erat ei species neque decor, & æstimavimus eum tanquam leprosum, &c.* Idem Propheta utrobique vidit eundem, [l] sed non vidit eodem modo, ac per hoc quodammodò non eundem. Ibi enim vidit Dominum sedentem super solium excelsum: hîc autem vidit eum lividum plagis, saturatum opprobriis, affectum suppliciis, lacessitum injuriis. Nec sine causa (m) sanè ibi, *Vidi*, scriptum est, & hîc, *Vidimus*: nisi ut illam visionem intelligam esse propriam prærogativæ propheticæ, hanc verò communem. Propterea (n) hæc mea sublimior interim philosophia, scire Jesum, & hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Illud sublimius, istud suavius vel paratius. Sublimis in Regno, (o) sed suavis in Cruce. In hac me visione præveniat, in illa adimpleat. *Adimplebis me* (ait Proheta David) *lætitiâ cum vultu tuo*. Utraque visio salutaris, utraque suavis: sed illa in sublimitate, ista in humilitate. Illa in splendore, hæc in pallore. Splendor [p] & figura substantiæ Dei obnubilatur in forma servi, pro vita servi. Candor vitæ æternæ nigrescit in carne, pro carne purganda. Speciosus formâ præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obscuratur in passione, turpat in Cruce, pallet in morte: ex toto non est ei species neque decor. Agnosco pellem Salamonis, [q] imò ipsum in pelle foris nigra Salomonem amplector, *nempè Christum*. Habet & Salomon nigredinem, sed in pelle. Foris niger, in cute niger, non intùs. Alioquin omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs. Intùs Divinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, innocentiæ puritas. Sed tegit hæc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus est vultus ejus & despectus, dum tentatur per omnia pro similitudine absque peccato. Aliud cernitur, & aliud creditur. Nigrum sensus renunciat, fides candidum & formosum probat. Niger est, sed oculis insipientium: nam Fidelium mentibus est formosus valdè. Niger est, sed formosus. Niger reputatione Herodis, sed formosus confessione Latronis, Centurionis fide. Et quia Isaias eum modò sedentem super solium excelsum, (r) modò tanquàm leprosum se vidisse testatur, id est, non in carne tantùm, sed in similitudine carnis peccati. Tu quoque si desideras videre sublimem, humilem priùs Jesum videre curato. Intuere priùs exaltatum in deserto Serpentem, si videre desideras Regem in solio residentem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet humiliatum. Reprimat & sanet ista tumorem tuum, ut illa repleat & satiet desiderium tuum. Exinanitum vides? non sit ociosa visio, quia exaltatum ociosè videre non poteris. Similis eris illi, cùm videris eum sicuti est. Talis visio non est vitæ præsentis, [s] sed in novissimis reservatur, his duntaxat qui dicere possunt: *Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Esto & nunc similis ei, (t) videns eum sicut propter te factus & passus est. Si enim ne in humilitate quidem similitudinem ejus abnuis, certa tibi sublimitatis quoque similitudo debetur: Nunquam ille socium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri. Sit ergo meditatio nostra Christus, & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus.

III. *Meditatio passionis Dominicæ est fundamentum pietatis Christianæ.* Scit (u) quicunque sensum Christi habet, quantum pietati Christianæ expediat, & utile sit unâ saltem aliquâ diei horâ passionis Christi attẽtiùs recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia. In hac Passione (x) tria specialiter convenit

b *Ex serm. bon vit. n. 2.* c *Tract. de cogn. hum. condit. c. 7. n. 22.* d *Ser. 4. super 1 Isai. 9. nu. 2.* e *Ser. 1. de Omn. SS. nu. 4.* f *Ser. 2. de verb. Esai. nu. 2.* g *Ser. 2. sup. Sal. Reg. nu. 5.* h *Ser. 61. in Cant. nu. 4.* i *Ser. 3. sup. Missus nu. 6.* k *Ser. 1. de verb. Esai. nu. 1.* l *Ser. 5. de verb. Esai. nu. 4.* m *Ser. 1. de verb. Esai. nu. 1.* n *Ser. 43. in Cant. nu. 4.*

o *Ser. 61. in Cant. nu. 6.* p *Ser. 28. in Cant. nu. 1.* q *Ibid. nu. 2. & 3.* r *Ser. 1. de verb. Esai. nu. 2.* s *Ser. 31. in Cant. nu. 1.* t *Ser. 1. de verb. Esai. nu. 2.* u *Tract. de vita solitar. cap. 10. nu. 30. tom. 5. pag. 250.* x *Ser. in fer. 4. hebd. San. nu. 2.*

nit intueri, opus, modũ, causam. *Primò* quidem in *opere* singularis patientia Christi commendatur, quòd videlicet cùm supra dorsum ejus fabricarent peccatores, ipse tanquam ovis coram tondente non aperuit os suum: non adversùs Patrem murmurans, à quo missus fuerat: non adversùs humanum genus, pro quo quæ non rapuit exoluebat: non denique vel contra populum ipsum peculiarem sibi, à quo pro tantis beneficiis tanta mala recipiebat. Nec solùm enim ingrati gratuitis beneficiis ejus extitêre, (y) sed contumeliis affecerunt Dominum dominantium, & fecerunt ei quæcunque voluerunt. Ipso enim faciente opera Dei, quæ nemo alius fecit, dixerunt: *Non est hic homo à Deo: in principe dæmoniorum ejicit dæmonia, dæmonium habet, seducit turbas, vorax est, potator est vini, & amicus publicanorum & peccatorum*. Flagellantur alii (z) non tam purgandi, quàm probandi coronandiquè, & major in eis patientia comprobatur & commendatur. Quomodò non maxima patientia censeatur esse in Christo, qui ab his, quibus specialiter advenerat Salvator, crudelissimè flagellabatur sicut fur? Cùm autem (a) in summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de corde ejus nisi dulcedo, sed patientiam in amarissima passione retinuit. Patientia ejus fuit singularis, [b] quòd videlicet cùm sic extenderetur ligno ut dinumerarentur omnia ossa ejus, cùm foderentur manus ejus & pedes, ipse tanquam ovis coram tondente non aperuit os suum. Qualis est hic, (c) qui in omnibus pressuris suis nec semel aperuit os suum, ut aut querelæ, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum adversùm maledictos canes illos proferret? Plectuntur aliqui pro peccatis suis, (d) & humiliter sustinent: hoc ipsum tamen eis ad patientiam reputatur. Quomodò non maxima patientia censeatur esse in Christo, qui ab his, quibus specialiter advenerat Salvator, crudelissima morte mulctabatur sicut fur? Ita ergo habes in opere patientiam.

Secundò, (e) admirabilis in *modo humilitas* Christi commendatur. Nam modum ipsum si diligenter attendas, non modò mitem, sed & humilem cognosces. Dominus omnium (f) servili forma indutus est, de paupercula Virgine natus est: & cùm liber esset à lege, factus est sub lege, sine querela conversatus est in lege: cum publicanis & peccatoribus cibum sumpsit: discipulorum quos elegerat, pedes lavit. Hoc ab ortu suo usque ad finem vitæ satagens, ut sicut in Matre specialis & sine exemplo fuit virginitas, sic in Filio singularis & unica esset humilitas. Quis dignè penset (g) quantæ fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis, Dominum majestatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Denique in humilitate judicium ejus sublatum est, (h) cùm nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima quæ sibi objiciebantur quidquam responderet. In Cruce quoque (i) humillimus fuit. In hac enim humilitate solum colorem intuentibus Judæis & Gentibus ipse color vilis apparuit: nobis verò qui virtutem agnoscimus Passionis, ipsa etiam humilitas despecta, humanitas Christi placet, & per humilitatem maximè commendatur. Contemnat Herodes, (k) ego tantò magis non contemno, quantò magis contemptibilem se ostendit. O quanta humilitas! (l) Incomprehensibilis DEUS voluit comprehendi, Summus humiliari, Potentissimus despici, pulcherrimus deformari. Sic enim Propheta inquit: (m) Vidimus eum, & non erat ei aspectus; nec speciosum formâ præ filiis hominum, sed tanquam leprosum, novissimum virorum, planè virum dolorum, à Deo percussum & humiliatum, ita ut nulla esset ei species neque decor. O novissimum, & altissimum! ô humilem, & sublimem! ô opprobrium hominum, & gloriam Angelorum! Nemo illo sublimior, nemo humilior. Denique sputis illitus est, opprobriis saturatus est, morte turpissima condemnatus est, cum sceleratis reputatus est. Nihilne merebitur vel ista humilitas, quæ hunc habet modum, imò quæ tam est ultra modum? Sic est patientia singularis, sic & humilitas admirabilis: utraque sine exemplo. Habeamus ergo (n) eorum quæ contemptibilia Christo sunt illata, continuam & indesinentem memoriam: non utique ociosam, non tepidam, non torpentem, sed compassionis ardore super omnia plurimùm delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem.

Tertiò, (o) in *causa* ipsa commendatur Christi *charitas* inæstimabilis. Propter nimiam quidem charitatem quâ dilexit nos Deus, ut servum redimeret, nec Pater Filio, nec sibi Filius pepercit. Verè nimiam: quia & mensuram excedit, & modum superat, planè supereminens universis. *Majorem*, inquit, *charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Tu majorem habuisti Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cùm enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam & tibi reconciliati sumus, & Patri. Alioqnin (p) si non dilexisses inimicos, nondum possedisses amicos: sicut nedum quos sic diligeres essent, si non dilexisses qui nondum essent. Verè Domine nimis excessisti: (q) quia cùm sis splendor paternæ gloriæ, & figura substantiæ ejus, & Dominus majestatis, pati dignatus es tormentum abjectissimæ passionis. Verè fuit excessus, cùm dedisti vellentibus genas tuas: cùm faciem tuam non avertisti ab increpantibus & conspuentibus: quando cum iniquis reputatus es. Quænam alia videbitur esse, (r) vel fuisse, vel fore huic similis charitati? Vix pro justo quis moritur, tu pro impiis passus es: moriens propter delicta nostra, qui venisti justificare gratis peccatores, servos facere fratres, captivos cohæredes, exules reges. Nec sanè aliud aliquid patientiam hanc & humilitatem illustrat, quàm quòd tradidit in mortem animam suam, & peccata multorum tulit, etiam pro transgressoribus rogavit, ut non perirent. Flagellis cæsus est, (s) spinis

y *Ser. de Pass. Dom. num.* 6. z *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. num.* 2. a *Tract. de vite myst. cap.* 12. *num.* 50. b *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. nu.* 2. c *Ser. de Pass. Dom. nu.* 13. d *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. n.* 2. e *Ibid. nu.* 3. f *Ser.* 2. *in Cœna Dom. nu.* 2. g *Ser.* 11. *in Cant. nu.* 7. h *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. nu.* 3. i *Tract. de vite myst. cap.* 17. *nu.* 65.

k *Ser.* 61. *in Cant. num.* 6. l *Tract. de vite myst. cap.* 17. *nu.* 70. m *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. nu.* 3. n *Ser.* 2. *in Cœna Dom. nu.* 9. o *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. nu.* 4. p *Ser.* 20. *in Cant. nu.* 2. q *Ser. in fer.* 2. *Pasch. nu.* 8. r *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. nu.* 4.

(s) spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor ait: *Pater, ignosce illis quia nesciunt quid faciunt*. Hinc multæ miseriæ corporis, hinc multæ misericordiæ cordis: hinc dolores, hinc miserationes: hinc oleum exultationis, hinc Sanguinis guttæ decurrentis in terram. O quàm multus es (t) ad ignoscendum Domine! O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ! O quàm longè cogitationes tuæ à cogitationibus nostris! O quàm firmata est etiam super impios misericordia tua! Mira res. Ille clamat, *Ignosce*: Judæi, *Crucifige*. Molliti sunt sermones ejus super oleum: & isti sunt jacula. O charitas patiens, sed & compatiens! Charitas patiens est, sufficit. Charitas benigna est, cumulus est. Digna est ergo charitas tam inæstimabilis, (u) humilitas tam admirabilis, patientia tam insuperabilis. Quomodò enim non illius *patientiæ* recordatio omnem arceat voluptatem? Quomodò non illius ***humilitatis*** consideratio superbiam vitæ prorsùs extundat? cùm *charitas* illa planè digna ejus meditatione sic mentem occupet, sic totam sibi vendicet animam humanam, ut omninò vitium curiositatis exsufflet. Fortis igitur est contra hæc meditatio passionis Salvatoris.

IV. *Meditatio passionis Christi est incitamen ad imitandum obedientiam ejus*. Nam illa mors, (x) illa crux, opprobria, sputa, flagella, (quæ omnia Christus pertulit) quid aliud nobis quàm præclara obedientiæ documenta fuerunt? *Christus enim* (ait Paulus) *factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis*. Qua necessitate? Respondeat Apostolus Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplū, ut sequamini vestigia ejus*: id est, ut imitemini obedientiam ejus. Qui enim (y) tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Familiaris quidem (z) & amica saluti obedientia est, sed obedientia firma & stabilis, quæ fundata est supra petram. *Melior est enim obedientia quàm victima*. Unde & vitæ quoque ipse Salvator prætulit hanc virtutem, eligens magis animam ponere, quàm obedientiam non implere. Christus namque (a) factus est obediens Patri. Unde & ipse dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me*. Et in alio loco ait: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me Patris*. Postremò (b) obedientia consummata fuit in Christo, cùm inclinato capite tradidit spiritum factus obediens usque ad mortē. Ex his autē omnibus, quæ passus est Christus, (c) discimus quanta nos qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia perpeti, pro qua is qui & Deus erat non dubitavit mori. Panis obedientia est: (d) quoniam *meus cibus est*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus qui misit me*. Cibus utique, (e) sed cibus cordis. Quid enim æquè confirmat & corroborat cor humanum, quid ita in omni necessitate confortat & sustentat, ut divinæ voluntatis executio, velut in quendam animæ ventrem, conscientiam scilicet ejus ingesta? Quisquis ad intelligentiam pervenire desiderat, (f) profectò necesse est ut priùs per omnia bona sese diligenter exerceat, sicut scriptum est in Psalmo: *A mandatis tuis intellexi*. Si videre desideras Christum, (g) oportet te priùs audire eum, audire de eo, ut dicas cùm videris: *Sicut audivimus, sic vidimus*. Denique à *mandatis tuis intellexi*, inquit Propheta: quòd intellectum reddat observatio mandatorum, quem tulit transgressio. *A mandatis tuis intellexi*, inquit: (h) ut scias nisi obedientiæ mandatorum contemplationis gustum penitùs non deberi. Non igitur putes de propriæ amore quietis, sanctæ obedientiæ actibus præjudicium ullatenùs faciendum. Alioquin non dormiet tecum Sponsus in lectulo uno, illo præsertim quem tu tibi pro obedientiæ floribus, cicutis atque urticis inobedientiæ aspersisti. Propter quod non exaudiet orationes suas, vocatusquè non veniet. Nec enim dabit inobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, ut mori potiùs quàm nō obedire maluerit. O homo, (i) quid causaris contra inobedientiam Adæ! ecce datur tibi obedientia Christi, ut si gratis venundatus es, gratis & redimaris. Sit tibi ergo (k) Jesus semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua.

V. *Meditatio passionis Dominicæ est ars artium*. Hæc est enim (l) sublimior philosophia, scire Jesum, & hunc crucifixum. Hæc est, (m) quæ divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa disterminat, hiantia coit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fugata explorat. Hæc est, quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit: quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est. Incomprehensibilis erat & inaccessibilis, (n) invisibilis & incogitabilis omninò. Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit: jacens in præsepio, in Virginali gremio cubans, & in Cruce pendens, in morte pallens. Quid horum non verè, non piè, non sanctè cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito, & per omnia est Deus meus. Hæc ego meditari dixi sapientiam, & prudentiam judicavi eructare memoriam suavitatis. Sufficit mihi, [o] nolo jam scire nisi Jesum, & hunc crucifixum. O quàm salubriùs (p) & tu disceres Jesum, & hunc crucifixum! Quam utique scientiam haud facilè nisi qui mundo crucifixus fuerit, apprehendit. Scientia autem ista (q) *in primo* gradu operatur pœnitudinem & dolorem, ut risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mærorem convertat: & incipiant tibi displicere, quæ vehementer ante placuerunt, ut illa specialiter horreas, quæ specialiter appetebas. Sic enim scriptum est: *Qui addit scientiam, addit & dolorem*: ut veracis & sanctæ scientiæ sit dolor subsequens argumentum. Proinde (r) sic de omni-

s *Ibid. nu.* 8. t *Ibid. nu.* 9. u *Ibid. nu.* 5. x *Tract. de grad. humil. cap.* 3. *nu.* 7. y *Ser.* 2. *in Cœna Dom. nu.* 6. z *Tract. de vit. & mort. Cleric. cap.* 1. *nu.* 1. a *Ser.* 2. *in Cœna Dom. nu.* 2. b *Ser.* 1. *in die Paschæ nu.* 3. c *Ser.* 2. *in Cœna Dom. nu.* 7. d *Ser.* 1. *in Dom.* 6. *post Pent. num.* 4. e *Ser.* 3. *in Dom. Palm. nu.* 4.

f *Ser.* 5. *in Assump. B. M. nu.* 5. g *Ser.* 28. *in Cant. nu.* 6. h *Ser.* 46. *in Cant. nu.* 4. i *Ser.* 1. *in Dom.* 1. *post Oct. Epiph. nu.* 3. k *Ex formula bon. vit. nu.* 2. l *Ser.* 43. *in Cant. nu.* 4. m *Lib.* 1. *de consider. cap.* 7. n *Ser.* 2. *de Virg. Deip. nu.* 11. o *Ser.* 45. *in Cant. nu.* 3. p *Epist.* 108. *nu.* 2. q *Ser.* 3. *in vig. Nat. Dom. nu.* 4. r *Ex formula bon. vit. nu.* 3.

omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini Dei tui colliga fasciculum, ut amarum poculum lachrymarum tibi conficias. In *secundò* gradu (s) scientia ista operatur correctionem, ut jam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed omninò coërceas gulã, jugules luxuriam, superbiam deprimas: & facias servire corpus sanctitati, quod iniquitati ante servierat. Pudeat sectari gloriam membra,(t) quibus Caput suum (*Christus*) tam inglorium exhibetur, non habens speciem aut decorem, vel aliquid ejusmodi. Pudeat sub spinato Capite membrum fieri delicatum, quòd omnis ei interim purpura non tam honoris sit, quàm irrisionis. In *tertiò* gradu (u) scientia ista operatur sollicitudinem, ut jam homo solicitus incipiat ambulare cum Deo suo, & ex omni parte scrutetur, ne vel in levissima re tremendæ illius Majestatis offendatur aspectus. Sicut enim nullum est momentum, (x) quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & misericordiâ; sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Proinde [y] sit tibi Jesus semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Totus tibi figatur in corde, (z) qui pro te totus fixus est in Cruce, semper habens in mente quantam tibi exhibuit charitatem. Sit tibi Crucifixus in memoria: (a) Crucifixi replicetur injuria: Crucifixi ruminentur opprobria, & charitas indefessa. Stat ecce expansis manibus, [b] nudo corpore, manibus simul & pedibus perforatis, capite inclinato. Et te ad suos invitat amplexus, & quodammodò miserabiliter misericorditerquè clamat, dicens: *Lege me librum vitæ scriptum intùs est foris, & lectum intellige*. Noli ergo auditor obliviosus esse, (c) sed die ac nocte legito Passionem Jesu Christi. Hæc enim lectio est (d) mel in ore, jubilus in corde, extasis mentis devotæ. *Dulcor* ejus omnem excedit eloquentiam, & totam absorbet conscientiam, & transformat in supernæ jubilationis imaginem, & deliciarum cælestium novitatem.

§. XXVI.

De effectibus meditationis passionis Dominicæ, per quam provehitur ad contemplationem divinarum rerum anima devota.

Cum Moyses (e) in multa constantia Domino supplicaret, dicens: *Domine ostende mihi faciem tuam, ut sciam te*. Dominus ait ei: *Sta in foramine petræ, & cùm pertransiero videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris*. Hoc ait, per faciem designans *Divinitatem*, per posteriora *Humanitatem*: quam tamen Moyses corporali intuitu non vidit, sed posteris videndam reliquit. Proinde (f) ad admonitionem Jeremiæ Prophetæ relinquam civitates, & habitabo in petra: ero quasi columba nidificans in summo ore foraminis, ut cum Moyse positus in foramine petræ, transeunte Domino merear saltem *posteriora eius prospicere*. Nam *faciem* stantis, id est, incommutabilis claritatem quis videat, nisi qui introduci jam meruit in Sancta sanctorum? Nec vilis tamen aut contemnenda posteriorum contemplatio. Habent enim aliquid & posteriora Domini quod videre delectet. Quis scit si convertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem? Erit cùm ostendet faciem suam, & salvi erimus. Sed interim præniat nos in benedictionibus dulcedinis, illis utique quas post se relinquere consuevit. Nunc dignationis suæ posteriora demonstret, aliàs in gloria dignitatis faciem suã demonstraturus. Sublimis quidẽ in Regno, sed suavis in Cruce. Propterea (g) hæc mea sublimior interim philosophia, scire Jesum, & hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem lætus amplector mea inter ubera commemorantem. Non requiro ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Illud sublimius, istud suavius vel paratius. Panis *illud*, hoc lac. Hoc replet ubera matrum, hoc viscera reficit parvulorum. Et ideò animali & novo in Christo homini, (h) ad exercitanda ejus interiora, meliùs & tutiùs proponuntur legenda & meditanda Redemptoris nostri exteriora, & imago passionis suæ: ut infirmus animus, qui non novit cogitare nisi corpora & corporalia, habeat aliquid cui se afficiat, cui juxta modum suum pietatis intuitu inhæreat. Est quippè in forma Meditatoris, in quo, sicut legitur in Job, *visitans homo speciem suam non peccet*. Hoc est, cùm intentionis suæ intuitum in eum dirigit, humanam in Deo speciem cogitando, à vero non usquequaquè recedat: & dum per fidem ab homine Deum non dividit, Deum aliquando in homine apprehendere addiscat. In quo pauperibus spiritu & simplicioribus filiis Dei tantò primùm solet esse affectus dulcior, quantò humanæ naturæ propinquior. Pius enim (i) Dominus noster Jesus Christus pusillos corde blanditiis talibus solet allicere. Novitios scilicet, (k) qui parvuli adhuc in Christo lac concupiscunt, tanquam sub magistro & pedagogo viventes. Id namque convenit maximè novitiis, qui nimirùm (si fortè in consolationibus meditationis sanctæ cæperint delectari) quasi pueriliter timent ne magistrum offendant, ne vapulent, ne defraudentur munusculis, quibus solet eos eruditor ille benignissimus allicere. Bonus cibus charitas, (l) quæ media in ferculo Salomonis consistens, diversarum odore virtutum velut diversi generis fragrantiã pigmentorum esurientes reficit, jucundat reficientes. *Media*, inquit, *charitate constravit propter filias Jerusalem*. Propter imperfectas videlicet animas, quæ dum adhuc illum solidum cibum sapientiæ cum vino quod lætificat cor hominis, minùs capere possunt, lacte interim charitatis, oleo

s *Ser. 2. in vig. Nat. Dom. nu. 4.* t *Ser. 5. de Omn. SS. nu. 9.* u *Ser. 3. in vig. Nat. Dom. nu. 4.* x *Tract. de cognit. hum. condit. cap. 6. nu. 18.* y *Ex formula hon. vit. nu. 2.* z *Tract. de vite myst. cap. 31. nu. 130.* a *Ser. in fer. 2. Pasche nu. 12.* b *Tract. vite myst. cap. 44. nu. 166. & 167.* c *Ex Soliloquio S. Bern. nu. 22.* d *Ser. in fer. 2. Pasche n. 1.* e *Tract. de 3. precip. myst. c. 7. n. 22.*

f *Ser. 61. in cant. nu. 6.* g *Ser. 43. in Cant. nu. 4.* h *Tract. de vit. solit. cap. 14. nu. 42. & 43.* i *Ser. 3. in Circumcis. Dom. nu. 10.* k *Ser. 2. ditt. nu. 6.* l *Tract. de grad. humil. cap. 3. nu. 4.*

oleo pro vino nutriendæ sunt. Solis proficientibus ita jam melleas quasdam sorbitiunculas charitatis expertis ejus suavitas præstò est, ut illis interrim pro sui teneritudine contenti sint. His sanè [m] Ecclesia proponit Jesum, & hunc crucifixum: ut & ipsi absque suo labore habitent in foraminibus petræ, in quibus non laboraverunt. Judæi in his laboraverunt, & ipsi in labores infidelium introibunt, ut sint fideles. Nec verendum quod patiantur repulsam, qui & vocantur ut intrent: *Ingredere*, inquit, *in petram, abscondere in fossa homo à facie timoris Domini, & à gloria majestatis ejus*. Infirmæ adhuc & inerti animæ fossa ostenditur humus ubi lateat, donec convalescat & proficiat, ut possit & ipsa per se cavare sibi foramina in petra, per quæ intret ad interiora Verbi, animi utique vigore & puritate. Et si intelleximus (n) fossam humum esse illam quæ ait, *Foderunt manus meas & pedes meos*: non erit ambigendum de sanitate in ea citiùs adipiscenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur. Quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, necnon ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? Verùm donec purgata & sanata perfectè fuerit, non video qualiter illi aptari possit quod dicitur: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Quomodo deniq; faciem suam ostendere audeat, vel levare vocem suam, cui & latere indicitur? *Abscondere*, inquit, *in fossa homo*. Quare? Quia non est pulchra facie, nec digna quæ videatur. Non erit digna videri, quamdiu non erit videre idonea. Cùm autem per inhabitationem fossæ humi in sanando oculo interiori tantum profecerit, ut revelata facie speculari gloriam Dei & ipsa possit: tunc demùm quæ videbit, fiducialiter jam loquetur, voce & facie placens. Placeat necesse est facies, quæ in Dei claritatem intendere potest. Neque enim id posset nisi clara ipsa quoque esset & pura, utique transformata in eandem quam conspicit claritatis imaginem. Alioquin ipsa dissimilitudine resiliret insolito reverberata fulgore. Ergo cùm pura puram intueri potuerit veritatẽ, tunc faciem ipsius Sponsus Christus videre cupiet, consequenter & vocem ejus audire. *Quæ cùm ita sint, liquet plurimos effectus promanare ex meditatione passionis Dominicæ, multasquè species esse contemplationis.*

Prima quidem & maxima contemplatio (o) *est admiratio Divinæ majestatis*. Hæc autẽ requirit cor purgatum, ut à vitiis liberum atq; exoneratũ peccatis, facilè ad superna levet: interdùm quoq; vel per aliquas morulas stupore & extasi suspensum teneat admirantẽ. Stupenda planè est sublimitas majestatis. Quis verò stupet, nisi qui contemplatur gloriam Dei? Seraphim duo stantes (p) & adstantes Domino majestatis, duabus alis caput ejus velant. Quibusnã autem putamus alis hoc caput Seraphim velant? Duabus, ni fallor, alis, suæ videlicet ipsorum gloriæ & felicitatis. Ineffabiliter siquidem delectantur in *admiratione* contemplationis illius, nec minùs gloriãtur in ipsius *veneratione*. Iniquus verò ille Lucifer admirationem quidem, sed non venerationem habens, quia subdi noluit per venerationem, figi non valuit per admirationem. Non ita sanè duo illi Seraphim (q) quos prophetica nobis visio commendavit stantes, & adstantes Domino majestatis. Cujus etiam duabus (ut dictum est) alis caput velant, ipsa equidem sua *admiratione*, in qua delectantur feliciter; *ac veneratione*, in qua sublimiter gloriantur. Est locus apud Deum, (r) de quo sua jura decernit, & disponit consilia ipse Universitatis Gubernator, eges constituens omni creaturæ. Locus iste altus quidem est & secretus, sed minimè quietus. Nam etsi ipse quantùm in se est disponit omnia suaviter, disponit tamen & contemplantem: qui fortè eò loci pervenerit, quiescere eũ non permittit, sed mirabiliter quamvis delectabiliter rimantem & admirantem fatigat, reditquè inquietum. Pulchrè utrumq; in consequentibus verbis sponsa exprimit, & delectationem videlicet istiusmodi contemplationis & inquietudinem, ubi & se dormire, & cor suum vigilare fatetur. Nam in somno quidem suavissimi stuporis placidæquè admirationis sentire quietem, in vigiliis verò inquietæ nihilominùs curiositatis ac laboriosæ exercitationis pati se fatigationem significat.

Secunda contemplatio (s) *est intuens judicia Dei.* Quo sanè pavido aspectu dum vehementiùs concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat ad sapientiam, humilitatem servat, Virtutum siquidem bonum quoddam ac stabile fundamentum est humilitas: nempè si nutet illa, virtutum aggregatio non nisi ruina est. Pavenda planè est abyssus judiciorũ Dei. Quis verò pavet, nisi qui scrutatur profundum Sapientiæ? Est locus, (t) de quo super rationalem reprobam quidem creaturã immobilis vigiliat secretissima & severissima animadversio justi Iudicis Dei terribilis in consiliis super filios hominum. Cernitur inquam à timorato contemplatore in hoc loco Deus, justo quidem, sed occulto judicio suo reproborum nec diluens mala, nec acceptans bona: insuper & corda indurans, ne fortè doleant & resipiscant & convertantur, & sanet eos. Et hoc non absque certa & æterna ratione, quòd tantò formidolosius constat esse, quantò immobilius fixum extat in æternitate. Pavendũ valdè quod in Propheta Isaia de hujusmodi legimus, ubi loquens ad Angelos suos Deus sic ait: *Misereamur impio*. Quibus paventibus atque querentibus: *Non*, inquit, *discet facere justitiam*. Misericordiam hanc (u) ego nolo. Siquidem super omnem iram miseratio est ista, sepiens mihi vias justitiæ. Satiùs profectò mihi est juxta Prophetæ David consilium apprehendere disciplinam, nequandò irascatur Dominus, & peream de via justa. Volo irascaris mihi Pater misericordiarũ, sed illã irã, qua corrigis devium, non qua extrudis de via. Illud tua nobis benigna animadversio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Non enim cùm nescio, sed cùm sentio te iratũ, tunc maximè confido propitiũ: etenim cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

Tertia contemplatio occupatur (x) *seu potiùs ociatur circa memoriã beneficiorũ Dei.* Ipsa est quæ ne dimittat ingratum, solicitat memorantem ad amorem

t Bene-

m *Ser. 62. in Cant. nu. 6.* n *Ibid. nu. 7.* o *Lib. 5. de considerat. ad Eugen. Papam. cap. 14. nu. 31. & 32.*
p *Ser. 5. de Verb. Esai num. 10.*

q *Ibid. nu. 12.* r *Ser. 23. in Cant. nu. 13.*
s *Lib. 5. de Consid. ad Eugen. cap. 14. n. 31. & 32.* t *Ser. 23. in Cant. n. 14.* u *Ser. 24. in Cant. n. 4.* x *lib. 5. de Consid. cap. 14. n. 31. & 32.*

Benefactoris. Planè fervorem exigit charitas. Quis verò fervet, nisi qui meditatur charitatem Dei? Est locus ubi verè quiescens (y) & quietus cernitur Deus, locus omninò non Iudicis, non Magistri, sed Sponsi: & qui mihi quidem (nam de aliis nescio) planè cubiculum sit, si quando in illum contigerit introduci. Sed heu quàm rara hora, & parva mora! Clarè ibi agnoscitur misericordia Domini ab æterno & usque in æternum super timentes eum. Stat propositum Dei, stat sententia pacis super timentes eum: ipsorum & dissimulans mala, & remunerans bona, ut miro modo eis nonmodò bona, sed & mala cooperentur in bonum. O verè quietis locus, (z) & quem non immeritò cubiculi appellatione censuerim: in quo Deus non quasi turbatus irâ, nec velut distentus curâ prospicitur, sed probatur voluntas ejus in eo bona & beneplacens & perfecta. Bona in se, (a) placens in effectibus, beneplacens fruentibus, perfecta perfectis, & nihil ultra quærentibus. Quidni ibi videatur cor Dei? Patent viscera misericordiæ, patent cogitationes pacis, divitiæ salutis, mysteria bonæ voluntatis, benignitatis arcana, quæ clausa mortalibus, etiam ipsis electis suspecta sunt. Id quidem salubriter: ne desinent timere, dum necdum dignè amare idonei inveniuntur. Visio tamen ista non terret, (b) sed mulcet: inquietam curiositatem non excitat, sed sedat: nec fatigat sensus, sed tranquillat. Hîc verè quiescitur. Tranquillus Deus tranquillat omnia: & quietum aspicere, quiescere est. In hoc arcanum & in hoc sanctuarium Dei si quem fortè vestrûm aliquâ horâ sic rapi & sic abscondi contigerit, ut minimè avocet aut perturbet vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certè quæ difficiliùs amoventur irruentia imaginum corporearum phantasmata, poterit quidem hic cùm ad nos redierit gloriari & dicere: ***Introduxit me Rex in cubiculum suum.***

Quarta contemplatio, quæ retrò sunt obliviscens, (c) in sola requiescit expectatione promissorum. Quæ cùm sit meditatio æternitatis, (siquidem quæ promittuntur, æterna sunt) longanimitatem alit, & perseverantiæ dat vigorem. Planè æternitas exigit perseverantiam sustinendi. Quis verò sustinet & perseverat in amore, nisi qui æmulatur æternitatem charitatis? Nempè æternitatis quandam imaginem præsefert perseverantia. Denique sola est perseverantia cui æternitas redditur, vel potiùs quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Perseverantia (d) singularis est filia Summi Regis, virtutum fructus, earumquè consummatio, totius boni repositorium: virtus est sine qua nemo videbit Deum, nec à Deo videbitur: finis est ad justitiam omni credenti, in qua virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit. Sola est perseverantia, quæ amatorem obedientiæ ad Regis cubiculum introducit, ut eum videat in decore suo, in quem desiderant Angeli prospicere. Absque perseverantia (e) nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Perseverantia est vigor virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Dominus utique Iesus Christus sol justitiæ, (f) lucens in virtute sua, reddidit semetipsum in præmium sempiternum, omnibus illis qui perseveraverunt in agone certaminis. Receperunt enim ab eo splendorem sempiternum, in quo sine fine felices lætantur. Hunc autem splendorem nullus poterit adipisci, nisi qui perseveraverit usque in finem. Quia nimirùm virtus boni operis perseverantia est: ideò huic soli redditur corona justitiæ. Hæc est enim merces nostra, (g) hæc corona nostra, hoc bravium nostrum, ad quod utinam sic curramus, ut comprehendamus.

Quinta contemplatio (h) scrutatur Regis ipsius majestatem, æternitatem, divinitatem. Hoc autem quantò difficiliùs cavatur de petra, (*Christo*) tantò suaviùs quod inde eruis sapit. Nec verearis illud quod sacra Scriptura minatur scrutatoribus Majestatis Divinæ, tantùm affer purum & simplicem oculum: non opprimeris à gloria, sed admitteris, nisi non Dei, sed tuam quæsieris gloriam. Alioquin suâ quisque opprimitur, non Dei gloriâ; dum proclivis ad istam, ad illam levare cervicem non sinitur, nimirùm gravem cupiditate. Hac excussa cupiditate, securè scrutemur in petra, (*Christo*) in qua omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt. Si adhuc dubitas, audi ipsam petram: *Qui operantur,* inquit, ***in me, non peccabunt.*** Præterea [i] dicit Propheta David: *Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* Ita sanè, sed si quantum satis est illuminamur, ut revelata facie speculantes gloriam Dei, in eandem imaginem transformemur de claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu. Ergo accedendũ est ad eum, (k) non irruendum, ne irreverens scrutator majestatis Dei opprimatur à gloria. Nec locis sanè accedendum est, sed claritatibus, ipsisquè non corporeis, sed spiritualibus tanquam à Domini spiritu. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, (l) & volabo & requiescam? Ibi requiem invenit mansuetus & simplex, ubi dolosus opprimitur, vel elatus, & cupidus gloriæ. Ecclesia columba est, & ideò requiescit. Columba, quia innocens, quia gemens. Columba, inquam, quia in mansuetudine suscipit insitum Verbum. Et requiescit in Verbo, hoc est in petra: nam petra est Verbum. Ecclesia ergo in foraminibus petræ per quam introspicit & videt gloriam sponsi sui Jesu Christi: nec opprimitur tamen à gloria, quoniam non sibi usurpat eam. Non opprimitur inquam, quia non scrutatrix Majestatis est, sed Voluntatis: nam quod Majestati attinet, interdum quidem & in ipsam intendere audet, sed quasi admirans, non quasi scrutans. Sed & si quandoque per excessum rapi in illam contingat, digitus Dei est iste, dignanter levans hominem, non hominis temeritas insolenter Dei alta pervadens. Cùm enim Paulus Apostolus raptũ se commemoret, ut ausum excuset: quisnam alter præsumat mortalium huic se Divinæ Majestatis horrendo scrutinio propriis intricare conatibus, & importunus con-

y *Ser. 23. in Cant. nu. 17.* z *Ibid. nu. 18.* a *lib. 5. de considerat. cap. 4. nu. 9.* b *Ser. 23. in Cant. nu. 18.* c *lib. 5. de considerat. cap. 24. nu. 31. & 32.* d *Ser. 47. ditu. nu. 10.* e *Episl. 129. nu. 2.*

f *Tract. de vite myst. cap. 24. nu. 56. & 57.* g *Ser. 1. ditu. nu. 8.* h *Ser. 62. in Cant. nu. 4.* i *Ser. 31. in Cant. nu. 2.* k *Ibid. nu. 3.* l *Ser. 62. in Cant. nu. 4.*

contemplator pavenda irrumpere in arcana? Scrutatores proinde Majestatis tanquam irruptores dici reor, non qui scilicet rapiuntur in eam, sed qui irruunt. Ipsi itaque opprimuntur à gloria.

Sexta contemplatio scrutatur voluntatem Divinam. Formidolosa quidem est scrutatio Majestatis Divinæ, (m) at Voluntatis tam tuta quàm pia. Quidni totâ diligentiâ scrutando instem sacramento gloriæ Voluntatis, cui mihi parendum esse per omnia scio? Suavis est gloria, quę non aliũde quàm de ipsius suavitatis contemplatione procedit, atque de divitiarum bonitatis ac multæ miserationis intuitu. Denique vidimus gloriam hanc, gloriam quasi Unigeniti à Patre. Totum nempè benignum & verè paternum quod apparuit gloriæ in hac parte. Non me opprimet gloria ista totis licet viribus intendentem in se, ego potiùs imprimar illi. Etenim revalata facie speculantes in eandem imaginem transformamur de de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Transformamur, cùm conformamur. Absit autem ut in Majestatis gloria, & non magis in Voluntatis modestia, Dei ab homine conformitas præsumatur. Gloria mea hæc est, si unquam de me audiero: Inveni hominem secundùm cor meum. Cor Sponsi, est cor Patris sui. Ipsum quod est? *Estote*, ait, *misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Hæc forma quam videre desiderat, cùm Ecclesiæ dicit, *Ostende mihi faciem tuam*: forma pietatis & mansuetudinis est. Hanc cum omni fiducia levat ad petram cui similis est. *Accedite*, inquit, *ad eum & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* Quo pacto humilis ab humili confundetur, à pio sancta, à mansueto modesta? Nõ planè abhorrebit à puritate petræ pura facies sponsæ, non magis quàm à virtute virtus, à lumine lumen. Ergo scrutatio Voluntatis Dei tam tuta quàm pia est. Quid est Deus? (n) Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo: creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ab benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem.

§. XXVII.

De aliis speciebus contemplationis.

I. *Septima contemplatio est raptus mentis.* Magnus quidem est ille, (o) qui usum sensuum veluti quasdam civium opes expendere satagit, dispensando in suam & multorum salutem. Nec ille minor est, qui hunc sibi gradum ad illa invisibilia philosophando constituit: nisi quod hoc dulcius, illud utilius; hoc felicius, illud fortius esse constat. At maximus est ille, qui spreto ipso usu rerum & sensuum, (quantùm quidem humanæ fragilitati fas est) non ascensoriis gradibus, sed inopinatis excessibus avolare interdùm contemplando ad illa sublimia consuevit. Ad hoc ultimum genus contemplationis illos pertinere reor excessus Pauli Apostoli: excessus, non ascensus. Nam raptum potiùs fuisse, quàm ascendisse ipse se perhibet. Inde est quòd dicebat: *Sive mente excedimus, Deo.* Porrò hæc tria ita contingunt, cùm consideratio etsi in loco peregrinationis suæ, studio virtutis & adjutorio gratiæ facta superior, sensualitem aut premit ne insolescat, aut cogit ne evagetur, aut fugit ne inquinet. In *primo* potentior, in *secundo* liberior, in *tertio* purior. Puritatis siquidem & alacritatis pariter alis fit ille volatus. Denique (p) audiamus quod Esaias ait: *Seraphim duabus alis velabant caput Domini, duabus pedes, & duabus volabant.* In quibus verbis ego opinor non incongruè alas istas quibus volant, *agnitionem & devotionem* intelligi posse, quibus in eum qui supra ipsos est, Seraphim rapiuntur. Levat quippè agnitionis ala, sed sola non sufficit. Ruit citiùs qui unâ tantùm alâ volare contendit: & quò magis attollitur, eò pejùs colliditur. Ubi verò intelligentiam charitas & agnitionem devotio comitatur, volet securè quisquis ejusmodi est, volet sine fine, quia volat in æternitatem.

Octava contemplatio est extasis seu mors vitalis. Contemplatio revera mors est, (q) quoniã Apostolus quosdam in carne adhuc viventes commendando sic loquitur: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Proinde & ego (r) non absurdè sponsæ extasim vocaverim mortem, quæ tamen non vitâ, sed vitæ eripiat laqueis, ut possit dicere: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Inter medios namque laqueos in hac vita inceditur, qui utique toties non timentur, quoties sanctâ aliquâ & vehementi cogitatione anima à semetipsa abripitur: si tamen eousque mente secedat & avolet, ut & hunc communem transcendat usum & consuetudinem cogitandi. Etenim *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Quid enim formidetur luxuria, ubi nec vita sentitur? Excedente quippè anima etsi non vitâ, certè vitæ sensu, necesse est etiam ut nec vitæ tentatio sentiatur. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ &, volabo & requiescam? Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, ut non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores solicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea morte justorum, ut nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors est illa, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona mors est illa, qua non corpus cadit, sed anima sublevatur. Verùm (s) hæc mors hominũ est: Sed moriatur anima mea etiam (si dici potest) Angelorum, præsentium memoriâ excedens, rerum

 se

m Ibid. nu. 5. n lib. 5. de consideras. cap. 11. nu. 24. o Ibid. cap. 2. nu. 3.

p ser. 4. de verb. Esai. nu. 1. & 2. q ser. 52. in Cant. num. 3. r Ibid. num. 4. s Ibid. num. 5.

se inferiorum corporearumquè nonmodò cupiditatibus, sed & similitudinibus exuat: sitquè ei pura cum Angelis conversatio, cum quibus est puritatis similitudo. Talis (ut opinor) excessus aut tantùm, aut maximè contemplatio dicitur. Rerum etenim cupiditatibus vivendo non teneri, humanæ virtutis est; corporearum verò imaginum similitudinibus speculando non involui, Angelicæ puritatis est. Utrumque tamen Divini muneris est, utrumque teipsum transcendere est: sed longè unum, alterum non longè.

Nona contemplatio est sopor seu dormitio. Revera enim dormitio est: (t) quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat. Non est is somnus dormitio corporis placida, quæ sensus carnis suaviter sopit ad tẽpus, sed est vitalis vigilquè sopor, qui sensum interiorem illuminat, & morte propulsata vitam tribuit sempiternam. Denique (u) audiamus quod legitur in Genesi: *Immisit Dominus soporem in Adam.* Immisit & in seipsum factus nimirùm secundus Adam; sed est distantia non parva. Ille enim soporatus esse videtur præ excessu contemplationis, Christus miserationis affectu: ut in illum soporem immiserit Veritas, in hunc Charitas, cùm utraque sit Dominus. Sanè soporem Christi solius charitatis fuisse nemo dubitat Christianus. Siquidem accubuit ut leo, non victus planè, sed victor: potestate propria ponens Animam, somnum mortis excipiens, propria voluntate. Cæterùm qualis & ille sopor dicendus vel credendus sit fuisse, quem Dominus immisit in Adam, in quo sine sensu omninò doloris in mulierem ædificandam costa sublata est de latere dormientis? Mihi quidem non nisi incommutabilis Veritatis intuitu, & abysso Divinæ Sapientiæ corporeis excedens sensibus obdormìsse videtur: quod ex ejus verbis vel maximè conjici potest. Rediens nimirùm indicat quò abiisset, dum tanquam ebrius de cella vinaria veniens, & eructans illud magnũ sacramentũ quod tantò post in Christo & in Ecclesia Apostolus commendavit: *Hoc nunc*, [inquit Adam] *os ex ossibus meis.* Et *propter hoc* (inquit Apostolus) *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* An tibi penitùs obdormìsse Adam videtur, qui in hanc vocem excitatus erupit, & non magis dicere potuisse: *Ego dormio, & cor meum vigilat?*

Decima contemplatio est intuitio Veritatis Divinæ. Contemplatio quidẽ (x) est verus certusquè intuitus animi de quacunque re, sive apprehensio veri non dubia. Consideratio autem est intensa ad investigandum cogitatio, vel intentio animi vestigantis verum: quanquam soleant ambæ pro invicem indifferenter usurpari. Beata illa anima est [y] quæ dicere potest: *Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Digna certè quæ de schola humilitatis, duce Spiritu sancto, in cellaria charitatis (quæ nimirùm proximorum pectora intelligenda sunt) per affectionem introduceretur: unde suffulta floribus, ac stipata malis, bonis scilicet moribus & virtutibus sanctis, ad Regis demùm cubiculum, cujus amore languet, admitteretur. Ibi modicùm, (horâ videlicet quasi dimidia,) silentio facto in cælo, inter desideratos amplexus suaviter quiescens, ipsa quidem dormit, sed cor ejus vigilat, quo utique interim Veritatis arcana rimatur: quorum postmodùm memoriâ statim ad se reditura pascatur. Ibi videt invisibilia, audit ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Excedit quippè omnem illam quam nox nocti indicat scientiam. Ibi (z) sinceræ Veritatis intuitus oculos cordis irridiat: auditui quoque dat gaudium & lætitiam dulcissima vox Consolatoris interni. Cæterùm (a) impuris non se ostendit Veritas, non se credit Sapientia. Superbo oculo Veritas non videtur, sincero patet. Non est quòd se Veritas deneget intuendam puro cordi, ac per hoc nec eloquendam. Denique (b) audiamus quod sequitur: *Pater filiis notam faciet veritatem suam.* Non revelatur servo Veritas, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Sed nec mercenarius rapitur ad contemplandam Veritatem, qui propriam quærit utilitatem. Filio autem Pater notam faciet Veritatem suam, quem audit dicentem: *Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu Pater.*

Undecima contemplatio est quies animæ. Requiescit & dormit sponsa, (c) pro qua dicitur in Canticis canticorum: *Adjuro vos filiæ Jerusalem per capreas cervosquè camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusq; ipsa velit.* Magna & stupenda est dignatio Sponsi cælestis, quòd quiescere facit animam contemplantem in sinu suo, insuper & custodit ab infestantibus curis, protegitquè ab inquietudinibus actionum, à molestiis negotiorum: nec patitur omninò suscitari nisi ad ipsius utique voluntatẽ. Nec de est sanè in nostro genere (d) qui hoc munere felix lætificari meruerit, & sic in semetipso suavissimi arcani hujus habuerit experimentũ: nisi tamen Scripturæ omninò decredimus, ubi manifestè inducitur cælestis Sponsus, vehementissimè zelans pro quiete cujusdam dilectæ suæ solicitus servare inter brachia propria dormientẽ, ne quâ fortè molestiâ vel inquietudine à somno suavissimo deturbetur. Non me capio præ lætitia, quòd illa Majestas tam familiari dulciquè consortio nostræ se inclinare infirmitati minimè dedignatur, & superna Deitas animæ exulanti inire connubia, eiquè Sponsi ardentissimo amore captæ exhibere affectum non despicit. Quid putas in cœlo accipiet, quæ hîc in terra tantâ familiaritate donatur, ut Dei brachiis amplecti se sentiat, Dei sinu foveri, Dei curâ & studio custodiri: ne dormiens fortè à quopiã, donec ultrò evigilet, excitetur? Beata illa anima est, (e) in qua quæcunque molestiæ foris perstrepant, usque ad silentium internæ quietis non irrumpunt, quoniam gustu internæ dulcedinis tecta, intùs est per desiderium collecta: nec jam foris enormiter in carnis voluptates dissolvitur, quia totum intùs possidet in quo delectatur. Atq; ita in semetipsa pacifica, dum nihil est quod foris appetit, tota per amorem intùs requiescit: & cùm tota ad internum gaudium colligitur, ad imaginem Dei reformatur, quam in se veneratur. *Duode-*

t *Ser. 52. in Cant. nu. 3.* u *Ser. 2. in Septuag. nu. 1.* x *lib. 2. de consider at. cap. 2. num. 5.* y *Tract. de grad. humil. cap. 7. nu. 21.*

z *Tract. de convers. ad Cler. cap. 13. nu. 25.* a *Ser. 62. in Cant. nu. 8.* b *Ser. 2. diu. nu. 9.* c *Ser. 51. in Cant. nu. 11.* d *Ser. 52. in Cant. nu. 2.* e *Tract. de inter. domo cap. 1. nu. 4.*

Duodecima contemplatio est secessus animæ in solitudinem. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, (f)& volabo & requiescam? Ibi requiem invenit mansuetus & simplex. Ibi [g] quibusdam spei naribus influit jucundissimus odor agri pleni, cui Dominus benedixit. Ibi avidissimè prælibantur incomparabiles deliciæ charitatis: & succisis spinis ac vepribus quibus anteà pungebatur, unctione misericordiæ perfusus animus in conscientia bona feliciter requiescit. Beatus [h] qui dicere potest: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Non fuit contentus exire, nisi & longè se faceret, ut posset quiescere. Transilisti carnis oblectamenta, ut minimè jam obedias concupiscentiis ejus, nec tenearis illecebris. Profecisti: separasti te, sed nondum elongasti, nisi & irruentia undique phantasmata corporearum similitudinem transvolare mentis puritate prævaleas. Hucusque noli tibi promittere requiem. Erras, si citra te invenire existimas locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis. O sancta anima sola esto, (i) ut soli omnium serves teipsam interim, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos, secede ab amicis & intimis, etiam ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere Sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu. Spiritus enim ante faciem tuam Christus Dominus, spiritûsquè requirit non corporis solitudinem: quanquam & corpore interdùm non ociosè te separas, cùm opportunè potes, præsertim in tempore contemplationis. Puto in hanc solitudinem secessisse sponsam, (k) ibiquè amænitate loci inter amplexus Sponsi suaviter obdormîsse, id est in spiritu excessisse, quando prohibitæ sunt adolescentulæ expergescere illam quoadusque ipsa voluerit.

Decimatertia contemplatio est illuminatio mentis. Si enim emundatâ jam ac serenatâ conscientiâ, (l) sequatur subita quædam atque insolita latitudo mentis, atque infusio luminis illuminantis intellectum, vel ad scientiam Scripturarum, vel ad mysteriorum notitiam, (quorum alterum propter nos oblectandos, alterum propter ædificandos proximos reor dari) oculus respicientis Dei proculdubiò est iste, educens quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem, juxta illud Prophetæ Esaiæ: *Orietur* (inquit) *tanquam sol lux tua.* Denique (m) audiamus quod legitur in Canticis canticorum: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Aurum Divinitatis est fulgor, aurum Sapientia quæ desursùm est. Hoc auro fulgentia quædam quasi Veritatis signacula spondent se esse figuratos hi, quibus id ministerii est, superni artifices, (*Angeli*) atque internis animæ auribus inserturos. Quod ego non puto esse aliud quàm texere spirituales quasdam similitudines, & in ipsis purissima divinæ sapientiæ sensa animæ contemplantis conspectibus importare, ut videat saltem per speculum & in ænigmate, quod nondum facie ad faciem valet ullatenùs intueri. Divina sunt, & nisi expertis prorsùs incognita quæ effamur, quomodo videlicet in hoc mortali corpore fide adhuc habente statum, & necdùm propalatâ perspicui substantiâ luminis, jam tamen interim puræ interdùm contemplatio Veritatis partes suas agere intra nos vel ex parte præsumit, ita ut liceat usurpare etiam alicui nostrûm cui hoc datum desuper fuerit illud Apostoli: *Nunc cognosco ex parte.* Item: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Cùm autem divinitùs aliquid raptim, & veluti in velocitate corusci luminis interluxerit menti spiritu excedenti sive ad temperamentum nimii splendoris, sive ad doctrinæ usum: continuò (nescio unde) adsunt imaginatoriæ quædam rerum inferiorum similitudines, infusis divinitùs sensis convenienter accommodatæ, quibus quodammodò adumbratus purissimus ille ac splendidissimus Veritatis radius, & ipsi animæ tolerabilior fiat, & quibus communicare illum voluerit, capabilior. Dormiens in contemplatione Deum somninat anima, (n) per speculum quidem & in ænigmate, non autem facie ad faciem interim intuetur. Tamen sic non tam spectati quàm conjectati, idquè raptim & quasi sub quodam coruscamine scintillulæ transeuntis, tenuiter vix attacti inardescit amore.

Decimaquarta contemplatio est auditio loquelæ Dei. Post prædictũ tãræ dignationis & miserationis respectum, (o) sequitur vox blandè & leniter Divinam insinuans Voluntatem: quæ non est aliud quàm ipse Amor, qui ociosus esse non potest, de his quæ Dei sunt solicitans & suadens. Quoties autem audis (p) vel legis Verbum atque animam pariter colloqui, & se invicem intueri, noli tibi imaginari quasi corporeas intercurrere voces, sicut nec corporeas colloquentium apparere imagines. Spiritus enim est Verbum, spiritusquè anima: & habent linguas suas quibus se alterutrum alloquantur, præsentesquè indicent. Et Verbi quidem lingua est favor dignationis ejus, animæ verò devotionis fervor. Elinguis est anima atque infans quæ hanc non habet, & non potest ipsi ullatenùs sermocinatio esse cum Verbo. Ergo hujusmodi linguam suam cùm Verbum movet volens ad animam loqui, non potest anima non sentire. Et rursùm cùm suam animam movet, Verbum latere multò minùs poterit, non solùm quia ubique est præsens, sed propter hoc magis quòd nisi ipso stimulãte, devotionis lingua minimè ad loquendum movetur. Sunt denique quædam verba Verbi Sponsi ad nos, (q) nostræ meditationes de ipso & ejus gloria, elegantia, potentia, majestate. Non solùm autem, sed & cùm avida mente versamus testimonia ejus, & judicia oris ejus, & in lege ejus meditamur die ac nocte: sciamus procerto adesse Sponsum, atq; alloqui nos, ut non fatigemur laboribus, sermonibus delectati. Felix mens (r) cui Verbum individuus comes, ubique se affabilem præbet: cujus indesinenter oblectata suavitate facundiæ, à carnis molestiis & vitiis sese vendicet omni hora redimendo tempus à diebus malis.

§. XXVI.

f *Ser. 62. in Cant. nu. 4.* g *Tract. de convers. ad Clericos cap. 13. nu. 25.* h *Ser. 52. in Cant. nu. 5.* i *Ser. 40. in Cant. nu. 5.* k *Ser. 52. in Cant. nu. 6.* l *Ser. 57. in Cant. nu. 8.* m *Ser. 41. in Cant. n. 3.*

n *Ser. 18. in Cant. nu. 7.* o *Ser. 57. in Cant. nu. 9.* p *Ser. 45. in Cant. nu. 7.* q *Ser. 32. in Cant. nu. 4.* r *Ibid. nu. 7.*

§. XXVIII.

De cæteris speciebus contemplationis.

D*Ecimaquinta contemplatio fruitur præsentiâ Dei*. Multam enim fiduciam præstat, (s) quòd Christus Dominus libentiùs adsit orationi inincumbentibus, quando nec quidem recumbentibus undecim discipulis, dedignatur adesse. Deinde quod ut probare suavissimum,(t)ita charissimum probasse est: tanta est Verbi dignatio, tanta benevolentia Patris Verbi erga benè affectam & benè compositam animam, ut quam sua tali benedictione prævenerint & præparaverint sibi, suâ quoque dignentur præsentiâ, & ita ut nonmodò ad eam veniant, sed etiam mansionem apud eam faciunt. O quanta illi animæ latitudo, (u) quanta & meritorum prærogativa, quæ Divinam in se præsentiam & digna invenitur suscipere, & sufficiens capere! Non est profectò intricata forensibus causis curisquè secularibus, nec certè ventri & luxuriæ dedita, sed nec est curiosa spectandi seu cupida omninò dominandi, vel etiam tumida dominatu. Oportet namque primò quidē his omnibus vacuam esse animam, ut cælum fiat, atq; habitatio Dei. Da mihi animam(x)cui studii & ocii sit providere Deum in conspectu suo semper: & ego non nego dignam Sponsi cælestis curâ, Majestatis respectu, dominantis favore, solicitudine gubernantis: Quid est (y) venire ad animam Verbum Filium Dei? Erudire in sapientia. Quid est Deum Patrem venire? Afficere ad amorem sapientiæ, ut dicere possit: *Quia amatrix facta sum formæ illius*. Fateor (z) & mihi adventasse Verbum, & pluries. Cùmquè sæpiùs intraverit ad me, non sensi aliquoties cùm intraverit. Adesse sensi, adfuisse recordor: interdùm & præsentire potui introitum ejus, sentire nunquam, sed nec exitum quidem. Moxquè ut intùs venit, (a) expergefecit dormitantem animam meam, movit & mollivit & vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumq; erat, & malè sanum. Cæpit quoque evellere & destruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa referare, frigida inflammare, necnon & mittere prava in directa, & aspera in vias planas, ita ut benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt Nomini sancto ejus. Denique, (b) si sensero aperiri mihi sensum, ut intelligam scripturas, aut sermonem sapientiæ quasi ebullire ex intimis, aut infuso lumine desuper revelari mysteria, aut certè expandi mihi quasi quoddam largissimum cæli gremium, & uberes desursùm influere animo meditationum imbres, non ambigo Verbum Sponsum adesse: Verbi siquidem hæ copiæ sunt, & de plenitudine ejus ista accipimus. Quòd si se pariter infuderit humilis quidem, sed pinguis intimæ aspersionis devotio, ut amor agnitæ Veritatis necessarium quoddam odium vanitatis in me generet & contemptum, ne fortè aut scientia inflet, aut frequentia visitationum extollat me: tunc prorsùs paternè sentio agi mecum, & Deum Patrem adesse non dubito. Si autem perseveravero huic dignationi dignis semper (quod in me est) affectibus & actibus respondere, & gratia Dei apud me vacua non fuerit: etiam mansionem apud me facit tam Pater enutriens, quàm Verbum erudiens.

Decimasexta contemplatio est amplexus. Amplexatus est nos Dominus Jesus(c)propter laborē & dolorem nostrum. Amplectamur eum nos quoq; vicariis quibusdam amplexibus propter justitiam & ad justitiam suam: actiones ad justitiam dirigendo, passiones propter justitiam sustinendo. Deinde videamus, (d) quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti nos æstimavit, imò qui tanti nos fecit. Duobus utiq; animæ brachiis, (e) intellectu videlicet & amore, id est *cognitione & dilectione* veritatis, amplectitur & comprehenditur cum omnibus Sanctis longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum: hoc est, æternitas, charitas, virtus, & sapientia. Et hæc omnia Christus. *Æternitas* est: quia hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. *Charitas* est, quia Deus est. Deus enim Charitas est. Est & Dei *Virtus*, & Dei *Sapientia*. Dicamus quoque (f) cum sponsa: *Tenui eum, nec dimittam*. Tenui eum, inquit. [g] Sed nihilominùs ipsa vicissim tenetur ab eo quem tenet, cui alibi dicit: *Tenuisti manum dexteram meam*, Quæ tenetur & tenet, quomodò jam cadere potest? Tenet *fidei firmitate*, tenet *devotionis affectu*: at nequaquam diu teneret, si non teneretur. Tenetur autem potentiâ & misericordiâ Dei. Sancti igitur (h) comprehendunt. Sanctum facit affectio sancta, & ipsa gemina, *Timor* Domini, & sanctus *Amor*. His perfectè affecta anima; veluti quibusdam duobus brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet, & ait: *Tenui eum, nec dimittam*. Audiamus denique sponsam (i) in Canticis canticorum fiducialiter loquentem: *Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Transcendit enim beata anima Christi Incarnationem & Humanitatem, quæ nimirùm *læva* ejus jure meritò vocatur: ut Divinitatem ejus, quā non incongruè *dexteram* nominat, sublimiùs contempletur. Sentiet quippè tunc (k) & probabit universa dilectionis testimonia,(quæ in priori adventu tanquam de *sinistra* Dilecti acceperat,) præ multitudine dulcedinis amplexantis *dexteræ* contemnenda, & omninò jam quasi subtùs habenda. Meritò proinde (l) jam nunc gloriatur, & dicit: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. In *læva* reputans recordationem illius charitatis quā nulla major est, quòd Animam suam posuit pro inimicis suis: in *dextera* verò reputans beatam visionem quam promisit amicis suis, & gaudium de præsentia Majestatis.

Decimaseptima contemplatio est osculum. Quid enim

---

s *Ser. 2. in Ascen. Dom. nu. 1.* t *Ser. 69. in Cant. nu. 3.*
u *Ser. 27. in Cant. nu. 10.* x *Ser. 60. in Cant. nu. 2.* y *Ibid. n. 3.*
z *Ser. 74. in Cant. nu. 5.* a *Ibid. nu. 6.* b *Ser. 69. in Cant. nu. 7.*

c *Ser. in fer. 4. Hebd. San. nu. 14.* d *Ser. 2. in Dom. 1. post Oct. Epiph. nu. 2.* e *Epist. 18. nu. 3* f *Ser. 4. Hebd. San. nu. 14.* g *Ser. 79. in Cant. nu. 4.* h *Lib. 5. de considerat. ad Eugen. cap. 14. nu. 32.* i *Ser. 2. de Omn. SS. nu. 3.* k *Tract. de diligen. Deo cap. 3. nu. 10.* l *Ibid. cap. 4. nu. 12.*

enim jam post amplexum restat,(m) nisi osculum? Si sic adhærerem Deo, quomodò non jam clamare liberet: *Osculetur me osculo oris sui?* Tria sunt oscula, (n) reconciliatorium, muneratorium, contemplatorium. *Primum* ad pedes, *secundum* ad manum, *tertium* ad os sumitur. In *primo* osculo accipitur remissio peccatorum, in *secundo* munus virtutum, in *tertio* cognitio secretorum. *Primò* ad pedes procidimus, (o) & ploramus coram Domino qui fecit nos, ea quæ fecimus nos. *Secundò* manum quærimus sublevantis & roborantis genua dissoluta. *Tertiò*, cùm ista multis precibus & lachrymis obtinemus, tum demùm audemus forsitan ad ipsum Os gloriæ caput attollere (pavens & tremens dico) non solùm speculandum, sed etiam osculandum. In *primo* osculo (p) sanè primordia dedicantur nostræ conversionis. *Secundum* autem osculum proficientibus indulgetur. *Tertium* verò osculum sola experitur & rara perfectio. Ex hujus osculi impressione (q) suscipit anima rationalis ab ipso Sponso suo Verbo *cognitionem* & *amorem* veritatis, quæ duo quasi labia imprimit ei ipsa Dei Virtus & Dei Sapientia. Siquidem Sapientia cognitionem, Virtus confert amorem. Habet & ipsa anima similiter duo labia quibus osculatur Sponsum suum, id est *rationem & voluntatem*. Rationis est percipere sapientiam, voluntatis virtutem. Si sola ratio percipiat sapientiæ cognitionem, & voluntas non habeat virtutis amorem, non est plenum osculum. Aut si sola voluntas obtineat amorem, & ratio minimè percipiat cognionem, nihilominùs est semiplenum osculum. Tunc verò plenum & perfectum est osculum, quando & Sapientia illustrat rationem, & Virtus afficit voluntatem. Revelat Filius Dei seipsum (r); cui vult, revelat & Patrem. Revelat autem sine dubio per osculum, hoc est per Spiritum sanctum, Apostolo teste qui ait: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum*. At verò dando Spiritum per quem revelat, etiam ipsum revelat. Dando revelat, & revelando dat. Porrò revelatio quæ per Spiritum sanctũ fit, non solùm illustrat ad agnitionem, sed etiam accendit ad amorem, dicente Paulo: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Meritò proinde Sponsa petit osculum, (s) id est Spiritum sanctum invocat, per quem accipiat simul & scientiæ gustum, & gratiæ condimentum. Et benè scientia, quæ in osculo datur, cum amore recipitur: quia amoris indicium osculum est. Utrumq; enim munus simul confert osculi gratia, & agnitionis lucem, & devotionis pinguedinem. Est quippè Spiritus sapientiæ & intellectûs, qui instar apis ceram portantis & mel, habet omninò & unde accendat lumen scientiæ, & unde infundat saporem gratiæ.

Decimaoctava contemplatio est unio cum Deo. Spiritus enim (t) ante faciem nostram Christus Dñs: cui adhærentes in osculo sancto, unus spiritus ipsius dignatione efficimur. Cujus utique sermo vivus & efficax (u) osculum mihi est, non quidem conjunctio labiorum, sed planè infusio gaudiorum, revelatio secretorum mira quædam & quodammodò indiscreta commixtio superni luminis & illuminatæ mentis. Vide autem tu, (x) ne quid nos in hac Verbi animæquè commixtione corporeum seu imaginatorium sentire existimes. Id loquimur quod Apostolus dicit: *Quoniam qui adhæret Deo, unus spiritus est*. Excessum puræ mentis in Deum, sive Dei pium descensum in animam, nostris quibus possumus exprimimus verbis, spiritualibus spiritualia comparantes. Itaque in spiritu fit ista conjunctio, quia spiritus est Deus, & concupiscit decorẽ animæ illius quam fortè adverterit in spiritu ambulantem, & curam carnis non perficientem, præsertim si sui amore flagrantem conspexerit. Porrò (y) si carnale matrimonium constituit duos in carne una, cur non magis spiritualis copula duos junget in uno spiritu? Huic simile est (z) quod dicitur: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: nisi quòd hic quidem spiritualis quædam unio designatur. Hæc est utiq; unitas spiritualis, (a) quæ nos conjungit Deo. Unde Apostolus ait: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est*. Ergo (b) si cui nostrûm cum sancto Propheta David adhærere Deo bonum est, & si quis in nobis est ita desiderii vir, ut cupiat dissolvi & cum Christo esse, cupiat autem vehementer, ardenter sitiat, assiduè meditetur: is profectò non secùs quàm in forma sponsi suscipiet Verbum in tempore visitationis, horâ videlicet qua se adstringi intùs quibusdam brachiis sapientiæ, atque inde sibi infundi senserit sancti suavitatem amoris. Felix anima est illa, (c) cui tantæ suavitatis complexum experiri donatum est. Quod non est aliud, quàm amor sanctus & castus, amor suavis & dulcis, amor tantæ serenitatis, quantæ sinceritatis, amor mutuus, intimus, validusquè: qui non in carne una, sed uno planè in spiritu duos jungat, duos faciat jam non duos, sed unum, Paulo ita dicente: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est*.

Decimanona contemplatio maritat animam Deo ad fœcunditatem. Beata est anima, (d) quæ se induit castimoniæ decus, & quendam veluti cælestis innocentiæ candidatum, per quem sibi vendicet gloriosam conformitatem Verbi, de quo legitur quòd sit candor vitæ æternæ, splendor & figura substantiæ Dei. Ex quo jam gradu (e) audet quæ hujusmodi est, cogitare de nuptiis. Quidni audeat, eò se nubilem, quò similem cernens? Non terret celsitudo quam sociat similitudo, amor conciliat, professio maritat. Professionis forma hæc est: *Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ*. Hanc secuti Apostoli ajebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Simile est & illud quod in carnali quidem dictum Christi & Ecclesiæ connubium spirituale signavit Apostolus, dicens: *Propter hoc relinquet homo Patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una*. Et apud Prophetam gloriatio maritatæ: *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.* Ergo quam videris animam (relictis omnibus) Verbo votis omnibus adhærere, Verbo se regere, de verbo

m *Ser. in fer. 4. hebd. san. nu. 14.* n *Ser. 8. inter parvos tom. 2. par. 2. pag. 521.* o *Ser. 3. in Cant. nu. 5.* p *Ser. 4. in Cant. n. 1.* q *Ser. 29. div. nu. 2.* r *Ser. 8. in Cant. nu. 4.* s *Ibid. nu. 5.* t *Ser. 3. in Cant. nu. 5.* u *Ser. 2. in Cant. nu. 2.*

x *Ser. 31. in Cant. nu. 6.* y *Ser. 8. in Cant. nu. 9.* z *Ser. 5. de verb. Esai. nu. 2.* a *Ser. 80. div nu. 1.* b *Ser. 32. in Cant. nu. 2.* c *Ser. 83. in Cant. nu. 6.* d *Ser. 85. in Cant. nu. 11.* e *Ibid. nu. 12.*

Verbo concipere quod pariat Verbo, (quæ possit dicere: Mihi vivere Christus est, & mori lucrum:) puta conjugem, Verboquè maritatam. Confidat in ea cor Viri sui, sciens fidelem quæ præ se omnia spreverit, omnia arbitretur ut stercora, ut sibi ipsum lucrifaciat. Talem noverat de quo dicebat: *Vas electionis est mihi iste*. Prorsùs pia mater & fidelis Viro suo (*Christo*) anima Pauli erat, cùm diceret: *Filioli mei, quos iterùm parturio donec formetur Christus in vobis*. Sed attende (f) in spirituali matrimonio duo esse genera pariendi, & ex hoc etiam diversas esse soboles, sed non adversas: cùm sanctæ matres aut prædicando animas, aut meditando intelligentias pariunt spirituales. In hoc ultimo genere interdùm exceditur & seceditur etiam à corporeis sensibus, ut sese non sentiat quæ Verbũ sentit. Hoc fit cùm mens ineffabili Verbi allecta dulcedine quodammodò se sibi furatur, imò rapitur atque elabitur à seipsa ut verbo fruatur. Aliter sanè afficitur mens fructificans Verbo, aliter fruẽs Verbo. Illic solicitat necessitas proximi, hîc invitat suavitas Verbi. Et quidem læta in prole mater, sed in amplexibus Sponsi lætior. Chara pignora filiorum, sed oscula plùs delectant. Nihil enim in hac vita dulcius sentitur, [g] nihil avidiùs sumitur, nil ita mentem ab amore mundi seperat, nil sic animam contra tentationes roborat, nil hominem ita excitat & adjuvat ad omne opus bonum, & ad omnem laborem, quàm gratia contemplationis.

Vigesima contemplatio fruitur Deo ad jucunditatem. Bonum est salvare multos: [h] excedere autem & Verbo frui multò jucundius est. At quando hoc, aut quandiu hoc? Dulce commercium, sed breve momentum, & experimentum rarum: hoc est quod supra memini me dixisse, quærere utique animam Verbum, quo fruatur ad jucunditatem. Quandiu quippè in hac sumus vita, (i) hoc felicissimæ pacis silentio in cælo, id est in anima justi (quæ sedes est Sapientiæ) aliquando fruitur affectus: sed hora est dimidia, vel quasi dimidia: intentio verò de reliquiis cogitationis diem festum perpetuum agit tibi. O amor sanctus & castus! (k) ô dulcis & suavis affectio! O pura & defæcata intentio voluntatis, eò certè defæcatior & purior, quò in ea de proprio nil jam admixtum relinquitur: eò suavior & dulcior, quò totum divinum est quod sentitur. Sic affici, deificari est. Et revera quis fidus verusq; animæ amor, (l) nisi utique is quo veritas adamatur. Rationis sum compos, veritatis sum capax: sed utinam non forem, si amor veri defuerit. Horum quippè ramorum is fructus est, & ego radix. Inde est quòd audet anima mea ad dulces castosquè assurgere veritatis amplexus, & sic in amore ipsius tota securitate ac suavitate quiescere, si tamen inveniat gratiam in oculis tanti Sponsi, ut dignam reputet, quæ ad hanc pertingat gloriam. Sed pergit quis quærere à me (m) quid sit Verbo frui? Respondeo, Quærat potiùs expertum à quo id quærat. Aut si & mihi experiri daretur, putasne me posse eloqui quod ineffabile est? Audi expertum Apostolum: *Sive*, inquit, *mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis*. Hoc est: Aliud mihi cum Deo, solo arbitro Deo: aliud vobiscum mihi. Illud licuit experiri, sed minimè loqui: in hoc ita condescendo vobis, ut & ego dicere, & vos capere valeatis. O quisquis curiosus es homo scire quid sit hoc Verbo frui, para illi non aurem, sed mentem. Non docet hoc lingua, sed docet gratia. Absconditur à sapientibus & prudentibus, & revelatur parvulis,

§. XXIX.

De reliquis speciebus contemplationis.

VIgesimaprima contemplatio est Centuplum. Etsi novit Dominus figmentũ nostrũ, (n) consolit tamẽ pusillanimitati nostræ, humanæ obviat cogitationi, anxietatem abigit, prævenit trepitationem. Ait enim Dominus: *Et omnis qui reliquerit patrem & matrem suam propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Si enim solum promitteret regnum, (o) & in itinere deesset viaticũ, omninò conquererentur homines & responderent: Magnum quidem est quod promittitur, sed perveniendi illuc nulla facultas datur. Propterea qui post hoc sæculum vitam promisit æternam, ipse dandum etiam in hoc sæculo centuplum providentissima pietate promisit. Hoc Centuplum (p) adoptio filiorum est, libertas, & primitiæ spiritûs, deliciæ charitatis, gloria conscientiæ, regnum Dei, quod intra nos est: non utique esca vel potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Habet quippè contemplatio (q) ex adipe frumenti solidum cibum sapientiæ, cum vino quod lætificat cor hominis. Ad quæ Veritas perfectos invitat, dicens: *Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi*. Denique (r) datum optimum est centuplum hoc, desursùm descendens à Patre luminum. An non etiam omnia possidet, cui omnia cooperantur in bonum? An non centuplum habet omnium, qui impletur Spiritu sancto, qui Christum habet in pectore? Nisi quòd longè plùs quàm centuplum est visitatio Paracleti Spiritus, & præsentia Christi. *Quàm magna* (inquit Propheta) *multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti eis qui sperant in te*! Vides quomodò memoriam abundantiæ suavitatis hujus eructet anima sancta, quomodò exprimere gestiens verba multiplicet? *Quàm magna*, inquit, *multitudo*! Hoc ergo centuplum (s) est donum & pax electis Dei: pax utique præsentis, & donum futuræ. Illa quidem superat omnem sensum: sed & huic quidquid sub Sole placet, quidquid in mundo concupiscitur, non poterit comparari. Hæc est gratia devotionis, & unctio docens de omnibus; quam expertus novit, inexpertus ignorat: quoniam nemo

f *Ibid. nu. 13.* g *Tract. de cognit. hum. condit. cap. 7. nu. 22.* h *Ser. 85. in Cant. nu. 13.* i *Lib. 1. de amore Dei cap. 2. nu. 9.* k *Tract. de diligen. Deo cap. 10. nu. 28.* l *Ser. 77. in Cant. n. 5.* m *Ser. 85. in Cant. nu. 14.*

n *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 16. nu. 55.* o *Ser. 4. super Psal. 90. num. 1.* p *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 22. nu. 69.* q *Tract. de grad. humil. cap. 2. num. 4.* r *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 22. nu. 68.* s *Ibid. nu. 69.*

nemo scit nisi qui accipit. Hæc promissio (t) est vitæ præsentis. Nam promissionem futuræ quis explicet? Verùm (u) si & in præsentis commendatione Centupli sermo deficit, & ex abundantia cordis angustia oris obstruitur: quidni ad promissionem æternæ vitæ defectum proprium ipsa etiam cogitatio fateatur? Ad quam nos sua miseratione perducat præveniens in benedictione dulcedinis, & indeficienter interim tribuens promissam Centupli gratiam, ad solatium utique & remedium laboris hujus, ne deficiamus in via, ut de exhibitione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum, qui venit ut vitam habeamus, & abundantiùs habeamus Jesus Christus Dominus noster.

Vigesimasecunda contemplatio est Pars optima. Ait enim Dominus: *Optimam partem elegit sibi Maria.* Licet (t) non minoris fortassè meriti sit apud Deum humilis conversatio Marthæ, attamen de electione contemplationis Maria laudatur. Quoniam hæc quidem omninò (quod ad nos spectat) eligenda est, illa verò si injungatur, patienter est toleranda. Felix domus Religiosorum, (a) & beata semper congregatio est illa, ubi de Maria conqueritur Martha. Nam Mariæ Martham æmulari prorsùs indignum, prorsùs illicitum est. Alioquin ubi legitur Mariā causantem: Quia soror mea reliquit me solam vacare? Absit absit, ut qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret Fratrum officialium vitam. Martha semper insufficiens sibi & minùs idonea videatur, aliisquè magis id operis quod administrat optet imponi. Respondit enim ei Jesus: *Martha Martha, solicita es, & turbaris erga plurima.* Vide autē prærogativam Mariæ, quemnā in omni causa habeat advocatum. Indignatur siquidem Pharisæus, conqueritur Martha, etiam Discipuli murmurant: sed ubiq; Maria tacet, & pro ea loquitur Christus. *Optimam,* inquit, *partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum.* Hoc unum illud necessarium est. Hæc est una quam Propheta tam sedulè requirebat, cùm dicebat: *Unam petii à Domino hanc requiram.* Hæc planè est pars optima, (b) quæ nō auferetur: hæc est mens optima, quæ non mutabitur quocunque vocaveris eam. *Bonum* (inquit Apostolus) *acquirit gradum, qui benè ministraverit:* fortè *meliorem,* qui benè vacaverit Deo, *optimum* autem, qui perfectus est in utroq;. Sunt quidā (c) qui cum Martha soliciti Domino Jesu pulmentaria præparant, scilicet correctionem operis cum salsamento contritionis, & opus pietatis cum condimento devotionis. Alii verò, qui cum Maria soli Deo vacant, considerantes quid sit Deus in *mundo*, quid in *hominibus*, quid in *Angelis*, quid in *seipso*, quid in *reprobis*: contemplantur quia Deus est mundi rector & gubernator, hominum liberator & adjutor, Angelorum sapor & dulcor, in seipso principium & finis, reproborum terror & horror. In creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in Angelis desiderabilis, in seipso incōprehensibilis, in reprobis intolerabilis.

Vigesimatertia contemplatio est Ignis. Ait enim Dominus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Centuplum seu gratia contemplationis (d) est ignis, quem voluit Christus vehementer accendi. Solis splendor igneus est, (e) & cùm fervet acriùs, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic sapientis ardor internus, foris lucet: & si ei non datur utrumque, curat tamen semper ardere magis, ut Pater suus qui videt in abscondito, reddat ei. Dominus quidem fervorem ab omnibus exigit, splendorem verò non ita. *Ignem,* inquit, *veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Hoc nempè commune mandatum: hoc est quod exigitur ab universis, nec ulla, si deesse contigerit, admittitur excusatio. Est autem hoc signum istiusmodi adventus ejus, (f) sicut ab eo qui expertus est docemur in Psalmo: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Oportet namquè ut sancti desiderii ardor præveniat faciem Dei ad omnem animam, ad quam est ipse venturus, qui omnem consumat rubiginem vitiorum, & sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima quoniam juxta est Dominus, cùm se senserit illo igne succensam, & dixerit cum Propheta Jeremia: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.* Et illud Psalmistæ: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Quòd si & tu ignitum eloquium sentis, (g) atque ex eo conscientiam uri in recordatione peccati, recordare tunc de quo Scriptura dicit, quia *ignis ante ipsum præcedet*: & ipsum propè esse non dubites. Si verò (h) non solùm compungeris in sermone illo, sed & converteris totus ad Dominum, jurans & statuens custodire judicia justitiæ ejus: etiam adesse ipsum jam noveris, præsertim si te inardescere sentias amore ejus. Etenim utrumque de illo legis, & ignem videlicet ante ipsum præcedere, & ipsum nihilominùs ignem esse. Moyses siquidem de illo dicit, quia *Deus ignis consumens est.* Differunt autem, quòd is qui præmittitur ignis ardorem habet, sed non amorem: coquens, sed non excoquens: movens, nec promovens. Tantùm ad excitandum præmittitur & præparandum, simulquè ad commonendum quid ex te sis, quo dulcius sapiat postmodùm quod ex Deo mox eris. At verò ignis qui Deus est, consumit quidem, sed non affligit, ardet suaviter, desolatur feliciter. Est enim verè carbo desolatorius: sed qui sic in vitia exerceat vim ignis, ut in anima vicem exhibeat unctionis. Ergo in virtute qua immutaris, & in amore quo inflammaris, Dominum præsentem intellige. Nam dextera Domini facit virtutem. Non autem fit hæc mutatio dexteræ Excelsi nisi in fervore spiritûs, & in charitate non ficta, ita ut dicat qui hujusmodi est: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.*

Vigesimaquarta contemplatio est Manna. Filiis Israël donec terram promissionis intrarent, (i) in deserto manna non defuit: sic & ab Ecclesia post quæsitum regni cælestis adventum quotidianus panis petitur in oratione, quam ipse Salvator instituit. Panis est meditatio sancta; (k) de qua scriptum

s est:

t *Ser. 4. sup. Psal. 90. nu. 3.* u *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 22. nu. 71.* x *Ser. 9. diver. nu. 4.* a *Ser. 3. in Assumpt. B. M. nu. 2.* b *Ibid. nu. 3.* c *Ser. 48. diver.*

d *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 22. n. 69.* e *Ser. de S. Joan. Bap. n. 3.* f *Ser. 31. in Cant. nu. 4.* g *Ser. 57. in Cant. nu. 6.* h *Ibid. nu. 7.* i *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 21. nu. 67.* k *Ser. 1. in Dom. 6. post Pent. nu. 4.*

eſt: *Cogitatio ſancta* conſervabit te. Et quæ alio in loco ſcripturæ nominari videtur, *panis vitæ & intellectûs*. Eſt enim *intellectus* rerum ſpiritualium & inviſibilium (l) verus animæ panis, confirmans cor noſtrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione ſpirituali. Proinde (m) in oratione Dominica hujuſmodi gratiam devotionis ſub quotidiani panis nomine poſtulamus. Meritò ſane: (n) quia cùm necdũ perfectione gaudentes non ſine magno labore Divinæ poſſumus obtẽperare voluntati, ideò opus eſt cibo ne deficiamus: opus eſt, inquam, pane quotidiano. Quòd ſi cibum hunc & tu deſideras, (o) audi quomodo ſcriptum ſit de Domino, quia tentante diabolo & ſuadente, ut de lapidibus faceret panem, reſtitit & dixit: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Renuat ergo conſolari anima tua in aliis, ſi vis in Dei memoria delectari. Manna enim eſt, omnem ſaporem habens, & odoris delectationem. Unde (p) ait ſponſa: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo*: guſtum contemptationis ſignificans, quem obtinuerat per amorem ſublevata. Vivant de paleis Ægypti, (q) qui diſerviunt in operibus luti & lateris: nobis fortior cibus eſt neceſſarius, quoniam nobis grandis reſtat via, ut ambulemus in fortitudine cibi illius. Ipſe eſt panis Angelorum, panis vivus, panis quotidianus. Cibus utique (r) eſt verbum Dei, quo paſcũtur omnes ſancti tam homines quàm Angeli. Unde ſcriptum eſt: *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. In hoc igitur verbo laboremus, (s) in quo & vivere & gaudere poſſimus in æternum. Operemur non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Carnalis autem homo, (t) qui non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, ſed ſtultitia ei videntur, gemat & lugeat, dicens: *Aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum*.

Vigeſimaquinta contemplatio eſt delectatio mentis. Nihil eſt enim jucundius, (u) nihil utilius gratiâ contemplationis. Quantò ampliùs in cæleſtium contemplatione delectamur, & delectando admiramur: tantò libentiùs immoramur, tantò diligentiùs perſcrutamur, profundiùſquè illuminamur. Nuſquam eſt copioſior materia admirandi, & nuſquam utilior cauſa delectandi. Ita ſanè, (x) ſi fecerimus quod monemur in Pſalmo: id eſt, ſi delectemur in Domino. Ait enim ſanctus David: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. Sed quid eſt quòd Propheta tam abſolutè monet delectari in Domino, ac ſi ad manum nobis ſit hujuſmodi delectatio? Delectationem cibi & potus & ſomni novimus: Deus autem quam delectationem habet, ut in eo delectemur? Fratres mei, ſeculares hoc dicere poſſunt, vos non poteſtis. Quis enim veſtrûm eſt, qui non ſæpè expertus ſit conſcientiæ bonæ delectationem? qui non guſtaverit ſaporem caſtitatis, humilitatis, charitatis, & contemplationis? Non eſt hæc delectatio potûs neque cibi, aut ſimilis cujuslibet rei: delectatio tamen eſt, & major omnibus illis. Divina enim eſt, & non carnalis delectatio: & cùm in his delectamur, planè delectamur in Domino. Siquidem (y) hujuſcemodi deliciæ mentis ſunt, non ventris: animi, non corporis: ſpiritûs, non carnis: rationis, non ſenſualitatis: interioris, non exterioris hominis. Ipſæ ſunt abundãs infuſio gratiæ ſpiritualis. Beata eſt illa anima, cui talis gratia infunditur, quæ in benedictionibus ſupernæ dulcedinis prævenitur, ut templum Dei & oraculum Spiritus ſancti efficiatur. Denique nemo ſanæ mẽtis credat (z) ampliorem eſſe in vitiis, quàm in virtutibus delectationem: præſertim cùm ſit Deus virtutum, & totius veræ jucunditatis fons, lætitiæq; & exultationis origo. Audiamus autẽ Prophetam de propria utique experientia perhibentem fidele teſtimonium veritati: *In via*, inquit, *teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis*. Quid erit in patria, ſi tanta eſt copia delectationis in via? Quid faciet in præſentia, (a) qui in ſola memoria delectatur? Ait enim idem Propheta: *Memor fui Dei, & delectatus ſum*. Deus licet unus ſit & unum, (b) tamen non ſui varietate, ſed animi noſtri mutatione guſtantibus nobis diverſos videtur habere ſapores. Sapit enim timenti juſtitiam & potentiam, ſapit amanti bonitatem & miſericordiam. Non tamen (c) adhuc illum dixerim apparere ſicuti eſt, quamvis non omninò aliud hoc modo exhibeat, quàm quod eſt. Neque enim vel ſic continuè præſtò erit quamvis devotiſſimis mentibus, ſed nec uniformiter omnibus. Oportet namque pro variis animæ deſideriis divinæ guſtum præſentiæ variari, & infuſum ſaporem ſupernæ dulcedinis diverſa appetẽtis animi aliter atq; aliter oblectare palatũ.

Vigeſimaſexta contemplatio eſt revelatio ſecretorum cæleſtium. Revelatio non eſt aliud (d) quàm infuſio gratiæ ſpiritualis. Scriptum eſt: (e) *Unigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Enarravit, dixerim, non mihi miſero & indigno, ſed planè Joanni amico Sponſi, cujus hæc verba ſunt: non ſolùm autem, ſed & Joanni Evangeliſtæ, utique diſcipulo quem diligebat Jeſus. Placita enim fuit Deo & anima illius, digna prorsùs quæ recumberet ſuper pectus Domini. Hauſit Joannes de ſinu Unigeniti quod de paterno hauſerat ille. Hauſit & Paulus, cujus Evangelium non eſt ab homine, neque ab homine illud accepit, ſed per revelationem Jeſu Chriſti. Profectò hi omnes tam feliciter quàm veraciter dicere poſſunt: *Unigenitus qui erat in ſinu Patris, ipſe enarravit nobis*. Et quidẽ unuſquiſq; (f) invenit ſecretum ſibi cum Sponſo, & dicit: *Secretum meum mihi, ſecretum meũ mihi*. Non omnibus tamẽ uno in loco frui datur gratâ & ſecretâ Sponſi præſentiâ, ſed ut cuique paratum eſt à Patre ipſius. Non enim nos eum eligimus, ſed ipſe elegit nos, & poſuit nos: & ubi ab eo quiſque poſitus eſt, ibi eſt. Denique mulier una compuncta, ſecus pedes Domini Jeſu ſortita eſt locum: cùm altera ſuæ devotionis fructum ad caput Domini invenerit, ſi tamen altera. Porrò Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in ſinu

Patris

l ſer. 2. in Annunc. B.M. nu.4. m ſer. 1. in Nat. Dom. n.7. n ſer. 6. in Quadrag. nu.5. o ſer. 4. ſup. Pſal. 90. nu.2. p ſer. 42. in Cant. n.8. q ſer. 1. in Dom. 1. poſt Epiph. n.5. r ſer. 5. in Aſſumpt. B.M. nu.4. s ſer. de S. Ioan. Bapt. n.7. t ſer. 2. in Annunc. B.M. nu.4. u Tract. de inter. domo cap. 41. nu.93. x ſer. 5. in Quadrag. nu.6.

y ſer. 91. diver n.5. z Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 20. n.64. a ſer. 13. div. nu.2. b ſer. 73. diver. c ſer. 31. in Cant. nu.7. d Epiſt. 107. nu.9. e ſer. 8. in Cant. n.7. f ſer. 23. in Cant. n.11.

Patris, Paulus in tertio cælo, secreti hujus gratiam sunt assecuti. Quis nostrûm (g) dignè distinguere sufficiat has varietates meritorum, vel potiùs præmiorum? Ne omninò tamen præteriisse quod ipsi novimus videamur, dicimus: Prior mulier stravit sibi in tuto humilitatis, posterior in solio spei: Thomas in solido fidei: Joannes in lato charitatis: Paulus in intimo sapientiæ, Petrus in luce veritatis. Neq; sanè est quòd causemur (h) nostro huic negatā esse tempori, sive eam quæ ad Patres veteris testamenti facta est apparitionem, sive eam quæ Apostolis exhibita est præsentiam carnis Christi. Si quidem fideliter considerantibus neutram deesse liquebit. Adest enim nobis etiam nunc carnis ipsius vera substantia, haud dubium sanè quin in Sacramento Eucharistiæ. Adsunt revelationes, sed in spiritu & virtute: ut tempori gratiæ quod nunc est, nihil in ulla gratia deesse probetur. Denique nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit diligentibus se, nobis tamen revelavit per Spiritum suum. Porrò revelatio (i) quæ per Spiritum sanctum fit, non solùm illustrat ad agnitionem, sed etiam accendit ad amorem, dicente Paulo: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

§. XXX.

De quibusdam aliis speciebus contemplationis.

Vigesimaseptima cōtemplatio est typus scalæ Jacob. Vidit Patriarcha Jacob scalam stantem super terram, [k] Angelos quoq; Dei ascendētes & descendentes per eam, & cacumen illius cælos tangebat. In hac scala sunt positi omnes ad vitam æternam præparati: & omnis qui spectat ad regnum cælorum, in hac scala habet locum. In hac scala sunt tres ordines hominum, scilicet seculares, activi, & contemplativi. Seculares sunt in minori gradu: activi sunt in altiori loco: contemplativi verò sunt in summo gradu. Ad pedes hujus scalæ sunt homines sæculi: in medio scalæ sunt activi. In summitate verò hujus scalæ sunt contemplativi, jam quasi in cælo positi: quia ascendunt per contemplationem ad Deum, & descendunt per compassionem ad proximum. Hoc siquidem habet vera & casta contemplatio, [l] ut mentem quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo proximos qui eum similiter diligant, ut ocium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat: & rursùm potita votis aliquatenùs in hac parte, tantò ardentiùs redeat in idipsum, quantò se fructuosiùs intermisisse meminerit. Denique [m] activa vita innocentia est bonorum operum, contemplativa verò vita est speculatio supernorū. Activa vita terrenis rebus benè utitur: contemplativa verò sæculo renuncians, soli Deo vacare delectatur. Bona est vita activa, sed multò melior est contemplativa. Hæc est enim scala Iacob, [n] qui quando caput in lapide posuit, Angelos ascēdētes & descendētes videre meruit. Scala ista duodecim gradus habet. Per hos gradus ascendunt Angeli, & sublimant homines: sic disponuntur in corde ascensiones, sensim proficiendo, & pedetentim ascendendo: sic in domo Patris lucidas percipiunt mansiones. Illud quoque quod in scala illa, [o] quæ in typo humilitatis Jacob monstrata est, Dominus desuper innixus apparuit, quid nobis aliud innuit, nisi quòd in culmine humilitatis constituitur cognitio veritatis? Dominus quippè de summitate scalæ prospiciebat super filios hominum tanquam Veritas, (cujus oculi sicut fallere nolunt, ita falli non norunt:) ut videret si est intelligens aut requirens Deum. Meritò quidem: (p) quia activa vita communis est multorum, contemplativa verò paucorum.

Vigesimaoctava contemplatio est margarita pretiosa. Quænam est (q) una tam pretiosa margarita? Ego unam hanc nihil aliud quàm cognitionem veritatis arbitror esse. Quærit ille bonas margaritas, qui in opere salutis suæ non est contentus inferioribus bonis, sed summa quæque & excellentiora perquirit contemplando. Quod tamen aliter non fit, (r) nisi tibi sapiat Deus. Quæras ergo necesse est sapientiam, per quam tibi sapiat Deus, & mundus desipiat. Sapientia per pretiosam signatur margaritam, quam qui invenit homo vadit & vendit universa quę habet, & emit eam. Utinam gustares & sentires quàm dulcis est Dominus! Utinam gustares panem qui de cælo descendit, habentem omne delectamentum & suavitatem saporis! Profectò si quid haberes, venderes, & comparares eam. Internæ suavitatis gustus (s) dulcedo est, & manna absconditum, & thesaurus absconditus in agro. Cui comparatum omne dulce, amarum: omne decorum, fædum: omne jucundum, triste: omne pretiosum, vile: sordidum omne, quod desiderabile est in oculis amatorum mūdi fluentis. Hanc pretiosam margaritam datis omnibus terrenarum rerum delectamentis Sancta sanctorum [scilicet Deipara] comparavit, & nobis in Filio suo præparavit, & præparat semper interventu suo nobis orantibus oleum effusum dulcedinis hujus. Hic est ignis, (t) quem voluit Christus vehementer accendi. Hæc est virtus in alto, quæ Andream fecit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc est illa pax quam reliquit Christus, quando dedit & suam. Hic calculus est, (u) quem nemo scit nisi qui accipit. Sunt autem in contemplatione gaudia internæ festivitatis, quæ quotidiè mentibus nostris per inspirationem sui amoris imprimit interna & æterna dulcedo Dominus Jesus Christus. *Nota*, inquit, *feci vobis omnia quæcunque audivi à Patre meo.* Et ad Moysem: *Omnem bonum ostendam tibi.* Omnia enim quæ audivit à Patre, & quæ præmittit Moysi, unus denarius est, qui promittitur laborantibus in via: & una illa est, quam petiit David: & unum illud est, quod necessarium est. Mel est quod sugit Israël de petra, & oleum de saxo durissimo. Gaudium est, quod nemo tollit. Osculum est, de

g Ibid. nu. 12. h ser. de S. Mart. Episc. nu. 10. i ser. 8. in Canticum. 4. k lib. de modo benè viven. cap. 53. nu. 125. tom. 6. pag. 957. l ser. 57. in Cant. nu. 9. m lib. de modo bene viven. cap. 53. nu. 125. & 126. n ser. de B. M. Deip. nu. 4. tom. 6. pag. 762.

o Tract. de grad. humil. cap. 2. num. 3. p lib. de modo bene viven. cap. 53. nu. 125. q ser. 65. diver. nu. 2. r ser. de verb. Sap. nu. 12. & 13. s ser. 1. sup. Sal. Reg. nu. 5. t Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 22. nu. 59. u ser. 1. sup. Sal. Reg. num. 5.

quo scriptum est: *Osculetur me osculo oris sui.* Manna absconditum est, (x) quod in Apocalipsi Joannis victori promittitur. Novum nomen est, quod nemo scit nisi qui accipit. Probare libet (y) an hæc ita se habeant, gustare quid hoc absconditum manna sapiat, experiri quid sit hoc centuplum, quale gaudium in Spiritu sancto. Quæ quidem non inter vitæ æternæ præmia, (z) sed inter temporalis militiæ stipendia deputantur: nec ad futuram pertinent, sed ad eam magis quæ nunc est Ecclesiæ promissionem. Hoc enim centuplum est, quod in hoc sæculo sæculi contemptoribus exhibetur.

Vigesimanona contemplatio est speculatio rerum cælestium. Duo sunt contemplationis genera. (a) *Primum* quidem genus contemplationis est de statu & felicitate & gloria Civitatis supernæ, quo vel actu vel ocio ingens illa cælestium Civium occupata sit multitudo. *Alterum* genus contemplationis est de Regis ipsius majestate, æternitate, divinitate. O beata regio supernarum Virtutum, [b] ubi illa sublimia agmina sublimi pennarum applausu clamare non cessant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Locus est voluptatis, ubi torrente voluptatis potantur Justi. Locus splendoris, ubi Justi fulgent sicut splendor firmamenti. Locus lætitiæ, ubi lætitia sempiterna super capita eorum. Locus abundantiæ, ubi nihil deest videntibus Deum. Locus suavitatis, ubi apparet Dominus suavis universis. Locus pacis, ubi in pace factus est locus ejus. Locus admirationis, ubi sunt mirabilia opera ejus. Locus satietatis, ubi satiabimur cùm apparuerit gloria ejus. Nihil ibi formidatur, (c) nihil fastiditur, nihil deficit. Tuta habitatio *Paradisus*: dulce pabulum *Verbum*: opulenta multa nimis *Æternitas*. O regio sublimis, (d) plena divitiarum, de valle lachrymarum suspiramus ad te, ubi sapientia sine ignorantia, memoria sine oblivione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate splendebit: cùm error videlicet à ratione, (e) à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis recesserit, & successerit illa quam speramus mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas. O regio sublimis, [f] in qua Dominus transiens ministrabit Electis suis, id est talem se qualis est ostendet. Illic erit Deus omnia in omnibus, ubi rerum universitas mirabiliter ordinata dabit Creatori gloriam, lætitiam creaturæ. Curre igitur spiritualis anima oculis desideriorum per regionem istam, & vide Regem gloriæ in decore suo gloriosum, stipatum legionibus Angelorum, Sanctorum ornatum agminibus. Circuite & vos fratres charissimi, (g) cum pietatis & devotionis affectu, visitantes animo sedes supernas, & multas quæ in domo Patris cælestis sunt mansiones: humiliter prosternentes corda vestra ante thronum Dei & Agni: cum reverentia supplicantes singulis ordinibus Angelorum: Patriarcharum numerum, cuneos Prophetarum, & senatum Apostolicum salutantes: coronas Martyrum suspicientes, purpureis rutilantes floribus: redolentes liliis choros Virginum admirantes: atque ad melli-fluum novi cantici sonum (quantum prævalet infirmitas cordis) erigentes auditum. Hæc meditamini, (h) in his versamini. Felix cujus meditatio in conspectu Domini est semper, (i) qui in corde suo delectationes dexteræ Domini usque in finem sedula meditatione revolvit. Quid enim grave illi poterit videri, qui semper mente tractat quòd non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cujus oculus semper videt bona Domini in terra viventium?

Trigesima contemplatio est sabbatum mentis. Dormiens enim anima spiritualis in contēplatione Deum somniat, (k) per speculum quidem & in ænigmate, non autem facie ad faciem interim intuetur. Et tu quoq; qui ista legis, (l) roga dari tibi devotionis lumē, diem serenissimam, & sabbatum mentis, in quo tanquam emeritus miles, in laboribus universis vivas absque labore, dilatato nimirùm corde currens viam mandatorum Dei: ut quod priùs cum amaritudine & coactione tui spiritûs faciebas, de cætero jam cum summa dulcedine peragas & delectatione. Alioquin erras, (m) si citra te invenire existimas locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis. Sed da mihi qui illuc pervenerit, & incunctanter fateor quiescentem, qui meritò dicat cum Psalmista: *Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.* Atque hîc verè in solitudine locus est, & in lumine habitatio, prorsùs juxta Isaiam Prophetam, tabernaculum in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & pluvia. Quid fœlicius, (n) quid jucundius sabbato illius animæ, quæ contemplatione & dilectione Dominum comprehendens, & quasdam divinæ suavitatis experientias formans, inæstimabili gaudio sanctæ fruitionis afficitur, dum à se peregrinans jam in cælis habitat, & in memoria abundantiæ suavitatis Dei exultat & jubilat? O quies pacifica, ô sabbatum delicatum! ô dulcedo charitatis, quæ animam diligentem Deum usque in altissima ejus magnalia provehit, provectamquè inter voluptates ęternas quiescere interim facit! Feriatione hujus sabbati totus homo interior hilarescit, ejus intelligentia serenatur, affectiones dulcescunt, & sancta desideria in Deo quadam fruitione felicissima resolvuntur. O præclara solemnitas, ô jucunda pausatio, & sabbatum delicatum! Et quænam gloria delicatior aut desiderabilior potest esse, quàm Deo medullitùs inhærere, & jactare in eum omnes cogitatus & affectus suos, atq; in dilectione ipsius colligere tantę certitudinis fructus, ut de salute animę suæ, de consortio Angelorū, atq; de illa interminabili exultatione, quæ diligentibus Deum præparata est, nullatenùs oporteat dubitare? O sabbatum delicatum, (o) ô dulcedo amoris, ô æternæ felicitatis introitus, quam preciosiorem omnibus thesauris, desiderabiliorem omnibus divitiis, elegantiorem omnibus regnis operatur charitas de puro corde & bona conscientia, & fide non ficta. Satage ergo anima spiritualis, (p) Deum tuum intimè & summè diligere,

&

x *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap.* 22. *nu.* 65. y *Ibid. nu.* 72. z *Tract. de convers. ad Cleric. cap.* 13. *nu.* 25. a *ser.* 62. *in Cant. nu.* 4. b *ser.* 42. *divers. nu.* 7. c *ser.* 33. *in Cant. nu.* 2. d *ser.* 42. *diver. nu.* 7. e *ser.* 11. *in Cant. nu.* 6. f *ser.* 42. *nu.* 7. g *ser.* 4. *in Ascens. Dom. nu.* 9.

h *ser.* 11. *in Cant. nu.* 8. i *ser.* 4. *in Ascens. Dom. nu.* 7. k *ser.* 18. *in Cant. nu.* 7. l *ser.* 3. *in Circumcis. Domini nu.* 10. m *ser.* 52. *in Cant. nu.* 5. n *lib.* 3. *de amore Dei cap.* 18. *nu.* 63. & 64. o *Ibid. cap.* 32. *cap.* 109. p *Tract. de inter. domo cap.* 40. *nu.* 89.

& omni hora in divinæ contemplationis gaudium summo cum desiderio anhelare. Collige teipsam ad teipsam, & in solo Divinitatis desiderio requiesce. Debet namque anima perfecta [q] omni hora peregrinationis suæ terminum cum summo desiderio expectare, & ad illud divinæ contemplationis spectaculum (quod in futura vita speramus) animum suum suspendere, & in ejusmodi expectatione vehementer cum desiderio anhelare: ut quod interim videt per speculum & in ænigmate, mereatur videre facie ad faciem. Necesse est itaque ad cor altum ascendere, & mentis excessu per divinam revelationem addiscere, quid sit illud ad quod aspirare oporteat, & ad qualem sublimitatis habitum animum suum componere & assuescere debeat. Nam si semel ad illam luciferam Angelicæ sublimitatis gloriam quis admissus fuerit, & ad illud divinorum radiorum spectaculum intrare meruerit: quàm intimis desideriis, quàm profundis suspiriis, quàm inenarrabilibus gemitibus eum, qui ejusmodi est, putamus insistere: quàm assidua recordatione, quàm jucunda admiratione inspectam claritatē credimus eum retractare menteq; revolvere; illam desiderando, ad illam suspirando, illam contemplando, donec tandem aliquando in eandem imaginē transformetur à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu? Qui divina inspiratione [r] & revelatione ad contemplationis gratiam promovetur, quasdam arras futuræ illius plenitudinis accipit, ubi sempiternæ contemplationi perpetuò inhærebit. Qui verò contemplationi veritatis vult vacare, necesse est, ut discat requiescere non solùm ab operibus malis, sed etiam à cogitationibus supervacuis. Multi siquidem etsi sciunt vacare corpore, minimè tamen valent vacare corde, nescientes sabbatum ex sabbato. Et ideò non valent implere quod dicitur in Psalmo: *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus.* Nihil enim in hac vita dulcius sentitur, (s) nihil avidius sumitur, nil ita mentem ab amore mundi separat, quàm gratia contēplationis. Omnes quidē nobis causamur deesse gratiam, (t) sed justiùs forsitan ipsa sibi queritur gratia deesse nunnullos. Nempè res cordis est gratia devotionis ista, quam quærimus: & hoc munere ipse se fraudat, qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere. Qualenam poterimus (u) idoneum gratiæ receptaculum exhibere? Balsamum est gratia: purissimum, & solidissimum vas requirit. Et quid tam purum, quidvè tam solidum, quàm humilitas cordis? Meritò proinde humilibus dat gratiā Deus. Sed noverint qui hujusmodi sunt, (x) gratiam hanc præstitam sibi esse, non datam: ut in die bonorum memores sint malorum, & in die malorum immemores sint bonorum. Longè aliter qui exercitatos habent sensus, devotionis hujus felici fruuntur jucunditate. Sed multi totâ vitâ suâ ad hoc tendunt, & nonquam pertendunt. Quibus tamen si piè & perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur quod in hac vita dispensatoriè est negatum: illuc perducente eos sola gratia, quò priùs tendebant ipsi cum gratia, ut consummati in brevi expleant tempora multa. O quàm gloriosum est regnum illud, (y) in quo Reges congregati sunt, convenerunt in unum, ad laudandum scilicet & glorificandum eum, qui super omnes est Rex regum, & Dominus dominantium. De cujus splendidissima contemplatione fulgebunt justi sicut Sol, in regno Patris eorum. Felix qui sine ulla nube confusionis (z) revelata penitùs facie gloriam Domini speculando, in eandem imaginem transformabitur, & similis erit illi, videns eum sicuti est, utique super omnia Deus benedictus & laudabilis, & gloriosus in sæcula sæculorum. Amen.

Hactenùs actum est de divina contemplationis speciebus, quas triginta Epithetis complexus sum, easque Mellifiui Doctoris sententiis explanavi. Supersunt tamen plures & diversi gradus contemplationis, quamvis ipsa una sit: nec facilè possunt certo numero comprehendi. Multis enim modis anima contemplanti se communicat Deus: & Spiritus ejus ubi vult spirat, & quando vult, & quomodo vult. Cæterùm aliis speciebus omissis ad contemplationem spectantibus, solùm mihi restat referre exemplum de mirabili contemplatione Eronis Abbatis Ordinis nostri: quem cælestis avicula cantu in extasim raptum, per ducentos annos contemplationi insistentem, ac divinitùs conservatum historia commemorat, his planè verbis quæ sequuntur.

I. Gallaciæ in Hispania Beatus Eron Abbas Monasterii Armentariæ Ordinis Cisterciensis erat, qui pia quadam spiritûs affectione, & sedula meditatione animo revolvebat supernorum Civium delicias, & deifici luminis pulchritudinem, atq; cælestis Jerusalem decorem, & domus Domini ubertatem cōtemplabatur. Dum autē meditationi intentus esset (anima ejus terrenis exuta tumultibus cælorum secreta penetrans) & mūdi hujus vanitates calcaret, mitâs dicebat: *Quis incomprehensibilis gloriæ tuæ, Domine, comprehendere poterit consilia? Quisvè divitias sapientiæ & scientiæ tuæ, quibus Sanctos tuos in æterna patria glorificas, investigare valebit? Vel quis sensus capere poterit lumen illud, quo Beatorum elevas mentes, ut finitum valeat infinitum contemplari? Sed judicia tua sunt abyssus multa, nec nostra fragilitatis est potentiæ divina arcana investigare. Sufficit mihi si Te omnipotentem, incomprehensibilem, & in operibus tuis mirabilem, me verò miserum & miserabilem actionibus meis agnoscam. Sed adhuc non quiescit spiritus meus, vel potiùs carnis gravatus miseropōdere, quæ sursùm sunt attingere non potest: & ideo nec requiem invenit. Quo ergo pacto Beatorum spiritus idem semper objectum contemplantes, quod contemplantur possident, quod possident amant, & quod amant diligere non cessant? & tamen perpetua ejusdem objecti dilectio, continua contemplatio, & æterna possessio fastidium non parit? Vel ut meliùs dicam: Qualis erit decor & pulchritudo Deitatis, quæ semper dilecta voluntatem attrahit, contemplata intellectum illuminat, non offuscat: possessa veneratur, non parvipenditur?*

II. His & similibus cogitationibus venerabilis senex Eron angebatur, mirans, non dubitans: humilitate

q *Ibid. cap. 41. nu. 90.* r *Ibid. nu. 91.* s *Tract. de cognit. hum. condit. cap. 7. nu. 22.* t *ser. 17. diver. nu. 1.* u *ser. 3. in Annunc. B. M. nu. 9.* x *ser. 3. in Circumc. Dom. nu. 10.*

y *ser. 4. sup.* Missus *nu. 2.* z *ser. 28. diver. nu. 7.*

litate incomprehensibilem majestatem venerans, fide verò minimè trepidans. Cujus Dominus humilitatem respiciens, miro modo & hactenùs inaudito, inæstimabilis gloriæ suæ thesaurum si non ex toto, certè ex parte ostendere voluit, ut per cognitionem minimi (ut ita dicam) gloriæ suæ splendoris, ad æternæ claritatis notitiam perveniret: nec miraretur in Beatis æternam Deitatis sine fastidio contemplationem, sequenti miraculo roboratus. Accidit ergo quadam die, nocturnis precibus ex more absolutis, beatum Abbatem è Monasterio egredi, ut eò liberiùs quò à cæteris separatus in solitudine illa cælesti contemplationi vacaret, quoadusquè instarent Laudes matutinæ. Cæpit itaque (ut sæpè consueverat) spiritum suum paulatim ascendendo inter Angelicos ordines collocare, ibiquè quiescere, ac Divinitatis magnalia investigare. Cùmquè de incomprehensibili gloria Dei, ac Beatorum æterna felicitate miraretur: & ecce Avis pulcherrima, sibi autem ignota, mira suavitate, incredibili eaque cælesti melodia, non usitato avium cantu, non materialis sed potiùs justitiæ Solis præsentiam celebrare cæpit. Miratur Senex, eamquè Aviculam huc illucquè volitantem ac penetrantem interiora deserti suspensus sequitur: qui tandem in medio nemoris sub arbore quadam resedit, & dum divinam musicam audit, in extasim raptus corporis sensibus destituitur, & omnium rerum creatarum penitùs immemor perseverat in eodem loco. Quem cùm Monachi quærerent nec invenirent, mirantur, nimioquè dolore perfusi existimant beatissimum Patrem Abbatem humilitatis causâ, & ut securiùs divinæ contemplationi spiritum tradere posset, dignitatem & locum deseruisse: & ideò alius in locum ejus eligitur Abbas. Interea ille contemplationi insistens non minùs quàm ducentis annis divinitùs conservatur: & tandem à somno meditationis evigilans, Avicula cessat à cantu. Abbas mærore confectus conqueritur: existimabat namque cantûs dulcedine raptus, se unius quadrantis spatio ad summum ibi mansisse: & quia ampliùs musicam illam audire non licebat, ideò tristitiâ angebatur.

III. Revertitur denique ad Monasterium Abbas, cui ad ostium pulsanti Monachus ei ignotus respondens, ac videns Senem obstupefactus miratur, Abbatem advocat, & quisnam sit quidvè quærat, interrogat. Ille è converso dissimiles Religiosos in Monasterio suo videns, ac etiam ædificiorum repentinam (ut ipse credebat) ejus mutationem conspiciens, tam incredibili admiratione corripitur, ut vix vel minimum verbum proferre posset. Sed tandē inquit: *Ego sum Eron hujus Monasterii Abbas, qui hodie ante unam horam post Vigilias matutinas egressus, in nemore viciniori contemplationi insistens paululùm mansi: & ecce cùm jam revertor, brevi temporis intervallo mirabilem mutationem invenio, nec ferè Monasterium agnosco, nec vos qui in illo habitatis hactenùs vidi.* Dum hæc diceret, mirabilem quendam splendorem in facie ejus, ac cælestem gravitatem in verbis sanctissimi Senis contemplabantur nonnulli Monachi: & qui jam sancti Eronis quondam ejusdem loci Abbatis plenam notitiam habebant, & ejusdem beati Viri inopinatū discessum non ignorabant, verbis ejus fidem adhibentes, totum Conventum advocant: & in conspectu omnium miraculum hoc comprobatum est. Eron verò totam eis historiæ seriem exposuit, & qualiter Deus cælestis gloriæ magnitudinem mirabili illo modo dignatus fuerit ostendere declaravit. Qui non multò post Ecclesiasticis Sacramentis munitus ex hac vita discessit, meritò coronandus in futura. Omnes autem Dominum collaudabant, qui temporibus illis antiquum illud miraculum, quod in septem Dormientibus expertum est olim, non minori omnipotentiæ suæ indicio renovavit. Egressus est ergo Venerabilis Abbas de Monasterio suo Anno Domini 1167. Obiit autem anno 1367. & corpus ejus in Monasterio Armentariæ honorificè tumulatū est. *Ita testantur Angelus Manrique in Epistola ad Fratrem Joannem Marietam, quæ est 1. lib. 3. §. 2. Barnabas de Montalvo tom. 1. Chronicorum lib. 2. cap. 39. Malachias Dasus Monachus Monasterii Hortensis, & Jacensis Episcopus, qui hanc historiam in antiquo manuscripto libro conscriptam invenit. Hactenùs Henriquez, qui eosdem Authores citat, & historiam prainsertam refert in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis tom. 2. dist. 26. cap. 6. & in Monologio Cisterciensi ad diem 30. Augusti.*

EPILOGUS AD LECTOREM.

Libet jam hunc librum claudere, [a] sed in calce aliqua velim quasi epilogando addere prætermissa. Hucusq; fatigavimus vos prolixitate sermonis, [b] & detinuimus ultra quàm oporteret. Ex hoc jam finem loquacitati nostræ quem non imperat verecundia, videtur imperare vel hora. Mementote tamen Pauli Apostoli, quem aliquando verbum prædicationis usque in mediam noctem legitis protraxisse. *Utinam adhuc* [ut ipsius verbis utar] *sustineatis modicum quid insipientiæ meæ. Æmulor enim vos Dei æmulatione.* Charitas denique (c) labores non sentit, meritum non intuetur, præmium non requirit, & tamen plus omnibus urget. Nemo autem mihi molestus sit vel ingratus, (d) si de publico haurio & propino. Nam ut paulisper ministerium meum in hac parte commendem; nonnullius profectò fatigationis est atque laboris, quotidiè scilicet exire & haurire etiam de manifestis rivulis scripturarum, & ex eis singulorum necessitatibus inservire: ut absque suo labore quisque vestrûm præstò habeat aquas spirituales ad omne opus, verbi gratiâ ad lavandum, ad potandum. Est nimirùm aqua sapientiæ salutaris sermo divinus, nonmodò potans, sed & lavans, dicente Domino: *Et vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Porrò (e) in Scripturis sacris historiam ad hortum non immeritò deputavimus, eò quòd in ea inveniantur Viri virtutum,

a S. Bern. lib. 4. de Considerat. cap. 7. nu. 24. b Tract. de Convers. ad Cleric. cap. 18. nu. 32. c Epist. 143. nu. 3. d Ser. 22. in Cant. nu. 2. e Ser. 23. in Cant. nu. 4.

virtutum, tanquam ligna fructifera in horto Sponsi, & in paradiso Dei, de quorum bonis actibus ac moribus quot sumitis exempla, tot carpitis poma. Alioquin (f) sicut jure omnium hominum stolidissimus censetur, qui ad arborē viriditate foliorum atq; ubertate fructûs pulcherrimam veniens, foliorum inanitate ventrem farciret, & ab utilitate fructûs jejunus remaneret: eadem rationis æquitate stultissimus reputatur, qui venustissimam & fæcundissimam seriem strenuæ conversationis Patrum sanctorum relegens, velut chronica tantùm vel annales Regum, ad solam curiosam notitiam rerum eam transcurrit; & nihil ex his quæ legit, ad accendendum in se compunctionis fervorem, ad detergendam conscientiæ suæ rubiginem, & ad librandam morum suorum inæqualitatem manu sanctæ devotionis decerpit. Neq; enim propterea Patrum præcedentium laudabilia gesta describuntur, ut vanæ & inquietæ curiositati inserviatur: sed ut per ea rudes instruantur, infirmi confortentur, lascivi gravitatem sectentur, duri corde compungantur, devoti ad perfectionem informentur: & ut per ædificationem & consolationem legentium sancta Ecclesia Catholica roboretur, & laus Dei (cujus bona sua sunt bona nostra) per gratiarum actionem amplificetur. Proinde obsecro vos dilectissimi, (g) considerate diligentiùs quantum fecerit Deus pro vestra exhortatione & salute, ne infructuosus inveniatur in vobis sermo tam vivus & efficax, sermo fidelis & omni acceptione dignus, sermo non tam oris quàm operis. Putatis, Fratres, parum mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum quod nunc loquor ad vos, vacuum & sine aliqua utilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et quis sum ego, aut quis est hic sermo meus? Si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse doleret homo pusillus, imò & nihili: quàm justiùs indignabitur Dominus majestatis, si tantam ejus operam nostrâ aut duritiâ aut negligentiâ contingat evacuari?

Fateor: protraxi hujus exhortationis sermonē ultra quàm credidi. Quod tamē non aliud esse reor, (h) nisi quòd fortis mulier Sapientia misit manum ad colum, & digiti ejus apprehenderunt fusum. Novit enim modicam lanam vel linum in longum producere filum, atque in telæ extendere latitudinem, & sic omnes domesticos suos vestire duplicibus. Plura sanè potuissem (i) è sanctorum Patrum amænissimis hortis colligere, quibus hoc sterile senticetum uberiùs exornaretur: sed præstabilius visum est in tanta rerum congerie servare temperamentum, & posterorum industriæ multa relinquere. Cæterùm quia hoc Opus ex scriptis veterum Patrum magna ex parte compactum est, illorum dicta haud importunè in hac meta usurpabo. Et primò quidem illis verbis Lectorem meum conveniam, quibus modestissimè alloquitur suum Timotheum Magnus Dionysius Areopagita, (k) sic inquiens: Hæc à me, Fili, tam multa, tamquè præclara Hierarchiæ nostræ spectacula (quæ unum faciunt) aspecta & animadversa sunt. Ab aliis autem mentibus, quæ acriùs cernunt, nonmodò hæc perspecta sunt, sed multò clariora & diviniora. Tibi etiam (ut opinor) planè collucebunt clariores diviniores que pulchritudines, si iis quos dixi gradibus ad superiorem radium contendas. Communica igitur tu quoque mecum majorem perfectioremquè lucem, meisquè oculis monstra præstantiores, & unius speciem magis exprimentes formas quascunque cernere potueris. Dicam & illud quod Maximus Martyr (l) scribit his verbis: Hæc ergo de his pro viribus exposui, ea quæ sunt magis mystica & altiora attingere non ausus. Danda est autem venia imbecillitati meæ: & suscipiendum est potiùs quàm reprehendendum, si quod dari potest datur. Deo enim gratum & acceptum est, quidquid pro viribus purè & sincerè ex animo datur, etiamsi cum magnis collatum videatur esse exiguum. Scio quidē (m) hac ætate eruditissima scribentibus multa à multis imminere judicia, multasq; parari censuras: sed recordatus sum cū Divo Hieronymo illius versiculi:

Pollio, & ipse facit nova carmina,

Possum tamen de stylo & methodo hujus Operis audacter dicere, quod Phocas Grammaticus (n) de brevitate suæ artis dicit:

Ars mea multorum es, quos sæcula prisca tulerunt,
Sed nova te brevitas asserit esse meam.

Possum quoq; Paschasii Ratberti (o) verba usurpare dicentis: Expositio mea multorum eruditissimorum est Doctorum, quos antiquior tulit ætas, & firmavit auctoritas veritatis: sed proprio commendatum stylo, novitas facit esse meam, ita ut Tractatus qui de omnibus colligitur, unus verè videatur, & specialiter esse meus. *Hactenùs ille.* Si quid verò benè tractavi, malo id cum prædicto Phoca Lectoris judicio laudari, quàm mea jactari prædicatione. Porrò si quid peccatum in hoc Opere est, (& sanè plurima peccata sunt) meum est: si quid bonum, si quid laude dignum, non meum, sed alienum est. Si quoq; peccavi, (p) quòd propriam magis ex hoc excitavi devotionem, quàm communem quæsierim utilitatilitatem: potens erit pia Virgo Mater apud suum misericordem Filium hoc meum excusare peccatum, cui hoc meum qualecunque Opusculum devotissimè destinavi. Nec mihi vitio vertat quis, (verba sunt Theodosii (q) Macrobii ad Eustachium filium) si res, quas ex lectione varia mutuatus sum, ipse sæpe verbis, quibus ab ipsis auctoribus enarrata sunt, explicavi: quia præsens Opus non eloquentiæ ostentationem, sed noscendorum congeriem pollicetur. Ex scriptis probatissimorum Auctorum pleraque meo stylo elicui, illud Lucretii Poëtæ [r] secutus, qui sic ait:

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.

Texunt plerique libros, sicut serta ex variis floribus miran-

f *Author libri 7. de vita S. Bern. cap. 29. nu. 70. pag. 228.* g *S. Bern. ser. 2. in Nat. Dom. nu. 6.* h *ser. 15. in Cant. nu. 5.* i *Card. Bona lib. de Div. Psalmod. cap. 20. §. 3.* k *Dionysius Areopag. in fine libri de Ecclesiast. Hierarchia, relatus ab eod. Card. Bona loc. cit.*

l *Maxim. Mart. in fine Opusc. de Ecclesiast. Mystagogia, relatus à dicto Card. ibid.* m *Idem Card. in Præfat. lib. de Div. Psalmo. & S. Hier. in Prolog. lib. 1. in Epist. ad Ephes.* n *Phocas in Proœm. de nomine & verbo.* o *Pasch. in Præf. lib. 6. in Matth.* p *S. Bern. in Epilogo Ser. 4. Sup. Missus.* q *Macrob. in præfat. Satur.* r *Lucret. lib. 3.*

miranturquè novas frondes, & non sua poma. Pauci possunt cum Manilio (s) dicere:

> *Nostra loquar: nulli vatum debebimus orsa,*
> *Nec furtum, sed Opus veniet.*

Ab hoc autem communi vitio immunis ego sum. Nam libenter, [t] ubi mihi congruere videbam, verba Sanctorum Patrum assumpsi, quò vel ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant quæcunque in eis lectori meo apposui. Ligna quidem (u) & lapides ad hanc structuram ab aliis accepi: at ædificii forma, & constructio mea est. Sanctorum verò Patrum & antiquorum Historicorum sententias fideliter ex fonte excerpsi, rivulorum perosus impuritatem. Verba tamen scrupulosè non sector, dum sensus integer maneat. Nam & Apostoli in citando veteri Testamento, aliquando & media intersecant, & ex pluribus locis unum conflant, prout doctè observant Authores, Adrianus Papa, Leo Castrensis, & Franciscus Ribera. Nec verebor Juvenci Poëtæ assumptâ personâ aliquid mihi de hoc qualicunque Opere polliceri cantans in hoc Epilogo, quod ille in Prologo Evangelicæ Historiæ cecinit, dicens:

> *Non metuo, ut mundi rapiant incendia secum*
> *Hoc Opus. Hoc etenim forsan me subtrahet igni*
> *Tunc, cùm flammivoma descendet nube coruscans,*
> *Judex altithroni Genitoris gloria Christus.*

Ipse interim (x) sit finis hujus Operis, qui finis est ad justitiam omni credenti. Ipse principium & finem (y) omninò vendicat sibi: ut sit nobis alpha & omega Dominus Deus noster. Ipse autem det vobis ea quæ dicuntur, (z) non solùm tenere memoriter, sed & ardenter diligere, & efficaciter adimplere Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

F I N I S.

Protestatio Authoris.

CVm fœlicis recordationis Vrbanus Papa VIII. die 13. Martii anno 1625. in Sacra Congregatione S. R. & Vniversalis Inquisitionis Decretum ediderit, illudquè confirmaverit die 5. Iulii anno 1634. quo inhibuit imprimi Libros hominum qui sanctitate vitæ celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenùs sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata: porrò idem Vrbanus Papa die 5. Junii 1631. ita explicaverit, ut nimirùm non admittantur Elogia Sancti vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; benè tamen ea quæ cadunt super mores, & opinionem cum protestatione in principio vel in calce libri, quòd iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes Auctorem. Ideò huic Decreto, ejusquè confirmationi, & declarationi ea qua par est observantiâ & reverentiâ insistendo, profiteor me haud alio sensu quidquid in hac Præfatione refero accipere, aut accipi ab ullo velle quàm quo ea solent, quæ humanâ duntaxat auctoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur: iis tantummodò exceptis, quos jam Sancta Sedes Sanctorum aut Beatorum catalogo adscripsit.

s *Manil. Astronom. lib. 2.* t *S. Bern. ser. 3.* super Missus *num. 1.* u *Card. Bona in præfat. lib. de Div. Psalmod.* x *S. Bern. Epist. 107. num. 13.* y *Ser. 4. de verb. Esai. nu. 4.* z *Ser. 77. in Cant. num. 9.*

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Prima

De Creatione, & prævaricatione primi hominis, malisquè inde secutis.

PROLOGUS.

IN hoc libro vide ô homo (a) quid Deus tibi erogavit, imò quod prærogavit, & supererogavit. Creavit, cùm non esses: recreavit, cùm perditus esses. Creavit, vt esses particeps beatitudinis suæ: recreavit, ne post lapsum permaneres exsors patriæ, & exsors felicitatis æternæ. Conformaverat te imagini Divinitatis suæ (b) cùm te creavit: conformatus est imagini humanitatis tuæ, ut te reformaret. Tu ergo, qui non retinuisti formam Divinitatis suæ tibi impressam in tua formatione, retine saltem formam humanitatis tuæ sibi impressam in tua recreatione: idest, si non retines qualem te creavit, retine saltem qualem te recreavit. Si non capis quantas virtutum divitias tibi dederit te creando, cape saltem quantas in humanitate tua miserias propter te acceperit recreando, & ad potiores quàm ad quas te formaverat delitias reformando. Dedit te tibi quando te creavit, ut esses: reddit te tibi cùm recreavit, ut benè esses: dedit in viaticum tibi, ne in via deficias, Corpus & Sanguinem suũ um, se verum Deum & hominem verum. Totus tibi datus (c) & totus in tuos usus expensus est. Siquidem (d) Carnem suam in cibum, Sanguinem in potum, Animã ministravit in precium. Nec habuit (e) seipso melius: se dedit in meritum, se servat in præmium, se apponit in refectionem animarum Sanctarum, se in redemptionem distrahit captivarum. Et tu quid rependes? (f) Si pro eo quod dedit tibi, quando te creavit, vicem nequis rependere: quid denique pro eo rependes, quod se tibi dedit? Certè si te millies posses rependere, quid esses tu in comparatione Dei? Repende tamen quantum potes, repende te totum illi, qui te totum tibi dedit & reddidit: & his non contentus, se quoque totum tibi dedit. Dilige hunc tantum te diligentem, & singularem dilectum ex tota anima tua, & ex toto corde tuo, & ex omnibus viribus tuis. Siquidem ut incitaret te ad diligendum seipsum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus tuis; impendit tibi quidquid debuit, creando, & recreando te Deus. Redde vicem (g) & super vulnera ejus misericordiâ commouere, & pone eum talem, qualem nunc vides ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: ut in omnibus cogitationibus cordis tui, in omnibus operibus brachii tui, eidem taliter ut vides signato possis similis inveniri. Agnosce ô homo (h) quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse fuit Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Nisi enim (i) vetus homo transgrederetur, novus homo non pateretur. Denique (k) si Christus crucifixus non esset, non fuisset secuta redemptio. Intuere homo (l) quomodo redemptus es. Empti estis (inquit Apostolus) precio magno: non magno tantùm, sed permaximo. Venditus eras sub peccato, precio vili, & despicabili morsu vnius pomi: emptus & redemptus es precio magno & inæstimabili, morte Filii Dei. Quid pro tua salute facere debuit (m) & non fecit? Ab imo pedis usque ad summum verticis se totum in aquas passionum demersit, ut te totum extraheret de illis: & intraverunt usque ad Animam ejus. Nam & Animam suam in mortem perdidit, ut tuam perditam tibi redderet. Et ecce te duplici debito obligavit. Nam & pro eo quòd dedit Animam suam, debitor illi es: & pro tua quidem anima bis ab eo tibi data, semel in Creatione, & semel in Redemptione, quid magis justè Deo reddes, quàm ipsam animam. Pro sua autem preciosa Anima ita contribulata, quid ab homine dignè rependi possit, non invenio. Nam etsi Cœlum & terram & omnem ornatum eorum pro ea posset rependere, certè nec si usque ad mensuram debiti ullatenùs attingere posset. O homo (n) quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Novit quicunque rectè sapit (o) quantùm Christianæ pietati expediat, quantùm Dei seruum deceat Sacrosanctæ Passionis ipsius fideliter recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, ad recondendum pleniùs per imitationem in memoria. Proinde (p) lege hunc librum vitæ, scriptum foris

 & in-

S. Bernard. Abb. juxta eius librorum edit. authore Horstio in VI. Tom. impr. Parisiis an. 1667. A Tract. de 3. præcip. myst. cap. 1. n. 3. tom. 5. pag. 579. b tract. de vite myst. cap. 44. n. 169. & cap. 30. n. 120. c ser. 3. in Circumcis. n. 4. d ser. 54. in Cant. n. 1. e tract. de diligen. Deo cap. 8. n. 22. f. tract. de vite myst. cap. 30. n. 120. & cap. 46. n. 183. g ibid. cap. 44. n. 169.

h ser. 3. in Nat. Dom. n. 4. i ser. de verb. sap. n. 7. tom. 6. pag. 771. k tract. de vite myst. cap. 46. n. 181. l tract. de 3. præcep. myst. cap. 7. n. 10. m ser. de Pass. n. 18. n tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. n. 17. o ser. 2. in Cœna Domini n. 9. p tract. de vite myst. cap. 44. n. 167.

& intus, & lectum intellige. Noli auditor obliviosus esse (q) sed die ac nocte legito Passionem Jesu: & in omnibus actibus sponsam Jesu imitare, tollens crucem tuam ad imitationem ejus. Hæc enim lectio (r) mel in ore, & jubilus est in corde, extasis mẽtis devotæ. Dulcedo ejus omnẽ excedit eloquẽtiã, & totam absorbet conscientiam, & transformat in supernæ jubilationis imaginem, & deliciarum cœlestium novitatem. Considerata hujus lectionis mira suavitas totas inebriat medullas animæ. Ex singulis enim clausulis sentitur quidam ignis erumpere, qui in sinu absconditur clausus, in ossibus totos depascit angulos amantis conscientiæ. Si scintillet exteriùs, videtur Solis jubare splendidiùs radiare. Legi eas (s) & quas volvebam in ore literas, scintillas sentiebam in pectore, quibus & concaluit cor meum intra me, tanquã ex illo igne quẽ Dominus misit in terram. O quantus in illis meditationibus exardescebat ignis, è quibus hujusmodi evolant scintillæ. Accipe itaque syllabas has (t) ex sacris literis passim sparsimque comprehensas: in quibus si quid flagrantiæ, si quid dulcoris, si quid interni saporis palato pii cordis degustaveris, noli mihi attribuas; sed nobilibus illis pigmentariis, de quorum apothecis emendicatum est, referas gloriam. Ego quidem nostra fragmenta (u) quæ mihi collegeram, sine invidia communicabo, ne fortè incurram maledictionem abscondentis frumenta in populis. Superest jam (x) ut distribuam quæ paravi: vos autem considerate potiùs dantem Dominum, quàm ministrum distribuentem. Ipse det vobis ea (y) quæ dicuntur, non solùm tenere memoriter, sed & ardenter diligere, & efficaciter adimplere. Obsecro vos dilectissimi (z) considerate diligentiùs quantum fecerit Deus pro vestra exhortatione & salute, ne infructuosus inveniatur in vobis sermo tàm vivus & efficax, sermo fidelis & omni acceptione dignus. Putatis, Fratres, parum mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum quod nunc loquor ad vos, vacuvm & sine aliqua utilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et quis sum ego, aut quis est hic sermo meus? Si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse doleret homo pusillus, imò & nihili: quàm justiùs indignabitur Dñus Majestatis, si tantam ejus operam vestrâ aut diuritiâ aut negligentiâ contingat evacuari? Avertat hoc à Servulis suis, pro quorum salute induere dignatus est formam servi, Unigenitus Dei Patris, qui est super omnia Devs benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT. I.

De dignitate hominis, creati ad imaginem & similitudinem Dei.

Creavit Devs hominem ad imaginem, & similitudinem suam. *Gen.* 1.

1. *Ostenditur Animam hominis habere affinitatem cum Deo, secundùm ejus imaginem & similitudinem, ad quam creata est.* 2. *Secundùm simplicitatem substantiæ.* 3. *Secundùm immortalitatem vitæ naturalis.* 4. *Secundùm libertatem arbitrii.* 5. *ostenditur Animam nostram à Sancta Trinitate creatam, habere quandam trinitatem, scilicet Memoriam, Rationem, & Voluntatem: nec non Dignitatem, Sapientiam, & Virtutem.*

§ I.

Benè mihi (a) eructavit Moyses; & bonus odor in ructu ejus creantis potentiæ: Creavit (inquit) Devs hominem ad imaginem & similitudinem suam. Proinde nullus (b) Deo vicinior gradus inter omnes quæ sub sole habitãt creaturas, quàm Anima humana. Sed dicit (c) aliquis: Quid tu duo ista conjungis? Quid enim Animæ, & Verbo? Multùm per omnem modum. Primò quidem, quòd naturarum tanta cognatio est, ut hoc Imago, illa ad imaginem sit. Deinde quòd cognationem similitudo testetur: nempe non ad imaginem tantùm, sed ad similitudinem facta est. In quo similis sit quæris? Audi de Imagine priùs. Verbum est Veritas, est Sapientia, est Justitia: & hæc Imago. Cujus? Justitiæ, Sapientiæ, & Veritatis. Est enim Imago hæc justitia de justitia, sapientia de sapientia, veritas de veritate, quasi lumen de lumine, de Deo Deus. Harum rerum nihil est Anima, quoniam non est imago. Est tamen eorundem capax appetensque: & inde fortassis ad imaginem. Celsa creatura in capacitate quidem majestatis, in appetentia autem rectitudinis insigne præferens. Legimus quia Deus hominem rectum fecit, quòd & magnum, capacitas (ut dictum est) probat. Oportet namque id quod ad imaginem est, cum Imagine convenire, & non in vacuvm participare nomen Imaginis, quemadmodùm nec imago ipsa solo, vel vacuo nomine vocitatur imago. Habes verò de eo qui Imago est, quia cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Vbi tibi utique ejus & in forma innuitur rectitudo, & in æqualitate Majestas, ut dum rectitudini rectitudo, & magnitudini magnitudo comparatur, consonanter sibi altrinsecùs respondere appareat quod ad imaginem est, & imaginem: sicut imago quoque nihilominus in utraq: respondet illi cujus imago est. Nempe ipse est, de quo Sanctum David audisti in Psalmis canentem, nunc quidem: Magnus Dominus noster, & magna Virtus ejus. Nunc verò: Rectus Dominus noster, & non est iniquitas in eo. Ab isto recto & magno Deo habet imago ejus, ut & ipsa recta & magna sit, habet anima quæ ad imaginem est. Sed dico: (d) Nihil ne ergo amplius habet Imago ab Anima quæ ad imaginem est, quia & huic magnum rectumq: assignamus? Et plurimũ. Hæc ad mẽsurã accepit, illa ad æqualitatẽ. Annon plus hæc? Adverte & aliud. Huic utrumque aut creatio aut dignatio contulit, illi generatio. Atque id magnificentius esse non dubium est. Sed ne hoc quidem eminentius esse quis abnuat, quòd cùm à Deo huic, illi & de Deo utrumque sit, idest, de Dei substantia. Est enim consubstantialis Deo Imago sua, & omne quod eidem suæ Ima-

q *Soliloq. S.Ber. n. 20. tom. 6. pag. 1023.* r *Ser. in fer. 2. Pasch. n. 1. tom. 6. pag. 717.* s *Epist. 11. n. 1.* t *ex proem. tract. de 3. præcip. myst.* v *Ser. 3. in Dom. post. Pen. n. 1.* x *Ser. 1. de omn. San. num. 3.* y *Ser. 77. in Cant. n. 8.* z *Ser. 3. in Nat. Dom. num. 6.*

a *Ser. 67. Cant. nu. 5.* b *Ser. 9. div. nu. 2.* c *Serm. 80. in Cant. num. 2.* d *ibidem n. 3.*

Imagini impartiri videtur, ambobus est substantiale, non accidentale. Adhuc unum attende in quo Imago non parùm eminet. Magnum & rectum, ista duo naturâ à sese discrepare quis nesciat? In Imagine unum sunt. Neq; hoc solùm, unum sunt & cum Imagine. Imagini enim nonmodò id rectum est esse, quod magnum esse, sed etiam id magnum rectumquè esse, quod esse Animæ non ita. Et magnitudo ejus, & rectitudo ipsius diversæ ab ea, diversæ abinvicem sunt. Si enim (ut supra docui) eò Anima magna est quò capax æternorum, eò recta quò appetens supernorum: quæ non quærit nec sapit quæ sursum sunt sed quæ super terram, non planè est recta, sed curva, cùm tamen pro hujusmodi magna esse non desinat, manens utiquè etiam sic æternitatis capax. Neque enim illius aliquando non capax erit, etiamsi nunquam capiens fuerit, ut sit quomodo scriptum est in Psalmo: Verumtamen in imagine pertransit homo. Ex parte tamen, ut eminentia Verbi appareat de ipsa integritate. Quo enim à magno rectovè Verbum cadat, quod sic ea utique habet, ut sitquæ habet? Vel ideo ex parte, ne si toto privaretur, non superesset spes salutis. Nam si desinat magna esse, & capax. Quippe de capacitate (ut dixi) æstimatur Animæ magnitudo. Quid verò sperare posset cujus capax non foret? Itaque(e)per magnitudinem, quam retentat etiam perditâ rectitudine, in imagine pertransit homo, uno quasi claudicans pede, & factus filius alienus. De talibus enim reor dictum in Psalmo: Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt à semitis suis. Pulchrè appellati sunt *filii alieni*: nã *filii* propter retentã magnitudinem, *alieni* propter amissam rectitudinem. Nec dixisset, *claudicaverũt*, sedcorrverunt, aut quidpiam simile, si ex toto hominis imaginẽ exvissent. Nunc verò secundùm magnitudinem quidem in imagine pertransit homo: quantum verò ad rectitudinem veluti claudicans conturbatur & deturbatur ab imagine, Scriptura ita dicente: Verumtamen in imagine pertransit homo.

§ II.

Quæsitum est supra (f) de affinitate Animæ ad Verbum: atquè id quidem necessarie. Quæ enim conventio tantæ Majestati & tantæ paupertati, ut more & amore sponsorum veluti ex æquo sese complecti videantur sublimitas illa & illa humilitas? Nã si verè id dicimus, valdè læta fiducia est: si falsò, valdè punienda audacia. Propterea ergo de convenientia horum quærendum fuit, quæ quidem jam multa inventa est, sed non omnis. Quis enim vel nimis hebes non videat, quàm se è vicino respiciant Imago, & quod ad imaginem est? Quorum utique unum uni, & alterum alteri assignavimus supra. Nec de imagine tantùm, sed etiam de similitudine demonstrata ibidem propinquitas est, nisi quòd ipsa similitudo in quo vel in quibus potissimùm constet, necdum à nobis est declaratum. Age jam intendamus declarationi huic, ut quò Anima pleniùs suam agnoverit originem, eò ampliùs erubescat vitam habere degenerem. Imò verò quod peccato vitiatum deprehenderit in natura, studeat reformare industriâ: ut dignè suo genere, Dei quidem munere se se regens, ad amplexus Verbi fidenter accedat. Advertat igitur (g) ex hac Divinæ ingenuitate similitudinis inesse sibi illam suæ substantiæ naturalem simplicitatem, quâ hoc est illi esse quod vivere, & si non quod benè quodvè beatè vivere, ut sit similitudo, non æqualitas. Gradus propinquus, gradus tamen. Neque enim unius excellentiæ parisquè fastigii sunt, hoc habere esse quod vivere, & item habere hoc esse quod beatè vivere. Ergo si Verbi est illud propter sublimitatem, hoc Animæ ptopter similitudinem, salvâ quidem eminentiâ Verbi, palam est affinitas natnrarum, palam Animæ prærogativa. Et ut quod dicitur planiùs fiat: Soli Deo id est esse, quod beatum esse, atque hoc primum & purissimum simplex. Secundum autem simile est huic, id videlicet habere esse quod vivere, atque hoc Animæ est. Ex hoc etsi inferiori gradu ascendi potest nonmodò ad benè, sed etiam ad beatè vivendum, non quia vel tunc si hoc esse quod beatum esse illi qui eò pervenerit, quatenus ita glorietur pro similitudine, ut tamen pro disparitate habeat semper unde omnia ossa ejus dicant: Domine, quis similis tui? Bonus tamen Animæ gradus, ex quo & solo ad beatam ascenditur vitam. Sunt namque viventia, (h) & horum genera duo, quæ sentiunt, & quæ non sentiunt. Porrò insensibilibus sensibilia præferuntur, atque vtriusque vita quâ vivitur & sentitur. Non stabunt pariter in gradu uno vita & vivens, multò minùs vita, & quæ sunt sine vita. Vita anima est vivens quidem, sed non aliunde quàm seipsâ, ac perhoc non tam vivens quàm vita, ut propriè de ea loquamur. Inde est quòd infusa corpori vivificat illud, ut sit corpus de vitæ præsentia non vita, sed vivens. Unde liquet, ne vivo quidem corpori id vivere esse, quod esse; cùm esse, & minimè vivere possit. Multò minùs quæ vitæ expertia sunt, adhuc gradum assurgunt. Sed nec omne quod vita dicitur, vel est, continuò valebit pertingere huc. Est pecorum, est & arborum vita, sensu altera vigens, altera carens. At neutri tamen idem esse quod vivere est: cum (ut quidem multorum opinio est) ante in elementis, quàm vel illa in membris, vel ista in ramis extiterint. At secũdùm hoc cùm desinit vivificare, simul vivere cessãt, sed non & esse. Soluuntur pariter & dissoluuntur, tanquam non alligatæ tantùm, sed colligatæ. Nequo enim unum simplex est quæque harum, sed ex pluribus constans: & propterea non redigitur in nihilum, sed dissilit in partes, ut & ad suum quodque recurrat principium: Verbi causâ aër ad aërem, ignis ad ignem, & reliqua in hunc modum. Nequaquam igitnr tali vitæ idem esse & vivere est, quæ est & quando non vivit.

§ III.

Porrò nihil horum (i) quibus non hoc esse quod vivere sit, ad benè beatequè vivendum quandoque proficiet vel emerget: quippe quòd neque ad hunc inferiorem gradum potuit pervenire. Sola quæ in ipso stare cognoscitur Anima hominis, in eo dignitatis gradu creata est vita à Vita, simplex à simplici, immor-

e *Ibidem num.* 4. f *Serm.* 81. *in Cant. num.* 1.

g *Ibidem n.* 2. h *Ibidem n.* 3. i *Ibidem n.* 4.

immortalis ab immortali: ut non ſit longè à ſummo gradu, ubi ſcilicet id eſſe quod beatè vivere eſt, in quo ſolus ſtat beatus & ſolus potens, Rex regum & Dominus Dominantium. Accipit itaquè in ſui conditione Anima etſi non eſſe, poſſe tamen eſſe beata, ſummo proinde gradui quantùm licet appropians, non pertingens tamen. Neque enim vel ipſi (ut ſupra diximus) hoc erit aliquando eſſe quod beatam eſſe, nec quando beata erit. Fatemur ſimilitudinem, æqualitatem renvimus. Verbi causâ. Vita Deus, vita & Anima eſt: ſimilis quidem, ſed diſpar. Porrò ſimilis, quòd vita, quòd ſeipſa vivens, quòd non tantùm vivens, ſed & vivificans: ſicut & ille hæc omnia eſt. Diſpar verò, quantùm à Creante creata. Diſpar, quòd ut niſi creata ab illo non eſſet, ſic niſi ab ipſo vivificata non viveret. Non viveret dico, ſed ſpirituali vita, non naturali. Nã naturali quidẽ etiã quòd non ſpiritualiter vivit, immortaliter vivat neceſſe eſt. At qualis vita, in qua ſatiùs foret nõ naſci, quã non ab ea mori? Mors potiùs eſt, & ideo gravior, quia peccati, non naturæ. Denique mors peccatorum peſſima. Et audi (k) unde *peſſima*. Mala ſiquidem eſt in mundi amiſſione, pejor in carnis ſeparatione, peſſima in vermis igniſquè duplici contritione. Ita ergo (l) quæ ſecundùm carnem vivit Anima, vivens mortua eſt: quippè cui bonum erat omninò non vivere, quàm ſic vivere. A qua nimirum vitali quadam morte minimè unquam reſurget, niſi per Verbum vitæ, imò per Verbum vitam, viventem utique & vivificantem. Aliàs autem (m) immortalis eſt anima, & in hoc nihilominus Verbo ſimilis quidem, ſed non æqualis. Nam intantùm ſuperexcellit immortalitas Deitatis, ut Apoſtolus dicat Deo: *Qui ſolus habet immortalitatem*. Quod ego reor pro eo dictum, quòd ſolus ſit naturâ incommutabilis Deus, qui ait: *Ego Dominus, & non mutor*. Vera namque & integra immortalitas tàm non recipit mutationem, quàm nec finem, quòd omnis mutatio quædam mortis imitatio ſit: omne etenim quod mutatur, dum de uno ad aliud tranſit eſſe, quodammodò neceſſe eſt moriatur quod eſt, ubi eſſe incipiat quod non eſt. Quodſi tot mortes quot mutationes, ubi immortalitas? Et huic vanitati ſubjecta eſt ipſa creatura non volens, ſed propter eum qui ſubjecit eam in ſpe. Attamen immortalis Anima eſt: quoniam cùm ipſa ſibi vita ſit, ſicut non eſt quo cadat à ſe, ſic non eſt quo cadat à vita. Verùm cum conſtet ſuis affectibus mutari eam, agnoſcat ita ſe Deo in immortalitate ſimilem, ut ſciat ſibi deeſſe non modicam immortalitatis partem, ſoli cedens abſolutam perfectamquè immortalitatem, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Non mediocris tamen Animæ dignitas præſenti diſputatione comperta eſt, quæ gemina quadam vicinitate naturæ Verbo appropiare videtur, ſimplicitate eſſentiæ, & perpetuitate vitæ.

§ IV.

Sed adhuc (n) vnum occurrit quod minimè prætereibo: nec enim minùs inſignem ſimilemuè minùs Verbo Animam facit, & fortè etiam plùs. Arbitrii libertas hæc eſt, planè Divinum quiddam præfulgens in Anima tanquam gemma in auro. Ex hac nempe ineſt illi inter bonum quidem & malum, nec non inter vitam & mortem, ſed & nihilominus inter lucem & tenebras & cognitio judicii, & optio eligendi: & ſi qua ſunt alia quæ ſimiliter circa animi habitum ſeſe è regione reſpicere videantur, nihilominus inter ipſa cenſorius quidam arbiter is Animæ oculus dijudicat & diſcernit: ſicut arbiter in diſcernendo, ita in eligendo liber. Unde & liberum nominatur arbitrium, quòd liceat verſari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potens. Omne etenim quod feceris bonũ malumvè, quod quidem non facere liberum ſi, meritò ad meritum reputatur. Et ut meritò laudatur, non is tantùm qui potuit facere mala & non fecit, ſed qui & potuit non facere bona & fecit: ita malo non caret merito tàm is qui potuit non facere mala & fecit, quàm qui potuit facere bona & non fecit. Ubi autem non eſt libertas, nec meritum. Propterea quæ ſunt carentia ratione animalia, nihil merentur: quia ſicut deliberatione, ita & libertate carent. Senſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim judicium habent quo ſe dijudicent ſive regant, ſed ne inſtrumentum quidem judicii, ideſt rationem habent: inde eſt quòd non judicantur, quia non judicant. Quanam quippè ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt? Hanc vim (o) à natura ſolus homo non patitur, & ideo ſolus inter animantia liber. Et tamen interveniente peccato patitur quandam vim & ipſe, ſed à voluntate, non à natura, ut ne ſic quidem ingenita libertate privetur. Quod enim voluntarum, & liberum. Et quidem peccato factum eſt, ut corpus quod corrumpitur aggravet animam, ſed amore, non mole. Nam quòd ſurgere Anima per ſe jam non poteſt quæ per ſe cadere potuit, voluntas in cauſa eſt, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioſo amore langueſcens & jacens, amorem parirer juſtitiæ non admittit. Ita neſcio quo pravo & miro modo ipſa ſibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, ut nec neceſſitas cùm voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem, nec voluntas cùm ſit illecta, excludere neceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc quodammodò voluntaria. Eſt favorabilis vis quædam, premendo blandiens, & blandiendo premens: unde ſeſe rea voluntas, ubi ſemel peccato conſenſerit, nec excutere jam per ſe, nec excuſare tamen ullatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gementis ſub onere neceſſitatis hujus: Domine (inquit Eſaias) vim patior, reſponde pro me. Sed rursùs ſciens quòd non juſtè cauſaret adversùs Dominum, cùm voluntas ſua ipſius potiùs in cauſa foret, attende quid ſecutus intulerit: Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerim? Premebatur jugo, non alio tamen quàm voluntariæ cujuſdam ſervitutis, & erat pro ſervitute quidem miſerabilis, ſed pro voluntate inexcuſabilis. Voluntas enim eſt quæ ſe cùm eſſet libera, ſervam fecit peccati, peccato aſſentiendo: Voluntas nihilominus eſt, quæ ſe ſub peccato tenet voluntariè ſerviendo. Unde dicitur:

Qui

k *Epiſt. 150. n. 2.* l *Serm. 81. in Cant. n. 4.* m *Ibidem n. 5.* n *Ibidem num. 6.*

o *Ibidem num. 7. & 8.*

Qui facit peccatum, servus est peccati. Propterea cùm peccavit (peccavit autem cùm peccato obedire decrevit) servam se fecit. Sed fit libera, si non adhuc facit. Facit autem in eadem servitute se retinens. Neque enim non volens voluntas tenetur: voluntas enim est. Ergo quia volens, servam seipsam fecit: nonmodò fecit, sed facit. Meritò proinde (quod sepè memorandum est) quis respondebit illi cùm ipsa fecerit, ipsa & facit? Et hoc vobis (p) liquidò apparere jam arbitror, Animam pro ingenita atque ingenua similitudine (quæ in simplicitate, immortalitate, & libertate tam eximiè claret) non parvam cum Verbo habere affinitatem, Sponso Ecclesiæ Iesu Christo Domino nostro.

§ V.

Adverte homo (q) quia Deo conjunctus es, & non sis ingratus. Fecit enim te, ut dictum est (r) ad imaginem suam & similitudinem. *Ad imaginem*, ut haberes memoriam, intellectum, discretionem, & cætera naturalia: ad *similitudinem*, ut haberes innocentiam, justitiam, & alia gratuita: ad imaginem & cognitionem Veritatis, ad similitudinem in amore Virtutis. Vel certè factus es ad *imaginem* Dei, collatis tibi omnibus istis: ad *similitudinem* secundùm essentiam Deitatis factus es immortalis & indivisibilis. Deniq: (s) creationem hominis Creator rerum summa dignitate commendans: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem uostram. Reverendum revera privilegium, nec ulli traditum creaturæ. Creatur illa sublimior numerositas Angelorum, & elementorum omnium ordinatur variata connexio, sed Omnipotentis præsentia tantum opus teciturnitate alta prospectat. Ut verò venitur ad hominem, & nobilis creatura creari disponitur, accingit se Trinitas ad creandum: & consilium accipit Sapientia, ut creaturæ dignitas Creatoris privilegio clara esse monstretur. Hinc est (t) quòd cùm Trinitas Deus hominem crearet ad imaginem suam, quandam in eo formavit trinitatis similitudinem, in qua & imago Trinitatis Creatricis reluceret, & per quam nouvs ille Mundi Incola, simili naturaliter ad simile recurrente, principio suo, Creatori suo indissolubiliter inhæreret, si vellet: ne multiplici creaturarum varietate illecta, abstracta, distracta, creata illa trinitas inferior à Summæ Creatricis unitate recederet. Etenim cùm in faciem novi hominis spiraculum *Vitæ, spiritualem vim*, idest, intellectualem, quod sonat spiratio & spiraculum; & *vitalem*, idest, *animalem*, quod sonat nomen vitæ, infudit, & infundendo creavit: in ejus quasi quadam arce vim memorialem collocavit, ut Creatoris semper potentiam & bonitatem memoraret: statimquè & sine aliquo moræ interstitio, Memoria de se genuit Rationem: & Memoria & Ratio de se protulerunt Voluntatem. *Memoria* quippe habet & continet quò tendendum sit: *Ratio* quid tenendum sit: Voluntas tendit. Et hæc tria unum quiddam sunt, sed tres illæ efficaciæ, sicut in illa Summa Trinitate una est substantia, tres personæ. In qua Trinitate sicut Pater est genitor, Filius genitus, & ab utroque Spiritus Sanctus procedens: sic ex Memoria Ratio gignitur, ex Memoria & Ratione Voluntas procedit. Ut ergo Deo inhæreret creata in homine rationalis Anima, memoriam sibi vendicat Pater, rationem Filius, Voluntatem ab utroque procedentem, ab utroque procedens Spiritus Sanctus. Ecce (v) quibus orta natalibus voluntas, cujus nativitatis, cujus adoptionis, cujus dignitatis, cujus nobilitatis. Quæ cùm præveniente & cooperante gratia Spiritui ipsi Sancto (qui Patris & Filii amor est & voluntas) bono sui assensu incipit inhærere: & vehementer incipit velle quod Deus uvlt, & quod volendum Memoria suggerit & Ratio: & vehementer volendo efficitur amor. Nihil enim aliud est amor, quàm vehemens in bono voluntas: per se enim voluntas simplex est affectus, sic anima rationali indutus, ut sit capax tàm boni quàm mali, bono replendus cùm adiuvatur à gratia; malo, cùm sibi dimissus deficit in semetipso. Ne enim à Creatore aliquid Animæ deesset humanæ, libera in utramuis partem data est ei voluntas: quæ cùm adiuvanti concordat gratiæ, virtutis accipit profectum & nomen, & amor efficitur: cùm sibi dimissa seipsâ secundùm seipsam frui uvlt, sui in seipsa patitur defectum: & quot habet vitia, tot vitiorum sortitur nomina, cupiditatis, avaritiæ, luxuriæ, & alia hujusmodi. Quærat denique homo (x) eminentiora bona sua in ea parte sui quà præeminet sibi, (hoc est, in Anima) quæ sunt dignitas, scientia, virtus. *Dignitatem* in homine liberum arbitrium dico: in quo ei nimirùm datũ est cæteris non solùm præeminere, sed & præsidere animantibus. *Scientiam* verò, quâ eandem in se dignitatem agnoscat, non à se tamen. Porrò *Virtutem*, quâ subinde ipsum à quo est, & inquirat non segniter, & teneat fortiter cùm invenerit. Itaque (y) geminum unum quodque trium horum apparet. *Dignitatem* siquidem demonstrat humanam, non solùm naturæ prærogativa, sed & potentia dominatûs: quòd terror hominis super cuncta animantia terræ imminere decernitur. *Scientia* quoque duplex erit, si hanc ipsam dignitatem, vel aliud quodque bonum in nobis, & nobis inesse, & a nobis non esse noverimus. Porrò *Virtus* & ipsa æquè bifaria cognoscetur, si Auctorem consequenter inquirimus, inventoquè inseparabiliter inhæremus. Dignitas ergo sine scientia non prodest, illa verò etiam obest, si virtus defuerit: quod utrumque ratio declarat subjecta. Habere enim quod habere te nescias, quam gloriam habet? Porrò nosse quod habeas, sed quia à te non habeas ignorare, habet gloriam, sed non apud Deum. Apud se autem glorianti dicitur ab Apostulo: Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Non ait simpliciter, *quid gloriaris*, sed addit? *quasi non acceperis*: ut adserat reprehensibilem non qui in habitis, sed qui tanquam in non acceptis gloriatur. Meritò vana gloria nuncupatur hujusmodi, veritatis nimirùm solido carens fundamento. Veram enim gloriam ab hac ita discernit idem Apostulus: Qui gloriatur, ait, in Domino glorietur: hoc est, in veritate. Veritas quippe Dominus est. Vtrumque ergo scias necesse est, & quid sis,

& quod

---

p *Ibid.* 11. q *Ser. 3. in Vigil. nativit. Dom. n.* 8. r *Tract. de 3. præcip. myst. cap.* 1. s *Ser. de S. Io: Bapt. n.* 10. *tom.* 6. *pag.* 748. t *lib.* 2. *de amore Dei cap.* 2. *n.* 3. *tom.* 5. *pag.* 499.

v *Ibid. n.* 4. x *Tract. de diligen. Deo cap.* 2. *n.* 2. y *Ibid. n.* 3. & 4.

& quòd à te ipso non sis: ne aut omnino videlicet non glorieris, aut omnino videlicet non glorieris, aut inaniter glorieris Cæterū.(z) verè possumus gloriari, quòd tantū habemus Patrē, quòd Majestati ineffabili cura est de nobis. Unde & Propheta: Domine, inquit, quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Itaque qui gloriatur, jam non in meritis suis glorietur. Quid enim habet quod non acceperit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi non acceperit? In eo ergo à quo accepit, glorietur, non quasi ipse magnus sit, sed quia magnificet eum Deus: hoc est, ut in illis quæ acceperit, non quasi ea non acceperit, sed quasi qui ea acceperit, glorietur. Neque enim ait Apostolus, si autem accepisti, quid gloriaris? sed quid gloriaris, inquit, quasi non acceperis? vt non prohibeat, sed doceat gloriari. Quamobrem (a) cum duabus istis, Dignitate atque Sapientia, opus est & Virtute, quæ utriusque fructus est: per quam ille inquiritur ac tenetur, qui omnium Auctor & dator meritò glorificetur de omnibus. Alioquin sciens & non faciens digna, multis vapulabit. Quare? Utique quia noluit intelligere ut bene ageret: magis autem iniquitatem meditatus est in cubili suo, dum de bonis quæ à se non esse ex scientiæ dono certissimè comperit, boni Domini gloriam seruvs impius captare sibi, imo & raptare molitur. Liquet igitur & absque Scientia Dignitatem esse omninò inutilem, & Scientiam absque Virtute damnabilem. Verùm homo virtutis (cui nec damnosa Scientia, nec infructuosa Dignitas manet) clamat Deo, & ingenuè confitetur inquiens: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini da gloriam. Hoc est: Nil nobis, ô Domine, de scientia, nil nobis de dignitate tribuimus, sed tuo totum (à quo totum est) Nomini deputamus.

CAPUT II.

De Creatione hominis ex limo terræ.

Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viventem *Gen.* 2.

1 *Demonstratur mira bonitas Dei, tàm in Creatione hominis,* 2. *quàm in ejus conservatione.* 3. *Proponitur nobis doctrina videndi sive contemplandi Deum in Creaturis hujus mundi.*

§ I.

MAgna (a) opera Domini, ait Propheta David. Magna quidem omnia opera ejus, siquidem magnus & ipse: sed ad nos maximè spectant, quæ in eis maxima esse videntur. Hinc est quod psallit idem Propheta, dicens: *Magnificavit Dominus facere nobiscum.* Nam in opere conditionis nostræ de limo plasmavit hominem Deus, & inspiravit in faciem ejus spiritum vitæ. Qualis artifex, qualis vnitor rerum, ad cujus nutum sic conglutinantur sibi limus terræ, & spiritus vitæ? Limus quidem jam ante creatus erat, quando in principio creavit Deus cęlum, & terram. At spiritus sanè non communem, sed propriam habet conditionem, nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur. Agnosce ô homo dignatem tuam, agnosce gloriam conditionis humanæ. Est enim tibi cum Mundo corpus, sic enim decet eum qui constitutus est super universam hujus creaturæ corporeæ molem, aliqua ei similari ex parte. Sed est tibi etiam sublimius aliquid, nec omninò comparandus es cæteris creaturis. Compacta, & confœderata sunt in te caro & anima: illa plasmata, hæc inspirata. Sed (b) cujus interest hæc commixtio? Cui hac unione præstatur? Etenim juxta sapientiam filiorum hujus sæculi, ubi sociantur summis inferiora, qui prævalent potestatem habent, & humilioribus utuntur pro libitu suo. Conculcat fortior minùs fortem, ridet sapiens indoctum, simplicem fallit astutus, potens despicit imbecillem. Non sic in opere tuo Deus, non sic in tua commixtione: non ad hoc sociasti spiritum limo, sublimen humili, dignam & excellentem creaturam abjectæ & inutili massæ. Quis non videat quantum corpori præstet Anima? Ab anima enim pulchritudo, ab anima incrementum, ab anima claritatis visus, & sonus vocis. Denique sensus omnis ab anima est. Charitatem mihi conjunctio ista commendat, charitatem in hac ipsa conditionis propriæ pagina lego. Charitatem in ipso statim principio non solùm prædicat, sed ingerit mihi manus benignissima Creatoris. Agamus gratias (c) Factori nostro: siquidem ipse fecit nos, & non ipsi nos. Parumnè videtur tibi istud, qnia te fecit? Cogita qualem te fecit. Nempe etiam secundùm corpus egregiam Creaturam, sed secundùm Animam magis, ut-pote imagine Creatoris insignem, rationis participem, capacem beatitudinis sempiternæ. Porrò secundùm ambo simul præ cæteris creaturis maximè admirandum, cohærentem sibi incomprehensibili artificio, investigabili sapientia conditoris. Et priùs quidem te cum cæteris (d) & inter cætera creavit, non sine magna prærogativa dignitatis. Dixit enim de omnibus, & facta sunt. Itaque tam magnum hoc donum est (e), quàm magna res homo, Sed quàm gratuitum putas? Planum est, quia nihil ante promervit, qui penitùs nihil fuit. An postea sperabatur gratiam retributurus Auctori? Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorū non eges. Non igitur necessariam retributurus gratiam ei qui sic per omnia sibi sufficit, sed devotas relaturus gratias ei qui sic meruit, sperabatur. Quidni gratias agat? Si quis oculorum lumen, si quis usum aurium, si quis narium, si quis manuum, si quis pedem tibi præpeditum aliquo modo reparasse videretur, si quis sopitam quavis occasione excitasset in te rationem; quis non alius tibi vehementissimè succenseret, si quando fortè beneficii hujus immemorem, aut benefactori deprehendisset ingratum? Enim verò Dominus Deus tuus, ipsa etiam tibi instrumenta largitus, ex nihilo fecit hæc omnia.

Nec

z *Ser. 7. int. diu n. 3.* a *Tract. de diligen. Deo cap. 2. n. 5.* a *Ser. 2. in nat. Dom. n. 1.*

b *Ibidem n. 2.* c *Ser. 14. sup. Psal. 90. n. 1.* d *Ser. 29. divers. n. 4.* e *Ser. 14. sup. Psal. 90. n. 1.*

Necmodò fecit, sed & compegit etiam & formavit, ac suo quoque illustravit officio. Et primò quidem (f) intuere creationem, positionem, & dispositionem rerum, quanta sit videlicet in creatione Potentia, quanta in positione Sapientia, in compositione quanta benignitas. In creatione vide quàm multa & quàm magna potenter creata sunt: in positione quàm sapienter cuncta locata sunt: in compositione quàm benignè suprema & infima connexa sunt, tam amabili quàm admirabili charitate. Huic enim limo terreno vim vitalem miscuit, vt in arboribus, unde surgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus & medicina. Nec hoc contentus, adjecit etiam vim sensibilem limo nostro, ut in pecoribus, quòd non solùm vitam habeant, sed & sentiant, quinque partita sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum, & ei vim rationalem immisit, ut in hominibus: qui non solùm vivunt, sentiunt, sed & discernunt inter commodum & incommodum, inter bonum & malum, inter verum & falsum. Non sine causa dictum est (g) hominem plasmatum non de terra qualibet, sed de limo. Vide enim quàm limosum sit corpus, quòd ipsi quoque spiritui tam fortiter & penè indissolubiliter in hæret, ut vix cum multa afflictione possit aliquando separari. Time ô homo (h) quòd in morte separandus es à bonis omnibus hujus corporis, & tam dulce carnis & animæ vinculum amarissimo secandum divortio erit. Adverte homo (i) quia limus es, & non sis superbus,

§ II.

Porrò (*k*) nè hoc quidem licet maximo Deus contentus est munere, qui dedit ut esses qui ante non fueras, adjecit etiam unde subsisteres, qui jam eras Nec minùs liberaliter hoc, quàm illud mirabiliter est operatus. Faciamus (inquit) hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quid verò postea? Et præsit piscibus Maris, & bestiis terræ. &c. Nam & cælestia sese elementa in usus creasse tuos, ante docuerat. Nempe facta memorantur ut essent in signa, & tempora, & dies & annos. Cui putas? Nulli utique nisi tibi. Cæteræ siquidem omnes creaturæ aut in nullo egēt his omnibus, aut non intelligūt ea. Quàm copiosus in secundo hoc beneficio Deus, quàm liberalissimus fuit? Quanta enim largitus est ad sustentationem, quanta ad eruditionem, quanta etiam ad delectationem. Verùm hæc duo gratis, & dupliciter gratis fecit. Quid dico dupliciter gratis? Sine merito tuo, sine labore suo. Nempe dixit, & facta sunt. An idcircò minùs devotus, minùs obnoxius, minùs gratus es, quòd hæc quidem sicut pro nihilo, ita de nihilo fecit? Perversi cordis est occasiones ingratitudinis vestigare. Nemo id facit, nisi qui etiam gratis esset ingratus. Puto enim neutrum tibi propterea minùs utile, quàm quod præstanti minimè difficile fuit. Alioquin si fortè quod ei laboriosum, tibi magis commodum ducis, ex teipso tidi judicium hoc: nec te alibi illud putem quàm apud te didicisse. Sic præstares libentiùs ipse fratri tuo absque incōmodo tuo. Verùm etsi gratis præstare velles, nolles tamen ut hanc tibi ille prætenderet ingratitudinis causam. Denique (l) omnis creatura propter te facta est: *Cælum*, ut esset tibi patria, & delecteris in aspectu pulchritudinis ejus: *Terra*, ut delectabiles & pulcherrimos ferret tibi fructus: *Solem & Lunam* & cætera sydera tibi fecit lucentia. *Dominium* dedit tibi super volucres Cæli, & bestias agri, pisces Maris, ut omnibus his ad libitum tuum dominareris. Quod si (m) infideles hæc latent, Deo tamen in proptu est ingratos confundere super innumeris beneficiis suis, humano nimirum & usui præstitis, & sensui manifestis. Nempe quis alius administrat cibum omni vescenti, cernenti lucem, spiranti flatum? Sed stultum est velle modò enumerare, quæ innumera esse non longè ante præfatus sum: satis est ad exemplum præcipua protulisse, Panem, Solem, & Aerem. Præcipua dico, non quia excellentiora, sed quia necessaria sunt, quippe corporis. Quis vel infedelis (n) ignoret suo corpori non ab alio in hac mortali vita supradicta illa necessaria ministrari, unde videlicet subsistat, unde videat, unde spiret; quàm ab illo qui dat escam omni carni, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos? Quis item vel impius putet alium ejus quæ in Anima splendet humanæ dignitatis Auctorem, præter illum ipsum qui Genesi loquitur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram? Quis alium scientiæ largitorem existimet, nisi æquè ipsum qui docet hominem scientiam? Quis rursùm munus sibi aliunde virtutis aut putet datum, aut speret dandum, quàm de manu itidem Domini Virtutum? Ego (o) Deum meum teneo vitæ meæ non solùm gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem: sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, æternum conservatorem, ditatorem, glorificatorem. Eia igitur, Fratres (p) cogitemus super nos & in nos opera Trinitatis ab initio mundi usque ad finem, & videamus quàm sollicita fuerit illa Majestas, cui administratio pariter & gubernatio sæculorum incumbit, nè nos perderet in æternum. Et potenter quidem omnia fecerat, & sapienter omnia gubernabat, & utrarumque rerum tàm potentiæ quàm sapientiæ signa manifestissima tenebantur in creatione & conservatione machinæ mundialis. Et bonitas quidem in Deo erat, & bonitas multa nimis, sed latebat in corde Patris cumulanda qandoque super genus filiorum Adam tempore opportuno. Tria quoque (q) in magno hujus mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus. Et in *esse* quidem rerum inæstimabilis *Potentia* commendatur, quòd tàm multa, tàm magna, tàm multipliciter, tàm magnificè sunt creata. Sanè in *modo* ipsa *Sapientia* singularis elucet, quòd hæc quidem sursùm, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sint locata. Si verò *ad quid* factus sit mediteris, occurrit tam utilis begnitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine & magnitudine bene-

f *Ser. 3. in Vig. Nat. Dom. n. 8.* g *Ser. 31. int. diu. n. 2.* h *Ser. 12. int. diu. n. 4.* i *Ser. 3. in vigil. nativit Dom. n. 8.* k *Ser. 14. sup. Psal. 90. n. 2.*

l *tract. de 3. præcip. myst. cap. 1. n. 4.* m *tract. de diligen: Deo cap. 2. n. 2.* n *Ibidem n. 6.* o *ibidem cap. 5. n. 14.* p *Ser. 2. in die Pent. n. 2.* q *Ser. 3. in die Pen. n. 3.*

beneficiorum possit obruere. Potentissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè utilia sunt creata. Veruntamen & fuisse novimus ab initio, & adhuc multos esse videmus in filiis hominum, qui in bonis inferioribus sensibilis Mundi hujus tota sensualitate depressi, totos se dederunt his quæ facta sunt, quonammodo, vel ad quid facta sint negligentes. Quia istos nisi carnales dicamus? Paucissimos esse jam arbitror: legimus tamen nonnullos quandoque fuisse, quibus summum studium fuit, atque unica sollicitudo, modum & ordinem investigare factorum, adeo ut plerique non modò utilitatem rerum perquirere dissimulaverint, sed & ipsas magnanimiter spreverint, cibo parvissimo vilissimoquè contenti. Ipsi quidem sese Philophos vocant, sed à nobis curiosi & vani rectiùs appellantur. Vtrisque igitur (r) successerunt Viri prudentiores utrisque, qui nimirum & quæ facta sunt, & quomodo facta sunt transilientes, intenderunt aciem mentis, ut ad quid facta sunt, viderent. Nec latuit eos quoniam omnia propter semetipsum fecit Deus, omnia propter suos: aliter tamen propter se, aliter propter suos. In eo quippe quod dicitur, *omnia propter se*, præveniens cammendatur origo; in eo autem quod dicitur, *omnia propter suos*, magis exprimitur fructus sequens. Omnia fecit propter semetipsum, gratuita videlicet bonitate: omnia propter electos suos, pro eorum scilicet vtilitate, ut illa quidem efficiens causa sit, hæc finis. Hi sunt spirituales Viri, sic utentes hoc mundo tanquam non utentes, sed in simplicitate cordis sui quærentes Deum, nè illud quidem magnopere vestigantes, quonammodo mundialis hæc machina volveretur: primi voluptate, secundi vanitate, tertii veritate impleti. Sunt multa genera contemplàtionis (s) quæ tamen omnia, vel ad Dei potentiam, vel sapientam, vel benignitatem pertinere noscuntur. Nam si cogitetur Deus res spectu omniū ut causa, quorundam ut sint, quorundā autem ut rationales, ac per hoc sapientiæ capaces sint, multorumquè ut beati sint: primum illud *Pontentiæ*, alterum *Sapientiæ*, ultimum adscribitur *Bonitati*. *Potentiæ* quippe est, quòd sine ipso nulla creatura subsistit: *Sapientiæ*, quòd sine ipso nulla doctrina instruit: *Bonitatis*, quòd sine ipso nullius rei usus, expedit. Apud ipsum secura sunt omnia, cùm nihil sit, quo ejus turbari possit Potentia. In ipso certa sunt omnia, cujus non potest falli Sapientia. Ex ipso recta sunt omnia, cujus naturam nulla potest depravare malitia. Ergo in rerum creatione contemplemur Dei Potentiam, in forma Sapientiam, Bonitatem in usu. Quàm verò congruè (t) suis quæque gradibus sibiquè competentibus disposuit Deus. Summam rerum tenet ipse qui Summus est, ipse supra quem nihil est, ultra quem nihil. Porrò Angelos Sanctos non in summo quidem posuit, sed in tuto: quippe ei qui in summo stat viciniùs adhærentes, ac proinde confirmatos virtute ex alto. Nam homines quidem nec in summo, nec in tuto sunt, sed in cauto. Denique & in solido sunt, idest, in terra habentes locum imum, sed non infimum, unde & possibile & necesse sit, ut sibi caveant. Dæmones autem in pendulo hujus aëris vagi ventosiquè vagantur.

§ III.

Sublimior iste præsentium (x) ac dignior usus rerum est, cùm iuxta sapientiam Pauli, Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sanè hac scala Ciues Cælestes non egent, sed exules homines. Quod vidit ipse hujus sententiæ auctor, qui cùm diceret invisibilia per visibilia conspici, signater posuit, à *creatura mundi*. Et verè quid opus scalis tenenti jam solium? Creatura cæli illa est, præstò habens per quod potiùs ista intueatur. Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum. Nec opus habet ex his quæ facta sunt, Factoris notitiam mendicare. Porrò (y) jam præsentibus non aliud est videre sicuti est, quàm esse sicuti est, & aliqua dissimilitudine non confundi. Interim verò tanta hæc formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi quidam sunt radii Deitatis, monstrantes quidem quia verè sit à quo sunt, uon tamen quid sit prorsùs diffinientes? Deus (z) qui ubique æqualiter totus est per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationabilibus creaturis quàm in cæteris; & ipsarum aliter in bonis, quàm in malis est per efficaciam. Ita sanè est in irrationalibus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantùm capitur etiam per amorem. Cùm autem (a) de eo quem non vides, cætera vides, scis indubitanter existere quem oportet inquirere, ut inquirentem non fraudet gratia, negligentem ignorantia non excuset. Verùm hoc genus videndi commune. In promptu enim est juxta Apostolum omni utenti ratione, Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicere. Ipsa si quidem (b) quæ facta sunt, idest corporalia & visibilia ista, non nisi per corporis instrumentum sensa in nostram notitiam veniunt. Habet enim necessarium corpus spiritualis Creatura quæ nos sumus, sine quo nimirum nequaquam illam scientiam assequitur, quam solam accepit gradum ad ea de quorum fit cognitione beata. Cognitio quidem (c) illa omnino adhuc nobis incognita est, mirabilis facta est, confortata est, ut non possimus ad eam. At verò quemadmodùm in creaturis videndus sit, possumus aliquatenus intelligere, nimirum cùm & modò videatur in ipsis: unde & Philosophi (Apostolo teste) per ea quæ facta sunt, Dei invisibilia conspexêre. Verùm quātumcunque proficiat quis intelligendo conspicere, quàm potentissimè, quàm prudentissimè, quàm benignissimè Majestas æterna omnia fecerit, cuncta regat, nunc creat omnia, nunc regat, ordinet universa: prorsùs modicum ab eo quod est comprehendit. Nam (d) perfecta Trinitatis cognitio, vita æterna est. Nunc autem ex parte cognoscimus, reliqua credimus, quæ minimè sufficimus comprehendere. Et de Patre quidem novi creationem, clamantibus creaturis: Ipse

r *Ibidem num. 4.* s *tractat. de Iesu puer. duoden. 26 tom. n.6 p. 644* t *Ser. 1 Sup. Psal 90 num. 13.*

x *lib. 5. de consiferat. cap 1 num. 1.* y *serm. 31. in cant. num. 3.* z *serm. 3. super missus num. 4.* a *ser. 31. in cantic. num. 2.* b *Serm. 5. in cant. num. 1.* c *Ser. 4. de omn. sanct. num. 5.* d *Ser. 1. in die Pent. num. 1.*

Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Invisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta cōspiciuntur. Est utique (e) velut cōmunis quidam liber & catenâ alligatus (ut assolet) sensibilis Mundus iste, ut in eo sapientiam Dei legat quicunque voluerit. Erit tamen cùm cælum plicabitur sicut liber, in quo utique deinceps legere habeat necesse, quoniam erunt omnes docibiles Dei: & quemadmodum creatura Cæli, sic & creatura Mundi jam non per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem Deum videbit, & sapientiam ejus ad liquidum contemplabitur in seipsa. Interim verò opus habet humana Anima velut quodam vehiculo creaturæ, ut ad cognitionem Creatoris assurgat: cùm è contra longè beatiùs perfectiùsquè Angelica natura in Creatore notitiam habeat creaturæ. Ad quam nimirùm excellentiam licet ad modicum rapta fuisse videtur Anima illa beata (*S. P. Benedicti*) quæ collectum sub uno Solis radio mundum universum conspexit. De quo miraculo Beatus Papa Gregorius in libro secundo Dialogorum scribens: *Videnti*, inquit, *Creatorem, angusta est omnis Creatura*. Felices proinde qui satiantur ex adipe frumenti, nec opus habent sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, qui videlicet invisibilia Dei non in invisibilibus rimādo perquirant, sed in ipsis ad liquidum intellecta conspiciunt. Verùm ut jam diximus, Angelicæ felicitatis illud est, non fragilitatis humanæ. Quæramus igitur per ea saltem quæ facta sunt, intellectum invisibilium Dei: quæ si in cæteris creaturis intellecta conspicit Anima, necesse est ut longè ampliùs conspiciat, & intelligat multò subtiliùs in creatura quæ facta est ad imaginem Creatoris, hoc est in seipsa. Et quia nos (f) ex anima & corpore consistimus, juxta vocem Apostoli: ab animali parte, idest, à bonis corporis incipiamus, ut non sit prius quod spirituale est, sed quod animale. Sunt autem omnia bona corporis, & quæ ei solummodò debeamus, sanitas. Nihil autem ei ultrà dandum est vel quærendum, sed hoc termino ligandum & frænandum est, cùm fructus ejus nullus sit, & mors sit finis illius. Sed hîc fovea est, quæ nolo vos lateat. Insidiatur enim voluptas sanitati, & tam subtili malignitate prosequitur, ut vix eam quis vel possit cavere vel noverit. Quodsi voluptati servitur non sanitati, hoc jam de natura non est, sed sub natura, quæ morti manus dat, cùm magistram constituit voluptatem. Inde etiam est, quòd multi ad tam bestiales & rebelles impetus descenderunt, vel (ut dicam veriùs) ceciderunt, ut voluptatem præferant sanitati, & illis ipsis sæpissimè volutentur, quæ sciunt difficiles & acutissimas subsequi passiones. Sicut autem corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas: quia turbato oculo non videbitur Deus: & cor humanum ad hoc factum est, ut suum videat Creatorem. Si verò sanitati corporis solicita est providenda custodia, puritati cordis tantò solicitior est impendenda, quantò pars ista dignior illâ esse convincitur.

e *Serm. 9. diver. num. 1. & 2.* f *Serm. 16. diver. num. 1. & 2.*

CAPUT. III.

De mirabili felicitate primi hominis, ac ejus infelicitate miserabili, quam promeruit pro transgressione præcepti Divini.

Plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem quem formaverat, ut operaretur & custodiret illum. Præcepitquè ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas *Gen. 2.*

1. Felicitas primi hominis Adam positi in Paradiso erat, vt haberet actionem sine passione, contemplationem sine labore. 2. Infelicitas tunc ipsi successit, dum gratiam contemplationis Divinæ peccando amisit. 3. Adam per inobedientiam transgressus est præceptum Dei, comedens fructum de ligno vetito.

§ I.

TEstāntur sacræ literæ (a) in paradiso olim positum primum hominem, ut operaretur & custodiret illum. Operaretur delectabiliter (b) custodiret fideliter & sibi & posteris suis. Erat (c) quādo in actione & meditatione positus erat homo, sine passione habens actionē, habens etiā sine labore meditationem. Dico autē quādo positus est in paradisum, ut operaretur & custodiret. Verùm hinc quoque si non caderet, erat aliquando promovendus, ut sola jam frueretur Contemplatione: sicut & ex hoc inferiori gradu quem modò tenet, nisi resurgere satagat, in infimum est quandoque casurus, videlicet, ut in sola jam passione versetur, quòd nec opus nec ratio, sed tantùm passio apud inferos sit. Felix quidem cujus animam corpus non aggravabat, quia nec corrumpebatur. Sed longè felicior, si ad hoc pervenisset, ut minoratus actu, pleniùs perfectiùsquè perciperet Sapientiam, gratis diligens corpus, tanquam in nullo indigens corpore. Nunc verò (d) in regione corporum habitantes, corporibus sumus obnoxii, & ex quo dissipaverunt legem Domini parentes nostri, nonmodò faciendi tempus est sed etiam patiendi, & omnium nostrûm ampliùs labor & dolor. Durus equidem cibus est hordeaceus panis, sed offenso rege, pulsus palatio miles quamlibet delicatus, ad unum fortè quem solum habet servulum divertere opus habebit: ibi fovere latebras, & insolita capere prandia, apud eum regales delicias pultibus rusticanis, ac nobiles stratus sterquilinio mutare servuli, juxta illud propheticæ lamentationis: Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Ibiquè hoc maximè Propheta deplorat, oblitas propriæ conditionis ingenuas creaturas tantam dissimulare miseriam: necmodò reputare quod tolerant, sed tanquam bona magna complecti quæ paulo minùs extrema sunt mala. Propterea siquidem & de seipso ait: Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. Gemamus nos sub hoc onere, & præsen-

B

a *Serm. 6. in de beat. eccles. num. 3.* b *Serm. in fer. 4. hebd. sanct. num. 11.* c *Serm. 2. divers. num. 6.* d *ibidem. n. 7. & 8.*

torum: & qui destruxit in se imaginem & similitudinem Dei, dignum est, ut imago & similitudo jumentorum adhæreat ei. Revera ita fit: (q) homo factus in honore, cùm honorē ipsū non intelligit, talis suæ ignorātiæ meritò cōparatur pecoribus, velut quibusdam præsentis suæ corruptionis & mortalitatis consortibus. Fit igitur, ut sese non agnoscendo egregia rationis munere creatura, irrationabilium gregibus aggregari incipiat, dum ignara propriæ gloriæ, quæ abintùs est, conformanda foris rebus sensibilibus sua ipsius curiositate abducitur: efficiturquè una de cæteris, quòd se præ cæteris nihil accepisse intelligat. Itaque valdè cavenda est hæc ignorantia, quâ de nobis minus nobis fortè sentimus; sed non minus, imò & plus illa, quâ plus nobis tribuimus: quod fit, si bonum quodcunque in nobis esse, & à nobis, decepti putemus. At verò super utramque ignorantiam declinanda & execranda illa præsumptio est, quâ sciens & prudens fortè audeas de bonis non tuis tuam quærere gloriam: & quod certus es à te tibi non esse, inde tamen alterius rapere non verearis honorem. Prior equidem ignorantia gloriam non habet: posterior verò habet quidem, sed non apud Deum. Cæterùm hoc tertium malum quod jam scienter committitur, usurpat & contra Deum. Intantum denique ignorantia illa posteriori hæc arrogantia gravior atque periculosior apparet, quo per illam quidem Deus nescitur, per istam & contemnitur. Intantum & priori deterior ac detestabilior apparet, ut cùm per illam pecoribus, per istam & dæmonibus sociemur. Est quippe superbia, & delictum maximum, uti datis tanquam innatis: & in acceptis beneficiis gloriam usurpate benefici. Vides (r) quàm sit fugienda nobis hæc ignorantia, de qua tot millia malorum universo nostro generi provenerunt? Ait enim Psalmista propterea hominem jumentis insipientibus comparatum esse, quia non intellexit. Cavenda proinde omnimodis ignorantia, ne fortè si adhuc sine intellectu & post vexationem inventi fuerimus, multò plura & graviora prioribus inveniant nos, dicaturquè de nobis: Curavimus Babylonem, & non est sanata. Meritò quidem, quòd nec vexatio dederit intellectum auditui. Et vide (s) ne fortè hîc sponsus, cùm Sponsam ab ignorantia tanto increpationis tonitru deterreret, propterea minimè dixerit, egredere cum gregibus, aut egredere ad greges; sed, egredere, ait, post greges sodalium tuorum. Vt quid hoc? Sanè ut secundam proinde ignorantiam priore magis pavendam pudendamquè ostenderet, quòd illa hominem bestiis parem fecisset, ista & posteriorem. Nam homines quidem merito ignorantiæ ignorati, idest reprobati, & ad tremendum illud judicium stare, & igni perpetuo tradi habent, non autem & pecudes. Nec dubium fore deterius his qui sic erunt, quàm his quæ omninò non erunt. Melius ei fuerat (inquit Dominus) si natus non fuisset homo ille. Non utique si natus non fuisset omninò, sed si natus non fuisset homo, sed v. g. aut pecus aut alia quæpiam creatura, quæ quoniā judicium non haberet, ad judiciū nō veniret, ac per hoc nec ad suppliciū. Sciat ergo Anima rationalis, quæ se ob priorē ignorantiā erubescit pecudes habere sodales in perfruendis utique bonis terrenis, non etiam similiter socias habituram in perferēdis tormētis gehennæ; & tū demū etiā ab ipsis gregibus suorum sodalium jumentorum cum dedecore exturbandam: nec jam vel cum ipsis ituram, sed planè post, quando illis nihil mali sentientibus, ipsa malis omnibus exponetur. A quibus non liberabitur in æternum, siquidem secundò ignorare adjecerit. Egreditur itaque homo, & solitarius abit post greges sodalium suorum, cùm solus in inferno inferiori retruditur. An non tibi posteriorem videtur tenere locum, qui ligatis manibus & pedibus proiicitur in tenebras exteriores? Et erunt profectò novissima hominis illius pejora prioribus, quando qui priùs bestiis æquabatur, nunc & postponitur.

§ III.

Ab initio (t) Deus modum acceptat, & nihil unquam immoderatum illi placuit æquitati. Hinc fuit, quòd nonmodò in pondere & mensura & numero condidit vniversa, sed & protinùs ipsi homini modum præscripsit, mandatum contulit dicens: Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Levissimum planè mandatum, & larga omninò mensura. Sed transgressus est homo præscriptum sibi modum, & constitutum sibi terminum prætergressus. Unde & avertens ab eo faciem suam Deus, vix tandem in diebus Abrahæ amici sui placabilis fieri incipiens, rursùs modum instituit, promulgavit legem circumcisionis, sed non priori similem usquequaque. Ea siquidem ad cautelam fuerat, hæc ad medelam. Ibi prohibitio facta, ne superfluitas subintraret: hîc jam indicta abscissio est, ut Sacramenti remedio, quæ subintraverat, tolleretur. Postremò illa quidem in arbore data est lex, ne fructus ejus vesceretur: hæc in proprio corpore, ut caro præputii scinderetur. Sciendum est (v) nunquam per obedientiam malum debere fieri: aliquando autem per obedientiam, quod agitur bonum, debet intermitti. Neque enim mala arbor in paradiso extitit, quam Deus homini non tangere interdixit: sed ut meliùs per obedientiæ meritum homo benè conditus cresceret, dignum fuerat ut hunc à bono prohiberet, quatenus tantò veriùs hoc quod ageret virtus esset, quantò & à bono cessans Auctori suo se subditum humiliùs exhiberet. Sola namque (x) obedientia virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasquè custodit. Unde primus homo præceptum quod observaret, accepit: cui si vellet se obediens subdere, ad æternam beatitudinem sine labore perveniret. Nec aliquam (y) in servando mandato visus est pati difficultatem, sed quæ bona voluntas erat, non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem. Fortis quippe est ut mors, non patientia aut spes, sed dilectio. Non timor aut ratio, sed spiritus fortitudinis est. Dicit patientia: Sic oportet fieri; quia timore urgetur. Dicit voluntas bona: Sic expedit, & sic agendum est; quia spei attrahitur ratione. Charitas verò quæ inflāmatur à spiritu, neque sic oportet dicit, neque sic expedit: sed sic volo (inquit) sic cupio, sic

q *Tract. de diligen. Deo cap. 2. n. 4.* r *Ser. 35. in Cant. n. 6.* s *ibidem n. 7.*

t *Ser. 2. in circumcis. Dom. n. 1.* v *tract. de ord. Vitæ cap. n. 18. tom. 5. pag. 461.* x *Ibidem n. 16.* y *Ser. 1. de S. Andr. n. 9. & 10*

desidero vehementer. Beatus vir (z) qui non abiit in consilio impiorum. Horum caput & princeps est diabolus, qui primus à pietate recessit, & impius factus etiam homines in paradiso positos, ab eadem pietate fraude sua dejecit, volẽs eos habere socios sui erroris, & participes iniquitatis. Ille enim Evam seduxit, & illa virum sibi subdidit. Similiter adhuc dæmon suggerit carni, caro spiritui, & fit impiorum consilium. Dicunt enim sibi invicem: Omnium nostrûm sit unum marsupium. Ponunt ergo in memoria quasi in marsupio quisque obulum suum: Dæmon scilicet suggestionem, caro delectationem, spiritus consensum. Ad hoc consilium impiorum (a) itur quatuor modis. Quidam enim trahuntur inviti, alii attrahuntur illecti, alii seducuntur ignari, alii sequuntur spontanei. Istis necessariæ sunt quatuor virtutes cardinales, per quas armati resistãt, ne in cõsilio eant. Invitis necessaria est *fortitudo*, quâ resistant usquè ad mortem minis, cruciatibus, & damnis. Illi qui attrahuntur illecti, indigent *temperantiâ*, quæ reprimit illicita desideria, nec cedit promissionibus, nec emollitur blanditiis. Illis qui seducuntur ignari, est opus *prudentiâ*, quæ ab utilibus inutilia discernit, & docet quid tenendum, quidue reiiciendum sit. *Justitiâ* indigent illi, qui sequuntur spontanei. Justitia est rectitudo voluntatis, quæ nec amat peccare, nec peccato consentire. Justitia & fortitudo sedem habent voluntatem: quia voluntas justa debet esse & fortis. Est autem justitia ordinata hoc modo, scilicet mala respuens, bonis meliora præponens. Hanc non videtur habuisse Adam, qui malo consentiens, quod utile erat deseruit. Prudentia & temperantia sedem habent in ratione: quia ratio prudens debet esse & temperata. Est quippe prudentia, ratio docta, scilicet à gratia, vitare contagia injustitiæ propter justitiam. Vitat quidem non solùm injustitiam apertam, sed etiam illa quæ sunt aliquo modo contra justitiam, attendens non quod licet, sed magis quod expedit: vitans divitias & quædam alia, non quia illicita, sed quia justitiæ solent esse impedimenta. Ne autem (b) à memoria expellat Deum irruens turba plurimarum cogitationum, quæ solent effluere tanquam vilis plebs in atrium: ponatur ad *Memoriæ* portam janitor, cujus nomen est, *Recordatio propriæ professionis*, ut cùm turpibus sese cogitationibus senserit animus prægravari, increpet se & dicat sibi: Tune hæc debes cogitare qui Sacerdos, qui Clericus es, qui Monachus es? Cultor Justitiæ debet ne in se hujusmodi quidquam admittere? Decetne servum Christi, amatorem Dei, tale aliquid vel ad modicum meditari? Hæc dicendo excludes fluxum illicitæ cogitationis per recordationem propriæ professionis. Similiter ad portam *Voluntatis*, in qua solent manere carnalia desideria tanquam in domo domestica familia, statuatur ostiarius qui vocatur, *Recordatio cælestis patriæ*. Hic enim potest pravum desiderium quasi cuneus cuneum expellere, & ipsum qui ait, Ecce sto ad ostium & pulso, sine cunctatione recipere. Jam verò ad thalamum *Rationis*, talis & tam ferox adhibendus est custos, qui nemini parcat, sed quicunque hostis sive clam sive palàm ingredi præsumpterit, procul eum arceat: & hic sit *Recordatio gehennæ*. In cæteris siquidem, idest, memoria & voluntate non ita est intolerabile, si vel memoria recipiat quandoque vagam cogitationem, vel voluntas impuram affectionem. Hoc verò gravissimum est & omninò damnosum, si unquam Ratio perdiderit intentionis rectitudinem. Porrò (c) si fortè aliquando cogitatio inutilis mentem subjerit, tota sollicitudine laboremus citiùs abluere & eradere sordem, quâ nos maculari conspicimus, clamantes cum Propheta ac dicentes: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. Jam verò si quando fortè per incuriam & negligentiam nostram transierit cogitatio inutilis etiam in affectum cordis, scientes quoniam non macula est jam sed plaga, tota festinatione ad auxilium Spiritûs qui adjuvat infirmitatem nostram, recurramus, clamantes illud de Psalmo & dicentes: Domine miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi. Intentionem verò & propositum mentis ea sollicitudine custodiamus, Fratres, quâ vitam animarum nostrarum volumus custodire, quoniam istud omninò est peccatum ad mortem, cùm ex consensu & deliberatione delinquimus, proprio judicio condemnati.

CAPUT IV.

De admiranda Contemplatione Adæ, in qua cùm obdormiuisset, sublata est de latere ejus costa ad ædificandum mulierem Evam.

Immisit Dominus Deus soporem in Adam: cumquè obdormivisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea: & ædificavit costam in mulierem. *Gen. 2.*

1. *Contemplatio extatica, in qua soporato Adæ sublata est costa, significat magnum illud Sacramentum quod subsecutum est in Christo & Ecclesia.* 2. *De prærogativa vitæ contemplativæ, quæ licet quibusdam in præsenti vita donatur, satietas tamen ejus præservatur futuræ vitæ.* 3. *Ostenditur Adam ideo peccàvisse, quia à circumspectione Dei sive contemplatione deflexit.*

§. I.

Immisit Dominus (a) soporem in Adam. Immisit & in seipsum factus nimirùm secundus Adam: sed est distantia non parva. Ille enim soporatus videtur præ excessu contemplationis, Christus miserationis affectu: ut in illum soporem immiserit Veritas, in hunc Charitas, cùm utraque sit Dominus. Ait enim Joannes Evangelista: Deus charitas est. Et ipse Dominus ait: Ego sum via, veritas, & vita. Sanè soporem Christi solius charitatis fuisse nemo dubitat vel nominetenùs Christianus. Siquidem accubuit ut leo, non victus planè, sed victor, potestate propria ponens animam, somnum mortis excipiens propria voluntate. Cæterùm qualis &

z *Serm. 72. diver. n. 1.* a *Ibidem n. 2.* b *Serm. 68. divers. 3.*

c *Serm. 6. int. divers. n. 2. & 3.* a *Serm. 2. in Septuag. n. 1. & 2.*

lis & ille sopor dicendus sit fuisse vel credendus, quem Dominus immisit in Adam, in quo sine sensu omninò doloris in mulierem ædificandam costa sublata est de latere dormientis? Mihi quidem non nisi incommutabilis Veritatis intuitu, & abysso Divinæ Sapientiæ corporeis excedens sensibus obdormivisse videtur, quod ex ejus verbis vel maximè coniici potest. Rediens nimirum indicat quò abiisset, dum tanquam ebrius de cella vinaria veniens, & eructans illud magnum Sacramentum (quod tanto post in Christo & in Ecclesia Apostolus commendavit) Hoc nunc, inquit, os ex ossibus meis. Et propter hoc (inquit Apostolus) relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. An non tibi penitùs obdormivisse videtur, qui in hanc vocem excitatus erupit, & non magis dicere potuisse: Ego dormio, & cor meum vigilat? Neque etiam communem arbitror fuisse soporem, aut nostris similem somnis, quos nec Contemplationis excessus, nec miserationis affectus, sed infirmatis defectus immittit; quos nec veritas, nec charitas, sed necessitas parit. Erat (b) quando in actione& meditatione positus erat homo in paradisum, sine passione habens actionẽ, habens etiã sine labore meditationẽ. Nimirùm (c) in libertate posuit eũ Deus, ut inter summa& infima versans, & in illa excederet sine difficultate, & ad hæc sine illecebra aut necessitate descenderet. Illa penetrans naturali vivacitate, & puritate mẽtis: hæc auctoritate dijudicãs præsidentis. Denique adducta sunt animalia ad Adam, ut videret quid vocaret ea; non ipse aliqua curiositate ductus est ut videret ea. Non sic (d) in nobis libera Ratio, sed undique ei luctandum est. Sic enim & ab infimis visco quodam captiva tenetur, & à summis indigna repellitur: ut nec ab his sine dolore possit avelli; nec ad illa sine magno gemitu vel raro queat admitti. Hinc nempe vim faciunt qui quærunt animam meam, ut clamare necesse sit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Inde priusquam comedam suspiro, quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Nihilominus tamen & illic unitas, & hîc tenenda divisio est: sicut & Adam soporatus est in Contemplatione, & animalia nominum impositione discrevit. Sic nimirum sic & Abraham in Sacrificio non quidem volatilia, sed animalia legitur divisisse. Et Martha erga multa turbatur, cùm unum sit necessarium: planè unum, & maximè necessarium, quoniam hæc pars optima, quæ non auferetur, Cessabit divisio cùm venerit plenitudo, & erit totius sanctæ Civitatis Hierusalem participatio in idipsum. Interim Spiritus sapientiæ nonmodò unicus, sed & multiplex est: interiora quidem in unitatem solidans, sed sub judicio exteriora distinguens. Utrumque tibi in primitiva Ecclesia commendatur, quando multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, ne volatilia scinderentur: dividebatur autem singulis prout cuique opus erat, ut animalia secarentur. Quid autem (e) sibi vult, Fratres, quòd optimam partem Maria dicitur elegisse? Ubi jam erit, quod adversùs eam proferre solemus, si quando fortè administrantis Marthæ turbationem, inæqualitatem dijudicare volverit: Melior est iniquitas viri, quàm beneficiens mulier? Ubi erit & illud: Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus? Et illud: Qui major est vestrûm, erit minister vester? Postremò, quæ consolatio est laboranti, quasi in ejus suggillationem, partem sororis attollere? Unum ergo arbitror è duobus, ut aut de electione Maria laudetur, quòd pars ipsa, quantùm in nobis est, sit omnibus eligenda: aut certè, ut neutrum dicatur defuisse, nec in partem quamlibet præcipitasse sententiam, sed ad obedientiam Præceptoris in utrumlibet sit parata. Quis enim sicut David fidelis ingrediens, egrediens, & pergens ad imperiũ Regis? Denique paratũ, inquit cor meũ, paratũ cor meũ, nõ semel tantũ sed & secũdò, & vacare tibi, & proximis ministrare. Hæc planè pars optima, quæ non auferetur: hæc mens optima, quæ non mutabitur quocunque vocaveris eam. Bonum (inquit Apostolus) acquirit gradum, qui benè ministraverit: fortè meliorem, qui benè vacaverit Deo: optimum autem, qui perfectus est in utroque. Unum adhuc dico, si tamen id de Martha licet suspicari. Nonne enim quasi ociosam reputasse videtur, quam sibi dari petiit adjutricem? Sed carnalis est, & omninò non percipit quæ sunt spiritus Dei, si quis fortè vacantem Animam sua de vacatione redarguit. Audiat igitur optimam hanc esse partem, quæ maneat in æternum. Numquid non rudis quodammodò videtur anima, quæ divinæ contẽplationis penitùs expers illam intravit regionem, ubi hoc unum omnium opus, unum studium, eadem vita? Cui tam pio (f) tamquè utili ocio nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere est?

§. II.

De corporali cibo (g) ad Adam dictum est, & pervenit usque ad me: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Sed & cùm laboravero, panis datur mihi in pondere, potus in mensura, pulmenta in numero. Et de corporali quidem sic. Quid verò de spirituali? Utique antequam comedam, suspiro: atque utinam cùm suspiravero & flevero, vel fragmentum exiguum merear de cælesti convivio, & tanquam catellus edam de micis, quæ cadunt de mensa dominorũ meorum. Commovetur proinde intra me spiritùs meus, spirans nimirũ ad patriam, in qua nec numerus est, nec mensura, nec pondus! Quamdiu enim in pondere & mensura & numero universa corporis & animæ bona recipio? Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo? O Jerusalem civitas Regis magni, qui te ex adipe frumenti satiat, & quam fluminis impetus lætificat: in te nec pondus utique nec mensura, sed satietas est & affluentia summa. Sed nec habes numerum, quippe cujus participatio ejus in idipsum. Ego verò, qui totus sum in vicissitudine & numero, quando veniam ad unam illam quam requiro? Quando satiabor apparente

b Ser. 2. divers. n. 6. c Ser. 2. in Septuag. n. 2. d Ibidem n. 3. e Ser. 3. in Assump. B. M. n. 3.

f Lib. 3. de consid. cap. 8. n. 11. g Serm. 1. in Septuag. n. 3.

rente gloria tua Domine? Quando inebriabor ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ quando potabis me? Nunc enim tam exigua ſunt ſtillicidia ſtillantia ſuper terram, ut nec pluire quidem poſſim ſalivam meam. Sic omninò (h) ſic verum eſt Fratres, quoniam modò omnia dantur mihi in pondere & menſura & numero: ſed veniet dies quando omnia ſunt ceſſatura. Nam de *numero* quidem legimus in Pſalmo: Quoniam ſapientiæ illius non eſt numerus. Et in alio loco legimus apud eundem Prophetam: Delectationes in dextera ejus uſque in finem. Audi etiam apud Apoſtolum *pondus* ſine pondere: Supra modum, inquit, in ſublimitate æternum pondus gloriæ. Audi pondus æternum, ſed attende quia præmiſerit, *ſupra modum*. Sic & Chriſtum audio menſuram ſine menſura promittentem: Menſuram, inquit, confertam, & cogitatam, & ſuperfluentem. Sed quando venient iſta? Profectò in fine præſentis Septuageſimæ, quod eſt tempus captivitatis noſtræ. Quis veſtrûm (i) habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice commoda mihi tres panes. Quid eſt quod amicum unum perhibet adveniſſe, nec tamen contentus eſt quærere panem unum? Puta cum uxore & mancipio hominem adveniſſe aut ſuum cuique panem apponere velit amicus. Ego quidem amicum venientem ad me non aliũ intelligo quàm meipſum. Nemo quippè charior mihi, nemo germanior eſt. Ad me ergo de via venit amicus, cùm tranſitoria deſerens, ad cor redeo, ſicut ſcriptum eſt: Redite prævaricatores ad cor. Deinde tunc verè ſibi quiſquè amicus eſt, cùm de via redit, quoniàm qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. A die itaque converſionis meæ, de via ad me venit amicus meus. Venit fame laborans, confectus inediâ, attenuatus jejunio. Venit neceſſe habens invenire amicum; ſed heu me pauperem elegit hoſpitem, & vacuum ingreditur habitaculum. Quid faciam huic amico miſero & miſerabili? Omninò enim non habeo quod ponam ante illum. Fateor, amicus eſt, ſed ego mendicus, Quid veniſti ad me amice in neceſſitate tanta? Ego ſum mendicus, & non eſt in domo mea panis. Feſtina, inquit, diſcurre, ſuſcita amicum tuum illum magnum, quo majorem dilectionem nemo habet, neque ſubſtantiam ampliorem. Quærere, pete, pulſa, quia omnis qui quærit invenit, & qui petit accipit, & pulſanti aperietur. Clama & dic: Amice cõmoda mihi tres panes. Qui ſunt (k) iſti panes, Fratres? Utinã mereamur accipere nos. Fortè enim & ipſos nemo ſcit, niſi qui accipit. Credo tamen petendos nobis eſſe tres panes, veritatis, charitatis, fortitudinis. His tribus egere me fateor, veniente ad me amico de via, veniente autem (ut dixi) cum uxore & mancipio. Deficit quippe ratio mea (ipſe enim eſt vir) præ ignorantia veritatis, languet & voluntas præ inedia affectionis, infirmatur caro præ inopia fortitudinis. Nam & ratio minùs intelligit quæ agenda ſunt, & voluntas minùs diligit intellecta, & ad hæc etiam corpus quod corrumpitur aggravat animam, ut non quæcunque volumus, illa faciamus. Arvit cor meum, etiam & corpus meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Neque enim pateretur hunc defectum, ſi jugiter exercitata eſſet ratio in inquiſitione veritatis, voluntas in deſiderio charitatis, caro in operatione virtutis. Commoda ergo mihi amice tres panes, ut intelligam, ut diligam, ut faciam voluntatem tuam. Sic enim vivitur, & in talibus vita ſpiritus mei, dicẽte ſcriptura: Quoniã vita in voluntate ejus. Eſt enim (l) intellectus rerũ ſpiritualiũ & inviſibiliũ verus animæ panis, confirmans cor noſtrũ, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione ſpirituali. Carnalis autem homo, qui non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſed ſtultitia ei videtur, gemat & lugeat dicens: Arvit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Propter hoc namque (m) aliquando finis venit univerſæ carnis, quia ſpiritus receſſerat vitæ. Item ait: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt. Carnis nomine hoc loco vitium deſignari intellige, non naturam. Nec enim ſpiritum natura expungit, ſed vitium. Quomodo (n) ignis & aqua ſimul eſſe non poſſunt, ſic ſpirituales & carnales deliciæ in eodem ſe non patiuntur. Ubi crapulam ructantis inter pocula ſenſerit Chriſtus, vina ſua dulciora ſupèr mel & favum menti propinare non dignatur. Ubi curioſa ciborum diverſitas, ubi divitis ſuppellectilis diſcolor varietas oculos pariter paſcit & ventrem; cæleſtis panis jejunam deſerit mentem.

§. III.

Adam (o) in paradiſo poſitus perdidit circumſpectionem Dei. Quomodo inquis? (p) Quomodo legis: Homo cùm in honore eſſet, non intellexit. In quo honore quæris. Habitabat in paradiſo, & in loco voluptatis converſatio ejus. Magis autem ob inſigne Divinæ ſimilitudinis præcellebat: & erat illi ſors & ſocietas cum plebe Angelorum, & cum omni militia celæſtis exercitus. Sed mutavit iſtam gloriam Dei in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Inde (q) facta eſt valida fames in terra, & omnes jam non egere cæpimus, ſed ad extremam jam venimus ægeſtatem. Denique & comparati ſumus jumentis inſipientibus, & ſimiles facti ſumus illis: etiam porcorum ſiliquas inſatiabiliter eſurimus. Qui pecuniam diligit, non ſatiatur: qui luxuriam diligit, non ſatiatur: qui gloriam quærit, non ſatiatur: denique qui mundum amat, nunquam ſatiatur. Novi ego homines ſatiatos hoc mundo, & ad ejus omnem memoriam nauſeantes. Novi ſatiatos pecuniâ, & ſatiatos honoribus, ſatiatos voluptatibus & curioſitatibus hujus mundi, nec mediocriter, ſed uſque ad faſtidium ſatiatos. Et facile eſt cuique noſtrûm hanc ſatietatem per Dei gratiam obtinere: neque enim parit hanc copia, ſed contemptus. Sic fatui filii Adam porcorũ vorando ſiliquas, non eſurientes animas, ſed eſuriem ipſam paſcitis animarum. Sola nimirùm hoc edulio inedia veſtra nutritur, ſola fames alitur cibo innaturali. Et dico planiùs exempligratiâ, unum ſumens è multis

h *Ibidem n. 4.* i *Ser. in rogationibus n. 1.* k *ibidem n. 2.*

l *Ser. 2. de Annunciat. B. M. V. n. 4.* m *Ser. 25. in Cant. n. 4.* n *epiſt. 2. n. 10.* o *Ser. 102. div. n. 1.* p *Ser. 35. in Cant. n. 3. & 4.* q *tract. de Converſ. ad Cleric. Cap. 14. n. 26.*

tis quæ humana vanitas concupiſcit. Non priùs ſatiabuntur corda hominum auro, quàm auro corpora ſatientur. Nec indignetur avarus, & de ambitioſis & luxurioſis, etiam & de facinoroſis eadem ſententia eſt. Si quis mihi fortè non credit, experientiæ credat, vel propriæ, vel multorum. Quis in vobis eſt, fratres (r) qui ſatiari cupiat, & deſiderium ſuum optet impleri? Incipiat eſurire juſtitiam, & non poterit non ſatiari. Panes illos deſideret qui in domo Patris abundant, & inveniet ſeſe continuò ſiliquas faſtidire porcorum. Guſtum juſtitiæ vel exiguum ſtudeat experiri, ut eo ipſo deſideret ampliùs, & amplius mereatur ſicut ſcriptũ eſt, Qui edit me, adhuc eſuriet: qui bibit me, adhuc ſitiet. Utique (s) propter ſaporis dulcedinẽ hoc dicebat Dñs, qui ſemel guſtatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum eſurientium & ſitientium juſtitiam, & eſca & potus eſt. Hoc enim (t) cognatum magis ſpiritui & naturalius deſiderium vehementiùs occupat cor humanum, cæteraquè viriliter deſideria pellit. Sic nimirùm fortem armatum fortior ſuperat, ſic clavus clavo ſolet extundi. Beati ergo qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Numquid (v) non juſtitia panis cordis? Et quidem optimè confirmans illud, utpote cibus ſolidus ad nutrimentum. Habuit quidem (x) Adam juſtitiam, à juſto Deo creatus juſtus: ſed quia non eam ex libero arbitrio direxit, facilè ab ea per idem liberum arbitrium deflexit. Hinc (y) cæcitas cordis, hinc cervicoſus furor animoſitatis, hinc ſuſpicionis labor anxius, hinc livoris crudele tormentum, & cremantis invidiæ miſerior quàm miſerabilior cruciatus: hinc divitiarum amor inſatiabilis longè ampliùs deſiderio torquet animam, quàm refrigeret uſu ſuo: utpote quarum acquiſitio quidem laboris, poſſeſſio verò timoris, amiſſio plena doloris invenitur. Poſtremò ubi multæ opes, multi etiam qui comedunt eas: & uſus quidem divitiarum apud alios, divitibus ſolum nomen cedit & ſollicitudo. Et in his omnibus pro tam exiguis, aut magis ne exiguis quidem, ſed nullis eam parvipendere gloriam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe: non tam inſipientiæ quàm infidelitatis eſſe videtur. Nec immeritò ſanè (z) mundus hic poſitus in maligno, vana promiſſione deludit animas propriæ conditionis & nobilitatis oblitas, quas non pudeat porcis in miniſterio ſubiugari, in deſiderio ſociari, nec ſic tamen infelici edulio ſatiari. Unde enim hæc tanta puſillanimitas & abjectio tam miſerabilis, ut egregia creatura capax æternæ beatitudinis & gloriæ magni Dei, utpote cujus ſit inſpiratione condita, ſimilitudine inſignita, cruore redempta, fide dotata, ſpiritu adoptata, miſeram non erubeſcat ſub putredine hac corporeorum ſenſuum gerere ſervitutem? Meritò planè ne eos quidem apprehendere poteſt, quæ talem deſerens Sponſum, tales ſequitur amatores. Meritò ſiliquas eſuriit, & non accepit, qui porcos paſcere malvit, quàm paternis epulis ſatiari. Inſanus ſiquidem labor paſcere ſterilem quæ non parit, & viduæ benefacere nolle: omittere curam cordis, & curam carnis agere in deſiderio: impinguare & fovere cadaver putridum, quod paulò poſt vermium eſca futurum nullatenùs dubitatur. Nam & ſervire mammonæ, & avaritiam colere (quod eſt ſervitus idolorum.) aut vanitatem ſectari, prorsùs degeneris animæ indicium eſſe quis neſciat?

r Ibidem n. 27. s Ser. 3. ſuper miſſus n. 6. t tract. de Converſ. ad Cleric. cap. 14. n. 27. v Ser. 3. de annunt. B. M. V. num. 1. x Ser. 66. div. n. 2. y tract. de Converſ. ad Cleric. cap. 8. n. 14 z ibidem num. 15.

CAPUT V.

De calliditate Serpentis, quâ decepit Evam, ut comederet de ligno vetito.

Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus ut non comederitis de omni ligno paradiſi? Cui reſpondit mulier: Ne fortè moriamur. Dixit autem Serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum. *Gen. 3.*

1. Per ſerpentem callidum intelligitur Angelus ille ſuperbus, qui prætendebat ſibi ponere Sedem in Cælo ad Aquilonem. 2. Per Aquilonem intelliguntur reprobi homines: per Sedem autem intelligũtur poteſtas Diaboli in illos. 3. Lucifer invidens homini æqualitatem gloriæ, molitus eſt habere eum ſibi ſubjectum, ſocium dedignans: & ſuaſit ei ut comederet de ligno vitæ.

§. I.

Ab initio (A) creaverat Angelos Deus, in quibus beati illius Templi plenitudo conſtaret, de quo Eſajas inquit: Et ea quæ ſub ipſo erant, replebant Templum. Sed non in omnibus beneplacitum eſt Deo, quia & in ipſis (ut ſcriptum eſt) Angelis ſuis reperit pravitatem. Fuit quippè in eis qui diceret: Ponam ſedem meam ad Aquilonem: & populum qui ſibi crederet, habuit. Miſer ipſe, qui ſine Deo eſſe maluit quàm ſub Deo: miſeri & illi, qui vidẽtes furẽ cũ eo cucurerunt. Exierunt infelices, & vacuus relictus eſt locus, quem accipiet alter. Propter hoc enim (b) Deus creavit homines ab initio, qui ſupplerent locum illum, & ruinas Hieruſalem reſtaurarent. Sed tu ſignaculũ ſimilitudinis (c) non in paradiſo, ſed in deliciis paradiſi Dei poſitus es. Quid amplius quærere debes? Plenus ergo ſapiẽtiâ, & perfectus decore, altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris? Sta in te, ne cadas à te, ſi ãbulas in magnis & in mirabilibus ſuper te. Sed quid interim ex obliquo intendis ad Aquilonem? Jam te video, iam te perſpicio neſcio quæ ſupra te curioſiùs alta rimantem. Ponam, inquis, ſedem meam ad Aquilonem. Cæteris aſtantibus Cælicolis, dum tu ſolus ſedere affectas; fratrum concordiam, totius cæleſtis patriæ pacem, ipſius quantum in te eſt, quietem Trinitatis infeſtas. Quò te tua, miſer, curioſitas ducit, ut præſumptione ſingulari non dubites Civibus ſcandalum

a Ser. 2. de Verb. Eſa. n. 5. b Ser. 1. de Adv. D. n. 5. c tract. de grad. humil. Cap. 10. n. 31.

dulum, injuriam facere Regi? Millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei: ubi nemo sedere perhibetur, nisi solus is qui sedet super Cherubin, cui à cæteris ministratur: & tu nescio quæ præ cæteris perspiciendo differentiùs, curiosiùs inquirendo, irreverentiùs peruadendo. sedem tibi collocas in cælo, ut sis similis Altissimo? Quo fine? Quâ fiduciâ? Metiri insipiens vires, pensa finem, excogita modum. Sciente hoc Altissimo præsumis, an nesciente? Volente, an non volente? Sed quomodo malum quodcunque machinaris, aut velle aut ignorare potest, cujus optima voluntas, cujus perfecta scientia est? Numquid autem & scire & nolle non dubitas, sed non posse resistere putas? At verò nisi te conditum esse dubitaveris, dubitare te non crediderim de omnipotentia, siue de omnimoda scientia ac bonitate Conditoris, qui te de nihilo potuit, talem scivit, tantum condere voluit. Quomodo ergo Deum consentire æstimas, quod fieri nolit ac refellere possit? An fortè in te video compleri, imò à te intiari, quod post te & per te à tui similibus in terris frequentatum solet vulgariter dici: Privatus dominus temerarios nutrit? An oculus tuus nequam est, quia ille bonus? De cujus bonitate dum fiduciam nefariam sumis, factus es & contra scientiam impudens, & contra potentiam audax. Hoc est enim ô impie (d) hoc est quod cogitas: hæc est iniquitas, quam meditaris in cubili tuo, & dicis: Putas Creator opus suum destruat? Scio quidem quia non latet Deum qualiscumque cogitatio mea, Deus enim est. Nec placet ei talis cogitatio mea, quia bonus est. Sed nec si velit effugiam manus ejus, quia potens est. Numquid tamen mihi timendum? Si enim cum bonus sit, non potest illi placere malum meum, quantominùs suum? Meum quippe dixerim contra ejus voluntatem aliquid velle: suum autem, si vindicet sese. Tam ergo quodcunque scelus non valet velle ulcisci, quàm nec vult, nec valet sua bonitate privari. Fallis te miser, fallis te, non Deum. Te inquam fallis, & mentitur iniquitas sibi, non Deo. Dolosè quidem agis, sed in conspectu ejus. Te ergo fallis, non Deum. Et quia de magno ejus bono in te, tu magnum in eum excogitas malum, meritò iniquitas tua invenitur ad odium. Quæ major inquam iniquitas, quàm ut inde à te Creator contemnatur, unde plùs amari merebatur? Quæ major iniquitas, quàm cùm de potentia Dei non dubites quin te scilicet destruere possit, qui condere potuit: confisus tamen de multa ejus dulcedine, quâ speras eum nolle vindicare cùm possit, mala pro bonis, odium pro dilectione retribuas? Hæc, inquam (e) iniquitas, non irâ momentaneâ, sed odio digna est sempiterno, quâ tuo Dulcissimo & Altissimo Domino, licet invito, desideras tamen ac speras æquari, quatenùs semper videat quod doleat: dum te socium habeat cùm nolit, nec deiiciat cùm possit, quin potiùs eligat ipse dolere, quàm te patiatur perire. Possit quidem deiicere si vellit, sed præ dulcedine (ut æstimas) velle non possit. Certè si talis est qualem putas, tantò nequiùs agis, si non amas. Et si ille patitur aliquid fieri contra se potiùs, quàm ipse aliquid faciat contra te, quanta malitia est ut vel tu non parcas illi, qui sibi non parcit parcendo tibi? Absit tamen ab ejus perfectione, ut quia dulcis est, justus non sit: quasi simul dulcis & justus esse non posit: cùm melior sit justa dulcedo quàm remissa, imò virtus non sit dulcedo sine justitia. Quia igitur gratuitæ Dei bonitati, quâ gratis factus es, ingratus existis, justitiam verò quam expertus non es, non metuis, ideoque audacter committis culpam, de qua falsò tibi promittis impunitatem: jam ecce justum senties, quem bonum nosti, cadens in foveam quam paras Auctori: vt dum scilicet talem in eum pænam machinaris, quâ tamen valeat carere si velit, sed ut putas non valet velle, & ideò nec carere ea utique bonitate, quâ neminem expertus es illum punisse: talem justus Deus justissimè in te retorqueat pænam, qui nec valet nec debet pati suam impunè bonitatem offendi: sic utique temperans in vindicta sententiam, ut si velis resipiscere, non neget veniam, secundùm tamen duritiam tuam & cor impænitens, non possit velle, & ideo nec pænâ carere.

§. II.

Sed (f) jam audi calumniam. Cælum (inquit Dominus) mihi sedes est, terra autem scabellum pedū meorum. Non dixit: Oriens, aut Occidens, aut una aliqua Cæli plaga, sed totum Cælum mihi sedes est. Non potes ergo in parte sedere Cæli, cùm ille totum elegerit sibi. In terra non potes, quia scabellum pedum ejus est. Terra etenim locus solidus est, ubi sedet Ecclesia, fundata supra firmam petram. Quid facies? E cælo pulsus, in terra remanere non potes. Elige ergo tibi in aëre locum non ad sedendum sed ad volandum: ut qui tentasti concutere statum æternitatis, pænam sentias propriæ fluctuationis. Te ergo fluctuante inter cælum & terram, sedet Dominus super solium excelsum & elevatum, & plena est omnis terra Majestatate ejus: ut nusquam nisi in aëre invenias locum. Seraphim namque aliis quidem alis suæ contemplationis de throno ad scabellum, de scabello ad thronum volantia, aliis caput Domini pedesquè velantia, ad hoc ibi posita puto, ut sicut homini peccanti paradisi per Cherubim prohibetur ingressus, ita & per Seraphim tuæ curiositati modus imponatur; quatenùs nec Cæli jam magis impudenter arcana rimeris, nec Ecclesiæ mysteria cognoscas in terris: sed solis contentus sis cordibus superborum, qui nec in terra dignantur esse sicuti cæteri hominum, nec sicut Angeli volant ad cælum. Licet verò & caput in cælo, & pedes in terra à te abscondantur, quiddam tamen tibi medium videndum ad invidendum duntaxat permittitur, dum suspensus in aëre descendentes quidem per te, & ascendentes Angelos intueris: sed quid vel audiant in cælis, vel nuncient terris, penitùs nescis. O Lucifer (g) qui manè oriebaris, imò non jam lucifer, sed noctifer, aut etiam mortifer, rectus cursus tuus erat ab Oriente ad Meridiem, & tu præpostero

d *ibidem n.* 32. e *ibidem n.* 33.

f *ibidem n.* 34. & 35. g *ibidem n.* 36.

ſtero ordine tendis ad Aquilonem? Quantò magis ad alta feſtinas, tantò celeriùs ad occaſum declinas. Velim tamen curioſiùs, ô curioſe, intentionem tuæ curioſitatis inquirere. Ponam, inquit, ſedem meam ad Aquilonem. Nec Aquilonem hunc corporalem, nec ſedem hanc (cùm ſis ſpiritus) intelligo materialem. Puto autem per *Aquilonem*, reprobandos homines fuiſſe deſignatos: per *Sedem*, poteſtatem in illos. Quos utique in præſcientia Dei, quantò ei vicinior, tantò cæteris perſpicacior prævidens, nullo quidem ſapientiæ radio coruſcantes, nullo ſpiritûs amore ferventes, velut vacuum repereris locum, affectaſti ſuper illos dominium, quos quadam tuæ aſtutiæ claritate perfunderes, tuæ malitiæ æſtibus inflammares: ut quomodo Altiſſimus ſuâ ſapientiâ ac bonitate omnibus filiis obedientiæ prætera, ita & tu ſuper omnes filios ſuperbiæ rex conſtitutus, tuâ eos aſtutâ malitiâ ac malitioſâ aſtutiâ regeres, per quod Altiſſimo ſimilis eſſes. Sed miror cùm in præſentia Dei tuum prævideris principatum, cur non in eadem prævidiſti & præcipitium? Nam ſi prævidiſti, quæ inſania fuit ut cum tanta miſeria cuperes principari, ut malles miſerè præeſſe, quàm feliciter ſubeſſe? An non expediebat participem eſſe plagarum illarum luminoſarum, quàm principem tenebrarum harum? Sed credibilius eſt, quòd non prævidiſti, aut propter illam cauſam quam ſuperiùs dixi, quia Dei bonitatem attendens dixiſti in corde tuo: Non requiret: propter quod, ô impie Deum irritaſti. Aut quia viſo principatu, ſtatim in oculo ſuperbiæ trabes excrevit, quâ interpoſitâ caſum videre non potuiſti. Denique (h) ſedebo, inquit, in monte teſtamenti, & ſimilis ero Altiſſimo. Itane modò creatus Patri ſpirituum conſedebis? Et certè necdum tibi dixit: Sede à dextris meis. Si neſcis ô impudens, Unigenitus ille eſt, cui æterna generatione Patris æqualitas collata eſt & conſeſſus. Tu rapinam cogitans eſſe æqualis Deo, Filio gloriam invides, gloriam quaſi Unigeniti à Patre. Proinde Lucifer ille (i) qui manè oriebatur, pro eo quòd Altiſſimi ſimilitudinem uſurpare tentavit, & rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo (quod utique Filii eſt) præcipitatus illicò corruit, quoniam zelavit pro Filio Pater, & opere dixiſſe videtur: Mihi vindictam, & ego retribuam. Continuò videbis ſatanam tanquam fulgur cadentem de cælo. Quid tu igitur ſuperbis terra & cinis? Si ſuperbientibus Angelis Deus non pepercit, quantò magis tibi putredo & vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus eſt, tantùm cogitavit ſuperbiam, & in momento, in ictu oculi, irreparabiliter præcipitatus eſt: quia juxta Evangeliſtam, in veritate non ſtetit. Hoc autem eſt ſuperbia (k) hoc initium peccati, cùm majores in tuis oculis quàm apud Deum, quàm in veritate. Et ideo qui primus peccavit hoc grande peccatum (diabolum loquor) de ipſo dictum eſt, quia in veritate non ſtetit, ſed mendax eſt ab initio: quoniam quòd in ſua fuit cogitatione, non fuit in veritate. Qnid ſi in eo diſcordaret à veritate, ut minorem ſe inferioremquè putaret quàm veritas haberet? Excuſaret eum ſua proculdubio ignorantia, & minimè reputaretur ſuperbus: nec tam inveniretur iniquitas ejus ad odium, quàm humilitas fortaſſis ad gratiam. Porrò (l) ſuperbus ille Lucifer lucem præferens, non ignem habens, alteri tantùm innixus alæ, caſum facere potuit, non volatum. Exultavit enim lucidus eſſe, non fervidus, non incenſus, quod Seraphim ſonat. Non ergo ſtetit, quia contempſit: ſed nec volare potuit, quia præſumpſit. Suſtulit eum naturæ vivacitas, ſed in ſuam planè perniciem, quippe quem defectus gratiæ mox dejecit.

§. III.

Fugite ſuperbiam, fratres mei (m) quæſo multùm fugite. Initium omnis peccati eſt ſuperbia, quæ tam velociter ipſum quoque ſyderibus cunctis clariùs micantem æterna caligine obtenebravit Luciferum: quæ non modò Angelum, ſed Angelorum primum in diabolum commutavit. Unde & protinùs invidens homini, quam conceperat in ſemetipſo, in eo peperit iniquitatem, ſuadens ut lignum vetitum guſtans fieret ſicut Deus, ſciens bonum & malum. Putaſne Lucifer ille (n) qui manè oriebatur, ſed præproperè elevabatur, antequam verteret in tenebras, generi noſtro inviderit & ipſe olei effuſionem, ut per ſeipſum jam tunc indignabundus muſſitaret dicens intra ſe quodammodò: Ut quid perditio hæc? Hoc ego non affero dicere ſpiritum, ſed nec contradicere dico. Neſcio enim. Potuit autem contingere (ſi tamen incredibile non putetur) plenum ſapientiâ & perfectum decore, homines præſcire potuiſſe futuros, etiam & profecturos in parem gloriam. Sed ſi præſcivit, in Dei Verbo abſque dubio vidit, & in livore ſuo invidit: & molitus eſt habere ſubjectos, ſocios dedignatus. Infirmiores ſunt, inquit, inferioreſquè naturâ, non decet eſſe concives, nec æquales in gloria. An fortè prodit impiam hanc ejus machinationem illa præſumpta aſcenſio ſeſſioquè ſignificans magiſterium? Aſcendam, inquit, ſuper montem excelſum, & ſedebo in lateribus Aquilonis: quo Altiſſimi quandam proinde ſimilitudinem obtineret, ſi quemadmodùm ille ſuper Cherubim ſedens gubernat omnem Angelicam creaturam, ita & ipſe altus ſederet, regeretquè genus humanum. Abſit. Iniquitatem meditus eſt in cubili ſuo, mentiatur iniquitas ſibi. Nos alium non cognoſcimus judicem quàm Auctorem. Non diabolus, ſed Dominus judicabit orbem terræ: ipſe Deus noſter in ſæculum ſæculi, ipſe reget nos in ſæcula. Ergo (o) in Cælo concepit dolorem, & in Parapiſo peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrem mortis & ærumnarum omniumquè prima parens ſuperbia. Nam etſi invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum, initium tamen omnis peccati ſuperbia. Verùm quid illi profuit? Nihilominus tu in nobis es Domine, & nomen tuum invocatum eſt ſuper nos. Et dicit populus acquiſitionis, dicit Eccleſia redemptorum: Oleum effuſum nomen tuum. Non eſt ſanè quod vobis (p) vel pro vobis timeam à viribus ſatanæ & miniſtrorum ejus,

C cùm

h *Ser. 2. in oct. Paſch. n. 1.* i *Ser. 1. de Adv. D. n. 2.* k *Ser. 37. in Cant. n. 5.*

l *Ser. 5. de Verb. Eſa. n. 8.* m *Ser. 1. de Adv. D. n. 3.* n *Ser. 17 in Cant. n. 5.* o *ibidem n. 6.* p *Ser. 22. div. n. 3.*

cùm noverim illius fortitudinem per Redemptoris vulnera traductam & deductam ad nihilum. A versutiis tamen & astutiis illius formido mihi est pro vobis, in quibus partim subtilitate naturæ, partim experientiâ temporum sub tot annorum millibus eruditus, fragilitatem humanæ naturæ quaquaversum se verterit non ignorat. Sic ille insatiabilis homicida primis parentibus nostris non ursos, non leones, non fortia terræ animalia delegavit, sed turtuosum & callidum serpentem, qui per sinuosa volumina nunc caput caudâ, nunc caudam capite tegere consuevit. Missus est (q) coluber turtuosus à diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posteritatis originem. Deniquè (r) & serpens non fortior erat, sed callidior cunctis animantibus terræ, ait scriptura. Unde & ab interrogatione incepit, mentem mulieris explorans, sciens ingenio non viribus laborandum: Cur præcepit vobis Dominus Deus (inquiens) ne comedereris de ligno scientiæ boni & mali? Quæ respondit: Ne fortè moriamur. Quod Deus pro certo posuerat, dicens: Quacunque die comederitis, morte moriemini: Ista sub dubio supponit, ne fortè (inquiens) si comederimus moriamur. Et audi ingenium malitiamquè serpentis: Nequaquam (inquit) moriemini. Deus affirmat, mulier dubitat, Satan negat. Suadet denique (s) ut lignum vetitum gustans fieret sicut Deus, sciens bonum & malum. Quid enim polliceris, quid promittis miser: cùm Filius Altissimi scientiæ clavem habeat, imo & ipse sit clavis David, qui claudit & nemo aperit? In eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: tune eos ut homini præstes, inique furaberis? Videtis quia verè juxta Domini sententiam mendax iste est, & pater ejus. Nam & mendax fuit, dicens: Similis ero Altissimo: & mendacii pater, cùm in hominem quoque venenatum suæ falsitatis seminarium effudit, dicens: Eritis sicut dii. Licet quidem (t) divino fuerit munita sigillo conjunctio corporis scilicet & animæ [ad imaginẽ quippe & similitudinẽ suam creavit Deus hominem] heu diruptum est sigillum, & unitas dissipata! Accedens pessimus ille latro recens adhuc sigillum fregit: & sic mutata similitudine divina, comparatus est miser homo jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Rectum quippe fecit Deus hominem, atque hæc similitudo ejus, de quo scriptum est: Quia rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Veracem quoque & justum fecit eum, sicut & ipse veritas & justitia est: nec unitas ipsa posset disiungi, dum sigilli hujus integritas permaneret. Verùm supervenit falsarius, qui indoctis sigillum promittens melius (Væ væ) fregit quod erat manu Divinitatis impressum. Eritis, inquit, sicut dii, scientes bonum & malum. O malevole, ô maligne, ad quid eis hujus similitudo scientiæ? Sint certè sicut Dii, recti, justi, veraces: Sint sicut Deus, in quem peccatum non cadit. Hoc quippe sigillo stante stabit unitas illa. Jam experimur miseri quid nobis persuaserit versutia diabolicæ fraudis, Fracto namque sigillo sequitur amarum dissidium, triste divortium. Ubi est quod dixisti nequam: Nequaquam moriemini? Ecce enim morimur omnes, & non est homo qui vivat, & non videat mortem. Deprehensa est (v) maligne serpens, versutia tua, nudata est planè falsitas tua. Duo imposueras Creatori, mendacii & invidiæ infamaveras eum: sed in utroque convinctus es esse mentitus. Siquidem & ab initio moritur cui dixeras: Nequaquam moriemini: & veritas Domini manet in æternum. Diabolus (x) primus à pietate recessit, & impius factus etiam homines in paradiso positos ab eadem pietate fraude dejecit, volens eos habere socios sui erroris, & participes iniquitatis. Ille enim Evam seduxit, & illa virum sibi subdidit. Cantavit (y) Angelus periturus in Cælo canticum superbiæ, dicens: Ponam sedem meam ad Aquilonem, & similis ero Altissimo. Cantavit postea detractionis canticum in Paradiso, cùm accedens ad mulierem ait: Quare prohibuit vobis Deus ne comederetis de ligno scientiæ boni & mali; tanquam diceret, mala intentione prohibuit. Canticum dubitationis cantavit mulier, dicens: Ne comedamus & fortè moriamur. *O fortè*, quantum infirmitatis nobis induxisti! Videns autem diabolus mulierem dubitantem prorupit ad canticum mendacii, dicens: Nequaquam moriemini. O nequam, ô nequam! Ubi est modò tuum, *nequaquam*? Ecce mortui sunt duplici morte, quos dixisti nequaquam morituros. Nequaquam, inquit, moriemini. Malum & vetus canticum hoc verbum veritati contrarium. Dixerat enim Deus: Quacunque die comederitis, morte moriemini; idest mortales efficiemini, scilicet, ut necessitatem tunc habeatis moriendi, qui modò non potestis mori. Si enim in obedientia permansissent, mortui non fuissent.

CAPUT VI.

De modo & ordine prævaricationis Adæ & Evæ, qui comederunt fructum de ligno vetito.

Vidit mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuquè delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditquè virò suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum. *Gen.* 3.

1. *Evæ curiositas perstringitur propterea, quòd curiosè intuebatur lignum scientiæ boni & mali.* 2. *Exponuntur tres dies parentum nostrorum, scilicet inspirans, conspirans, expirans.* 3. *Adam in Paradiso positus peccando perdidit circumspectionem Dei, ob elationem quæ præcessit in ejus anima: Justitiam, obediendo uxoris voci potiùs quàm Divinæ: Judicium, cùm per mulierem retorsit propriam culpam in Deum.*

§. I.

ADam (a) audierat in paradiso quem acceperat, ut operaretur & custodiret illum. Operaretur

q *Ser. 2. in die Pent. n. 2.* r *Ser. 22. diver. n. 3.* s *Ser. 1. de Adu. Dom n. 3.* t *Ser. 2. in Nat. Dom. n. 3.*

v *Ser. 2. de Adu. Dom. n. 4.* x *Ser. 72. diu. n. 1.* y *Tract. de vit. e. n. cyst. Cap. 25. n. 95.* a *Ser. in fer. 4. hebd. San. n. 11.*

retur delectabiliter, custodiret fideliter & sibi & posteris suis. Et tu quoque ô Eva (b) in paradiso posita es, ut cum viro tuo opereris & custodias illum: si injunctum perfeceris, quandoque transitura ad melius, ubi nec opus sit te in aliquo opere occupari, nec de custodia sollicitari. Omne lignum Paradisi tibi conceditur ad vescendum, præter illud, quod dicitur *scientia boni & mali*. Si enim cætera bona sunt, & sapiunt bonum, quid est opus edere de ligno, quod sapit etiam malum? Non plus sapere quàm oportet sapere. Sapere enim malum, sapere non est, sed desipere. Serva ergo commissum, expecta promissum: cave prohibitum, ne perdas concessum. Quid tuam mortem tam intentè intueris? Quid illò tam crebrò vagantia lumina jacis? Ut quid (c) cùm immortalis sis, mortalia non contemnis & transitoria: contenta tibi similibus immortalibus & æternis? Vidit (inquit scriptura) mulier lignum quòd esset pulchrum oculis, & aspectu delectabile, & suave ad vescendum. Non est tua, ô mulier, ista suavitas, ista delectatio, istaquè pulchritudo. Et si tua pro parte luti, non tua solius, sed communis cunctis animantibus terræ. Tua, quæ verè tua est, aliunde & alia: nam æterna est de æternitate. Quid tu animæ tuæ aliam formam, imo deformitatem imprimis alienam? Quid spectare libet (d) quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo, non manum: non est interdictum ne videam, sed ne comedam. An non licet oculos quò volo levare, quos Deus in mea potestate posuit? Ad quod Apostolus: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Et si culpa non est, culpæ tamen jndicium est. Nisi enim mens minùs se curiosè servaret, sua curiositas tempus vacuum non haberet. Etsi culpa non est, culpæ tamen occasio est, & jndicium commissæ, & causa est committendæ. Te enim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum serpens illabitur, blandè alloquitur. Blanditiis rationem, mendaciis timorem compescit: Nequaquam, inquiens, morieris. Auget curam, dum incitat gulam. Acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem. Offert tandem prohibitum, & aufert concessum. Porrigit pomum, & surripit Paradisum. Hauris virus peritura, & perituros paritura. Perit salus, non destitit partus. Nascimur, morimur: ideoque nascimur morituri, quia priùs morimur nascituri. Propterea grave jugum super omnes filios tuos usque in hodiernum diem. In quibus periit dies (e) in qua nati sunt, quæ est dies Adæ, dies peccati, cui Hieremias quoque maledicebat dicens: Maledicta dies, in qua natus sum. Omnes enim in illa nascimur. Utinam pereat in nobis omnibus dies illa, dies nebulæ & caliginis, dies tenebrarum & turbinis, quam nobis fecit Adam, quam fecit inimicus qui dixit: Aperientur oculi vestri. Adde (f) quòd appetentia terrenorum (quæ quidem omnia ad interitum sunt) densat tenebras, ita ut in Anima sic vivente nil à parte aliqua nisi pallida facies, & imago quædam mortalitatis apparere cernatur. Cur non enim quæ immortalis est, similia sibi immortalia appetit & æterna: ut quod est appareat, & quod facta est, vivat? Cæterùm contraria sapit & quærit, & mortalibus sese degneri conversatione conformans, immortalitatis candorē quodam mortiferæ consuetudinis piceo colore denigrat. Quidni mortalium appetitus immortalem mortali similem, immortali dissimilem faciat? Qui tangit picem (ait Sapiens) inquinabitur ab ea. Fruendo mortalibus mortalitatem se induit, & vestem immortalitatis incidente mortis similitudine decoloravit, non exuit. Evam attende quomodo ejus anima immortalis, immortalitatis suæ gloriæ fucum mortalitatis invexit, mortalia utique affectando. Prima siquidem (g) post prævaricationis Angelicæ ruinam Eva peccavit, inquietudine spiritûs agitata, & interdicti Dominici jugum suave & leve onus abiiciens: quoniam expectare noluit, ut de manu Dei, unde jam cætera acceperat, perfectionem quoque beatitudinis mereretur, sed preripere illam serpentis consilio attentavit. Propter hoc Paradisum perdidit, terram deliciarum: propter hoc in ipso corpore contrariam legem invenit. Testis est ipse Apostolus (h) qui ait: Invenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Numquid suum quod carnis suæ est, & non suum quod mentis suæ est? Ego dico & plus. Quidni dicam, quod idem ipse Magister dicit? Nam mente quidem serviens legi Dei, carne autem legi peccati, quid magis suum fateatur evidenter ostendit, cùm malum quod in carne est, ita à se alienum censet, ut dicat: Itaque jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Et ideò fortasis signanter aliam dixerit legem inventam in membris suis, quòd alienam hanc & quasi adventitiam reputaret. Constat sanè (i) ab initio non fuisse sic, sed in parentibus primis ante primam illam mandati prævaricationem non modò regnasse peccatum, sed nec fuisse quidem. Attamen quodammodò jam tunc propè illis fuisse videtur, quod tam facilè persuasum est, quod tam festinanter intravit. Quid verò aliud admonebat, quàm & ipsam quoque peccati pænam etsi necdum inesse corporibus jam tamen velut præ foribus esse, qui dixit: In quacunque die comederitis de ligno scientiæ boni & mali, morte moriemini. Crudelis nimirum Eva (k) per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit. Virus hoc (l) mortiferum de pomi sui reliquiis Eva etiam nobis propinavit, quando succi noxialis gustu inebriata, & reliquias dimisit paruulis suis. Utinam poculum suum ebria illa totum ebibisset, non item in nos diffudisset. Nec duxerim reprehendendum, (m) si quis sapientiam saporem boni diffiniat. Hunc saporem perdidimus ab ipso penè exortu generis nostri. Nam ex quo cordis palatum sensu carnis prævalente infecit virus Serpentis antiqui, cæpit animæ non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare. Denique proni sunt sensus hominis, & cogitationes in malum ab adolescentia: hoc est, ab insipientia primæ mulieris. Jta insipientia mulieris saporem boni exclusit, quia Serpentis malitia mulieris insipientiam circumvenit.

b *Tract. de grad. humil. cap. 10. n. 30.* c *Ser. 82. in cant. n. 3. & 4.* d *Tract. de grad. humil cap. 10. n. 30.* e *Ser. 2. in Vig. Nat. Domini n. 2.* f *Ser. 82. in Cant. num. 3.*

g *Ser. 1. in Fest. SS. Omnium n. 9.* h *Ser. 81. in Cant. num. 10.* i *Ser. 10. super Psal. 90. n. 5.* k *Ser. 1. de Virg. Deip. n. 2.* l *Ser. 3. de Vig. Dei p. n. 7.* m *Ser. 85. in Cant num. 8.*

§. II.

Plasmato homine de limo terræ [n] Plasmator, sicut vera narrat historia, inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, factus proinde illi dies *inspirans*. Et ecce invida nox callidè impegit in diem hanc, luce utique simulata. Nam dum quasi splendidius lumen scientiæ pollicetur, inopinatas novæ luci offudit pravi tenebras consilii, & primordiis originis nostræ tetram damnosæ prævaricationis invexit caliginem. Væ væ, nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant nescientes, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Denique comedit de ligno mulier quod sibi dederat serpens, quod vetuerat Deus: deditquè viro suo, & cæpit illis quasi de novo diescere. Nam illicò aperti sunt oculi amborum, & factus est dies *conspirans*, inspirantem extundens, & substituens *expirantem*. Conspiraverunt siquidem, & convenerunt in vnum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus, serpentis astutia, mulieris blanditiæ, viri mollities. Unde & loquebantur mutuò, Dominus scilicet & Christus ejus: *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis*, quòd ad utriusque injuriam lactantibus se peccatoribus acquievisset. Revera enim [o] principes nostri Adam & Eva principia nostræ propaginites, inobedientes & socij furum, dicente Domino: *Principes tui infideles*; vel ut alia translatio habet, *inobedientes socii furum*: qui quod Filii Dei est, serpentis imò diaboli per serpentem consilio subripere tentant. Nec dissimulat injuriam Filii Pater, Pater enim diligit Filium: sed continuò in ipsum hominem vindictam retribuit, & aggravat super nos manum suam. Omnes enim in Adam peccavimus, & in eo sententiam damnationis accepimus omnes. Adam [p] in paradiso positus, *primò* perdidit *circumspectionem Dei*. Testatur enim B. Augustinus, quòd nequaquam tentator hominem de paradiso eiecisset, nisi aliqua elatio in anima hominis præcessisset, cùm verissimè scriptum sit: *Ante ruinam exaltatur cor*. Et ideo [q] elatam animam Deus Pater non sustinet. Pater enim diligit Filium, & omnem altitudinem extollentem se aduersùs scientiam Verbi, semper in promptu habet deiicere atque destruere, sive immittendo zelum, sive intendendo: quorum alterum misericordiæ, alterum judicij est. Utinam in me omnem extollentiam comprimat, imò deiiciat, & ad nihilum redigat non accensus furor, sed infusus amor. Utinam discam non superbire, sed vnctione potiùs, quàm ultione magistra. Domine, ne in furore tuo arguas me, sicut Angelum extollentem se in Cælo: neque in ira tua corripias me, sicut hominem in paradiso. Ambo iniquitatem meditati sunt, altitudinem affectantes, ille potentiæ, iste scientiæ. Denique credidit insipiens mulier pollicenti, sed seducenti: *Eritis sicut dii, scientes bonum & malum*. Jam sese ante seduxerat, cui persuaserat similem fore Altissimo. Nam qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Verùm utraque altitudo dejecta est, sed in homine mitiùs, judicante ita illo qui omnia facit in pondere & mensura. Nam Angelo in furore punito, imò damnato, homo iram tantùm sensit, & non furorem. Nempè cùm iratus fuit, misericordiæ recordatus est. Propter hoc semen ejus filii iræ & non furoris usque in hodiernum diem. Verùm [r] novit in affectum malitiæ & nequitiæ transisse Angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua seu infirmitate peccasse, ideoquè perire necesse est pænitere nolentes. Patris enim amor, & honor Regis judicium diligit. Novit inquam superbiam Moab, quòd superbus est valdè: & superbia ejus pænitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ. At vero hominis vice nullam postea condidit creaturam, innuens ex hoc ipso redimendum adhuc hominem: quippe quem supplantavit aliena malitia; ideoquè prodesse ei potest charitas aliena. *Secundò* [s] Adam perdidit *justitiam*, quando uxoris voci plùs quam Divinæ obedivit. Justitia enim est virtus, quæ suum cuique reddit. Adam [t] portionem quidem aliquam videtur tenuisse justitiæ, in eo quòd mulieri quidem compassus est: sed si esuriisset justitiam, curasset sine dubio reddere quod debebat, non modò uxori, sed multò magis Creatori. Debebat enim vxori compassionem utique & disciplinam tanquam inferiori. Caput enim mulieris vir. Debebat autem Deo obedientiam atque subjectionem. *Tertiò* Adam [u] amisit *judicium*, cùm post peccatum correptus, obliquè per mulierem retorsit propriam culpam in Auctorem, dicens: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*. Verba malilitiæ [x] sunt hæc, ô Adam, quibus magis augeas quàm deleas culpam: cùm occasionem veniæ quam à te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit. Et ideo [y] portamus omnes impressum nobis cauterium conspirationis antiquæ. Eva utique viventе in carne nostra, cujus per hæreditariam concupiscentiam serpens nostrum suæ factioni sedula satagit solicitudine vendicare consensum. Propterea (ut dixi) huic diei maledixère Sancti, brevem optantes & citò verti in tenebras, quòd sit contentionis & contradictionis dies, dum non cesset in ea caro concupiscere adversùs spiritum, legiq; mentis membrorum contraria lex rebellione infatigabili assiduè contradicat. Itaque dies *expirans* factus est. Extunc enim & deinceps quis est homo qui vivet, & non videbit mortem? Dicat pro ira quis, ego non minùs pro misericordia putem, ne electos scilicet, propter quos omnia fiunt, diu defatiget molesta contradictio, quâ captivi ducuntur & ipsi in lege peccati, quæ est in membris ipsorum. Horrent nimirùm ægerrimequè ferunt turpem captivitatem, & tristem contentionem.

§. III.

In primo denique mandato [z] quod parentibus nostris datum est, si diligenter consideres, & Eva patiens, & Adam benevolus fuisse videntur. Quia tamen uterque cecidit, liquet quòd stabili non erat ille vel illa gradu. *Vidit mulier lignum* (ait Scriptura

n *Ser. 72. in Cant. n. 8.* o *Ser. 1. de Adu. Domini n. 4.* p *Serm. 102. diu. n. 1.* q *Serm. 69. in Cant. n. 3. & 4.*

r *Ser. 1. de Adu. D. n. 4. & 5.* s *Ser. 102. diu. n. 1.* t *Ser. 1. de nat. Sanct. n. 11.* u *Ser. 102 diu. n. 1.* x *Ser. 1. supermussus n. 3.* y *Ser. 72. in Cant. n. 9.* z *Ser. 1. de S. Andr. n. 9. & 10.*

ptura) *quòd esset pulchrum visu, & ad vescendum suave*. Nonne tibi videtur vix continere manum? Sic & ubi à serpente interrogata est, vide si non manifestè sonant verba ejus molestum ei fuisse mandatum. Ex omni, inquit, ligno Paradisi comedimus, de ligno autem scientiæ boni & mali, dixit nobis, ne comedamus. Non dicit, sic est voluntas Creatoris: quare sic, ipse novit: nobis sufficit obedire, quia vita nostra in voluntate ejus. Itaque facilè seducta est mulier & promissioni credere, & acquiescere persuasioni. Vir autem non seductus est, sed subversus mulieris amore. Optaret enim semper seruare mandatum quod sibi utile noverat, si non mulier ei aliud suaderet. Nec aliquam in servendo mandato visus est pati difficultatem, sed quæ bona voluntas erat, non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem. Fortis quippe est ut mors, non patientia aut spes, sed dilectio. Non timor aut ratio, sed spiritus fortitudinis est. Dicit patientia: Sic oportet fieri; quia timore urgetur. Dicit voluntas bona: Sic expedit, & sic agendum est; quia spei attrahitur ratione. Charitas verò quæ inflammatur a spiritu, neque sic oportet dicit, neque sic expedit: sed sic volo inquit, sic cupio, sic desiderio vehementer. videtis quanta sublimitas, quanta securitas, quantaquè suavitas charitatis? Felix anima, quæ ad hunc charitatis pervenit statum. Beati [a] qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Hoc verbum adversùs Adam procedere credo, qui portionem quidem aliquam videtur tenuisse justitiæ, in eo quòd mulieri quidem compassus est: sed si esurisset justitiam, curasset sine dubio reddere quod debebat, non modò uxori, sed multò magis Creatori. Sed quid putamus, Fratres, quàm plurimi usque hodie factum illud graviter dijudicant, & tamen insipienter imitantur? Indignantur adversùs Adam, quòd obedierit voci uxori suæ plùs quàm Dei, & ipsi quotidie Evam suam, carnem videlicèt audiunt plùs quàm Deum. Fratres, si modò presentem videremus Adam in eo articulo positum, ascendentibus cogitationibus in cor ejus, crearctari inter precem uxoris & præceptum Creatoris, non ne clamaremus adversùs illum dicentes: Cave tibi miser, vide ne feceris? Seducta est mulier, non acquiescas ei? Ut quid ergo quoties apprehendit nos tentatio similis, non persuademus similitèr nobis ipsis? Duo loca [b] sunt animæ rationalis: inferior quem regit, & superior in quo requiescit. Inferior quem regit, est corpus. Superior in quo quiescit, est Deus. De utroque potest rectè intelligi quod scriptum est: *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne dimiseris*: vel inferiorem scilicet regendo, vel Superiorem quiescendo. Sed hoc quod prius dixi, convenit rudibus adhuc & imperfectis, quibus loquitur Apostolus: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ab iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*. Habet quippè anima tria facere in corpore, vivificare, sensificare, & regere. Sed sive auferatur vita, sive sensus perturbetur, de neutro condemnatur. Sin verò tentatori victa succubuit, hoc illi ad peccatum reputatur. Dicitur ei ergo, ne ascendente super eam spiritu, locum suum deserat, hoc est, ne ingruente tentatione membra sua arma iniquitatis peccato exhibeat. Notandum autem [c] quod dicitur: *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis*. Nihil quippè adversùs nos malignus spiritus potest nisi missus aut permissus. Unde cùm ejus sit voluntas semper mala, nunquam potestas est nisi justa. Nam voluntas quidem mala ex seipso sibi inest, potestatem verò non aliunde quàm à Deo habet. Quam tamen potestatem semper moderatur Dominus, ne scilicet ex nequitia voluntatis plùs puniat, quàm eorum exigunt merita qui puniuntur. Et hæc de inferiori loco dicta sunt. Cæterùm de superiori hoc intelligitur, ne quietem mentis quam in Deo habet, tentante diabolo deserat, sed undecunque ille tentaverit, ipsa mens in Deo fixa constanter in tranquillitate permaneat. Hæc posterior sententia convenit perfectis, qui cum Elia dicere possunt: *Vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto*. Et illud de Joanne Apostolo: *Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo*. Hæc inquam sententia convenit perfectis, qui jam in sua conversatione quodammodò imitantur statum æternitatis.

CAPUT VII.

De malis successis Adæ & Evæ ex manducatione pomi de ligno Vetito.

Cumquè cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficûs, & fecerunt sibi perizomata. *Gen.* 3.

1. *Adam & Eva parentes nostri erant quidem induti quatuor Virtutibus, sed eisdem postquam peccarunt despoliati sunt.* 2. *Agitur de triplici lapsu primorum parentum nostrorum, secundùm triplicem potentiam Animæ.* 3: *Ostenditur Animam nostram triplici vanitati subjectam, debere sperare se liberandam ab hac vanitate post hanc vitam miseram.*

§. I.

AD imaginem (a) & similitudinem Dei factus est homo: in imagine arbitrii libertatem, virtutes habens in similitudine. Videre mihi videor (b) quatuor virtutibus amictum esse primum hominem ab ipso suæ Creationis exordio, scilicet Misericordiâ & Veritate, Justitiâ & Pace: & ut Propheta Esajas meminit, vestimento salutis indutum. Est enim in his quatuor illa salutis integritas: nec sine his omnibus potest constare salus, præsertim cùm nec possint esse virtutes, si abinvicem separentur. Acceperat ergo homo *Misericordiam*, custodem scilicet atque pedissequam, ut ipsa præveniret, ipsa & sequeretur eum, ipsaque protegeret & conservaret ubiq;. Vides qualem nutritium contulit parvulo suo Deus, qualem dedit pedissequam homini recens orto, Sed erat illi necessarius etiam Eruditor tanquam ingenuæ & rationabili creaturæ, ut non sicut jumentum aliquod custodiretur, sed tanquam paruulus educaretur. Cui sanè magisterio nemo poterat

a *Ser.* 1. *de omn. Sanct. n.* 11. b *Ser.* 84. *div. n.* 1.

c *ibidem. n.* 2. a *Ser.* 1. *in Annunt. B.M.V. num.* 7. b *ibidem num.* 6. & 7.

terat aptior inveniri, quàm *Veritas* ipſa, quæ eum in agnitionem ſummæ perduceret aliquando Veritatis. Interim verò ne ſapiens inveniretur ut malum faceret, eſſetquè peccatum ei tanquam ſcienti bonum & minimè facienti, *Juſtitiam* quoque quâ regeretur accepit. Adhuc autem & *Pacem* quâ foveretur & delectaretur, addit manus benigniſſima Creatoris. Pacem utique duplicem, ut nec intùs pugnæ, nec foris timores: id eſt, nec caro concupiſceret adversùs ſpiritum, nec eſſet ei creatura ulla formidini. Nam & beſtiis omnibus liberè impoſuit nomina, & ſerpens ipſe, qui violentiâ non præſumpſit, fraude magis eum aggreſſus eſt. Quid huic deerat, quem miſericordia cuſtodiebat, docebat veritas, regebat juſtitia, pax fovebat? Sed heu, homo iſte ad multam perniciem & inſipientiam ſibi, deſcendit de Hieruſalem in Hierico. Si quidem incidit in latrones, à quibus & ante omnia legitur deſpoliatus. An non deſpoliatus, qui Domino veniente nudum ſe eſſe conqueritur? Sed quia (c) ſpoliatum virtutibus quatuor hominem diximus, quonam modo ſingulis ſit ſpoliatus, congruum eſt ut dicamus. Perdidit homo *Juſtitiam*, cùm Eva ſerpentis, Adam mulieris voci obedivit potiùs quàm Divinæ. Erat tamen reſiduum aiiquid quod apprehendere poſſent, idquè Dominus ſuo illo ſcrutinio innuebat, ſed abjecerunt etiam illud, converſi in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Prior enim juſtitiæ portio eſt non peccare, ſecunda per pœnitentiam damnare peccatum. Perdidit & *Miſericordiam*, cùm ſic exarſit Eva in concupiſcentia ſua, ut nec ſibi, nec viro, nec filiis parceret naſcituris, ſimùl omnes terribili maledicto & neceſſitati mortis addicens. Adam quoque indignationi Divinæ mulierem pro qua peccaverat, objecit: quaſi poſt tergum ejus volens declinare ſagittam. Vidit enim mulier lignum quòd eſſet pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave, & à ſerpente audierat tanquam deos ſe futuros. Funiculus triplex difficilè rumpitur, curioſitatis, voluptatis, & vanitatis. Hæc ſola mundus habet, concupiſcentim carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. His abſtracta & illecta miſericordiam omnem crudelis mater abjecit. Sic & Adam, qui mulieri malè miſertus eſt ut cum ea peccaret, benè noluit miſeri ut pœnam ſuſtineret pro ea. Privata eſt etiam mulier *Veritate*, primò quidem malè detorquens quod audierat, *Morte morieris*, & dicens, *Ne forti moriamur*: demùm ſerpenti credens penitùs abneganti & dicenti: *Nequaquam moriemini*. Privatus eſt & Adam *Veritate*, ubi eam confiteri erubuit, folia, hoc eſt excuſationum operimenta prætendens. Siquidem ipſa Veritas dicit: *Qui erubuerit me coram hominibus, erubeſcam & ego eum coram Patre meo*. *Pacem* quoque protinùs amiſerunt; quia non eſt pax impiis, dicit Dominus. Nonne enim contrariam legem invenerant iu membris ſuis, quos de nouo pudere cæperat nuditatis? Timui ego (inquit Adam) eò quòd nudus eſſem. Non ſic miſer, non ſic pauò antè timebas, non quærebas folia, licet corpore nudus ſicut & modò.

§ I I.

Beata illa (d) & ſempiterna Trinitas, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, unus Deus, ſcilicet ſumma Potentia, ſumma Sapientia, ſumma Benignitas creavit quandam trinitatem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, Animam videlicet Rationalem: quæ in eo præfert veſtigium quoddam illius ſummæ Trinitatis, quòd ex *memoria*, *Ratione*, & *voluntate* conſiſtit. Creavit autem eam hoc modo, ut manens in illo, participatione ejus eſſet beata: averſa ab illo, quocunque ſe conferret, remaneret miſera. Sed hæc trinitas creata elegit potiùs per motum propriæ voluntatis cadere, quàm ex gratia Conditoris per arbitrium proprium ſtare. Cecidit ergo per ſuggeſtionem, delectationem, conſenſum, ab illa ſumma & pulchra Trinitate, ſcilicet Potentia, Sapientia, Puritate, in quandam contrariam & fædam trinitatem, ſcilicet infirmitatem, cæcitatem, immunditiam. *Memoria* enim facta eſt impotens & & infirma, *Ratio* imprudens & tenebroſa, *Voluntas* impura. Porrò *Memoria*, quæ ſimplicis Divinitatis potentiam ſtans cogitabat, ab illa cadens & velut ſupra ſaxa corruens, in tres partes confracta diſſiliit, ſcilicet in cogitationes affectuoſas, oneroſas, otioſas. *Affectuoſas* voco illas, in quibus ipſa memoria afficitur, ut in curis rerum neceſſariarum, edendi, bibendi, cæterorumquè ſimilium. *Oneroſas*, in exterioribus adminiſtrationibus & occupationibus duris. *Ocioſas*, quibus nec afficitur, nec oneratur & tamen ab æternorum contemplatione per illa diſtenditur, ut ſi cogitet, verbi gratiâ, equum currentem, aut avem volantem. *Rationis* quoque (e) triplex caſus eſt. Siquidem ejus erat diſcernere inter bonum & malum, verum & falſum, commodum & incommodum. In quibus diſcernendis tanta modò caligine cæcatur, ut ſæpè in contrarium ducat judicium, recipiens malum pro bono, falſum pro vero, noxium pro commodo, & è converſo. Nunqaam verò in his falleretur, ſi nunquam lumine à quo creata eſt, privaretur. Sed quia & ipſa inde cecidit, proculdubio nihil aliud quàm tenebras ſuæ cæcitatis invenit. Vnde factum eſt ut inſtrumentum perderet, ſcilicèt illud trivium ſapientiæ, Ethicam, Logicam, Phyſicam: quas nos poſſumus aliis vocare nominibns, moralem, inſpectivam, & naturalem ſcientiam. Siquidem per Ethicam eligitur bonum, reprobatur malum: per Logicam cognoſcitur verum & falſum: per Phyſicam cognoſcitur commodum & incommodũ, ideſt, quid in uſum aſſumendum ſit, quidvè reſpuendum. Denique *Voluntatis* ruina (f) ſimiliter tripartita eſt. Quæ enim ſummæ benignitati & puritati inhærere, & eadem diligere debuit, per propriam iniquitatem à ſupernis in hæc infima lapſa, per concupiſcentiam carnis & concupiſcentiam oculorum & ambitionem ſæculi terrena dilexit. Quid hoc infelicius caſu poteſt æſtimari, ubi pereunte memoria, ratione, voluntate, tota Animæ ſubſtantia perimitur? Verumtamen (g) quæ utilitas in omni labore iſto? Nempè hæc. Docuimus omnes Animam licet oneratam vitiis, peccatis irretitam, captam illecebris, exilio captivam, corpore carceratam, luto hærentem, infixam limo, affixam membris, confixam curis, diſtentam negotiis,

c Ibidem num 8.

d Ser. 45. diver. num. 1. e Ibid. num. 2. f Ibid. num. 3. g Ser. 83. in Cant. num. 1.

tiis, contractam timoribus, afflictam doloribus, erroribus vagam, solicitudinibus anxiam, suspicionibus inquietam, & postremò advenam in terra inimicorum juxtà Prophetæ vocem, coinquinatam cum mortuis, deputatam cum his qui in inferno sunt: licet, inquam, sic damnatam, & sic desperatam, docuimus tamen hanc in sese posse advertere nonmodò unde respirare in spem veniæ, in spem misericordiæ queat: sed etiam unde audeat aspirare ad nuptias Verbi, cum Deo inire fædus societatis non trepidet, suave amoris jugum cum Rege ducere Angelorum non vereatur. Quid enim non tutè audeat apud enm, cujus se insignem cernit imagine, illustrem similitudine novit? Quid, inquam, vereatur de Majestate, cui de origine fiducia datur? Tantum est ut curet naturæ ingenuitatem vitæ honestate servare, imò cœleste decus quod sibi originaliter inest, dignis quibusdam studeat morum affectuumquè venustare & decorare coloribus. Ut quid enim (h) dormitet industria? Grande profectò in nobis donum naturæ ipsa est: quæ si minùs suas exequatur partes, nonne quod reliquum habet natura in nobis, totum quasi quadam vetustatis operietur rubigine? Id quidem injuria Auctori. Et utique ad hoc Auctore ipse Deus divinæ insigne generositatis perpetuò voluit in Anima conservari, ut semper hæc in sese ex Verbo habeat, quo admoneatur semper aut stare cum Verbo, aut redire si mota fuerit. Nonmodò quasi locis migrans, aut pedibus gradiens, sed mota (sicut substantiæ utique spirituali moveri est) cum suis affectibus, imò defectibus à se quodammodò in pejus vadit, cùm se sibi vitæ & morum pravitate dissimilem facit, reddit degenerem: quæ tamen dissimilitudo non naturæ abolitio, sed vitium est, bonum ipsum naturæ quantùm sui comparatione attollens, tantùm fædans conjunctione. Jam verò Animæ reditus, conversio ejus ad Verbum, reformandæ per ipsum, conformandæ ipsi. In quo? In charitate. Ait enim Apostolus: Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, & ambulate in delectione sicut & Christus dilexit vos.

§. III.

Respiremus itaquè, Fratres (i) etsi nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde Dei potest aliud latere de nobis. Triplici quidem vanitati (k) nobilis creatura subjecta est non volens, nimirùm quòd & ratio sepissimè in judiciis fallitur, & voluntas quadruplici perturbatione jactatur, & memoria multiplici oblivione confunditur: in spe tamen est. Nam qui replet in bonis desiderium animæ, ipse Rationi futurus est plenitudo lucis, ipse Voluntati multitudo pacis, ipse Memoriæ continvatio æternitatis. O veritas, charitas, æternitas! O beata & beatificans Trinitas, ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat, quoniam à te infeliciter exulat. Discedens à te quantis se intricavit erroribus, doloribus, timoribus. Heu me qualem pro te commutavimus trinitatem? *Cor meum conturbatum*, & inde dolor: *Dereliquit me virtus mea*, & inde pavor: *Et lumen oculorum meorum non est mecum*, & inde error. En quàm dissimilem Trinitatem ô animæ meæ trinitas exulans offendisti. Verumtamen quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: cùm error videlicet à Ratione, à voluntate dolor, atque à Memoria timor omnis recesserit, & successerit illa quam speramus mira serenatas, plena suavitas, æterna securitas. Primum illud faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa potestas Deus, ut sit Deus omnia in nobis: *Ratione* recipiente lucem inextinguibilem, Voluntate pacem imperturbabilem consequente, Memoria fonti indeficienti æternaliter inhærente. O Anima mea (l) si vis amari à Deo, reforma in te imaginem suam, & amabit te. Consilio namque Sanctæ Trinitatis, ad imaginem & similitudinem Suam creavit te Creator tuus, quod nulli alteri ex creaturis donavit, ut tantò eum ardentiùs diligeres, quantò mirabiliùs ab eo te conditam intelligeres. Considera ergo nobilitatem tuam, quoniam sicut Deus ubique est totus, omnia vivificans, omnia movens & gubernans: ita tu in corpore tuo ubique tota es, illud vivificans, movens & gubernans. Et sicut Deus est, vivit, & sapit: sic & tu secundùm modum tuum es, vivis, & sapis. Et sicut in Deo tres sunt personæ, Pater & Filius & Spiritus sanctus: sic & tu habes tres vires, scilicet intellectum, memoriam, & voluntatem. Et sicut ex Patre generatur Filius, & ex utroque procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria. Et sicut Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus Sanctus: non tamen tres dii, sed unus Deus, & tres personæ. Ita Anima est intellectus, anima voluntas, anima memoria: non tamen tres Animæ, sed una Anima, & tres vires. Ex quibus Animæ viribus quasi excellentioribus jubemus Deum diligere, ut diligamus eum toto corde, tota anima, tota mente: id est, toto intellectu, tota voluntate, & tota memoria: hoc est, toto affectu, sine defectu, cum discretionis intuitu. Nec solus sufficit de Deo intellectus ad beatitudinem, nisi sit in amore ejus voluntas. Imò hæc duo non sufficiunt, nisi memoria addatur, quà semper in mente intelligentis & volentis maneat Deus: ut sicut nullum potest esse momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate vel misericordia; ita nullum sit momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Porrò (m) intellige dignitatem tuam nobilis Creatura, quoniam non solùm insignita es Dei imagine, verumetiam decorata similitudine. Sicut enim Creator tuus, qui te ad similitudinem suam creavit, est charitas, bonus & justus, suavis & mitis, patiens & misericors: ita tu creata es, ut charitatẽ haberes, & esses munda & sancta, pulchra & decora, mitis & humilis. Quas virtutes quantò plùs in te habebis, tantò propinquior Deo eris, & majorem tui Creatoris geres similitudinem. Quid majus his tibi facere potuit, quàm ut ad similitudinem suam te conderet Factor tuus, & eisdem virtutum vestimentis te ornaret, quibus ipse ornatus est? Attende igitur diligenter primæ conditionis tuæ excellentiam, & venerandam Sanctæ Trinitatis imaginem in teipsa agnosce: honoremquè similitudinis Diviuæ ad quam creata es, habere stude nobilitate morum, exercitio virtutum, dignitate præmiorum: ut quando apparebit qualis sit, tunc similis ei apparere possis. Similis enim similem

h *Ibid.n.2.* i *Ser.5.in dedicat.Eccl.n.4.* k *Ser.11.in Cant.n.5.& 6*

l *Tractatu de interiori domo cap.38. tom.5. pag.444.* m *ibid.cap. 39. num. 86.*

lem quærit: et qualem te paraveris Deo, talis necesse est appareat tibi Deus. Si ergo naturalem pulchritudinem tuam in te reparaveris, concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Deus tuus.

CAPUT VIII.

De Scrutinio Dei facto in paradiso cum Adam & Eva, statim ac comederunt fructum de ligno vetito.

Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni paradisi. Vocavitquè Dominus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audivi in paradiso, & timui eò quòd nudus essem, & abscondi me. Cui dixit: Quis enim indicavit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? Dixitquè Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, & comedi. *Gen.* 3.

1. *Adam excusando se in peccato, & retorquendo illud in mulierem, magis auxit quàm delevit culpam.* 2. *ostenditur quanta in uno Adæ & Evæ peccato commissa sunt peccata.* 3. *Tres sunt inimici nostri, diabolus, mundus, & corpus: qui continuò impellunt nos in ruinam, sed non evertunt nisi consentientes.*

§. I.

Adam (a) dum se impudenter excusare conaretur, crudeliter Evam accusare non cunctatus est, dicens: Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Multis itaq. modis (b) fiunt excusationes in peccatis. Aut enim dicit qui se excusat, non feci: aut feci quidem, sed benè feci: aut si malè, non multum malè: aut si multum malè, non mala intentione. Si autem & de illa sicut Adam vel Eva convincitur, aliena suasione excusare se nititur. Nolo autem [c] ignorare vos, Fratres, quonammodo descendatur imò cadatur in illas. *Primus* enim gradus descensionis hujus, dissimulatio est propriæ infirmitatis, iniquitatis, inutilitatis: dum sibi parcens, sibi blandiens, sibi persuadens homo aliquid se esse cùm nihil sit, jam ipse se seducit. *Secundus* gradus est ignorantia sui. Ubi enim in primo gradu inutilia sibi consuerit perizomata foliorum, quid superest nisi vulnera tecta non videat, præsertim cùm ad hoc solùm texerit ne videret? Ex hoc tandem fit ut etiã alio revelãte, vulnera non esse cõtendat cõversus in verba malitiæ ad excusãdas excusationes in peccatis. Atq; is quidẽ gradus *tertius est* admodũ vicinus, imò contiguus præsũptioni. Quid enim mali jam actitare vereatur, qui præsumit & defensare? Frustra quoque comparant quidam [d] quaslibet inobedientias antiquæ illi quæ facta est in paradiso, quæ nimirùm valuit non solùm obligare personam, sed & vitiare naturam. Arbitror tamen & ipsam primam gravissimamquè prævaricationem, aut non aliunde, aut inde maximè judicatam gravissimam, hoc est, ex rebellione defensionis quæ secuta est, quando Deo causam requirente peccati, ut peccatores ad pœnitentiam provocaret, nolebat quippe mortem eorum, sed magis ut converterentur & viverent, ipsi malverunt declinare cor suum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Et quidem gemina malitia peccatoris. Primùm, quòd nec sui misertus est ut culpam propriam fateretur, & sanaretur. Deinde quòd & uxorem [e] ut se fallaciter excusaret, crudeliter accusavit. Quid dicebas ô Adam? Mulier, quam didisti mihi dedit mihi de ligno, & comedi. Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quàm deleas culpam. Sanè occasionem veniæ à te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit. Cantavit Adam [f] canticum excusationis in peccato, cùm dixit: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Ac si diceret: Tu potiùs accusandus esses, qui talem mihi junxisti mulierem, quæ me ad peccandum induceret. Hinc homines [g] se de infirmitate vel ignorantia tegunt, ad excusandas excusationes in peccatis. Sed frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui ut liberiùs peccent, libenter ignorant, vel infirmantur. Putas primo homini profuit, licet ipse non libenter peccavit, quòd se per uxorem tanquam per carnis infirmitatem defendit? Aut primi Martyris lapidatores, quoniam aures suas continuerunt, per ignorantiam excusabiles erunt? Qui igitur studio, amore peccandi à veritate se sentiunt alienatos, infirmitate & ignorantia pressos: studium in gemitum, amorem in mærorem & infirmitatem convertant, infirmitatem carnis fervore justitiæ vincant, ignorantiam liberalitate repellant: ne si nunc egentem, nudam & infirmam veritatem ignorant, cum potestate magna & virtute venientem, terrentem, arguentem, serò cum rubore cognoscant. Nec etiam [h] intentionem [fortè quia latet homines] excusare delectet, si sit rea: nec levigare culpam, quæ gravis est: nec alieno obumbrare suasu, cùm invitum nemo cogerit. Primum illud non confessio est sed defensio, non placat sed provocat. Sequens monstrat ingratitudinem: & quò minor reputatur culpa, eò minuitur & gloria indultoris. Sed enim minùs libenter beneficium datur, quod minùs gratè minusuè necessariè provenire sentitur. Veniam proinde sibi adiudicat, qui munus largitoris attenuat: quod quidem omnis, qui reatum suum verbis alleviare conatur, facit. Jam à postremo primi hominis dehortetur exemplum, nec culpam siquidem diffitentis, nec tamen consequentis veniam, non dubium quin ob reatus mulieris admixtionem. Genus excusationis est, cùm argueris tu, alium incusare. Porrò excusare te velle quando corriperis, quàm fit non modò minimè fructuosum sed & perniciosum, Sanctum David interroga. Verba nempè malitiæ excusationes in peccatis appellat, ne in ea declinet cor suum rogans & supplicans. Meritò quidem. In animam etenim suam peccat qui se excusat, repellens proinde à se indulgentiæ medicinam, & sic vitæ sibi proprio ore inter-

a *Ser. 2. sup. miss. n. 3.* b *tract. de grad. humil. cap. 17.* c *Ser. 22. sup. Psal 90. n. 6.* d *tract. de præcep. & dispensati cap. 11. n. 27.*
e *Ser. 2. super miss. n. 3.* f *tract. de vitemist. cap. 25. n. 95.* g *tract. de grad. humil cap. 6.* h *Ser. 16. in cant. n. 10.*

intercludit. Et quænam major malitia, quàm propriam armari in salutem, & linguæ tuæ temetipsum mucrone confodere? Denique qui sibi nequam, cui est bonus? Antiqua illa tam nota (i) & tam noxia prævaricatio, facilè, ut creditur, indulgentiam consequeretur, dummodò confessio & non defensio sequeretur. Neque enim tantùm, ut dictum est, nocuit simplicis actionis (quamvis ex deliberatione) transgressio: quantùm adjunctæ excusationis cum præmeditatione obstinatio. Proinde cavete [k] canticum excusationis in peccatis. Nemo æstimet se sine peccatis esse: nec cùm cognoverit illa, excuset se, sicut stulti solent adhuc hodie loquentes excusationem Adæ, & dicentes: Mulier, quam dedit mihi Deus, seduxit me. Quare talem mulierem dedit mihi Deus, quæ me seducat? Mulier ista seducens virum, est caro spiritum nostrum seducens ad consentiendum peccatis, pro qua stulti Deum quotidie accusant, seipsos in peccatis volventes, & dicentes se carnis illecebris non posse resistere, quam acceperunt à Deo. Grande valdè est peccatum illud, accusare Deum optimum, qui fecit omnia bona valdè propter te: & præcipuè ipsum hominem præ cæteris creaturis exornavit. Bonum sine dubio fecit te Deus bonus, qui fecit omnià bona valdè propter te. Neque enim bonus esset, si te malè fecisset, propter quem omnia fecit, quæ propter te bona facta valdè fecit omnia. Bonum ergo & valdè bonum fecit te Deus. Bonus tu ipse, te verè malum facis. Si deleveris in te quod tu ipse facis: invenies valdè bonum te esse inter creaturas quas ipse fecit.

§ II.

Denique (l) primos parentes non ursus aut leo, sed potiùs serpens, callidior utique non fortior cæteris animantibus supplantavit. Nec mulierem vir, sed mulier virum supplantavit. *Primum* itaque (m) peccatum commissum est per inobedientiam mulieris in paradiso. Ex hoc peccato facta est caro rebellis spiritui, ut quoniam spiritus ejus non fuit subjectus Creatori, nec caro sit subjecta spiritui. Nolvit (n) Anima regi à Deo, non queat regere corpus. Si non paret Superiori, inferiori cur imperet? Invenit Conditor suam sibi rebellem creaturam: inveniat Anima suam sibi rebellem pedissequam. Transgressor inventris est homo Divinæ legis: inveniat ipse aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivantem se in legem peccati. *Secundum* peccatum fuit, (o) quòd ipsa mulier virum quoque secum traxit in culpam. Debuit quidem illa peccatum suum deflere, nec addere peccatum peccato: sed in hoc se putavit habere consolationem, si virum faceret peccati sui participem. Quodammodò enim naturale est unumquemque velle, sive in vitiis, sive in virtutibus associare sibi consortem. Non mediocris (p) titulus profectò virtutis inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem, & morum lenitatem. *Tertium* peccatum (q) commissit Adam, qui consensit. Adam enim, sicut ait Apostolus, non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. Illa per ignorantiam, iste peccavit per infirmitatem. Peccavit autem nimis diligendo uxorem, non quia ejus voluntatem fecit, sed quia eam voluntati prætulit Divinæ. Unde & à Domino ei dictum est: Pro eo quòd obedisti voci uxoris tuæ plùs qnàm meæ, maledicta terra in opere tuo. Justum quippe erat, ut illius magis voluntatem faceret, cui plus debebat. Quis verò ambigat plus eum debere Conditori, quàm uxori? Siquidem uxori erat astrictus tantùm per amorem, Deo autem per timorem simul & amorem. Plus ergo debuerunt valere duo vincula ad tenendum eum erga Dei præceptum, quàm unum tantùm erga conjugis affectum. *Quartum* æquè peccatum commisit Adam, qui propriam culpam retorsit in uxorem, cùm ait: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Primò quidem crudelis in se, qui peccatum suum excusavit: secundò in uxorem, quam accusavit. Et utique satis sumpta est digna de peccato vindicta, quando eam accusavit, cujus amore peccavit. Contra hoc peccatum dictum est: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Adæ utique (r) crudelitatem hæc sententia tangit, qui videbatur uxoris amore peccasse. Ecce enim scimus, ô Adam, quia os de ossibus tuis, & caro de carne tua est, & ejus amore peccasti. Videamus nunc quantum diligas eam. Venit Dominus igneum tenens gladium in ultionem prævaricationis, oppone te discrimini propter illam, & dic: Domine, mulier infirmior est, mulier seducta est: mea est iniquitas, meum peccatum, in me solum vindicta procedat. Sed non loquitur sic: Mulier (inquit) quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. O perversitas! Pænam pro ea suscipere refugis, & culpam admittere non recusasti? Quomodo, proh dolor, omnia confudisti, perniciosè misericors, ubi severus esse debueras: & perniciosiùs crudelis, ubi misericordiam impendere oportebat? Nam delinquere propter illam nullo modo, satisfacere verò pro ea libenti animo debuisti. Sic enim oportet fieri, Fratres, ut nunquam propter alium homo peccet, quod est *justitia*: & libenter aliena peccata portet, quod est *misericordia*. *Quintum* peccatum (s) fecit Eva, quæ cùm increparetur à Domino cur hoc fecisset? respondit ei: Serpens decepit me, & comedi. Sic declinavit & ipsa in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, refundens culpam in serpentem, quasi immunis à crimine, cùm nil obfuisset suggestio serpentis, si illa negasset assensum propriæ voluntatis: & fortè præcessit in ea aliquis motus superbiæ, unde seduci meruit à serpente. Serpens, ô Eva (t) decepit te, decepit profectò, non impulit aut coëgit. Mulier tibi, ô Adam, de ligno dedit, sed offerendo utique, non violentiam inferendo. Neque enim potestate illius, sed tua factum est voluntate, ut ejus voci plùs obedieris quàm Divinæ. Cæterùm si ille sibi non præcavit ignarus, nos saltem tot exemplis præmoniti caveamus. imò verò quoniam periclitati sumus & nos miserabiliter in hac parte, de cætero jam remedium aliquod tantis providere malis sollicitè studeamus.

D §III.

i *Tract. de precep. & dispens cap.* 11. *n.* 27. k *Tract. de vit. myst. cap.* 36. *n.* 90. l *Ser.* 11. *int. diver. n.* 2. m *Ser.* 66. *div. n.* 1. n *Tract. de exhor. ad milit. templ. cap.* 11. *n.* 19 o *Ser.* 66. *inter. div. n.* 1. p *Ser.* 48. *in cant. n.* 2. q *Ser.* 66. *int. diver. n.* 66. 1 & *n.* 2

r *Ser.* 1. *de omn. sanct. n.* 12. s *Ser.* 66. *int. div. n.* 2. t *Ser.* 21. *inter div. n.* 2.

§. III.

Magnum quidem (v) discrimen est, adversùs diabolicæ fraudis astutias tam crebros imò continuos habere conflictus, quem nec videre quidem possumus, & quem nimis astutum fecerit tam natura subtilis, quàm longa exercitatio malitiæ ejus. Verumtamen in nobis est, si vinci nolumus, & nemo nostrûm in hoc certamine deijcitur invitus. Sub te est ô homo apertitus tuus, & tu dominaberis illi. Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in te est si volueris dare seu negare consensum. In tua facultate est, si volveris inimicum tuum facere servum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflammat inimicus desiderium cibi, vanitatis aut impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum: tu solummodò ne consenseris: & quoties restiteris, toties coronaberis; Verumtamen (x) negare non possumus, Fratres, molesta sunt hæc & periculosa, sed & in ipso certamine si viriliter resistimus, quædam pia tranquillitas de conscientia bona nascitur. Credo etiam, si cogitationes istas quàm citò in nobis advertimus, non patimur remorari, sed in spiritu vehementi animus adversùs illas excitatur: quoniam inimicus confusus abscedet à nobis, & non tam libenter illicò revertetur. Sed qui sumus nos, aut quæ fortitudo nostra, ut tam multis tentationibus resistere valeamus? Hoc erat certè quod quærebat Deus, hoc erat ad quod nos perducere satagebat: ut videntes defectum nostrum, & quòd non est nobis auxilium aliud, ad ejus misericordiam tota humilitate curramus. Nonne Dominus (y) cadentem illum suscipit, qui ab humilitate suscipitur? Impulsus eversus sum ut caderem (ait Propheta) sed nihil profecit qui impulit me, quoniam Dominus suscepit me. Quæris [z] quis ille impulsor? Non est unus. Impulsor *diabolus* est, impulsor *mundus*, impulsor *homo*. Quis iste homo sit, quæris? Quisque sui. Noli mirari, usque adeo homo impulsor sibi est, & suimet præcipitator, ut non sit quod ab altero impulsore formides, si ipse à te proprias contineas manus. Quis enim [inquit Petrus Apostolus] vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis? Manus tua est consensus tuus: si diabolo suggerente, vel sæculo suadente quod non oportet, assensum tuum tenueris, & non dederis membra arma iniquitati, nec permiseris regnare peccatum in tuo mortali corpore: bonum te æmulatorem probasti, cui malitia omninò nil nocuit, vide ne magis profuerit. Scriptum est enim: Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Confusi sunt qui quærebant animam tuam, tu verò cantabis: Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero. Boni planè æmulatoris insigne dedisti, si consilio Sapientis misereris animæ tuæ, si omni custodia servas cor tuum, si juxta Apostolum teipsum castum custodis. Cùm igitur (a) tres sint stanti imminentes strатores, horum *diabolus* livore malitiæ, *mundus* vento vanitatis, *homo* semetipsum pondere suæ corruptionis impellit. Impellit *diabolus*, sed non evertit, siquidem tuum illi negaveris assensum. Denique habes: Resistit diab olo, & fugiet à vobis. Iste est, qui stantes in paradiso impulit invidus & evertit, sed consentientes, non resistentes. Iste est, qui seipsum de cælo superbus nullo impellente præcipitavit: vt scias multò magis *hominem* suo ipsius casui imminere, quem propriæ substantiæ pondus gravat. Est & *mundus* impulsor, quia in maligno positus est: impellit omnes, sed solos evertit amicos suos, idest, consentaneos sibi.. Nolo esse amicus mundi, ne cadam. Nam qui vult esse hujus mundi amicus, inimicus Dei constituitur, quo utique nullus gravior casus. Ex quibus satis claret, quàm sit homo præcipuus impulsor sui, qui suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo cadere non potest. Cuinam horum præcipuè resistendum? Nempe huic, qui eò molestior quò interior solus deiicere sufficit, cùm sine ipso alii possint facere nihil. Ipsi itaque, (b) ut manifestum est, gestamus laqueum nostrum, ubique proprium circumferimus inimicum, carnem hanc loquor, de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis ipsa origine, sed multò ampliùs prava cõsuetudine vitiatã. Hinc est, quòd tam acriter caro adversùs spiritum concupiscit, quòd assiduè murmurat, & impatiens est disciplinæ, quòd illicita suggerit, quòd nec rationi obtemperat, nec inhibetur ullo timore. Grande quidem periculum est, & gravis lucta adversùs domesticum hostem, maximè cùm nos advenæ simus, & ille civis: ille suam inhabitet regionem nos exules simus & peregrini. Minimè tamen [c] in hac tam multiplici lucta deficiendum, aut desperatione cedendum est. Licet enim abundent tribulationes pro Christo, sed abundant & consolationes per ipsum. Denique audi consolationem. Peccatum in foribus est, nisi ipse aperias, non intrabit. Appetitus in corde prurit, sed sub te est, nisi spontè cesseris, nil nocebit. Audi consolationem. Consensum cohibe ne prævaleant hæc, & immaculatus eris, ut sine macula ingrediaris & ipse ad habitandum in tabernaculo, & requiescendum in monte sancto Domini tui. Si tui non fuerint dominati, tunc immaculatus eris, & emundaberis à delicto maximo. Maximum planè delictum, quod interiorem & exteriorem hominem occupat universum.

CAPVT IX.

De sententia pœnæ corporalis, quam Deus pronunciavit contra Adam & Evam prævaricatores.

Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus. Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios: & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi. Adæ verò dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cun-

v *Ser. 5. in Quadrages n. 3.* x *ibid. n. 4.* y *Ser. 2. sup. Psal. 90. n. 2.* z *Ser. 85. in cant. n. 3.* a *ibidem n. 4.*

b *Ser. 5. in Quadrages n. 1. & 2.* c *Ser. 28. int. divers. n. 5.*

cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vesceris pane. *Gen.* 3.

1. *Sententia pronunciata à Deo contra prævaricatores sui præcepti, continet varias pœnas maledictionum; quarum triplici maledictioni subjacet serpens, Eva duplici, Adam uni.* 2. *De labore & dolore, aliisquè miseriis primorum parentum, ac totius generis humani.* 3. *De multiplici calamitate, quam incurrit & patitur genus humanum, propter peccatum originale primorum parentum Eua & Adam.*

§. I.

ADam (a) licet quondam uxorem, uxor serpentem ad excusandas excusationes in peccatis prætendebant: uterque tamen suæ culpæ dignam excepit sententiam. Et nota (b) quòd in primo illo parentum nostrorum peccato tres quidem auctores extiterunt, sed manifestè defuerunt tria tribus. Dico enim Evam, diabolum, & Adam. Non habuit Eva *scientiam*, quæ (ut ait Apostolus) seducta est in prævaricationem. Verùm hæc quidem scientia serpenti non defuit, qui callidior describitur cæteris animantibus, sed *pietatem* malignus non habuit, qui ab initio factus est homicida. Adam verò pius fortè videtur mulierem non contristando, sed *timorem* Domini derelinquit, voci illius magis obediens quàm Divinæ. Et quia (c) conspiraverunt & convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus, serpentis astutia, mulieris blanditia, viri mollities. Proinde (d) *serpens* tribus maledictionibus subjacuit, *Eva* duabus, *Adam* uni. *Serpenti* enim dictum est à Domino: Supra pectus tuum gradieris, terrram comedes, & mulier conculcabit caput tuum. *Evæ* autem dixit Deus: In dolore paries, & sub potestate viri eris. *Adæ* verò ait: In sudore vultus tui comedes panem tuum. Maledictiones Evæ, & per ipsam omnium mulierum nuptarũ duæ sunt in præsenti expressæ, scilicet quòd in dolore pariunt filios, & sub potestate virorum sunt. Quis & quantus sit dolor parientium mulierum, nullus hominum novit, nisi quæ expertæ sunt. Terra quoque maledicitur (e) cùm damnatur hominum successio: & omnis Creatura, juxta Apostolum, parturit & ingemiscit. Inde (h) Anima dissimilis Deo, inde dissimilis est & sibi: inde comparata jumentis insipientibus, & similis facta est illis: inde quòd legitur commutasse gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fænum: inde juxta Salamonem unus exitus homini & jumento. Quidni similiter exeat, qui similiter vixit? More bestiali incubuit terrenis, morte bestiali excedet terris. Audi aliud. Quid mirum si similem sortimur exitum, qui & similem habemus introitum? Unde enim hominibus, nisi de similitudine bestiali ille tam intemperans ardor in coitu, tam immoderatus dolor in partu? Ita homo in conceptu & ortu, in vita & morte comperatus est jumẽtis insipientibus, & similis factus est illis. Quid quòd libera Creatura sibi subditum appetitum non regit ut domina, sed sequitur & & obsequitur ut ancilla? Nonne & in hoc se assimilat & annumerat cæteris animantibus quę natura non in libertatem vocavit, sed condidit in servitutem servire suo ventri, appetitui obedire? Nonne tali meritò confunditur perhiberi vel existimari similis Deus? Ideoque ait: Existimasti inique quòd ero tui similis? Et infert: Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Originale peccatum [i] maximum delictum vocatur, quod sic totum nonmodò genus humanum, sed & quemlibet ipsius generis occupat, ut non sit qui evadat, non sit usque ad unum. A primo homine usque ad novissimum protenditur: & in singulis quoque à planta pedis usque ad verticem diffunditur hoc venenum. Sed & aliter nihilominus in universam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die quâ sua quemque concipit, usque ad eam, quâ communis eum recipit mater. Alioquin vnde grave jugum super omnes & totos filios Adam, idque à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium? In sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur. Ante exitum miseras oneramus matres, in exitu more viperio laceramus: mirum quòd non ipsi pariter laceramur. Primam vocem plorationis edimus, meritò quidem, utpote vallem plorationis ingressi, ut nobis illud Sancti Job ex omni parte possit aptari: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*. Quàm verum verbum hoc sit, non vos verba docuêre, sed verbera. *Homo* (inquit) *natus de muliere*, nihil abjectius. Et ne fortè ex ipsa sibi voluptate corporeorum sensuum, quam de sensibilibus hauriat, blandiatur; in ipso statim introitu de exitu quoque terribiliter admonetur, cùm dicitur: *Brevi vivens tempore*. Ac ne spatiolum illud, quod inter ingressum & egressum relinquitur, sibi liberum putet, *Repletur*, ait, *multis miseriis*. Multis & multiplicibus, inquam, miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis cùm dormit, miseriis cùm vigilat, miseriis quaquaversùm se vertat. Heu mater mea [k] cur me genuisti filium doloris & amaritudinis, indignationis & plorationis? Maledictio, Fratres [l] gravis est macula, & scimus quoniam non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod de ore egreditur. Vbi ergo [m] macula propria, propria quoque purgatio jure requiritur: etsi contaminatio multiplex, opus est etiam tribulatione multiplici. Unde enim tribulatio, nisi dum resistitur contaminationi, concupiscentiæ repugnatur. Quid verò in homine purum ab hac macula, immune ab hoc contagio poterit inveniri? Ab intus manat, de corde exit pestiferum virus, ac deinceps corpus occupat universum, mentem desideriis afficit, membra illecebris inficit. Inde pruritus aurium, oculorum petulantia, inde olfaciendi voluptas, inde in faucibus tam inordinata delectatio, inde in universo corpore mollitiei sensus, & libido perniciosa tangendi: inde intus in Anima ebritas illa desideriorum, & fornax quædam ambitionis, avaririæ, invidiæ, contumaciæ, nequitiæ, & omnium denique vitiorum affectibus vehementer accensa. Quot enim corpus illecebras, quot oblectamenta

a *Epist.2.num.2.* b *Serm.2.in Annunciat. B.M.n.3.* c *Serm.72. in Cant.n.8.* d *Tract.de vite myst.cap.30.n.117.& 118.* e *Serm.2. in Nat.Dom.n.2.tom.6.pag.614.* h *Ser.82. in Cant.n.5.*

i *Serm.in fer.4.hæbdom.S.unct.n.6.* k *Serm.3.super Sal.Reg.nu.16.* l *Serm.2?.inter diversf.n.2.* m *ibid.n.4.& 5.*

menta mundus habere videtur: tot patitur tribulationes, tot sustinet tentationes vir justus. Et quemadmodùm ambulans quis in carne, sensuum voluptate delectatur, & delitias computat esse sub sentibus: sic & omnis qui in spiritu seminare desiderat, spinas & tribulos, quos propria terra ex maledicto utique germinat, potiùs eradicare quàm propagare contendit; quippè qui convertitur in ærumna sua, quoties configitur spinâ. Huic ergo tam multifariæ pesti per singula quæque resistere, quàm multiplex tribulatio? A planta pedis usq; ad verticem non est sanitas in me, totum infecit concupiscentia, lex peccati in membris omnibus invenitur: undique per fenestras mors intrare contendit, & intus fomes totius nequitiæ periculosiùs sævit, crudeliùs malignatur. Omnis ætas [n] ab adolescentia sua prona est ad malum, & unus quisque voluntatem pravi cordis sui sectatur. Ab illa enim primæ prævaricationis angustia innatus est homini amor propriæ voluntatis, quæ voluntatem sui Creatoris relinquens, ibi subdita est servituti, ubi voluit dominari. Corrupti sunt [o] & abominabiles facti sunt in studiis suis. Habet Anima corruptionem suam, habet & corpus suam. Corruptio Animæ tripartita est, quadripartita corporis. Corpus siquidē constat ex quatuor elementis; Anima verò in triplici vi subsistit. Est enim rationalis, concupiscibilis, irascibilis. *Rationale*, cujus sanitas est cognitio veritatis, corrumpit superbia. Corrupta autem fallitur duobus modis, in cognitione sui, & cognitione Dei. *Concupiscentiam* corrumpit vanagloria, *iram* invidia. Corruptio corporis dicitur abominatio, & fit quatuor modis secundùm quatuor elementa, ex quibus constat. Quatuor enim sunt quæ corpus corrumpunt, curiositas, loquacitas, crudelitas, voluptas. Sunt autem quatuor partes corporis, in quibus singulis maximè vigent singula elementa. Nam in oculis est *Ignis*: in lingua quæ vocem format, *Aër*: in manibus quarum propriè tactus est, *Terra*; in membris genitalibus *Aqua*. Has quatuor partes corrumpit illa quadripartita pestis, oculos scilicet curiositas, linguam loquacitas, manus crudelitas, genitalia voluptas. Sic fiunt homines corrupti & abominabiles: corrupti in Anima, abominabiles in corpore: corrupti coram Deo, abominabiles coram hominibus.

§. II.

Porrò [p] cadente homine, quem constituerat Dominus dominum domus suæ, & principem possessionis suæ, tota simul hæreditas corrupta est. Inde distemperatus aër, terra in operibus Adæ maledicta, & omnia subdita vanitati. Inde obscurantur [q] stellarii ignes (Solem loquor & Lunam & Stellas) multâ sui luminis claritate mulctantur. Terra maledicitur, cùm damnatur hominum successio: & omnis creatura, juxta Apostolum, parturit & ingemiscit. Duo enim nobis (r) in hæditatem reliquerat ille vetustus Adam, qui fugit à facie Dei, laborem videlicet & dolorem: laborem in actione, dolorem in passione. Non hoc ipse audierat in paradiso, quem acceperat ut operaretur, & custodiret illum: operaretur delectabiliter, custodiret fideliter & sibi & posteris suis. Sed (s) circumscriptus astutiâ serpentis, & deceptus fuco vanitatis, specie videlicet creaturæ visibilis, fontem Veritatis deservit, affectum pulchritudini rerum inclinavit. Adam quippe (t) in paradiso positus, perdidit circumspectionem Dei. Mirum (u) quòd nobilis creatura in regione similitudinis creata, quia ad imaginem & similitudinem Dei facta, cùm in honore esset non intellexit, & de similitudine ad dissimilitudinem descendit. Magna prorsùs dissimitudo, de paradiso ad infernum, de Angelo ad jumentum, de Deo ad diabolum. Execranda conversio, gloriam in miseriam, vitam in pugnam perpetua captivitate convertere. Maledicta descensio, de divitiis ad paupertatem, de libertate ad servitutem, de requie ad laborem descendere. Miseri nos, & miserabiliter nati: quibus datum est nasci in mærore, vivere in labore, & in dolore mori: de peccatore peccatores, de debitore debitores, de corrupto corrupti, de subacto subacti, geniti & generantes: sumus gens peccatrix, populus gravis iniquitate, semen pessimum, filii scelerati, addentes prævaricationem. Ecce quasi non simus sic sumus coram Deo, quasi nihilum & inane reputati, putantes nos aliquid esse cùm nihil sumus. Vulnerati sumus ingredientes mundum, conversando in mundo, exeundo de mundo: à planta pedis usq; ad verticem non est sanitas in nobis. Noverat hæc ille sublimis Propheta, qui statū humanæ miseriæ deplorans, in hæc verba prorupit: Grave jugū super filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum usq; in diem sepulturæ, in matrem omnium. Grave, inquam, jugum (x) super filios Adam: non autem à principio super Adam, sed nunc jam super filios ejus. Quid non grave miseris, quibus & vivere labor est? Quibus & ipse quoque sensualitatis usus invenitur oneri, adeo ut nequeat sustineri, nisi alterna requie foveamur? Cæterum (y) quomodo natus sibi videtur homo, si labores fugitat & dolores? Aut quomodò scit se esse hominem, qui ad id paratus non est ad quod natus? Homo (inquit Job) natus ad laborem. Nam ad laborem natum se dubitet, qui non natus est in dolore. Sed dolorem parturientis clamor: laborem, prolis fletus indicat & vagitus. Quoniam tu laborem & dolorem consideras, ait Propheta David. Labor in actionibus, dolor in passionibus est. Proinde qui se noverat hominem, ad utrumque paratus supplici confessione dicebat: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Et geminam hanc præparationem evidentiùs exprimens, *de actione* quidem: Paratus sum (ait) & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. *De passione* verò: Ego, inquit, in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Nemo sanè [z] in hac misera vita geminam hanc vexationē se evadere glorietur. Nemo quippè ex omnibus filijs Adæ sine labore hìc vivit, nemo sine dolore. Est qui declinat aliquos, sed incidit proculdubio in graviores. In labore (inquit David) hominū non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Non tamen continuò sine labore sunt, aut minimè flagellantur. Denique propterea (inquit) tenuit eos superbia. Gravis equidem labor. Operti sunt iniquitate & impietate sua

n *Serm.41.divers.n.4.* o *Ser.74.divers.* p *Ser.2.in vig.Nat.Dom, n.4.* q *Ser.2.in Nat.Dom.n.2.tom.6. pag.614.* r *Ser.in fer.4. hebd. Sanc.n.11.*

s *Ser.1.super Sal.Reg.n.9.* t *Ser.102. inter diver. n.1.* u *Serm.42. inter diver.n.2.* x *Serm.2.in Septuag.n.2.* y *Serm.2.diver.num.1.* z *Ibidem num.2.*

sua: gravibus planè flagellis. Siquidem non est gaudere impiis, dicit Dominus. Quòd enim nec laboris anxietatem, nec flagelli sentiunt læsionem, ipsa jam insensibilitas vehementiam indicat passionis. Sudat pauper in opere foris, sed numquid minùs anxiè dives incùs in ipsa sua cogitatione laborat? Aperit iste os suum in oscitatione, aperit ille in eructatione: & interdum ille graviùs fastidio, quàm iste inediâ cruciatur. Postremò velint nolint, non modò homines, sed etiam dæmones & faciunt & patiuntur quod providentia summa disposuit. Misera tamen [a] & extremæ plena dementiæ commutatio, humanum declinare laborem, & paratum diabolo stridorem eligere sempiternum. Animadvertite siquidem & videte, non hominibus, sed diabolo & Angelis ejus ignem illum esse paratum. Ille enim hostis & lupus, nos autem populus ejus, & oues pascuæ ejus. Illi securis & malleus, nobis flagellum & virga debetur. Illius iniquitas inventa ad odium, suum habeat carcerem, ubi nulla redemptio, unde nemini liceat respirare. Mihi sanè & labore tolerabilior carcer, & tempore breuior assignatur: ubicùm iratus fuerit Dominus misericordiæ recordetur, redemptionem suo mittens populo copiosam. Minimè igitur expedit ut in sapientia hujus seculi, Auctoris sæculi non uereamur frustrari iudicium, & deludere uelle sententiam, declinando videlicet laborem hominum & sudorem, ac si nullo modo nos contingere uideatur quod Adæ dictum est: aut non in eo sententiam laboris exceperimus, in quo sine exceptione paccauimus omnes: aut non communis culpœ nihilominus esse debeat pæna communis: Neque (b) etiam ad hoc nos de paradiso voluptatis animadversio diuina ejecisse videtur, ut alterum sibi hîc paradisum adinuentio humana pareret. Homo ad laborem natus, si laborem refugit, non facit ad quod natus est, ad quod venit in mundum. Labor iste, Fratres (c) exilij & paupertatis nostræ nos admonet, profectò & iniquitatis. Ut quid enim morte afficimur tota die, in ieiunjis multis, in vigiliis abundantiùs, in laboribus & ærumnis? Numquid ad hæc creati sumus? Absit, nam licet homo natus sit ad laborem, sed minimè ad laborem creatus est, nativitas est in culpa, ideo & pæna. Omnes enim oportet nos gemere cum Propheta: In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Aliena ab utrisque prima creatio, quia sicut nec culpam, ita nec pœnam Deus fecit. Quod de ea quæ major est omnium morte videlicet apertè Scriptura testatur: Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum. Et in alio loco: Deus mortem non fecit. Itaque sicut laborantibus nec oculus propterea clauditur, nec auris abstinet ab auditu: sic imò & multò meliùs laborante corpore, mens quoque ipsa suo intenta sit operi, ut vacet. Causam laboris cogitet in labore, ut non ipsa ei pœna quam patitur, culpam pro qua patitur repræsentet. Et dum videt vulnerum ligaturam, ipsa sub pannis vulnera meditetur. Hujusmodi siquidem cogitatione humiliamur sub potenti manu Dei, & dulci quadam pietate mens plena, miserabilem se exhibet in oculis ejus. Hinc quippe Scriptura nos admonet: Miserere, inquit, animæ tuæ placens Deo! Nec dubium quin ea quæ Deo placet miseria, facilè possit ejus misericordiam obtinere. Et ne dixerimus, vnde miserandum sit animabus nostris? Nisi enim insipienter dissimulaverimus, multa in ejus miseratione digna poterunt inveniri. Si ipsam animam (d) prout in se est, & ex se, juxta veritatem intueor, nihil de ea verius sentire possum, quàm ad nihilum esse redactam. Quid modò necesse est singulas ejus miserias numerare, quàm sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremò totius confusionis & ignominiæ impleta?

§. III.

Spinas & tribulos geminabit tibi, ait Scriptura. Revera (e) Eva spina fuit, quæ & virum suum ad mortem pupugit, & posteritati suæ peccati aculeum infixit. De manu quippe ipsius (f) duplicis mali semen terra nostra suscepit & concepit, & peperit nobis spinas & tribulos, iniquitatis in anima, calamitatis in corpore, ac per hoc mortem utrobique. Vides hanc tunicam pelliceam, quæ nos circumdedit? Tunica Evæ parentis nostræ hæc est, quam ad nos olim misera illa transmisit, & superstivit carnem filiorum suorum, sicut diploide, confusione sua. O infelix hæreditas! ô dira humanæ carnis infirmitas! Usquequò patiemur te? Multùm dorsa nostra incurvasti: quia gravis es valdè, & diu te sustinuimus. Multùm minuisti nos ab Angelis, equo & jumentis insipientibus coæquasti. Homo enim (g) cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Non est indignum, imò festiuum recolere quanta sublimitate homo conditus fuerit. Sed operæ precium est consequenter attendere quàm graviter corruit, minùs pensando quòd ex se, vel quòd esset ex Deo. Primus namque parens noster Paradisi accola constitutus est, dominus terræ stabilitus est, civis supernæ Jerusalem designatus est, domesticus Dei factus est: cujus amore & agnitione ditatus est, consors Angelorum, frater & cohæres cœlestium virtutum, nihil prorsùs indigentiæ, nihil sentiens molestiæ: cui erant in promptu quæ postulabat, non dico necessitas, sed etiam pia voluntas, cùm nihil esset in anima quod offenderet, nihil in carne quod puderet. Hic honor & hæc erat dignitas hominis, prosperari & florere in præmissis. Et hæc ex Deo. Sed positus in honore (h) quid ex se foret non intellexit, limus videlicet, pulvis, folium aridum, stipula sicca, lutea & fragilis testa, pellis morticina: intumuit, & planè desipuit, honoris fastigio delectatus. Et continuò in se expertus est illud, quod tanto post tempore homo de filiis captivitatis & prudenter advertit, & veraciter protulit dicens: Qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Væ misero, quòd non fuit, qui jam tunc diceret ei: Quid superbis terra & cinis? Repertina igitur conversione seipsum invenit homo, & propter infirmitatem jacentem in sta-

a *Tract. de vit., & mor. cleric. cap. 9. num. 27. & 28.* b *Ibidem cap. 10. num. 29.* c *Ser. 39. diver. n. 1.*

d *Ser. 5. in dedicat. Eccl. n. 3.* e *Ser. de B. M. Deip. num. 10. tom. 6. pag. 765.* f *Ser. 3. de Virg. Deip. n. 6.* g *Ser. de excell. Sanct. Sacram. num. 1. tom. 6. pag. 732.* h *Ibidem num. 2.*

stabulo: stabulum utique mundus est. Et propter pecorinam similitudinem indigens erat fæno. Porrò (i) attende pessimum germen ejus, cui maledictum est terræ nostræ: Cùm (inquit Dominus) colueris eam, spinas & tribulos germinabit tibi. Donec ergo in carne est anima, inter spinas profectò versatur, & necesse est ut patiatur inquietudines tentationum, tribulationumquè aculeos. Conversus sum (ait David) in ærumna mea, dum configitur spina. Benè confixus, qui conversus exinde est. Benè pungeris si compungeris: multi enim cùm sentiunt penam, corrigunt culpam. Et talis dicere potest: Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Spina culpa est, spina pœna est. Spina (k) peccatorum recordatio est. Siquidem [l] ad se humiliandum nihil anima invenire vivacius seu accomodatius potest, quàm si se in veritate invenerit, tantùm non dissimulet, non sit in spiritu ejus dolus, statuat se ante faciem suam, nec se à se avertere abducatur. Nonne se ita intuens clara luce veritatis inveniet se in regione dissimilitudinis? Et suspirans misera quam jam latere non poterit, quòd verè misera sit, nonne cum Propheta clamabit ad Dominum: In veritate tua humiliasti me? Nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione sui, cùm se perceperit oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desiderariorum fæce infectam, cæcam, curvam, infirmam, implicatam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes? Unde huic jam extollentia oculorum, unde levare caput? Nonne magis convertetur in ærumna sua, dum configitur spina? Convertetur inquam ad lachrymas, convertetur ad planctus & gemitus, convertetur ad Dominum, & in humilitate clamabit: Sana animam meam, quia peccavi tibi. Porrò conversa ad Dominum recipiet consolationem, quia Pater est misericordiarum, & Deus totius consolationis. Fratres mei [m] si non accepimus spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Ego enim dico quoniam omnia. Sed adhuc multa, inquies, [n] graviter inquietant, multa evidentiùs adversantur. Et miror quomodo omnia data memores, quibus ferè nulla famulantur ad votum. Servire nobis videntur aliqua, sed cum labore nostro, nec nisi priùs servierimus eis. Jumenta ipsa nisi fuerint à nobis nutrita, nisi domita, nisi fuerint pabulo sustentata, non adjuvant. Terra ipsa quæ debuerat nobis esse germanior, non sine sudore vultus nostri panem nobis ministrat, imò & cùm coluerimus eam, spinas & tribulos germinat nobis. Et cætera omnia denique si diligenter consideremus, servitium à nobis magis exigunt, quàm exhibent nobis: ut ea interim sileam quæ sunt parata nocere, ut est ignis ad exurendum, aqua ad submergendum, feræ ad lacerandum. Et hæc quidem ita se habent, sed tamen non mentitur Apostolus, manifestiùs asseverans scire se, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Verumtamen solerter attende, quòd non ad libitum famulari, sed cooperari dicit ab bonum. Neque enim ad voluntatem serviunt, sed ad utilitatem: non ad voluptatem, sed ad salutem: non ad votum, sed ad commodum nostrum. Usque adeo siquidèm in hunc modum omnia nobis cooperantur in bonum, ut in ter hæc omnia etiam ea quæ nihil sunt, numerentur, molestia scilicet carnis, morbus, & ipsa mors, etiam & peccatum: quæ quidem constat naturas non esse, sed naturæ corruptiones. Anima siquidem (o) corrupta in culpam, fecit ut corpus quoque corrumperetur in pœnam. Peccatum denique est morbus enimæ, & corruptio mentis.

CAPUT X.

De sententia mortis, quâ Dominus Deus declarat morituros esse primos parentes nostros, quos & de paradiso expulit.

Et dixit Dominus Deus Adæ: In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est. Ejecitquè Adam: & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ, *Gen.* 3.

1. *Ostenditur primum hominem Adam per inobedientiam causavisse & sibi & toti generi humano mortem.* 2. *Quæritur utrum Adam antequam peccasset habuerit tres libertates, à necessitate, à à peccato, à miseria.* 3. *Ostenditur qualiter in his tribus libertatibus contineatur imago & similitudo Dei, ad quam creatus fuit Adam.* 4. *Agitur de expulsione Adæ ex paradiso, pariter & de miseria ejus, quæ consistit in amissione contemplationis Divinæ, & in appetentia rerum terrenarum.*

§. I.

INobedientia [a] est causa mortis, omnes experimur, omnes morimur propter eam. Originale peccatum [b] maximum illud delictum vocatur, quod à primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur universi. Omnes, inquam, in Adam peccavimus, & in eo sententiam damnationis accepimus universi. Peccatum siquidem præcessit [c] ut sequeretur mors: quod sanè si cavisset homo, mortem non gustasset in æternum. Sed unde [d] loquemur? Qui de terra est, de terra loquitur, ait vox illa clamantis. De terra ergo loquamur, qui de terræ subsistimus, & in terra. Audite quique terrigenæ & filii hominum, vobis dicimus, & de vobis. In terra orimur, in terra morimur, revertentes in tes in eam, unde sumus assumpti. Hîc nobis angu-

stus

i *Ser.* 18. *in Cant. num.* 1. k *Ser.* 5. *in Assumpt. B. M. n.* 8. l *Ser.* 36. *in Cant. n.* 5. m *Ser.* 1. *int. diu. n.* 5. n *Ibidem num.* 6.

o *Ser.* 6. *de adven. Domini n.* 1. a *Ser.* 2. *int. diu n.* 5. b *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. n.* 6. *& ser.* 1. *de Avent. Dom. n.* 4. c *Tract. de exhort. ad milit. templ. cap.* 11. *n.* 18. d *Ser. de de S. Martino n.* 2.

ſtus introitus, mora brevis, ſola mors certa. Cogitur totus Adam judicium portare quod meruit. Dilatatus eſt vehementer, multiplicatus eſt, & replevit terram. Nimis invalvit [e] humanæ carnis infirmitas, quæ non niſi morte Filij Dei ſanari potuit. Nimis ſuper nos ſe extulit, quando & uſque ad eum qui ſupra omnia eſt, incautè aſcendit, Attamen [f] velit nolit, quantumcunque recalcitret, univerſus adhuc Adam fert ſententiam quam excepit. Terra (inquit Dominus Deus) es, & in terram ibis. Gravis equidem ſententia, ſed non ſine grandis miſericordiæ temperamento. Dura admodùm, ſed ſi merita penſes, indulgentiæ plena. Siquidem non minùs juſtè peccanti diceretur terra es, ſed ex hoc ſub terram ibis. Juſtus foret etiam tunc juſtus Dominus, & laudabilis nimis. Dignus planè qui laudaretur, ſed non ego idoneus qui laudarem. Alioquin tunc quoque nihilominùs verè dicerem, ſi tamen dicere poſſem: Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum. At non infernus confitebitur tibi, neq; mors laudabit te, ſed nos qui vivimus, benedicimus Domino. Pepercisti ergo Creaturæ tuæ, pepercisti gloriæ Nominis tui, ut deſcendentem de Jeruſalem, minimè tamen uſque in Jerico patereris abduci. Semivivus adhuc relictus in via ſemilaudare poſſum: ubi totus vixero, ibi totus erumpam in laudem, & dicent omnia oſſa mea: Domine, quis ſimilis tibi? Propter hoc nempe cùm iratus fuiſſes, miſericordiæ meminiſti, non damnans hominem in loco perditionis, ſed in loco afflictionis humilians. Utinam & in me [g] omnem extollentiam comprimat imò deiiciat, & ad nihilum redigat non accenſus furor, ſed infuſus amor. Utinam diſcam non ſuperbire, ſed unctione potiùs quàm ultione magiſtra. Domine, ne in furore tuo arguas me, ſicut Angelum extollentem ſe in Cælo: neque in ira corripias me, ſicut hominem in Paradiſo. Ambo iniquitatem mediati ſunt, altitudinem affectantes, ille potentiæ, iſtæ ſcientiæ. Denique credidit inſipiens mulier pollicenti, ſed ſeducenti: Eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum. Jam ſeſe ante ſeduxerat, cui perſuaſerat ſimilem fore Altiſſimo. Nam qui ſe putat aliquid eſſe, ipſe ſe ſeducit. Verùm [h] vtraque altitudo dejecta eſt, ſed in homine mitiùs, judicante illo qui omnia facit in pondere & menſura. Nam Angelo in furore punito imò damnato, homo iram tantùm ſenſit, & non furorem. Nempè cùm iratus fuit, miſericordiæ recordatus eſt. Propter hoc ſemen ejus filii iræ, & non furoris uſque in hodiernum diem. Si non naſcerer filius iræ, non opus eſſet renaſci. Propter hoc enim [i] Deus creavit homines ab initio, qui ſupplerent locum illum, & ruinas Jeruſalem reſtaurarent. Sciebat enim nullam Angelis deſertoribus patere redeundi viam. Nempe novit ſuperbiam Moab, quòd ſuperbus eſt valde: & ſuperbia ejus pænitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ. Denique [k] tempus mihi conſtituit. Mihi dicit, *donec*: illi parat æternum. In ſudore, inquit, vultus tui comedes panem tuum, donec in terram de qua ſumptus es, revertaris. Peſſimus ille Angelus de terra ſumptus non eſt, nec in terram aliquando rediturus. Propterea non habet, *donec*, ſed ignis ei paratur æternus. Peccando itaque [l] homo vitam amiſit, & mortem invenit: quoniam quidem Deus ita prædixerat, & juſtum profectò erat ut ſi peccaret homo, moreretur. Quid namque juſtius poterat eſſe, quàm recipere talionem? Vita ſiquidem Deus animæ eſt, ipſa corporis. Peccando voluntariè volens perdidit vivere, volens perdat & vivificare. Spontè repulit vitam cùm vivere noluit, non valeat eam dare cui vel quatenùs voluerit. Porrò peccatum (ut ſcriptum eſt) ſeparet inter nos & Deum: ſeparet proinde etiam mors inter corpus noſtrum & nos. Non potuit dividi à Deo anima niſi peccando, nec corpus ab ipſa niſi moriendo. Quid itaque auſterius pertulit in ultione, id totum paſſa eſt à ſubdito, quod præſumpſerat in Auctorem? Nil profectò congruentius, quàm ut mors operata ſit mortem, ſpiritualis corporalem, culpabilis pænalem, voluntaria neceſſariam.

§ II.

Nunc locus eſt quærendi [m] utrum totas tres libertates, ſcilicet Arbitrii, Conſilii, Complaciti: vel aliis nominibus, à neceſſitate, à peccato, à miſeria primi homines Adam & Eva habuerint in paradiſo, aut tantùm duas, aut unam ſolummodò? Et de prima quidem quæſtio nulla eſt. De duabus reliquis quæritur non immeritò, an unquam eas Adam habuerit, aut ambas, vel unam? Nam ſi nullam habuit, quid amiſit? Arbitrii utique libertatem tam poſt peccatum, quàm ante peccatum ſemper tenuit inconcuſſam. Si ergo nil amiſit, quid ei obfuit ejectum fuiſſe de paradiſo? Quod ſi unam quamlibet illarum habuit, quomodo amiſit? Nam certum eſt, quia ex quo peccavit, nec à peccato prorsùs, nec à miſeria manens in corpore liber fuit? Cæterùm nullatenùs quamcunque illarum ſemel acceperit amittere potuit. Alioquin perfectum nec ſapere, nec poſſe, juxta quod quidem duo hæc ſuperiùs definita ſunt, habuiſſe convincitur. Qui nimirùm & velle potuit quod non debuit, & recipere quod noluit: an dicendus eſt aliquo quidem modo illas habuiſſe, ſed quia non plenariè potuiſſe amittere? Habet ſiquidem unaquæque illarum duos gradus, ſuperiorem & inferiorem. *Superior* libertas *Conſilii* eſt, non poſſe peccare: *inferior*, poſſe non peccare. Item ſuperior libertas *Complaciti* eſt, non poſſe turbari: inferior, poſſe non turbari. Itaque inferiorem utriuſque libertatis gradum ſimul cum plena libertate Arbitrii homo in ſui conditione accepit, & de utroque corruit cùm peccavit. Corruit autem de poſſe non peccare, in non poſſe non peccare: amiſsâ ex toto Conſilii libertate. Itemquè de poſſe non turbari, in non poſſe non turbari: amiſsâ ex toto Complaciti libertate. Sola remanſit ad pænam libertas Arbitrii, per quam utique cæteras amiſit: ipſam tamen amittere non potuit. Per propriam quippè voluntatem ſervus peccati factus, meritò perdidit libertatem Conſilii. Porrò per peccatum factus debitor mortis, quomodo jam libertatem valebat retinere Complaciti? De tribus ergo libertatibus quas acceperat [n] abutendo illa libertate quæ dicitur Arbi-

e *Ser.3.de Virg.Deip.n.6.* f *Ser.de S.Mart.n.2.* g *Ser.69.in Cant.n.3.* h *Ibidem num.4.* i *Serm.1. de Advent.Domini num.5.* k *Tract. de vit.Cler.cap.9.n.28.*

l *Tract de exhort.ad milit.templi.cap.11.n.19* m *Tract.de grat.& lib.arb.cap.7.n.21.* n *ibidem n.12.& 23.*

Arbitrii, reliquis se se privavit. In eo autem abusus est, quòd illam cùm accepisset ad gloriam, convertit sibi in contumeliam, juxta testimonium Scripturæ dicentis: Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Soli inter animantia datum est homini posse peccare, ob prærogativam liberi Arbitrii. Datum autem non ut proinde peccaret, sed ut gloriosior inde appareret, si non peccaret cùm peccare posset. Quid namque gloriosius ei esse poterat, quàm si de ipso diceretur illud qvod Scriptura perhibet dicens: Quis est hic, & laudabimus eum? Unde ita laudandus? Fecit enim mirabilia in vita sua. Quæ? Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala & non fecit. Hunc ergo honorem, quamdiu absque peccato fuit, servavit: amisit, cùm peccavit. Peccavit autem quia liberum ei fuit. Nec aliunde profectò liberum, nisi ex libertate Arbitrii, de qua utique inerat ei possibilitas peccandi. Nec tamen fuit culpa dantis, sed abutentis, qui ipsam videlicet facultatem convertit in usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. Nam etsi peccavit ex posse quod accepit, non tamen quia potuit, sed quia volvit. Nec enim prævaricante diabolo & angelis ejus, etiam alii prævaricati sint, non quia non potuerunt, sed quia nolverunt. Peccantis igitur lapsus, non dono adscribendus est potestatis, sed vitio voluntatis. Lapsus tamen ex voluntate, non æquè ex voluntate resurgere jam liberum habet: quia etsi datum fuit voluntati posse stare ne caderet, non tamen resurgere si caderet. Non enim tam facilè quis valet exire de fovea, quàm facilè in eam labi. Cecidit sola voluntate homo in foveam peccati, sed non ex voluntate sufficit & posse resurgere: cùm jam et si velit, non possit non peccare. Quid ergo? [o] Periit liberum Arbitrium quoniam non potest non peccare? Nequaquam: sed liberum perdidit *Consilium*, per quod priùs habebat posse non peccare: quomodo & quod jam non valet vtique non turbari, inde misero accidit, quòd *Complaciti* quoque libertatem amiserit, per quam & ante habuit posse non turbari. Manet ergo etiam post peccatum liberum Arbitrium, etsi miserum, tamen integrum. Et quòd se per se homo non sufficit excutere à peccato sive miseria, non liberi Arbitrii signat destructionem, sed duarum reliquarum libertatum privationem. Neque enim ad liberum Arbitrium [quantum in se est] pertinet aut aliquando pertinuit posse, vel sapere, sed tantùm velle: nec potentem facit creaturam, nec sapientem, sed tantùm volentem. Non ergo si potens aut sapiens, sed tantùm si volens esse desierit, liberum Arbitrium amisisse putanda erit. Ubi enim non est voluntas, nec libertas. Nec dico si velle bonum, sed si velle omninò creatura desierit, fatendum sine contradictione, ubi non jam ex voluntate bonitas, sed ipsa ex toto voluntas periit, etiam liberum deperire Arbitrium. Quod si velle bonum tantùm perit, signum est quòd ei desit liberum non Arbitrum, sed Consilium. Si autem non quidem velle, sed ad id quod jam vult bonum ei posse defuerit, noverit sibi deesse liberum Complacitum, non liberum periisse Arbitrium. Si ergo liberum Arbitrium ita ubique sequitur voluntatem, ut nisi illa penitùs esse desinat, isto non careat: voluntas verò sicut in bono, ita etiam in malo æquè perdurat, æquè profectò & liberum Arbitrium tam in malo quàm in bono integrum perseverat. Et quomodo voluntas etiam posita in miseria non desinit esse voluntas, sed dicitur & est misera voluntas, sicut & bona voluntas: ita nec liberum Arbitrium destruere, sive, quantùm in se est, aliquatenùs imminuere poterit quæcunque adversitas vel necessitas. Sed licet ubique (p) pariter sine sui diminutione perduret, non tamen pariter sicut de bono potuit per se in malum corruere, ita quoque per se de malo in bonum poterit respirare. Et quid mirum si jacens non valet per se resurgere, quòd stans in aliquod melius nullo suo conatu valebat proficere? Denique dum adhuc duas alias libertates ex aliqua parte secum haberet, non potuit de inferioribus illarum gradibus ad superiora ascendere, hoc est de posse non peccare, & de posse non turbari, ad non pose peccare; & non posse turbari. Quod si libertatibus illis etiam utcunque adjutum, non prævalvit tamen de bono in melius se extendere: quantominùs eisdem prorsùs destitutum, de malo jam in id quod fuit bonum, poterit per seipsum emergere? Habet igitur homo necessarium (q) Dei virtutem & Dei sapientiam Christum, qui ex eo quod Sapientia est, verum ei sapere reinfundat, in restaurationem liberi *Consilii*: & ex eo quòd Virtus est, plenum posse restituat, in reparationem liberi *Complaciti*: quatenus ex altero perfectè bonus, peccatum jam nesciat: ex altero plenè beatus, nil adversum sentiat. Sed sanè ista perfectio in futura vita expectetur quando utraque nunc amissa libertas libero arbitrio plenè restaurabitur. Interim verò sufficiat in hoc corpore mortis, atque in hoc sæculo nequam, ex libertate quidem *Consilii* peccato non obedire in concupiscentia: ex libertate autem *Complaciti* adversa non formidare pro justitia. Est autem in hac carne peccati, & in hac diei malitia non mediocre *sapere*, peccato etsi nondum ex toto carere, certè non consentire: & est *posse* non paruum, adversa etsi necdum fæliciter omninò non sentire, viriliter tamen pro veritate contemnere. Discendum sanè hîc interim nobis est (r) ex libertate Consilii jam libertate Arbitrii non abuti, ut plenè quandoque frui possimus libertate Complaciti. Sic profectò Dei in nobis reparamus imaginem, sic antiquo honori illi capessendo, quem per peccatum amisimus, per gratiam præparamur. Et beatus qui de se audire merebitur: Quis est hic, & laudabimus eum? Mirabilia enim fecit in vita sua: qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere malum & non fecit.

§. III.

Puto autem in his tribus libertatibus (s) ipsam ad quam conditi sumus Conditoris imaginem atque similitudinem contineri: & imaginem quidem in libertate arbitrij, in reliquis autem duabus bipartitam

o *ibidem cap.* 8. *num.* 24.

p *ibidem n.* 25. q *ibidem n.* 26. r *ibidem n.* 27. s *ibidem cap.* 9. *num.* 28.

tam quandam consignari similitudinem. Hinc est fortassis, quòd solum liberum Arbitrium sui omninò defectum seu diminutionem non patitur, quòd in ipso potissimùm æternæ & incommutabilis Divinitatis substantiva quædam imago impressa videatur. Nam etsi habuerit initium, nescit tamen occasum, nec de justitia vel gloria capit augumentum, nec de peccato sive miseria detrimentum. Quid æternitati similius, quod non sit æternitas? Porrò in aliis duabus libertatibus, quoniam non solùm ex parte minui, sed & ex toto amitti possunt, accidẽtalis quædam magis similitudo sapientiæ atque potentiæ Divinæ imagini superducta cognoscitur. Denique & amisimus illas per culpam, & per gratiam recuperamus, & quotidie quidem alij plus, alij minus, aut in ipsis proficimus, aut ab ipsis deficimus. Possunt etiam sic amitti, ut jam non valeant recuperari: possunt & ita possideri, ut nec amitti queant aliquando, nec minui. Hujus bipartitæ similitudinis (t) sapientiæ & potentiæ Dei, non quidem in gradu summo, sed qui ipsi tamen esset proximior, homo conditus est in paradiso. Quid enim vicinius ad non posse peccare, vel turbari (in quo utique jam Sanctos & Angelos stare, & Deum semper esse dubium non est) quàm posse & non peccare, & non turbari: in quo homo profectò creatus est? A quo illo per peccatum, imò nobis in illo & cum illo corruentibus, rursùs per gratiam, non quidem ipsum, sed pro ipso quendam inferiorem gradum recepimus. Neque enim hîc possumus esse sine peccato & miseria, possumus tamen gratia juvante nec peccato superari, nec miseria. Quanquam tamen Scriptura loquatur: Omne quod natum est ex Deo, non peccat. Sed hoc dictum est de prædestinatis ad vitam: non quòd omninò non peccent, sed quòd peccatum ipsis non imputetur, quod vel punitur condignâ pænitentiâ, vel in charitate absconditur. Charitas quidem cooperit multitudinem peccatorum, & beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: & beatus vir cui non imputavit Deus peccatum. Divinæ ergo similitudinis summum gradum summi Angeli tenent, non infimum. Adam tenuit medium, porrò dæmonens nullum. Superioribus nempè Spiritibus datum est sine peccato & miseria perdurare: Adæ autem absque his quidem esse, sed non etiam permanere: nobis verò non esse quidem absque his, sed ipsis tamen non cedere. Cæterùm diabolus & membra ejus sicut nunquam volunt reluctari peccato, sic nunquam possunt pænam declinare peccati, Nemo autem putet (u) ideò dictum liberum Arbitrium, quòd æquâ inter bonum & malum potestate aut facultate versetur: cùm cadere per se quidem potuerit, non autem resurgere, nisi per Domini Spiritum. Alioquin nec Deus, nec Angeli Sancti, cùm ita sint boni, ut non possint esse mali: nec prævaricatores item Angeli, cùm ita sint mali, ut jam non valeant esse boni: liberi arbitrij esse dicuntur. Sed & nos illud post resurrectionem amissuri sumus, quando utique inseparabiliter alij bonis, alij malis admixti fuerimus. Cæterùm nec Deus caret libero arbitrio, nec diabolus: quoniam quòd Deus esse non potest malus, non infirma facit necessitas, sed firma in bono voluntas, & voluntaria firmitas: quòdquè diabolus non valet in bonũ respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, ac voluntaria obstinatio. Quàm nequissimus iste sibi (x) qui nunquam super propria iniquitate dolet, nunquam super propria damnatione compungitur? Nimirùm falsa præsumptio à via veritatis extrusit, crudelis obstinatio viam misericordiæ interclusit. Inde enim nec in se unquam assequi, nec à Domino misericordiam consequi potest. Cùm ergo (y) istæ duæ libertates Consilij scilicet & Complaciti, per quas rationali creaturæ vera sapientia & potentia ministratur, ita Deo prout vult dispensante, quibuscunque pro causis, locis, temporibus, varientur: quatenus in terris modicæ, in cælestibus plenariæ, mediociter in paradiso, apud inferos nullatenùs habeantur; libertas verò Arbitrij de ipso quo condita est statu aliquatenùs non mutetur, sed æqualiter semper, quantum in se est, à cælis, terris, & inferis possideatur: meritò illæ similitudini, hæc imagini deputantur. Et quidem apud inferos, quòd utraque libertas perierit, illæ scilicet quæ ad similitudinem pertinere dicuntur, Scripturarũ testatur auctoritas. Nam verum illic sapere (quod utique de Consilii libertate concipitur) omninò non esse, locus ille manifestat, ubi legitur: Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, neç ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quò tu properas. Porrò de potentia, quæ per libertatem Complaciti datur, Evangelium sic loquitur: Ligatis manibus ac pedibus, proiicite eum in tenebras exteriores. Quid enim ipsa est manuum pedumquè ligatio, nisi omnimoda potestatis ablatio? Sed dicit aliquis: (z) Quomodo non est ibi aliquid sapere, ubi mala quæ tolerant, cogunt pænitere malorum quæ facta sunt? Nunquid aut in tormentis quispiam non pænitere, aut prænitere mali, non esse sapere potest? Hoc autem rectè opponeretur, si opus tantùm peccati, & non etiam voluntas mala puniretur. Nulli quippè dubium est, quòd nemo in tormentis positus actum iterare peccati delectetur. Verumtamen si voluntas etiam in tormentis mala perdurat, quid ponderis habet operis abnegatio, ut ideo sapere quis putetur, quòd jam in mediis flammis luxuriari non libeat? Denique in malevolam animam non intrabit Sapientia. Unde autem probabimus quòd mala & in pænis voluntas perseveret? Certè ut cætera omittam, nollent omninò puniri. Justum est autem puniri, qui punienda gesserunt. Nollunt igitur quod justum est. Sed qui non vult quod justum est, justa ejus voluntas non est. Eò ergo injusta, ac per hoc & mala est voluntas, quò justitiæ non concordat. Duo sunt quæ injustam comprobant voluntatem, vel cùm peccare, vel cùm impunè peccasse libet. Quibus ergo peccare libuit quamdiu licuit, & cùm jam non possunt, inultum manere volunt quod peccaverunt, quid in hoc sapientiæ veræ, quid bonæ voluntatis apparet? Sed esto, pænitet eos peccasse, numquid non tamen, si optio detur, malint adhuc peccare, quàm pænam sustinere peccati? Et tamen illud iniquum est, hoc justum. Quando verò voluntas bona magis quod iniquum, quam quod justum est eligeret? Cæterùm non verè penitẽt, qui non tam dolent se sibi vixisse, quàm hoc ipsum jam non posse. Denique foris osten-

E

t *Ibidem n.29.* u *Ibidem cap. 10. n.35.*

x *Serm. 11. super Psalm. 90. n.9.* y *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 9. n.30.* z *ibidem n.31.*

ostenditur quid intus agatur. Nam quamdiù corpus vivit in flamma, tamdiu constat in malitia persistere voluntatem. Itaque de similitudine, quæ in Consilij & item Complaciti libertate continetur, apud inferos penitùs nihil est nec esse potest: imagine tamen etiam illic per liberum Arbitrium immobili permanente. Ad imaginem nempe (a) & similitudinem Dei factus est homo: in imagine Arbitrij libertatem, virtutes habens in similitudine. Et similitudo quidem periit, verumtamen in imagine pertransit homo. Imago siquidem in gehenna ipsa uti poterit non exuri, ardere, sed non deleri. Denique (b) ex eo potiùs liberum Arbitrium dicitur, quòd sive in bono, sive in malo æquè liberam facit voluntatem: cùm nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat, aut esse valeat, nisi volens. Tali jam ratione non incongruè dicetur ad bonum se, & ad malum habere æqualiter, quòd utrobique videlicet par sit ei, non quidem in electione facilitas, sed in voluntate libertas. Hac sanè (ut dictum est) dignitatis prærogativâ rationalem singulariter creaturam Conditor insignivit, quòd quemadmodùm ipse sui juris erat, suæque ipsius voluntatis non necessitatis erat quod bonus erat: ita & illa quoque sui quodammodò juris in hac parte existeret: quatenùs nonnisi sua voluntate, aut mala fieret, & justè damnaretur: aut bona maneret, & meritò salvaretur. Non quòd ei propria esset sufficere ad salutem voluntas, sed quòd eam nullatenùs sine sua voluntate consequeretur: nemo quippè salvatur invitus. Nam quod legitur in Evangelio: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum: Item in alio loco: Compelle intrare, nihil impedit: quia profectò quantoscunque compellere, vel trahere videatur ad salutem benignus Pater, qui omnes vult salvos fieri, nullum tamen judicat salute dignum, quem ante non probaverit voluntarium.

§. IV.

Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram. Erat Adam [c] quando in actione & meditatione positus erat, sine passione habens actionem, habens etiam sine labore meditationem. Dico autem quando positus est in paradisum, ut operaretur & custodiret. Verùm hinc quoque si non caderet, erat aliquando promovendus, ut sola frueretur Contemplatione. Sed (d) mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fænum. Adam (e) gustavit in malum suum de ligno vetito, edoctus ab eo qui suggerendo ait: Quare præcepit vobis Deus ut deligno non comederitis? Ecce discretio, cur præceptum sit. Et addit: Sciebat enim quia qua die comederitis, aperirentur oculi vestri, & eritis sicut dii. Ecce ut quid præceptum sit, scilicèt quod deos fieri non sinat. Discrevit, comedit, & inobediens factus est, & de paradiso ejectus est. Hominem peccantem (f) non distulit Deus, sed protinùs expulit de paradiso. Unde (g) & loquebantur mutuò, Dominus scilicèt & Christus ejus: Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis: quòd ad utriusque injuriam lactantibus se peccatoribus acquievisset. Angelis verò paventibus (h) atq; quærentibus: Non ergo discet facere justitiam? Non, inquit Deus: subdensquè causam, *In terra*, ait, *Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Dei*. Hinc (i) ut viderunt miseriam hominum, & crudelem plagam (ut Propheta loquitur) Angeli pacis amarè flebant. Ab illa enim (k) lucidissima die, in qua conditus fuerat Adam ejectus est, & in has rerum contrusus angustias, diem tenebrosum invenit, & penè à lumine Veritatis extinctus. In hac die nascimur universi, si tamen dies debet & non potiùs nox vocari: nisi quòd lumen rationis quasi quandam scintillulam nobis insuperabilis illa misericordia dereliquit. Denique ejecto homine (l) teste Scriptura, Cherubim ad custodiam posuit Deus. Nec incongruè forsitan Cherubin flammeus traditur gladius, ut à ligno vitæ incisio pariter & incensio (quibus nihil carni terribilius) manum prohibeant corporalem. Primus homo (m) ad hoc conditus fuerat, ut si non peccasset, per contemplationis præsentiam vultui Creatoris semper assisteret, & solidum veritatis agnosceret, agnitum amaret, amatum teneret, tenendo frueretur; semperquè ei adhærendo qui immortalis est, etiam vitam ipse sine termino possideret. Verum enim & summum bonum hominis, plena videlicèt & perfecta agnitio Creatoris. Sed circumscriptus astutiâ serpentis, & deceptus fuco vanitatis, specie videlicet creaturæ visibilis, à Hierusalem in Hierico descendit, fontem Veritatis deservit, affectum pulchritudini rerum inclinavit: & statim ignorantiæ cæcitate percussus foras venit, & ab intima luce contemplationis factus est vagus, & profugus super terram. Vagus scilicet per inordinatam concupiscentiam, profugus per peccatricem conscientiam: quia mentem, quam Divinum auxilium deserit, quæcunque tentatio impetierit, subvertit. Cor ergo hominis, quod priùs Divino amori affixum stabile persistit, & unum amando, unum permansit, postquam per desideria terrena defluere cæperit, quasi tot sibi in exilio mansiones statuit, quot sibi in eo delectationes invenit. Sicquè fit, ut mens, quæ pulchritudinem, dulcedinem, pacem, securitatem, ac perpetuitatem primæ lucis amare nescit, nunquam valeat esse stabilis: quia gaudium permanens in his quæ in fuco vanitatis amplectitur, non inveniens, dum se semper desiderio extendit, sequens quod assequi non valet, fluctuans in exilio nunquam requiescit. Modò valuis oculorum elapsa, curiosos intuitus pascit, & rerum immensitatem in massa & mole considerat: modò rerum pulchritudinem in situ & motu, specie & qualitate investigat: modò rerum utilitatem per necessaria, commoda, apta & grata, pertentat. Nunc quoque naribus erumpit, & per olfactum odoris varii suavia oblectamenta requirit. His pasta, aurium per organa procedit, & dulce melos, harmonicæ, organicæ, arithmeticæ disciplinæ capta per auditum introrsus trahit. Tactu quoque subtilia, levia, & lenia palpando discutit, & in aula memoriæ palpando desiderata reponit. Nec minùs gustu faucium prælibat varietatem saporum. Hos hædos suos mens, quæ se igno-

a *Ser.1.in Annunt.B.M.n.7.* b *Tract.de Grat. & lib. arb. cap. 11. n.36.* c *Serm.2.diver.n.6.* d *Ser.35.in Cant. n.4.* e *Tract.de vit. solit.cap.5. n.15. tom.5. pag.241.* f *Ser.13.int.div.n.1.* g *Ser.72.in Cant.n.8.*

h *Serm.2[illegible] in Cant.n.14.* i *Ser.1.in Annunt.B.M.n.10.* k *Ser.3.in Vig. nat. Domini num.2.* l *Ser.5.de Verb. Esa.n.7.* m. *Ser.2.super Salve Reg.n.9.*

ignorat & Deum, pascit juxta tabernaculum pastorum per res temporum, & temporalium vanitatem, mendicans ex ea quæ præterit figura hujus mundi, unde suam famelicam curiositatem aliquatenùs consoletur. Comparata est enim jumentis insipientibus, & similis facta est illis: quia cùm in honore esset, non intellexit quòd limus esset, honoris fastigio delectata. Hinc justum (n) Divinæ ultionis judicium est, ut fugitiuum Patris filium alter sibi usurpet in seruum. Videns enim (o) antiquus prædo lasciuum puerum sine custode, sine rectore, procul à domo Patris vagantem, accessit, & pomula illa inobedientiæ manu malæ persuasionis ei porrigens; postquam consensùm ab eo elicuit, aggressus est miserum, & in terram, idest, in terrena eum desideria præcipitans: pedesquè, idest, mentis affectiones, ne resurgat, fortissimis eum sæcularis concupiscentiæ vinculis alligans, manusquè operationis, & oculos mentis; misit eum in navim malæ securitatis, & flante vehementer vento adulationis, transvexit eum in longinquam regionem dissimilitudinis. Veniens ille in regionem non suam, venalis factus est omnibus, qui prætergrediuntur viam. Discit porcos pascere, siliquas porcorum manducare, dediscit omnia quæ didicerat, & discit quæ nesciebat, servilia scilicet opera. Vinctusquè in desperationis carcere, ubi in circuitu impii ambulant, in mola impiæ circuitionis cogitur molere emolumenta malæ conscientiæ. Proh dolor! Sed inquis: (p) Quis iste unus tam potens dominus, qui non uni præfuit regioni, sed omnibus? Non alius (ut arbitror) quàm ille qui à Propheta dicitur absorbere fluvium, id est, genus humanum, & non mirari: habere autem fiduciam quòd & Jordanis, hoc est, electio ipsa influat in os ejus. Superest enim (q) ut jam de medio fiat dæmonium meridianum ad seducendos si qui in Christo residui sunt, adhuc permanentes in simplicitate sua. Siquidem absorbuit fluvios sapientium, & torrentes potentium, & habet fiduciam ut Jordanis influat in os ejus, idest simplices & humiles qui sunt in Ecclesia. Ipse enim est Antichristus, qui se non solùm diem, sed & meridiem mentietur, & extolletur supra id, quod dicitur aut quod colitur Deus: quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui, utpote verus & æternus meridies. Jam quidem (r) diabolo ignis paratus est, etsi nondum ille præcipitatus in ignem: modico tamen tempore sinitur malignari. Tanquam malleus cælestis opificis factus est, malleus universæ terræ. Terit electos ad eorum utilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem. Cæterùm (s) etsi justam dicimus diaboli potestatem, non tamen & voluntatem. Unde non diabolus qui invasit, non homo qui meruit, sed justus Dominus qui exposuit. Non enim à potestate, sed à voluntate justus injustusuè quis dicitur. Primus utique homo, quia suam voluntatem facere voluit, à paradisi gaudiis exivit. Quando enim [t] fortis ille armatus, quem fortior superveniens alligavit, atrium illud olim suum valuit violentiâ aliquâ obtinere? Sed vacuuum sibiquè insipienter expositum, domicilium reperit, & cum aliis septem nequioribus, non fortioribus ingrediens, non irruens, liberè habitavit. Quis verò illum admisit, nisi propria voluntas? Hoc autem diaboli [u] quoddam in hominem jus, etsi non jure acquisitum sed nequiter usurpatum, justè tamen permissum. Sic itaque homo justè captiuus tenebatur, ut tamen nec in homine, nec in diabolo illa esset justitia, sed in Deo. Originale [x] maximum illud delictum vocatur, quod à primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur universi. Maximum planè delictum, quod sic totum mon modò genus humanum, sed & quemlibet ipsius generis occupat, ut non sit qui evadat, non sit usque ad unum. Graue denique illud delictum originale, quod non solùm personam infecit, sed & naturam. Si Christianæ fidei [y] & non hæresi Pelagianæ acquiescimus, generatione, non institutione traductum in nos confitemur Adæ peccatum, & per peccatum mortem. Licet autem [z] nos culpa inquinaverat aliena, nec tamen sic alienam dixerim, ut negem nostram, alioquin nec inquinaret. Sed aliena est, quia in Adam omnes nescientes peccavimus: nostra, quia etsi in alio, nos tamen peccavimus, & nobis justo Dei judicio imputatur, licet occulto. Verumtamen, ut jam non sit quod causeris, o homo, contra inobedientiam Adæ datur tibi obedientia Christi, ut si gratis venundatus es, gratis & redimaris. Si nesciens in Adam periisti, nesciens vivificeris in Christo. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

n *Ser. 8. int. div. n. 3.* o *Parabola 1. de pugna spirituali nu. 2. tom. 2. pag. 525.* p *Tract. de error. Abailar. cap. 5. n. 13.* q. *Ser. 33. in Cant. n. 16.* r *Ser. de S. Malach. Episc. n. 4.*

s *Tract. de error. Abailar. cap. 5. nu. 14. & Tract. de ord. vit. num. 17.* t *Ser. 11. diver. n. 2.* u *Tract. de error. Abailar. cap. 5. n. 14.* x *Serm. hebd. Sanct. n. 6. & 7.* y *Tract. de error. Abailar. cap. 9. n. 23.* z *Ser. 1. in Dom. 1. post Epiph. n. 3. & Ser. 2. in Cant. n. 8.*

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Secunda

De exordio Crucis, quam Christus jugiter portavit in suo corpore pro reparatione ruinæ generis humani.

CAPUT I.

De concilio Dei coacto cum Angelis suis, in quo agebatur de modo redimendi genus humanum.

Consilium autem Domini manet in æternum. *Psal.* 32.

1. *Ostenditur qualiter editâ in lucem Mariâ, coactum fuit Concilium Divinum de modo redimendi hominem: in quo comparentes quatuor Virtutes, Veritas, Justitia, Pax, & Misericordia, magnam excitaverant controversiam.* 2. *Afferuntur rationes pro & contra, allegatæ à Virtutibus Misericordia & Justitia.* 3. *Deciditur eadem controversia ad favorem Misericordiæ, quòd non ab alio, quàm ab ipso Filio Dei redimendus sit homo prævaricator.*

§. I.

QVando [a] disponente Deo, peccabant rationales creaturæ, & multis annorum millibus tam cælestia, quàm terrestria incassum stare videbantur, semirutis illis, istis dirutis: tacebat Deus Omnipotens, & ordinans ejus Omnipotentia tantam dissimulabat confusionem. Tandem nascitur MARIA, à sæculo electa (b) ab Altissimo præcognita & sibi præparata, ab Angelis servata, à Patribus præfigurata, à Prophetis promissa. Ex Regibus orta (c) ex semine Abrahæ, generosa ex stirpe David, longe ante eisdem Patribus cælitùs repromissa. Quæ ad nubiles annos egrediens (d) speciem induit speciosam, quâ ipsum alliceret Deum, & Divinitatis oculos in se converteret. Hinc (e) cùm esset Rex in accubitu suo, nardus Virginis dedit odorem suum, & ascendit in conspectu gloriæ ejus fumus aromatis, & invenit gratiam coram oculis Domini. Videt (f) & ardet ille vehemens Amator, & totum Epithalamium in ejus laudibus decantat, ubi manifestè Sponsus inducitur spirans amorem sincerissimum: nec ultrà valens dissimulare quod patitur, evocatur statim Cælestis ille Conventus; & juxta Isaiam Prophetam, init Deus consilium, cogit concilium, facit sermonem cum Angelis de restitutione eorum, & de redemptione hominum. Dum autem (g) iniit consilium tota Trinitas, cõsilium illud de quo alius Propheta David dicit: *Consilium tuum antiquum verum fiat*. Tunc (h) ex hoc sanè gravis quędam inter Virtutes quatuor videtur orta controversia. Siquidem Veritas & Justitia miserum affligebant hominem, Pax & Misericordia zeli hujus expertes judicabant magis esse parcendum. Sunt enim collectaneæ hæ duę sibi, quemadmodum & priores. Unde & factum est, ut perseverantibus Veritate & Justitia in ultione, & prævaricatorem hinc inde cædentibus, & præsentes molestias futuri cumulantibus comminatione supplicij: Pax & Misericordia secederet in cor Patris, redeuntes ad Dominum qui illas dedit. Solus quippe ipse cogitabat cogitationes pacis, cùm afflictionis plena omnia viderentur. Siquidem non cessabat Pax, nec ei Misericordia dabat silentium, sed pio quodam susurro paterna pulsantes viscera loquebantur: Numquid in æternum proiiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Numquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Et quamvis diu multùmquè visus sit dissimulare Pater miserationum, ut interim satisfaceret zelo Justitiæ & Veritatis: non tamen infructuosa fuit supplicantium Pacis & Misericordiæ importunitas, sed exaudita est in tempore opportuno. Fortè enim (i) interpellantibus istis tale dicatur dedisse responsum: Usquequò preces vestræ? Debitor sum & sororibus vestris, quas accinctas videtis ad faciẽdam vindictam in Nationibus, Justitiæ & Veritati. Vocentur & veniant, & super hoc verbo pariter conferamus. Sanè ex deliberatione communi ascendit Veritas ad constitutam diem, sed ascendit usque ad nubes: necdum planè lucida, sed subobscura & obnubilita adhuc zelo indignationis. Factumquè est ut legimus in Propheta: *Domine in Cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes*. Medius autem Pater luminum residebat, & utraque pro parte sua utilius quod habebat loquebatur. Quis putas illi colloquio meruit interesse, & indicabit nobis? Quis audivit & enar-

S. Bernard. Abbas juxta ejus librum editum authore Horstio in VI. Tom. impr. Parisiis an. 1667. A *Ser. 2. in Nat. Dom. n. 2. tom. 6. pag. 614.* b *Ser. 2. super missus n. 4.* c *Ser. 1. de Virg. Deip. n. 8.* d *Serm. 2. in Nat. Dom. n. 2. tom. 6. pag. 614.* e *Serm. 3. super missus n. 2.* f *Ser. 2. in Nat. Dom. n. 2. tom. 6. pag. 614.*

g *Lib. 2. de Amore Dei cap. 11. n. 33.* h *Ser. 1. in Annunt. B. M. nu. 9.* i *Ibid. n. 10.*

enarrabit? Fortè inenarrabilia sunt, & non licet homini loqui. Summa tamen controversiæ totius hæc fuisse videtur. Eget miseratione creatura rationalis (ait Misericordia) quoniam misera facta est, & miserabilis valde: venit tempus miserendi ejus, quia jam preterijt tempus. E contra Veritas: Oportet, inquit, impleri sermonem quem locutus es Domine. Totus moriatur Adam necesse est cum omnibus qui in eo erant, qua die vetitum pomum in prævaricatione gustavit. Ut quid ergo (ait Misericordia) ut quid me genuisti Pater citiùs perituram? Scit enim Veritas ipsa, quoniam misericurdia tua perijt, & nulla est, si non aliquando miseriaris. Similiter autem è contrario & Veritas loquebatur: Quis enim nesciat, quòd si prædictam sibi prævaricator sententiam mortis evaserit, periit, nec permanebit jam in æternum veritas tua Domine?

§. II.

Ecce verò unus de Cherubim (k), idest magni consilii Angelus ad Regem Salamonem suggeritur esse mittendus: quoniam Filio (inquit Joannes) datum est omne judicium. Et in ejus ergo conspectu Misericordia & Veritas obviaverunt sibi, eadem quæ supra meminimus verba querimoniæ repetentes. Fateor (ait Veritas) zelum bonum Misericordia habet, sed utinam secundùm scientiam: nunc autem quid prævaricatori potiùs quàm sorori judicat esse parcendum? At tu (inquit Misericordia) neutri parcis, sed tanta indignatione sævis in prævaricatorem, ut involvas pariter & sororem. Quid mali merui? si quid habes adversùm me, dicito mihi: sin autem, quid me persequeris? Grandis controversia, Fratres, & intricata nimiùm disceptatio. Quis non illic diceret: Bonum nobis erat, si natus non fuisset homo iste? Sic erat, dilectissimi, omninò sic erat, non videbatur quomodo simul possent erga hominem Misericordia & Veritas conservari. Cùmquè adiiceret Veritas in ipsum quoque Judicem partis suæ injuriam retorqueri, dicens cavendum omninò, ne fieret irritum verbum Patris, ne sermo vivus & efficax qualibet occasione evacuaretur. Parcite quæso (ait) Pax, parcite verbis hujusmodi: non nos talis altercatio decet, virtutum est inhonesta contentio. Porrò (l) Judex inclinans se digito scribebat in terra. Erant autem verba Scripturæ, quæ Pax ipsa legit in auribus omnium. Ea siquidem propiùs assidebat. Veritas dicit: *Perii, si Adam non moriatur*. Et Misericordia dicit: *Perii, nisi misericordiam consequatur. Fiat mors bona, & habet utraq; quæ petit*. Obstupuêre omnes in verbo sapientiæ & forma compositionis pariter atque judicii. Siquidem manifestum fuit nullam eis querimoniæ occasionem relinqui: siquidem fieri posset quod utraque petebat, ut & moreretur, & misericordiam consequeretur. Sed id quomodo fiet, inquiunt? Mors crudelissima est, mors terribilis, & ipso horrenda auditu. Bona fieri quanam ratione poterit? At Judex inquit: Mors peccatorum pessima, sed preciosa fieri potest mors Sanctorum. An non preciosa erit, si fuerit janua vitæ, porta gloriæ? Preciosa, inquiunt. Sed quomodò fiet istud? Fieri (ait Judex) potest, si ex charitate moriatur quis, utique qui nihil debeat morti. Neque enim detinere poterit mors innoxium, sed forabitur (ut scriptum est) maxilla Leviathan, & destruetur paries medius, solveturquè chaos magnum, quod inter mortem vitamquè firmatum est. Nimirùm charitas fortis ut mors, imò & fortior morte: si fortis illius intraverit atrium alligabit eum, & diripiet utique vasa ejus: sed & ipso transitu suo ponet profundum maris viam, ut transeant libertati. Bonus visus est sermo (m) utpote fidelis, & omni acceptione dignus. Sed ubi poterit ille innocens inveniri, qui mori velit non ex debito, sed ex voluntate: non ex malo merito, sed ex beneplacito suo? Circuit Veritas Orbem terræ, & nemo mũdus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram. Sed & Misericordia cælum omne perlustrat, & in Angelis quoq; ne dixerim pravitatem, minorem tamen invenit charitatem. Nimirùm hæc victoria illi debebatur, quo majorem charitatem nemo haberet, ut animam suam poneret quis pro servis inutilibus, & indignis. Nam etsi ipse jam non dicit nos servos, hoc ipsum immensæ dilectionis est, & eximiæ dignationis. Nos autem etsi omnia quæ præcepta sunt nobis faceremus, quid aliud dicere deberemus, nisi quòd servi inutiles sumus? Sed quis eum super hoc convenire præsumeret? Redeunt ad constitutam diem Veritas & Misericordia, anxiæ plurimùm, non invento quod desiderabant. Tunc verò seorsùm Pax consolans eas, Vos (inquit) nescitis quidquam nec cogitatis: non est qui faciat bonum hoc, non est usque ad unum. Qui consilium dedit, ferat auxilium.

§. III.

Intellexit Rex [n] quid loqueretur Pax, & ait: *Pænitet me fecisse hominem*. Pæna (inquit) me tenet: mihi incubit sustinere pænam, pænitentiam agere pro homine quem creavi. Scio enim [o] quid faciam. Moriar innocens pro nocente, & plus poterit incomparabiliter bonitas mea, quàm hostilis malitia: pæna innocentiæ meæ, quàm pæna inobedientiæ humanæ. Videbat quippe Dominus [p] quantùm ad hominem omnia confusa, omnia turbata: nihil stare in loco suo, nihil procedere ordine suo. Videbat hominem abiisse in regionem dissimilitudinis tam longè, ut per se nesciret nec posset redire. Angelus enim præsumpserat similitudinem Dei, dicens: *Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo*. Homo similiter Deus esse voluit, cui persuasum erat esse sicut dii. Ergone (inquit Deus Pater) Filius meus, splendor gloriæ meæ, & figura substantiæ meæ, in ipsa mei similitudine tot æmulos habebit, & pares, & socios? Præcipitatus est uterque. Potestatis ambitio [q] Angelum felicitate privavit Angelica: scientiæ verò appetitus hominem immortalitatis gloriâ spoliavit. Quid agat Filius [r] videns pro se zelare Patrem, & nulli parcere creaturæ? Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas Pater amittit. Altitudinem meam primus Angelus affectavit, & populum qui sibi crederet habuit: sed continuò Patris zelus graviter vindicavit in illum,

k *Ibidem n.11.* l *Ibidem n.12.*

m *Ibidem n.12.& 14.* n *Ibidem n.14.* o *Lib.2. de Amore Dei cap.12.n.36.* p *Ibidem cap.11.n.34.* q *Ser.4. de Ascens. Dom.n.5.* r *Ser.1. de Adu. Dom.n.4.*

lum, percutiens eum pariter cum omnibus suis plaga incurabili, castigatione crudeli. Scientiam quoque, quæ nihilominus mea est, surripere voluit homo: & ne illi quidem misertus est, nec pepercit oculus ejus. Numquid de bobus cura est Deo? Duas tantùm fecerat nobiles creaturas, rationis participes, capaces beatitudinis, Angelum videlicet atque hominem: sed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines vniversos. Ergo ut sciant quia & ego diligo Patrem, per me recipiat quos quodammodò propter me amisisse videtur. Si propter me tempestas hæc orta est [ait] tollite me, mittite in mare. Omnes invident mihi. Ecce venio, & talem eis exhibeo memetipsum, ut quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio ista in bonum. Porrò [s] videns imago Dei Deus Filius Angelum & hominem (qui facti erant ad imaginem Dei) per inordinatum imaginis & similitudinis ejus appetitum periisse: Heu, inquit, sola miseria caret invidiâ: sed subveniendum est homini, cui subvenire non prohibet justitia. Exbeo me igitur bonum hominem, despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, ut zelet & imitetur in me humilitatem, per quam perveniat ad gloriam, ad quam præproperè festinavit. Accinxit ergo se [t] quoadammodò Dei Filius, & aggressus est per humilitatem recuperare hominem qui recuperari poterat, qui per superbiam perierat. Tunc etiam [u] dixit: *Ecce venio*. Non enim potest hic calix transire, nisi bibam illum: ut [x] quem supplantavit aliena malitia, prodesse ei possit charitas aliena. Angelis stupentibus [y] & mirantibus præ gaudio, quæritur modus redemptionis: & statim de thesauro Divinitatis evoluitur Nomen MARIÆ. Et per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & in ipsa totum hoc faciendum decernitur: vt sicut sine Deo nihil est factum, ita sine illa nihil refectum sit. Traditur Epistola Gabrieli, in qua salutatio Virginis, incarnatio Redemptoris, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur. Et accersito Gabriele [z] Vade, inquit, dic filiæ Sion: *Ecce Rex tuus venit*. Festinavit ille & ait: *Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe Regem*. Porrò venturum Regem Misericordia & Veritas prævenerunt, sicut scriptum est: *Misericordia & Veritas præcedent faciem tuam*. Justitia thronum præparat, secundùm illud: *Justitia & judicium præparatio sedis tuæ*. Pax cum Rege venit, ut Propheta fidelis inveniretur qui dixerat: *Pax erit in terra nostra cùm venerit*. Sed & tunc Justitia & Pax osculatæ sunt, quæ non modicè videbantur hactenùs dissidere. Prior enim si qua erat ex lege justitia, non osculum sed aculeum habebat, magis urgens timore, quàm provocans dilectione. Sed nec habuit illa reconciliationem, sicut habet nunc quæ ex fide nascitur justitia. Alioquin quid erat quòd nec Abraham, nec Moyses, nec cæteri Justi temporis illius, in obitu suo pacem illam beatitudinis æternæ apprehendere, aut regnum pacis poterant introjre, nisi quod adhuc Justitia & Pax sese fuerant osculatæ? Missus est (a) coluber tortuosus à diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic transfunderet in totius posteritatis originem. Missus est interim Gabriel à Deo, ut Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem & mentem ipsius eructaret, ut eâdem viâ intraret & antidotum, quâ venenum intraverat. Scitis Fratres (b) quià in primo homine peccavimus omnes, in ipso etiam cecidimus omnes. Cecidimus sanè in carcerem luto pariter & lapidibus plenum. Cecidimus inquam (c) super acervum lapidum, & in luto: unde non solùm inquinati, sed etiam vulnerati & graviter quassati sumus. Exinde (d) jacebamus captivi, inquinati, quassati, donec veniret desideratus qui nos redimeret, ablueret, adjuvaret. Ego autem audiens (e) quòd transit ante carcerem Filius magni Regis, cæpi altiùs gemere, & mirabiliùs exclamare dicens: *Fili Dei, miserere mei*. At ille sicut benignissimus: Quisnam est (inquit) ille fletus & ululatus quem audio? Et dicunt ei: Ipse est Adam proditor ille, quem Pater vester tradi fecit in carcerem, donec cogitet quibus illum suppliciis faciat interire. Quid ageret cujus natura bonitas, cui proprium est misereri semper & parcere? Porrò [f] ludebam ego foris in platea, & in secreto Regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc Vnigenitus ejus, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quòd morte damnatus esset servulus ejus. Descendit [g] in carcerem, venit ut educeret vinctum de domo carceris. Deinde [h] ut inde nos educeret, infixus est ipse quoque in limo profundi. Ita Domine, obsecro [i] complaceat tibi ut ervas me, quoniam ego infirmus sum, quoniam de terra mea furtim sublatus sum, & hîc innocens in lacum missus sum. Non penitùs quidem innocens, sed quantùm ad eum qui me seduxit, innocens aliquatenùs. Mendacium mihi persuasum est Domine: veniat Veritas, ut possit falsitas deprehendi, & cognoscam Veritatem, & Veritas liberabit me: si tamen deprehensæ falsitati penitùs renunciavero, & cognitæ adhæsero Veritati. Alioquin non humana erit tentatio, nec humanum peccatum, sed obstinatio diabolica. Nam perseverare in malo, diabolicum est: & digni sunt perire cum illo, quicunque in similitudinem ejus permanent in peccato.

CAPUT II.

De exordio Crucis, quam Christus in Nativitate sua ob infantiles neccessitates pertulit.

Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis: & factus est principatus super humerũ ejus. *Esa.* 9.

1. *Ostenditur Christum incarnatum statim pertulisse Crucem in utero Virginis, ibi sustinendo tædia novem mensium, & operando salutem nostram.* 2. *Ex circumstantiis Nativitatis ejus desumuntur varia documenta Crucis, quam infans Jesus natus hyeme, nocte, in stabulo, in præsepio jacens sustinuit.* 3. *Proponitur nobis consideratio lacbrymarum ejusdem infantis Jesu vagientis in præsepio: nec non pannorũ, quibus ligatus erat pro salute nostra.*

§. 1.

s *Lib. 2. de Amore Dei cap. 11. n. 35.* t *Ibidem cap. 12. n. 35.* u *Ser. 1. in Annunt. B. M. n. 14.* x *Ser. 1. de Advent. Dom. nu. 5.* y *Ser. 2. in Nat. Dom. n° 2. tom 6. pag. 614.* z *Serm. 1. in Annunt. B. M. n. 14.* a *Ser. 2. in die Pent. n. 3.*

b *Ser. 2. in oct. Pasch. n. 4.* c *Ser. 1. in Cana Dom. n. 3.* d *Ser. 2. in oct. Pasch. n. 4.* e *Ser. 3. in Circumcis. Domini in 4.* f *Ser. 3. in Nativit. Dom. n. 4.* g *Ser. 3. in Circumcis. Dom. n. 4.* h *Ser. 2. in vig. nat. Dom. n. 3.* i *Ser. 1. de Adu. Dom. n. 5.*

§. I.

AVdiant [a] & intelligant omnes Christiani, & frequenter eorum mentibus inculcetur martyrium innocentis Jesu. Unde & Esaias de nativitate ejusdem Jesu Christi loquens: *Puer*, inquit, *natus est nobis, & filius datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus*. Crucem, quam imperii nomine significavit, nativitati statim adjungendo: quia profectò à nativitatis exordio passio crucis simul exorta est. Non modicum enim pertinet ad commendationem rubicundæ passionis, quòd Salvator noster in alieno loco, in medio noctis, in stabulo diversorij, ex Matre paupercula natus est, licèt ibi Sanguis ejùs effusus non fuerit, quod tamen parvo temporis intervallo, idest, septem dierum spatio secutum est. Passionem denique [b] non illum diem unum appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam ejus. Tota enim vita Christi crux fuit, & martyrium. Intantùm enim [c] dilexit nos dilector noster, ut charitatis ardore cogente ruborem passionis incideret, traderetquè in mortem animam suam, mortem autem crucis non breviter transeuntis, sed à principio ortus sui usque in finem mortis durissimæ perdurantis. Crux enim optimi Jesu Christi non tantùm fuit unius diei, sed tota vita ejus crux fuit & martyrium. Omnia ergo quæcunque passus est Dominus in die Carnis suæ, ad ruborem utique passionis pertinent, quamvis effusionibus crebris sacratissimi Sanguinis ipsius specialiter non fuerit rubricata. O quanta [d] charitas! O quanta commendatio charitatis! Vix natus est Cæli gloria, Cæli divitiæ, Cæli deliciæ dulcis Jesus: & ecce recenti ortui crucis ignominia, crucis dolor, crucis paupertas copulatur. Profectò [e] verè martyrii genus paupertas voluntaria est. Ille [f] in quo omnes thesauri sapiętiæ & scientiæ Dei sunt absconditi, Rex regum, dives in omnes, solus nullius egens, sic pauper, ut, ipso teste, & vulpibus terræ, & volucribus cæli pauperior inveniatur, cùm dicit: *Vulpes foveas habent, & volucres Cæli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*. Pauper in nativitate; natus enim pastum habet lac virgineum, tegmen pannos viles. Pauperior in vita: nam si tegumentum habuit, sæpiùs tamen in victualibus defecit. Intuere, ô homo (g) tempus tuæ redemptionis, recordare & respice quomodo redemptus sis. Ille per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil, Summi Patris Unigenitus, eidem Patri consubstantialis & coæternus, par Majestate, æqualis gloriâ, idem in essentia, ipsius Virtus & Sapientia; hic talis & tantus cùm in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, de sinu Patris in vallem nostræ plorationis descendit, in utero puellæ se contraxit: & qui erat in principio apud Deum, factum est Verbum abbreviatum. Et vide quàm abbreviatum, quàm immensum, quàm breve factum. Intra puellæ viscera se clausit, ibi sanguineis circumdatus involumentis, tædia novem mensium sustinuit. Ibi (h) exinanivit se formam servi accipiens, qui in forma Dei Patris æqualis erat: sed exinanivit majestate & potentia, non bonitate & misericordia. *Ecce*, ait, *nova facio omnia*. (i) Quis hoc ait? Agnus utique qui sedebat in throno. Agnus planè totus suavis, totus delectabilis, denique totus unctus. Hanc enim interpretationem habet nomen ejus, quod est Christus. Verè vidimus gloriam ejus (k) gloriam quasi unigeniti à Patre: quia totum paternum est, quòd de corde Patris Christus attulit nobis. A planta pedis usque ad verticem non erat in nobis sanitas: erravimus ab utero, in utero damnati antequam nati, quia de peccato & in peccato concepti. Christus ergo ibi primùm medicinam apposuit, ubi primus vulneri patebat locus: & substantialiter utero Virginis illapsus, de Spiritu Sancto conceptus est, ut conceptionem nostram mundaret, quam spiritus malus etsi non fecerat, tamen infecerat: ut non esset etiam in utero vita ipsius ociosa, dum novem mensibus purgat vulnus antiquum, scrutans (ut dicitur) usque ad imum putredinem virulentam, ut sanitas sempiterna succederet. Et nunc jam operabatur salutem nostram in medio terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ. Quis enim (l) potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus sine omni illicita & immunda conceptus est voluptate? In ipsa radice & origine mea infectus & iniquinatus sum, immunda est conceptio mea: sed est à quo tollatur ista confusio. Ipse eam tollit, in quem solum ipsa non cadit. Et jam quidem (m) peccatum in propria persona vicit, quando humanā naturam sine ulla contagione suscepit. Grandis enim peccato facta est violentia, & revera expugnatum esse cognoscitur, quando natura, quam se totam infecisse & occupâsse gloriabatur, ab eo penitùs aliena in Christo inventa est. Mater est (n) sine corruptione Virginitatis, Filius sine omni labe peccati. Non cadit in Matrem Evæ maledictio, non cadit in prolem generalis illa conditio, de qua dictum est per Prophetam: *Nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram*. Ecce Infans sine sorde, solus inter homines verax, imò & veritas ipsa. Ecce Agnus sine macula, Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi. Quis enim peccata meliùs tolleret, quàm is in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lavare me potest, quem constat inquinatum non esse.

§. II.

Deinde (o) in lucem editus infantiliter vagit, pannis sordentibus more miseriæ nostræ implicitus est, & fasciâ constrictus, in præsepio ad afflatus brutorum animalium reclinatus, & in fœtenti stabulo juxta Matris pauperiem deponitur. Quæ docet litera, quæ loquitur lingua, quæ monstrant exempla, quempiam nascentium in humano genere tali inopiæ pressurâ laborasse? Omnium nutritor humano lacte nutritur: sordet in pannis, ne tu ô homo sorderes in peccatis. In nostra vita (p) multa, quantum in nobis est, videmur agere casu, multa necessitate: sed Christus Dei Virtus, & Dei Sapientia neutri potuit subjacere. Quæ enim Dei Virtutem necessitas cogeret,

a *Tract. de vite Myst. cap. 36.* b *Ibidem cap. 5. n. 22.* c *Ibidem cap. 35.* d *Ibidem cap. 36.* e *Ser. 1. de omn. Sanct. n. 15.* f *Tract. vite Myst. cap. 2. n. 3.* g *Tract. de 3. præcip. Myst. cap. 6. n. 10.* h *Ser. 1. in nat. Dom. n. 2.*

i *Ser 4. in vig. nat. Dom. n. 4.* k *Ser. 2. in die Pent n. 3. & 4.* l *Ser. 4. vig. nat. Dom. n. 2.* m *Ser. 1. in nat. Dom. n. 4.* n *Ser. 4. in vig. nat. Dom. n. 5.* o *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 5. n. 10.* p *Ser. 4. in Ascen. Dom. n. 2.*

ret, aut quid ageret Dei Sapientia casu? Omnia proinde quæcunque locutus est, quæcunque operatus est, quæcunque passus est, ne dubites esse voluntaria, plena Sacramentorum, plena Salutis. Unde (q) diligenter considera (ait Sapiens) quæ tibi opponuntur. Et ego quidem agnosco mea esse nativitatis hujus tempus, locum, infantilis corporis teneritudinem, parvuli vagitus & lachrymas. Mea sunt hæc, pro me faciunt, mihi apponuntur, mihi proponuntur imitanda. *Hyeme* natus est, nocte natus est Christus. Numquid credimus casu factum esse, ut in tanta aëris inclementia, & in tenebris nasceretur, cujus est hyems & æstas, dies & nox? Non eligunt parvuli cæteri quando nascantur, quippe quibus adhuc vix incipientibus vivere nullus subest rationis usus, nulla eligendi libertas, facultas nulla deliberandi. Christus etsi homo erat, erat tamen in principio apud Deum, & Deus erat ejusdem cujus nunc est sapientiæ & potentiæ, ut pote Dei Virtus, & Dei Sapientia. Nasciturus itaque Dei Filius, in cujus arbitrio erat quodcunque vellet eligere tempus, elegit quod molestius est, præsertim parvulo, & pauperis Matris filio, quæ vix pannos habebat ad involvendum, præsepe ad reclinandum. Jam verò (r) etiam *nocte* volvit nasci. Ubi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Christus elegit quod salubrius judicat, vos eligitis quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? cujus judicium justius? cujus sententia sanior? Denique tacet Christus, non se extollit, non magnificat, non prædicat: & ecce annunciat eum Angelus, laudat multitudo cælestis exercitus. Et tu ergo qui Christum sequeris, inventum absconde thesaurum, ama nesciri, laudet te os alienum, sileat tuum. Adhuc autem in *stabulo* nascitur Christus, & in *præsepio* reclinatur. Et nonne ipse est qui dicit: *Meus est orbis terræ, & plenitudo ejus?* Quid ergo stabulum elegit? Plane ut reprobet gloriam mundi, damnet sæculi vanitatem. Invenimus enim (s) quoniam ille cùm esset dives, propter nos pauper factus est. Descendit ab inenarrabilibus Cæli divitiis, & veniens in mundum nec istas qualescunque divitias habere volvit: sed in tanta paupertate venit, ut natus continuò poneretur in præsepio, quia ei non erat locus in diversorio. Qui benè considerat hæc, quando quæret divitias mundi? Est verè magna abusio, & magna nimis, ut dives esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus majestatis, & Dominus Sabaoth volvit pauper fieri. *Cælum* (t) *& terram ego impleo*, inquit Deus Verbum. Nunc caro factum est, in angusto locatum præsepio est. Ibi (v) agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altituto subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, panis esuriens. Videas & attendas Potentiam regi, Sapientiam instrui, Virtutem sustentari. Incomprehensibilis erat (x) & inaccessibilis, invisibilis & inexcogitabilis omninò: nunc verò comprehendi volvit, videri volvit, cogitari volvit. Quonammodo, inquis? Nimirùm jacens in præsepio. Necdum loquitur lingua (y) & quæcunque de eo sunt clamant, prædicant, eungelizant. Clamat stabulum (z) curando sese homini, qui in latrones inciderat, præparari. Clamat præsepe, eidem homini qui jumentis comparatus fuerat, pabulum ministrari. Panis utique Angelorum (a) factus est fænum positum in præsepio, appositùm nobis tanquam jumentis. *Verbum* quippe. *caro factum est*: & juxta Prophetam, *Omnis caro fænum. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, ait Verbum hoc. Et quem panem dicat, aperit cùm subjungit, *& panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Propterea (b) ut inveniamini non spiritum habere hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, & sciatis quæ à Deo data sunt vobis: nolite, obsecro, fieri sicut equus & malus, sed sicut pium jumentum quod ait: *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*. Talia enim jumenta cognoscunt possessorem suum, & præsepe Domini sui, in quo positum est eis piissimũ fænum, ipse qui panis est Angelorum. Ipse enim est panis vivus, de quo vivere debuit homo: sed quia homo jumentum factus est, & panis factus est fænum, ut vel sic vivat de eo. Habet utique homo (c) in refectione animarum sanctarum Bethleem domum panis, in qua primùm is qui de cælo descenderat, pariente Virgine panis vivus apparvit. Monstratur ibidem piis jumentis præsepium, & in præsepio fænum de prato Virginali, quo vel sic cognoscat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Porrò homo quia suum in quo factus est honorem non intelligendo, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis: Verbum panis Angelorum factum est pabulum jumentorum, ut habeat carnis fænum quod ruminet, qui Verbi pane vesci penitùs dissuevit, quousque per Hominem Deum priori redditus dignitati, & ex pecore rursùs conversus in hominem, cum Paulo dicere possit: *Et si cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus*. Agnosce, ô bos (d) possessorem tuum, & ô tu asine præsepe Domini, ut Prophetæ Dei fideles inveniantur. Cognosce pecus, quem non cognovisti homo. Adora in stabulo, quem fugiebas in paradiso. Honora præsepium, cujus contempsisti imperium. Comede fænum, quem panem, & panem Angelicum fastidisti. Porrò (e) ipsa quoque *infantilia membra* non silent. In omnibus mundi judicium arguitur, subvertitur, confutatur. Quis enim hominũ, si daretur optio, non magis eligeret rubustum corpus, & ætatem intelligibilem, quàm infantilem? O Sapientia quæ de occultis traheris! O verè incarnata & velata Sapientia! Et tamen, Fratres, ipse est promissus olim per Esaiam parvulus, sciens reprobare malum, & eligere bonum. Malum ergo voluptas corporis, bonum verò afflictio est. Siquidem & hanc eligit, & illam reprobat puer sapiens, Verbum infans. Verbum enim Caro factum est, caro infirma, caro infantilis, caro tenera, caro impotens omnis operis, omnis laboris impatiens. Et cùm esset tanta necessitas (f) nullam audio pellium fieri mentionem. Primus Adam pelliceis vestitur tunicis, pannis secundus obvolvitur.

Non

q *Ser. 3. in Nativit. Dom. n. 1.* r *ibidem n. 2.* s *Ser. 3. de Resurrect. Dom. n. 1.* t *Ser. 1. in nativit. Dom. n. 1.* u *Ser. 2. sup. missus n. 9.* x *Ser. 2. de Virg. Deipar. n. 11.* y *Ser. 3. in Nativit. Domini n. 2.*

z *Ser. 1. in Nativit. Domini. n. 1.* a *Ser. 5. in Cant. n. 4.* b *Ser. 3. in circumcis. n. 2.* c *tract. de exhort. ad milit. templi c. 6.* d *Ser. 35. in Cant. n. 5.* e *Ser. 3. in nativit. Dom. n. 2.* f *ibidem n. 2.*

Non est tale judicium mundi. Aut iste fallitur, aut mundus erat. Sed Divinam falli impossibile est Sapientiam. Meritò proinde & carnalis prudentia (mors siquidem & ipsa) inimica est Deo, & sæculi quoque prudentia stultitia nominatur. Quid enim? Christus utique qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum: & quisquis aliud docet vel suadet, ab eo tanquam à seductore cavendum. Imitator Christi (g) tria debet agere: 1. simplicis innocentiæ sensum tenere, ut cum Christo puer efficiatur. 2. abjectum & humilem habitum amare, ut infantiæ Christi pannis vilibus involvatur 3. in disciplina simpliciter ambulare, ut cum Christo in præsepio positus inveniatur. Cur autem ipse Salvator (h) cujus est aurum & argentum, sacram in corpore suo dedicavit paupertatem? Aut certè cur paupertas ipsa tam sollicitè enarratur ab Angelo? Neque enim sine certi ratione mysterii pannis Salvator obvolvitur & ponitur in præsepio, quando id manifestè in signum nobis commendatur ab Angelo. *Hoc*, inquit, ***Vobis signum: invenietis infantem pannis involutum.*** In signum positi sunt panni tui Domine Jesu, sed in signum cui à multis usque hodie contradicitur. Multi quippe vocati, sed non multi electi, & ideo nec signati. Agnosco certè, agnosco Jesum magnum Sacerdotem sordidis opertum vestibus, dum altercaretur cum diabolo. Scientibus Scripturas loquor, & quibus non ignota est prophetica visio Zachariæ. Absconde Maria (i) novi Solis fulgorem, pone in præsepio, involve pannis Infantem. Nam & ipsi panni divitiæ nostræ sunt. Precioſiores siquidem panni Salvatoris omni purpura, & gloriosius hoc præsepe auratis Regum soliis: ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisquè thesauris sæculi, O homo (k) in Carne tibi exhibetur Sapientia illa quondam occulta: ecce jam trahitur de occultis, & ipsis sese ingerit sensibus carnis tuæ. Carnaliter (ut jam dixerim) prædicatur tibi: Fuge voluptatem, quia posita est mors secùs introitum delectationis. Age pænitentiam, quia per hanc appropinquat regnum Dei. Hoc tibi prædicat stabulum istud, hoc præsepe clamat, hoc membra infantilia manifestè loquuntur, hoc lachrymæ & vagitus evangelizant. O quanta (l) commendatio charitatis! Vix natus est cæli deliciæ dulcis Jesus, & ecce recenti ortui crucis ignominia, crucis dolor copulatur. Vinculum quippè [m] in præsepio fuit juxta illud: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia: membra pannis involuta Virgo Mater alligat: & manus pedesquè & crura, strictâ cingit fasciâ.* O Rex regum & Domine dominantium, quid tibi & vinculis? Quantum derogatum fuit libertati & potentiæ tuæ, qui solus ligandi & solvendi potestatem habes? Sed propter misericordiam tuam ligatus es, ut nos à miseriis nostris faceres absolutos.

§. III.

Plorat denique Christus [n] sed non sicut cæteri, aut certè non quare cæteri solent. In aliis sensus, in Christo prævalebat affectus. Patiuntur illi, non agunt, utpote nec ipsius adhuc usum voluntatis habentes. Illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Illi jugum grave lugent, quod est super omnes filios Adæ. Imò [o] vociferant ad Deum, suisquè vagitibus clamitant: Domine vim patior. Clamat innocentia miseri, clamat ignorantia parvuli, clamat addicti infirmitas. Christus autem [p] filiorum Adæ peccata deplorat: & certè pro quibus nunc lachrymas fundit, postea fundet & Sanguinem. Clamant ejus lachymæ [q] clamant panni, hominis cruenta jam vulnera ablui, & detergi. Siquidem nullo horum Christus eguit, nihil horum illi propter se, magis autem omnia propter electos. Noli ergo homo (r) vilipendere animæ tuæ passionem, cui à tanta Majestate tantam vides exhiberi compassionem. Fudit ipse lachrymas pro te, lava & tu per singulas noctes lectum tuum cordis compunctione, & lachrymarum assiduitate. Alioquin [s] quam commutationem dabis pro anima tua, qui pro nihilo das illam? Nonne Dei Filius cùm esset in sinu Patris, à regalibus sedibus pro ea descendit, ut eam liberaret à potestate diaboli? Quam cùm vidisset peccatorum funibus irretitam, jam jamquè dæmonibus tradendam ut morte perpetua damnaretur, flevit super illam, quæ flere nesciebat. Nec solùm flevit, sed etiam occidi se permisit, ut precioso Sanguinis sui precio eam redimeret. Fratres, [t] Lachrymæ Christi mihi & pudorem pariunt, & dolorem. Ludebam ego foris in platea, & in Secreto Regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc Unigenitus ejus, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quòd morte damnatus esset servulus ejus. Intueor illum subitò procedentem, stupeo novitatem, causam percunctor, & adeo dicere: Quid facturus sum? Adhucne ludam, & deludam lachrymas ejus? Planè si insanus sum & mentis inops, non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo. Ecce unde pudor. Dolor & timor unde? Utique quia ex consideratione remedii, pericu'i mei æstimo quantitatem. Nesciebam, sanus mihi videbar: & ecce mittitur Virginis filius, Filius Dei Altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis precioso Sanguinis balsamo medeatur. Pudet itaque, dilectissimi, propriam negligenter dissimulare passionem, cui tanta à Majestate tanta exhiberi video compassionem. Compatitur Filius Dei & plorat, homo patitur & ridebit? Sic & medicinæ æstimatio, & doloris mihi & timoris exaggeratio est. Verùm (v) si diligenter observē præcepta medici, erit etiam consolationis occasio. Sicut enim gravem agnosco morbum, cui tanta apponitur medicina, sic & ex hoc ipso non incurabilem esse conjecto. Neque enim preciosissimas species frustra insumeret medicus sapiens, imò Sapientia ipsa. Porrò frustra insumi constat, non solùm si absque eis facilis esset curatio, sed multò magis, si & cum eis sit impossibilis. Animat itaque ad pænitentiam, & accendit vehementiùs desiderium spes concepta. Infans quidem est (x) sed Verbum infans, cujus ne ipsa quidem infantia tacet.

g *Lib. sent. c. 29. tom. 6. pag. 1000.* h *Ser. 4. in nativit. Dom. n. 1.* i *Ser. 4. in vigil. Nat. Dom. n. 6.* k *Ser. 3. in nativit. Dom. n. 3.* l *tract. de vit. myst. cap. 36. n. 142.* m *ibidem cap. 4. num. 12.* n *Ser. 3. in Nat. Dom. num. 3.*

o *Ser. 66. in cant. n. 9.* p *Ser. 3 in Nat. Dom. n. 3.* q *Ser. 5. in nat. Dom. n. 1.* r *tract. de cognit. human. condit. cap. 3. n. 9.* s *ibidem cap. 3. n. 8* t *Ser. 3. in nat. Dom. n. 4.* u *ibidem n. 5.* x *Ser. 5. in nat. Dom. n. 1.*

Consolamini, consolamini, dicit Dominus Deus vester. Dicit hoc Emmanuel, nobiscum Deus. Non autem consolatur [y] Christi infantia garrulos, non consolantur Christi lachrymæ cachinnantes, non consolantur panni ejus ambulantes in stoltis, non consolantur præsepe & stabulum amantes primas cathedras in Synagogis: sed æquanimiter fortè universam hanc consolationem expectantibus in silentio Dominum, lugentibus & pannosis pauperibus cedere videbuntur. Exigit utique (z) planctum à nobis pænitentia præteritæ conversationis, exigit fletum desiderium futuræ beatitudinis. *Facta sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte* [ait Propheta] *dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Parùm ei placet hujus vitæ novitas, quæ necdum vetera plangit, necdum plangit admissa peccata, necdum plangit tempus amissum. Si non plangis, planè non sentis animæ vulnera, conscientiæ læsionem. Sed nec futura satis gaudia concupiscis, si non quotidie satis postulas ea cum lachrymis. Minùs tibi nota sunt, si non renuit consolari anima tua donec veniant. Felix anima (a) quæ meretur illud accipere testimoniũ, de quo Joannes ait: *Tres sunt, qui testimoniũ dant in terra: Spiritus, & aqua, & sanguis*. In *aqua* quidem Baptismum intellige, in *Sanguine* Martyrium, in *Spiritu* charitatem. Spiritus enim est, qui vivificat, & fidei vita dilectio. Jam verò (b) quia Baptismum aquâ, Martyrium diximus sanguine designari; memento & unicum & quotidianum esse Baptismum, similiter & Martyrium. Est enim & martyrii genus, quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Est Baptismus aliquis in compunctione cordis, & lachrymarum assiduitate. Sic quippe infirmis & pusillis corde necesse est, ut quem semel pro Christo ponere non sufficiunt, saltem mitiori quodam sed diuturniori martyrio sanguinem fundant. Sic & Baptismi Sacramentum quoniam iterari non licet, his qui sæpius in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri. Unde & Propheta: *Lavabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*. Lavabo & ego (c) per singulas noctes lectum meum, ut conscientiæ maculas diluam: lachrymis meis stratum meum rigabo, ne in me quoque fiat quod scriptum est de semine quod cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Sicut autem in solitudinibus aquæ deesse solent, & loca deserta steriliaquè & arida esse consueverunt, sic superbiam impænitentia comitatur. Elatum enim cor, durum & expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis: quia superbis Deus resistit, humilibus verò dat gratiam *Qui emittit fontes in convallibus inter medium montium* (ait Propheta) *pertransibunt aquæ*. Hinc est quòd de se ipso mirabiliter conquerens ait: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Siquidem aquæ inopia nonmodò aridum, sed & sordidum facit, dum non est quo laveris: & humanum cor lachrymas nesciens, nonmodò durum sed & impurum esse necesse est. O duritia (d) cordis mei! Vtinam Domine, sicut Verbum caro factum est, ita & cor meum carneum fiat. Siquidem & hoc pollicitus es per Prophetam: *Auferam*, inquit, *à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum.* Quæram ergo mihi (e) & utinam inveniam fontem lachrymarum in lachrymis rubicundi Jesu: ut quod bonum est in eis confortetur, & sordidum abluatur, quæ virtus utraque in lachrymis invenitur.

CAPUT. III.

De Circumcisione Christi, quam sustinuit in corpore suo, vulneratus pro salute nostra.

Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer: vocatum est nomen ejus Jesus, *Luc.* 2.

1. *Agitur de humilitate & patientia pueri Jesu, qui licet immunis esset ab omni peccato, voluit tamen cauterium peccatoris suscipere, & dolorem sustinere in sua circumcisione.* 2. *Ex occasione hujus Circumcisionis desumuntur salutaria documenta morum & vitæ Christianæ.* 3. *Proponitur nobis ad considerandum mysterium, cur eodem tempore quo circumcisus erat puer, etiam vocatum est nomen ejus Jesus.*

§. I.

AGnosce, ô homo [a] quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Primam (b) Sanguinis effusionem legimus in Circumcisione, quando nomen ejus vocatum est Jesus, jam tunc mysticè significando, quòd effusione Sanguinis sui futurus nobis esset verus Jesus, idest, Salvator. Unde & ipse de se dicit: *Ego sum vitis vera*. Solet (c) vitis fructifera præcidi, quod & corporaliter & figurativè accipi potest. Circumcisus enim fuit Jesus, non quòd hac circumcisione egeret, quæ in antiquis patribus delebat originale peccatum, sicut Baptismus in nobis: nihil enim peccato originali per concupiscentiæ vitium contracto debebat, quia sine omni concupiscentia carnali conceptus erat Sed nè legem quam ipse dederat, solvere videretur. *Postquam consummati sunt dies. octo* (d) *ut circumcideretur puer, vocatũ est nomen eius Jesus.* Ab initio Deus modum, accepta & nihil unquam immoderatum illi placuit æquitati. Hinc fuit, quòd nonmodò in pondere & mensura & numero condidit universa, sed & protinùs ipsi homini modum præscripsit, mandatum contulit dicens: *Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas* Levissimum planè mandatum, & larga omnino mensura. Sed transgressus est homo præscriptum sibi modum, & constitutum sibi terminum prætergressus. Unde & avertens ab eo faciem suam Deus, vix tandem in diebus Abrahæ amici sui placabilis fieri incipiens, rursùs modum instituit, promulgavit legem, sed non priori similem usquequaque. Ea siquidem ad cautelam fuerat, hæc ad medelam. Ibi prohibitio facta est,

ne

y *ibidem n.5.* z *Ser. in Quadrag. n.4.* a *Ser.1. in oct. Pasch. n.6.* b *ibidem n.7.* c *Ser.1. int. diversf. n.2.* d *Ser.3. in nativit. Domini n.3.*

e *tract. de vite myst. cap.33. n.139.* a *Ser.3. in nat. Dom. n.4.* b *tract. de vite myst. cap.36.* c *ibidem cap.2. n.2.* d *Ser.2. in Circumcis. Domnum.1. & 2.*

ne superfluitas subintraret: hîc jam indicta abscissio est, ut Sacramenti remedio quæ subintraverat tolleretur. Postremò illa quidem in arbore data est lex, ne fructu ejus vesceretur: hæc in proprio corpore, ut caro præputii scinderetur. Nec dubium sanè, quin cætera quoque humani corporis membra additamentum illud Leviathan occuparet, venenum scilicet concupiscientiæ & immoderatæ atque inordinatæ illecebra voluptatis, ut generalis quædam abscissio omnibus necessaria videretur. Cæterùm quia singulorum membrorum abscissionem humanæ carnis fragilitas, & infantilis ætatis infirmitas nullatenùs sustineret, pio moderamine dispositio superna providit, ut in ea potissimùm parte concupiscentia castigaretur, in qua vehementiùs eam sævire constabat, & violentiùs malignari. In omni siquidem contradicentium spiritui rebellione membrorum, solum illud usque adeo contumax invenitur, ut contra omnem voluntatis deliberationem ad inhonestos & illicitos motus assurgat. Porrò (e) in Circumcisione Domini, Fratres, habemus quod amemus & admiremur, habemus etiam quod imitemur. Patet in ea magnum dignationis beneficium, unde gratias agamus: latet aliquid clausum, quod in nobis implere debeamus. Verbum abbreviatum in carne (f) ampliùs abbreviatur suscepta etiam carnis circumcisione. Minoratus paulominùs ab Angelis Dei Filius humanam naturam induit, sed jam nec ipsum respuens remedium humanæ corruptionis, planè multò minoratus ab eis. Habemus igitur hîc magnum fidei documentum, habemus & manifestum humilitatis exemplum. Ad quid enim tibi circumcisio necessaria, qui peccatum non commisisti, nec contraxisti? Quod ipse non feceris, ætas manifestat: quod non contraxeris, multò certiùs probat Patris Divinitas, Virginitas Matris. Summus Sacerdos es, quem nec super Patre nec super Matre contaminandum, prophetatum est in lege potiùs quàm mandatum. Est enim tibi Pater ab æterno, sed Deus est, in quem peccatum non cadit. Est & Mater ex tempore, sed Virgo, nec parere poterat incorruptio corruptelam. Super hæc omnia circumciditur Puer, Agnus sine macula. Etsi non eguit, tamen voluit circumcidi: nec vestigium quidem ullum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non sic impii, non sic, non sic agit perversitas elationis humanæ. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium & verecundum pariter & austerum sine ulla necessitate suscepit: nec repulit cultrum lapideum, in quo solo vetus illa quæ raderet rubigo non fuit. Nos è contra inverecundi ad abscænitatem culpæ, erubescimus agere pænitentiam, quod extremæ dementiæ est, malè proni in vulnera, pejùs in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari: nos & esse volumus, & nolumus æstimari. Itane sano opus est medicinâ, & non potiùs malè habentibus? Imò verò itane eget medicamine non æger, sed medicus? Quis hominum tantæ sibi non dicam gloriæ, sed vel innocentiæ conscius, æquanimiter circumcidentis manum admitteret? Christus verò patienter quæ non rapuit exolvit, qui venerat purgationem facere non suscipere delictorum. Sed dicas: (g) Quidni susciperet parvulus? Imò verò, quidni susciperet humilis & mansuetus? Quidni obmutesceret coram circumcidente, qui coram tondente obmutuit, coram crucifigente siluit? Alioquin non erat illi difficile carnem suam integram conservare ne scinderetur, qui fecerat ne Virginalis uteri porta in exitu suo aperiretur. Non erat difficile paruulo prohibere ne caro illa circumcideretur, quando nec mortuo fuit difficile custodire ne corrumperetur. Profectò in majori ætate (h) patientiæ & humilitatis, & super omnia charitatis, cæterarumquè virtutum manifesta dedit Salvator exempla: in infantia verò figuris velata. Ipso enim (i) die Nativitatis minoratus est ab Angelis, & habitu inventus ut homo: hodie verò mirabilius aliquid audio. Jam minoratus est multò minus Angelis, qui non solùm formam hominis, sed formam habet peccatoris, & infigitur velut quodã cauterio latronis. Quid est enim Circumcisio, nisi superfluitatis & peccati indicium? In te Domine Jesu quid est superfluum quod circumcidatur? Nonne tu verus Deus es de Deo Patre, homo verus sine omni peccato de Virgine Matre? Quid facitis circumcidentes eum? Putatis quia super eum possit cadere illa sententia: *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima ipsius de populo suo*? Poteslne oblivisci Pater Filii vteri sui? Aut non cognosceret eum, nisi signum circumcisionis haberet? Imò verò si quomodo posset non agnoscere Filium, in quo ei benè complacuit, ex hoc maximè signo poterat ignorare eum, inventa in eo circumcisione, quam peccatoribus ipse providerat, ob purgationem utique delictorum. Sed quid mirum si Caput pro membris accepit curationem, quam tamen in seipso non habuit necessariam? Nonne & in membris nostris sæpe pro unius infirmitate alteri adhibetur curatio? Dolet caput, & in brachio fit coctura: dolent renes, & fit in tibia. Ita hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum est in Capite. Populo duræ cervicis (k) cultellus erat necessarius, & lapideis cordibus meritò cultri lapidei debebantur, qualibus à Jesu Nave facta circumcisio memoratur. Noster autem Jesus tanquam Agnus mansuetus omnem austeritatem abstulit. Sed & propterea voluit circumcidi, ut ostenderet Auctorem se esse veteris legis, sicut ipse per servum suum Moysen priùs dixerat: *Omnis anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo*. Denique communitatis amator & commendator, qui habitare facit unius moris in domo, quomodò communitatem desereret, & alios scandalizaret? Sic enim scandalizarentur videntes eum non circumcidi, sicut hodie scandalizaretur Ecclesia, si infantem videret non baptizari. Nec solùm communitatis & unitatis bonum commendare, sed humilitatem voluit exhibere, ut ligaturam vulneratorum susciperet, qui solus erat absque vulnere. Hinc enim Apostolus dicit: *Misit Deus Filium suum in mundum, natum ex muliere, factum sub lege*.

e *Ser. 3. in Circumcis. Domini num. 1.* f *Serm. 1. in Circumcis. Domini num. 1.*

g *Ibidem n. 2.* h *Serm. 3. in Circumcis. Dom. n. 1.* i *Ibidem num. 3.* k *Ser. 4. in Epiphan. Dom. n. 1. 2. & 3.*

§. II.

Porrò (l) moraliter docuit nos oportere non ęgrè ferre, si quando pœnas peccati patimur, quod in nobismetipsis non recognoscimus, cùm ipse peccatorum purgator non fuerit dedignatus pro nobis subire remedium peccatorum. Consolemur ergo dolores nostros, qui nequaquam sine peccato sumus, doloribus illius qui non pro se, sed pro nobis dolvit & vulneratus est; non pro se, sed ut nostris vulneribus mederetur. Vide quantùm ad suscipiendos dolores festinavit, quàm paratus & promptus fuit Sanguinem effundere, circumcisus pro nobis die Nativitatis suæ octavo. Utinam nos saltem & anno octavo nonnihil pro Domino pateremur. Sed quid dicimus, cùm plures inveniamus & post octo plantatos, vel post octuaginta annos, cùm naturaliter erit eorum labor & dolor, nec voluntate saltem ad Dominum conuerti, nec tam maturè impensi Sanguinis preciosi memores, tamdiu vanitati subjectam corrigere vitam. Quid miserius? Christus octavam diem à Nativitate sua vix expectat, ut suum tibi Sanguinem impendere incipiat. Tu post non dico octo dies, sed nec post octuaginta menses, imò & octuaginta annos solam non rependis voluntatem? Ille vix natus Sanguinem tibi effundit: tu jam moriturus voluntatem tuam non refundis? Bonus profectò Jesus, qui etiam in quarta vigilia venientem seruum suscipit pœnitentem. Dedisti robur annorum juvenilium hosti Christi? Christo saltem misericorditer expectanti infirmam tribue voluntatem, nec dubites quin illam accipiat. Puer enim natus est nobis, ut parvulis munusculis consoletur: quia parvum parva decent. Denique parvulus est (m) leviter placari potest. Quis enim nesciat quia puer facilè donat? Ecce si non fuerit nobis pro minimo, possumus reconciliari pro minimo. Pro minimo, inquam, non tamen sine pœnitentia: sed quia minimum quiddam sit nostra ipsa pœnitentia. Pauperes sumus, parum dare possumus: attamen reconciliari possumus pro parvo illo, si volumus. Totum quod dare possum, miserum corpus istud est: illud si dedero, satis est. Si quo minùs, addo & Corpus ipsius: nam illud de meo est, & meum est. Parvulus enim natus est nobis, & Filius datus est mihi. De te Domine suppleo, quod minus habeo in me. O dulcissima reconciliatio! O satisfactio suavissima! O verè reconciliatio facilis, sed perutilis! satisfactio parva, sed non parvipendenda! Etenim quàm facilis modò, tam difficilis erit postea. Et sicut modò nemo est, qui reconciliari non possit, ita post paululum nemo qui possit: quoniã sicut benignitas apparuit ultra omnẽ spem, ultra omnem æstimationem, ita similem expectare possumus judicii districtionem. Appareurat ante (n) Potentia Dei in rerum creatione, apparebat Sapientia in earum gubernatione, sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate. Noli ergo fugere Adam (o) quia nobiscum Deus. Ne timeas, ô homo. nec audito Dei nomine terrearis, quia nobiscum Deus. Nobiscum Carnis similitudine, nobiscum unitate. Propter nos venit tanquam unus ex nobis, similis nobis, passibilis. Quid tu times ô homo (p) quid trepidas à facie Domini quia venit? Venit non judicare, sed salvare terram. Olim tibi persuasum est ab infideli quodam servo, ut furtim tolleres & imponeres Regium diadema capiti tuo. Deprehensus in furto, quidni timeres? quidni fugeres à facie ejus? Fortè enim jam gladium vibrabat igneum. Nunc in exilio positus, in sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et ecce vox audita est in terra, quia Dominator advenit. Quò ibis à Spiritu ejus, & quò à facie ejus fugies? Noli fugere, noli timere, non venit cum armis: non puniendum, sed salvandum requirit. Et ne fortè dicas etiam nunc: *Vocem tuam audivi, & abscondi me*: ecce infans est, & sine voce. Nam vagientis vox magis miseranda est, quàm tremenda. Aut si cui fortè terribilis, sed non tibi. Parvulus factus est, tenera membra Virgo Mater pannis alligat, & adhuc timore trepidas? Vel in hoc scies quia non venit perdere te, sed salvare: eripere, & non ligare. Propterea (q) & ipse dicit, quia non venit Filius ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Alioquin quid agerem audiens Dominum venientem? Numquid non fugerem sicut Adam, qui à facie ejus fugit, sed non effugit? Nonne desperarem, audiens quia venit ille, cujus legem sic prævaricatus sum, cujus patientiã sic abusus sum, cujus beneficio tam ingratus inventus sum? Nunc jam confidenter accedo, jam supplicio fiducialiter. Quid enim timeam, quando Salvator venit in domum meam? Ante paucos dies (r) celebravimus adventum ejus in carcerem hujus mundi, idest diem Natalis: hodie verò celebramus quòd catenas & vincula nostra suscepit. Hodie enim qui peccatum non fecit, ut reos absolveret, innoxias manus eorum catenis inservit. Hodie sub lege factus est, qui legem dedit. Denique quid mirum, si pro nobis dignatus est circumcidi, pro quibus dignatus est mori? Totus siquidem mihi datus, & totus in meos usus expensus est. Ex nobis assumpsit (s) quæ pro nobis sustinuit, nasci, lactari, mori, sepeliri. Mea est mortalitas nati, mea infirmitas parvuli, mea expiratio Crucifixi, mea sepulti dormitio. Postremò (t) possumus & alio modo accipere præcisionem Vitis nostræ: ut discamus omnia ab eo præcisa, quibus caruit in hac vita, cùm ea tamen habere potuisset. Et accipiamus hanc præcisionem à verbo Apostoli dicentis: *Qui cùm in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*. Ipsa enim exinanitio, quædam præcisio est. Sicut enim minuitur vitis, quando præciditur: ita vera Vitis Christus incarnatione minoratus ab Angelis, imo & infra omnes homines humiliatus fuit. Quomodò amputata fuit in eo gloria cultro ignominiæ, potentia cultro abjectionis, voluptas cultro doloris, divitiæ cultro paupertatis? Vide nunc quantùm præcisa fuerit. Ille cui famulatur omnis gloria cælorum, imò ipse qui solus vera gloria quasi abiicit gloriam. Servili circumdatus indumento sustinet ignominias, confusionibus operitur, ut te à confusionibus redimeret, & ad gloriam pristinam revocaret. Ille, cujus potenti

nutui

l *Tractat. de Vite myst. cap. 2. n. 2.* m *Ser. 1. in Epiph. Dom. n. 5.* n *Ser. 1. in nativi. Dom. n. 1.* o *Serm. 2. de Adu. Dom. n. 1.*

p *Serm. 1. in Nativit Dom. n. 3.* q *Serm. 1. in Epiph. n. 4.* r *Serm. 3. in circumcis. n. 4.* s *Ser. 75. in Cant. n. 7.* t *Tract. de Vite Myst. cap. 2. num. 3.*

nutui omnia inferna, terrestria, & supercælestia sunt subjecta, sic fit abjectus, ut reputaretur omnium virorum novissimus: subiicitur fami, siti, caloribus, frigoribus, doloribus, infirmitatibus. Ille in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei sunt absconditi, Rex regum, dives in omnes, solus nullius egens, sic fit pauper, ut ipso teste & vulpibus terræ, & volucribus cæli pauperior inveniatur. Et nos igitur, Fratres (u) circumcidi necesse est, & sic nomen salutis accipere: circumcidi sanè non literà, sed spiritu & veritate: circumcidi non uno membro, sed toto corpore simul. Quæ est autem moralis circumcisio nostra, nisi quam commendat Apostolus: *Victum*, inquiens, *& vestitum habentes, his contenti simus?* Optimè prorsùs circumcidit nos & superflua resecat universa, voluntaria paupertas, pænitentiæ labor, regularis observatio disciplinæ.

§. III.

Meritò quoque (x) dum circumciditur Puer qui natus est nobis, Salvator vocatur, quòd videlicet ex hoc jam cæperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis Sanguinem fundens. Neque enim jam quærere est Christianis, cur voluerit Dominus Jesus Christus circumcidi: propter hoc siquidem circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos. Nec in peccato genitus, nec à peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo, magis autem propter delicta nostra. Bene ergo (y) in hac prima effusione Sanguinis Agni purissimi aptatum est ei Nomen Jesus, eò quòd jam tunc pro salute nostra Sanguinem fundere inciperet, qui in completione salutis nostræ totus erat effundendus. *Postquàm* enim [z] *consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus.* Magnum & mirabile Sacramentum! Circumciditur puer, & vocatur Jesus. Quid sibi vult ista connexio? Circumcisio nempe magis salvandi, quàm Salvatoris esse videtur, & Salvatorem magis circumcidere decet quàm circumcidi. Sed agnosce mediatorem Dei & hominum, qui ab ipso Nativitatis suæ exordio Divinis humana sociat, ima summus. Nascitur ex muliere, sed cui fœcunditatis fructus sic accedat, ut non decidat flos Virginitatis: pannis involvitur, sed panni ipsi Angelicis laudibus honorantur: absconditur in præsepio, sed proditur radiante Stella de Cælo. Sic & Circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis, & nomen quod est super omne nomen, gloriam indicat Majestatis. Circumciditur tanquam verus Abrahæ filius: Jesus vocatur tanquam Filius Dei. Neque enim, adinstar priorum meus iste Jesus nomen vacuum aut inane portat. Duos Jesus lego (a) in typo hujus quem nunc in manibus habemus, præcessisse, ambos populis præfuisse: quorum unus populum suum de Babylone eduxit, alter suum in terram promissionis introduxit. Et illi quidem illos quibus præerant, ab hostibus defendebant, sed numquid salvabant à peccatis eorum? Is autem noster Jesus & à peccatis salvat populum suum, & introducit in terram viventium. *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Non est in eo (b) magni nominis umbra, sed veritas. Cælitùs siquidem inditum nomen Evangelista testatur, *quod vocatum est ab Angelo priusquàm in utero conciperetur.* Et attende verbi profunditatem. Postquàm natus est Jesus, Jesus vocatur ab hominibus, qui vocatus est ab Angelo priusquàm in utero conciperetur. Vocatum planè (c) non impositum, nempè hoc ei nomen est ab æterno. A natura propria habet, ut sit Salvator: innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana vel Angelica creatura. Nomen Salvatoris mei (d) nomen à sæculis absconditum, sed in fine sæculorum revelatum. Nomen mirabile, nomen ineffabile, nomen inæstimabile: imò eò mirabilius, quò inæstimabilius, eò magis gratum, quò gratuitum. Hoc est novum nomen [e] quod os Domini nominavit, quod & vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. Sed quid dicimus [f] quòd egregius ille Propheta Esajas hunc ipsum puerum multis nominibus appellandum prædicens, hoc unum tacuisse videtur, quod solum (ut præmonuit Angelus, & testatur Evangelista) vocatum est nomen ejus? Exultavit Esajas, ut videret diem hunc: & vidit, & gavisus est. Denique, & loquebatur gratulabundus & laudans Deum: *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, & factus est principatus ejus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.* Magna quidem nomina. Sed ubi est nomen, quod est super omne nomen, nomen Jesu, in quo omne genu flectatur? Fortè in his omnibus unum illud invenies, sed expressum quodammodò & effusum. Nempè ipsum est, de quo sponsa in cantico amoris: *Oleum*, inquit, *effusum nomen tuum.* O nomen [g] benedictum! O oleum usquequaquè effusum! Quousque? De cælo in Judæam, & inde in omnem terram excurrit, & de toto orbe clamat Ecclesia: *Oleum effusum nomen tuum.* Effusum planè, quod non solùm cælos terrasquè perfudit, sed aspersit & inferos, adeo *ut in nomine Jesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernarum, & omnis lingua confiteatur*, & dicat: *Oleum effusum nomen tuum.* Ecce Christus, ecce Jesus, utrumque infusum Angelis, utrumque effusum in homines, & illos homines qui computruerant tanquam jumenta in stercore suo, homines & jumenta salvans, quemadmodùm multiplicavit misericordiam suam Deus. Quàm carum, quàm vile? Vile, sed salubre. Si vile non esset, non mihi effunderetur. Si salubre non esset, non me lucraretur. Particeps nominis sum, sum & hæreditatis. Christianus sum: frater Christi sum. Si sum quod dico, hæres sum Dei, cohæres autem Christi. Et quid mirum si Sponsi effusum est nomen, cùm ipse quoque effusus sit? Nam semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Denique ait: *Sicut aqua effusus sum.* Effusa est plenitudo Divinitatis habitans super terram corporaliter, ut de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis gestamus, caperemus, ac vitali odore repleti diceremus: *Oleum effusum*

u *Serm. 1. in Circumcis. Dom. n. 3. & 4.* x *serm. 2. in Circum. Dom. n. 3.* y *Tract. de Vite Myst cap. 36.* z *serm. 1. in Circumcis. n. 2.* a *serm. 3. super missus n. 11.*

b *serm. 1. in Circumcis. n. 2.* c *serm. 2. in Circumcis. n. 3.* d *serm. de Verb. sap. n. 4. tom. 6. pagin. 769.* e *serm. 16. in Cantic. nu. 14.* f *serm. 2. in Circum. n. 4.* g *serm. 15. in Cant. n. 4.*

ſum nomen tuum. Multa quidem (h) Sponſi vocabula ſparſa per omnem divinam paginam legitis, ſed in duo ea vobis univerſa complectar. Nullum (ut arbitror) reperietis quod non aut pietatis gratiam, aut potentiam majeſtatis ſonet. Spiritus ita dicit etiam per ſibi familiarius organum: *Duo hæc audivi, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia*. Ergo ſecundùm *Majeſtatem* ſanctum & teribile nomen ejus, ſecundùm *pietatem* non eſt nomen aliud ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Sed exemplis magis perſpicuum fiet. *Hoc eſt* (inquit Jeremias) *nomen quod vocabunt eum, Dominus, juſtus noſter*: nomen *potentiæ* eſt. Item Fſaias: *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel*: *pietatem* inſinuat. Item ipſe de ſe: *Vos vocatis me*, ajt, *Magiſter & Domine*. Primum gratiæ eſt, ſecundum Majeſtatis. Non enim minùs pium eſt docere animum ſcientiam, quàm præbere eſcam corpori. Rursùm Propheta Eſaias: *Vocabitur*, inquit, *nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princepes pacis*. Primum, tertium, quartum, Majeſtatem ſonant, reliqua pietatem. Quid horum ergo effunditur? Profectò Majeſtatis ac potentiæ nomen, in id quod eſt pietatis & gratiæ, quodammodò transfunditur, ipſumquè effunditur abundè per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum. Nomen, verbi cauſâ, quod *Deus* eſt, nonne in id quod eſt, *Nobiſcum Deus*, hoc eſt in Emmanuel liqueſcit & deficit? Sic *admirabilis* in id quod eſt *conſiliarius*: ſic *Deus* & *fortis* in ea quæ ſunt *pater futuri ſæculi & princeps* pacis. Et, *Dominus juſtus noſter, & miſerator Dominus*. Gratias ei [i] qui manifeſtavit hominibus nomen ſuum, fructum ſalutis in ejus invocatione conſtituens, ſicut ſcriptum eſt: *Quicunque invocaverit nomen Domini, ſaluus erit*. Quare enim [k] vocamus nomen ejus Jeſum, niſi quia ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Voluntati autem ejus quis reſiſtet? Jeſus juſtificat, quis eſt qui condemnet?

CAPUT IV.

De fuga in Ægyptum, quam pertulit puer Jeſus, fugendo perſecutionem Herodis qui moliebatur eum occidere.

Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge, & accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. *Matt.* 2.

1. *Oſtenditur quòd Herodes rex, qui machinabatur necem in puerum Jeſum, ita deluſus fuit ab eo, ſicut longè ante Pharao à Moyſe*. 2. *De tribus gradibus ſpiritualis vitæ, qui deſumuntur ex Nativitate, perſecutione, & educatione Chriſti*. 3. *De generibus eorum hominum, qui diuerſimodè impediendo ſalutem animarum, perſequuntur ipſum Chriſtum*.

§. I.

Simeon (a) cujus ſenectus in miſericordia uberi, exultavit ut videret deſiderii ſignum, & vidit & gaviſus eſt: acceptoquè oſculo pacis in pace dimittitur; ante tamen apertè pronuncians Jeſum eſſe natum in ſignum cui contradicendum erat. Omninò ita fuit. Contradictum eſt exorto ſigno pacis, ſed ab his qui oderunt pacem. Nam pax hominibus bonæ voluntatis, malevolis autem petra ſcandali, & lapis offenſionis. Denique (b) & continuò per Herodem draco (ſcilicet diabolus) inſidiatus eſt parienti, ut naſcentem excipiens Filium devoraret, quòd inimicitiæ eſſent inter ſemen mulieris & draconis. Herodes quoque (c) turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo. Siquidem in propria venit, & ſui eum non receperunt. Porrò (d) audito nomine Regis, rex Herodes ſucceſſorem ſuſpicatus expavit. Nec mirum, ſi turbatur Herodes: ſed quòd Hieruſalem Civitas Dei (quæ viſio pacis eſt) cum Herode turbantur, quis non miretur? Videte, Fratres, quantùm noceat iniqua poteſtas: quomodo caput impium ſubjectos quoque ſuæ conformat impietati. Miſera planè Civitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ ſine dubio particeps erit malitiæ, & ad novæ ſalutis ortum Herodiana movebitur turbatione. Recolant (e) quibus nota eſt hiſtoria veteris Teſtamenti, quemadmodùm in Ægypto dum parvuli omnes Iſraëlitici germinis necarentur, expoſitum in aquis Moyſen tulerit filia Pharaonis. Et vide ſi non manifeſtè Chriſti & in hoc ipſo videtur præceſſiſſe figura. Simili nempe cum Pharaone etiam Herodes ſuſpicione laborans, ad eadem converſus eſt crudelitatis argumenta, ſed eodem modo eſt ipſe deluſus. Utrobique pro unius ſuſpecta perſona trucidatur numeroſitas puerorum: utrobique qui quærebatur, evadit. Et quomodo Moyſen filia Pharaonis, ita Chriſtum quoque Ægyptus (quæ non immeritò Pharaonis intelligitur filia) ſuſcepit conſervandum. Poſtquam [f] Joſeph Herodianam invidiam fugiens, Chriſtum in Ægyptum portavit. Siquidem [g] tenella Chriſti infantia à perſecutorum gladiis tuta non fuit. Adhuc enim inter dulcia Matris vbera ſugens dependebat, quando apparuit Angelus in ſomnis Joſeph dicens: *Surge, & accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum*. Jam ex tunc bonus Jeſus dura pati cœpit. Sumens enim [h] corpus fragilitatis humanæ, dignatus eſt ad terram deſcendere, & ſui eum non receperunt, ſed malum ſemper machinati ſunt contra eum. In illum ſæviebat Herodes ille tyrannus iniquus cum turba crudeliſſima Judæorum, quando ſcilicet ad Magorum verba turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo, parvulumquè ac tenellum ad vbera materna pendentem morte crudeliſſima perdere nitebatur. Nec ſolùm [i] illam infantiæ ſuæ vexationem in ſeipſo bonus Jeſus pertulit, ſed etiam mortem in puſillis ſuis, quorum multa millia inter mamillas matrum pro ipſo Herodis

h *Ibidem. n.1.* i *Serm. 15. ſuper Pſalmo 92. num. 6.* k *Serm. 1. in vigil. nativit. Dom. n.2.*

a *Serm. 2. in cantic. n.6.* b *Serm. 1. de Virg. Deip. n.4.* c *Serm. 2. in cant. n.6.* d *Serm. 2. in Epiphan. n.3.* e *Ser. 1. in oct. Paſch. nu. 5.* f *Serm. 2. ſuper miſſus num. 16.* g *Serm. de Paſſ. Dom. n.4.* h *Ser. de lament. Virg. Mariæ num. 15.* i *Serm. de Paſſion. Domini n.4.*

dis trucidavit immanitas. Proinde Innocentes [k] ritu solemni veneramur: quoniam injustum profectò fuit, innocentiam pro justitia morientem ulla vel præsenti gloria defraudari. Benedictus [l] qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. Benedictum nomen gloriæ ejus, quod est sanctum. Neque enim otiosè venit, quod ex Maria natum est Sanctum. Nimirùm inde Stephanus sanctus, inde Joannes sanctus, inde etiam sancti Innocentes. Habemus in Beato Stephano Martyrii simul & opus & voluntatem, habemus solam voluntatem in Joanne, solum in beatis Innocentibus opus. Biberunt omnes hi Calicem salutis, aut corpore simul & spiritu, aut solo spiritu, aut corpore solo. An verò de Innocentium coronis quis dubitet. Ille pro Christo trucidatos Infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptionis filios numerari. Alioquin quando coævos sibi pueros Puer ille, qui natus est nobis non contra nos, propter se pateretur occidi? quod utique solo nutu poterat prohibere, nisi melius aliquid eis provideret: ut quemadmodùm cæteris infantibus tunc quidem circumcisio, nunc verò Baptismus sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem, sic nihilominus pro eo susceptũ martyrium illis sufficeret ad sanctitatem. Si quæris eorum apud Deum merita ut coronentur, quære & apud Herodem crimina ut trucidarentur. An fortè minor Christi pietas, quàm Herodis impietas, ut ille quidem potuerit innoxios neci dare, Christus non potuerit propter se occisos coronare? Hi sunt planè martyres tui Deus: ut in quibus nec homo nec Angelus meritum invenit, singularis tuæ prærogativa gratiæ evidentiùs commendetur. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. *Gloria in excelsis Deo* (Angeli dicunt) *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Magna quidem, sed audeo dicere: Necdum perfecta laus, donec veniat qui dicat: *Sinite parvulos ad me venire, quia talium est regnum Cælorum*: & pax hominibus, etiam sine voluntatis usu in Sacramento pietatis. Considerent hæc (m) qui de opere & voluntate contentiosis solent disputationibus corrixari: considerent & advertant neutrum negligi oportere, ubi non videtur deesse facultas, præsertim cùm utrumque sine altero (ubi tamen facultas deest) nonmodò salutem conferre possit, sed etiam sanctitatem. Sed & hoc quoque firmiter teneant, prodesse quidem sine voluntate, non tamen contra voluntatem: ut unde salvantur infantes, inde magis damnentur fictè accedentes. Nihilominus sanè in quibusdã voluntas sine opere sufficiens est, non autem è contra opus. Verbi causâ. Rapitur quis in bona quidẽ voluntate, sed necdum perfecta, necdum idonea, martyrium sustinere: quis illi audeat pro hac imperfectione negare salutem? Fortè enim propterea non sinitur in illam gravem tentationem venire, nè deficiat & damnetur. Nimirùm si in hac tam infirma voluntate induceretur in eam quæ supra ipsum est tentationem, nec voluntas roboraretur, quis illum dubitet defecturum, negaturum, & si in eo mori contigerit, etiam periturum? *Qui enim erubuerit me coram hominibus, erubescam & ego eum coram Angelis Dei*, ait Dominus. In ea igitur imperfecta voluntate, in qua salvatur quis ubi deest facultas operis, iam non salvari posset propter defectum operis, vel opus defectionis.

§. II.

Sed cùm vos (n) non quæstiones quæritis, sed devotionem, nec unde lingua acuatur, sed unde animus excitetur: propterea his prætermissis, ad spiritualem intelligentiam enucleandam transeamus. Dominus Deus noster, Deus unus est, non potest variari, non potest mutari, dicente David: *Tu semper idem es, & anni tu non deficient.* Hic igitur Deus noster æternus, intemporalis, incommutabilis, in nostra factus est natura mutabilis & temporalis, ut mutabilibus ad ipsam æternitatem & stabilitatem viam faceret eam, quam pro nobis assumpsit mutabilitatem: ut in uno eodemquè Salvatore nostro, & via esset quâ ascenderemus, & vita ad quam veniremus, & veritas quâ frueremur, sicut ipse ait: *Ego sum via, veritas, & vita*. Magnus itaque Dominus in sua natura persistens, parvulus natus est secundùm carnem, & per certa temporum spatia profecit & crevit secundùm carnem: ut nos mente parvuli, imò penè nihili spiritualiter nasceremur, & per spiritualium ætatum distinctiones cresceremus, & proficeremus. Ita ejus profectus corporalis, noster est profectus spiritualis: & ea, quæ ab eo in cunctis ætatibus acta describuntur, in nobis per singulos profectuum gradus spiritualiter agi, à benè proficientibus sentiuntur. Sit igitur *primò* corporalis Christi *Nativitas*, spiritualis nostræ nativitatis, id est sanctæ conversationis exemplum. In hoc gradu prodigus filius fame tabescens, ad domum panis invitatur, ubi non similagineus, sed subcinericius invenitur: ut cinerem cum pane manducet, & potum suum cum fletu temperet. Est enim panis similagineus purus, mundus, sine cinere, sine paleis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Sed ad hæc (o) quis idoneus? Panis est Angelorum, quorum palatum ad gustum uvæ acerbæ non obstupuit: ideo plenè & perfectè gustant & vident quoniam dulcis est Dominus. Sed ut panem Angelorum manducaret homo, susceptis paleis nostræ paupertatis, susceptis cineribus nostræ mortalitatis, suscepto fermento nostræ infirmitatis, panis Angelorum factus est homo, magnus factus est parvulus, dives pauperculus: ut tu magnus in oculis tuis, humilitate fias parvulus: dives cupiditate, facultatum abjectione pauperculus: nec, ubi spiritualiter nasceris, locum habeas in diversorio, dum non tuæ voluntati, tuo sensui, tuæ scientiæ, tuæ industriæ, sed alieno judicio inniteris. Tunc cinerem cum pane manducabis, quando cibabit te Dominus pane lachrymarum, & potum dabit in lachrymis in mensura. Sic tu nasceris in Christo, sic in te nascetur Christus. Inde est (p) quòd etiam in illa tam jucundissima annunciatione congruè satis dicitur non tam natus esse quàm nasci: *Jesus Christus Filius Dei nascitur in Bethleem Judæ.* Sicut enim quodammodò immolatur adhuc quotidie, donec mortem ejus annunciamus: sic videtur & nasci, dum fideliter repræsentamus ejus Nativitatem. Præoccupemus igitur

[q]

k *Epistol. 98. num. 5.* l *serm. in natali SS. Innocen. num. 1. & 2.* m *Ibidem n. 3.*

n *ser. de Jesu puer. duoden. n. 11. tom. 6. pag. 635.* o *Ibidem num. 22.* p *ser. 6. in vigil. Nativit. Dom. n. 6.*

(q) faciem Domini in confeſſione, ut ſanctificati pariter & parati inveniamur & nos in Bethleem Judæ, atque ita naſcentem Dominum videre mereamur in nobis. Cæterùm ſi qua anima eo uſque profecerit (quod quidem eſt multum ad nos) ut ſit fæcunda virgo, ſit ſtella maris, ſit plena gratiâ, & ſupervenientem habens in ſe Spiritum Sanctum: puto quòd nonmodò in ea, ſed ex ea quoque non dedignabitur naſci. Nemo ſanè id ſibi arrogare præſumat, niſi quos ipſe ſpeciali dignatione tanquam digito monſtraverit, dicens: *Ecce mater mea, & fratres mei*. Enimverò audi unum ex iſtis: *Filioli mei*, ait, *quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis*. Si enim naſci videbatur in eis, cùm formabatur Chriſtus in eis, quomodo non etiam ab eo ſimiliter naſci eum dicere quis præſumat, qui in ipſis quodammodò parturiebat? Porrò (r) quam videris animam, relictis omnibus, Verbo votis omnibus adhærere, Verbo viuere, Verbo ſe gerere, de Verbo concipere quod pariat Verbo, quæ poſſit dicere: *Mihi vivere Chriſtus eſt & mori lucrum*: puta conjugem, Verboquè maritatam. Confidat in ea cor viri ſui, ſciens fidelem, quæ præ ſe omnia ſpreverit, omnia arbitratur ut ſtercora, ut ſibi ipſum lucri faciat. Talem noverat de quo dicebat: *Vas electionis eſt mihi iſte*. Prorsùs pia mater & fidelis viro ſuo anima Pauli cùm diceret: *Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis*. Sed attende in ſpirituali matrimonio duo eſſe genera pariendi, & ex hoc diverſas ſoboles, ſed non adverſas: cùm ſanctæ matres aut *prædicando* animas pariunt: qui enim (s) aliis evangelizat, quaſi Jeſum in utero portat, ut eum aliis, uel potiùs alios ei pariat. Aut (t) *meditando* intelligentias pariunt ſpirituales. In hoc ultimo genere interdum exciditur & ſeceditur etiam à corporeis ſenſibus, ut ſeſe non ſentiat quæ Verbum ſentit. Hoc fit cùm mens ineffabili Verbi illecta dulcedine, quodammodo ſe ſibi furatur, imò rapitur atque elabitur à ſeipſa, vt Verbo fruatur. Aliter ſanè afficitur mens fructificans Verbo, aliter fruens Verbo. Illic ſolicitat neceſſitas proximi, hîc invitat ſuavitas Verbi. Et quidem læta in prole mater, ſed in amplexibus Sponſi lætior. Chara pignora filiorum, ſed oſcula plùs delectant. Bonum eſt ſalvare multos: excedere autem & cum Verbo eſſe, multò jucundius. *Secundò perſecutio*, [u] quam Chriſtus paſſus eſt ab Herode ſit illius, quam in initio noſtræ converſionis ſuſtinemus à Zabulo, tentationis indicium. Turbatur Herodes (ſcilicet diabolus), quòd ſuum Chriſtus invaſit imperium: nec æquis aſpicit oculis, ſuum domicilium in Chriſti hoſpitium commutatum. Vibrat gladium, tendit arcum, & in eo parat vaſa mortis, ut ſagittet in obſcuro rectum corde. Inflammat carnem naturalibus incentivis, turbat mentem cogitationibus noxiis, & parvulorum cogitatus priori ſuavitate lactantes, multiformi tentatione confodit. Tunc videtur tibi Chriſtus defuiſſe, donec Herode non tuis viribus ſed gratiâ Divinæ miſerationis extincto, cum ampliori tranquillitate redeat, tuumquè in Nazareth præſtoletur occurſum. Cæterùm (x) ſtudioſiùs deinceps conſideremus, quonam modo malignorum ſpirituum ſuggeſtiones audire, imò quanta indignatione abiicere debeamus, averſantes aures noſtras ne audiamus ſanguinem, & ſapientiam quam revelat caro & ſanguis: parvulos quoque Babylonis, cogitatus ſcilicet mundanos ab ipſo initio tenentes, & allidentes ad petram: ipſum etiam malignum cum tentationibus ſuis à conſpectu cordis noſtri abiicientes, & deducentes ad nihilum. *Tertiò* (y) *educatio* Chriſti in Nazareth, noſtrum exprimat in virtute profectum. Poſt tentationem namque neceſſe eſt, ut ad virtutum ſtudia, ſpiritualiaquè exercitia mentis alacritate conſcendas, quaſi ad Nazareth, ideſt, florem: quia ſicut flos non quidem fructus eſt, ſed ex eo fructus producitur; ita exercitia hæc ſpiritualia non quidem puræ virtutes ſunt, quamvis ex eis veræ virtutes Deo operante naſcantur. Hinc (z) Moyſes de quibuſdam ait: *Utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent*. In quibus utique verbis tria nobis video commendari, ſapientiam, intelligentiam, providentiam. Arbitror ſanè tribus eas aſſignari poſſe temporibus, ut æternitatis quædam imago reformari videatur in nobis, præſentia moderantibus per *ſapientiam*, præterita per *intelligentiam* dijudicantibus, *noviſſima* providentibus ad cautelam. Hæc nempe ſpiritualis eſt exercitii ſumma, hæc forma ſtudii ſpiritualis: ut ſapienter diſponamus præſentia noſtra, recogitemus in amaritudine animæ noſtræ præterita, futura quoquæ ſollicitè provideamus. *Sobriè, juſtè, & piè* (ait Apoſtolus) *vivamus in ſeculo*: ut videlicet in præſenti ſobrietas obſervetur: ut juſta ſatisfactione præterita, quæ nobis ſine fructu ſalutis præteriêre, tempora redimantur: ut pietatis clypeum imminentibus de futuro periculis opponamus. Sola eſt enim quæ ad omnia valet pietas, cultus ſcilicet Dei humilis & devotus: nec aliter nobis eſt providere noviſſima, niſi ut univerſa quæ nobis imminere videntur pericula, ſedula nobiſcum cogitatione verſantes, diſcamus de noſtra omninò induſtria, magis autem de noſtris diffidere meritis, & ſoli Divinæ nos protectioni committere pio quodam mentis affectu piæ intentionis in ipſum, cujus datum optimum & donum perfectum eſt, conſummatio felix, & mors pretioſa.

§. III.

Videbatur jam (a) ceſſaſſe perſecutionis tempus, ſed ut palàm factum eſt, nunquam de eſt perſecutio Chriſtiano, ſed neque Chriſto. Et nunc quod gravius eſt, ipſi Chriſtũ perſequuntur, qui ab eo utique Chriſtiani dicuntur. Si quid enim (b) ad ſalutem pertinens, ſi quid religionis oritur, quicunque reſiſtit, quicunque repugnat, planè cum Ægyptiis paruulos Iſraëlitici germinis necare conatur, imò cum Herode naſcentem perſequitur Salvatorem. Nam Herodiana malitia, & Babylonica crudelitas eſt, naſcentem velle extinguere religionem, & allidere paruulos Iſraëlis. Denique Chriſtus (c) qui proprium Sanguinem dedit in precium redemptionis animarum, nonne tibi videtur graviorem ab eo ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, exemplo pernicioſo, ſcandali occaſione, avertit ab eo animas quas redemit,

q *ibidem n.* 11. r *Ser.* 85. *in Cantic. n.* 12. & 13. s *Serm.* 51. *int. diverſ.* t *Serm.* 85. *in Cantic. n.* 13. u *Serm. de Jeſu puer. duoden. n.* 12. x *Serm.* 23. *div. n.* 6.

y *Ser. de Jeſu puer. duoden. n.* 12. z *Ser.* 2. *de SS. Petr. & Paul. n.* 7. a *Ser.* 1. *de converſ. S. Paul. n.* 3. b *Ser.* 3. *in Epiphan. Dom. n.* 3. c *Serm.* 1. *de Converſ. S. Paul n.* 2.

mit, quàm à Judæo qui sanguinem illum fudit. Utinam [d] soli impugnarent nos mali spiritus cum suggestionibus suis, & nihil nocerent homines perniciosis exemplis, persuasionibus importunis, sermonibus adulationis vel detractionis, atque aliis mille modis. Agnoscite dilectissimi [e] & expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitùs sacrilegium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt. Vereor autem, dilectissimi, nè quis fortè sit & in nobis Domini persecutor, quia manifesta docuit ratio, impedire salutem, esse persequi Salvatorem. Quas ego de salute animæ meæ Fratri illi gratias agere possum, qui mihi propinat detractionis fraternæ venenum? Meritò detractores Deo odibiles describuntur, tanquam persecutores. Utinam [f] vel solum tempus vitæ amitteretur in verbis ociosis, sed multi in his etiam vitam amittere comprobantur: necmodò ipsi amittere, sed adimere quoque & hoc fratribus suis. An non amittunt vitam detractores Deo odibiles, odibiles vitæ? Fugit vita quos odit: & quos vita fugit, mori necesse est. An non & ipse moritur, qui venenum bibit quod ei malesuada detractoris lingua propinat? Siquidem furtim ei dilectionis vita subtrahitur: & dum nescit, paulatim in eo fraterna charitas refrigescit. Auditurus est forsitan ipse quoque cui detrahitur: undique enim verba volant, & multorum priùs ora sermo pertransiens, difficile fieri potest quin in singulorum creverit linguis, & quasi jam provectus referatur ad eum ad cujus spectat offensam. Itaque scandalizabitur audiens & tabescet, eoquè faciliùs extinguetur in eo charitas, quò ampliùs ante vivere videbatur. *Si inimicus* (ait Propheta David) *meus maledixisset mihi, sustinuissem utique*. Et quidem cavet sibi prudens auditor, cavet & ipse si non desipit, qui sibi noverit esse detractum. Ille ne veneno inficiatur, iste ne scandalo perturbetur. Sed quod in se est tamen lingua maledica, & illius percutiens conscientiam, & istius vulnerans charitatem, secum pariter utrumque perimit. Numquid non vipera est lingua ista? Ferocissima planè, nimirùm quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? Profectò, & acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. *Lingua* (inquit Propheta) *eorum gladius acutus*. Gladius equidem anceps, imò triceps est lingua detractoris. Nec verò [g] ejusmodi linguam ipso etiam *mucrone*, quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro: nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo: Ipsis quoque nocentior est *spinis*, quas illi tam sublimi Capiti furor militaris imposuit: seu etiam *clavis* ferreis, quos sanctissimis manibus illis & pedibus consummatio Judaicæ iniquitatis infixit. Nisi enim hujus quod nunc pungitur & trasfoditur, corporis sui vitam illius vitæ corporis prætulisset, nunquam illud pro isto mortis injuriæ, crucis ignominiæ tradidisset. Quid & frater is [h] qui exemplo suo ad remissiùs agendum cæteros provocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate, aut impatientia sua & murmuratione molestat, aut quocunque modo contristat Spiritum Dei qui in eis est, scandalizans unum de minimis istis credentibus in eum? nonne & hic manifestè persequitur Christum? Ut ergo persecutorum & nomen & crimen longè sit semper a nobis, obsecro vos, dilectissimi, benignos semper & mites exibeamus nos, invicem supportantes in omni patiētia, & ad id quod melius & perfectius est, alterutrum provocantes. Quis enim servus sufficere sibi putat non persequi Dominum, sed nec obsequi Domino? Quam habiturus est gratiam, si ut non resistit, sic nec assistit quidem? Denique si quis adeo pusillaminis est, ut satis sibi reputet nec persecutorem esse nec coadiutorem Dei, audiat quid ipse loquatur: *Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit*. Proinde dilectissimi [i] pacem habete ad vos, & nolite lædere invicem, non facto, non verbo, non signo qualicunque: & ne quis fortè exacerbatus & præoccupatus à pusillanimitate spiritus & tempestate Deum interpellare cogatur adversùs eos, qui se læserint aut contristaverint, & prorumpere in verbum grave contingat: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me*. Sic enim peccantes in fratrem, in Christum peccatis, qui ait: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Nec cavendum à gravioribus tantùm offensis, verbi gratiâ, ab aperto convitio seu maledicto, sed à clandestino quoque & venenato susurrio. Non, inquam, sufficit os custodire ab his & his similibus, cavenda sunt & levia. Si tamen leve debet dici quodcunque in fratrem præsumpseris voluntate lædendi: cùm hoc solo si irasceris illi, Divini reus judicij tenearis. Meritò quidem. Nam quod tu leve putas, & ob hoc leviùs præcipitas, plerumque alius aliter accipit, tanquam homo videns in facie, & secundùm faciem judicans, paratus festucam trabem suspicari, & scintillam putare fornacem. Non enim est omnium charitas illa quæ omnia credit. Proni sunt autem sensus hominis & cogitationes ad malum potiùs suspicandum, quàm ad bonum credendum: præsertim ubi disciplina silentij nec te qui in causa es excusare permittit, nec illum vulnus suspicionis aperire quod patitur ut curetur. Ita urit ille, & moritur clauso & lethali vulnere, intra semetipsum gemens, dum totus in ira & disceptatione positus, nil aliud sinens versare in mente possit, nisi injuriam quam accepit. Non potest orare, non potest legere, non sanctum aut spirituale aliquid meditari. Et ita intercepto vitali spiritu, dum suis destituta alimentis vadit ad mortem anima, pro qua Christus mortuus est. Quid tu interim quæso animi habes? Quid oratio tua aut opus quodcunque interim feceris sapit tibi, contra quem nimirùm Christus anxiè clamat de pectore fratris tui quem contristasti: Filius, inquiens, matris meæ pugnat contra me, & qui simul mecum dulces capiebat cibos, replevit me amaritudine? Porrò [k] voluntas propria quo furore Dominum majestatis impugnat, audiant & timeant servi propriæ voluntatis. *Primò* namque seipsam & subtrahit & subducit ejus dominatui, cui tanquam Auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta erit hac injuria? *Secundò* addit adhuc & quod in se est, omnia quoque quæ Dei sunt

G

e Serm. 1. de convers. S. Pauli n. 3. & 4. f Ser. 17. diversis n. 4. g Ibidem n. 5. h Serm. 1. de Convers. S. Pauli n. 4.

i Ser. 29. in cant. n. 4. k Serm. 3. de Resurrect Domini n. 4.

sunt, tollit & diripit. Quem enim modum ponit humana cupiditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari conaretur universum, si non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter: Nemini qui sit in propria voluntate, posset universus mundus sufficere. Sed utinam vel rebus istis esset contenta, ne in ipsum [horribile dictu] desæviret Rectorem. Nunc autem *tertiò* & in ipsum, quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria. Omninò enim vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ, quantùm in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum, aut insipientem. Crudelis planè & omninò execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sævissima. Caveamus proinde [l] à propria voluntate, tanquam à vipera pessima & nequissima, & quæ sola deinceps damnare possit animas nostras. Hæc namque [m] adversùs Deum inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam. Quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem?

CAPUT. V.

De tentationibus Christi, quas in jejunando sustinuit à diabolo pro salute nostra.

Ductus est Jesus in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo: & cùm jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. *Matth.* 4.

1. *Ostenditur Christum Dominum, postquam esset baptizatus à Joanne, statim profectum esse in desertum, ut ibi peractis quadraginta diebus in jejunio, tentaretur à diabolo, & sic nobis præberet exemplum resistendi tentationibus ejus.* 2. *Ostenduntur quatuor esse tentationes vitæ humanæ, quæ in Psalmo nonagesimo nominantur, timor nocturnus, sagitta volans in die, negotium perambulans in tenebris, dæmonium meridianum: per quæ nomina significantur molestiæ carnis, vana gloria, infelix ambitio sæculi, iniquitas palliata specie boni.* 3. *Describuntur quatuor tentationes Christi, quarum tres factæ sunt in deserto, in pinnaculo templi, in vertice montis: quarta tentatio fuit tota vita ejus. Item agitur de quatuor tentationibus, quæ exprimuntur in eodem Psalmo sub totidem vocabulis, aspidis, basilisci, draconis, leonis.* 4. *Proponitur nobis ad imitandum exemplum Moysis, Eliæ, & Christi, jejunantium quadraginta diebus: nec non regula, quâ docemur non solùm gulam, sed etiam sensus nostros & animam nostram debere jejunare.* 5. *Traditur cuique Christiano modus comedendi ad evitandum vitium gulæ, cujus quinque species notantur verbis sequentibus: Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.*

§. I.

Christus (a) infantiâ teneriori decursâ, humiliter veritatis nobis exemplum tribuit. Non enim sedit cum consilio vanitatum, sed in medio doctorum, interrogans & audiens illos, cùm tamen Dominus scientiarum esset atque sapientia Dei Patris. Sed & obedientiæ nobis formam tribuit, dum parentum imperio ipse Imperator mundi humiliter subditus extitit. At ubi robustioris ætatis plenitudo advenit, missurus manus ad fortia, egressus est in salutem populi sui ut gigas magnificus, ad currendam viam totius nostræ miseriæ. Et quidem ut per omnia se primùm fratribus assimilaret, servum Joannem baptizantem peccatores in pænitentiam, tanquam peccator adiit, baptizari se postulavit innocens Agnus Dei, quem nulla peccati stilla unquam maculavit. Intuere ô homo (b) quomodo Dñus Jesus humiliat se sub manibus sui servi Joannis in Jordane baptizandus, non ut aliquas maculas à se abluat, qui ingressus est mundum sine macula, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejùs: sed ut tibi Sanctificet aquas, & contactu suæ mundissimæ Carnis conferat aquis vim regenerationis, tuis facinoribus abstergendis. Baptizatus ergo (c) non se in aquis, sed aquas in se sanctificat, ut per eas sanctificaret nos. De Baptismo in desertum in spiritu fortitudinis egressus est, ut vitæ solitariæ in se non deesset exemplum. Solitudinem ac jejunium quadraginta dierum, famis accerbitatem, tentamenta, & illusiones spiritûs æquanimiter toleravit, ut hæc omnia nobis tolerabilia efficeret. Mox utique baptizatus (d) ut nobis præberet exemplum sanctitatis & religiosæ conversationis, in desertum profectus est: jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, nullum omninò degustans cibum, quod humanæ infirmitati penitùs impossibile est: quæ nisi quotidianis fulcimentis ruinas stomachi resarcire studuerit, detrimento defectionis subjacebit. Unde optimè posuit Evangelista (e) quòd post jejunium esuriit, ut scias Jesum, non in virtute Divinitatis, sed humanitatis suæ naturâ jejunasse. Quid enim magnum, si in Divinitatis fortitudine quadraginta diebus jejunasset, in qua nunquam esuriit. Denique Christus (f) non propterea abstinens fuit, ut castigaret corpus suum, & in servitutem redigeret, ne forte reprobus efficeretur: sed ut nobis formam daret & documentum abstinentiæ, sicut in Circumcisione & Baptismo, quæ non ad emundationem suam accepit, qui semper fuit mundissimus & omnium emundator: sed ut obedientiæ nobis formam justitiæquè donaret. Sine dubio virtutem habuit abstinentiæ Rex virtutum, & præ omnibus sanctis præteritis & futuris excellentiùs semetipsum macerans, non necessitate, sed voluntate. Esuriens autem Deus (g) ex voluntate potentiæ, & nativitate assumptæ naturæ, tentari sustinuit à diabolo

l *Ser. 11. inter. divers. n. 3.* m *Ser. 3. de Resurrect. Dom. n. 3.*

a *Ser. de Pass. Dom. n. 5. & 6.* b *Tract. de 3. precep. myst. cap. 6. n. 12.* c *Ser. de Pass. Dom. n. 6.* d *Tract. de præcip. myst. cap. 6. n. 11* e *Tract. de vite myst. cap. 5. n. 22.* f *Ibidem cap. 42 n. 150* g *tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. n. 21. & 12.*

bolo: de cibi appetitu inordinato tentatorem non minùs patienter quàm sapienter vicit, & confusum repulit. Tria Beneficia tibi, ô homo, in hoc contulit: exemplum humilitatis, formam patientiæ, imitationem cautelæ. Humilia te si tentaris, quia non est major servus Domino suo: Dominus tentatus est, oportet ut tentetur servus, quia tentatio est vita hominis super terram. Quoniam autem multiplices & subtiles sunt dæmonum tentationes, Dominus insinuat, Petro inquiens: *Sathan expetivit vos, ut cribaret sicut triticum*. Patienter fer si tentatii: nam & Dominus, licet tentatorem suum imperio in ima inferni præcipitare potuisset, patienter tamen tulit, & ratione superavit. Cautus esto si tentaris, ne tantor se transfigurans in Angelum lucis, sub specie recti te fallere possit, sicut Evam cui dixit: *Si de ligno comederitis, eritis sicut Dij, scientes bonum & malum*. Resiste humiliter, resiste cautè, resiste patienter. *Fidelis est Dominus* (ait Scriptura) *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. *Qui vicerit*, (inquit Dominus) *faciam illum columnam in templo meo*. Rursumq; ait: *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei*. Dulcis promissio, & fælix bravium benè currenti, beata corona benè vincenti. Tibi ergo, ô homo, Christus tentatus est, non sibi: tibi vicit, non sibi: tibi esuriit, tibi sitivit, & lassitudinem sustinuit. Dæmonum officium est [h] suggestiones malas ingerere: nostrum est illis non consentire. Nam quoties resistimus, diabolum superamus, Angelos lætificamus, Deum honorificamus. Ipse enim nos hortatur, ut pugnemus: adjuvat, ut vincamus. Certantes in bello spectat, deficientes sublevar, vincentes coronat. *Omne* (inquit Joannes) *quod natum est ex Deo, vincit mundum*. Benè (i) quod natum est ex Deo, vincit mundum, ut sit testimonium cælestis generationis victoria tentationis. Et sicut is qui Filius est per naturam, mundum cum suo principe triumphavit: sic & nos victores inveniamur quotquot sumus filij adoptionis, Victores sanè, sed in ipso qui confortat nos, in quo & possumus omnia: quia hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Fide siquidem in Dei filios adoptamur. Fidem in nobis mundus in maligno positus odit, atquè persequitur: fide quoque & vincitur, sicut scriptum est: *Sancti per fidem vicerunt regna* Quidni attribuatur fidei victoria, cujus est etiam vita? *Justus* (inquit Apostolus) *ex fide vivit*. Quoties ergo tentationi resistis, quoties vincis malignum, noli propriis tribuere viribus, noli in te, sed magis in Domino gloriari. Quando enim fortis ille armatus tuæ cederet infirmitati? Audi deniquè quid Dominici constitutus Pastor ovilis admoneat: *Adversarius* (inquit) *vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui resistite fortes in fide*.

§. II.

Porrò [k] si tot tentationibus plena est vita nostra, ut non immeritò tota ipsa tentatio debeat appellari: pervigili circumspectione opus est & oratione, ne inducamur in eam. Unde est & illud in oratione Dominica: *Et ne nos inducas in tentationem*. Quia ergo undique sic circumdatus es tentationibus, *Scuto circumdabit te Veritas eius*: ut quemadmodum undique bella, ita undique sint & præsidia. In quo & omninò illud manifestum est, spirituale scutum esse oportere quod circumdare potest. Veritas autē circumdat, quia verax qui promittit, & sic exhibet ut promittit *Fidelis Deus* (ait Apostolus) *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. Non incongruè sanè scuto comparatur gratia divinæ protectionis, quod in superiori parte amplum & latum est, ut caput humerosquè custodiat: in inferiori verò strictius est, ut minùs oneret, maximè quòd graciliores sint tibiæ, nec tam facilè vulnerentur. Itaque (l) *scuto circumdabit te Veritas ejus, non timebis à timore nocturno, à sagitta volāte in die, à negocio perambulāte in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano*. Hæ sunt quatuor tentationes, quibus undique circumdati necesse habemus circumdari etiam scuto Domini, ut sit nobis à dextris & à sinistris, ante & retrò. Verùm considerandum nobis est, quæ sint istæ quatuor quas hîc ponit Propheta tentationes. Credo enim quòd in ordine quo hîc numerantur, contra eos qui convertuntur insurgunt, & velut principes sunt omnium tentationum. *Prima quidem tentatio est timor nocturnus*. Solet (m) in divinis Scripturis adversitas designari per noctem: & scimus quia adversùs eos qui convertuntur, primum esse certamen de molestiis corporis consueuit. Caro enim hactenùs indomita, castigari & in servitutem redigi nequaquam æquanimiter patitur, sed adhuc memor recens perditæ libertatis acriùs concupiscit adversùs spiritum. Turbant ista maximè eos, qui necdum consueverunt, necdum in promptu habent recurrere ad orationes, resurgere ad meditationes sanctas, ut sic relevetur diei pondus & æstus. Necessarium planè nobis est inter ipsa nostræ conversionis initia scutum Domini, ut non timeamus à timore nocturno. Benè autem dicitur non timendum *à timore nocturno*, & non dicitur, à nocte, quia non ipsa afflictio tentatio est, sed magis timor ipsius. Nam & omnes laboramus, cùm tamen non omnes inde tentemur: & qui tentantur, multò magis timore futuræ pœnæ, quàm præsentis dolore læduntur. Quia ergo (n) timor ipse tentatio est, congruè dictum est ei qui circumdatur scuto Domini, quòd à tentatione hac non timebit. Fortè impugnabitur, fortè timebit noctem, sed non ei timor iste nocebit. Magis autem si non fuerit dominatus, tunc immaculatus erit, & emundabitur, sicut scriptum est: *Quia territi purgabuntur*. Caminus est timor iste, sed ut examinet, non exurat, veritas facit. Nocturnus planè & tenebrosus timor, sed facilè hunc radius veritatis exuperat. Ingerit enim oculis cordis *nunc* quidem peccata quæ fecimus, ut, quemadmodùm de se Propheta ait, etiam nos in flagella parati simus, annunciantes iniquitatem nostram, & cogitantes pro peccato nostro: *nunc* verò æterna supplicia quæ mervimus, ut in eorum comparatione quæ evadimus

h *Tract. de cognit. hum. condit. cap. 12. n. 35.* i *Ser. 1. in oct. Pasch. n. 2.* k *Ser. 5. sup. Psal. 90. n. 1. & 2.*

l *Ibidem n. 3.* m *Ser. 6. super Psal. 90. n. 1.* n *ibidem n. 2.*

mus, universa quæ patimur, delitias reputemus: *nunc* quoque cælestia præmia ad quæ tendimus, crebrò videlicet memorantes, quoniam non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: *nunc* etiam ea quæ pro nobis pertulit Christus, ut crebrò considerantes quanta sustinuit illa Majestas pro inutilibus servis, erubescamus non sustinere vel parva pro nobis. *Secunda tentatio est sagitta volans in die*. Nox præcessit (o) ut filius lucis & diei honostè ambulans, time sagittam. Leviter volat, leviter penetrat, sed dico tibi non leve infligit vulnus, citò interficit. Nimirum sagitta hæc *vanagloria* est, non est unde hæc impugnet pusillanimes & remissos. Qui ferventiores esse videntur, ipsi sibi caveant in hac parte: nihilominus adhuc solliciti non deferere scutum inexpugnabile veritatis. Quid enim aliud tam contrarium vanitati? Nec sanè huic opponenda sagittæ secreta illa & quodammodò intima veritatis exigimus, semetipsam noverit anima, de se teneat veritatem. Difficile prorsùs (ni fallor) homo verbis laudantium hominem in vita sua adduci poterit altum sapere, si se intùs ad lucem veritatis sollicita consideratione discutiat. Nonne enim si propriam cogitat conditionem, dicturus est sibi: *Quid superbis terra, & cinis?* Nonne si propriam considerat corruptionem, fateatur necesse est, quoniam non est in eo bonum? Sed & si fortè aliquid habere videtur, non inveniet puto quid respondeat Apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti?* Et alibi: Qui stat, videat ne cadat. *Tertia tentatio est negotium perambulans in tenebris*. Sed eadem quoq; veritas (p) & eis nihilominus opponenda est tentationibus quæ sequuntur. Neque enim vel sic desistit hostis antiquus, sed ad callidiora fortè convertitur argumenta. Firmam probavit utroque latere turrim, non est quòd vel à sinistris pusillanimitate timoris, vel à dextris eam humanis concutere laudibus, in utraque jam molitione frustratus attentet. Sed si viribus, inquit, deiicere nequeo, fortè deiicere possum alicujus ingenio proditoris. Quis putas erit hic proditor? Planè cupiditas radix iniquitatis, ambitio subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorem. Contempsit vanam gloriam, ait, quoniam vana est: fortè solidius aliquid affectaret, fortè honores, fortè divitias. Quantos hoc negotium perambulans in tenebris trudi fecit in tenebras exteriores, veste spolians nuptiali, & virtutum exercitia fructu pietatis evacuans? Quantos pestis hæc nequiter supplantatos turpiter quoq; dejecit, ut cæteri quique quos latuit occultus effossor, subitam expavescerent ad ruinam? Quid verò hunc fovet vermem aliud quàm mentis alienatio, & oblivio veritatis? Aut quid nisi veritas hunc prodendum vestigat proditorem, & negotium arguit tenebrarum? Nimirum hæc est quæ dicit: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, si autem perdat, & detrimentum sui faciat?* Et item: *Potentes*, ait, *potenter tormenta patientur*. Hæc est quæ sedula suggestione reducit in mentem, quàm sit in ambitu frivola consolatio, grave judicium, usus brevis, finis ignotus. *Quarta tentatio* (q) *est dæmonium meridianum*: quod soleat maximè insidiari perfectis, qui videlicet tanquam viri virtutum omnia superaverint, voluptates, favores, honores. Quid enim jam superest ei qui tentat, in quo possit pugnare palàm adversus hujusmodi? Venit proinde occultus, qui manifestus non audet: & quem satis expertus est apertum omne horrere malum, falso bono supplantare molitur. Quid (r) nisi ut iniquitatem palliet virtutis imagine? Quos enim perfectos boni noverit amatores, malum eis sub specie boni non mediocris, sed perfecti persuadere conatur, ut citò consentiat qui magnopere diligit bonum, & facilè qui currit incurrat. Hoc est igitur dæmonium nonmodò diurnum, sed meridianum. An non hoc timuit Maria, quando ad novam Angeli salutationem expavit? An non hoc insinuabat Apostolus cùm diceret: *Non enim ignoramus cogitationes ejus? Ipse enim Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis?* An non denique hoc ipsum metuebant Discipuli, quando videntes Dominum super mare ambulantem, clamabant putantes phantasma esse? Et vide quàm benè congruit, quòd quarta vigilia noctis fuisse dicitur, quando contra tentationem quartam vigilasse discipuli perhibentur. Nec verò in re manifestissima nostro opus est eloquio, quòd videlicet sola sit veritas, quæ palliatam detegit falsitatem. Quarto igitur (s) id est supremo demùm loco hæc tentatio formidetur: & quò se in summo stare quis viderit, eò sibi vigilantiùs ab incursu & dæmonio meridiano cavendum intelligat.

§. III.

Hucusque (t) tres tentationes Domini: quartam inimicus non præsumit afferre. Illa enim de ignorantia est, nec dubitat sapientissimum, qui sic moderabatur responsiones suas, ut in nullo unquam posset deprehendere quod quærebat. *Prima* siquidem tentatione esurienti suadebat de lapidibus panem facere: sed ille nec posse, nec non posse respondens, cibum alium prætendit, dicens: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*. *Secunda* verò tentatione præcipitium suadebat, promittens quia non læderetur si Filius Dei esset, & sic videns omnis Civitas laudaret eum & magnificaret: sed ille nec esse se, nec non esse respondit. *Tertia* tentatio de ambitione fuit, quando omnia regna mundi promisit, si cadens adoraret eum. Videsne quòd ambitionis via, adoratio diaboli est, quâ videlicet ad honores & gloriam mundi perveniendum suis ille adoratoribus pollicetur. *Quarta* (ut dixi) tentatione apud eum abstinuit, cujus nimirum tantam est expertus prudentiam ex responsis. Cæterùm (v) tentatus est in omnibus Christus, ut veraciter ab Apostolo scribatur: *Tentatus est per omnia pro similitudine absque peccato*. Erit fortè

qui

o *Ibidem num. 3.* p *ibidem num. 4.*

q *Ser. 33. in cant. n. 13.* r *Ser. 6. super. Psal. 90. n. 6.* s *Serm. 33. in Cant. n. 13.* t *Ser. 6. super. Psal. 92. num. 5.* v *Ser. 14. super. Psal. 92. num. 4.*

qui miretur, & dicat quartam sese Domini tentationem non legisse. Verùm ut ego arbitror, non hoc diceret si legisse se meminisset, quoniam tentatio est vita hominis super terram. Hoc enim qui meminit, non ea tantùm triplici tentatione tentatum fuisse Dominum arbitratur, quæ facta est in jejunio deserti, in pinnaculo templi, in vertice montis. Sanè in his omnibus erat manifesta tentatio. Verùm illa quæ extunc & deinceps usque ad mortem crucis ei non defuit, & si occultior, vehementior tamen fuit. Quid est autem (x) trina illa tentatio inimici, in deserto, in pinnaculo, supra montem? *Si filius Dei*, inquit, *es: dic ut lapides isti panes fiant*. Et item: *Mitte te deorsum*. Neutrum Christus fecit, ut falleretur astutus. Denique eousque seductus est, ut haberet jam pro constanti hominem esse purum, & in tantam vesaniam superbia cæca proruperat, ut non diceret ultra: *Si filius Dei es*; sed, *omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me*. Nihil proinde mirum (y) si sit minùs aperta tentatio, ubi etiam causa tentationis occulta. Cæterùm & diuturnior & validior ipsa est, quòd etiam adversùs spem nostram quidquid habet malignitatis exerat inimicus. Primò quidem (z) ut Auctori naturæ ingratos faciat, ampliorem ingerit pro natura sollicitudinem, quemadmodùm etiam ipsi Christo esurienti ausus est dicere: *Dic ut lapides isti panes fiant*. Quasi verò figmentū nostrum ignoret ipse quod finxit, aut non curet homines, qui volucres cæli pascit. Quàm verò ingratus est ei qui propter hominem universum hunc condidit mundum, quisquis ut substantiam ejus quam concupiscit obtineat, procidens non veretur adorare malignum. *Hæc omnia* inquit, *tibi dabo, si procidens adoraveris me*. Tune illa fecisti miser? Quomodò dabis quæ ille creavit? aut quomodò abs te speranda, quomodò tua adoratione petenda, quæ ab illo condita in illius posita sunt ditione? Jam in hoc quod ait: *Mitte te deorsum*, cave tibi quicunque es qui Templi pinnaculum ascendisti. Cave tibi speculator domus Dei. Cave tibi, qui in Ecclesia Christi locum cerneris tenere sublimem. Enimverò manifestiùs audi (a) quàm necesse habeas portari manibus alienis, nec aliis quàm Angelicis tamen. *Quoniam Angelis suis* (ait Psalmus) *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*. Quid inter hæc faceret pes humanus? Quid humanæ affectionis inter tam terribilia monstra constaret? Nempè nequitiæ spirituales sunt, & quidem non incongruis appellationibus designatæ. Siquidem & de his dictum, quod nequaquam vobis excidisse reor: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*. Quis verò scire potest, an divisæ sint inter eos operationes malitiæ, ministeria iniquitatis, ut ex diversis officiis, quin potiùs maleficiis vocabula quoque diversa sortiti nominentur? Alius siquidem *aspis*, alius verò *basiliscus*, alius autem *leo*, & alius quidem *draco*: quòd videlicet suo quidem invisibili modo variè quoque noceant, quasi alius *morsu*, alius quoque *visu*, alius autem *rugitu* vel ictu, alius quidem *flatu*. Consideremus diligentiùs, Fratres (b) ne fortè illa prima tentatio, quæ corporalis necessitatis occasione animum turbat, *aspidi* debeat comparari. Hoc enim animal quodammodò violentum morsu nocet, obturat aurem ne audiat vocem incantantis. Quid verò agere nititur in hac parte tentator, nisi ut adversùs consolationem fidei aurem cordis obstruat & obturet? Sed non profecit inimicus in eo, non illius præclusit auditum qui ait: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Nam in eo quod ait. *Hæc omnia tibi dabo si procidens adoraveris me*, in malum insidiantis suadibilem sibilum animadvertite *draconis*. Ferunt illum in arena latitantem, etiam aves volantes flatu attrahere venenato. Quàm venenatus hic Flatus fuit, *Hæc omnia tibi dabo si procidens adoraveris me*. Verùm non erat ista quælibet avis, nihil potuit draconis flatus ad illam. *De basilisco* (c) quid dicimus? Monstrosius cæteris, solo visu hominem inficere & interficere perhibetur. Nisfallor, vana gloria est. *Videte* (inquit Dominus) *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis*. Acsi dicat: Cavete oculos basilisci. Sed cui nocere dicitur basiliscus? Ei qui non viderit basiliscum. Alioquin si prior eum videas, jam non tibi nocet (ut ajunt) magis moritur ipse. Ita est Fratres. Non videntes necat inanis gloria, cæcos & negligentes, qui se ei ostentant, qui se exponunt, & non potiùs ipsi inspiciunt, non attendunt, non discutiunt illam: non vident denique quàm sit frivola, quàm sit caduca, quàm vana, quàm inutilis. Si quis eum intueatur hoc modo, moritur basiliscus, nec jam occidit eum gloria, sed occiditur magis, & occidit ei quodammodo versa in pulverem, imò redacta in nihilum. Puto autem, non est quærere quid ad inanem gloriam ea tentatio visa sit pertinere, ubi dictum est, *Si filius Dei es, mitte te deorsum*. Vt quid enim hoc nisi ut videretur, ut laudaretur à basilisco? Et vide (d) quomodo seipsum occultaverit basiliscus, quasi ut non possit ante videri. *Scriptum est* (inquit): *quoniam Angelis suis mandavit de te: & in manibus tollent te*. Quid scriptum est maligne, quid scriptum est? *Angelis suis mandavit de te*. Quid mandavit? Animadvertite & videte quoniam subticuit malignus & fraudulentus, quòd malignitatis suæ commenta dissolveret. Quid enim mandavit? Nempè quod in Psalmo sequitur: *Ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Numquid in præcipitiis? Qualis via hæc de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina: & si via, tua est, non illius. Frustra intentionem Capitis intorsistt, quod scriptum est ad corporis consolationem. Huic enim necesse est custodiri, cui timendum ne offendat ad lapidem pedem suum. Non est quod custodiatur, cui non est quod timeatur. Quid verò taces & illud quod sequitur: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*? Te enim

x *Ser. 1. in die Pasch. n. 10.* y *Ser. 14. super Psal. 90. num. 4.* z *ibidem n. 5.* a *Ser. 13. super Psal. 90. n. 2.*

b *Serm. 14. super. Psal. 90. n. 6.* c *ibidem. num. 7.* d *Ibidem. 8.*

enim hæc parabola tangit. Monstruosa malignitas, monstruosis appellationibus conculcanda signatur: necmodò ab ipso Capite, sed etiam à corpore universo. Siquidem adversùs Dominum post ternam confusionem hanc non jam serpentina calliditate, sed crudelitate usus est *leonina*, usque ad contumelias, ad flagella, ad alapas, ad mortem, & mortem crucis. Sed manifestè etiam leonem te conculcavit Leo de tribu Juda. Sic & adversùm nos, Fratres, ut in cæteris omnibus viderit se frustratum, toto jam furore persecutionem suscitat, qualis non fuerit ab initio; ut vehementiâ tribulationis Regnum cæleste sperantibus intercludat. Fælix anima, quæ & ipsum leonem potenti virtute conculcans, violenter illud rapere prævalebit. Ex hoc itaque, dilectissimi (e) tanquam super aspidem & basiliscum cautiùs & sollicitiùs ambulemus. Caveamus omnem radicem amaritudinis, ut nemo nostrum mordax inveniatur, nemo audax vel ardens, nemo inexorabilis aut rebellis. Nec verò deorsùm mittamus nos, sed transcendamus, & transeamus lethalem gloriæ temporalis obtutum, ut quommodo scriptum est, *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*: conculcemus quoque leonem pariter & draconem, ut neque illius rugitus nos terreat, nec istius flatus inficiat. Videntur hæc quatuor monstra affectionibus æquè quatuor singula singulis incubare. Cui ergo potissimùm *draco* insidiatur? Æstimo quia *cupiditati* quòd hanc noverit esse radicem malorum omnium, & quæ maximè cor subvertat. Inde enim etiam quasi consulens dixit: *Hæc omnia tibi dabo*. Nam de *leone* quidem manifestum est, quòd nisi ad januam *timoris* terrificos non dat rugitus. Porrò *tristitiæ* fores *aspis* observat, quòd eas maximè morsibus suis pervias arbitretur. Unde & ad Christum Dominum donec jam esurientem cerneret, non accessit. E contra sanè caveat necesse est *lætitia basiliscum*, quòd eo potissimùm aditu venenatos ingerere soleat radios oculorum: nec vana gloria, nisi ob lætitiæ noceat vanitatem, Et quia (f) tentante diabolo & suadente, ut de lapidibus faceret panem, Dominus restitit & dixit: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*: deinde tentationibus superatis, & tentatore fugato, accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Et tu ergo si vis habere ministerium Angelorum, fuge consolationes sæli, & tentationibus resiste diaboli. Renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. Cum esuris, currere suadet ad panem: at tu potiùs audi dicentem: *Non in solo pane vivit homo*.

§. IV.

Dominus præcipit nobis: *Tu cùm jeiunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava*. Hodiè, dilectissimi [g] sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ. Non nobis singularis est hæc observatio; una omnium est, quicunque in eandē fidei conveniunt unitatem. Quidni commune sit Christi jejunium omnibus Christianis? Quidni Caput suum membra sequantur? Si bona suscepimus ab hoc Capite, mala autem quare non sustineamus? An respuere tristia volumus, & communicare jucundis? Si ita est, indignos nos Capitis hujus participatione probamus. Omne enim quod patitur ille, pro nobis est. Quod si in opere salutis nostræ ei collaborare piget, in quo deinceps coadjutores nos exhibebimus illi? Non est magnum, si jejunet cum Christo, qui sessurus est ad mensam Patris cum ipso. Non est magnum, si compatitur membrum Capiti, cum quo & glorificandum est. Felix membrum, quod huic adhæserit per omnia Capiti, & sequetur illud quocumque ierit. Rogo vos, dilectissimi [h] tota divotione suscipite Quadragesimale jejunium, quod non sola abstinentia commendat, sed multò magis Sacramentum. Habemus quippè [i] in hac jejunii observatione consortes & multò excellentiores duces, imò & consecratores. Quanta devotione suspiciendum est vobis, quod à Sancto Moyse tamquàm hæreditario jure traditur, cui speciali præ cæteris Prophetis prærogativa, facie ad faciem Dominus loquebatur? Quanto fervore amplectendum est, quod Helias ille commendat igneo curru raptus in Cælum? Ecce enim quàm multa millia à diebus illis generalis conditio mortis invasit? Helias tamen usque adhuc conservante Domino manus ejus evasit. Jam verò si commendant jejunium præsens Moyses & Helias, quamvis magni, tamen conservi nostri: quantùm commendat illud Jesus Dominus noster, qui ipse diebus totidem jejunavit? Qualis ille est Christianus, qui minùs devote jejunium suscipit, quod ei tradidit ipse Christus? Denique tantò devotiùs imitandum nobis est Christi jejunantis exemplum, quantò certiùs est propter nos eum jejunasse, non propter seipsum. Porrò (K) jejunium ad hoc est institutum, ut quod maculaverat crapula, nunc abstinentia mundet. De jejunio (l) quis dubitet an & ipsum purificet? Vera est illa sententia: *Contrariis curantur contraria*. Si ergo per gulam peccavimus & ingluviem, quid restat nisi ut per abstinentiam reparemur? Nec solùm hujus vitii fit per jejuniū purificatio, insuper & virtus ad expellendos dæmones comparatur, dicente Domino: *Hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione & jeiunio*. Jejunia (m) fortia arma sunt adversùs tentationes dæmonum. Per jejunium & orationes vincuntur dæmones. Per jejunium fornicatio superatur, per jejunium luxuria restringitur: remota saturitate, non dominatur luxuria. Abstinentia carnem superat, abstinentia luxuriam refranat, abstinentiæ frangit motum libidinis, abstinentia dissolvit virtutem fornicationis: per famem & sitim luxuria destruitur, fames & sitis luxuriam vincunt. Abstinentia (n) vivificat & occidit: vivificat animam, & & occidit corpus. Abstinentia ædificat in anima virtutes, & destruit vitia corporis. Sicut per abstinentiā omnes virtutes spirituales radicātur atq; ædificantur in anima: ità per suavitatē ciborum omnia vitia nutriuntur & confortantur in corde. Non potest quispiam accipere perfectionem virtutum, nisi priùs domuerit in se ventris gulam. Ideo tres pueri in camino ignis non arserunt, quia abstinentes fuerunt. Daniel etiam ideo liberatus est de ore leonum, quia ser-

e *Ibid.n.9.* f *Ser.4.sup.Psal.90.n.2.* g *Serm.1.in Quadrag.n.1.*

h *Sermo 3. in Quadrag.n.1.* i *Ibidem num. 2.* k *Ser.2.in Dom.1. post oct.Epiph 5.n.7.* l *Serm.5.divers.nu. 2.* m *Lib.de mod.ben. viven.cap.24. num.71.* n *Ibidem num.72*

servavit in se abstinentiam ciborum. Nemo potest à semetipso tentationes dæmonum repellere, nisi refrænaverit in se appetitum gulæ. Abstinentia denique (o) satisfactio est pro peccatis. Primùm quidem, Fratres (p) pro eo quòd ab ipsis quoque licitis abstineamus, ea nobis quæ priùs commisimus illicita condonantur. Quid verò est condonari commissa, nisi jejunio brevi jejunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus, ubi nullus unquam cibus est, consolatio nulla, terminus nullus: ubi guttam aquæ dives postulat, & accipere non meretur. Bonum ergo & salutare jejunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata. Non solùm autem abolitio est peccatorum, sed extirpatio vitiorum: non solùm obtinet veniam, sed & promeretur gratiam: non solùm delet peccata præterita quæ commisimus, sed & repellit futura, quæ committere poteramus. Præterea (q) si fortè diebus cæteris studia vestra aliquatenùs intepuerant, dignum est ut nunc in feruore spiritus recalescant. Quòd si gula sola peccavit, sola quoque jejunet, & sufficit. Si verò peccaverunt & membra cætera, cur non jejunent & ipsa? Jejunet ergo oculus, qui deprædatus est animam, jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. Jejunet *oculus* à curiosis aspectibus & omni petulantia, ut benè humiliatus coerceatur in pænitentia, si malè vagabatur in culpa. Jejunet *auris* nequiter pruriens à fabulis & rumoribus, & quæcunq; ociosa sunt, & ad salutem minimè pertinentia. Jejunet *lingua* à detractione & murmuratione, ab inutilibus, vanis, atque scurrilibus verbis. Jejunet *manus* ab ociosis signis, & operibus omnibus, quæcunque non sunt imperata. Sed & multò magis *anima* ipsa jejunet à viciis, & à propria voluntate sua. Etenim sine jejunio hoc cætera à Domino reprobantur, sicut scriptum est: *Quia in diebus jejuniorum vestrorum voluntates vestræ inveniuntur.* Volo denique (r) admonitos esse fratres meos, observandum jejunium non ab escis tantùm, sed ab omnibus illecebris carnis, & universa corporis voluptate. Imò verò jejunandum longè ampliùs à vitiis, quàm à cibis. Sed est panis à quo vos jejunare nolo, ne fortè deficiatis in via: & si nescitis, panem dico lachrymarum. Exigit enim planctum à nobis pænitentia præteritæ conversationis: exigit fletum desiderium futuræ beatitudinis. Jejunemus ergo, charissimi (s) & devotè jejunemus sancto hoc Quadragesimæ tempore.

§. V.

Jejunia autem moderata debent esse, (t) ne nimis debilitent stomachum: quia modicus & temperatus cibus corpori & animæ est utilis. Pinguis venter non gignit subtilem sensum. Multò meliùs est quotidiè parum sumere, quàm rarò satis comedere. Parcus enim cibus, & venter citò esuriens triduanis præfertur jejuniis. De mensura comedendi (u) difficilè est certam regulam tradere, nisi inter ista duo medium teneas: ne ita parum sumas, ut viribus deficias, & labore frangaris: & ne ita multum, ut post cibum non possis orare, vel legere, vel meditari, vel agilis esse ad omnia opera virtutum. Inter ista duo propria experientia melior magistra erit. Sed obiicitur nobis (x). sententia de verbis ipsius Domini Salvatoris de se dicentis: *Venit ad Judæos Joannes Baptista non manducans neque bibens, & dixistis: Dæmonium habet.* Item: *Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Ecce testimonium Veritatis, quòd Joannes non manducavit neque bibit: & quòd ipse Jesus & manducavit & bibit. Numquid ergo Joannes in abstinentiæ virtute præcellit nostrum dilectum Jesum? Nequaquam. Sed notandum (y) quòd duplex est abstinentiæ virtus: una intùs in mente, altera foris in actu. Et ea quidem quæ in mente est, semper est habenda. Ea verò quæ est in actu, rerum ac temporum qualitate manifestanda est. Benè autem Joannes, qui purus homo erat, abstinentiam tàm in mente quàm in corpore exercebat, ne fortè contaminaretur sicut homo. Noster verò Jesus, qui maculari non poterat, cibis & potibus pro tempore utebatur, ut convescentes sibi ad virtutem attraheret abstinentiæ, cæterasquè virtutes. Nec credas ullo modo majorem esse virtutem omninò abstinere à cibis, quàm ipsis cibariis uti moderatè. Difficillimum est enim in cibariis modum servare omnimodum, ita ut ultraquàm naturæ potest sufficere, nihil sumatur, nec cum ipsis naturæ aliquid de necessariis subtrahatur. Si ergo contingat aliquem habere virtutem abstinentiæ cum Joanne, scilicet ut ipsam mente & opere exerceat, non condemnet eum, qui abstinet cū perfectissimo Jesu: idest, qui abstinentiam prout tempora exigunt & personæ, pro utilitate uel proprii corporis vel proximi nunc intendit, nunc remittit, observans tamen in omnibus omnia, quæ circa virtutem abstinentiæ sunt servanda, ut semper vitii abstinentiæ oppositi, id est gulæ crimen evitet. Cujus vitii abusiones hoc versu notantur. *Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.* *Præproperè* enim (z) comedunt & bibunt illi, qui tempus comedendi præveniunt, sola voluptate non necessitate coacti. Legimus in vita Patrum de Sanctis Patribus, qui hospitum spiritualium charitate devincti, tempus consuetum ciborum anticipaverunt: sed comedendo in charitate, se nequaquam solvisse jejunium æstimabant. *Lautè* comedunt, qui delicatis utuntur cibariis, sola delectatione attracti, quibus non sufficit naturalis sapor carnium siue piscium, quem Creator illis imposuit: sed modis naturæ contemptis, quærunt adulterinos sapores piperis & salsamentorum variorum, ut sibi appetitum faciant comedendi, non metuentes optimum hominum Creatorem vituperare in creaturis suis, dum alios illis sapores faciunt, quàm Creator naturæ earum præstiterit. Ipsa denique qualitas rerum (a) talis deforis apparere curatur, ut non minùs aspectus quàm gustus delectetur: & cùm jam stomachus crebris ructibus repletum se indicet, necdum tamen curiositas satiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum saporibus illiciuntur, infælix stomachus, cui nec co-

o *Serm. 66. in Cant. num. 6.* p *Serm. 5. in Quadrag. n. 1.* q *Serm. 3. in Quadrag. n. 4.* r *Serm. 2. in Quadrag. n. 4.* s *Serm. 3. in Quadrag. num. 3.* t *Lib. de modo viven. cap. 24. n. 71.* u *Opusc. Ad quid venisti cap. 8.*

x *Tract. de vit. myst. cap. 42. n. 150.* y *Ibidem n. 151.* z *Ibid. n. 152.* a *Tract. de vit. & mor. Relig.*

colores lucent, nec sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur quàm reficitur. *Nimis* comedere quid sit [b] omnibus notum est. Nimis enim comedit, qui ultraquàm naturæ suæ sustentandæ possit sufficere, sumit alimenta, maximè si hoc scienter fecerit. Evenit enim non rarò, ut homo suis laboribus consideratis plus vilium sumat alimentorum, ut in labore possit subsistere: & timore deficiendi cogente mensuram refectionis excedat, à quo peccato vix credo aliquem esse immunem. Sed talia peccata crebris confessionibus, intermixtis voluntariis abstinentiis, statim ut deprehenduntur purganda sunt. In nullo autem genere ciborum illud vitium superfluitatis ciborum & potuum excusatur. Cùm etiam legatur quòd peccatum Sodomæ fuit abundantia panis. Et diabolus tentaturus Dominum, non de alio aliquo quàm de pane tentavit, sciens profectò in nimio sumptu panis peccatum non deesse: qui primos parentes, & per ipsos omnes homines in unus pomi comestione decepit: quamvis non ita facilè in cibis vilibus mensura excedatur, ubi sapor non decipitur, sicut in cibariis lautè præparatis, & saporibus alteratis. *Ardenter* comedere [c] est cibos vel potus cum nimio desiderio sumere, quod tam in vilibus quàm in delicatis potest cibariis evenire. Cujus rei exemplum habemus in Esau; qui vilis cibi delectatione attractus, ultrò vendidit primogenita sua. Ita enim habet Genesis. quia *veniente Esau de agro, vidit Jacob fratrem suum coquentem lenticulam, cui dixit: Da mihi de coctione tua hac rufa, quia oppidò lassus sum*. Et facta pactione cum Jacob de venditione primogenitorum, comedit in voracitate coctionem nimis desideratam, & dignitatem primogenitorum amisit. Quia enim nimiùm ardenter desidebat lenticulam, *En*, inquit, *morior, quid mihi proderunt primogenita*? Non est dubium quin ardenter comederit acceptum, quod tam ardenter fuerat desideratum. *Studiosè* comedere (d) est in cibis vel in potibus nimis diu immorari. De hoc expertis loquimur, & utinam non essemus experti, nec unquam experturi. Frequenter solet accidere, quòd sumptis cibariis, quæ secundùm consuetudinẽ necessitati fomentis possent & deberent sufficere, quædam surgat nova delectatio, quæ facit hominem improvidum, & insidias diaboli non caventem illi cibo cùm tanto studio inhærere, tamquam nihil ante comederit, vel intra multos dies post hoc nil sit sumpturus ciborum. At qui gulæ speciem in se deprehendunt, auxiliante Deo, facilè possunt resistere: quia impetus ejus non longiùs durat, quàm dum à mensa surgatur, & illius quod tanto studio desideratur, memoria subducatur. Sunt autem plurimi, qui tale studium comedendi nec peccatum existimant, nec etiam quiquam suggerenti esse peccatum, fidem adhibeant, habentes in consuetudine damnabili, nulli desiderio resistere, quod possit à natura aliqua obumbratione defendi: nec ponunt aliquam metam desiderio comedendi, donec tempore deficiant fatigati. Sed Christianus homo comedit ut vivat, non vivit ut comedat, sicut quidam ait. Ideoque & illud benè de inutilibus & voracibus dicitur: Nos numerus sumus fruges consumere nati. Christianus autem non sic, sed semper ita surgat de mensa, ut adhuc habeat appetitum plura sumendi: & eum qui adhuc esset implendus cibariis, Domino Jesu pro grato munere offerat appetitum, qui pro nostra salute sæpiùs esurire voluit, & sitire.

CAPUT VI.

De Vigiliis in orando, quas Christus sustinere voluit pro salute nostra.

Exiit Jesus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. *Luc. 6.*

1. *Ostenditur Christum Dominum docuisse Verbo & exemplo, Orationem faciendam esse in loco solitario.* 2. *Proponuntur quatuor genera orandi Deum, quæ sunt obsecratio, Oratio, postulatio gratiarum actio.* 3. *Ostenditur semper sociandum esse jejunium Orationi: nec non quatuor esse impedimenta orationis, quam impedire solent invidia diaboli, humana timiditas, temeritas, tepiditas.*

§. I.

PAssionem Christi (a) non illum diem unum appellamus quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi crux fuit & martyrium. Breviter ergo dicamus, sed meditando longiùs immoremur, quàm prolixus fuerit in vigiliis, quàm frequens in orationibus. Imitemur eum (b) quem in Orationibus pernoctasse legimus. Jesus (c) ascendit in montem solus orare, ut eundi & perveniendi bonam obtinere studeas voluntatem. Scienti enim bonum, & non facienti, peccatum est illi. Propterea sciens quoniam in oratione datur bona voluntas, cùm videris quæ agenda sunt, ut convalescas ad agenda quæ videris, ascende tu ad orationem, ora instanter, ora perseveranter, sicut ille pernoctabat in oratione, & dabit Pater bonus spiritum bonum petenti se. Et vide quàm utiliter orationis tempore etiam corporalis loci secretum quærimus, quando hoc ille non solùm docuit verbo: *Intra*, inquiens, *in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum*. Sed & commendavit exemplo, nec Discipulorum quenquam admittens, sed solus ascendens ad orationem. Itaque orare volentes [d] jubemur intrare cubiculum, utique secreti gratiâ. Id quidem ad cautelam: nè coram orantibus laus humana orationis furetur fructum, frustretur effectum. Sed doceris nihilominus verecundiam sententia hac. Quid tam proprium verecundiæ, quàm proprias vitare laudes, vitare jactantiam? Patet quòd signanter & ad verecundiam orantibus petere secretum indixerit pudoris Filius & minister. Quid tam indecorum maximè adolescenti, quàm ostentatio sanctitatis? Cùm tamen ab hac potissimùm ætate aptum profectò capiatur temporaneumque Religionis exordium, Hieremia dicente: *Bonum est homini, si portaverit jugum Domini ab adolescentia sua*. Bona commendatio secuturæ orationis, si præmittas verecundiam, dicens:

b *Tract. de vit. myst. cap. 42. n. 154.* c *Ibidem num. 155.* d *Ibidem num. 156.*

a *Tract. de vit. myst. cap. 4. n. 22.* b *Ser. de Adv. Dom. n. 7.* c *Ser. de Ascens. Dom. n. 11.* d *Ser. 86. in Cant. n. 2.*

cens: *Adolescentulus sum ego & contemptus, justificationes tuas non sum oblitus*. Jam verò (e) de reverentia orationis aliquid dicendum putavi. Quid enim aliud cogitare debet homo intrans ad orationem, quàm Propheticum illud: *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*? Omninò siquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cælestem, illam utique curiam, in qua Rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili beatorum Spirituum exercitu. Unde & ipse qui viderat (quia majorem numerum non invenit) *Millia*, ait, *millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens & repens ranuncula vilis? Quàm tremebundus, quàm supplex, quàm denique humilis & sollicitus, & toto intentus animo Majestatis gloriæ, in præsentia Angelorum, in concilio Justorum & congregatione assistere poterit miser homuncio? In cunctis quidem (e) actionibus nostris multâ opus est animi vigilantiâ, sed præcipuè in oratione. Etenim sicut in Regula Sancti Benedicti legimus. *Licet hora omni & omni loco oculi Domini super nos speculentur, maximè tamen in oratione*. Licet enim semper videamur, sed nunc etiam præsentamus & ostendimus nos, quasi facie ad faciem cum Deo loquentes. Sic igitur oret qui orat, tanquam assumptus & præsentatus ei, qui sedet super excelsum thronum in Angelis qui minimè ceciderunt, & elevatum in hominibus quos suscitauit de puluere inopes, & erexit de stercore pauperes. Sic, inquam, semetipsum consideret & sic attendat, tanquam præsentatum Domino maiestatis, ut dicat cum Abraham: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis*. Orantem quippè hominem (f) cum Deo loqui quis dubitet? Omnis animæ (g) sic facientis & facies & vox Deo grata existit: facies propter puritatem, uox propter confessionem. Etenim confessio & pulchritudo in conspectu ejus. Vnde & dicitur ei qui ejusmodi est: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*. Vox admiratio in animo contemplantis, vox gratiarum actio est. Et tu quoque (h) si collecto tuo spiritu, mente sobria & vacua curis, orationis domum solus introeas, & stans coram Deo ad unum aliquod de Altaribus cæli januam tangas sancti desiderii manu, & præsentatus choris Sanctorum tua penetrante devotione (siquidem oratio justi penetrat Cælos) in ipsorum præsentia miserandus deplores miserias & calamitates quas pateris, crebris suspiriis & gemitibus inenarrabilibus prodas necessitatem, flagittes pietatem. Si, inquam, hoc egeris, confido in eo qui dixit, *Petite, & accipietis*: quia si perseveraveris pulsans, non exibis vacuus. Item ait (i) *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum*. Hoc planè est testamentùm pacis, hoc pietatis fædus, hoc pactum misericordiæ & miserationis. Dulcis lex, quæ meritum exauditionis in clamore constituit postulationis. *Clamabit* (inquit) *ad me, & ego exaudiam eum*. Meritò non exauditur, qui clamare dissimulat, aut omninò non postulans, aut tepidè postulans & remissè. Siquidem in Dei auribus desiderium vehemens, clamor magnus: è regione autem remissa intentio, vox submissa. Quando illa penetrabit nubes? quando audietur in Cælis? Nempè ut clamandum sibi noverit homo, inter primordia suæ orationis ipsum quem oraturus est Patrem in cælis esse protinùs admonetur, quòd videlicet impetu quodam spiritûs, illò sibi jaculandam esse meminerit orationem. Spiritus est Deus, & in spiritu clamare necesse est, quisquis clamorem suum ad eum desiderat pervenire. Sicut enim non faciem hominis respicit tamquam homo, sed magis intuetur cor: sic ad cordis potiùs vocem quàm corporis aures ejus, cui meritò dicitur: *Deus cordis mei*. Hinc est, quòd Moyses foris tacens intùs auditur, dicente Domino: *Quid clamas ad me?* Desiderium viri sancti clamorem (k) appellat: quia lingua profectò tacebat. Unde David in Psalmo ait: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus*. *Præparationem cordis eorum audivit auris tua*. Et Dominus in Evangelio ait. *Quoniam semper orare oportet & nunquam deficere*. Ubi intelligitur orationem non tantùm esse vocis, sed devotionis. Non enim semper clamare possumus motu labiorum, semper autem possumus bono desiderio fervere, quod ostendit Dominus loquens ad Moysen tacentem: *Quid clamas ad me?* Numquid (l) non desiderium vox? Et valida. *Desiderium pauperum* (inquit David) *audiuit Dominus*.

§. I I.

Quatuor (m) mihi videntur orandi modos exprimere Apostoli verba dicentis: *Volo primùm fieri obsecrationes, deinde orationes, postulationes, gratiarum actiones*. *Primò* quidem sunt, quos adhuc peccati conscientia terret & crutiat, nondum accepta resistendi virtute: tunc scilicet cùm primùm ipsos in peccatorum cæno jacentes primus Veritatis radius irradiat, & excitans erubescere facit, & timere Deum, dum vident immanitatem criminum, meritorum exiguitatem, & velut ardentem coram se gehennam expavescentes, quoniam in seipsis boni nil jnveniunt, aliunde apprehendunt unde tegantur. Sciunt enim quòd non sit tutum in conspectu Domini Dei sui vacuos apparere contra legis præceptum, & multò minùs id præsumere plenis stercore manibus audent. Quia ergo timent, & meritò timent per seipsos accedere, student quasi per alios supplicare. Tale est illud orationis genus, quo solemus uti dicentes: *Sancte Petre, ora pro nobis*: & similia. Maximè verò per illud *obsecratio* est manifesta: *Per passionem tuam, libera nos Domine*: & cætera in hunc modum. Tale enim videtur, ac si latro deprehensus & jam vicinus suspendio, quando penitùs desperat nec invenit in se unde veniam deprecetur, extendens brachia dicat: Quia sic passus est Christus, ut eorum à quibus tenetur, animos moveat ad pietatem. Credo ego (n) de talibus dici posse, quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vim faciebat regno cælorum Publicanus ille, qui dum non auderet oculos ad cælos levare, ipsum cælum ad se potuit inclinare. Simile aliquid mulier illa egisse videtur, quæ proflu-

e *Serm. 25. diver. n. 8. & 9.* f *Serm. 50. in Cant. num. 4.* g *Serm. 62. in Cant. num. 2.* h *Ser. 49. in Cant. nu. 3.* i *Serm. 16. super Psal. 90. num. 1.*

k *Tract. de vit. mysti. cap. 6. n. 29.* l *Ser. 74. in Cant. n. 2.* m *Ser. 25. divers. n. 1.* n *Ibidem n. 2.*

vium sanguinis habens, dum timeret ad Christum accedere, fecit ab eo virtutem exire. Furtim enim tetigit fimbriam, & curata est ab infirmitate: unde & dedignatis qnodammodò verbum videtur, quòd de ea Dominus ait: *Quis me tetigit?* Et addit: *Sensi à me exire virtutem*. Non credo quòd sit inter nos quispiam, sed fortè sunt nonnulli in seculari habitu vel conversatione, qui potuerunt aliquando experiri quod loquor, ut inviti fluxum sanguinis paterentur, ejus inquam sanguinis qui regnum Dei non possidebit. Etenim qui facit peccatum, seruus est peccati: nec sua se poterit continere virtute, etiam cùm volet. Huic ergò minimè expedit per seipsum ad Christum accedere, sed tangere si quam invenerit ejus fimbriam, hoc est, eum considerare hominem, quem humiliorem viderit & extremum in Ecclesia, quæ est vestis Christi: eum, inquam, qui elegit abjectus esse in domo Domini, oportet considerare, quoniam is verè est fimbria posita in ora vestimenti, ad quam utique spiritualis unguenti descendens à capite copia tanta decurrit. Hunc si beneficiis aliquibus, seu prece humili, aut confessione pura tetigerit, ut affectum ejus erga se moveat ad compatiendum sibi, habeat fidem, & sine dubitatione sanabitur. Illud tamen noverit fimbria non à se, sed à Christo exiisse virtutem, qui & tangi se protestatur in fimbria. Expresi nunc vobis quantum potui quale sit, & cui animæ sit necessarium genus obsecrationis, *Secundò*. (o) At verò virtute continendi accepta securus accedit ille, qui sibi conscius fuerit pro delictis præteritis veniam quærens & *oratione* utens, quæ nostri oris est ratio, quando jam ore suo loquitur cum Deo suo. Hinc illud est quòd Maria Magdalena, quanquam non minùs humilis hæmorrhoissa illa, non sic tamen veretur accedere, sed rigat lachrymis pedes, capillis tergit, ungit unguento, osculatur ore deuoto. Unde satis liquet, quòd omninò jam proposuerat in corde suo à peccato deinceps abstinere: & quasi profluvium stabat. Quod si jam consecutus es & tu, primùm est ut ipsi Domino in *oratione* loquens, recogites annos tuos in amaritudine animæ tuæ. *Tertiò*. (p) Dehinc postquā in lamentis pænitentiæ aliquandiu perseverans, hilaritatem quandam & fiduciam conceperis indulgentiæ, accede jam ad *postulationes*, ut securè tanquam receptus in gratiam Domini, tibi & conservis tuis audeas petere quod oportet. At fortassis requiras, unde aut quomodo nosse poteris, vtrum hanc consecutus sis indulgentiam. Sic nimirum conservandæ humilitatis gratiâ, Divina solet pietas ordinare, ut quantò quis plùs proficit, eò minùs se reputet profecisse. Nam & usque ad supremum exercitii spiritualis gradum, si quis eousque pervenerit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut vix sibi primum videatur adeptus. Attamen scio quod lectum sit in Evangelio, dixisse Jesum paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*: & reputatum est ei ad blasphemiam. At ille, cui nimirùm cogitatio hominis confitetur, *Quid* (inquit) *cogitatis mala in cordibus vestris?* Blasphemare me blasphematis, & quasi ad excusandum vim visibilis curationis virtutem mihi invisibilem usurpare? Sed egò vos potiùs blasphemos esse convinco, signo probans visibili invisibilem potestatem. *Ut sciatis* (inquit) *quia potestatem habet Filius hominis in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & ambula.* Et tu ergo si jam surgis desiderio supernorum, si grabatum tollis, corpus scilicet à terrenis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiscentiis ejus: sed magis ipsa (ut dignū est) regat illud & ferat, quò non vult. Si demùm ambulas, quæ retro sunt obliviscens, & ad ea quæ ante sunt te extendens desiderio & proposito proficiendi, curatum te esse non dubites. Neque enim surgere poteras, si non aliquatenùs onus esset alleviatum, & nec grabatum tollere nisi exoneratus magis, quia nec ambulare in fervore cōversationis cum peccatorum gravi mole possibile est. Propter quod [q] fiducialiter jam postulare potest qui ejusmodi est, tantùm caveat ne fortè aut postulet non postulanda, aut minùs postulet quæ à Deo sunt postulanda: aut ea tepidè quærat, quæ toto affectu & omni tempore sunt quærenda. *Petitis & non accipitis* (ait Jacobus Apostulus) *eò quòd malè petatis, utpote in concupiscentiis vestris*. Sic agit omnis qui terrena quærit ultra necessitatem, qui mundialem gloriam sectatur aut voluptatem. At verò temporalia si defuerint, petenda quidem sunt quantùm necessitas humana requirit: sed non sunt hæc nimiùm requirenda. In quo genere etiam illa spiritualia sunt, sine quibus nihilominus salus constare potest, ut sermo scientiæ, gratia curationum, omniaquè de quibus certum non habemus quid expediat nobis: utpote si te fatiget tentatio, supplicandum quidem pro ea ut auferatur à te, sed non nimis obnixè, quoniam in talibus meminisse oportet Apostolicæ illius sententiæ: *Nos enim quid oremus, sicut oportet, nescimus*. Et Deo magis committere, quàm temerè aliquid apud nos definire. Hæc autem sunt toto affectu, & omni tempore postulanda. Hæc sunt pro quibus incessanter, & quàm obnixè poterunt ad Deum clament desideria tua, ut habeas gratiā ejus bonam, & placere possis in oculis pietatis ipsius, & in eo vivas, & moriaris in ipso: ut gloriam ejus videre, & ipso frui in perpetuum merearis. De his enim dictum est: *Sine intermissione orate*. *Quartò*. [r] Ad quartum genus Orationis, quod est *gratiarum actio*, perpaucos attingere credo, & quò rarius, eò preciosius est. Multam enim prorsùs gratiam inveniet apud Deum is, quem juxta promissionem suam exaudit antequàm invocetur: & testimonium reddet spiritui ejus Spiritus quem habet ex Deo, quoniam exauditum est desiderium ejus, ita ut certus jam non orare, sed gratias agere possit. Sic enim habes in Lazari resuscitatione, ubi Dominus, licet priùs nihil orasset: Pater, inquit, gratias ago tibi quoniam audisti me. Prima igitur, id est, *obsecratio* verecundo fiat affectu. Secunda, quam propriè diximus *Orationem*, affectu puro: ut videlicet non dissimulemus peccata, non nos palpemus: scientes quòd sic quisq; invenit gratiam apud Deum, si inventus fuerit durus judex in semetipsum. Tertia, idest *postulatio* amplum quærit affectum, & fiduciæ latitudinem, sicut scriptum est: Postulet autem in fide nihil hæsitans. Credo enim propterea dictum: Quemcunque locum calcaverit pes vester, vester erit: quòd tantum impetrabimus, quantum por-

o *Ibidem num. 3.* p *Ibidem num. 4*

q *Ibidem n. 5. & 6.* r *Ibid. n. 7.*

porrexerimus pedem fidei. Quarta quæ eſt *gratiarum actio*, ipſa debet eſſe devotione pleniſſima, & deliciis affluens.

§. III.

Porrò dicam unum adhuc [s] quod facilè capiatis, ſæpiùs niſi fallor experti. Jejunium orationi devotionem & fiduciam donat. Et vide quemadmodùm ſibi invicem jejunium & oratio ſocientur, ſicut ſcriptum eſt: Frater adjuvans fratrem, ambo conſolabuntur. Oratio virtutem impetrat jejunandi, & jejunium gratiam promeretur orandi. Jejunium orationem roborat, oratio ſanctificat jejunium, & Domino repræſentat. Hoc eſt denique perfectum jejunium [t] quando noſter homo exterior jejunat, interior verò orat. Oratio per jejunium faciliùs penetrat cælum. Per jejunium & orationem mens hominis conjungitur Angelis, & copulatur Deo. Quid autem (u) jejunium nobis proderit, ſi relinquatur in terra, quod abſit? Sublevetur ergo jejunium pennâ quâdam orationis. Verùm huic ne fortè minùs ſufficiat, alteram quoque pennam neceſſe eſt ſociari. *Oratio juſti* (ait ſcriptura) *penetrat cælos*. Sint ergo jejunio noſtro, ut facilè cælos penetret, alæ duæ, orationis ſcilicet atque juſtitiæ. Juſtitia verò quæ eſt, niſi quæ cuique reddit quod ſuum eſt? Noli ergo quaſi ſolum attendere Deum, debitor enim es etiam Prælatis, etiam Fratribus tuis: nec vult Deus ut parvipendas, quos ipſe minimè parvipendit. Neq; enim ſine cauſa ait Apoſtolus: *Providentes bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus*. Dicebas fortaſſe: Sufficit mihi ſi tantùm Deus approbat quod ago, quid mihi de humano cura judicio? Sed certus ſis quòd ei minimè placeat, quidquid cum ſcandolo filiorum ejus, & contra ipſius feceris voluntatem, cui obedire tanquam ejus Vicario oportebat. *Sanctificate* (inquit Scriptura) *jejunium, vocate cætum*. Quid eſt enim cætum vocare? Unitatem ſervare, diligere pacem, fraternitatem amare? Superbus ille Phariſæus jejunium habuit, jejunium ſanctificavit, qui nimirùm jejunavit bis in Sabbatho: & gratias egit Deo, ſed non vocavit cætum dicens: *Non ſum ſicut cæteri hominum*: ideoq; alâ unâ nitens, jejunium ejus non pervenit in cælum. Vos ergo, chariſſimi, lavate manus veſtras in ſanguine peccatoris, & omninò ſolliciti eſtote, ut alas duas habeat jejunium veſtrum, ſanctimoniam ſcilicet & pacem, ſine qua nemo videbit Deum. Sanctificate jejunium, ut pura intentio & devota oratio Divinæ illud offerat Majeſtati. Vocate cætum, ut congruat unitati. Laudate Dominum in tympano & choro, ut concors ſit mortificatio carnis. Et quia (x) de jejunio & de juſtitia aliqua diximus, dignum eſt ut de Oratione quoque pauca loquamur. *Primò* quidem oratio quantò efficatior eſt ſi fiat ut debet, tantò callidiùs impediri ab adverſario ſolet. Adverſarius noſter eſt ille (y) qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Longè ſiquidem (z) ampliori ſollicitudine, & calliditate multiplici pars adverſa vulnerare in nobis dexteram ſatagit, quàm ſiniſtram: nec tam corporis profectò, quàm cordis laborat auferre ſubſtantiam. Utramque nimirùm proſperitatem humano generi invidere noſcuntur dæmones, utraque nos felicitate privare contendunt, & cæleſti nimirum & terrena, ſed longè ampliùs rore cæli, quàm pinguedine terræ. Cæterùm hoc eſt remedium ejus (a) qui vitiorum vel dæmonum tentationibus æſtuat, ut quantò ampliùs tentatur, tantò ampliùs ad orationem currat: & aſſiduè cum omni devotione aſſiſtat in conſpectu Domini, in tempore orationis ſuæ, ut imminentem tentationem diaboli faciliùs poſſit evadere. Quando quiſque orat. (b) Spiritum Sanctum ad ſe vocat: ſed poſtquam venerit, confeſtim omnia tentamenta dæmoniorum, quæ ſe mentibus hominũ immergunt, præſentiam ejus ferre non ſuſtinentes effugiunt. Gravis equidem nobis eſt inimici tentatio (c) ſed longè gravior illi eſt oratio noſtra. Lædit nos iniquitas ejus atque verſutia, ſed multò ampliùs noſtra eum ſimplicitas & miſericordia torquet. Humilitatem noſtram non ſuſtinet, uritur chariate noſtra, manſuetudine & obedientia cruciatur. Oportet ergo hæc arma parare, ſed arma ſpiritualia potentia Deo, nonmodò ad reſiſtendum, ſed ad impugnandum quoque & expugnandum viriliter inimicum. Unde Apoſtolus ait: *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adversùs inſidias diaboli*. *Secundò*. [d] Interdum quoque graviter impeditur oratio à puſillanimitate ſpiritûs, & timore immoderato. Hoc autem tunc ſolet fieri, cùm ſic cogitat homo propriam indignitatem, ut non convertat oculos ad Divinam benignitatem: abyſſus enim abyſſum invocat: abyſſus luminoſa, abyſſum tenebroſam; abyſus miſericordiæ, abyſum miſeriæ. Profundum namque eſt cor hominis, & imperſcrutabile. Sed ſi magna eſt iniquitas mea, multò major eſt Domine pietas tua. Ideoquè cùm ad meipſum turbata fuerit anima mea, memor ſum multitudinis miſericordiæ tuæ, & reſpiro in ea: & cùm introjero in potentias tuas, nolo memorari juſtitiæ tuæ ſolius. Quantumcunque [e] gravis ſe ingerat memoriæ meæ recordatio ſcelerum meorum, quantumcunque me deterreat præteritæ vitæ meæ horribilis conſideratio, faciant alii quod conſuerint expedire. Ego ſemper ſentiam in bonitate de dulcedine Domini mei Jeſu Chriſti: ſemper oculi mei ad miſericordiam ejus, ſciens nimirum & quandoque in me experiens longè efficaciorem ejus dulcedinem ad conſolandum, multoquè promptiorem ejus benignitatem ad indulgendum, quàm meam iniquitatem ad delinquendum. Scio utiq; quia non eſt iniquitas, ſicut iniquitas mea: ſed è regione, non eſt dolor, ſicut dolor ejus. Si ſupra modum peccavi, non deſpero: quia ſupra modum doluit, in quo reſpiro. Si exaſperatur Deus immanitate ſceleris mei, mitigatur proculdubio in dolore ſatisfactionis Filii ſui. *Tertiò* [f] denique ſicut periculum eſt, ſi fuerit oratio nimis timida, ſic in contraria parte non minus imò & majus periculum eſt, ſi fortè fuerit temeraria. De his qui ſic orant, audi quid loquatur ad Prophetam Dominus. *Clama*, inquit, *ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, &c. Quaſi tuba*, inquit, quia in ſpiritu vehementi increpandi ſunt temera-

 rii,

s *Serm. 4. in Quadrag. n. 2.* t *Lib. de modo bene vive. s. cap. 24. n. 71.* u *Ser. 4. in Quadrag. n. 2.* x *Ibidem num. 3.* y *Ser. 1. in ſeptuag. n. 5.* z *Ser. 7. ſuper Pſal. 90. n. 11.*

a *Lib. de modo ben. viven. cap. 67. n. 159.* b *Ibidem cap. 49. num. 117.* c *Ser. 3. in Dedic. Eccl. n. 1.* d *Ser. 4. in Quadrag. n. 3.* e *Epiſt. 385. n. 8.* f *Ser. 4. in Quadrag. n. 4.*

rii. Me etenim quærunt, qui seipsos nondum invenerunt. Nec hoc dico ut peccatoribus auferam orandi fiduciam, sed volo eos orare tanquam gentem quæ peccatum fecerit, non justitiam. Orent pro indulgentia peccatorum suorum in animo contrito, & spiritu humilitatis, quemadmodùm publicanus ille, *Deus*, inquit, *propitius esto mihi peccatori*. Temeritatem enim dico, quando is, in cujus conscientia peccatum adhuc aut vitium aliquod regnat, ambulat in magnis & mirabilibus super se, minùs sollicitus pro periculo animæ suæ. *Quartū* periculum est, (g) si sit oratio tepida, & non ex viva affectione procedens. Timida quidem oratio Cælum non penetrat, quia testringit animum timor immoderatus, ut oratio non dicam non ascendere, sed nec procedere queat. Tepida verò oratio in ascensu languescit & deficit, eò quòd non habeat vigorem. Nam temeraria non ascendit, sed resilit; resistitur enim ei; nec tantùm non obtinet gratiam, sed & meretur offensam. Quæ verò fidelis & humilis & fervens oratio fuerit, Cælum sine dubio penetrabit: unde certum est, quòd vacua redire non poterit.

CAPUT VII.

De oratione Dominica, continente petitiones septem; quam Christus Dominus instituit.

Et factnm est cùm Jesus esset in quodam loco orans, ut cessavit dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare. Et ait illis: Sic vos orabitis: Pater noster qui es in cælis, &c. *Luc.* 11. *Matt.* 6.

1. *Præmittitur exordium orationis Dominicæ.* 2. *Exponuntur verba petitionis primæ.* 3. *Explicancantur verba petitionis secundæ.* 4. *Interpretantur verba petionis tertiæ.* 5. *Declarantur verba petitionis quartæ.* 6. *Exponuntur verba petitionis quintæ* 7. *Explicantur verba petionis sextæ.* 8. *Explanantur verba petionis septimæ.*

§. I.

P*Ater noster qui es in cælis*. Postquam (a) unigenitus Dei non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, hominis quoque dignatus est fieri filius, & habitu inventus ut homo: non immeritò jam de cælesti generatione exiguitas humana præsumit. Neque nim indignum est Deo, eorum fieri Patrem, quorum se Christus fecerit fratrem. Quare enim (b) Filius Dei factus est homo, nisi ut homines faceret filios Dei? Voluntati autem ejus quis resistet? filius Dei qui exaltat, quis est qui humiliet? Nemo discredat (c) nemo hæsitet, habemus testimonium credibile nimis. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Fratres habere volvit Unigenitus Dei, ut esset in multis fratribus primogenitus ipse. Utique nihil hæsitet ipsa pusillanimitas fragilitatis humanæ: priùs ipse factus est honiinun frater, factus est hominis filius, factus est homo. Unde (d) Sponsa Ecclesia ait: *Sicut malus inter ligna Sylvarum, sic dilectus meus inter filios*. Et benè *inter filios*, quia cùm esset unicus Patris sui, multos illi & absque invidia filios acquirere studuit, quos non confunditur vocare fratres, ut sit ipse primogenitus in in multis fratribus. Jure autem præponitur universis adoptatis per gratiam is, qui per naturam Filius est. Quanta [e] dignatio Dei, Deum Patrem hominum esse; quanta hominum gloria, Dei filios esse? *Genus enim* [f] *sumus Dei*, sicut dicit Apostolus, transferens Ethnici sententiam de malo vase in vas bonum, ut non nisi ipsam & vas bonum sapiat. *Genus*, inquam, *sumus Dei*, & dii filii & Excelsi omnes; cognatione quadam spirituali magnam apud Deum vendicantes affinitatem, cùm per Spiritum adoptionis Filius Dei unum nobiscum nomen sortiri non dedignatur. Ideo cū ipso & per ipsum præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati audemus dicere: *Pater noster qui es in cælis*, Quamvis autem [g] ubique sit Deus, in cælo tamen orandus est, ibique orationis tempore cogitandus: ut mens nostra non oratorii tecto, non aëris spatio, non ipsa retarderetur nubium densitate, juxta eam formam quæ nobis à Christo tradita est, ubi ait: *Sic orabitis*: *Pater noster qui es in cælis*. Cælum enim quadâm prærogativâ etiam sedes sive thronus Dei vocatur: quia ad eam comparationem, quâ Deum in cælis Angeli Sancti & Electorum animæ vident, nos miseri & peregrini super terram vix solum nomen habere videmur. Vis scire [h] quia nomen & memoriale ejus in nobis est, præsentia in excelso? *Sic orabitis*, inquit, *Pater noster qui es cælis*. Fidelis oratio, cujus ipsa primordia & divinæ adoptionis, & terrenæ peregrinationis admoneant: ut hoc scientes, quòd quamdiu non sumus in cælo, peregrinamur à Domino, gemamus intra nosmetipsos adoptionem filiorum expectantes, præsentiam utique Dei Patris. Denique ideo homo [i] inter primordia suæ orationis ipsum quem oraturus est Patrem in cælis esse protinùs admonetur, quòd videlicet impetu quodam spiritûs, illò sibi jaculandam esse meminerit orationem. Parrem namque in sua persona [k] licet nusquam non sit, nusquam tamen invenio nisi in cælis, ut in Evangelio: *Et Pater meus qui in cælis est*. Et in oratione: *Pater noster qui es in cælis*.

§. II.

Sanctificetur nomen tuum. Hoc primum [l] fieri petimus quod maximum est, ut nobis gloriæ illius innotescat Sanctitas illibata. Quod autem petimus ut sanctificetur nomen ejus, omnino jam supra nos in ejus notitiam pergere concupiscimus. *Sanctificetur nomen tuum*. Nomen ejus, gloria ejus. Et illa quando non sancta? Fieri tamen dicitur sancta gloria ejus, cùm in sanctitate glorificatur à nobis. Benedictum nomen gloriæ ejus (m) quod est sanctum. Neque enim ociosè venit, quod ex Maria natum est Sanctum, sed copiosè diffundit & Nomen & gratiam sanctitatis. *Protegam eum*, ait (n) *quoniam cognovit nomen meum*. Non novit Nomen

g *Ser. 4. in Quadrag. n. 4.* a *Ser. 1. in oct. Pasch. n. 1.* b *Ser. 1. in vigil. nat. Dom. n. 2.* c *Ibidem n. 3.* d *Ser. 48. in Cant. n. 5.*

e *Ser. 26. in cant. n. 15.* f *Lib. 1. de Amore Dei cap. 7. n. 24.* g *Ser. 25. int. div. n. 9.* h *Ser. 2. de Virg. Deip. n. 1.* i *Ser. 16. super. Psal. 90 n. 1.* k *Tract. de grad. humil. cap. 8. n. 22.* l *Ser. 6. in Quadrag. n. 5* m *Ser. de SS. Innocent. n. 1.* n *Ser. 15. super. Psal. 90. n. 6.*

men ejus, qui illud assumit in vanum, qui dicit ei, Domine Domine, & non facit quæ dicit ipse. Non novit Nomen ejus, qu i eum nec honorat ut Patrem, nec ut Dominum timet. Non novit Nomen ejus, qui ad vanitates & insanias falsas convertitur. *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas*. Hoc Nomen cognoverat, qui dicebat: *Non enim est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri*. Nos quoque si novimus Nomen sanctum quod invocatum est super nos, desiderandum utique nobis, ut semper sanctificetur in nobis; atque ita orandum juxtà doctrinam utique Salvatoris: *Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum*. Sanctificetur sanè nomen tuum (o) per quod utcunque interim in nobis es Domine, per fidem in cordibus habitans, quoniam nomen tuum jam invocatum est super nos. At longè aliter(p) & dissimili prorsùs affectione Nomen istud sanctificatur in cælis, ubi tam inenarrabili jucunditate clamatur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Denique audi (q) quid sequatur in Psalmo: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum*. Hic fructus notitiæ nominis, clamor orationis: porrò fructus clamoris, exauditio Salvatoris. Quomodo enim aut non invocans exaudiri poterat, aut nomen Domini nesciens invocare? Gratias ei qui manifestavit hominibus nomen Patris, fructum salutis in ejus invocatione constituens, sicut scriptum est: *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Hoc planè est testamentum pacis, (r) hoc pietatis fœdus, hoc pactum misericordiæ & miserationis. *Speravit in me, liberabo eum*. Nomen meum cognovit, *protegam eum*. Invocavit me, *& ego exaudiam eum*. Nisi enim hæc aut similia diceret, quis non diffideret? quis gloriabitur castum se habere cor? Nunc autem apud te propitiatio est, & propter hanc legem tuam sustinui te Domine. Dulcis lex, quæ meritum exauditionis in clamore constituit postulationis. *Clamabit*, inquit, *ad me, & exaudiam eum*. Ita ergo sursùm cor [s], sursùm clamor, sursùm desideria, sursùm conversatio, sursùm intentio, & omnis expectatio tua desursùm sit. Clama in cælum ut exaudiaris, & qui in cælis est Pater mittat tibi auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te. Mittat interim auxilium de tribulatione, eripiat à tribulatione, glorificet in resurrectione. Magna sunt hæc, sed tu magne Domine promisisti. Ex tua promissione speramus, inde audemus dicere: *Si corde clamamus pio, certè debes ex promissio*.

§. III.

Adveniat regnum tuum. Oramus utique (t) ut adveniat regnum Domini, quo videlicet nobis plena sit de regni potestate securitas, ubi nimirùm nobis in nobis & felix securitas & secura felicitas fuerit, in eum qui supra nos est totâ jam spiritûs vehementiâ rapiemur. Quoniam aûte (v) qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo; nihil dubium est, quin perfectè adhærentes ei beati Spiritus cum eo pariter & in eo penetrent universa. Profectò (x) cælestis illlus curiæ lapides vivi & rationabiles divinis intersunt consiliis, & Trinitatis mysteria norunt, audiuntquè verba ineffabilia quæ non licet homini loqui. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Ad hanc domum (y) si pervenire desideras, sic concupiscat & deficiat anima tua in atria Domini, sicut Propheta clamat: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. Denique (z) idem Propheta in alio Psalmo ait: *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum*: idest, dum adhuc dies mali sunt, & in terra aliena sumus, quæ data est in manus impii, in qua non est regnum pacis, nec Deus pacis regnat in ea. Nam si regnat, quid est quod orantes dicimus: *Adveniat regnum tuum*. Proinde (a) flens dico; Quousque odoramus & non gustamus, prospicientes patriam, & non apprehendentes, suspirantes & de longè salutantes? O veritas exulum patria, exilii finis! video te, sed intrare non sinor carne retentus, sed nec dignus admitti, peccatis sordens: En (b) ipsa ejus recordatio ad lachrymas provocat me planè juxta affectionem & vocem dicentium: *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion*. Quidni (c) moveat mihi crebras lachrymas & gemitus quotidianos Christi absentia? Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Laboravi in gemitu meo, tu scis. Non solùm autem mihi, sed & omnibus qui diligunt adventum ejus, gemitus isti comperti sunt. Exigit enim fletum à nobis (d) desiderium futuræ beatitudinis. *Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte* (ait Propheta) *dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Parum ei placet hujus vitæ novitas, si necdum futura satis gaudia concupiscis, si non quotidie satis postulas ea cum lachrymis: minùs tibi nota sunt, si non renuit consolari anima tua donec veniant. Filioli (e) concupiscamus in atria Domini: crebrò suspiremus illuc. Patria nostra ipsa est, odoremus saltem, & à longè salutemus eam. Hoc est utiq; (f) quod quotidie petimus in oratione, cùm dicimus Deo: *Adveniat regnum tuum*. Regnum hoc necdum ex toto pervenit ad nos. Quotidie tamen paulatim adventat, sensimquè in dies magis ac magis dilatat terminos suos, in his dumtaxat quorum per Dei adjutorium interior homo renovatur de die in diem. Inquantùm enim regnum gratiæ dilatur, intantùm peccati potestas minuitur. Inquantùm verò minus est adhuc propter corpus mortis quod aggravat animam, & ob necessitatem terrenæ inhabitationis utique deprimentis sensum multa cogitantem: necesse habent etiam qui perfectiores esse in hac mortalitate videntur, confiteri & dicere: *In multis offendimus omnes: & si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est*. Quapropter orant & ipsi sine intermissione dicentes: *Adveniat regnum tuum*. Quod non erit vel in ipsis consummatum, quousque peccatum non solùm non regnet in eorum mortali corpore, sed nec sit omninò, nec esse possit in immortali corpore.

§. IV.

o *Ser. 2. de Virg. Deip. n. 3.* p *Ser. 2. ibid. n. 3.* q *Ser. 15. sup. Psal. 90 n. 6.* r *Ser. 16. sup. Psal. 90. n. 1.* s *Ibidem n. 4.* t *Ser. 6. in Quadrag. n. 5.* u *Ser. 1. in dedic. Eccles. n. 7.* x *Ibidem n. 6.*

y *Ibidem n. 7.* z *Ser. 4. super. Psal. 90. n. 3.* a *Ser. 50. in Cant. n. 7.* b *Ser. 33. in Cant. n. 2.* c *Ser. 59. in Cant. n. 4.* d *Ser. 2. in Quadrag. n. 4.* e *Ser. 2. ibid. n. 8.* f *Tract. de grat. & lib. arb. c. 4. n. 12.*

§. IV.

Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Exinde quod ad nos spectat, [g] optamus & regni potestatem propter securitatem, & voluntatis Dei in nobis perfectionem propter jucunditatem. Certissimè autem habituri sumus, [h] cùm Deo miserante obtinebimus quod oramus: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*. Hoc namque complebitur, quando id quod nunc cunctæ passim rationali creaturæ commune videtur, liberum scilicet à necessitate Arbitrium: erit etiam in Electis hominibus, uti jam in sanctis est Angelis, & cautum è peccato, tutum à miseria: probantibus tandem triplicis libertatis fælici experientia, quæ sit bona voluntas Dei ac beneplacens & perfecta. Quod quia necdum est, sola interim plena integraquè manet in hominibus libertas Arbitrii. Nam libertas Consilii ex parte tantùm, & hoc in paucis spiritualibus qui carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis: quatenus jam non regnet peccatum in eorum morrali corpore. Porrò ut non regnet, libertas facit Consilii. Ut tamen non desit ex integro, captivitas est liberi Arbitrii. Cùm autem venerit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte est: hoc est, cùm plena fuerit libertas Consilii, nulla jam erit captivitas Arbitrii. Et quoniam [i] Scriptura loquitur, Deum omnia fecisse propter semetipsum, erit profectò ut factura sese quandoque conformet & concordet Auctori. Oportet proinde in eundem nos affectum quandoque transire, ut quomodo Deus omnia esse volvit propter semetipsum, sic nos quoque nec nosipsos nec aliud aliquid fuisse vel esse velimus, nisi æquè propter ipsum, ob solam videlicet ipsius voluntatem, non nostram voluptatem. Delectabit sanè non tam nostra vel sopita necessitas, vel sortita fælicitas, quàm quòd ejus in nobis & de nobis voluntas impleta videbitur: quod & quotidie postulamus in oratione cùm dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*. O amor sanctus & castus! ô dulcis & suavis affectio! O pura & defæcata intentio voluntatis, eò certè defæcatior & purior, quò in ea de proprio nil jam admixtum relinquitur: eò suavior & dulcior, quò totum divinum est quod sentitur. Sic affici, deificari est. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino, deficere à se tota videtur dum & saporem vini induit, & colorem: & quomodò ferrum ignitum & candens, ignis simillimum fit, pristinâ propriâquè ormâ exutum: & quomodo Solis luce perfusus aër in eandem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus quàm ipsum lumen esse videatur: Sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquescere, atque in Dei penitùs transfundi voluntatem. Voluntas Domini [k] quæ priùs Angelos creavit faciens eosdem, postmodùm in eis facta beavit. Sicut enim Verbum quod erat in principio, carnem suscipiens verè dicitur factum caro: sic voluntas illa æterna in Angelo facta est, cùm Angelicam omninò in se absorbuit voluntatem. Quidni dicatur facta in Angelo, cùm Angelica facta est? Hæc enim summa illius fælicitatis est, hic voluptatis cælestis torrens, quòd Divina voluntas ipsa facta est etiam Angelorum: ut quemadmodùm placet Deo universitas administrationis hujus, sic & ipsi Angeli in cunctis gaudeant, in omnibus delectentur. Hoc igitur oramus, ut hæc voluntas sicut in cælestibus facta est creaturis, fiat etiam in terrenis: ut sicut Angelus sic & homo adhærens Deo, unus cum eo spiritus sit. Et quidem ubique regnat, (l) ubique imperat, ubique majestas ejus, sed gratia fortè non ita. Non, inquam, ubique sicut potestas, sic & voluntas ejus bona & beneplacens & perfecta. Alioquin quid est quod dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*. Fit enim voluntas ejus de omnibus, fit per omnes, non in omnibus tamen. In electis Spiritibus fit voluntas Dei, quando in eis efficitur cum ipso una voluntas. Hæc sanè adhæsio spiritualis unum spiritum faciens, sicut multitudinis quoque credentium cor unum & anima una legitur extitisse. Inde est (m) quòd non simpliciter petimus ut fiat voluntas Domini, quam in omnibus & per omnia fieri certissimè constat (voluntati enim ejus quis resistit?) sed ut fiat sicut in cælo & in terra. Quam nimirùm adjectionem duabus quoque præcedentibus petitionibus nihilominùs reor aptandam, ut Patrem nostrum qui in cælis est exoremus, quatenus & nomen ejus sanctificetur, & regnum ejus adveniat, & voluntas fiat. Hæc omnia sicut in cælo, sic & in terra.

§. V.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quia [n] necdum illa perfectione gaudentes, non sine magno labore Divinæ possumus obtemperare voluntati, ideò opus est cibo ne deficiamus: opus est, inquam, *pane quotidiano*. Panis [n] est meditatio sancta, de qua scriptum est: *Cogitatio sancta conservabit te*. Et quæ alio in loco scripturæ nominari videtur panis vitæ & intellectus. Est utique (o) intellectus rerum spiritualium & invisibilium verus animæ panis, confirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Orat pro hujusmodi (p) Propheta: *Et holocaustum tuum*, inquiens, *pingue fiat*. Sic & in laudibus Aaron legitur, quoniam Sacrificium ejus quotidianus ignis absumpsit. In quibus omnibus nihil aliud intelligendum videtur, nisi ut bona opera fervore devotionis, & dulcedine spiritualis gratiæ condiantur. Unde & in oratione Dominica hujusmodi gratiam sub quotidiani panis nomine postulamus. Meritò sanè, ne fortè cadat super nos terribilis illa maledictio propheticæ imprecationis: *Fiant sicut fænum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit*. Timent proinde (q) qui noverint spiritualem cibum, ne quando fortè fraudentur eo. Cibo siquidem forti egent, qui manum miserunt ad fortia. Vivant de paleis Ægypti, qui deserviunt in operibus luti & lateris: nobis fortior cibus est necessarius, quoniam nobis grandis restat via, ut ambulemus in fortitudine cibi illius

g *Ser.6.in Quadrag.n.5.* h *Tract.de grat.de lib.arb.cap.4.num.12.* i *Tract.de dilig.Deo cap.10.n.28.* K *Ser.6.in Quadrag.n.1.*

l *Ser.5.de Verb.Isa.n.5.* m *Ser.2.int.diu.n.3.* n *Ser.6.in Quadrag.n.5.* n *Ser.1.in Dom.6.post.Pent.n.4.* o *Ser.2.in Annunt.B.M.Virg.n.4.* p *Ser.1.in Nat.Dom.n.6.& 7.* q *Ser.1.in Dom.1.post.oct.Epiphan.num.5.*

illius. Ipse est panis Angelorum, panis vivus, panis quotidianus. Utrarumque ovium pastor (r) Dei scilicet Sapientia Christus, unum idemque pabulum Veritatis aliter in terris, aliter in cælestibus gregibus suis administrat. Nam nos quidem mortales homines interim in loco peregrinationis nostræ, in sudore vultus nostri comedere panem nostrum necesse habemus, foris illum in labore & ærumna mendicantes, idest, vel à doctis viris, vel à Sacris literis, vel certè per ea quæ facta sunt, invisibilia Dei intellecta conspicientes. Angeli autem in omni plenitudine etsi non à semetipsis, tamen in semetipsis tanta facilitate, quanta & felicitate accipiunt, unde & beatè vivunt. Cibus est verbum Dei (s) quo pascuntur omnes Sancti, tam homines quàm Angeli. Unde scriptum est: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. In hoc verbo laboremus, fratres, (t) in quo & vivere, & gaudere possimus in æternum. Operemur non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Carnalis autem homo (u) qui non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, sed stultitia ei videntur, gemat & lugeat dicens: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*. Neq; enim (x) pateretur hunc defectum, si jugiter exercitata esset ratio in inquisitione veritatis, voluntas in desiderio charitatis, caro in operatione virtutis. Idcirco alienũ mendicat, [y] quòd oblitus sit comedere panem suum: propterea terrenis inhiat, quòd minimè cælestia meditetur. Porrò [z] quid æquè confirmat & corroborat cor humanum, quid ita in omni necessitate confortat & & sustentat, ut Divinæ voluntatis executio, velut in quendam animæ ventrem, conscientiam scilicet ingesta? Sic & sermonem Divinæ exhortationis, & promissionum ejus consolationem, & orantium lachrymas panes cordis esse solus ille ignorat, cujus jam aruit cor, pro eo quòd suum ipsius panem comedere sit oblitus. Propter hoc sanè [a] aliquando finis venit universæ carnis, quia spiritus recessérat vitæ. Denique ait Dominus: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*. Carnis nomine hoc loco vitium designari intellige, non naturam. Nec enim spiritum natura expungit, sed vitium.

§. VI.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hoc planè est testamentum pacis, [b] hoc pietatis fœdus, hoc pactum misericordiæ & miserationis. Sæpiùs quippè [c] aberrantes à voluntate Dei, & delinquentes, hoc est derelinquentes eam, necessariò pro indulgentia supplicamus, dicentes: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Profectò [d] quàmlibet firmi, quamlibet fortes in fide, quamlibet parati, quamlibet panibus abundantes, ipso quidem largiente, cui quotidie orantes dicimus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: necesse tamen habemus addere consequenter: *Dimitte nobis debita nostra*. Alioquin si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Ipsa sola liberat [e] sola salvat, sola lavat. Quod si confiteamur peccata nostra, non deerunt veris Judæis purificationis hydriæ: quoniam fidelis est Deus, qui dimittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate. Denique [f] quoniam in multis offendimus omnes, impossibile est in hoc loco & tempore scandalorum, pacem inter nos conservari, (neque enim adhuc venerunt Angeli qui de regno Dei tollant omnia scandala, sed nec sumus in illa beata Civitate, cujus fines pacem posuit Deus) nisi & is qui in aliquo fortè offendit proximum, animosam elationem, & qui offensus est, nihilominus caveat execrabilem obstinationem. Studeamus itaque, Fratres mei, & humiles ad satisfaciendum his qui aliquid habent adversùm nos, & ad remittendum his qui offendunt nos, faciles inveniri: quia non solùm mutuæ inter nos pacis conservatio constat in his duobus, sed ne ipsa quoque Divina sine his propitiatio poterit obtineri: quòd nec munus ab eo recipiat, qui non priùs ierit ut fratri reconcilietur, & dimissum etiam ab eo delictum strictiùs exigat, qui conservo suo debitum non remittit. Sunt quidem aliqui [g] sic donantes injuriam, ut non ulciscantur, sæpiùs tamen improperent. Sunt & alii qui sileant licet, manet tamen alta mente reposta, & rancorem tenent in animo: quorum utiquè neutra plena indulgentia est. Hæc est autem [h] remissio injuriarum, secundùm quod orantes dicimus: *Dimitte nobis nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris*. Longè [i] ab his omnibus benignissima est Divinitatis natura: liberaliter agit, ignoscit plenariè, ita ut propter fiduciam peccatorum (sed pænitentiarum) ubi abundavit delictum, soleat & gratia superabundare. Sic enim ex toto indulget, & tam liberaliter omnem donat injuriam, ut iam non damnet ulciscendo, nec confundat improperando, nec minùs diligat imputando.

§. VII.

Et ne nos inducas in tentationem. Ne fortè [k] in eadem peccata recidamus post acceptam veniam peccatorum, orandus à nobis est idem ipse Deus, *ne nos inducat in tentationem*. Si enim [l] essemus in domo illa non manufacta, æterna in cælis, vbi nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, nihil esset timendum. Nunc verò tribus malignissimis & validissimis ventis expositi sumus, carni, diabolo, & mundo: qui conscientiam illuminatam moliuntur extinguere, insufflantes in cordibus nostris desideria mala, motus illicitos: & ita te repentè turbantes, ut vix prænoscere valeas, vnde venias, aut quò vadas. Vigilate proinde [m] & orate, ut non intretis in tentationem, quoniam undique circumdati estis tentationibus. Unde & legistis, quia tentatio est vita hominis super terram. Sed qui sumus nos (n) aut quæ fortitudo nostra, ut tam multis tentationibus resistere valeamus. Hoc erat certè quod quærebat Deus, hoc erat ad quod nos perducere satagebat:

r Ser. 53. in Cant. n. 5. s Ser. 5. in Assumpt. B. M. n. 4. t Ser. de S. Jo: Baptista n. 7. u Ser. 2. in Annuntiat. B. M. n. 4. x Ser. de Rogat. n. 2. y Ser. 11. super Psalm. 90. n. 4. z Ser. 3. in Dom. Palm. n. 4. a Ser. 35. in Cant. n. 4. b Ser. 6. super Psal. 90. n. 1. c Ser. 6. in Quadrag. n. 5. d Ser. 6. in vig. Nat. Dom. n. 12.

e Ser. 2. in Dom. 1. post Oct. Epiph. n. 6. f Ser. 18. inter diversos n. 4. & 5. g Ser. 3. in Dom. 6. post Pent. n. 4. h Ser. 2. in Dom. 1. post oct. Epiph. n. 4. i Ser. 3. in Dom. 6. post Pent. n. 4. K Serm. 6. in Quadrag. num. 5. l Ser. 3. in Vig. nat. Dom. n. 5. m Ser. 9. super Psal. 90. n. 2. n Ser. 5. in Quadrag. n. 4.

bat: ut videntes defectum nostrum, & quòd non est nobis auxilium aliud, ad ejus misericordiam tota humilitate curramus. Propterea rogo vos, Fratres, ut semper ad manum habeatis tutissimum orationis refugium. Nam (o) cùm Dominus ita præcipiat: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*: liquet quòd absque duplici hoc exercitio fidelium non potest esse secura Civitas, non Sponsa, non Oves. Horum differentiam quæris? Unum sunt. Civitas propter collectionem, sponsa propter dilectionem, oves propter mansuetudinem. Denique (p) quia spirituum diversa sunt genera, necessaria est nobis eorum discretio, præsertim cùm ab Apostolo Joanne didicerimus, non omni spiritui esse credendum. Videri enim potest minùs eruditis, & qui parùm exercitatos habent sensus, omnem cogitationem non alterius quàm ipsius humani spiritus esse sermonem: quod non ita esse certa fidei veritas probat, & divinarum testimonia scripturarum. *Audiam*, (inquit Propheta David) non quid ego loquar, sed *quid loquatur in me Dominus Deus*. Et alius Propheta: *Angelus*, inquit, *qui loquebatur in me, &c.* Et in Psalmo didicimus fieri *immissiones* etiam *per Angelos malos*. Unde & timet Apostolus, ne sicut serpens decepit Evam astutiâ suâ, sic & discipulorum, quibus loquitur, corda decipiantur, ab eo utique cujus ipse Paulus astutias non ignorat. Esse tamen *spiritum carnis* non bonũ manifestè idem Apostolus indicat, ubi *inflatos spiritu carnis suæ* quosdam esse testatur. Et esse etiam *spiritum hujus mundi* declarat, ubi gloriatur in Domino pro se pariter & pro discipulis suis, non quòd eum acceperint; *sed spiritum qui à Deo est, vt sciamus* (inquit) *quæ à Deo donata sunt nobis*. Sunt autem (q) hi duo satellites maligni illius principis tenebrarum: ut dominetur spiritus nequitiæ spiritui carnis, & spiritui hujus mundi. Quisquis ergo ex his tribus spiritibus spititui nostro loquatur, ne credamus ei, quoniam sanguinem sitiunt, non quidem corporum, sed (quod gravius est) animarum. Et quoniam spiritualis omnium natura est, à sermonibus eorum cognoscemus eos: quis spiritus sit qui loquatur, ipsa suggestio declarabit. Semper enim spiritus carnis mollia, spiritus mundi vana, spiritus malitiæ semper amara loquitur. Quoties ergo importunè (ut assolet) carnalis cogitatio mentem pulsat, verbi gratiâ, cum de potu, de cibo, de somno, cæterisquè similibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes, humano quodam inardescimus desiderio, certum sit nobis *spiritum carnis* esse qui loquitur: & tanquam adversarium repellamus eum, dicentes: *Vade retro satana, quonia non sapis ea quæ Dei sunt*: sed magis sapientia tua inimica est Deo. Cùm autem non de illecebris carnis, sed de ambitione sæculi, de jactantia & arrogantia, cæterisquè similibus cogitatio vana versatur in cordibus nostris, *spiritus mundi* est qui loquitur, longè perniciosior hostis, & majori sollicitudine repellendus. Interdum verò satellitibus istis terga vertentibus, *princeps ipse* tenebrarum habens iram magnam tanquam leo rugiens insurgit aduersùs nos (cùm videlicet non ad voluptatem carnis aut sæculi vanitatem, sed ad iram, ad impatientiam, ad invidiam, ad amaritudinem animi provocamur) importunè ingerendo, si quid minùs amicabiliter minusuè discretè factum videtur aut dictum: si qua denique aut in signo, aut in opere quolibet data videtur indignationis occasio, materia suspicionis. Huic ergo cogitationi non aliter quàm ipsi diabolo resistendum est: nec aliter ab ea quàm ab ipsa perditione cavendum. Verùm (r) quis ita vigilet diligens observator motionum internarum suarum, siue in se, siue & ex se factarum, ut liquidò ad quæque illicita sensu cordis sui discernat morbum mentis, & morsum serpentis? Ego nulli hoc mortalium possibile puto, nisi qui illuminatus à Spiritu Sancto speciale accepit donum, quod Apostolus inter cætera charismata quæ enumerat, nominat *discretionem spirituum*. Quantumlibet enim quis (secundùm Salamonem) omnia custodia servet cor suum, & omnia quæ intra se moventur, vigilantissima intentione observet, etiamsi diuturnum fortè in his habuerit exercitium, & frequens experimentum, non poterit tamen ad purum in se dignoscere discernerevè abinvicem malum innatum, & malum seminatum. Nam delicta quis intelligit? Nec multum refert nostra scire unde inest nobis malum, dummodò inesse sciamus: vigilandum potiùs & orandum undecunque sit, ne consentiamus. Deniq; orat Propheta contra utrumque malum, dicens: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo*. Et ego non possum tradere vobis quod non accepi. Non autem accepi fateor unde assignem certam notionem inter partum cordis, & seminarium hostis. Quippè utrumque malum, utrumque à malo: utrumque in corde, sed non trumque de corde. Hoc totum certum mihi in me, & si incertum quid cordi, qiud hosti tribuam? Itaque (s) si tot tentationibus plena est vita nostra, ut non immeritò tota ipsa tentatio debeat appellari: pervigili circumspectione opus est, & oratione, ne inducamur in eam: vnde est illud in oratione Dominica: *Et ne nos inducas in tentationem*.

§. VIII.

Sed libera nos à malo. Malum voluptas corporis (t) bonum verò afflictio est. Siquidem & hanc elegit, & illam reprobavit puer sapiens, Verbum infans. Vera (u) animæ vita Deus est: & inter hæc quoque separat malum, sed malum animæ, quod non est aliud quàm peccatum. Hoc utique malum est (x) unde dicitur: *Declina à malo, & fac bonum*. Hoc malum quod suâ quidem animâ animam primam privat, quod seperat inter te & Deum: ut eo regnante, tanquam corpus sine animâ, sic sit anima sine Deo planè mortua in semetipsa, instar unius eorum, quos tanquam sine Deo in hoc sæculo fuisse Apostolus memorabat. Quia igitur (y) mandatum accepimus, ut declinantes à malo, faciamus quod bonum est, vide quemadmodùm Spiritus sanctus in utroque adjuvat infirmitatem nostram. Nam divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Propterea ad declinandum à malo tria operatur in nobis, compunctionem, supplicationem, remissionem. Initium enim revertendi ad Deum, pœnitentia est, quam sine dubio Spiritus operatur, non noster,

o *Ser.16.in Cant.n.8.* p *Ser.23.int.div.n.2.* q *Ibid.n.3.*

r *Ser.32.in Cant.num.6.* s *Ser.5.sup. Psal.90. n.1.* t *ser.3. in nat. Domini n.2.* v *ser.10. super psal.90.n.4.* x *Ibid.n.2.* y *serm.1.in die Pen.n.3.*

ster, sed Dei: idquè & certa ratio docet, & confirmat auctoritas. Quis enim cùm ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne venisse calorem, quem habere non poterat sine illo? Sic ergo qui priùs in iniquitate erat frigidus, si postmodùm fervore quodam pænitentiæ accendatur, alium sibi Spiritum, qui suum arguit & diiudicat, non dubitet advenisse. Habes hoc & in Evangelio, ubi cùm loqueretur Christus de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: *Ille*, inquit, *arguet mundum de peccato*. Sed (z) quid prodest pænitere de culpa, & non supplicare pro venia? Necesse ut etiam hoc Spiritus operetur, dulcedine quadam spei replens animum, per quam fiducialiter postules nihil hæsitans. Visne ostendam tibi etiam hoc opus esse Spiritus Sancti? Vtique dum abest ille, tale aliquid in tuo spiritu non invenies. Denique ipse est, *in quo clamamus: Abba Pater. Ipse qui postulat pro sanctis, gemitibus inenarrabilibus*. Et hæc quidem in corde nostro. Quid autem in corde Patris? Sicut in nobis interpellat pro nobis, ita in Patre delicta donat cum ipso Patre. Advocatus noster ad Patrem in cordibus nostris, Dominus noster in corde Patris. Itaque quod postulamus, idem ipse donat, qui donat ut postulemus: & sicut nos erigit piâ quadam fiduciâ, ita Deum inclinat ad nos magis piâ misericordiâ suâ. Itaque ut omninò scias quia remissionem peccatorum Spiritus Sanctus operatur, audi quod aliquando audierunt Apostoli: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Et de malo declinando sic. Porrò (a) ad faciendum bonum quid in nobis Spiritus bonus operatur? Profectò monet, & movet, & docet. Monet Memoriam, Rationem docet, movet Voluntatem. In his enim tribus tota consistit anima. Memoriæ suggerit bona in cogitationibus sanctis, atque ita ignaviam nostram torporemquè repellit. Ipse namque est qui loquitur justitiam. Et in Evangelio habes, quia *ille suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis*. Et adverte quid præmiserit: *Ille docebit vos omnia*. Dixeram enim quia docet Rationem. Multi siquidem monentur ut benè faciant, sed minimè sciunt quid agendum sit, nisi adsit denuò gratia Spiritus Sancti: ut quam inspirat cogitationem doceat in opus proferre, ne vacua in nobis sit gratia Dei. Sed quid? *Scienti bonum & non facienti, peccatum est illi gratia*. Propterea non solùm moneri & doceri, verumetiam moveri & affici ad bonum necesse est ab eo utique Spiritu, qui adjuvat infirmitatem nostram, & per quem in cordibus nostris diffunditur charitas, quæ est bona voluntas. Tribus modis (b) à peccato me memini conservatum, occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate. Multa enim in peccata facilè cecidissem, si data esset occasio, sed Dei miseratione non me talis opportunitas apprehendit. In multa quoque paulominùs cecidissem graviter impulsus violentiâ tentationis, sed virtutem dedit Dominus Rex virtutum, ut sub me esset appetitus meus, & ei quam sentiebam concupiscentiæ minimè consentirem. Sed & à quibusdam tam longè me fecit miseratio tua Domine, ut penitùs abominer ea, & nè nulla quidem eorum me tentatio molestaret. *Qui habitat* (c) *in adjutorio Altissimi* (ait Propheta) *dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus sperabo in eum*. Dicet in gratiarum actione: Confitemini Domino misericordiæ ejus super duplici adjutorio ejus. Omnis enim qui adhuc in adjutorio habitat, non in regno, & frequenter opus habet fugere, & interdum cadit. Fugere, inquam, dum in hoc corpore sumus, à facie tentationis persequentis oportet. Quòd si minùs celeriter fugimus, aliquando (ut assolet) impellimur & evertimur, sed Dominus suscipit nos. Ipse itaque *refugium* est, ut venientem cum stercoribus boum pigrorum lapidatorem impigri fugiamus, & evadere possimus fædam lapidationem. Ipse quoque *susceptor* est, ut etiam cùm ceciderimus non collidamur, quoniam supponit manum suam. Cùm ergo tentationis impetum sentimus in cogitatione, statim fugiamus ad ipsum, & humiliter postulemus auxilium. Quod si fortè præoccupaverit nos, cùm tardiùs quàm oporteat ad eum confugimus, solliciti simus ut suscipiat nos manus Domini. Homines enim aliquando cadere necesse est, dum in hoc sæculo detinentur: sed alii colliduntur, alii non, quia Deus supponit manum suam. Denique præmonitos vos esse volo (d) neminem super terram absque tentatione victurum, ut cui fortè tollitur aliqua, alteram securus expectet: aut fortè non securus, sed pavidus magis, & sic petat ab ea liberari, ut nunquam sibi in corpore mortis hujus libertatem perfectam seu requiem audeat polliceri. Qua in re consideranda est nobis tam benigna erga nos divinæ pietatis dispensatio, ut quibusdam nos tentationibus patiatur diutiùs occupari, ne fortè periculosiores occurrant: ab aliquibus verò citò liberet, ut possimus in aliis, quas nobis utiliores fore prævidet, exerceri. Cæterùm (e) orandus à nobis est Deus, *ne nos inducat in tentationem*: sed magis educat nos, & *liberet à malo*.

CAPUT VIII.

De laboribus & fatigationibus Christi, quos pertulit in prædicando, & in discurrendo per civitates & castella Judæorum.

Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me: ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & claudis apertionem: ut prædicarem annum placabilem Domino. *Esa. 61.*

1. *Ostenditur quantos labores pertulit Christus in prædicando & evangelizando Judæis ingratis.* 2. *Afferuntur doctrinæ Christi, spectantes ad commendationem septem virtutum contra totidem vitia.* 3. *Ostenditur septem beatitudines esse, quas Christus prædicavit in monte contra totidem peccata, quæ sunt commissa in Cælo pariter & in paradiso: ut eodem ordine quo præcessit culpa, subsequatur etiam culpæ medicina.*

I §. I.

z Ibidem n. 4. a Ibidem n. 5. b Ser. 3. in Dom. 6. post Pent. n. 1.

c Ser. 2. super Psal. 90. n. 1. d Ser. 5. sup. Psal. 90. n. 3. e Ser. 6 in Quadrag. num. 5.

§. I.

PAssionem Christi (a) non illum diem solùm appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi crux fuit & martyrium. Breviter ergo dicamus, sed meditando longiùs immoremur, quàm assiduus fuerit in labore, in sudore vultus sui, cùm circumiret vicos & castella evangelizans, & curans undique: & quàm crebrò famem pertulit & sitim ille panis vivus, ille fons aquæ salientis in vitam æternam. Unde (b) sponsa inquit: Ecce venit is saliens in montibus, transiliens colles. Sponsum Christum loquitur: qui profectò tunc in montibus saliit, cùm missus à Patre ad evangelizandum pauperibus, Angelorum fungi non est dedignatus officio, factus magni consilii Angelus, qui Dominus erat. Per se descendit in terras, qui alios delegare solebat: per se notum fecit Dominus salutare suum, per se in conspectu Gentium revelavit justitiam suam. Qui mente sanè puriori (c) per seipsos apprehendere sublimiora sufficiunt quàm per nos proferantur, non solùm non prohibeo, sed & multùm congratulor, dum & ipsi nos patiantur simplicioribus ministrare. Quis dabit mihi ut omnes prophetent? Utinam mihi necesse non esset in his occupari. Utinam aut alteri cura incumberet ista, aut certè (quod mallem) nemo in vobis esset qui eâ indigeret, essentquè omnes docibiles Dei, & ego possem vacare & videre quoniam sponsus est Deus. Nunc verò quem minimè interim non dico intueri, sed ne inquirere quidem licet (quod sine lachrymis non loquor) Regem in decore suo sedentem super Cherubim, super solium excelsum & elevatum, in ea forma quâ æqualis Patri in splendoribus Sanctorum ante luciferum genitus est, in qua & semper desiderant Angeli eum prospicere, Deum apud Deum: ipsum saltem hominem homo hominibus loquor secundùm eam formam, in qua ut se manifestum nimia sua dignatione & dilectione præberet, minoratus ab Angelis, in Sole posuit tabernaculum suum, tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Suavem magis quàm sublimem, & unctum non altum loquor: qualem denique Spiritus Domini unxit, & misit evangelizare pauperibus, mederi contritis corde, prædicare captivis indulgentiam & clausis apertionem, prædicare annum placabilem Domino. Prædicantem proinde Dominum Jesum (d) de Civitatibus & Castellis populi sequebantur, quorum salvabat animas, sanabat corpora: & adhærebant ei, affatu pariter & aspectu illius delectati, cujus nimirùm vox suavis, & facies ejus decora, sicut scriptum est: *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*. Talis est quem & nos sequimur, cui adhæremus, totus desiderabilis, in quem non solùm populi, sed & ipsi quoque Angeli Sancti desiderant prospicere. Beati (e) qui audierunt loquentem in carne Sapientiam: beati qui Verbi Dei verba, quæ ab ipsius ore processerunt, audierunt. Verumtamen quod audierunt illi, adhuc reservatur nobis: quia & nos audire possumus, quamvis non ab ipso. Intellectus noster (f) turbatus quidem erat ne dicam cæcatus, affectus inquinatus erat, & multùm inquinatus: sed Christus intellectum illuminat, Spiritus Sanctus affectum purgat. Venit enim Filius Dei, & tot & tanta mirabilia in mundo operatus est, ut non immeritò intellectum nostrum ab omnibus mundanis rebus evocaverit: ut semper cogitemus, & nunquam cogitare sufficiamus, quia mirabilia fecit. Verè latissimos nobis ad spatiandum intelligentiæ campos dereliquit, & torrens cogitationum istarum profundissimus est, qui juxta Prophetam non possit transvadari. Venit quidem (g) ad oves quæ perierant domus Israel, divini verbi lampadem extollens palàm ad illuminationem orbis terræ, & regnum Dei cunctis annuncians obtemperantibus verbo, sermonem sequentibus signis confirmavit: virtutem Divinitatis in cunctis ostendit, malè habentibus: & omnes omnibus Gentibus gratiā exhibens, quæ saluti peccatorum congruerent, ut omnes lucrifaceret. Sed obscuratum est insipiens cor eorum, & projecerunt sermones Domini retrorsum: neque attenderunt ad omnia mirabilia ipsius, quæ operatus est in eis, exceptis perpaucis nobilibus athletis, quos inter infirma mundi elegit & abjecta, ut per ipsos fortia & alta mirificè expugnaret. Cæterùm tibi ô homo (h) Christus Dominus esurivit, tibi sitivit, & lassitudinem sustinuit: propter te omnes passiones tuas, quas oportuit & decuit, accepit. Nihil tuorum defectuum præter peccatum à se exclusit. Propter te multipliciter operatus est salutem in medio terræ, mortuos suscitando, cæcos illuminando, surdis auditum, claudis gressum, leprosis munditiam restituendo, & innumeras alias virtutes perficiendo: per oppida & castella, per vicos & plateas cucurrit evangelizando, verbis & exemplis, signis & prodigiis vitæ viam demonstrando: ut omnis sua actio esset tua lectio, & omnis sua vita esset tua doctrina. Hic est quoque (i) qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo: qui stetit in loco campestri ut doceret turbas: toto tempore quo in terris visus est & cum hominibus conversatus, in laboribus multis stans & operans salutem in medio terræ. Denique ipsius hominis sæculiquè Auctor (k) quamdiù in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, numquid stetit? Et quidem teste Scriptura: Pertransiit benefaciendo & sanando omnes. Pertransiit ergo sicut non infructuosè, ita non remissè, non pigrè, non lento passu: sed quemadmodùm de eo scriptum est: Exultavit ut gigas ad currendam viam. Quando enim ille resedit in mundo? [l] quando substitit? quando reclinavit caput? Exultavit ut gigas ad currendam viam. Benefaciendo pertransiit, quippè nec nidum, nec foveam, nec locum habens in diversario, donec opere tandem quod susceperat consummato, sedendi præceptum mereretur accipere, & diceret Dominus Domino meo: Sede à dextris meis. Sed hoc quoque [m] necessariè omninò provisum est, quòd dilata morte homo inter homines dignatus est aliquatenùs conversari, quatenùs crebris & ueris locutionibus ad invisibilia excitaret, miris operibus astrueret fidem, rectis moribus instrueret. Itaque in oculis hominum Deus homo

a *Tract. de vita myst. cap. 5. num. 22.* b *Ser. 54. in Cant. nu. 1.* c *Ser. 22. in Cant. n. 3.* d *Ser. 1. de omn. sanct. n. 4.* e *Ibid. n. 7.*

f *Ser. 3. in Ascens. Dom. n. 2.* g *Ser. de Pass. Dom. nu. 6.* h *Tract. de 3. præcep. myst. cap. 6. n. 12.* i *Ser. 2. in Ascens. Dom. n. 1.* k *Epist. 54. num. 4.* l *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 13. n. 39.* m *Tract. e exhort. ad mil. templi. cap. 11. n. 25.*

homo sobriè & piè conversatus, vera locutus, mira operatus, indigna passus, in quo jam defuit nobis ad salutem? Sedebas ô homo (n) in tenebrosis & in umbra mortis per ignorantiam veritatis, sedebas vinctus catenis delictorum. Descendit ad te in carcerem, non ut torqueret, sed ut erueret de potestate tenebrarum. Et primò quidem veritatis Doctor depulit umbram ignorantiæ tuæ, luce sapientiæ suæ. Per justitiam deinde, quæ ex fide est, solvit funes peccatorum, gratis justificans peccatorem. Addidit quoque sanctè inter peccatores vivere, & sic tradere formam vitæ tanquam viæ quâ redires ad patriam cælestem.

§. II.

Porrò Filius Dei apparvit (o) ut nos adjuvaret & erudiret: quod potest, quia est Virtus Patris & Sapientia. Virtus adjuvat, Sapientia erudit & informat. Infirmitati auxilium est necessarium: cæcitas eruditione indiget & doctrinâ. Beati profectò oculi (p) quia videbant Dominum majestatis in carne præsentem, Auctorem universitatis inter homines conversantem, virtutibus coruscantem, infirmos curantem, mare calcantem, mortuos suscitantem, dæmoniis imperantem, & potestatem similem hominibus conferentem, mitem & humilem corde, benignum, affabilem, misericordiæ visceribus affluentem, Agnum Dei peccatum non habentem, & omnium peccata portantem. Beatæ aures, quæ verba vitæ ab ipsius Incarnati Verbi ore percipere merebantur, quibus enarrabat Unigenitus qui est in sinu Patri, & nota faciebat quæcunque audisset à Patre: ut fluenta doctrinæ cælestis ab ipsius veritatis purissimo fonte haurirent, universis postmodùm Gentibus propinanda, imò eructanda potarent. Folia vitis (q) penè omnium arborum foliis præstantiora sunt. Quid autem in foliis, nisi veræ Vitis nostræ benignissimi Jesu verba commendantur? Præeminet in foliis vitis: præeminet in verbis Dominus Jesus. Senserant hoc Judæorum ministri, qui missi ut adducerent Jesum, reversi & culpati dixerunt: *Nunquam locutus fuit homo sic*. Non accusaverunt defectum trunci, pulchritudinem foliorum videntes: imò per folia aliquid aliud quàm quod videbatur, in corpore debili latere senserunt. Senserat etiam Petrus, qui multis à Domino Jesu recedentibus, & interrogatis ab ipso duodecim Apostolis: *Numquid & vos vultis abire?* Respondit: *Domine, quò ibimus? Verba vitæ æternæ habes: & nos ad quem ibimus?* absit. Ac si diceret: Folia pulcherrima habes, quæ nos ab omni æstu protegant. Da nobis ergo alium pulchriorem, idest meliorem te, & ibimus ad illum abs te. Quem quia dare non potes, qui omnia potes, ad quem ibimus relinquentes te? Senserat horum foliorum, idest verborum benigni Jesu virtutem & illa mulier, quæ loquente ipso ad turbas, in foliorum pulchritudine singulari læta non cogitabat nec tacitè quidem, sed extollens vocem dixit: *Beatus venter qui te portavit: & ubera quæ suxisti*. Verè beata imò beatissima terra quæ talem tulerat Vitem, Virgo Maria Mater Jesu. Verè & tu beata, quæ foliorum pulchritudine considerata inter tot calumniantium insidias, sola veritati testimonium audacter præbuisti. Viderunt virorem foliorum veræ Vitis Petrus & Joannes, & Matthæus, qui ad unam vocantis vocem illi retia, iste telonium reliquerunt. Quis virtutem verborum benigni Jesu enumerare sufficiat? Quæ virtus est verborum, quæ verbis illius non commedetur? Nulla profectò. Vis autem audire verba breviter, (r) quæ tanquam folia refrigerium nobis ab æstu præstent vitiorum? *Primò* quidem ad commendationem *humilitatis* contra ambitionem dicit: *Qui voluerit inter vos major esse, sit vester minister*. Et: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis*. Et item: *Qui se humiliat, exaltabitur*. *Secundò* ad commendationem *mansuetudinis* contra iram ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Et item: *Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram*. *Tertiò* ad commendationem *charitatis* contra invidiam ait: *Diligite inimicos vestros, bene facite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*. *Quartò* ad commendationem *alacritatis* ad exercitia spiritualia contra acediam, ait Apostolis: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*. *Quintò* ad commendationem *largitatis* (s) contra avaritiam dicit: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. Et illud: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*. De divitiis iniquitatis, quæ nobis abundant, cùm aliis deficiant, facimus nobis amicos cùm illas pauperibus erogamus: ut si modò in illos misericordes existimus, per illos post hanc vitam misericordiam consequamur. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Sextò* ad ad commendationem *abstinentiæ* contra gulam: *Attendite*, inquit, *vobis, ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & superveniat in vos repentina dies*. Et parabolam contexuit de divite epulante quotidie splendidè, qui mortuus petebat guttam aquæ cùm esset in tormentis à Lazaro quiescente post mortem, nec poterat obtinere, recipiens perpetua mala pro voluptate temporali transacta. *Septimò* ad commendationem *castitatis* contra luxuriam: *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis: Non machaberis. Ego autem dico vobis: quia quicunque viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mæchatus est eam in corde suo*. Hujus verbi folio tegantur oculi nostri: ne si fortè minùs cautè referentur, eveniat quod Hieremias dicit: *Ascendit mors per fenestras nostras*. Fenestræ quippe animæ nostræ sunt foramina sensuum nostrorum, scilicet oculorum, aurium, narium, & oris, per quos quasi per fenestras quasdam mors ascendit, quoties ad aliqua criminalia, appetenda referantur. His & aliis verbis plurimis, tanquam quorundam foliorum umbrâ, per Vitem nostram benignum Jesum ab æstu vitiorum refrigeramur, & in virtutum temperie refovemur. Verba itaque Domini Jesu [t] is qui illum ex toto corde diligere novit, quàm sint dulcia, sapit: nec illis jam claudere valebit auditum, qui in armario pectoris

n *Ser. 22. in Cant. n. 7.* o *Ser. 54. divers. n. 1.* p *Ser. 5. in Ascens. Dom. n. 11.* q *Tract. de vite myst. cap. 6. n. 23.*

r *Ibidem n. 29.* s *Ibidem n. 32.* t *Ser. 10. in ult. cæna Dom. n. 67.*

ris sui Christum Dominum vitæ perennis, amplexibus strictis, totius paradisi pulchritudinis continet jucunditatem & gaudium. Illa sunt pascua vitæ, refectio animæ, dulcedinis pocula, dilectorum Christi lætificantia corda, cariora diligentibus Christum super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum: negligentibus verò & malè viuentibus tāquam bilis amara sunt odiosa, & non modicùm fastidiosa per omnem modum. Illis pœnam æternam, diligentibus verò Christum præparant perpetuam gloriam. Illis supplicium, istis præmium in vita beata. Illis mortem, istis vitam. Illis infernum, istis societatem Angelorum. Quicunque sunt illi, lugeant & doleant, aurem cordis aperiant, verbum Dei suscipiant, & quod præcipit faciant. In illo sunt thesauri sapientiæ & scientiæ, divitiæ & gloriæ multæ. Sunt etiam (u) deliciæ Angelorum. Gustate proinde, & videte quoniam suavis est Dominus. Et huic suavitati, huic sapori, huic sapientiæ quæ trahitur de occultis, omne quod desideratur, non valet comparari.

§. III.

Denique (x) ne hoc quidem otiosum putemus, quòd Jesus ascendit in montem; nimirum quod tanto tēpore antè prædictum est, tanquam à longè clamāte Esaia Propheta; *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Hierusalem*. In qua ascensione, si vos melius non habetis, ego illud intelligendum puto, quod in initio Actuum Apostolorum Beatus Lucas meminit, dicens: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cæpit Jesus facere & docere*. Legimus quoque in Evangelio (y) quoniam *videns turbas Jesus ascendit in montem: & cùm sedisset, accesserunt ad eum Discipuli ejus. Et aperiens os suum, docebat eos*. Aperuit nunc os suum, qui Prophetarum priùs aperverat ora. Hinc est quod legitur in Psalmo, Propheta dicente: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*. Nunc autem qui multifariè multisquè modis olim locutus fuerat in Prophetis, demùm suo ipsius ore locutus est, tanquam si diceret: En qui loquabar ecce adsum. Beati qui audierunt loquentem in carne Sapientiam: beati qui Verbi Dei verba, quæ ab ipsius ore processerunt, audierunt. Verumtamen quod audierunt Discipuli, adhuc reservatur nobis, quia & nos audire possumus, quamvis non ab ipso. Aperiens os suum docebat eos, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Eodem sanè ordine (z) quo præcessit culpa, subsecuta est etiam culpæ medicina *Primum peccatum* est factum in cælo per superbiam prævaricatoris Angeli, qui dixit in corde suo: *In Cælum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo*. Inseipso tumuit, & de sorte beatorum Spirituum ejectus Cælorum regnum amisit. Contra hoc peccatum dictum est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum*. Et verè, Fratres (a) si miserrimus ille è cælo dejectus est, quoniam affectavit celsitudinē, altitudinem concupiuit, sublimitatem præsumpsit, nonne consequens est beatos esse, qui spontè in paupertatis humilitatem sese deponunt: & juxta Domini promissionem ipsorum est regnū cælorū, quod perdidit iste? Et attende quàm sapienter ordinaverit Sapientia contra peccatum primum, remedium primum opponens. Ac si apertiùs dicat: Vis obtinere cælum quod perdit superbiens Angelus, qui confisus est in virtute sua & in multitudine divitiarum suarum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. *Secundum peccatum* (b) commissum est per inobedientiam *mulieris* in Paradiso. Ex hoc peccato facta est caro rebellis spiritui, ut quoniam spiritus ejus non fuit subjectus Creatori, nec caro sit subjecta spiritui. Noluit (c) anima regi à Deo, non queat regere corpus. Si non paret Superiori, inferiori cui imperet? Invenit Conditor suam sibi rebellem creaturam, inveniat anima suam sibi rebellem pedissequam. Transgressor inventus est homo divinæ legis, inveniat ipse aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivantem se in legem peccati. Contra hoc peccatum (d) est dictum: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Hanc ego terrā (e) corpus nostrum intelligo: Quod si possidere vult anima, si regnare desiderat supra membra sua, necesse est ut sit ipsa mitis, & Superiori suo subjecta: quoniam tale inveniet inferius suū, qualem se exhibuerit Superiori. Armatur enim creatura ad ulciscendam sui injuriam Creatoris. Et ideo noverit anima quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoque minùs quàm oporteat superioribus potestatibus esse subjectam. Mansuescat ipsa, & humilietur sub ponenti manu Dei Altissimi, subjecta sit Deo, & his pariter quibus vice ejus habet obedire Prælatis: & continuò corpus suum inveniet obediens & subjectum. Veritas enim est quæ loquitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, Et vide si non adversùs secundi peccati vulnus, secunda processerit medicina. Horum denique (f) duorum peccatorum comprehendit Dominus medicinam, dicens: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. *Tertium peccatum* fuit, quòd ipsa mulier virum quoque secum traxit in culpam. Debuit quidem illa peccatum suum deflere, nec addere peccatum peccato: sed in hoc se putavit habere consolationem, si virum faceret peccati sui participem. Contra hoc peccatum est istud remedium: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Concordat autem huic sententiæ (g) etiam illud quod in Salamone legisti; *Meliùs est ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivii*. Propterea beata esses Eva, si post culpam consolationem quæreres lachrymarum, & conversa ad pœnitentiam veniam citiùs obtineres. Nunc autem miserrimam quæsisti consolationem de simili casu viri tui, & veneno pessimo, nequissimo videlicet vitio totam sic infecisti posteritatem tuam, ut usque hodie perditionem alterius, alter suam reputet consolationem. Misera prorsùs Euæ consolatio, & eorum qui miseriam hanc imitantur: sed beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur

v *Ser. 1. de omn. Sanct. n. 4.* x *Ibidem n. 5.* y *Ibidem num. 5. & 7.* z *Ser. 66. inter diver. n. 1.*

a *Ser. 1. de omn. Sanct. n. 8.* b *Ser. 65. int. div. n. 1.* c *Tract. de exhor ad mil. templi cap. 11. n. 19.* d *Ser. 66. int. diu. n. 1.* e *Ser. 1. de omn. Sanct. n. 9.* f *Ser. 66. inter diu. n. 1.* g *Ser. 1. de omn. sanct. n. 10.*

buntur. *Quartum peccatum* commisit Adam (h) qui consensit. Adam enim, sicut ait Apostolus, non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. Illa per ignorantiam, iste peccavit per infirmitatem. Peccavit autem nimis diligendo uxorem, non quia ejus voluntatem fecit, sed quia eam voluntati prætulit Divinæ. Unde & à Domino ei dictum est: *Pro eo quòd obedisti voci uxoris tuæ plusquàm meæ, maledicta terra in opere tuo.* Justum quippè erat, ut illius magis voluntatem faceret, cui plus debebat. Quis verò ambigat plus eum debere Conditori quàm vxori? Siquidem uxori erat astrictus tantùm per amorem, Deo autem per timorem simul & amorem. Plùs ergo debuerunt valere duo vincula ad tenendum erga Dei præceptum, quàm unum tantùm erga conjugis affectum. Contra hoc quartum peccatum adhibitum est remedium: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* *Quintum peccatum* æquè commisit Adam, qui propriam culpam retorsit in uxorem cùm ait: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* *Primò* quidem crudelis in se, qui peccatum excusavit: *Secundò* in uxorem, quam accusavit. Et utique satis sumpta est digna de peccato vindicta, quando eam accusavit, cujus amore peccavit. Contra hoc peccatum dictum est: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* *Sextum peccatum* fecit Eva (i) quæ cùm increparetur à Domino cur hoc fecisset, respondit ei: *Serpens decepit me, & comedi.* Sic declinavit & ipsa in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, refundendens culpam in serpentem, quasi immunis à crimine, cùm nil obfuisset suggestio serpentis, si illa negasset assensum propriæ voluntatis: & fortè præcessit in ea aliquis motus superbiæ, unde seduci meruit à serpente. Contra quod peccatum dictum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Miseri proinde Adam & Eva, (k) qui conversi in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, dum confessionis mundationem fugiunt, immundo remanent corde, & è facie Domini eiiciuntur. *Septimum peccatum* (l) factum est extra paradisum, quando Cain consurrexit adversùs Abel fratrem suum, & interfecit eum. Ex eo jam tempore inveteratum est, ut mali insurgant in bonos, & opprimant eos. Hujus peccati remedium est illud: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Quod si ab infestatione cessare noluerint iniqui, patienter tolerent eos justi, audientes consolationem quæ sequitur & dicit: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ecce quàm necessarius fuit adventus Christi, qui carnem subjiceret spiritui, hominem pacificaret sibi, Deum reconciliaret homini. Denique (m) sicut ab initio conversationis, ita ab initio prædicationis suæ Christus proposuit nobis pænitentiam: *Agite*, inquit, *pænitentiam, quoniam appropinquavit regnum cælorum.* Sic ergo (n) medicus animarum Dominus Christus (cuius tota dispensatio quam exhibuit in carne, medicina salutis est) ante Passionem suam septem dedit purgationes: evangelizando pauperibus (o) medendo contritis corde, prædicando captivis indulgentiam & clausis apertionem, prædicando annum placabilem Domino.

CAPUT. IX.

De lachrymis Christi, quas sæpè fudit compatiendo misero generi humano.

Christus in diebus carnis suæ, preces supplicationesquè ad eum qui posset illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia, *Hebr.* 5.

1. *Ostenditur, quanto Christus abundavit compassionis affectu erga salutem generis humani, & quanta infirmitate exterminatum fuit corpus ejus, ob crebras compassiones.* 2. *Agitur Christum ter flevisse, scilicet in nativitate sua, super Lazarum mortuum, & super Civitatem Jerusalem ruituram.* 3. *Proponuntur nobis exempla eorum, qui ex affectu compassionis plangebant miserias hominum: ut & nos pariter tam nostra quàm proximi peccata diluamus lachrymis, quarum magna est virtus, & copiosa remuneratio apud Deum.*

§. I.

Omnia (a) quæcunque passus est Dominus Jesus in diebus carnis suæ, ad ruborem utique passionis pertinent rosæ passionis. Primò quidem per affectum compassionis (b); deinde per defectum passionis. Et quia verè susceperat affectiones nostras, videamus quomodò affici solent homines circa eos quos amant, ut per notum ad ignotum veniamus. Quis nesciat hominem circa amicum suum periclitantem sæpè tanto affectu & dolore moveri, ut corporis sui detrimentum incurrat? Si hoc præstat homo homini; quantùm Deum hominem Jesum putas homini præstitisse? Si tu pro uno homine per compassionem periculum corporale incurris; quid putas Dominum Jesum pro omnibus hominibus tolerasse? Omnes enim sui erant, & omnes mortaliter infirmi erant. Certè novimus & Paulum Apostolum de se dixisse: *Quis infirmatur, & ego non infirmior?* Et verè eousque infirmabatur, ut sicut ipse de se fatetur, præsentia ejus esset despicabilis, & sicut ait: *Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo.* Mundus quippè ei crucifixus erat, qui omnia quæ mundi erant, tanquam mortua reputabat. Ipse verò mundo etiam crucifixus erat: quia ipsum propter crebras compassionum simul & passionum infirmitates corpore extenuatum & exterminatum cum mundus abhorrebat, nihil in eo inveniens quod pertineret ad ipsum. Si ergo Paulus cum infirmantibus infirmabatur, cùm esset conservus & frater cum conservis & fratribus; quid benignus Jesus Donus & Pater pro creatura & filiis? Ardebat Paulus quasi esset radio Solis accensus: quantùm ipsum Solem putas exarsisse? Si usque ad tantam infirmitatem per affectum compassionis accenditur qui scintillam charitatis habuit: quid sentiendum putas de ipsa

h *ser.66.int.div.n.2.* i *Ibi l.n.2.* k *ser. 1.de omn.Sanct. num.13.* l *ser.66.int.div.n.3.* m *ser.de verb.sap.n.5.tom.6.pag.771.* n *ser.3. de Resur.Dom.n.1.*

o *serm.22.in Cant.n.3.* a *Tract.de vite myst.cap.35.* b *Ibid.cap.9. num.20.*

ipsa Charitate, de cujus plenitudine omnes accepe-runt? Nec aliquo modo dubitandum [c] quin infirmitatem & exterminationem Corporis incomparabilem sustinuerit, qui etiam venerat crucem sustinere: & præ cæteris tantò magis fuerit confectus, quantò major in eo fuit compassionis affectus: qui non solùm facta, sed etiam cogitationes inspexit. Suffragatur his rationibus sententia ipsius Domini Jesu sic dicentis: *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Videamus quid sibi hoc velit, quòd Dominus se gallinæ magis quàm alteri animali voluit comparare? Quia (ut à Sanctis Patribus tenetur) ideo factum est, ut exprimatur incomparabilis affectus charitatis. Nullum enim animal circa pullos suos tanta compassione movetur, sicut gallina. Fit enim toto corpore hispida, voce rauca, toto fervens animo, & omnibus membris infirma, & usque ad supremum defectum perveniens. Si ergo intantùm pullis suis gallina animal irrationale compatitur: quantò putas optimum Jesum humano generi fuisse compassum? Ad quantam putas eum debilitatem & infirmitatem pervenisse? Quantâ ipsum putas macie confectum esse, qui pro omnibus cognoscitur doluisse? Unde Esaias ait: *Verè languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portavit.* Nunc ad ipsam vitem [d] animum convertamus, ut per quasdam similitudines illius, nostram Vitem Jesum magis propriè & propiùs contemplemur. Totum corpus ipsius vitis aliis arboribus & arbustis deformius invenitur, & quasi penitùs inutile videtur & abjectum, nec ipso aspectu amabile, aut visui accommodatum. Quid hîc dicemus? Corpus Vitis nostræ Domini Jesu significare deberet: nisi quòd plurimùm discordare videtur hujus deformitas, & forma illius de quo scriptum est: *Speciosus formâ præ filiis hominum.* Sunt autem nonnulli, qui hæc verba non ad exteriorem sed interiorem hominem retorqueant: idest, ad animam sive ad Divinitatem, in quibus nimirùm non solùm filios hominum, sed etiam filios Dei, idest ipsos Angelicos Spiritus præcellebat. Tantò enim melior Angelis effectus est, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Ne ergo nos huic sententiæ contradicere videamur, ad manus auctoritates habemus, licet plurimos sciamus qui nondum omninò spirituales effecti aliud sentiant, fingentes sibi quandam spiritualem pulchritudinem in Corpore Domini: etsi quando audiant Dominum ipsum despicabilem formâ fuisse, non patienter sustinent: etsi linguâ taceant, rancore & motu animi contradicunt, non attendentes quod scriptum est: *Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam.* Esajam quoque non audiunt, vel inviti audiunt dicentem in eum: *Ecce vidimus eum, & non erat illi species neque decor: aspectus ejus non erat in eo, & desideravimus eum despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus & despectus. Unde nec reputavimus eum. Et nos putavimus eum quasi leprosum & percussum à Deo & humiliatum.* Ecce qualis describitur à Propheta. Quid apertius? Et verè talis erat in oculis infidelium, qui tantùm carnem noverunt intueri. Quis itaque infirmatur (e) cum quo non infirmetur? Quis scandalizatur, & non uritur? Induit se compassionis nævum, ut morbum in altero passionis levet vel sanet. Nigrescit candore zelo, lucro pulchritudinis. Multos candidos facit unius denigratio, non cùm tingitur culpâ, sed cùm afficitur curâ. Agnosco pellem Salomonis, imò ipsum in pelle foris nigra Salamonem amplector. Habet & Salamon nigredinem, sed in pelle. Foris niger, in cute niger, non intùs. Alioquin omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. Intùs Divinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, innocentiæ puritas. Sed tetigit hæc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus vultus ejus & despectus, dum tentatur per omnia pro similitudine absque peccato. Agnosco denigratæ formam naturæ. Agnosco tunicas illas pelliceas Protoplastorum peccantium habitum. Denique semetipsum denigravit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.

§. II.

Sed ad passionis (f) jam defectus veniamus. Passionem autem non illum diem unum appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi crux fuit & martyrium. Flevit enim (g) & contristatus est propter me gaudium Angelorum, Dominus Jesus. *Qui* (ut ait Apostolus) *in diebus carnis suæ offerens vota & supplicationes ad eum, qui possit salvum facere eum à morte, cum clamore valido & lachrymis, exauditus est pro sua reverentia.* Jesus quippe legitur ter flevisse (h) in ipso ortu genus humanum, processu temporis Lazarum, ad ultimum super Hierusalem futurum casum. *Primò* quidem plorat Christus (i) sed non sicut cæteri, aut certè non quare cæteri solent. In aliis sensus, in Christo prævalebat affectus. Patiuntur illi, non agunt, utpote nec ipsius adhuc usum voluntatis habentes. Illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Illi jugum grave quod est super omnes filios Adæ, Christus filiorum Adæ peccata deplorat: & certè pro quibus nunc lachrymas fundit, postea fundet & Sanguinem. Audis cor non carneum (k) sed lapideum, illum magnum Jesum & optimum in diebus carnis suæ (quam pro me redimendo assumpserat) lachrymis immaduisse, & adhuc aridum permanes? O cor durum, audis commoveri pro me ad lachrymas illum, qui in æternum stat & non commovebitur, nec adhuc tu ad lachrymas commoveris? Si tu cor sicut terra sine aqua exarvisses, utique vel leviter posses emolliri solis perfusum lachrymis lachrymantis Jesu. Quid est (l) cor durum? Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad Divina, præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil

c *Ibidem n.21.* d *Ibidem n.19.*

e *Se. m.25.in Cant.n.1.& 2.* f *Tract.de vite myst.cap.5.n.22.* g *Ibidem cap.33.n.137.* h *Lib.sentent.n.36.pag.1003.* i *Ser. 2.in nativ. Dom.n.2.* k *Tract.de vite myst.cap.33.n.137.* l *Lib.1.de consider.ad Eugen.cap.2.n.3.*

nihil omninò præterit, præsentium nihil perit, futurorum nulla nisi fortè ad ulciscendum prospectio seu præparatio est. Et ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. O duritiam cordis mei? [m] Utinam Domine, sicut Verbum caro factum est, ita & cor meum carneum fiat. Siquidem & hoc pollicitus es per Prophetam: *Auferam*, inquit, *à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*. *Secundò* [n] Christus ad tumulum Lazari nec flentes arguit, nec à fletu prohibuit, insuper & flevit cum flentibus. *Et lacbrymatus est Jesus*, inquit Joannes. Fuerunt lachrymæ illæ testes profectò naturæ, non indices diffidentiæ. Denique & prodiit mox ad vocem ejus qui erat mortuus, ne continuò putes fidei præjudicium dolentis affectum. Dominus utique Jesus (o) per compassionem flevit super Lazarum. Quid (p) dulcius lachrymis charitatis? Flet quippe charitas, sed ex amore, non ex mœrore. Flet ex desiderio. Flet cum flentibus. Numquid (q) Paulus Apostolus præcipit flere rerum amissionem, intermissionem voluptatum, filiorum mortes, morborum instantiam, gravitatem inopiæ, potentiam fortiorum? Absit. Plorandi enim sunt qui taliter plorant. Religiosa enim tristitia aut alienum luget peccatum, aut proprium. Dico quoque Lazarum [r] quem quatriduanum jam jamquè fætentem à mortuis excitat vox Virtutis, ut videatur satis congruè formam gerere pænitentis. Adhuc autem (s) & ad monumentum properat Vita nostra, ut quatriduanum reducat à monumento: & Lazarum quærit, ut quæratur & inveniatur à Lazaro. In hoc enim est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos. Age igitur Domine, quære quem amas, ut & amantem facias & quærentem. Quære ubi posuerunt eum, jacet enim clausus, ligatus, oneratus. Jacet in ergastulo conscientiæ, tenetur vinculis disciplinæ, & tanquam lapide superposito premitur & opprimitur onere pænitentiæ: maximè quòd desit interim fortis ut mors dilectio, & charitas omnia sustinens: & in his omnibus jam fætet Domine, quatriduanus est enim. Credo jam multorum ingenia prævolant, ut intelligant quem velim dicere Lazarum. Eum sine dubio, qui nuper peccato mortuus fodit sibi parietem, ut videat abominationes multas & malas pravi & inscrutabilis cordis sui: & juxta Prophetam Jeremiam, *ingressus est in petram, absconditus fossa humo à facie furoris Domini*. Sed quid est (t) Domine jam fætet, quatriduanus est enim? Fortè enim fætorem istum, & quatuor dies istos non continuò quivis intelligat. Ego *primam* arbitror timoris diem, quâ nimirùm irradiante cordibus nostris peccato morimur, & quodammodò sepelimur in conscientiis nostris. *Secunda* dies agitur in labore certaminis: solet nempè inter primordia conversionis acriùs insurgere tentatio pravæ consuetudinis, & vix extingui possunt jacula ignita diaboli. *Tertia* nihilominùs dies doloris etiam videtur esse, dum recogitat quis annos suos in amaritudine animæ suæ: & nec tam laborat declinando futura, quàm præterita plangendo deplorat. Miraris quòd hos dixerim dies? Sed sepulturæ debentur dies nebulæ & caliginis, dies luctus & amaritudinis. Sequitur *quarta* dies pudoris, non dissimilis tribus, quando jam horribili confusione operitur anima miseranda, dum nimis considerat quæ & quanta deliquerit, & in oculis cordis tetras versat imagines peccatorum. Animus hujusmodi nihil dissimulat, sed dijudicat, sed aggravat, sed exagerat universa: non sibi parcit durus judex in semetipsum. Utilis quidem exacerbatio, & digna miseratione crudelitas, facilè sibi Divinam concilians gratiam, dum pro eo mens æmulatur etiam contra seipsam. Verumtamen *Lazare veni foras*, ne tanto fætore diutiùs immoreris. Caro putrida putredini proxima est: & qui confunditur vehementiùs & tabescit, propè est ut desperet. Propterea *Lazare veni foras*. Abyssus abyssum invocat: abyssus luminis & misericordiæ, abyssum miseriæ & tenebrarum. Major illius bonitas, quàm iniquitas tua: & ubi peccatum abundat, superabundare gratiam facit. *Lazare*, inquit, *veni foras*. Acsi manifestiùs dicat: Quousquè conscientiæ tuæ caligo te detinet? quamdiu in cubiculo tuo gravi corde compungeris? Veni foras, procede, & respira in lucem miserationum mearum. Hoc enim est quod in Propheta Esaja legisti: *Infrænabo os tuum laude mea, ne pereas*. Evidentiùs quoque Propheta David de seipso: *Ad meipsum*, inquit, *anima mea turbata est, propterea ero memor tui*. *Tertiò* [u] Salvator videns civitatem Jerusalem, & prævidens ruituram, flevit super eam. Dominus utique Jesus [x] per compassionem flevit super Jerusalem, dicens: *Quia si cognovisses & tu*. Imitemur ergo eum [y] quem & super Lazarum, & super Civitatem flevisse legimus, risisse verò aut jocatum nusquam. Aquam tibi Salvator apponit [z] plorans super Lazarum, & super per civitatem Jerusalem. Hanc aquam habes, si rigas lachrymis tuis conscientiæ tuæ stratum, & dolore compunctionis præteritorum dilvis maculas peccatorum.

§. III.

Licet autem [a] fleverit Dominus super Jerusalem, ex hoc jam omninò non flebit: sicut mortuus est, sed resurrexit ex mortuis non moritur: sicut fuit in lectulo, sed exurgens jam in lectulo non invenitur. Habet tamen etiam nunc ineffabiliter ampliorem affectum & efficaciorem, quàm habeant qui lugent pro delinquentibus, aut pro fratribus ponunt animas. Meritò planxit David [b] super parricida filio, cui perpetuò sciret obstructum exitum de ventre mortis mole criminis. Meritò planxit super Saül & super Jonatham, quibus æquè absorptis semel, emersio jam non sperabatur. Quanquam de Jonatha possit non immeritò hærere sententia. Benignus quoque Samuël super reprobo rege, & pius David super parricida filio satisfecerunt affectioni, & non ad injuriam fidei, non in superni suggillationem judicii. Samuël etiam [c] lugebat Saül qui se quærebat occidere, & ad ignem charitatis incalescente pecto-

m *Ser.3.in Nat.Dom.n.2.* n *Ser.26.in Cant. n.16.* n *Lib.de mod. ben.viven.cap.10.n.30.* p *Ser.58. in Cant. n.11.* q *Ser.de S.Maria Magd.n.3.* r *Ser.2.in Assumpt.B.M. n.7.* s *Ser.4.in Assumpt.B.M. n.2.* t *Ibidem n.3.*

u *Ser.36.in Cant.in 16.* x *lib.de mod.ben.viven.cap.10.num.30.* y *Ser.4.de Adven.Dom.n.9.* z *Ser. de S.Clem.n.6.* a *Ser.31.diver. n.6.* b *Ser.26.in Cant.n.16.* c *Ser.12.in Cant.n.3.*

pectore liquefactus intùs pietatis adeps foras emanabat per oculos. Joseph quoque postquam universam Ægyptum post se fecit currere in odore unguentorum suorum, etiam suis venditoribus eandem demùm fragrantiam propinavit. Equidem increpatoria verba vultu proferebat irato, sed erumpebant lachrymæ de pinguedine cordis, non iræ indices, sed gratiæ proditrices. Quid David mansuetius (d) qui illius mortem lugebat, qui suam semper sitierat? Quid benignius, quàm ut ejus molestè ferret decessum, cui succedebat in regnum? Sed & de morte parricidæ filii, quàm difficile consolationem admisit? Magnam profectò optimæ unctionis copiam præferebat talis affectio, ideo & securus orabat dicens: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus*. Vera misericordia non judicat, (e) sed afficit: non nititur discussione, occasione contenta. Non enim expectatur ratio, ubi affectio trahit. Lugebat Samuël Saül, miserans non deliberans. Fundebat lachrymas David filio perricidæ, & si non profuturans, pias tamen. Adhuc (f) Samuëlem recolo, qui non semel, sed omnibus diebus vitæ suæ lugebat super Saül, cùm sciret illum longiùs ab oculis Divinitatis elongatum: non cessabat tamen compassio quæ condolentis animum irrepserat, fundens lachrymas, etsi non profuturas, pias tamen. David parricidam filium continua deploratione plorabat, plorans in eo non carnis necessitatem, sed fidei destructionem. Cerne quomodò Joseph totus hoc melle illitus erat. Veniunt fratres non jam ante fratrem, sed ante Dominum assistentes, conscii proditionis, homicidii rei, fratricidii succensores. Videt eos Joseph, & omnium injuriarum immemor, dulcissimis fletibus inundatur, & pietatis adeps qui intùs latitat, foras per oculos emanat. Fugit odium, nescit iram, tempus iracundiæ non reservat: reddens bonum pro malo, pro crudelitate dulcedinem lachrymarum. Penè quin oblitus sim Moysen adeo sacri liquoris huius rore perfusum, ut totus ex eo superfundatur & profluat. Peccat Israël, & Moyses peccantem reconciliare nititur Creatori, sed dissimulat Dñus exaudire rogantem. Promittit plurima Moysi Creator omnium, & ulciscendi licentiam quærit à Moyse, qui Moysen fecit: *Dimitte me* (inquit) *ut irascatur furor meus contra eos, & faciam te in gentem magnam*. Respondit Moyses: *Si dimittis, dimitte: alioquin dele me de libro quem scripsisti*. O stupenda profectò dulcedo! Et principatum respuit gentis alienæ, & de libro viventium deleri desiderat, nisi peccantibus dimittatur offensa. Et quia tibi, ô homo (g) Christus tentatus est, non sibi: propter te omnes passiones suas, quas oportuit & decuit, accepit: ut omnis sua actio esset tua lectio, & omnis sua vita esset rua doctrina. Proinde accipe (h) triplicem aquam, quam tibi Salvator apponit: nimirum ut primò lugeas (i) propter peccata tua: deinde propter miserias hujus mundi, atque compassionem proximi: ad postremum verò propter dilectionem Dei ac cælestis præmii. Deprecare Deum cum omni devotioue, ut det tibi veram mentis compunctionem, & cordis contrictionem. Compunctio Unigenitum Christum Dei filium facit habere in se, sicut Dominus ipse ait: *Ego & Pater veniemus, apud eum qui me diligit mansionem faciemus*. Ubi lachrymæ abundant, ibi graves cogitationes non appropinquant: etsi aliquando appropinquant, ibi radices non habent. Lachrymæ apud Deum semper nobis dant fiduciam magnam. Denique (k) Angeli gaudent in conversione & pænitentia peccatorum, salutem hominum sitientes. Lachrymæ pænitentium vinum est Angelorum, quòd in illis vitæ ador & sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ, serenatæ suavitas conscientiæ. Audi quoque (l) exempla Sanctorum, qui per compunctionem & lachrymas apud Deum obtinuerunt veniam peccatorum suorum. Anna mater Samuëlis per compunctionem & lachrymas meruit habere filium, insuper obtinuit apud Deum prophetiæ donum. David per compunctionem & lachrymas obtinuit veniam perpetrati homicidii atque adulterii. Sic enim audivit per Prophetam: *Non morieris, quia Dominus transtulit peccatum tuum*. Tobias per compunctionem & lachrymas meruit accipere curationem cæcitatis, & consolationem paupertatis. Sic enim dixit ei Raphaël Angelus: *Gaudium tibi semper sit*. Et adjecit: *Forti animo esto, in proximo est ut à Deo cureris*. Etiam Maria Magdalena per compunctionem & lachrymas meruit à Domino audire: *Remittuntur tibi peccata tua*. Ideo autem exempla Sanctorum proposui tibi, ut lachrymæ per compunctionem suaves sint tibi. Bona compunctio (m) thesaurus est desiderabilis, & inenarrabile gaudium in mente hominis. Anima quæ in oratione habet compunctionem, proficit ad salutem. Vir fortis non est minùs laudabilis in luctu, quàm in bello. Quia ergo post Baptismum inquinavimus vitam, baptizemus lachrymis conscientiam nostram. Ubi lachrymæ fuerint, ibi accenditur spiritualis ignis, qui illuminat secreta mentis. Lachrymæ pænitentiam pro Baptismate reputantur apud Deum. Compunctio cordis, sanitas est animæ. Compunctio mentis, illuminatio est animæ: quia tunc anima illuminatur, quando ad lachrymas compungitur. Compunctio lachrymarum, remissio est peccatorum: quia tunc peccata dimittuntur, quando cum lachrymis in memoriam reducuntur. Compunctio Spiritum Sanctum reducit ad se: quia cùm à Spiritu Sancto mens visitatur, statim homo peccata sua deplorat. Sed ô Domine (n) quomodò comperiemus quando hæc facis, & quod signum adventus tui? Numquid hujus consolationis & lætitiæ testes & nuncii sunt suspiria & lachrymæ? Si ita est, nova est antiphrasis ista, & significatio inusitata. Quæ enim conventio consolationis ad suspiria, lætitiæ ad lachrymas? Si tamen istæ dicendæ sunt lachrymæ, & non potiùs roris interioris desuper infusi superfluens abundantia, & ad interioris ablutionis indicium exterioris hominis purgamentum: ut sicut in Baptismo puerorum per exteriorem ablutionem significatur, & figuratur interjor animæ ablutio: ita hîc è contra exteriorem ablutionem interior præcedat purgatio. O felices lachrymæ, per quas macu-

d *Ibid.n.5.* e *Epist.12.n.1.* f *Ser. de S.M.Magd.n.10.* g *Tract.2.de precip. myst.cap.6.n.12.* h *Ser.de S.Clem.n.6.* i *Lib.de modo bene viven.cap.10.n.30.*

k *Ser.30.in Cant.n.3.* l *Lib. de modo bene viven. cap.10.num. 25.* m *Ibidem n.29.* n *Tract.de modo orandi cap.6.tom.5.pag.477.*

maculæ interiores purgantur: per quas peccatorum incendia extinguuntur! Beati qui legetis, quia ridebitis. In his lachrymis agnosce ô anima Sponsum tuum; amplectere desideratum. Nunc torrente te voluptatis inebria: suge ab ubere consolationis ejus lac & mel. Hæc sunt miranda munuscula & solatia, quæ dedit tibi Sponsus tuus: gemitus scilicet & lachrymæ. Adducit tibi potum in his lachrymis in mensura. Hæ lachrymæ sint tibi panes die ac nocte, panes utique confirmantes cor hominis, & dulciores super mel & fauum. O Domine Jesu! si adeo sunt dulces istæ lachrymæ, quæ ex memoria & desiderio tui excitantur, quàm dulce erit guaudium, quod ex manifesta tui visione capietur! Si adeo dulce est flere pro te, quàm dulce erit gaudere de te! Sed quid hujusmodi secreta colloquia proferimus in publicum? Cur ineffabiles & inenarrabiles affectus verbis communibus conamur exprimere? Inexperti talia non intelligunt, nisi ea expressiùs legant in libro experentiæ, quos ipsa docet unctio. Aliter autem litera exterior non prodest quidquam legenti. Modicum sapida est lectio exterioris literæ, nisi glossa & interiorem sensum sumat ex corde.

CAPUT X.

De insidiis & conviciis, quæ Christus pertulit in colloquendò ab ingratis Judæis.

Amici mei, & proximi mei adversùm me appropinquaverunt, & steterunt: & qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur, *Psal.* 37.

1. *Christus passus est insidias & dolos à Judæis ingratis, dum mulierem in adulterio deprehensam accusabant.* 2. *Dum tentabant Jesum super censu reddendo Cæsari.* 3. *Monemur ad imitandum patientiam & tolerantiam Christi, qui innumera opprobria & calumnias sustinuit pro salute nostra.*

§. I.

PAssionem Christi (a) non illum diem unum appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi crux fuit & martyrium. Breviter ergo dicamus, sed meditando longiùs immoremur. Tibi enim ô homo (b) tentatus est, non sibi: propter te opprobriis & contumeliis saturatus est: & propter te omnes passiones tuas, quas oportuit & decuit, accepit. Ille (c) cui famulatur omnis gloria cælorum, imò ipse qui solus vera gloria est, quasi abiicit gloriam. Servili circumdatus indumento sustinet ignominias, confusionibus operitur, ut te à confusionibus redimeret, & ad gloriam pristinam reuocaret. Ille cujus potenti nutui omnia inferna, terrestria, & supercælestia sunt subjecta, sic fit abjectus, ut reputaretur omnium virorum novissimus. Ipse qui natus est ex Virgine (d) imò factus ex muliere, sed benedicta in mulieribus, & nihilominus multis repletus est miseriis, appetitus insidiis, interogatus contumeliis, pulsatus injuriis, vexatus suppliciis, conviciis lacessitus. Judæi enim (e) non immemores odii quo oderant Patrem, exercebant illud in Filium. Unde & ipse ait: *Quia oderunt me, & Patrem meum.* Nec solùm ingrati (f) gratuitis beneficiis Christi extiterunt, sed contumeliis affecerunt eum, & fecerunt ei quæcunque volverunt. Christo enim faciente opera Dei, quæ nemo alius fecit, quid dixerunt? *Non est hic homo à Deo, in principe dæmoniorum eiicit dæmonia, dæmonium habet, seducit turbas, vorax est, potator vini, & amicus publicanorum & peccatorum.* Denique quid fecerunt impii (g) quibus gravis erat etiam ad videndum? *Hic est*, inquiunt, *hæres: venite, occidamus eum.* Ut quid vos Judæi (h) ut quid suspicamini montes coagulatos, montem in quo beneplacitum est Deo habitare in eo? *In Belzebub*, inquiunt, *principe dæmoniorum eiicit dæmonia.* Execranda suspicio, & blasphemia reprehensibilis. Princeps est Christus, & magnus Princeps, cujus ne ipsi quidem dæmones possunt effugere principatum. At illorum regnum in seipsis divisum desolabitur. Christi autem regnum integrum atque perfectum est, & regni ejus non erit finis. Distat ergo inter Principem, & principes, nec ulla comparatio inter Montem coagulatum et pinguem, & montes tantùm coagulatos. Vester iste Belzebub est mons coagulatus, sed non pinguis, magis autem sterilitate perpetua maledictus. Mons, quia elatus est: coagulatus, quia squama squamæ conjungitur, & coagulatum est sicut lac cor eorum. Christus Dominus mons est, mons coagulatus, & mons pinguis. Mons est sublimitate, coagulatus multorum congerie, pinguis charitate. Ipse discurrens per civitates & castella (i) prædicans & annuncians regnum Dei, elementis & dæmonibus imperabat, infirmos sanabat, & mortuos suscitabat. Et cum talia faceret, sustinebat insidias, sustinebat calumnias, sustinebat blasphemias, quas principes Sacerdotũ, Scribæ & Pharisæi, & omnis populus contra ejus innocentiam invehebant: sed cùm eorum perfida & perversa nequitia unici Filii Dei bonitatem superexcellentem sustinere non posset, ipsum auferere de terra nefariè cogitarunt. Circumfoditur Vitis Christus. (k) Fossio hæc insidiantium fraus intelligitur. Quasi enim foveam fodit, qui dolo machinatur aliquem decipere. Unde Dominus conquerens dicit: *Foderunt ante faciam meam foveam.* Non enim poterat illi aliquis dolus abscondi, qui oculatus est antè & retrò, & qui præterita & futura tanquam præsentia intuetur. Omnia enim nuda & aperta sunt oculis ejus. Ostendamus autem per exemplum aliquam fraudem istarum fossionum. *Adducunt*, (inquit Evangelium) *Domino Jesu mulierem adulteram, dicentes quòd Moyses in lege præcepit hujusmodi lapidare: Tu autem quid dicis?* Vide foveam, quâ beatam Vitem nostram circumfoderunt illi pessimi agricolæ, non ut facerent eam germinare, sed magis arescere. Verumtamen in contrarium cessit eorum intentio, & circumfossa vitis magis fertilis facta est, & humorem misericordiæ distillans. Foveas verò videamus.

K Dixe-

a *Tract. de vite myst. cap. 5. n. 22.* b *Tract. de 3. or. recip. myst. cap. 6. n. 12.* c *Tract. de vite myst. cap. 2. n. 3.* d *Ser. infer. 4. hebd. san. n. 6.* e *Ser. 3. in Circum. Dom. n. 4.* f *Ser. de Pass. Dom. n. 6.* g *Ser. 3. in Circumcis. Dom. n. 4.* h *Ser. 33. in t. div. n. 7. & 8.* i *Ser. de lament. Virg. Mariæ n. 15. tom. 6. pag. 1064.*

Dixerunt apud se: Si secundùm legem dixerit mulierem lapidandam, foveam incidet crudelitatis, qui de se dicit: *Mitis sum, & humilis corde*. Et iterum: *Misericordiam volo, & non sacrificium*. Si verò dixerit absolvendam, foveam prævaricationis non evadet, & jure condemnabitur ut legis transgressor. Sic captant in animam Justi, & observant peccatores Justum, & strident: nescientes quòd frustra jacitur rete ante oculos pennatorum, & quòd qui fodit foveam, incidit in eam. *In lege* (l) *Moyses mandavit hujusmodi lapidare*, ajunt de peccatrice peccatores, de adultera Pharisæi. Sed ad duritiam lapidei cordis vestri ille locutus est. *Iesus autem inclinavit se*. Domine inclina cælos tuos & descende. Inclinans se & ad misericordiam flexus (neque enim Judaici cordis erat) *digito scribebat*, non jam in lapide, *sed in terra*. Neque hoc tantùm semel, sed hîc quoque duplex Scriptura, sicut apud Moysen tabulæ duæ. Et fortè veritatem & gratiam scribens, & iterum scribens terræ impressisse videtur, secundùm quod Joannes Apostolus ait: *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est*. Considera denique an videri possit de tabula veritatis legisse, unde refelleret Pharisæos: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in eam lapidem mittat*. Quasi dicat: (m) Legi meæ non contradico, pietatem meam non desero. Ista quidem mulier meruit lapidari, sed non lapidabitur, quia qui lapidem justè possit in eam mittere non habetur. Quàm leviter transilivit has foveas noster Jesus, ipsosquè fossores dejecit in illas. Ait enim: *Qui sine peccato est vestrûm, primus mittat in eam lapidem*. Verbum quidem abbreviatum (n) sed vivum & efficax, & ancipiti gladio penetrabilius. Quàm graviter enim ad verbum hoc saxea corda transfossa, quàm vehementer hoc uno lapillo contritæ sint lapideæ frontes, rubor ipse confusionis & claudestinus probavit abcessus. Meruit quidem adultera lapidari, sed is punire gestiat, qui dignus non est etiam ipse puniri. Is præsumat à peccatrice exigere ultionem, qui eandem excipere non meretur. Alioquin ipse sibi vicinior, à se incipiat, in se priùs sententiam ferat, exerceatquè vindictam. Hæc Veritas. Cæterùm (o) adhuc minus est. Etsi accusatores refellit hæc Veritas, sed ream necdum absolvit: scribat iterum, scribat gratiam, legat & audiamus. *Nemo te condemnavit mulier? Nemo Domine. Nec ego te condemnabo: vade, & ampliùs noli peccare*. O vox misericordiæ! ô auditus letitiæ salutaris! Auditam fac mihi manè misericordiam tuam, quia in te speravi Domine. Sola nimirum spes apud te miserationis obtinet locum: nec oleum misericordiæ nisi in vase fiduciæ ponis. Hæc est vera hominis fiducia à se deficientis & innitentis Domino suo. Hæc est, inquam, vera fiducia, cui misericordia non denegatur, Propheta attestante: *Quoniam beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus*. Nec parva itaque suppetit in nobis, in nobis quidem timoris, in ipso autem causa fiduciæ. Suavis & mitis est & copiosæ misericordiæ, præstabilis super malitia, multus ad ignoscendum. Credamus sanè vel inimici, qui in eo nihil aliud unde occasionem struendæ calumniæ caperent, invenerunt. Compatietur (ajunt) peccatrici, nec sibi oblatam ullatenùs occidi patietur. Tenebitur itaque manifestus adversarius legis, cùm absolverit lege damnatam. In vestrum, ô Pharisæi, caput tota vestræ malignitatis adinuentio retorquetur. Diffiditis causæ, qui judicium subterfugitis. Nam illa quidem sine injuria legis absolvitur, quæ sine accusatore relinquitur.

§. II.

Visne adhuc (p) aliquas foveas videre? *Licet* (inquiunt Judæi) *censum dare Cæsari, an non?* Dixerunt enim apud se: Si dixerit, *licet*, tenebitur reus tanquam libertatis nostræ destructor. Solutio enim census, servitii signum est. Si dixerit, *non licet*, reus erit læsæ Majestatis. O stultos! Solet stultus alios secundùm se æstimare, & quod ipse ignorat, sapientes quoque credit similiter ignorare. Sed quid ait Sapientia? Libertati non derogo, majestatem non offendo, foveas vestras non incido. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo*. Non enim offenditur Deus justus, qui vult unicuique reddi quod suum est, si reddatis Cæsari quod Cæsaris est. Non offenditur Cæsar, si Deo reddideritis quæ creavit justè, quod justum est faciatis. Reddite ergo Cæsari denarium, Cæsaris habentem imaginem. Reddite Deo animam, quam ad imaginem & similitudinem suam creavit: & ecce justi fueritis. Christus jussit, (q) & gessit. *Reddite*, ait, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo*. Quod ore locutus est, mox opere complere curavit. Conditor Cæsaris, Cæsari non cũctatus est reddere censum. Exẽplum enim dedit vobis, ut & vos ita faciatis. Longum esset nimis omnes foveas (r) quas veræ Viti nostræ (*Christo*) maligni Judæi foderunt, edissere: quia omnia illius & verba & facta calumniari nitebantur. At si jucundum ducis (s) insidias Scribarum & Pharisæorum toties deprehensas, callidas eorum objectiones responsionum Christi prudentiâ confutatas oculata mente perspicere, Sapientiæ ejus lucem clariùs emicare persenties. Triginta & tribus annis super terram visus (t) & cum hominibus conversatus, etiam habuit in factis calumniatores, in dictis insultatores, non habens ubi caput suum reclinaret. Quare hoc? Quia Verbum à sua subtilitate descenderat, & grossius acceperat indumentum. Nam caro factum fuerat, & ideo grossiori & morosiori opere utebatur. Hoc autem Verbum quia carnem purissimam & animam sanctissimam unierat sibi, liberè moderabatur actiones corporis sui: tum quia Sapientia & Justitia erat: tum quia nullam habebat prorsùs legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ. Sed dicit aliquis: (u) Non valuit opus suum reparare Creator absque ista difficultate? valuit, sed malvit cum injuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis occasionem ultrà reperiret in homine. Sanè multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretquè gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minùs esse devotum fece-

l *Ser. 3. in Annunt. B. M. n. 2.* m *Tract. de vite myst. cap. 8. num. 5.* n *Ser. 3. in Annunt. B. M. n. 2.* o *Ibid. n. 3.*

p *Tract. de vite myst. cap. 3. n. 6.* q *Tract. de mor. & off. [illegible] cap. 8. n. 30.* r *Tract. de vite myst. cap. 3. n. 6.* s *Ser. de Iesu [illegible] n. 26. tom. 6. pag. 644.* t *Ser. in fer. 4. hebd. sancti. n. 13.* u *Ser. 11. in Cant. n. 7.*

fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus? Gratis quidem conditus sum, sed nullo Auctoris gravamine vel labore. Siquidem dixit, & factus sum: quemadmodùm & universa. Quid magnum est, quamlibet magna in verbi facilitate donaveris? Sic beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde sumebat, unde amoris causam habere debuerat, idquè ad excusandas excusationes in peccatis. Sed [x] obstructum est os loquentium iniqua. Luce clariùs patet, quantum pro te, ô homo, dispendium fecit: de Domino servus, de divite pauper, caro de Verbo, de Dei Filio filius hominis fieri non despexit. Meritò jam te etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At verò per totos triginta tres annos operatus est salutem tuam in medio terræ. O quantum laboravit sustinens carnis necessitates, hostis tentationes. Tibi enim, ô homo (y) tentatus est, non sibi: propter te opprobriis & contumeliis saturatus est: & propter te omnes passiones suas, quas oportuit & decuit, suscepit. Nihil tuorum defectuum præter peccatum à se exclusit ut omnis sua actio esset tua lectio, & omnis sua vita esset tua doctrina. Quid fles (z) quid suspiras ô homo, dum sustines verborum injurias? Non audis quanta adversùs Dominum Deum tuum ceciderunt opprobria propter te? Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domesticos ejus? Sed hæc quidem & similia blasphemantes, & aliquoties ipsum lapidibus impetentes, Jesus bonus patienter sustinuit, & factus est coram eis sicut homo non audiens, & in ore non habens redargutiones. Quod cùm ita sit (a) pulchrè sponsa Ecclesia convertit sibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab æmulis intorquetur, non modò formosam, sed & nigram esse se glorians. Non enim erubescit nigredinem, quam novit præcessisse & in Sponso Jesu: cui similari quantæ etiam gloriæ est? Nil sibi gloriosius proinde putat, quàm Christi portare opprobrium. Undè vox illa prorsùs exultationis & salutis: *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi*. Libens & ego excipio in me (b) detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemorum, ut non ad ipsum perveniant. Non recuso inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam. Quis mihi det gloriari in voce illa: *Quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam*? Gloria mihi est, consortem fieri Christi, cujus illa vox est: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*. Grata ignominia crucis ei, (c) qui Crucifixo ingratus non est. Nigredo est, sed forma & similitudo Domini. Vade ad sanctum Esaiam, & describet tibi qualem in spiritu illum viderit. Quem namque alium dicit *Virum doloris, & scientem infirmitatem*, & quia *non erat ei species neque decor*? Ecce unde niger? Junge & illud Sancti David: *Speciosus forma præ filiis hominum*, & habes totum in sponso Jesu, quod sponsa de se hoc in loco testata est. Num tibi (d) rectè & ipse videtur, secundùm ea quæ dicta sunt, æmulis posse respondere Judæis: Niger sum, sed formosus, filii Jerusalem? Niger planè, cui non erat species neque decor. Niger, quia vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Denique seipsum fecit peccatum, & nigrum dicere verear? Facta est igitur (e) res mira & obstupenda. Infirmata est Virtus summa, & (ut ita dicam si dici liceat, quod tamen reverenter dico) quasi infatuata est Sapientia. Veruntamen hæc virtus abscondenda erat, & in humilitate perficienda, ut omnium implerentur oracula Prophetarum.

§. III.

Porrò (f) Salvator noster pati voluit, ut compati sciret: miseri fieri, ut misereri disceret: ut quomodò de ipso scriptum est: *Didicit ex his quæ passus est obedientiam*: ita & misericordiam disceret. Non quod ante misereri nesciret, cujus misericordia ab æterno, & usque in æternum: sed quod naturâ sciebat ab æterno, temporali didicit experimento. Sed fortè durum tibi videtur, (g) quòd dixi Dei Sapientiam Christum didicisse misericordiam, quasi is per quem omnia facta sunt, aliquid aliquando ignorasset ex iis quæ sunt, maximè cùm illud quod ex Epistola ad Hebræos ad id comprobandum commemoravi, alio sensu (qui non adeo videatur absurdus) possit intelligi: ut hoc quod dictum est, *didicit*, non ad ipsum Caput referatur in sui persona, sed ad corpus ejus, quod est Ecclesia: ut sit ita sensus. *Et didicit ex iis quæ passus est obedientiam*: hoc est, obedientiam didicit in suo corpore ex iis, quæ passus est in Capite. Nam illa mors, illa crux, opprobria, sputa, flagella (quæ omnia Caput nostrum pertransivit) quid aliud corpori ejus, id est, nobis, quàm præclara obedientiæ documenta fuerunt? *Christus enim* (ait Apostolus) *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Qua necessitate? Respondeat Apostolus Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini*, inquit, *vestigia ejus*: id est, ut imitemini obedientiam ejus. Passionem autem (h) non illum diem appellamus, quo mortuus fuit, sed totam vitam illius. Tota enim vita Christi crux fuit & martyrium. Ex his ergo quæ passus est, (i) discimus quanta nos qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia perpeti: pro qua is qui & Deus erat non dubitaverit etiam mori. Et hoc modo, inquis, non inconveniens erit, si dicatur Christus vel obedientiam, vel misericordiam, seu aliquid aliud in suo corpore didicisse, dum tamen sibi in sua persona nil quod se ante latuerit, credatur ex tempore potuisse accedere. Sicquè ipse sit qui misereri doceat aut obedire; ipse qui discat quia caput & corpus unus est Christus. Non nego hunc intellectum (k) quin rectus sit. Sed ex alio loco ipsius Epistolæ, superior interpretatio videtur approbari, ubi dicitur: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret*. Puto quòd hæc verba sic ad Caput referenda sunt, ut corpori penitùs aptari non possint. De Verbo utique Dei dictum est, *quòd non Angelos apprehendit*, hoc est non in unam sibi personam assumpsit,

x *Ibidem n. 8.* y *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. n. 12.* z *Ser. de Pass. Dom. n. 6.* a *Ser. 25. in Cant. n. 8.* b *Lib. 2. de consid. cap. 1. n. 4.* c *Ser. 25. in Cant. n. 8.* d *Ibidem n. 9.*

e *Ser. 57. in adv. n. 1. & 2.* f *tract. de grad. humil. cap. 3. n. 6.* g *Ibidem n. 7.* h *Tractat. de Vite myst. cap. 5. n. 22.* i *Tract. de grad. humil. cap. 3. n. 7.* k *Ibidem n. 8.*

sed semen Abrahæ apprehendit. Neque enim legitur, Verbum Angelus factum est, sed Verbum caro factum est, & caro de carne Abrahæ, juxta promissionem, quæ illi primùm facta est unde, id est ex qua seminis assumptione, debuit per omnia fratribus similari: id est, oportuit ac necesse fuit, ut similis nobis possibilis, nostrarum omnia (excepto peccato) genera miseriarum percurreret. Si quæris qua necessitate? *Ut misericors* (inquit Paulus) *fieret*. Et hoc, ais, cur non rectè ad corpus referri potest? Sed audi quod paulò post sequitur: *In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari*. In quibus verbis quid melius intelligi possit, non video: nisi quòd ideo pati ac tentari, omnibusquè absquè peccato humanis voluit communicare miseriis (quod est per omnia fratribus similiari) ut similiter passis ac tentatis misereri ac compati ipso disceret experimento. Quo quidem experimento [l] non dico ut sapientior efficeretur, sed ut propinquior videretur: quatenùs infirmi filii Adam, quos suos fieri & appellari fratres non dedignatus est, suas illi infirmitates committere non dubitarent, qui sanare illas & posset ut Deus, & vellet ut proximus, & cognosceret ut eadem passus. Unde Esaias *virum* eum appellat *dolorum*, & *scientem infirmitatem*. Et Apostolus: *Non enim habemus* (inquit) *Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris*. Unde autem possit indicans adjungit: *Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. Beatus quippè Deus, beatus Dei Filius in ea forma, quâ non rapinam arbitratus est esse se æqualem Patri, proculdubio impassibilis: priusquàm se exinanisset formam servi accipiens, sicut miseriam & subjectionem expertus non erat, sic misericordiam vel obedientiam non noverat experimento. Sciebat quidem per naturam, non autem sciebat per experientiam. At ubi minoratus est non solùm à seipso, sed etiam paulominùs ab Angelis (qui & ipsi impassibiles sunt per gratiam, non per naturam) usque ad illam formam in qua pati & subiici posset, quod utique (sicut dictum est) in sua non posset, & in passione expertus est misericordiam, & in subjectione obedientiam. Per quam tamen experientiam non illi (ut dixi) scientia, sed nobis fiducia crevit, dum ex hoc misero genere cognitionis, is à quo longè erraveramus, factus est propior nobis. Quando enim illi appropinquare auderemus in sua impassibilitate manenti? Nunc autem Apostolo suadente, monemur, cum fiducia adire thronum gratiæ ipsius, quem nimirum (sicut alibi scriptum est) languores nostros tulisse, & dolores nostros portasse cognoscimus: & in eo quod passus est ipse, nobis compati posse non dubitamus. Omnia ergo [m] quæcunque passus est Dominus Jesus in diebus carnis suæ, ad ruborem utique passionis pertinent rosæ passionis, quamvis effusionibus crebris sacratissimi sanguinis ipsius specialiter non fuerit rubricata. Unde Sponsa ait: (n) *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Hoc est: Sufficit mihi, nolo jam scire nisi Jesum, & hunc crucifixum. *Fasciculus myrrhæ* [o] *dilectus meus mihi*, scilicet Christus secundùm carnem. Benè fasciculus [p] quia paruulus natus est nobis. Fasciculus myrræ [q] Christus in passione. Fasciculus myrrhæ, grando & tonitrua Judaicæ tempestatis. Fasciculus myrrhæ, multitudo afflictionum. Propterea quoque non fascem [r] sed fasciculum dilectum dicit sponsa, quòd leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat & doloris. Quia verò inter adversa & prospera versans, novit utrobique pericula non deesse, medium hujusmodi vberum suorum vult habere dilectum, cujus adversùs utraque continua protectione munitam nec læta extollant, nec tristia deiiciant. Tu quoque si sapis, imitaberis Sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris auelli: amara illa omnia quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revoluens, quo possis dicere & tu: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Et ego, Fratres [s] ab ineunte mea conversione, pro acervo meritorum quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Primùm videlicet infantilium illarum necessitatum, deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, horumquè similium, quæ in salutem nostri generis sylva Euangelica copiosissimè noscitur protulisse. Hunc & vos, dilectissimi, tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur. Habete illum semper non retrò in humeris, sed antè præ oculis: ne portantes & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Hæc meditamini [t] in his versamini. Talibus odoramentis refovete viscera vestra, quæ diu torsit odor molestior peccatorum: ut abundetis his unguentis non minùs suavibus, quàm salutaribus. Gaudet Sponsus cælestis talibus odoramentis, [u] & cordis thalamum frequenter libenterquè ingreditur, quòd istiusmodi refertum fructibus floribusquè respersum invenerit. Ubi suæ videlicet Passionis gratiam sedula inspicit cogitatione versari, ibi profectò adest sedulus, adest libens. O sancta anima [x] reverentiam habe, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & fortasse non osculandus, sed adorandus cum Patre & Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

PHI-

l *Ibidem n.9.* m *Tract. de vite Myst. cap. 35.*

n *Ser. 45. in Cant. nu. 3.* o *Ser. 2. in cœna Dom. n. 8.* p *Ser. 43. in Cant. n. 1.* q *Ser. 2. in Cœna Dom. n. 8.* r *Ser. 43. in Cant. n. 1. & 2.* s *Ibidem. n. 3. & 5.* t *Ser. 11. in Cant. n. 8.* u *Tract. de diligen. Deo cap. 3. n. 8.* x *Ser. 8. in Cant. num. 9.*

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Tertia

De gestis in ultima Cœna Domini: præsertim de institutione Sacramenti Eucharistiæ.

CAPUT I.

De gestis in Cœna apud Bethaniam habita ante sex dies Paschæ: & de occasione venditionis Christi.

Cùm autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super Caput ipsius recumbentis, *Matt.* 26.

1. *Ostenditur quòd Christus licet unctus à Deo Patre suo, desideravit tamen ungi Caput suum à nobis, uti etiam voluit ut super Caput ejus effunderetur unguentum preciosum à Maria Magdalena.* 2. *Demonstratur tria esse genera unguentorum, contritionis, devotionis, pietatis. Primum unguentum docemur effundere super pedes Christi, alterum super Caput ejus, tertium super corpus ejus, quo designatur Ecclesia sua.* 3. *Agitur de apostasia & avaritia Judæ Iscariothis, qui indignè ferens effusionem unguenti preciosi, statim abiit ad Judæos, eisquè vendidit Christum pro triginta argenteis.*

§. I.

Jesus ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. Cùm autem esset in Bethania in domo Simonis leprosi, fecerunt ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus verò unus erat ex discumbentibus cum Jesu. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi: & accessit habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro, effudit super caput ipsius recumbentis, Joan. 12. Matt. 26. Mar. 14.

QUIS nos [a] separabit à charitate Christi? Ipsa enim est, per quam omne corpus per nexus & juncturas crescit, Hoc glutinum est bonum, cujus meminit Esaias. Hoc unguentum est, quod descendit à capite in barbam, à capite descendit & in oram vestimenti, ut ne minima quidem fimbria careat unctione. In Capite siquidem est plenitudo gratiarum, de qua accepimus omnes; in Capite universitas miserationis: in Capite inexhaustus fons pietatis divinæ. In capite est affluentia tota spiritualis unguenti, sicut scriptum est: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Complacet sibi Pater in Filio [b] & dum vox sonat in æthere, descendit Spiritus in columba. Putatis Fratres, quia Christi baptismo Chrisma defuerit? Manet Domini Spiritus super ipsum, & unctum ab eo quis dubitet? Cæli namque [c] aperti sunt super eum, & descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in illum, & vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Hæc planè [d] spiritualis unguenti fragrantia est. Unxit Pater Filium præ participibus suis, in quo præ cæteris singulariter complacet sibi. Pater enim diligit Filium, affectu utique divino, & inexperto omni creaturæ. Mihi videtur [e] ineffabile quoddam atque inexpertum omni creaturæ osculum designasse, qui ait. *Nemo novit Filium, nisi Pater: & nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit revelare Filius.* Pater enim diligit Filium, & singulari dilectione amplectitur summus æqualem, æternus coæternum, Unus unicum. Sed enim non minori ipse à Filio affectione astringitur; quippe pro cujus amore & moritur. Illa itaque mutua gignentis genitiquè cognitio pariter & dilectio, quid nisi osculum est suavissimum, sed secretissimum? Ego pro certo ad tantum & tam sanctum divini amoris arcanum ne ipsam quidem Angelicam admitti arbitror creaturam. Etenim, Paulo hoc ipsum sapiente, pax illa exuperat omnem etiam Angelicum sensum. Intendite: [f] Sit os osculans Verbum assumens, osculatum caro quæ assumitur: osculum verò quòd pariter ab osculante & osculato conficitur, persona ipsa ex utroque compacta mediator Dei & hominum homo Christus Jesus. Hac ergo ratione Sanctorum nemo dicere præsumebat: Osculetur me ore suo, sed tantùm osculo oris sui: ipsi sanè servantes prærogativam istam, cui singulariter semelquè os Verbi impressum tunc est, cùm ei se corporaliter plenitudo omnis Divinitatis indulsit. Felix osculum, ac stupenda dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed Deus homini unitur. Proinde non

venit

S. Bernard. Abb. juxta ejus librorum edit. authore Horstio in VI. Tom. impr. Parisiis an. 1667. a *Ser. 1. in Quadrag. n. 2.*

b *Ibidem num.* 3. c *Ser. 3. in Epiph. Dom. num.* 7. d *Ser.* 1. *in Quadrag. num.* 3. e *Ser. 8. in Cant. num.* 1. f *Ser.* 2. *Cant. n.* 2.

venit vacuè (g) quia non venit vacuus. Nam quomodo vacuus, in quo habitavit plenitudo? Neque enim ei datus est ad mensuram Spiritus. Denique & venit in plenitudine temporis, plenum proinde venire se indicans. Benè plenum, quem unxit Pater oleo lætitiæ præ consortibus suis. Unxit & misit plenum gratiæ & veritatis: unxit, ut ungeret. Omnes ab eo uncti sunt, qui de plenitudine ejus meruerunt accipere. Unxit, inquam (h) præ participibus suis, accumulans super eum universa charismata benignitatis, mansuetudinis, & suavitatis, abundantiùs eum replens visceribus misericordiæ & miserationis. Unctum denique misit ad nos, quem nobis exhibuit plenum gratiæ & miserationis. Sic unctum à Patre est Caput nostrum Christus, & nihilominus ungi postulat & à nobis: *Cùm jejunaveris*, inquit, *unge caput tuum*. Mira dignatio! Spiritus Domini super eum, eò quòd unxit eum, & nihilominus tamen evangelizans pauperibus ait: *Unge Caput tuum*. Itane aquam petit à rivulo fons indeficiens? Petit sine dubio, aut certè repetit magis. *Ad fontem* enim *unde exeunt, flumina revertuntur ut iterum fluant*. Non verò ut minus habens (i) quod dederat Christus repetit, sed ne tibi pereat quidquid ad eum referre volueris. Siquidem etiam fluminis aqua si stare cœperit, & ipsa putrescet, & inundatione facta superveniens repelletur. Sic planè, sic gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit: necmodò nihil augetur ingrato, sed & quod acceperat vertitur in perniciem. Fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori. Unge igitur Caput tuum, refundens in eum qui supra te est, quidquid in te est devotionis, quiquid delectationis, quidquid affectionis. Unge, inquam, Caput tuum, ut si qua in te est gratia referatur ad ipsum: nec tuam quæras gloriam, sed ipsius. Ungit enim Christum, qui bonus ejus odor est in omni loco. Porrò (k) tantæ excellentiæ unguentum illud, quo Caput Christi ungitur, inventum est, ut vix quælibet ei divitiæ non dico præferri, sed nec saltem conferri posse videantur. Si enim in Christo (l) caput ad Divinitatem referendum est, dicente Paulo: *Caput Christi Deus*: proculdubio Caput ungit, qui gratias agit, quoniam Deum tangit non hominem. Non quia non sit homo qui Deus est, siquidem Deus & homo ùnus est Christus: sed quia omne bonum à Deo, non ab homine est, etiam ipsum quod per hominem ministratur. In Capite utique (m) est affluentia tota spiritualis unguenti, sicut scriptum est: *Unxit te Deus tuus, oleo lætitiæ præ participibus tuis*. Ipsum tamen quod tam copiosè Pater unxerat Caput, Maria quoque ungere non veretur. Calumniatur quidem discipulus, sed respondet veritas pro ea, quòd bonum opus sit operata.

§. II.

Erant autem quidam indignè ferentes inter semetipsos: & fremebant in eam. Dixit ergo unus ex discipulis JESU, Judas Iscariotes qui eum erat traditurus: Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis? ut quid perditio ista unguenti facta est? Poterat enim venundari plusquàm trecentis denariis, & dari pauperibus. Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus bonum operata est in me. Sinite eam, quid molesti estis? Nam semper pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Quod habuit, hæc fecit: prævenit ungere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus. Mar. 14. Joan. 12. Matt. 26.

Dicit sponsa ad Sponsum suum: (n) *Meliora sunt ubera tua vino*. Hoc est, pinguedo gratiæ quæ de tuis uberibus fluit, efficacior mihi est ad spiritualem profectum, quàm mordax increpatio prælatorum. Nec solùm meliora vino, *Sed & fragrantia unguentis optimis*. Innuit hîc (o) quòd aliqua sunt unguenta *bona*, aliqua *meliora*, quibus omnibus superferantur hæc *optima*. Dicamus ergo tria genera esse unguentorum. Est pono (p) diuersas species unguentorū. Est unguentum *contritionis*, & est unguentum *devotionis*, & est unguentum *pietatis*. Primum pungitiuum, dolorem faciens: secundum temperatiuum, dolorē leniens: tertium sanatiuum, etiam morbum expellens. Nunc de singulis latiùs differamus. Est utique unguentum *bonum*, (q) quod Maria pedibus Salvatoris infudit: est & *melius*, quod eadem super Caput recumbentis effudit: est & *optimum*, quod & ipsa præparavit toti Corpori Christi. *Primum quidem unguentum* (r) fuit de recordatione peccatorum, cùm pro ipsis compungimur, & veniam petimus: & hoc unguentum *bonum* est, quia cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Effunditur autem ad pedes Domini, ibiquè remunerationem accipit, scilicet remissionem peccatorum, cùm Dominus dicit: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm*. Primum itaque unguentum contritionis est (s) de recordatione peccatorum, de spiritu contrito & contribulato descendens. Hoc unguento infunduntur pedes illius, qui ambulat super pennas ventorum: hîc adorat Maria in loco ubi steterunt pedes ejus. Steterunt, inquam, quia validissima amoris manu pedem utrumque retinuit, donec utrumque perungeret, & audiret criminum remissionem & dimissionem in pace. *Remittuntur*, inquit, *tibi peccata, & vade in pace*. Magnam prorsùs miseriam, magna misericordia diluit & abstergit: & hoc quidem festinanter, quia sine ullo intervallo conjunguntur & lachrymæ peccatricis, & misericordia Salvatoris. Remittuntur peccata, & in pace dimittitur, ut & de præteritis sit sollicita, & secura de futuro. Non tibi (t) ô quæcunque es anima, non tibi ille locus vilis aut despicabilis videatur, ubi sancta peccatrix peccata deposuit, induit sanctitatem. Ibi Æthiopissa mutavit pellem, & in novum est restituta candorem, jam tunc fiducialiter veraciterquè respondebat exprobrantibus sibi verbum; *Nigra sum, sed formosa filii Jerusalem*. Miraris quanam id arte potue-

g *Ser. 16. in Cant. n. 12.* h *ser. 1. in quadrag. num. 3.* i *Ibidem n. 4.* k *serm. 90. diu. n. 4.* l *serm. 10. in Cant. n. 8.* m *ser. 1. in Quadrag. num. 2.*

n *Ser. 9. in Cant. n. 6.* o *Ser. 87. int. diut. n. 6.* p *Ser. 10. in Cant. n. 4.* q *Ser. de S. M. Mag. n. 4.* r *Ser. 87. diver. n. 6.* s *Ser. de Mar. Mag. n. 4.* t *Ser. 3. in Cant. n. 2.*

potuerit, vel quibus obtinuerit meritis? Paucis accipe. Flevit amarè, & de intimis visceribus longa suspiria trahens, salutaribus intra se succussa singultibus felleos humores evomuit. Cælestis medicus celerrimè subvenit: quia velociter currit sermo ejus. Numquid non potio est sermo Dei? Est utique fortis & vehemens, & scrutans corda & renes. Denique sermo Dei vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum. Hujus ergo beatæ Pænitentis exemplo prosternere & tu, ô misera anima, ut desinas esse misera: prosternere & tu in terram, amplectere pedes, placa osculis, riga lacrymis: quibus tamen non illum laves, sed te, & fias una de grege tonsarum quæ ascendunt de lavacro. Est denique unguentum [u] quod sibi conficit anima multis irretita criminibus, si cùm incipit cogitare vias suas, colligat, congerat, conteratquè in mortariolo conscientiæ multas ac varias species peccatorum suorum, & intra æstuantis pectoris ollam simul omnia coquat igne quodam pænitentiæ & doloris, ut possit dicere cum Propheta: *Concalvit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*. Ecce hoc est unum unguentum, quo anima peccatrix suæ conversionis primordia condire debet, plagisquè suis recentibus adhibere. Primum namquè sacrificium Deo spiritus contribulatus. Quamdiu autem non habet tanquam pauper & inops unde sibi melius ac preciosius componat unguentum, non negligat parare interim istud, licet de vilibus speciebus: quia cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Tantò autem minùs vile divinis apparebit conspectibus, quantò plùs sibi illa vilverit in recordatione peccatorum suorum. Tamen si illo visibili unguento, quo visibiliter uncti à peccatrice corporei pedes Dei referuntur in Evangelio, invisibile hoc & spirituale fuisse dicimus figuratum, non omninò vile reputare poterimus. Quidni de illo legitur? *Et domus* (inquit Evangelium) *impleta est ex odore unguenti*. Peccatricis manibus distillabatur, & extremis membris corporis, idest pedibus fundebatur: & tamen non usque adeo contemptibile aut vile fuit, quin totam domum vis aromatum & suavitas repleret odoris. Quod si attendamus quantâ in unius peccatoris conversione fragrantiâ respergatur Ecclesia, & quantis fiat odor vitæ ad vitam quivis pænitens, si publicè perfectèquè pæniteat: profectò & de hoc æquè indubitanter pronunciabimus, quia domus impleta est ex odore unguenti. *Secundum unguentum* [x] fit de recordatione beneficiorum Dei. Et hoc rectè ad Caput effunditur, quia virtutes non nisi ad Deum à quo sunt, referuntur. Hoc autem unguentum jam charius est, quia de hoc scriptum est: *Ut quid perditio ista unguenti facta est? Poterat enim venundari plusquàm trecentis denariis, & dari pauperibus*. Sed hanc perditionem approbat Dominus, cùm dicit: *Sinite eam. Quid illi molesti estis? Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis*. Non solùm approbat, sed etiam remunerat, cùm dicit: *Amen dico vobis: ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam ejus*. Est autem unguentum istud (y) tantò primo profectò preciosius, quantò de melioribus compositum speciebus. Siquidem secundi hujus unguenti aromata terra nostra nequaquam profert, sed procul & de ultimus finibus ea nobis conquirimus. Nempè *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*. Fit enim unguentum istud de Divinis collatis humano generi beneficiis. Felix qui ipsa sibi studiosè colligere, & ante mentis suæ oculos digna cum gratiarum actione reducere curat. Profectò cùm fuerint in vasculo pectoris pistillo crebræ meditationis contusa atque contrita, deindequè igne sancti desiderii simul decocta omnia, & demùm impinguata oleo lætitiæ: erit unctio longè preciosior, excellentiorquè priore. Sufficit ad probandum ejus testimonium qui ait: *Sacrificium laudis honorificabit me*. Nec dubium quin excitet ad laudandum beneficiorum recordatio. Hoc itaque [z] secundnm unguentum est *devotionis* de recordatione beneficiorum Dei. Prorsùs dignissima hujus unguenti compositio: & in istius comparatione prioris est conspersio vilipendenda. Ejus enim species de cælesti paradiso allatæ sunt, & in terra filiorum hominum nequeunt inveniri. Virtutes enim divinitùs collatæ, & in mortariolo pectoris pistillo diligentissimæ meditationis contritæ, & exultationis oleo superfusæ (suffuso igne justitiæ) & in humilitatis aheno decotæ, faciunt unguentum & odore & virtute mirabile; quod solum super Caput Domini recumbentis possit effundi, & exhiberi reverentiæ Majestatis. Nec reputo [a] perditionem unguenti hujus effusionem, in quo & mulieris devotio designatur, & Domini præfiguratur sepultura. Huc accedit quòd tam latè suam fragrantiam circumquaque diffundit, quare ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium, dici etiam habeat quòd & hæc fecit in ejus commemorationem. Caput igitur ungimus Salvatoris, [b] cùm de collatis virtutibus virtutum largitori gratias cumulamus. De hoc enim unguento [c] quod, appellatur devotionis, & conficitur ex memoria beneficiorum divinorum, quo & ungitur caput Domini, dicitur: *Sacrificium laudis honorificabit me*. Caput ex eo ungis, cùm de suis donis Deo gratias agis. Siquidem caput Christi, Deus. Deitas ergo in Christo tangitur, quoties ad laudem ipsius ejus beneficia memoramus. *Tertium unguentum est pietatis*: (d) quod est super omnia aromata morbis omnibus & periculis salutare, quòdquè nulli unquam pesti inveniatur inefficax. De ipso namque sic legitur: *Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum*. Sed [e] hujusmodi tertii unguenti non fit aliqua effusio vel perditio: quia noluit Dominus illud super Corpus suum mortuum effundi, sed servari vivo corpori suo, id est Ecclesiæ Sanctæ. Hoc itaque unguentum tam salubre [f] tamquè mirificum, in mortuo suo Corpore noluit expendi, quod vivo utique reservabat. Duo enim habet

u *Ser. 10. in Cant. n. 5.* x *Ser. 87. int. div. n. 5.*

y *Ser. 10. in Cant. n. 7.* z *Ser. de S. Mar. Magd. n. 8.* a *Ser. 90. diver. n. 3.* b *Ser. de S. Mar. Magd. n. 8.* c *Ser. 90. diver. num. 1.* d *Ser. de S. Mar. Magd. n. 9.* e *Ser. 87. div. n. 6.* f *Ser. de S. Mar. Magd. num. 9.*

habet corpora Christus: unum, quod suscepit ex Virgine: alterum Ecclesiæ, quod charius habet benignitas redimentis. Poterimusne tam salubrem conficere confectionem? Universæ miseriæ tam animarum quàm corporum oculo pietatis inspectæ, species ejus sunt. Istæ igitur in mortariolo largitatis, dulcedinis pistillo confractæ, & delinitæ charitatis oleo (succenso compassionis igne) & in aheno perseverantiæ despumatæ, unguentum faciunt etiam Angelis admirandum. Proinde hoc unguentum [g] appellaverim *pietatis*, eò quòd fiat de necessitatibus pauperum, de anxietatibus oppressorum, de perturbationibus tristitium, de culpis delinquentium, & postremò de omnibus quorumlibet miserorum ærumnis, etiamsi fuerint inimici. Despicabiles videntur species istæ, sed est super omnia aromata unguentum quod ex eis conficitur. Sanatiuum est. *Beati* enim *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Igitur multæ miseriæ collectæ atque oculo pietatis inspectæ, ipsę sunt speciesex quibus unguenta optima cōponuntur, sponsæ digna vberibus, Sponsi sensibus grata. Felix mens quæ talium collectione aromatum sese ditare & impinguare curavit, infundens ea oleo misericordiæ, & ardore decoquens charitatis. Quis putas est jucundus homo qui miseretur & commodat, pronus compati, subvenire promptus, dare quàm accipere beatiùs judicans: ignoscere facilis, irasci difficilis, ulcisci penitùs non acquiescens, & per omnia proximorum æquè ut proprias respiciens necessitates? O quæcunque es anima sic affecta, sic imbuta rore misericordiæ, sic affluens pietatis visceribus, sic te omnibus omnia faciens, sic facta ipsa tibi tanquam vas perditum, ut cæteris præstò ubique semper occurras atque succurras, sic denique mortua tibi ut vivas omnibus: tu planè tertium optimumquè unguentum felix possides, & manus tuæ distillaverunt totius suavitatis liquorem. Non exsiccabitur in tempore malo, nec fervor persecutionis ebibet illum: sed semper Deus memor erit omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiet. Liquet itaque [h] quòd duo illa unguenta tantò hoc tertium unguentum præcellit, quantò Christus hoc suum corpus, id est Ecclesiam cui exhibetur, illo quod ex eo ungi voluit, quod & propter hujus redemptionem tradi voluit, constat esse amabilius.

§. III.

Intravit autem satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unus de duodecim. Tunc abiit ad principes Sacerdotum: & locutus est cum principibus Sacerdotum & magistratibus, quemadmodùm Jesum traderet illis. Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Qui audientes gavisi sunt, & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et pacti sunt pecuniam illi dare. Constituerunt ei triginta denarios. Et spopondit: & quærebat oportunitatem ut traderet illum sine turbis. Luc. 22. Matt. 26. Mar. 14.

Magnus ille [i] quondam Patriarcha Joseph fraterna ex invidia venditus & ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfiguravit. Christus namque [k] à perfido Juda & perdito traditus est, & tanquam vile mancipium pro triginta denariis venditus est: ut ego venundatus sub peccato redemptionem acciperem. O quantos [l] habes Domine Jesu percussores? Percutit te Pater tuus, qui proprio Filio suo, id est tibi non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit te. Percutit te discipulus impius traditione, & osculo falso. Percutit te Judæus colaphis & alapis. Percutiunt te Gentiles flagellis & clavis. Ecce quantùm percussus & humilitatus es. O quanti percussores, & quanti traditores tui! Tradidit te Pater tuus cælestis, quia sicut dictum est, pro nobis omnibus tradidit te. Percutis temetipsum. Sic enim quidam servorum tuorum gratulando dicit de te: *Qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis*. O verè admirabile commercium! Tradidit se Rex pro servo, Deus pro homine, Creator pro creatura, innocens pro nocente. Tradidisti ergo te in manus traditoris, illius falsi discipuli: tradidit ille te Judæis. Judæi [m] novissimè justum Sanguinem tuum a discipulo tuo sed filio perditionis traditum triginta argenteis appreciati sunt, ut præcipitarent Animam tuam in mortem sine causa. Et te quidem perditissimi traditoris tui perfidia non latebat, quando in cæna ablutionis etiam coram ipso genuflexus procumbens, maledictos pedes ejus veloces ad effundendum Sanguinem tuum, sanctissimis manibus tuis attrectare, lavare, & extergere dignatus es. Cur autem adhuc extento collo ambulas, ô terra, & cinis? Adhuc te superbia elevat? Adhuc te impatientia exagitat? Intuere humilitatis & mansuetudinis Dominum Jesum, universæ creaturæ Factorem, tremendum Judicem vivorum & mortuorum, ante pedes hominis & traditoris sua genua incurvantem. Disce, quia mitis est & humilis corde: & confundere in superbia tua, & erubesce in impatientia tua. Hoc quoque erat mansuetudinis tuæ Domine, quòd perfidum illum in cætu fratrum detegere, & palàm confundere nolvisti: leviter admodùm accelerare jussisti quod parabat. In omnibus his non est aversus furor ejus à te, sed egressus foras satagebat circa frequens maleficium. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? In deliciis paradisi gloriosus apparuisti, civium cæli socius, & Verbi Divini conviva, quomodo reputatus es inter filios tenebrarum? Qui nutriebaris in croceis, cur amplexatus es stercora? O Juda infelix! [n] ô discipule pessime, mercator nequam! Tibi cæna parabatur, & à tè dator cænæ tradebatur. O miser Juda! O male confessor! O desperate pœnitens, dixisti: *Peccavi tradens Sanguinem justum*, & laqueo desperationis te miser soffocasti! Diabolus miserat in cor per suggestionem, ut traderet Christum, non credens illum esse Deum. Nonne contremiscis Christiane, recogitans quid dictum est de discipulo Christi: *Diabolus misit in cor ejus*, ut traderet Vitam; & tradens Vitam, per laqueum desperationis se & vitam perdidit? Si lupus non timuit intrare in gregem Domini, & unam de duodecim tam pauculo numero mactare & perdere: quid facturus est

g *Ser. 12. in Cant. n. 1.* h *Ser. 90. diver. n. 5.* i *Ser. 2. super missus num. 16.*

k *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. nu. 12.* l *Tract. de Vite myst. cap. 5. n. 25.* m *Ser. de Pass. Dom. n. 7.* n *Ser. 1. in ult. cæna n. 3. tom. 6. pag. 651.*

est de grege commisso pastori? Unusquisque vestrum, fratres charissimi, videat ne sit sicut Judas. Videte quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, cauti contra callidi hostis insidias. Misit in cor Judæ, ut traderet Dominum. Quid est tradere Dominum? Vendere Dominum. Quid est vendere? Alienare. Dominum vendit, qui à se Dominum elienat. Dominum alienas à te, si depellis eum à te. O discipule Christi, audi me, audi consilium meum. Te diabolus quærit evellere, & extrahere de grege Domini: vide ne consentias ei, vide ne credas ei. Mendax est, & pater ejus. Te vult occidere, te vult mactare, te vult perdere & trahere secum in gehennam. Quid denique (o) vobis ultra pavendum est? Unum utique, idquè gravissimum, peccatum Judæ, peccatum apostasiæ. Benè enim factum est, ut pennas acciperetis sicut columbæ, & volaretis ad requiescendum: nam in terra non erat requies, sed labor & dolor & afflictio spiritus. Quid ergo timendum est sic volanti, nisi ne fortè cadaver vel simile aliquid in terra videat, cujus desiderio tractus videatur à venatoribus illis pessimis, & præparatis laqueis capiatur, & sint novissima hominis illius pejora prioribus? Hoc inquam omninò timendum est, ne quis aut corde solo, aut etiam corpore ad vomitum revertatur. O discipule Christi (p) cave te à loculis, cave te à marsupiis. Foveæ diaboli sunt. Heu quot in illis perdidit, quot in illis interfecit. Dicitur de Juda, *quia fur erat, & loculos habens, &c.* Iste dum sitit lucrum, tendit ad laqueum: dum perdit vitam, lucratur mortem. Hinc suam mentem (q) exerceant optimi quique, & ad exemplum lilii timore & humilitate coacti inclinabuntur ad terram, cùm habuerint in mente, quòd nesciunt utrum amore an odio sint digni. Et verè nesciunt & ignorant, quid superventura pariat dies, imò nec hora: quantò minùs sciunt, qualis eorum finis futurus sit, vel eorum qui modò mali sunt? Si Judam proditorem vidisses, cùm adhuc erat discipulus, & inter summos, e iicientem in nomine benignissimi Jesu dæmonia: vidissesquè Latronem postea cum Christo crucifixum, qui eatenùs institisset latrociniis & homicidiis, non dubito quin Latroni discipulum prætulisses: & tamen omnes scimus quòd alteri alter in fine prælatus sit. Tu ergo si etiam ad tantam jam vitæ perfectionem pervenisti, ut miracula opereris: time, ne ad extremum cum ipso Juda deprehendaris reprobus. Si verò alium quemquam pessimis operibus videas insudantem: ne te illi præferas, quia nescis utrum exemplo Latronis ad ultimum convertatur, sicut scriptum est: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Quod de illis communiter accipitur, qui post scelera sua ad Dominum à Domino convertuntur, qui considerat qualis quis moriatur. Nullum ergo & tu judicare præsumas, nec te licet optimum cuiquam alteri quamvis pessimo præferas: quia tuus & illius qualis futurus sit exitus, ignoras. Ad terram igitur cum lilii flore inclinare, idest, considera fragilitatem tuam, quam habes in te, quia terra & cinis es. Et quantò major es, humilia te in omnibus, carnis munditiam virtute humilitatis inclinans. Apostolus erat Judas (r) & licet avarus & sceleratus, electus à Domino. An tu de illius Apostolatu dubitas, quem Dominus elegit? *Nonne ego*, inquit, *vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est?* Denique etiam ipse dixit (s) vt impleatur scriptura: *Qui manducat panem meum, levabit contra me calcaneum suum.* O Juda infelix, dominicum panem manducas, & contra Dominum calcaneum levas? Heu quanti Judæ, qui panem Domini manducant, & Dominum in operibus suis calce percutiunt. Quanti de Altari vivunt, qui Altari non serviunt, imò Dominum Altaris pro nihilo ducunt. Quanti (t) secùs affectos se ostendunt hodie, de his dico, qui animas regere susceperunt, quod enim sine miserabili gemitu dicendum non est. Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, Crucem, & mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, & profligant in acquisitionem turpis qnæstus, & precium universitatis suis marsupiis includere festinant: hoc solo sanè à Juda Iscariothis differentes, quòd ille horum omne emolumentum denariorum numero compensavit, isti voraciori ingluvie lucrorum infinitas exigunt pecunias. His insatiabili desiderio inhiant, pro his ne amittant timent, & cùm amittunt, dolent. Harum in amore quiescunt, quantùm duntaxat liberum eis est à servandi vel augendi cura: animarum nec reputatur casus, nec salus. Non sunt profectò matres, qui cùm sint de Crucifixi patrimonio nimiùm incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione Joseph. Quis mihi det antequam moriar (u) videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam: non in capturam argenti vel auri, sed in capturam animarum? Longè dissimiles experimur. (x) Non omnes sunt amici Sponsi, quos hodie sponsæ Ecclesiæ hinc inde assistere cernis, & qui (ut vulgò ajunt) eam quasi addextrare videntur. Pauci admodùm sunt, qui non quæ sua sunt quærant, ex omnibus charis ejus. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietatibus, tanquam spõsa procedens de thalamo suo. Unde verò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriem, congeriem vasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis Sponsæ? Jnde est, quòd illa pauper & inops & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, exangui. Propter hoc non est hoc tempore ornare Sponsam, sed spoliare: non est custodire, sed perdere: non est defendere, sed exponere: non est instituere, sed prostituere: non est pascere gregem, sed mactare & devorare, dicente de illis Domino: *Qui devorant plebem meam ut cibum panis: & quia comederunt Jacob, & locum ejus desolaverunt.* Et in alio Propheta: *Peccata populi mei comedent.* Quasi dicat: Peccatorum precia exigunt, & peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero Præpositorum, qui non plùs vigilet

L sub-

o *Ser.3.sup.Psal.90.n°5.* p *Ser.1. in vlt. Cœna n. 3.* q *Tract. de vite myst.cap. 29.n. 115.*

r *Ser.66.in Cant.n.11.* s *Ser.2.in vlt.Cœna num. 15.* t *Ser.33.in cant. n.3* u *Epist.237.n.6.* x *Ser.77.in cant.n.1.*

subditorum vacuandis marsupiis, quàm vitiis extirpandis? Ubi, qui orando flectat iram, qui prædicet annum placabilem Domino? Leviora loquimur, graviora gravius manet judicium. Heu (y) quod magis dolendum est, quanti Sacerdotes, sed falsi Sacerdotes qui panē Christi, Corpus scilicet Christi sumūt ore, & Christum conculcant pede, putridi fætore luxuriæ, infecti veneno nequitiæ. Isti sunt Judas Iscarioth, qui nisi se in melius commutaverint, utinam nati non essent.

CAPUT II.

De lotione pedum, quam Christus fecit suis Apostolis, post cænam habitam pridie quàm pateretur.

Postquam Jesus lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua: cùm recubuisset iterum dixit eis: Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes, *Joan.* 13.

1. *Christus factâ cænâ illâ, in qua manducavit Agnum legalem cum suis Discipulis, surgens à cæna exuit se vestimentis, & præcinctus linteo misit aquam in peluim, & lavit pedes discipulorum. Hac nomina, scilicet vestimenta, linteum, aqua, pelvis lotio pedum, denotant mysticum intellectum.* 2. *Recusantem sibi lavari pedes Petrum Christus induxit salutaribus argumentis, ut permitteret sibi lavari pedes.* 3. *Ostenditur Sacramentum esse lotionem pedum, quæ denotat remissionem peccatorum venialium.*

§. I.

Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cænâ factâ, sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit: surgit à cæna, & ponit vestimenta sua. Et cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, & cæpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Joan. 13.

VErbum Patris Filius Dei (a) quod pro salute generis humani Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, cupiens instruere & informare ad exempla humilitatis sequenda Discipulos, & per illos omnes credentes in eum, cùm appropinquasset hora illa piissima, quâ Caro (quam de intemerata sumpserat Maria) tam triste esset perpessura supplicium: ab illo nobili suæ temporalitatis extremo convivio surrexit, vestimenta deposuit, aquam in pelvim misit, & pedes discipulorum lavit. Et hoc est quod Joannes Evangelista ait: *Ante diem festum Pascha, &c.* Talis erat mos & consuetudo Judæorum, ut illum diem haberent solemnem, quando illis Dominus Mare rubrum divisit in duas partes, & deduxit eos per medium ejus, & excussit Pharaonem & virtutem ejus in eodem mari. Hic est ille dies festus Paschæ, de quo dictum est: *Ante diem festum Pascha.* Nam *Pascha* interpretatur transitus. Nam appropinquabat illud piissimum Pascha, quo verus Moyses (*Christus*) per Mare rubrum debebat transire: & non post quadraginta annos, sed tantùm post quadraginta dies in terram promissionis intrare. Ille dies Judæorum festus erat umbra, quo Patres eorum transierunt de Ægypto: sed ille fuit veritas, quo Christus transivit de hoc mundo. Et sic nos fecit transire de vitiis ad virtutes, de morte ad vitam, de mundo ad cælum, pro nobis victima factus & sacrificium, & seipsum Deo Patri in Ara Crucis offerens holocaustum. *Ante diem festum Pascha, &c.* Quid ergo est, ô Sancte Joannes, quod dicis *festum*? Nonne dies festus, dies est gaudii & lætitiæ? Putasne dies ille est lætitiæ & jucuditatis, quo Agnus in Crucem levatur immolandus stipite, opprobrium hominum factus, & abjectio plebis? quo præ dolore Sol obscuratur, petræ scinduntur, & tota contremiscit orbita mundi? Ubi Mater sic plorat, & ejus dilectus Joannes? Potiùs ille dies fuit luctus, quàm risus & lætitia Sanctis & Electis: sed Judæis lætitia, tibi & Apostolis tristitia. Judæorum lætitia vertetur in luctum: & tristitia Apostolorum est versa in gaudium. Sequitur. (b) *Sciens Jesus quòd venit ejus hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Hanc horam præscivit, hanc horam elegit, ut in ea per mortem de hoc mundo transiret ad Patrem secundùm humanitatem, à quo nunquam recessit secundùm Divinitatem. Redemptor noster (c) Dominus noster Iesus, quem Pater ad salutarem victimam misit in mundum, cùm tempus instaret quando moreretur, præsentem exhibere se volvit in loco ubi moreretur. Sicut autem venit ut moreretur, sic prævidit & ubi, & quando, & quo mortis genere moreretur, præscriptum coram se habens ab æterno mortis suæ genus, locum, & tempus. Hæc autem tria erant, Hierosolyma, Pascha, & Crux. Nam si de loco quæris? in Hierosolyma mortuus est: si de genere? morte Crucis: si verò de tempore? instante tempore Paschalis solemnitatis. Ut autem vos satis legendo & audiendo didicistis: iniqui eum Judæi aliquando, & alibi, & antea, perimere volverunt. Nam quando eum duxerunt ut præcipitarent, ubi & transiens per medium illorum ibat, nec ad Hierusalem venerunt, nec Pascha expectaverunt, nec Crucem quæsierunt: sed in perimendo eum nequaquam vel modum vel locum mutare, nequaquam tempus præoccupare seu differre valuerunt. Venit itaque Hierosolymam ante quinque videlicet dies Paschæ, illo se insinuans Agno præfigurato, qui decima quarta die mensis verni ad vesperam immolandus, decima quidem ejusdem mensis die tolli, & usque ad prædictum terminum jubebatur servari. Porrò illa hora (d) est finis ille, de quo dicitur: *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Cùm dilexisset suos pro eis homo factus, intantùm eos dilexit, quousque ad mortem dilectio eum perduxit. O homo, te dilexit in morte, ut tu dilectione ejus possis transire de mundo ad Patrem. Te dilexit in finem, ut tu in ejus dilectione usque in finem permaneas

y *Ser. 2. in vlt. cæna n. 15.* a *Ser. 1. in vlt. cæna n. 1. tom. 6. pag. 65.*

b *Ibidem n. 2.* c *Ser. 4. in Dom. Palmar. n. 1.* d *Ser. 1. in vlt. cæna num. 2.*

neas: quod quidem si feceris, proculdubio ad Patrem transibis. In cujus dilectione qui usque in finem non permanserit, in veritate dico, in æternum peribit. In ejus dilectione modus amoris nullus esse debet. Sine modo te dilexit, sine modo eum deligere debes. Modum dilectionis excessit te diligendo, pro te moriendo: tu quantùm eum diligere debes, non potes. Dilige eum ex toto corde, ex tota mente, & omni anima, & ex omnibus viribus tuis. Hoc tantùm quærit, ultra non quærit. Hoc fac & vives. Sicut auris non potest satiari auditu (e) nec oculus visu: sic nos nunquam satiari debemus enarrandis piis operibus Christi. Nam mihi dulcia sunt super mel & favum, & cariora super millia auri & argenti: & his saturari non possum. Amplificet mihi Dominus desiderium meum, & lætificet me in jucunditate vultus sui, cum omnibus diligentibus eum. De quo in consequentibus dicitur: *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manuus, & quia à Deo exivit & ad Deum vadit, surgit à cæna, & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus*. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & bona & mala: mala in usum, & bona in effectum. De malo proditionis Judæ fecit bonum redemptionis nostræ. Vel sciens, *quia omnia dedit ei Pater in manus*: quare omnia subjecit sub pedibus ejus, oves & boves, insuper & pecora campi. *Et sciens quia à Deo exivit, non eum deserens: & ad Deum vadit*, non nos derelinquens. *A Deo exivit*, quia de sinu Patris in uterum Beatæ Virginis venit. *A Deo* quoque *exivit*, cùm talem se hominibus præbuit, qui posset videri & tangi: imò (quod sine magno gemitu cordis, & fluvio lachrymarum stylo commendare deberem) ligari, colaphizari, flagellari, conspui, & ad ultimum occidi: & hoc est, quod dicitur: *A Deo exivit*. Sed noli flere ô homo, quia sequitur, *Ad Deum vadit*. Ad Deum vadit, quia resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Ad cælos ascendit, sedet ad dexteram Patris, constitutus à Deo judex vivorum & mortuorum. Et hoc est quod dicitur, *Surgit à Cæna*: nam à cæna surrexit, quia de sinu Patris, ubi cænabat cum Angelis, ad homines venit, trabeam nostræ mortalitatis assumens. *Vestimenta* (f) quodammodò *deposuit*, cùm semetipsum exinanivit. Sibi vniendo humanam naturam, *linteum accepit, & præcinxit se*: quia naturam humanam se induens, in ea se virtute præcinxit, & de hoste superbo gloriosè triumphans Rex gloriæ est factus, & Dominus virtutum. *Aquam misit in pelvim, & pedes discipulorum lavit*. Quid est aqua? Quid est pelvis? Iste Jesus est aqua illa benedicta, quæ sordes mentium lavat, leprosos mundat, cæcos illuminat, sanat ægrotos, justificat impios, resuscitat mortuos. Ad hanc aquam Dominus meus Jesus invitat sitientes, dicens: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat*. Aqua ista Spiritus Sanctus est. Ipse de se sic inebriet mentes nostras, ut præter eum nihil aliud diligamus. *Pelvis* illa, in qua Dominus Spiritum Sanctum posuit, est Ecclesia fidelium, in qua per lavacrum regenerationis Spiritus Sanctus sordes credentium lavat. Quod dicitur, *Pedes Apostolorum lavit*, audi immunditias eorum vestigia sequentium. Vel possumus dicere, quòd pelvis, sive receptaculum Spiritus Sancti, corda Apostolorum fuerunt, quibus Dominus Spiritum Sanctum infudit, & eorum pedes lavit: quia in fide Catholica, quæ fideles vehit ad cælos, quam pulvere infidelitatis fuscatā tenebant, penitùs expulsa rubigine per Spiritum Sanctum confirmavit. *Et lavit pedes Apostolorum*, idest vestigia credentium mundavit, quæ sordida erant peccatis. *Et extersit linteo quo erat præcinctus*, humana scilicet carne, quâ erat indutus: quia ejus Passio peccatorum nostrorum est vera purgatio.

§. II.

Venit Jesus ad Simonem Petrum. (g) *Et dixit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? Respondit Jesus & dixit ei: Quod ego facio tu nescis modò, scies autem postea*. Quando Dominus Iesus pedes discipulorum lavare cœpit, priùs ad primum Discipulorum venit. Et idem Petrus expavescit, quòd Deus lavit pedes homini. Nam pavore perterritus, non potuit sustinere Dominum ad pedes suos humiliatum. Viderat eum aquam in pelvim mittere, se linteo accingere; & mirabatur fortè, quid vellet facere. Sed postquam vidit illum antè pedes suos vas cum aqua portare, genua flectere, & ad lavandum se præparare: multoquè quàm dici potest miratus, expavit. Et magno timore percussus, ingemuit, & exclamavit dicens: *Domine, tu mihi lavas pedes?* Creator creaturæ, Deus homini, Dominus servo, Magister discipulo: imò illi qui factus est ex limo, ille qui fecit omnia ex nihilo? Surge Domine. Surge Deus meus. Quid vis facere? Non possum sustinere, non possum ferre. Oculi mei te videre refugiunt sic proclivem, sic prostratum ante pedes meos. Surge Creator. Surge Deus meus. Surge lux mundi, vita mea, gloria mea. Noli facere, quod te video facere velle. Sciebat nimirùm Petrus (h) quòd alibi quoque Jesus hominum de se opinionem à Discipulis inquirens: *Quem dicunt*, inquit, *homines esse*, non me, sed *filium hominis*? Rursùs eosdem interrogans, quid de se ipsi quoque sentirent: *Vos autem*, non quem filium hominis, sed *quem me*, ait, *esse dicitis*? Carnalis videlicet populi senténtentiam de carne inquirens, nomen carnis, quod propriè est *filius hominis*, posuit: spirituales verò Discipulos de sua Divinitate interrogans, non filium hominis, sed signanter, *me*, dixit. Quod denique Petrus intelligens, quid per hoc quod dixerat, *me*, requisiti fuissent: sua responsione apervit: *Tu es* (inquiens) non Jesus filius Virginis, sed *Christus Filius Dei*. Quod utique si respondisset, nihilominus veritatem dixisset: sed in verbis interrogationis sensum interrogantis prudenter advertens, competenter proprieque ad interrogata respondit dicens: *Tu es Christus Filius Dei*. Propter hoc ergo (i) Petrus Dominum à se repellebat, dicens: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*. Et: *Domine, tu mihi lavas pedes?* At (k) Jesus ait: *Quod ego facio, tu*

L 2 ne-

Ser. 2. in ultim. cæn n. 5. f Ibidem n. 6. & 7.

g Ibidem n. 9. h Tract. de grad. humil. cap. 3. n. 11. i Ser. 2. super missus n. 14. k Ser. 2 in ult. cæna n. 9.

nescis modò, scies autem postea. Ac si dicat: Noli timere, noli expavescere. Revera Petre magna sunt hæc humilitatis indicia, sed citò majora videbis. Sine modò, quia sic oportet fieri, licet nunc ignoras hujus rei mysterium: scies postea. Mysterium est, exemplum est, quod iturus ad Patrem tibi relinquo. Ideo noli prohibere quod facere volo. Dicit ei Petrus: *Domine, non lavabis mihi pedes in æternum*. Absit à me Domine, ut mihi laves pedes in æternum, in aliquo tempore. Respondit Jesus: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Quod dicit, *te*, & non *pedes*, Synecdoche ibi est, quando quod est partis, toti attribuitur. Ego sum aqua lavans, ego sum aqua sanctificans: *nisi te lavero, non habebis partem mecum*. Petrus audiens, *non habebis partem mecum*, totus intremuit, nihil jam contradicens Magistro: non tantùm pedes, sed totum se offert ad abluendum, dicens: *Domine, non tantùm pedes meos, sed manus & caput*. Quid est quod dices, *Non habebis partem mecum*? O quàm amarum est quod dicis, non habebo partem tecum: nonne tu vita mea, dulcedo mea, tota spes mea, salus mea, & omne desiderium meum? Ecce me fac quidquid vis facere de me, lava pedes, *& non solùm pedes, sed & manus & caput*. O beatos pedes! (l) O pedes felices, qui talem ac tantum meruerunt habere lavatorem! De pedibus Electorum dico, de Judæ traditoris pedibus non dico. O beate Petre, ô felices Apostoli, ante pedes quorum astitit humilis Creator Angelorum! O beata purgatio! O beata lavatio! quæ mundat leprosos, curat ægrotos, vulnera sanat, cicatrices solidat, lumen donat cæcis, gressum claudis, pulchritudinem fœdis, divitias egenis, mœstis lætitiam, pænitentibus veniam, mortuis vitam. O grande gaudium & immensa lætitia! O mira (m) & exquisita pietas! O inæstimabilis bonitas! O noua & inaudita humilitas! Christus Dei Filius de pura & intemerata Virgine natus, Rex Regum & Dominus dominantium surgit à Cœna, vestimenta deponit, se linteo cingit, aquam in pelvim mittit, ante discipulos reverenda genua flectit, humilis & proclivis pedes discipulorum lavit. O quis unquam talia audivit? O quàm stupenda pietas! O mira Dei clementia! Lavit pedes discipulorum, qui de nihilo cuncta creavit. Surgens à cœna (n) linteo præcinctus, misit aquam in pelvim, & se Rex Angelorum deposuit ante pedes humilium servorum suorum, mundissimis manibus tangere, tergere, & abluere non dedignatus est immunditias pedum ipsorum, quæ eis de luto platearum adhæserant. Et idem exemplum reliquit tibi ô homo, dicens: *Si ego lavi pedes vestros, Dominus & magister vester: & vos debetis alter alterius lavare pedes*. Unde igitur superbis terra & cinis, putredo & vermis? Quid putridum membrum erigis te super Caput ipsis Angelicis sublimitatibus tremendum? Quid tibi videtur quicunque es homo (o) quem ira accendit, superbia consumit, ira perturbat, superbia devastat, promptus ad iram, festinus ad superbiam? O superbe! O germen diaboli! O apostata Christiane! O serve nequam! Quid tibi videtur de Creatore tuo, de Deo tuo? Pronus lavit pedes discipulis: & tu dedignaris humiliari fratribus offensis. O serve male, semen Chananæi & non Juda, qui es per auctorem superbiæ deceptus! cur non consideras quis est ille, quem per superbiam sequeris? & quis est ille, quem per humilitatem imitari contemnis? O quàm malus est ille quem sequeris: & quàm bonus est ille à quo devias? Ille est diabolus: Iste verò Deus. Elige quem imitari sit meliùs, ô superbe, nonne frons tua erubescit? Erubesce vas stercorum, ulteriùs habere superbiam. An ignoras, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam suam? Exve veterem hominem, & indue nouum, videlicet Dominum Jesum, & reformabit corpus humilitatis tuæ configuratum corpori claritatis suæ. Sed ô Domine Jesu. (p) Cùm hoc sit verum, quòd nullus possit partem habere tecum, nisi priùs laveris eum? miserere mei, miserere mei. Ego sum ille tuus peccator, totus immundus, totus sordidus, qui partem tecum habere cupio, tecum partem habere desidero. Ne despicias me Deus salutaris meus. Propitius esto mihi peccatori. Lava sordidum, lava inquinatum, lava pedes, lava manus, lava caput, imò totum corpus. Lava mentem, lava animam, lava me interiùs & exteriùs: lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Si laveris me, super nivem dealbabor. Dixisti Petro: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*. Ego non sum Petrus lotus, totus lavari indigeo. Me tibi committo, fac de me quidquid vis. Tu autem Domine, in æternum benedictus permaneas. *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*. Hîc innuitur Apostolos esse baptizatos: sed non legimus ubi. Qui lotus est Baptismo, totus est mundus. Sed quia iterum terrenæ inhabitationis pulvere inquinatur, iterùm opus est pedes lavare. Quos lavat Dominus interpellans pro nobis, & nos ipsi orando, in contritione cordis & compunctione lachrymarum.

§. III.

Sacramentum dicitur sacrum signum (q) sive sacrum secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantùm: alia verò fiunt propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa, & sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum: datur annulus absolutè propter annulum, & nulla est significatio: datur ad investiendum de hæreditate aliqua, & signum est: ita ut jam dicere possit qui accipit: Annulus non valet quidquam, sed hæreditas est quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans Passioni Dominus Jesus, de gratia sua investire curavit suos discipulos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia Sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio. Ad hoc denique ille Baptismus initium sacramentorum omnium institutum est, in quo complantamur similitudini mortis ejus: unde & trina mersio, tridui, quod ante Pascham celebratur, formam gerit. Sicut enim in exterioribus diversa sunt signa, ut cœpto immemoremur exemplo, sic variæ sunt investituræ secundùm ea de quibus investimur. Verbi gratiâ. Investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & annulum simul

l *Ibidem n.12.* m *Ibidem n.5.* n *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. n.12.* o *Ser.2. in. ult. cœna n.8.*

p *ibidem n. 10.* q *Ser.1. in cœna Dom. n.2. tom.2. par.1. pag.290.*

simul. Sicut, inquam, in hujusmodi rebus est, sic & divisiones gratiarum diversis sunt traditæ Sacramentis. Quæ est gratia unde per Baptismum investimur? Utique purgatio delictorum. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus est mundus, & in quem peccatum non cadit, Deus? Hujus quidem gratiæ Sacramentum priùs erat Circumcisio, ut originalis rubinem culpæ, quæ manaverat à parentibus primis, cultellus eraderet: sed veniente Domino, qui Agnus est totus suavis & mitis, cujus jugum suave est & onus leve, optimè satis mutatum est, ut inveteratam rubiginem cum unctione Sancti Spiritus aqua dilueret, & acerbitas illa cessaret. Sed fortè quærat aliquis (r) & dicat: Si deletum est in Baptismo peccatum quod contraximus à parentibus, cur adhuc manet cupiditatis fomes, & velut incentiuum quoddam peccati? Neque enim dubium quin à primis parentibus in nos traducta sit lex ista peccati. Omnes siquidem in peccatrice voluptate generamur: propterea, licet inviti, illicitos quosdam motus concupiscentiarum, & tanquam bestiales sentimus. Dixi vobis sæpiùs, nec mente excidere debet, quoniam in casu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem super aceruum lapidum, & in luto: unde non solùm inquinati, sed etiam vulnerati & graviter quassati sumus. Lavari quidem citò possumus, ad sanandum verò opus est curatione multa. Lavamur igitur in Baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ: & gratia hæc nobis confertur, ne jam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus: atque ita tanquam sanies inveterati ulceris removetur, dum tollitur damnatio, & responsum mortis, quod priùs inde manabat. Sed quis poterit (dicitis) tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris hujus ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis, Sacramenti Dominici Corporis & Sanguinis pretiosi investituram habetis. Duo enim istud Sacramentum operatur in nobis: ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omninò consensum. Si quis vestrûm non tam sæpè modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi: gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo: & gaudeat quòd pessimum ulcus accedat ad sanitatem. Sed tamen quid agimus (s) quòd in hoc corpore peccati, & in hoc tempore malo non possumus esse sine peccato? Numquid desperabimus? Absit. *Si dixerimus* (ait Beatus Joannes) *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis Deus est qui remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate*. Nam ut de remissione quotidianorum peccatorum minimè dubitemus, habemus ejus Sacramentum, pedum ablutionem. Quæris fortè unde sciã quòd Sacramentũ sit hujus remissionis, maximè cùm ipse Dominus promiserit Petro dicens: *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea*: nihil autem de Sacramento locutus est, sed tantùm, *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut & vos ita faciatis*? Verùm multa habebat illis dicere, sed tunc portare non poterant. Ideoquè nec ex toto voluit eos anxios & suspectos relinquere, nec dicere quod tunc non caperent. Vis autem nosse quia pro Sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende quod Petro dictum est: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi & Dei. Vide enim si non expaverit Petrus ad tantæ comminationis terrificum verbum, si non agnoverit salutare esse mysterium, cùm respondit: *Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus & caput*. Et unde scimus quia ad dilvenda peccata, quæ non sunt ad mortem, & à quibus plenè cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo planè, quòd offerenti manus & caput pariter ad abluendum responsum est: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet*. Lotus est, qui gravia peccata non habet, cujus *caput*, id est intentio, & *manus*, idest operatio & conversatio munda est: Sed *pedes* (qui sunt animæ affectiones) dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plus quàm oportet cedat animus vel ad horam. *In multis enim offendimus omnes*. Verumtamen (t) nemo contemnat aut parvipendat. Impossibile est enim cum ejs salvari, impossibile est ea dilui, nisi per Christum Jesum, & à Christo. Nemo, inquam, perniciosa securitate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam (ut audivit Petrus ab ipso) nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo. Proinde non solùm gravia (u) sed & levia cavenda sunt peccata. Multa enim levia unum grande efficiunt: sicut solent de parvis & minimis guttis immensa flumina crescere. Nemo vestrûm (x) dicat in corde suo: Levia sunt ista, non curo corrigere: non est magnum, si in his maneam venialibus minimisquè peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impænitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis. Nec ideo tamen (y) pro eis necesse est nimis esse sollicitos: ignoscet facilè, imò & libenter, si tantummodò nos agnoscamus. In hujusmodi namque quasi inevitabilibus, & negligentia culpabilis est, & timor immoderatus. Hinc est quòd in oratione, quam ipse Dominus constituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare. Cæterùm hæc venialia peccata (z) Sponsa in Canticis Canticorum se vitare velle demonstrat, ubi eam Sponso exhortanti ad prædicationem sic inquiens ait: *Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ?* Id est, deservi secularia, quomodo repetam illa? Removi me à prædicatione, quomodo reincipiam? Item ait: *Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Acsi dicat: Lavi cogitationes & affectiones, quomodo inquinabor sordibus mundi? Sed hos pedes discipulis lavat Dominus per sponsionem suæ orationis, ubi dicitur: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. De cætero (zz) quoniam

in

r *Ibidem n.3.* s *Ibidem n.4.*

t *Ibidem nu.5.* u *Tract. de inter. domo. cap. cap.45. nu.57. tom.5. pag.431.* x *Ser. 1. in convers. S. Pauli n.5.* y *Ser. 1. in cœna Domini n.5.* z *Ser. 2. in ult. Cœna n. 11.*

in multis offendimus omnes: & inter homines sæculi frequenter positi multum de pulvere mundi contrahimus, vestris orationibus me commendo, ut in fonte misericordiæ suæ nos lavare & emaculare dignetur ipse fons pietatis Jesus Christus, qui dixit Petro: *Nisi lavero te, non habebis partem mecum.*

CAPUT III.

De sermone Christi, quem habuit ad suos Discipulos statim ac lavit pedes eorum.

1. Christus postquam lavit pedes Discipulorum, exhortatur eos ad condonandam injuriam lædentibus se. 2. Exhortatur eos ad imitandam humilitatem suam, docendo non esse servum majorem Domino suo, nec discipulum Magistro. 3. Christus exhortatur quemque Christianum ad exibendam charitatem & hospitalitatem pauperibus, affirmando quòd ipse & ejus Pater recipitur in illis, qui pro illius amore recipiuntur, & liberaliter reficiuntur.

§. I.

Postquam Jesus lavit pedes discipulorum, & accepit vestimenta sua, cùm recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister & Domine: & benè dicitis: sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vostros, Dominus & Magister: & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci vobis, ita & vos faciatis. Joan. 13.

CHristus postquam lavit, [a] vestimenta sua accepit: post mortem carnis, gloriam habuit resurrectionis. Post Sanguinis effusionem, accepit corporis immortalitatem. Deinde recubuit, deinde requievit, cælos ascendit, ubi sedet benedictus in dextera Dei Patris. De illo accubitu Discipulis intonat, instruit, docet per Spiritum Sanctum, & per ipsos intonat Gentibus cunctis. Et quid dicit? *Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magister & Domine: benè dicitis: sum etenim.* Hoc est quod promiserat Petro, dicens: *scies autem postea.* Hîc invitat ad sciendum, quod priùs nesciebant. Quod dicit, *Vos vocatis me Magister & Domine, & benè dicitis: sum etenim,* non est de arrogantia, sed de veritate. Qui enim necessitate cogente, vera de se loquitur, tantò magis veriùs humilitati jungitur, quantò & veritati associatur. *Vos vocatis me Magister & Domine, & benedicitis: Sum etenim.* Ego sum Magister, ego sum Dominus. Ego sum Magister sine errore: ego sum Magister sine falsitate. Ego sum Magister bonitatis: ego sum Magister sanctitatis. Qui sequitur me benè vadit, ambulare malè non poterit. Ego sum Dominus vitæ, Dominus mortis, Dominns Cæli, Dominus terræ. Creator cunctorum, & Dominus omnium. *Si ego ergo lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Sicut priùs exemplo, sic nunc eos verbo instruit Magister veritatis. Hîc enim sumitur argumentum habendæ humilitatis. Acsi dicat: Si ego qui sum Dominus & Magister, lavi pedes vestros: & vos qui non estis magistri, nec domini, debetis alter alterius lavare pedes. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum feci vobis, ita & vos faciatis.* Et est sensus: Si ego lavi pedes vestros, idest, Si ego dimisi peccata, qui sum Dominus Deus potens omnia, & Magister sciens omnia antequam fiant: vos qui estis servi & discipuli, debetis in vos peccantibus dimittere, & pro eis orare. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Non eritis boni servi, si non fueritis secuti Dominum: nec veraces discipuli, si devia veritis à doctrina Magistri. Quid deinde auctor & dator virtutum Christus, (b) in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi, in quo omnis quoque plenitudo Divinitatis habitat corporaliter: nonne tamen & ipse de humilitate tanquam summa suæ doctrinæ suarumquè virtutum gloriatus est? *Discite*, ait, *à me* non quòd sobrius, aut castus, aut prudens, aut aliquid ejusmodi: sed *quia mitis sum & humilis corde.* A me, inquit, discite. Non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto, sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inviderunt mihi altitudinem quam habeo apud Patrem, Angelus & Fæmina: ille potentiæ, illa scientiæ. Vos autem æmulamini charismata meliora, discentes à me quia mitis sum & humilis corde. Commodum reor indagare aliquid & de superbia [c] quatenùs ex opposito sibi vitio virtutis decor manifestior appareat. Superbia est appetitus propriæ excellentiæ. Hæc in duas species dividitur, in *cæcam*, & *vanam* superbiam. Quæ quidem & aliis nominibus appellari possunt *contumacia*, & *vanitas*: quarum prior intelligentiæ, posterior voluntatis vitium est. Nam ex illa rationis fallitur oculus, & ex ista voluntatis malæ appetitus afficitur. Quod meliùs ex singularum definitionibus demonstrabimus. *Cæca* superbia seu contumatia est vitium, quo se existimans aliquis vel esse bonum quod non est, vel à se esse quod est, in se non in Domino gloriatur. *Vana* superbia seu vanitas est vitium, quo quis tam de eo quod est, quàm de eo quod non est, suis magis quàm Dei laudibus delectatur. His itaque præmissis, aptemus jam contraria humilitati, singula singulis opponentes. Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ. Contemptus opponitur appetitui. Duabus quoque superbiæ speciebus, duæ nihilominus humilitatis opponuntur. Contra cæcam, ut quis de se noverit sentire humiliter. Contra vanam, nec consentire aliter sentientibus. Nempè qui de seipso sentire humiliter novit, in neutro ipsius de se judicium falli potest: videlicet ut aut majus aliquid putet se esse, quàm sit: aut à se esse quod sit. Et ideò patienter carens quod sibi novit deesse, humiliter de eo quod certus est adesse, non in se, sed in Domino gloriatur.

§. II.

Amen amen dico vobis Non: est servus major Domino suo: neque Apostolus major est eo, qui misit illum. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim: sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, lavabit contra me calcaneum suum. Amodò dico vobis, priusquàm fiat: ut cùm factum fuerit, credatis quia ego sum. Joan. 13.

Val-

a *Ser. 2. in ult. Cæna, num. 13.*

b *Tract. de mor. & off. Episc. cap. 5. n. 18.* c *Ibidem n. 19.*

Valdè ignominiosum servo [d] si sit sicut dominus ejus: aut discipulo, si sit sicut magister ejus, Christo reclamante ac dicente: *Non est servus major Domino suo: neque Apostolus major est eo, qui misit eum.* Quod non dedignatus est magister & Dominus, talisquè & magister & Dominus, indignum sibi judicabit servus bonus deuotusquè discipulis? Nec dedignandum servo [e] quod præcessit in Domino. Siquidem non est servus major Domino suo. Ille enim cùm jam crevisset ætate, sapientiâ, & gratiâ apud Deum & homines; cùm jam duodecim annorum esset, & remansisset in Hierusalem, inventus à Beata Virgine, & Joseph, cujus filius putabatur, in medio Doctorum audiens illos & interrogans, tamen descendit cum illis, & erat subditus illis. Et tu ergo ergo subditus est propter illum. Quàm pulchrè locutus est beatus ille Centurio [f] cujus fidei nulla par inventa est in Jsraël. *Et ego*, inquit, *homo sum sub potestate, habens sub me milites.* Non jactabat potestatem, quam nec solam protulit nec priorem. Dicturus quippè habens sub me milites, præmisit: *homo sum sub potestate*. Priùs se agnovit hominem, quàm potentem. Agnovit, inquam, se hominem homo gentilis, ut in se jam impleri ostenderet, quod longè ante dixerat David: *Sciant gentes quoniam homines sunt. Homo* (inquit Centurio) *sum, & homo sub potestate*. Jam quidquid subinferas, suspectam non habemus jactantiam. Præmissa siquidem est humilitas, ne altitudo præcipitet. Nec enim locum invenit arrogantia, ubi tam clarum humilitatis insigne præcesserit. Agnoscis infirmitatem, confiteris subjectionem: jam & te sub te habere milites profitere securus. Revera quia non confusus est de subiectione, jure ex prælatione meruit honorari. Non erubuit super se potestatem, & ideò dignus qui haberet & sub se milites. Ex abundantia cordis os loquebatur: juxta quod intùs ordinatas habuit affectiones, foris quoque verba decenter composuit. Dedit priùs honorem Præpositis, ut jam à subditis justè reciperet: sciens se à Superioribus accipere, quod impederet inferioribus, & quia meliùs propriæ subiectionis disceret experimento sua ipse moderari imperia. Fortè non ignorabat, quòd subjecto sibi homini Deus omnia subjecerit sub pedibus; offendenti se, infensa reddiderit: & is quem humilem constituerat super opera manuum suarum, superbiæ merito comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Porrò ait Dominus: [g] *Si hæc scitis* quæ feci & docui, *beati eritis si feceritis ea; non de omnibus dico. Ego scio quos elegerim.* Non de omnibus dicebat: quia Judas apostata erat. Elegerat duodecim; sed unus diabolus erat Judas Iscarioth, qui contra Dominum levavit calcaneum, de quo ipse Jesus dixit, ut impleatur Scriptura: *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.* O Juda infelix, dominicum panem manducas, & contra Dominum calcaneum levas? *Melius* [h] *ei fuerat*, (inquit Dominus) *si natus non fuisset homo ille.* Non utique si natus non fuisset omninò, sed si natus non fuisset homo, sed verbi gratiâ, aut pecus, aut quæpiam creatura, quæ quoniam judicium non haberet, ad judicium non venlret, ac per hoc nec ad supplicium. *Amodò dico vobis* [i] *priusquàm fiat, ut cùm factum fuerit, credatis, quia ego sum.* Et est sensus. Usque huc toleravi & tacui, sed jam noto proditorem antequam fiat, quod mox est faciendum, ut cùm factum fuerit, credatis, quia ego sum ille, de quo Scriptura illa prædixit. Vos ergo fratres mei, discipuli Christi, cogitate quid Iscarioth fecit, & videte ne consimilia faciatis. Judas contra Christum levavit calcaneum; vos ante illum prosternite corpus & animam. Judas ab illo recessit; vos autem sequimini illum. Judas vendidlt illum Judæis: vos autem vendite quæ habetis, ut possitis comparare eum. Non solùm autem quæ habetis, sed etiam vosmetipsos pro amore tantæ pulchritudinis margaritæ pro nihilo reputetis, & illi soli placere quantùm potestis contendite.

§. III.

Amen amen dico vobis: Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. Joan. 13.

Postquam Dominus Jesus [k] & Salvator noster suo exemplo docuerat Discipulos humilitatem, supponit honorem, ut eos consoletur, affirmans quòd ipse & Pater ejus in illis recipitur, qui pro illius amore recipiuntur. Hîc est notandum, quòd in misso, non missi, sed mittentis auctoritas commendatur. Qui ergo accipit nuncium Christi, Christum accipit. Et si Christum accipit, & Patrem Christi accipit. Quid audis ô Christiane? [l] Veritas loquitur: Veritas mentiri non potest. Ait enim: *Qui accipit si quem misero, me accipit.* Quem mittit? Quis est enim nuncius? Venit pauper, venit mendicus; advena est est & peregrinus, non habet quod vestiat, non habet quod manducet, non habet ubi caput reclinet. Venit ad januam tuam, ad domum tuam, non tanquam frater ad fratrem, non tanquam consors ad consortem, sed tanquam servus ad Dominum venit: petit panem, postulat vestem, apud te quærit hospitari pro amore Christi. Quid tibi videtur? Quis est iste mendicus, iste peregrinus, qui apud te pro amore Christi tam humiliter, & tam suppliciter orat hospitari? Missus Christi est, nuncius Christi est: non est solus, cum illo est Christus: Gaudens suscipe, gratanter refice, serui devotè, cum timore & reverentia magna, Christum suscipis, Christum reficis. Gaude & lætare, quòd talem meruisti habere convivam. Felix mensa, beata mensa, in qua Christus convivatur, in qua Deus reficitur: infelix mensa, cui deest talis conviva. O quàm misera mensa, imò quàm miser dominus mensæ, qui pauperem pellit à mensa, qui pauperi claudit misericordiæ viscera. O serve nequam, cujus viscera negligunt aperire marsupium pietatis. Nonne oportuit te misereri conservo tuo? Quis tibi donavit quod habes? Nonne pauperis Dominus? nonne pauperis & tui Creator? Nonne natura vos creavit æquales? & unâ eademquè conditione estis exituri? Cur non te tangunt confinia sortis? Suscipe miserum, recollige mendicum & peregrinum; refice famelicum, vesti nudum, & opebus

d *Ibidem cap. 8. num. 31.* e *Ser. 3. in Circumcis. Dom. num. 7.* f *Tract. de mor. & off. Episc. cap. 8. num. 32.* g *Ser. 2. in ulti: Cœna n. 15.* h *Ser. 35. in Cant. n. 7.*

i *Ser. 2. in ultim. Cœna n. 16.* k *Ser. 4. in ultim. Cœna num. 17.* l *Ibidem n. 18.*

bus misericordiæ incumbe prout potes. Cùm pauper petierit, manum aperire non differas: nam eleemosynam tuam cum paupere fratre suscipit Christus. Tu autem, mi Lector, ne pauperem quæso abhorreas, sed tam citò cùm illum videris, adorare non negligas: licet sit scabiosus, sive leprorsus, veste sordidus, anhelitu fætidus, tamen brachiis charitatis astringe, & quod à te petierit, charitatiuè impende. In veritate donas Christo, accipit Christus, ipsemet testis, ipse mentiri non potest, & in die judicii tibi redditurus est mercedem æternam. Denique habete diligentiam hospitalitati [m] quia per hanc multi placuerunt Deo. Abraham Pater vester pro studio sancto, quod in suscipiendis peregrinis habere solitus erat, Angelos hospites suscipere meruit. Similiter & Loth nepos ejus, pro simili devotione & pia consuetudine, de eorum susceptione exultavit. Et vos itaque simili forma, non Angelos, sed Dominum Angelorum suscipite in peregrinis, pascite in egenis operite in nudis, visitate in languentibus, redimite in captivis. Talibus hostijs promeretur Deus, qui in judicio dicturus est: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Sed quid dicimus de his [n] qui propter defectum terrenæ substantiæ hoc operibus misericordiæ implete non possunt, sive adhuc in seculo commorentur, sive renunciantes seculo & omnibus quæ possidebant, nudum Christum nudi secuti sunt. Numquid hi omnes reprobi erunt, qui Christo in operibus misericordiæ ministrare non possunt? Absit. Non enim impotentes, sed nolentes condemnabuntur. Nam viscera, idest compassionem suam non claudit à proximo suo indigentiam patienti, qui si posset, vellet subvenire: sufficitquè Domino cor intuenti, si sola voluntas adsit: nam & ipsam pro facto reputat voluntatem. Nullus ergo se poterit excusare, quin omni petenti se tribuat, vel opere, vel voluntate. Non igitur se excusent qui dare non possunt. Tam enim afflicti quàm voluntaria paupertate coacti voluntatem dare tenentur. Examinet autem se quilibet, si hanc habeat voluntatem. Cùm enim vides pauperem, vel infirmum, vel peregrinum, & nulla compassione permotus tales pertransis, nec orationem, nec gemitum pro illo effundis, numquid dandi habes voluntatem? Nequaquam. Si enim non dividis affectum charitatis cum proximo indigente, perinde est ac si non compatereris patienti. Si enim non condoles cum dolente, quomodo substantiam exteriorem divideres? Si non das compassionis affectum, qui quò plus datur, plus abundat: quomodo terrenam substantiam dares, quæ divisa minuitur? Quoties ergo videmus aliquem indigentem, agnoscamus Christū in illo: quia & ipse indigens, membrum Christi est. Non claudamus viscera compassionis nostræ ab illo, & pro hoc sciemus, quia charitas Christi manet in nobis. Tu autem, mi lector, ausculta diligenter [o] & quid tibi loquatur Christus observa. Ipse est, qui ait discipulis suis: *Amen, amen dico vobis: Qui accipit si quem misero, me accipit: & qui me accipit, accipit eum qui me misit*.

m Epist.241 num.2. n Tract. de vita myst. cap.30. n.133. o Ser.3. in ultim. Cœna n.17.

CAPUT IV.

De alio Sermone Christi, in quo indicavit Discipulis traditorem Judam, porrigendo ei panem intinctum.

1. Christus postquam monstravit se esse turbatum spiritu, indicavit quidem suis Discipulis traditorem suum, sed non statim designavit ejus personam, nisi interrogatus esset à Joanne, qui recubuit super pectus Jesu. 2. Christus soli Joanni specialiter indicavit traditorem suum, porrigendo Judæ panem intinctum, quo significatur ejus fictio. 3. Quæritur quonam sensu Christus statim ac Judas exivit de Cænaculo, dixerit de se: Nunc clarificatus est filius hominis.

§. I.

Jesus turbatus est spiritu, & protestatus est & dixit: Amen amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me. Joan. 13.

Turbatur Jesus ex nostra infirmitate (a) non ex sua potestate: nostra infirmitas in eo turbata est, non sua potestas, sicut & verè passa. Voluntariè accipit turbationem, ne desperet servus necessitate turbatus. Qui turbatur spiritu, significat perturbandos spirituales ex charitate, cùm urgens causa zizania à tritico ante messem cogit separare, id est, ante diem judicii cogit excommunicare. Sed notandum est, quòd sunt duæ perturbationes, scilicet turbatio carnis, & turbatio spiritus. Turbatio carnis est passio carnis: turbatio spiritus est timor, anxietas, & similia. Non carne, sed spiritu turbatur Dominus cùm dicturus esset: *Unus est vobis tradet me*: non quòd tunc primùm subitò cognoverit, & repentinum malum eum turbaverit: sed quia jam Judam fuerat expressurus, ut non lateret: & ille erat exiturus, & Judæos adducturus; turbavit eum proximum periculum proditoris. Turbatus est Dominus Jesus spiritu, & protestatus est quod occultum fuerat & dixit: *Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me*. Ac si diceret: Unus ex vobis exiturus est, & tradet me: unus ex vobis, sed non vinculo charitatis unitus, est me traditurus. Aspiciebant ergo Discipuli adinvicem, hæsitantes de quo diceret. Non minima turbatio, timor & anxietas, Apostolorum mentem vexabat, Putas quomodo Petrus & Sancti Apostoli latebras mentis intrabant, ut si in Auctorem vitæ saltem in cogitatione aliquid sinistrum putassent? Non parum erant turbati, nam pallor qui erat in facie, declarabat dolorem qui vigebat in mente. At nil doloris gerebat, qui astutam rabido portabat sub pectore vulpem: non erat dolens, cui ingens dolor inesse debebat. O bonitas Redemptoris! (b) ô pietas Creatoris! neminem vult perire, sed omnes fieri salvos: specialiter non designat traditorem suum, ne fieret impudentior vel inverecundior manifestè deprehensus, Manifestat ergo crimen, & dat locum pænitentiæ: ut proditor videns se latere non posse, agat pænitentiam.

a Ibidem num.29. b Ibidem num.30.

tiam. Sed vir ille perditionis, nullius pænitentiæ lamenta suscipiens, talis, vel pejor remansit, qualis fuerat priùs, transiens in affectum cordis. Illi verò, quorum ingens procella doloris corda turbabat, adinvicem aspiciebant, dubitantes de quo diceret. Quia etsi nota fuit cuique conscientia sua, alterius tamen erat ignota. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. Felix inquam discipulus ille, cui sic erat familiaris Author vitæ quæ nunc est & futuræ: nimis honoratus est discipulus ille, qui sui capitis habuit reclinatorium tam venerabile pectus scilicet Jesu, Jesu Christi Creatoris cunctorum. Jesus autem valdè eum diligebat, quem tanto honore sublimabat. O quàm bene quiescebat, qui supra pectus Christi quiescebat. O beate Apostole Dei, discipule Jesu Christi, Joannes beate! utinam mererer illius dulcissimos pedes osculando lachrymis rigare, in cujus pectore tu meruisti dormire: utinam faciem illius à longe saltem possem contemplari, in cujus pectore tam dulciter dormire meruisti. Hic enim de se quasi de alio dicit, ut rerum gestarum scriptor, non sui videatur prædicator esse. Per sinum sive pectus significabatur illud secretum, de quo bibit, Divinitatis Sacramentum. Profectò Unigenitus (c) qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Enarravit, dixerim, non mihi misero & indigno, sed planè Joanni Evangelistæ, utiq; Discipulo quem diligebat Jesus. Placita enim fuit Deo anima illius, digna prorsùs nomine & dote sponsæ, digna Sponsi amplexibus, digna denique quæ recumberet super pectus Domini. Hausit Joannes de sinu Unigeniti, quod de paterno hauserat ille. Quid Joannis ructu fragrantius, (d) qui Verbi mei redolet æternitatem, generationem, divinitatem? Hunc diligebat Joannem non plùs omnibus (e) sed familiariùs, ut per pacem exiret de vita, non per passionem. Huic innuit Simon Petrus & dixit: *Quis est, de quo dicit?* Sciebat autem Petrus, quòd Christus quodam privilegio amoris Joannem diligebat, nec ei celaret suæ Divinitatis secretum. Innuit ideò ei Petrus, ut interrogaret eum, Quis est? Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Jesu, dixit ei: *Domine quis est?* Et meritò de proditore suo Magistrum interrogare non timuit, cui jam in sinu Divinitatis, veritatis Magister rimari secreta polorum monstravit. Et dicit: *Domine quis est?* Quis est ille infelix? Quis est ille nequam? Quis est ille maledictus? Quis est traditor tuus? Illum mihi rogo ne celes, cui tuæ Divinitatis secreta es dignatus revelare. Cui respondit Jesus: *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotis.*

§. II.

Panis intinctio (f) significat fictionem Judæ, qui fictus amicus venit ad cœnam. Quæ enim tinguntur, non mundant, sed inficiunt. Sed quis panis iste fuerit, quem Judas accepit intinctum? Si Dominus dederit, lectorem meum si audire dignabitur, non relinquam suspensum. Sed primùm sciendum est, quòd panis multipliciter accipitur in Sacra Scriptura. Per panem aliquando intelligitur *Dominus*; aliquando *gratia spiritualis*, aliquando *eruditio* divinæ doctrinæ, aliquando *hæreticorum prædicatio*; aliquando *jucunditas* humanæ delectationis. Dominus dicitur panis, sicut ipse ait: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* Si volumus dicere quòd *Dominus* fuit ille panis, quem traditor accepit intinctum, non relinquimus tramitem veritatis: Judas igitur panem intinctum accepit, quia Dominum Jesum tantùm hominem, & non Deum putavit. Buccellam intinctam, vel panem subcinericium intinctum comedit, quia & si Dominum moriturum, tamen resurrecturum non credidit. Hunc & Judæi, qui per Judam significantur, panem intinctum comedunt, quia Christum Jesum non Deum, sed purum hominem fuisse credunt: & mortem illius concedunt, sed resurrectionem adhuc non admittunt. Panem intinctum rodit, qui Filium Virginis ante omnia sæcula fuisse contradicit. Ab illo panis intinctus roditur, qui à fidei soliditate deviat: nec hunc panem solidum dignè poterit manducare, qui fidem Catholicam volverit infirmare. Dicitur panis *gratia* spiritualis, ut est illud Propheticum: *Qui obdurat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum: iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt.* Hunc igitur Judas panem, scilicet gratiam quam illi dederat Dominus, intinctum accepit, quia in Jesum consummatorem virtutum, non amorem sed rancorem exercuit. Huic debebatur panis intinctus, cujus sanctitatem vultus palliabat sophisticus. Nam religionem simulabat in facie, quam non habebat in mente: sanctitatem prætendebat in veste, quam alienabat in corde: foris agnus in publico, intùs lupus in occulto: foris discipulus Christi, intùs discipulus diaboli. Multi etiam hunc panem comedunt, qui religionem quam prætendunt in verbo, non ostendunt in facto. *Et post buccellam introivit in eum Satanas. Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citiùs.* Quidam enim putant (g) quòd tunc Judas Corpus Christi acceperit: sed sciendum est, quòd jam omnibus distribuerat Dominus Sacramentum Corporis & Sanguinis sui, inter quos & Judas fuit. Deinde per buccellam intinctam exprimitur traditor. Sequitur enim: *Tunc introivit in eum Satanas*, ut pleniùs possideret, in quem jam intraverat. Tunc introivit ut deciperet, & à consortio Apostolorum extraheret, ut eum jam non in occulto, sed manifestè utens libera potestate; in baratro perditionis macteret & perderet. Quod autem dicitur, *Quod facis, fac citiùs*: non præcipit, sed prædicit Judæ malum, nobis bonum: quia hoc vult citiùs fieri, non tam festinando in illius pœnam, quàm in salutem fidelium. O amor interminabilis; (h) ô charitas inæstimabilis, ô dilectio inscrutabilis! *Quod facis, fac citiùs.* Illud cupio, illud desidero, illud quæro, ad hoc veni in mundum. *Quod facis, fac citiùs.* Vis me vendere Judæis? Volo vendi. Vis tradere? Volo tradi. Vis ut crucifigar? Volo crucifigi. Vis ut occidar? Volo occidi. Hoc amo, hoc affecto. *Quod facis, fac citiùs.* Sed Jesu, vita

M mea

c *Ser. 8. in Cant. n. 7.* d *Ser. 67. in Cant. n. 9.* e *Ser. 3. in ult. Cæna n. 20.* f *Ibidem num. 20. & 21.*

g *Ibidem num. 22.* h *Ibidem n. 23. & 24.*

mea, totum desiderium meum, dulcedo non fallax, dulcedo delectabilis, dulcedo gloriosa, decus Angelorum, splendor & gloria Sanctorum, quantùm eos diligebas, pro quibus mori cupiebas: nobis vitam, tibi mortem affectabas. O dilectissimi Fratres animadvertite, sedula cogitatione pensate, quantùm est amandus, quantum diligendus, qui pro nobis est talia & tanta opprobria passus: qui se tradentem ad mortem sic hortabatur dicens: *Quod facis, fac citiùs. Hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei.* Quidam enim putabant quia loculos habebat, quòd diceret ei Jesus: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut ut egenis aliquid daret. Loculos enim habebat, in quibus oblata servabantur suorum necessitatibus, & aliis indigentibus. *Cùm ergo accepisset ille buccellam, exivit continuò. Erat autem nox*, quando exivit filius tenebrarum, faciens opera tenebrarum.

§. III.

Cùm ergo Judas exiisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis. Exeunte Juda (i) pro quo dixerat, *Non estis mundi omnes*: remanserunt soli mundi cum suo mundatore, in quo signatur clarificatio Christi, in qua separatis malis manebit in æternitate cum Sanctis. Ita est. Sed aliam expositionem hic amor Christi requirit: nec debet scribi sine lachrymis, nec sine lachrymis legi. Christus de proxima passione, imò de proxima morte, quam pro salute mundi exolvere disposuerat, gaudet & tripudiat, lætatur & exultat & ait: *Nunc clarificatus est filius hominis.* O Domine Jesu, fili hominis, fili Mariæ Virginis charissime, dulcissime, speciosissime, vita Sanctorum, & dulcetudo Angelorum, quomodo clarificaris? Nonne tibi adhuc imminent vincula, verbera carnificum, opprobria hominum, & abjectio plebis: sputa, clavi, colaphi, spinea corona, arundo pro sceptro, Crux, lancea? An vinciri manibus à tergo, & vinctum ad judicem adduci, & tanquã latronem ad ludibrium poni, est clarificatio tua? An ascendere crucis patibulum, & tam triste ferre supplicium, estne lætitia tua? estne gaudium tuum mori, scilicet pro salute generis humani? Quid ad hæc dicemus? quid respondebimus, Fratres mei? Hîc vox debet silere, lachrymæ dicere: hîc sermo debet tacere, & fletus clamare. Christus Deus noster pro nihilo, imò pro gaudio mortem ducebat, per quam nos à morte perpetua liberat. Et licet tam citò moriturus, tamen seipsum clarificatum dicebat: quia tunc sic patiendo, imò sic moriendo, membra sua scilicet fideles suos clarificabat. *Nunc clarificatus est filius hominis.* (k) Et benè filius hominis, & non hominum, quia sine virili semine de pura & intemerata Virgine natus, de Patre sine matre in Cælis est genitus. Cujus mater est Virgo, cujus Pater fæminam nescit. Iste inquam filius hominis valde clarificatus est, quia quidquid Filius Dei habuit per naturam, filius hominis habet per gratiam. Tu isto filio hominis, Mariæ scilicet Virginis, clarificatus est Deus. In quo est clarificatus? In salute languidorum, in illuminatione cæcorum, in resuscitatione mortuorum: & in omnibus operibus suis, Patris sui semper faciens voluntatem. Et Deus clarificavit eum in semetipso, quia unus Deus cum Patre, una Divinitas, una Majestas: & hæc clarificatio est ab æterno. Hanc clarificationem morti appropinquas secundùm quod homo, à Deo Patre sibi dari postulabat, cùm dicebat; *Pater, clarifica me apud temetipsum claritate, quam habui priùsquam mundus fieret.* Claritatem namque quam habebat secundùm quod Deus, volebat habere secundùm quod homo: ut humana natura Verbo unita, quæ tunc erat passibilis & mortalis, citò fieret impassibilis & immortalis. Quod tamen eum petiisse senserim (l) non ut supplicem; sed ut præscium. Liberè petitur, quod in potestate petentis accipere est. Ergo dispensatoria Filii petitio est, non necessaria: quippe donantis cum Patre quidquid à Patre acceperit. Vbi & hoc dicẽdum est, quia non solùm Pater clarificat Filium, sed & Filius clarificat Patrem: ne quis dicat Filium minorem Patre, quasi à Patre clarificetur, cùm & ipse clarificet Patrem, dicente Filio: *Pater, clarifica filium tuum, ut Filius tuus clarificet te.* Sed fortè adhuc submittendũ putes Filiũ, quòd quasi inglorius videatur à Patre recipere claritatem, quam demùm Patri refundat. Audi quia non est ita. *Clarifica me* (inquit) *Pater claritate, quam habui priusquam mundus fieret apud te.* Si ergo claritas Filii posterior non est, utpote quæ ab æterno est, ex æquo se clarificant Pater & Filius. Et si ita est, ubi Patris primatus? Æqualitas profectò est, ubi coæternitas. Et usque adeò æqualitas, ut una sit claritas amborum, sicut ipsi unum sunt. Unde mihi videtur dicendo rursùm: *Pater, clarifica nomen tuum*, non sanè aliud petere quàm se clarificari, in quo & per quem nomen Patris proculdubio clarificaretur. Et responsum accepit à Patre: *Et clarificavi, & iterùm clarificabo.* Quæ quidem ipsa responsio non parva Filii glorificatio fuit. Superest ergo, ut juxta promissum Patris semel adhuc clarificetur, eaquè erit plenitudo gloriæ, cui non queat amplius addi. Sed ubi illa dabitur benedictio? Non est (ut sponsa suspicata est) in plateis vel vicis, nisi fortè in illis de quibus dicitur: *Plateæ tuæ Hierusalem sternentur auro mundo, & per omnes vicos tuos alleluia cantabitur.* In his revera illam recepit à Patre Filius claritatem, cui non poterit similis inveniri, ne in cælestibus quidem. Cui enim aliquando Angelorum dictum est: *Sede à dextris meis?*

CAPUT V.

De institutione Sacramenti Eucharistiæ, facta à Christo in memoriam Passionis suæ.

1. *Præmittitur doctrina de excellentia Sacramenti Eucharistiæ, in qua Christus Carnem suam & Sanguinem dedit nobis in cibum & potum, ne deficiamus in via.* 2. *Agitur de materia Eucharistiæ, quæ est panis & vinum, eorumquè conversione in Corpus & Sanguinem Christi: nec non de forma, quâ conficitur Eucharistia.* 3. *Expenduntur verba*

i *Ibidem num. 25. & 26.* k *Ibidem. num. 27.*

l *Ser. 76. in Cant. n. 3. & 4.* m *Ibidem n. 5.*

la Christi, in quibus mandavit celebrare Sacrificium Eucharistiæ pro salute animarum nostrarum: meritòquè exigit à nobis, ut pro tam singulari amore suo diligamus Deum.

§. I.

Sedisti ad mensam divitis: diligenter attende quæ apponuntur tibi, & scito quoniam talia oportet te præparare. Prov. 23. juxta version. 70.

IN verbis istis (a) loquitur Spiritus cōsilii voce suavi, sed & terribili. Vox suavis est, sed obedientibus: vox terroris contemnentibus. Recipientibus debentur præmia, reiicientibus intentantur supplicia. Vivent qui recipiunt, damnabuntur qui reiiciunt. *Sedisti*, inquit. Ecce principium hujusmodi verborum quantæ suavitatis præfert insigne! Verba præcedentia suaviter sonant, affectum mulcent, & de sensuum ubertate mentem impinguant. Quæ autem sequuntur, id est, *Scito quoniam talia oportet te præparare*: dum intellectum quò plùs exercent, plùs terrent, de altitudine mysteriorum miro modo nos humiliant, sive propter indignitatem nostram, sive propter incapacitatem. *Dives* itaque & potentissimus ille, Dominus est virrutum, & ipse Rex gloriæ, cui dicitur per Prophetam David: *Ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam*. Ipse est qui aufert spiritum principum, terribilis apud reges terræ. *Mensa*, ad quam resident Fideles epulaturi cum eo, Incarnatio ipsius est. *Parasti* (inquit Propheta) *in conspectu meo mensam*, id est, Incarnationis tuæ remedium, quod semper attendo & recogito adversùs eos qui tribulant me: ne more antiquo prævaleant, qui misero & exuli insultare consueverunt. O stupenda (b) miseratio Dei! Verbum carnē, Deus cinerem, figulus lutum, Vita morticinium induit, ut jumenta manducarent panem Angelorum. Homines jumenta erant. *Homo enim cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Eapropter cibus cælestis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Panis enim Angelorum factus est fænum, vnicus Patris filius hominis. *Verbum* quippe *Caro factum est*. Et juxta alium Prophetam: *Omnis caro fænum*. Comedunt igitur Angeli Verbum de Deo natum: comedunt homines Verbum fænum factum, Pane suo vivunt Angeli in cælis, & beati sunt: fæno suo viuunt homines in terris, & sancti sunt. Fænum quippe istud de prato virginalis uteri collectum, factum est refectio jumentorum. Propter vitium (c) omnis caro fænum, & omnis gloria ejus tanquam flos fæni. *Exsiccatum est* (inquit Isaias) *fænum, & cecidit flos*: sed non ille flos qui de virga & radice Jesse ascendit, eò quòd requievit super eum Spiritus Domini: nec illud fænum quod Verbum factum est, pro eo quod sequitur in Prophota: *Verbum autem Domini manet in æternum*. Si enim fænum Verbum, & Verbum in æternum manet, fænum quoque necesse est maneat in æternum. Alioquin quomodo vitam prebet æternam, si ipsum minimè manet in æternum? Ait enim: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Et quem panem dicat, aperit cùm subjungit: *Et panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita*. Ut autem panem Angelorum manducaret homo, (d) susceptis paleis nostræ paupertatis, susceptis cineribus nostræ mortalitatis, suscepto fermento nostræ infirmitatis, Panis Angelorum factus est homo. Porrò quia homo suum (e) in quo factus est honorem non intelligendo, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis: Verbum panis Angelorum factum est pabulum jumentorum, vt habeat carnis fænum quod ruminet, qui Verbi pane vesci penitùs diffuevit; quousque homo per hominem Deum priori redditus dignitati, & ex pecore rursùs conversus in hominem, cum Paulo dicere possit: *Etsi cognovimus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus*. Quod sanè non arbitror quempiam dicere posse veraciter, nisi qui priùs cum Petro ex ore Veritatis illud item audierit: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: caro autem non prodest quidquam*. Christus in semetipso (f) in cælo Sanctos Angelos pascit: Christus etiam in semetipso in terra omnes Fideles reficit. Christus per rem Sanctos Angelos satiat in in patria: Christus nos pascit per fidem in terra, ne deficiamus in via. Christus Angelos & homines reficit ex semetipso, tamen integrè remanet in suo. Quàm bonus panis & quàm mirabilis, de quo in cælo Angeli saturantur, & in terra homines reficiuntur! Quem manducat Angelus pleno ore in patria, ipsum comedit peregrinus homo pro modulo suo, ne lassetur in via. Christus panis vivus qui est refectio Angelorum, ipse est redemptio & medicina hominum. Habeo & ego Verbum (g) sed in Carne: & mihi apponitur veritas, sed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo saturatur grano: me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, carnis surfure, literæ paleâ, velamine fidei. Et hæc talia sunt, quæ gustata afferunt mortem, si non de primitiis spiritûs quatulumcunque accipiant condimentum. Prorsùs mors mihi in olla, nisi ex Prophetæ farinula dulcoretur. Denique absque spiritu & Sacramentum ad judicium sumitur, & caro non prodest quidquam, & litera occidit, & fides mortua est: sed spiritus est qui vivificat, ut vivam in eis. At quantâlibet sanè abundantiâ spiritûs pinquescant ista, non pari omninò jucunditate sumitur cortex Sacramenti, & adeps frumenti, fides & spes, memoria & præsentia, æternitas & tempus, vultus & speculum, imago Dei & forma servi. Nempe in omnibus his fides locuples mihi, intellectus pauper. Numquid verò par sapor intellectui fideiquè, cùm sit in meritum ista, ille in præmium? Felix mulier (h) benedicta in mulieribus, in cujus castis visceribus, superveniente igne Sancti Spiritus, coctus est panis Angelorum, quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. Est utique panis sanctissimus (i) continens omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis. Panis iste quem dedit Jesus discipulis suis in cæna, scilicet corpusculum suum, licet ab impiorum manibus fuit miserè contrectatum: quis tamen panem hunc vi-

a *Ser. 2. in Cæna Domin. n. 1.* b *Ser. de excellent. S. Sacram. n. 1 & 2 tom. 6. pag. 732.* c *Ser. 35. in cant. n. 4.*

d *Ser. de Jesu puer. duoden. n. 12.* e *Tract. de exhort. ad mil. templ. cap. 6.* f *Tract. de modo bene vivend. cap. 28. n. 87.* g *Ser. 33. in cantic. n. 3.* h *Ser. 2. in nat. Dom. n. 4.* i *Soliloq. S. Bern. n. 16. tom. 6 pag. 1022.*

lem poterit existimare, cùm etiam eo pascatur multitudo Spirituum beatorum? O verè beata terra, quæ nobis hunc panem protulisti! Laudarem te libenter, sed quibus te laudibus efferam, nescio. Tu sola hunc panem gremio contulisti, quem cæli & terra capere non poterant: sit nomen tuum laudabile in secula seculorum. Denique (k) Paschalibus dapibus esuriens satiari quicunque requiris, mensula nostra posita est, quæ nulli vetatur edenti. Ibi refici poteris ex micis, quæ remanserunt de mensa Domini. Nam ille dulcissimus panis, qui de seipso ait: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*, dum esset in mundo, satiavit non mediocriter filios suos. Illos videlicet, quibus ascensurus ad Patrem ait: *Filioli adhuc modico tempore vobiscum sum*. Sed ascendens in Cælum dimisit reliquias suas paruulis suis: quas, dum illum beatissimum panem Angelorum, Dominum meum Jesum quærerem gemens & plorans, quæque preciosa mundi pro illo ineffabili cibo dare deliberans, Evangelista Joanne in voluntate Domini propinante accepi. Sed quicunque ad hanc mensulam servuli Christi sedere volverit, non sine lachrymis quæso accedat, & si accesserit, saltem sine gemitu non recedat. Nam in ea invenies cibum non ventris, sed mentis: non holocausta medullata, nec boves cum hircis, sed illum Agnum de Virgine natum, qui coram percutientibus se obmutuit, & non aperuit os suum. Tu itaque (l) qui sedes ad mensam diuitis, teipsum subiiciens & humilians Incarnationis Dominicæ Sacramento, non negligenter, sed *diligenter attende quæ apponuntur tibi: & scito quoniam talia oportet te præparare*. Nota, *quoniam*, compatiendo, commoriendo, & consepeliendo teipsum. Dignum est enim & tibi multum expedit, compati, commori, consepeliri passo, mortuo, & sepulto Christo. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi, ut his omnibus configuretur vita Christiani.

§. II.

Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & gratias agens, benedixit, fregit, deditquè discipulis suis, dicens: Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiter accepto calice postquam cœnavit, gratias agens, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Sedens (m) Jesus in cœna cum beatis Apostolis suis, pridie quàm pateretur, Carnem suam dedit ad manducandum, & Sanguinem suum ad bibendum. Totus utique nobis datus, (n) & totus in nostros expensus est usus. Sed (o) vnde hoc nobis piissime Jesu, ut nos vermiculi reptantes super faciem terræ, nos inquam qui pulvis & cinis sumus, te præsentem habere mereamur præ manibus, præ oculis, qui totus & integer sedes ad dexteram Patris? Qui etiam unius horæ momento ab ortu Solis usque ad occasum, ab Aquilone usque ad Austrum præstò es omnibus, unus in multis, idem in diversis locis. Unde hoc inquam? Certè non ex debito, vel ex debito nostro, sed ex voluntate tua, & dulcedinis tuæ beneplacito. *Parasti enim in dulcedine tua pauperi Deus*. Pauper est genus humanum, cui bonum istud cælitùs indultum est. Hæc est verè indulgentia cælestis, hæc est verè cumulata gratia, hæc est verè superexcellens gloria, Sacerdotem Deum suum tenere, & aliis dando porrigere. O novam & divinam potestatem, cujus ministerio panis Angelorum & vitæ, mortalibus quotidiè præparatur. Panis iste per excellentiam dicitur *Eucharistia*, idest, bona gratia. In hoc enim Sacramento non solùm quælibet gratia, sed ille à quo est omnis gratia, sumitur. Christus enim pro salute mundi semel factus est Hostia salutaris, reconciliatio generalis, omnibus Sacramentis tam præcedentibus quàm subsequentibus virtutem dedit & efficaciam, ut tanta & tali Hostia sanctificarentur omnes liberandi per illam. Unde legitur: Quia *Agnus occisus est ab initio sæculi*, his videlicet qui fuerunt ab initio: ita ut per hoc quod dicitur, *ab initio*, determines non tempus occisionis, sed salutis. Priùs enim mors ejus profuit, quàm fuit: priùs promissio, ac deinde exhibitio. Ab initio ergo sæculi occisus est. Inde est (p) quòd etiam quodammodò immolatur adhuc quotidiè, donec mortem ejus annunciamus. Benignissime Jesu (q) nobilissimum sponsæ tuæ Ecclesiæ dotalitium indulsisti, ut vel sic teneret columba tua dulcissimum memoriale dilecti sui. Christus enim pridie quàm pateretur, discipulis suis hujus Sacramenti formam præscripsit, efficaciam exhibuit, idest, fieri præcepit. Formæ præscriptio in pane & vino. Notate ordinem. Cùm adhuc cænaretur, à cæna surrexit, discipulorum pedes Dominus universorum lavit: dehinc ad mensam regressus ordinat Sacrificium Corporis & Sanguinis sui, seorsùm panem, seorsùm tradens & vinum. De pane ita dicens: *Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum*. De vino etiam sic: *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Effundetur*, dictum est, quia passim & uiliter: quem utique Sanguinem puncturæ veprium, fossio manuum & pedum cum clavis, lateris apertio cum lancea militari fortiùs exprimentes, ad modum torrentis fuderunt extrinsecùs. Profectò non gutta (r) sed unda Sanguinis largiter per quinque partes Corporis emanavit. Eratquè (s) ille Sanguis preciosior cariorquè balsamo, per quem sordium nostrarum facta est mundatio. Porrò Christus in cœna illa erat munerans & munus, cibans & cibus, conviva & convivium, offerens & oblatio. Cùm omnes juxta Pauli sententiam (t) administratorii Spiritus sint, missi in ministerium propter eos qui *hæreditatem capiunt salutis*: Christus Dominus qui erat super illos, factus est inter illos tanquam unus ex illis, dissimulans injuriam, & accumulans gratiam. Sed audi ipsum. *Non veni*, inquit, *ministrari, sed ministrare*.

k *Prolog. ant. Ser. 1. n. 1 in ult. cæna tom. 6. pag. 649.* l *Ser. 2. in cæna Dom. n. 6.* m *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. n. 12.* n *Ser. 2. in Circumcis. n. 4.* o *Ser. de excellent. Sanctiss. Sacramen. n. 3. et 4.*

p *Ser. 6. in vig. nat. Dom. n. 6.* q *Ser. de excellent. SS. Sacrament. n. 4.* r *Ser. 22. in Cant. n. 7.* s *Ser. de excellent. SS. Sacrament. n. 4.* t *Ser. 54. in Cant. n. 1.*

re, & animam meam dare pro multis. Quod quidem cæterorum nemo fecisse inventus est, ut omnes quotquot ministrasse visi sunt, ipse devotis transierit fidelibusquè obsequiis. Bonus minister, qui Carnem suam in cibum, Sanguinem in potum, Animam ministravit in precium. Testatur Paulus Apostolus (u) qui raptus usque ad tertium cælum, beatæ illi Curiæ meruit interesse atque nosse ejus secreta: *Quoniam omnes administratorii sunt Spiritus, missi in ministerium propter eos qui hereditatem capiunt salutis*. Neque id cuiquam incredibile videatur, quando quidem ipse quoque Creator & Rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare, & Animam suam dare pro multis. Ut quid ergo ministerium illud Angelorum quispiam dedignetur, in quo præcedit eos, cui in excelsis tota cum aviditate & felicitate ministrant? Si & hinc dubitas, utique qui vidit, testimonium perhibuit: *Millia*, inquiens, *millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. Alius quoque Propheta ad Patrem de Filio loquens, ait; *Minuisti eum paulominùs ab Angelis*. Sic planè sic decet ut vincat & humilitate, qui sublimitate vincebat: sitquè tantò minor Angelis, quantò inferiori sese ministerio mancipavit; qui tantò excellentior est, quantò differentius præ eis nomen hæreditavit. Sed quæras fortasè in quonā minoratus videatur ab Angelis, cùm ministrare venit, quando quidem (ut supra meminimus) in ministerium mittuntur & illi? In eo utique, quòd nonmodò ministravit, sed ministratus est: eratquè unus & idem qui ministrabat, & qui ministrabatur. Meritò proinde sponsa in Canticis Canticorum: *Ecce*, inquit, *venit is saliens in montibus, transiliens colles*. Ministrans enim saliit inter Angelos, sed & ipsos transiliit ministratus. Ministrant enim Angeli, sed de alieno, offerentes Deo bona opera non sua, sed nostra, ac nobis ejus gratiam referentes. Unde & Scriptura dicens: *Quoniam ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli*, sollicitè præmisit *data ei fuisse incensa multa*. Nostros enim sudores non suos, nostras non suas lachrymas offerunt Deo; nobis quoque ejus munera referunt, & non sua. Non sic minister ille sublimior cunctis, sed humilior universis, qui semetipsum obtulit Sacrificium laudis, qui Patri offerens Animam suam, nobis ministrat usque hodie Carnem suam. *Bonus pastor* [x] *qui animam suam dat pro ovibus suis*. Animam pro illis, Carnem illis. Illam in precium, istam in cibum. Res mira: ipse pastor, ipse pascua est, ipse redemptio.

§. III.

Expositis igitur & materiâ & formâ Sacramenti, (y) restat dicendum quibus in verbis mandaverit Christus illud celebrandum. *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*. O verba nimis affectuosa! O verba pungitiva & penetrativa usque ad animam! *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*. Propheta etiam in Psalmo dicit: *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt*. O summè pia & verè suavis memoria, annunciare mortem Domini donec veniat. Mors Christi opus sine exemplo, humilitas sine modo, donum sine precio, & gratia sine merito. Hanc propter nos subire voluit, qui peccata nostra super lignum sustinuit in cruce sua, scilicet pænam peccatorum, cujus livore sanati sumus. Quid facis homo indigne? Quid facis homo ingrate? Adora devotiùs, & recole frequentiùs in Sacramento Altaris Salutem mundi pro te passam, Vitam pro te mortuam, Fortitudinem infirmatam. Si membrum Christi es, compatire Capiti tuo. Si frater Christi es, commorere Fratri tuo. Plange, dole cum gemitu & lachrymis super mortem preciosam Unigeniti Dei Patris. Alioquin si non doles, si non plangis, si non compateris: deliras, degeneras, belluam sapis, lethargum pateris, hominem diffiteris. Cæterùm ut ampliùs movearis, imò ut magis incalescas in amorem tui Redemptoris: Christus voluit ut jugiter recoleretur per mysterium, quod semel offerebatur in precium; & illa perennis Victima viveret in memoria, & præsens esset semper in gratia. O homo (z) quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Solus utique amor est (a) quem à nobis Deus exigit, quia quidquid divina lege indicitur vel interdicitur, ad solum amorem reducit. Solve tributum amoris, & Domino noveris satisfactum. Quid igitur (inquit aliquis) nobis prodest tanta in nostro victu parcitas, in habitu vilitas, in vigiliis & disciplinis jugis austeritas? Paucis accipe. Quædam sunt charitatis obsequia placentia & placantia, si in charitate fiant: at sine charitate nihil prosunt. Hæc est enim virtus, in qua nec minimum opus respuitur, sine qua nec maximum acceptatur. *Non prædicatio*: etsi linguis fiat Angelorum. *Non fides*: etiamsi montes transferat. *Non eleemosyna*: etiamsi omnes facultates in cibos pauperum distribuat. *Non corporis afflictio*: etsi tradatur corpus ita ut ardeat. *Non Missarum solemnia*: quia ante fratris reconciliationem munus offerri prohibetur. Ipse enim amor hominum Deus est, cui omnis creatura meritò confitetur & dicit: *Bonorum meorum non eges*: sed hoc solum requirit ab omni homine, quod nulli constat esse difficile. Solus enim amor est, qui nomen difficultatis ignorat. Qui cùm multa amico impenderit, pauca vel nulla se judicat impendisse. Hinc est quòd annorum multitudo videbantur Jacob dies pauci præ amoris magnitudine. Verus enim amans quidquid pro amico patitur, vix sentit, dum sic totus amori intendat, ut præter dilectum nil planè cogitare sinatur, quem sicut signaculum gerit super cor, & super brachium suum. Et ideo (b) si amas animam tuam, propter Christum perdere debes eam, sive ponendo ut martyr, si necessitas exegerit, sive affligendo districtiùs ut pænitens: quanquam & genus martyrii sit, spiritu facta carnis mortificare, illo nimirùm quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, diuturnitate autem molestius. Sed respondent homines sæculares (c) cùm eis suademus agere pænitentiam, & dicunt: *Durus est hic sermo*. Nempe hoc est quod in Evangelio legimus. Loquebatur de pænitentia ipse Dominus, sed in figura, tanquam his quibus non erat datum nosse mysterium regni Dei. Cùm audirent dicentem, *Nisi*

u *Ser. 1. de S. Mich. Archang. n. 1. 2. & 3.* x *Ser. 31. in Cant. n. 11.* y *Ser. de excellent. SS. Sacram. n. 6.*

z *Tract. de 3. de præcip. myst. c. . p. 6. n. 17.* a *Lib. 3. de amor Dei c. 3. n. 15. & 16.* b *Ser. 2. in Cœna Dom. n. 9.* c *Ser. 3. super Psal. 90. n. 3.*

Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, dixerunt: *Durus est hic sermo, & abierunt retrorsùm.* Quid autem est manducare ejus Carnem & bibere Sanguinem, nisi communicare passionibus ejus, & eam conversationem imitari, quam gessit in Carne? Unde & hoc designat illibatum illud Altaris Sacramentum, ubi Dominicum Corpus accipimus: ut sicut videtur illa panis forma in nos intrare, sic noverimus per eam quam in terris habuit conversationem, ipsum intrare in nos, ad habitandum per fidem in cordibus nostris. Cùm enim justitia ingreditur, ille ingreditur qui factus est nobis à Deo Patre justitia. Sed & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Sed tamen adhuc multi nobis dicunt: *Durus est hic sermo*. Ergone durum est momentaneum hoc & leve tribulationis, quod supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis? Durum est brevissimo & levissimo labore cruciatus illos & tormenta redimere, quæ nullus terminus finiat, nullus animus sufficiat cogitare? Durum vobis videtur cùm dicitur: *Agite pænitentiam*? Erratis, sed audituri estis aliquando verbum asperum, sermonem durum, auditionem malam: *Ite maledicti in ignem æternum.* O verbum asperum! (d) o sermo durus! *Ite maledicti in ignem æternum.* Durior planè atque asperior illo, qui quotiè nobis de memoria Passionis in Ecclesia replicatur: *Qui manducat meam Carnem, & bibit Sanguinem meum, habet vitam æternam.* Hoc est: qui recolit mortem meam, & exemplo meo mortificat membra sua quæ sunt super terram, habet vitam æternam. Hoc est, si compatimini, & conregnabitis. Et tamen plerique ab hac voce resilientes & abeuntes retrorsum, hodiequè respondent non verbo sed facto: *Durus est hic sermo: quis potest eum audire?* Itaque generatio quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus ejus, sed magis sperans in incerto divitiarum, verbum modò crucis audire gravatur, ac memoriam Passionis sibi judicat onerosam. Verùm qualiter verbi illius pondus in præsentia sustinebit, *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus?* At vero generatio rectorum benedicetur, qui utique cum Apostolo sive absentes sive præsentes contendunt placere Deo. Denique audient: *Venite benedicti Patris mei, &c.* Tunc illa generatio quæ non direxit cor suum, serò quidem experietur, quàm in illius comparatione doloris jugum Christi suave & onus leve fuerit, cui tanquam gravi & aspero duram cervicem superbè subduxit. Non potestis, ô miseri, servire mammonæ simul & gloriari in cruce Domini nostri Jesu Christi, & sperare in pecuniæ thesauris: post aurum abire, & probare quàm suavis est Dominus. Proinde quem suavem in memoria non sentitis, asperum proculdubio in præsentia sentietis. Cæterùm fidelis anima & suspirat præsentiam Domini inhianter, & in memoria Passionis ejus requiescit suaviter: & donec idonea sit revelata facie speculari gloriam Dei, crucis ignominiâ interim gloriatur. Habeamus ergo eorum [e] quæ contemptibilia Christo sunt illata, continuam & indesinentem memoriam: non utique ociosam, non tepidam, non torpentem, sed compassionis ardore super omnia delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem. Unde Propheta David, *Delectare in Domino* inquit, ut spretâ mundi vitiorum omnium jucunditate, suavior ejus recordatio fit: *& dabit tibi petitiones cordis tui*, non carnis. Cui enim [f] Christus incipit dulciscere, profectò necesse est amarescere mundum. Est siquidem panis qui de cælo descendit, habens omne delectamentum & suavitatem saporis. Sapor est Patris per illam æternam & ineffabilem naturam. Sapor est Angelorum per gratiam. Sapor est noster per misericordiam.

CAPUT VI.

De triplici manducatione Corporis Christi Domini.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. *Joan. 6.*

1. *Manducatio Corporis Christi est Sacramentalis simul & Spiritualis, quæ sanctificat utroque modo manducantem Corpus Dominicum: ac proinde ministri Altaris incontinentes tanguntur, & ad puritatem vitæ commonentur.* 2. *Manducatio Sacramenti Eucharistiæ est tantùm Spiritualis, quæ gratiam confert, virtutesquè auget. Et ostenditur, quòd dum Christus pascit nos Corpore suo, etiam ipse vicissim pascatur spirituali profectu nostro, pænitentiâ scilicet nostrâ, & salute nostra.* 3. *Manducatio Sanctæ Eucharistiæ est tantùm Sacramentalis, quæ indignè sumētibus magis præstat damnationem quàm salutem. Et ostenditur Sacramentum Eucharistiæ datum esse in pignus futuræ gloriæ nostræ.*

§. I.

HUjus sacratissimi Panis [a] & venerandi Calicis, idest vivifici Corporis Domini & Sanguinis, triplicem esse sumptionem discretus Sacerdos ignorare non debet. *Prima est sumptio Sacramentalis & spiritualis*: & hæc vera, sancta & sanctificans, beata & beatificans, vitalis & vivificans. *Sacramentaliter & spiritualiter* sumit sanctam Eucharistiam quilibet religiosus Sacerdos, veste nuptiali, idest charitate decenter ornatus, & nulli mortali culpæ obnoxius, ad Altare Dei introjens, & Sacrum Mysterium ritè celebrans: eodem modo, & eodem merito sumit quisque fidelis, qui de manu Sacerdotis ipsum Sacramentum suscipit. Ipse tamen Sacerdos singulari prærogativa præ aliis insignitur, qui quotidie, dum non impediat aliqua culpa vel infirmitas, habet potestatem Eucharistiam conficere & sumere: aliis verò permittitur tantùm certis temporibus de manu Sacerdotis communicare. De hac prima sumptione, quæ est *Sacramentalis & spiritualis*, Dominus dicit: *Qui manducat meam Carnem, & bibit Sanguinem meum, in me manet, & ego in illo.* Et rursùm: *Qui manducat me, vivet propter me.* Quid autem est manducare ejus Carnem [b] & bibere ejus Sanguinem, nisi communicare passionibus Christi, & eam conversationem imitari, quam gessit in carne? Unde & hoc designat illibatum illud Altaris Sacramentum, ubi Dominicum Corpus acci-

d *Tract. de diligen. Deo. cap. 4. num. 11. & 12.* e *Ser. 2. in Cæna Domini. n. 9.*

f *Ser. de verb. Sap. n. 2. tom. 6.* a *Tract. 2. de præcip. ... cap. 12. n. 34. et 35.* b *Ser. 2. pag. 768. super Psal. 90. n. 3.*

accipimus: ut sicut videtur illa panis forma in nos intrare, sic noverimus per eam quam in terris habuit conversationem, ipsum intrare in nos, ad habitandum per fidem in cordibus nostris. O genus Ecclesiasticum [c] regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis! Virtutes annunciate ejus, qui vos vocavit de tenebris in admirabile lumen suum, & ineffabile Mysterium suum. *Vos estis lux mundi*: *vos estis sal terræ*. Levitis dicitur: *Mundamini qui fertis vasa Domini*. Vobis autem dicendum est: Mundamini qui estis vasa Domini: glorificate & portate Deum in corpore vestro. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi. In vobis sepelitur illud Corpus gloriosum & glorificatum, quod olim in Hierosolymis est sepultum exanime & defunctum. Certè Sanctus ille Joseph noluit illud sepelire nisi in sepulcro nouo, in quo nondum quisquam positus fuerat: & studuit illud involvere in syndone munda. Væ tibi, si non posueris illud in sepulchro novo, vel saltem innovato, idest, in corpore à peccatis penitùs mundo, vel, si peccasti, per pænitentiam & satisfactionem mundato. Væ tibi, si non posueris illud in syndone munda, idest, conscientia ab omni immunditia penitùs defæcata & absoluta. Non sit in corpore tuo conventio Christi ad Belial, non sit consessus Dei cum Idolis, non sit societas luci ad tenebras: peccatum non regnet in mortali corpore tuo; & sic dedicabis venerabile sepulchrum Christo, templum Spiritui Sancto. *Templum* (inquit Apostolus) *Domini sanctum est, quod estis vos*. Et iterum: *An nescitis quia corpora vestra templum sunt Domini, & Spiritus Sanctus habitat in vobis?* Si hoc verè dicitur de quolibet claritatem habente, multò ampliùs dici debet de Sacerdote Deo placente. Perpende etiam [d] & attende devote Sacerdos, quantâ diligentiâ, quantâ vigilantiâ Sancti Angeli conservarunt locum Sepulchri, Corpore Dominico jam sublato, redivivo & glorificato: in quanta claritate, in quanta vultûs & vestium venustate apparuerunt sanctis mulieribus sepulchrum visitantibus, & Corpus requirrentibus. Proculdubio scire debes, quòd si tu idem Dominicum Corpus, imò supra modum gloriosum & in Cælis regnans, & ad dexteram Patris honorificatum dignè tractaveris, mundum & novum sepulchrum tui corporis præparaveris: ipsa Angelorum non deerit tibi frequens custodia, animam tuam servabunt, corpus gubernabunt, in omnibus viis tuis te protegent, & dicent tibi tuisquè similibus: *Vos sancti Domini vocabimini ministri Dei nostri*. Vide ergo ne tangas illud Sacrificium, nisi innocens manibus & mundo corde. Alioquin ipse dicet tibi: *Noli me tangere*, quia tactus tuus contagium est. Nam qui fornicatur [e] in corpus suum peccat, magno illud privans honore, & pavendo addicens pudendoquè dedecori, tollens membrum Christi, & faciens membrum meretricis. Terribilis sermo [f] & qui possit etiam impavida quorumvis tyrannorum corda concutere. Multi puritatis Auctori (g) impuro corde & corpore ministrantes, non verentur stare Angelum Domini, qui secet medios & disperdat: sed omninò audent Agni immaculati sacras contingere Carnes, & intingere in Sãguine Salvatoris manus nefarias, quibus paulò ante carnes (proh dolor!) meretricias attrectârunt. Ingrediuntur cum hac macula (h) tabernaculum Dei viventis, inhabitant cum macula, templum sanctum Domini polluentes, judicium multiplex accepturi, quòd & tam gravissimas conscientias gerunt, & nhilominùs sese ingerunt in Sanctuarium Dei. Tales enim nonmodò non placant Deum, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: *Non requiret*. Irritant planè & infensum reddunt sibi, vereor ne in his quibus eum repropitiare debuerant. Væ ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia quasi homines qui justitiam fecerint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui se ministros gratiæ profitentur. Væ filiis iræ, qui pacificorum sibi usurpare gradus & nomina non verentur. Væ filiis iræ, qui fideles sese mediatores pacis, ut peccata populi comedant, mentiuntur. Væ illis, qui ambulantes in carne Deo placere non possunt, & placare velle præsumunt. Nemo tamen indignetur nobis (i) aut molestè accipiat quæ dicuntur. Si sanctus est, & minimè sibi conscius horum, congratulamur ei: doleat & ipse nobiscum in pluribus hæc inveniri. Nec enim revelamus nunc occulta dedecoris, nec parietem fodimus, ut abominatio major appareat: nullum adhuc de fornicatione fecimus verbum, quamvis & hæc in multis & multipliciter regnet. Sed nec eorum sacrilegia recensemus, qui diligunt munera, sequuntur retributiones, vendunt Sacramenta, justitiam produnt: quorum guttur necdum traxit ad laqueum, necdum præfocavit fauces verbum blasphemiæ, vox sacrilega, sermo nequam: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Videmus hæc omnia, sed quodammodò non videntes, quippè quibus nec flagellum est, nec ille comedens zelus. Manifesta loquimur, & quæ vix aliqui erubescat. Non autem accusamus universitatem, (K) sed nec universitatẽ possumus excusare. Reliquit sibi Dominus multa millia. Alioquin nisi eorum nos excusaret justitia, & illud nobis semen sanctum Dominus Sabaoth reliquisset, olim jam sicut Sodoma subversi essemus, & sicut Gomorrha similiter periissemus. Obsecramus per Sanguinem illum (l) qui pro animabus fusus est, ne tanti emptarum parvipendatur periculum. Quid enim turpius (m) quàm membra Christi Sanguine consecrata & consepulta in Baptismate, libidinosis ardoribus maculare, nec attendere reverentiam præsentis Dei, minantis pænam, gloriam promittentis? Absit, ut aliquis nostrûm huic idolo substernatur, ut Cillum Virginis in Veneris templo suscipiat: ut Arcam Dei juxta Dagon collocet: ut nutritus in croceis stercora amplexetur. Quid Petro cum Mago? quid Christo cum Antichristo? quid virgini & libidini? quid puritati & corruptioni? Absit, ut quisque vestrum ambulet in passione desiderii, sicut & Gentes quæ ignorant Deum: qui Corpus Christi aut consecratis, aut Christi corpori ministratis. Electi servite Imperatori, ut cum Imperatore sedeatis, cùm sederit in sede Majestatis suæ.

§. II.

c tract. de 3. præcip. myst. cap. 9. n. 28. d Ibid. n. 29. e Ser. 2. de Resurrect. Dom. n. 10. f Ser. 76. in Cant. n. 8. g Tract. de vit. et mor. Cleric. cap. 4. n. 13.

h Tract. de conver. ad cleric. cap. 20. n. 37. et cap. 19. n. 33. i Tract. de vit. et mor. Cleric. cap. 4. n. 13. k Tract. de conver. ad Cleric. cap. 20. n. 35. l Epist. 79. n. 1. m Ser. 3. de Nat. Dom. n. 7. tom. 6. pag. 623.

§. I I.

1 *Altera sumptio* (n) est tantùm *spiritualis* : & hæc nihilominùs gratiam confert, auget virtutes, meritum cumulat. *Spiritualiter* tantùm sumit sanctam Eucharistiam quisque Fidelis, qui est de membris Ecclesiæ, perseverans in charitate : quia licet Sacramentum ore non contingat, virtutem Sacramenti tamen, idest, remissionem peccatorum & spiritualis gratiæ infusionem, per fidem & unionem Ecclesiæ sibi comparat. De hac secunda sumptione, quæ est tantùm *spiritualis*, ipse Dominus loquitur : *Caro nihil prodest, spiritus est qui vivificat*. Ac si diceret : Si intelligis tantùm carnalem sumptionem absque gratia, nihil tibi prodest, imò nocet : spiritualis verò absque carnali te vivificat. Novit autem quicunque rectè sapit (o) quantùm Christianæ pietati expediat, quantùm Dei servum deceat, Sacrosanctæ Passionis ipsius fideliter recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, ad recondendum pleniùs per imitationem in memoria : quod est *spiritualiter* manducare Corpus Domini, & Sanguinem ejus bibere, ob amorem & reverentiam ejus, qui credentibus in se præcipit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. In quo etiam quàm impium sit hominem tantæ pietatis Dei esse immemorem, palàm est omnibus : cùm amici morientis, vel peregrè proficiscentis commendatam sibi sub aliquo signo memoriam nefas sit oblivisci. Siquidem hujus reverendæ commemorationis mysterium, suo modo, suo tempore, suo loco celebrare licet paucis hominibus, quibus & hoc traditum est mysterium. Rem verò mysterii omni tempore, & in omni loco dominationis Dei modo quo traditum est, id est, debitæ pietatis affectu, & sanctæ imitationis effectu agere, tractare & sumere in salutem cunctis Fidelibus in promptu est. Nam & Sacramentum sicut accipit ad vitam dignus, sic ad judicium & mortem propriam indignus. Sacramentum enim sine re Sacramenti, mors est sumenti. Res verò Sacramenti etiam præter Sacramentum, vita æterna est accipienti. Quoties in commemorationem ejus qui pro te passus est, piè ac fideliter Christum imitando fueris affectus & devotus, Corpus ejus manducas, & Sanguinem ejus bibis : & quamdiu in eo manes per amorem, ipse verò in te per justitiæ & sanctitatis operationem, in ejus Corpore & in membris ejus computaberis. Tunc enim nos Jesu Christo (p) & JesusChristus nobis in unitate fœderatur inenarrabili, sicut ipse dicit : *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*. Et fortassis hoc est (q) quod dicitur *pasci inter lilia*, candore & odore virtutum delectari. Et quidem pascebatur olim corporaliter apud Mariam & Martham, & recumbens etiam Corpore inter lilia (illas loquor, nam lilia erant) nihilominùs spiritum refocillabat devotione & virtutibus mulierum. Quod si illâ horâ intrasset Propheta, aut Angelus, seu alius quivis spiritualis vir, tantùm non ignorans quæ Majestas recumberet, nonne stupens dignationem & familiaritatem (quam illi esse conspiceret cum puris animis pudicisquè, corporibus tamen terrenis & sexus infirmioris) meritò testaretur, quia vidi illum nonmodò commorantem, sed & pascentem inter lilia ? Puto autem quòd & ipse vicissim pasceret, sed in spiritu. Hoc ipso quo pascebatur, quomodò pascebat ? Quomodo inquam confortabat timiditatem fæminarum, jucundabat humilitatem, impinguabat devotionem ? Sed si vidisti quòd pasci illi sit pascere, vide etiam nunc ne fortè & è converso pascere sit ei pasci. *Domine, qui pascis me à juventute mea*, ait sanctus Patriarcha Jacob. Bonus paterfamilias, qui suorum domesticorum curam gerit, maximè in diebus malis, ut alat eos in fame, cibans illos pane vitæ & intellectus, & sic nutriens ad vitam æternam. At pascens ita puto nihilominùs pascitur ipse, & quidem escis quibus libenter vescitur profectibus nostris. Etenim gaudium Domini fortitudo nostra. Ita ergo (r) & cùm pascit pascitur, & cùm pascitur pascit, simul nos suo gaudio spirituali reficiens, & de nostro æquè spirituali profectu gaudens. Cibus ejus pœnitentia mea, & cibus ejus salus mea : cibus ejus ego ipse. An non cinerem tanquam panem manducat? Ego autem quia peccator sum, cinis sum, ut manducer ab eo. Mandor cùm arguor, glutior cùm instituor, decoquor cùm immutor, digeror cùm transformor, unior cùm conformor. Nolite mirari hoc, & manducat nos, & manducatur à nobis, quo arctiùs illi astringamur. Non sanè aliàs perfectè unimur illi. Nam si manduco & non manducor, videbitur in me esse ille, sed nondùm in illo ego. Quodsi manducor quidem nec manduco, me in se habere ille, sed non etiam in me esse videbitur. Nec enim perfecta unitio in uno quovis horum. Si enim manducet me, ut habeat me in se : & à me vicissim manducetur ut sit in me, quatenùs integra firmaquè sit connexio, cùm ego in eo, & nihilominùs in me ipse erit. Et tamen ego licet pulvis & cinis (s) fretus quidem Scripturæ auctoritate minimè istud dicere verear, quia unus cum Deo spiritus sum : si unquam tamen certis fuero persuasus experimentis Deo me adhærere instar unius illorum qui in charitate manent, ac per hoc in Deo manent, & Deus in eis, manducantes Deum, & manducati à Deo. Nam de tali adhæsione puto dictum : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est*. Unus utique spiritus dicitur & est cum Deo, adhærens Deo : nec præjudicat rerum pluralitas unitati huic, quam facit non confusio naturarum, sed voluntatum consensio. Deus (t) licet ubique æqualiter est per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis quàm in cæteris, & ipsarum aliter in bonis quàm in malis est per efficaciam. Ita sanè est in irrationalibus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantùm capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Nam dum suas voluntates ita justitiæ subdunt, ut Deum non dedeceat velle quod ipsi volunt : per hoc quòd ab eis volun-

n *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 12. n. 34. & 35.* o *Ser. 2. in Cœna Domini n. 9.* p *Ser. de excell. Sanctiss. Sacramenti n. 5.* q *Ser. 71. in Cant. n. 4.*

r *Ibidem num. 5.* s *Ibidem num. 6. & 7.* t *Ser. 3. Super. missus num. 4.*

luntate non dissentiunt, Deum sibi specialiter jungunt. Et hæc unio ipsis est communio voluntatum (u) & consensus in charitate. Felix unio si experiaris, nulla si comparaveris. Vox experti: *Mihi autem adhærere Deo, bonum est*, Bonum planè, si ex omni parte adhæseris. Quis est qui perfectè adhæret Deo, nisi qui in Deo manens tanquam dilectus à Deo, Deum nihilominùs in se traxit vicissim diligendo? Ergo cùm undique adhærent sibi homo & Deus, inhærent autem undique intima mutuaquè dilectione inviscerati alterutrum sibi: per hoc Deum in homine, & hominem in Deo esse haud dubiè dixerim. Sed homo quidem ab æterno in Deo tanquam ab æterno dilectus, si tamen ex illis sit qui dicunt: *Quoniam dilexit & gratificavit nos in dilecto Filio suo ante mundi constitutionem.* Deus verò in homine, ex quo dilectus ab homine est. Et si ita est, homo quidem in Deo est, & quando in homine Deus non est: Deus autem in homine non est qui non sit in Deo. Manere enim in dilectione non potest etsi forsitan ad tempus diligat non dilectus, potest autem nondum diligere etiam dilectus. Alioquin quomodò stabit: *Quoniam ipse prior dilexit nos?* Porrò cùm jam diligit qui ante diligebatur, & homo in Deo, & Deus in homine est. Qui autem nunquam diligit, constat quòd nunquam dilectus est: ac per hoc nec ipse in Deo, nec Deus in eo est.

§. III.

Tertia sumptio (x) est tantùm *Sacramentalis*. Et hæc damnabilis & condemnans, Deo adibilis, & ab eo separans, & nullo modo beatificans. *Sacramentaliter* tantùm percipit sanctam Eucharistiam, qui in culpa mortali perdurans communicare præsumit. Et is talis socius est traditoris Judæ: & meliùs fuerat si natus non fuisset homo ille, nisi resipiscat & dignè Deo satisfaciat. De hac tertia sumptione, quæ est tantùm *Sacramentalis*, dicit Apostolus: *Qui manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini*: quod est dicere, non discernens Corpus Domini ab aliis cibis. Hæc est salubris distinctio Corporis Dominici ab aliis cibis: quia cùm alios cibos sumimus, eos corpori nostro incorpuramus: cùm verò Domini Corpus in escam suscipimus, si dignè agimus, Domino incorporamur, imò toti in Deum transimus: quia *qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo*. Felix viator, qui tali viatico reficitur: quod securè reducit eum per viam, & traiicit in patriam. De bonis (y) & dignè sumentibus hoc sentiendum est, non de flagitiosis & pessimis. Sanè in mensa una, in cæna Domini, de uno pane consecrato Petrus & Judas accepit: bonus in vitam, pessimus in pœnam. Bonus in beneficium, pessimus in testimonium. Bonus in salutem, pessimus in mortem. Quod totum usque adhuc in Ecclesia completur in Sacramento Altaris: bonis quidem in bonum sumentibus, canibus verò & immundis non sic. Canes sunt qui irreverenter accedunt, & ideo judicati abscedunt. Qui enim secundùm carnem vivunt, & post carnalia evagantur, catenâ vitiorum compediti: cum Juda proditore venenum accipiunt, spiritualis suspendii laqueum incurrunt, gravissimè damnandi, tum pro multiplici reatu, tum pro Sacramenti contemptu: quod revera accipiunt, sed essentiâ, non salubri efficacia. An non discernet inter glebas, qui discernit & inter stellas? Examinabit certè argentum, qui ipsum quoque aurum probavit & reprobavit. Ecce audistis fructum & utilitatem bonorum, audistis etiam & expavistis (ut credo) ad perditionem malorum; audite modò, & obstupescentes admiramini. Nulli Angelorum, nullis Spiritibus supernis, sed hominibus, nec tàm omnibus, sed Ordini Sacerdotali tantùm mandatum esse legimus tanti Sacramenti celebrationem in Altari, quod Christus fecit manibus suis in Cæna Paschali. Ipsis ergo Sacerdotibus (z) ministerium suum digna officii executione honorantibus prima sumptio congruit, & per eos tantùm aliis Fidelibus sumptionis dispensatio competit. Ipsi enim habent claves Sacramenti; ipsi sunt veri mediatores inter Deum & hominem. Ipsi sunt vox & organum Sanctæ Ecclesiæ; ipsi offerunt Deo plebis precationes, & referunt propitiationes. O quàm fidelis promissor, quàm verax exhibitor, quàm munificus largitor! Dixisti enim Domine Jesu: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Hæc verè dixisti. *Propè est verbum* (ait Scriptura) *in ore tuo, & in corde tuo.* Verbum quod in principio erat apud Deum, in fine seculi dignatur esse hominem. Est in ore, est in corde. Quid propius, quid magis intrinsecum? Est in ore tuo: ergo *laus ejus semper in ore tuo sit.* Est in corde tuo: ergo *confitere ei in directione cordis, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Quas retributiones ejus? *Propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Sanat omnes infirmitates tuas. Redimit de interitu vitam tuam. Coronat te in misericordia & miserationibus. Replet in bonis desideriũ tuum*, dans seipsum tibi in viaticũ: Ut jugiter recoleres per mysteriũ (a) quod semel offerebatur in precium: & illa perennis Victima viveret in memoria, & præsens esset semper in gratia. O summè pia & verè suavis memoria, annunciare mortem Domini donec veniat. Christe Jesu (b) mortis tuæ memoria est tanquam opus pigmentarii, quasi thus redolens in diebus, quasi regio aromatum quam purgat æstus solis, & quasi flores rosarum in diebus verni, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ. Gratulare sponsa Ecclesia, gaude incomparabiliter. Præsidentem habes & rectorem Sponsum Jesum in præsentis exilii militia. Pignus habes, arrham tenes, quibus feliciter Sponso uniaris in patria. Gloriosa & amabilis sponsa, in terra Sponsum habes in Sacramento, in cælis habitura es sine velamento. Et hîc & ibi veritas: sed hîc palliata, ibi manifesta. Hîc utique Sponsum habet Ecclesia suo ordine, nondum puritatis majestate, vel æternitatis securitate. Hîc revera quasi dulce præludium, & jucunda desponsatio: ibi nuptiale convivium, & beata fiet conjunctio: cùm de fide ad speciem, de mensa ad mensam, de Sabbatho ad Sabbathum, de calore panum ad æternalis convivii calorem transibimus. Jam desponsata est Sponso suo Jesu (c) jam nuptiarum prandium celebratur: nam cæna quidem in cælo & in aula æterna paratur. Verumtamen num-

N quid

u Ser. 71. in Cant. n. 12. x Tract. de 3. præcip. myst. cap. 12. n. 34. & 35. y Ser. de excellent. SS. Sacramen. n. 5.

z Tract. de 3. præcip. myst. cap. 12. n. 36. a Ser. de excellent. SS. Sac. n. 6. b Ibidem. n. 7. c Ser. 2. in Dom. 1. post oct. Epiph. n. 4.

quid ibi vinum deficiet? Absit. Inebriabimur ibi ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ejus potabimur. Paratum est profectò illis nuptiis flumen vini, vini inquam quod lætificat cor. Siquidem fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Nunc autem quoniam grandis nobis restat via, prandium quidem accipimus hîc, etsi non in tanta copia, quòd plenitudo & satietas cœnæ reservetur æternæ. Unde meritò suspirat sponsa [d] & dicit cum Moyse: *Ostende mihi teipsum*. Nec immeritò. Ipse enim Jesus, qui dulcis est in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere: dulcior apparebit in Deitatis visione. Suspirat inquam præsentiam inhianter [e] & in memoria requiescit suaviter: & donec idonea sit revelata facie speculari gloriam Dei, interim crucis ignominiâ gloriatur. Sic profectò, sic sponsa & columba Christi pausat interim & dormit inter medios cleros, sortita jam impræsentiarū de memoria abundantiæ suavitatis tuæ Domine Jesu pennas deargentatas, innocentiæ videlicet pudicitiæquè candorem: & sperans insuper adimpleri lætitiâ cum vultu tuo, ubi etiam fiant posteriora dorsi ejus in pallore auri, quando in splendoribus Sanctorum introducta cum gaudio, Sapientiæ pleniùs fuerit illustrata fulgoribus. Meritò denique jam nunc gloriatur & dicit: *Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. In *læva* reputans recordationem illius charitatis, quâ nulla major est, quòd animam suam posuit pro amicis suis: in *dextera* verò beatam visionem, quam promisit amicis suis, & gaudium de præsentia majestatis. Dives est omnibus qui invocant eum [f] nec tamen habet quidquam seipso melius. Se dedit in meritum, se servat in præmium, se apponit in refectionem animarum sanctarum, se in redemptionem distrahit captivarum. O homo (g) quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Solve ergo (h) tributum amoris, & Domino noveris satisfactum.

CAPUT VII.

De vera & reali existentia Corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ: & de ritu, & apparatu Sacrificii Missæ.

Panem Angelorum manducavit homo. *Psal.* 77.

1. *Ostenditur quanta sit excellentia Sacramenti Eucharistiæ, in qua verè & realiter existit Christus per suam divinam & humanam substantiam.* 2. *Ostenditur, Christum existere in Eucharistia cum eadem divinitate, in qua manet in cælis, sedens ad dexteram Dei Patris.* 3. *Exponitur apparatus & ritus Sacrificii Missæ: & quæritur cur sit institutum sub speciebus panis & vini.*

§. I.

NOn lateat vos reverendi Sacerdotes [a] seriem hanc vobis recitatam, verbis succinctam, sensuum spiritualium majestate apprimè fore fœcundam. Vobis autem potissimùm incumbit præ cæteris audire quod proponimus: nec solùm audire, sed fideliùs reponere, & tanquam animalia munda propensiùs debetis ruminare. Beatus ille David Prophetarum eximius, Deo viventi charissimus, in spiritu ante sedentem in Thronis raptus, legerat in quodam prumptuario mysteriorum, quæ & quanta Dominus naufraganti mundo per vestrum clementer erat exhibiturus ministerium, qui cælestis consilii sanctus interpres gratulando concinit: *Panem Angelorum manducavit homo*. Unde ad exprimendam rei tam fructuosæ certitudinem, dilucidè signavit præteritū pro futuro: *Panē*, inquiens, *Angelorū manducavit homo*. Hoc autem (b) liberalioris excellentiæ donum contulit vobis primò Sacrosancta Verbi Patris Incarnatio: & vos secundariò de die in diem exhibenda ministratis ex collatæ potestatis officio. O præclara, ô reveranda potestas vestra! Certè non est potestas post Deū, sicut potestas vestra. Et proinde vix potest esse (c) quin Deus aliqua speciali gratia remuneret eum in præsenti, qui devotè & libenter ministrat ad Sacramentum illud tam salutare: quo nil melius, nil uè sanctius esse potest in cælo & in terra: & quodammodò divinæ dignationis est, & dilectionis ad homines. Quid enim majus facit Deus, quàm quotidiè veniendo super Altare? Qui de cælo descendens formam assumpsit humanam, & ideo reliquit memoriale totius dilectionis in seipso, Incarnationis, redemptionis, glorificationis. Qui datus est nobis primò in redemptionis precium [d] non cessat se nobis dare quotidie in viaticum. Primò passibilis & passionibus expositus, nunc impassibilis & gloriâ & honore coronatus: tunc homo mortalis, nunc homo victor mortis: tunc paulominùs ab Angelis minoratus, nunc præ Angelis omnibus sublimatus. *Tantò melior* (ait Apostolus) *Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit*. Cui enim aliquando Angelorum dixit Pater: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*? Et rursùm: *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*. Et rursùm cùm introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*. In hoc loco, dilecte Dei Sacerdos, videtur mihi maximè consistere summa desiderii tui, quòd cupis illustrari aliquatenùs claritate illa, quam habuit Verbum Incarnatum post glorificationem humanitatis assumptæ. Cupio satisfacere voto tuo, & velle adjacet mihi, perficere autem ex me non invenio, nisi ille det, qui dat omnibus abundanter, & non improperat. Quod ergo dare dignabitur, mihi quidem pigrum scribere non erit, tibi autem necessarium. Primò adverte [e] quod scriptum est: *Deus habitat lucem inaccessibilem*. Et rursùm: *Deus noster ignis consumens*. Quod utrumque dictum est de divina essentia, in qua Pater unum est cum Filio & Spiritu Sancto: quia in illa Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus vel minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales. Unde & Filius ait: *Ego & Pater unum sumus*. Si ergo unum sunt, habitant eandem lucem inaccessibilem: sunt

idem.

d *Ser. de excell. SS. Sacr. n. 7.* e *Tract. de diligen. Deo cap. 4. num. 12* f *Ibidem cap. 7. num. 22.* g *Tract. de 3 præcip. myst. cap. 6. num. 17.* h *Lib. 3. de amore Dei cap. 3. n. 15.* a *Ser. de excell. SS. Sacr. n. 1.*

b *Ibidem. n. 3.* c *Opusculo, ad quid venisti. cap. 11.* d *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 7. n. 18.* e *Ibidem n. 19. & 20.*

idem ignis consumens, & eadem claritas, eadem potentia, eadem sapientia, eadem majestas, eadem æternitas. Est itaque Filius à Patre, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Est utique splendor paternæ gloriæ. Hinc & Apostolus ait: *Qui cùm sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus*, haud dubium quin Patris: splendet ergo æquè Filius ut Pater, imò idem splendor Filius qui Pater. Sufficiuntne ista tibi testimonia de claritate Filii? Aut fortassè dices te magis desiderare, te delectari claritate ejus, prout Deus est & homo? Nec in hac parte ipsius opitulante gratia deerunt testimonia. Primò te monitum esse volo, ne æstimes offuscatam Verbi claritatem, per assumptam in Deo humanitatem. Audi quid scriptum est: Deus assumpsit humana, non reliquit divina: assumpsit quod non erat, manens quod erat. Sicut autem (f) cogitatio vestit sibi vocem corpoream absque sui diminutione, vel ante vocem, vel post vocem: sic Filius Dei assumpsit carnem, non commixtionem passus neque diminutionem, nec ante carnem, neque post carnem. Apud Patrem invisibilis, sed hîc manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ: & quod erat ab initio, vidimus oculis nostris. Angelus (g) ad Mariam ait: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Cujus dicti intelligentia hæc est: Spiritus Sanctus operabitur in te incarnationem Verbi incarnandi, separando à carne tua portiunculam quæ animabitur, & Divinæ essentiæ in unitate personæ copulabitur. Verùm dicet aliquis: Quænam causa fuit obumbrationis Altissimi Virtutis? Hæc nimirùm præcipua fuit. Caro Virginis nisi quadam latente operatione obumbrata fuisset, splendorem tantæ majestatis sine sui consumptione nequaquam ferre potuisset. Unde Dominus ad Moysen ait: *Non videbit me homo super terram, & vivet*. Ac si diceret: Tantæ sum in natura divina claritatis, ut homo constitutus in mortali carne videre me nequaquam poterit absque sui consumptione. Inde est, quòd cùm Moyses in multa constantia Domino supplicaret, dicens: *Domine, ostende teipsum mihi*: Dominus ait, *Sta in foramine petræ, & cùm pertransiero, videbis posteriora mea: faciem autē meā videre non poteris*. Hoc ait, per faciem designans divinitatem, per posteriora humanitatem: quam tamen Moyses corporali intuitu non vidit, sed posteris videndam reliquit. Exemplariter quidem cognoscitur, quando gloriosa Caro Christi, quæ in Altari conficitur, & fidelibus in viaticum distribuitur, igne divini ardoris clarificatur. Sicut enim clarissima purpura candidissam lanam inficit, & totam in sui colorem transire cogit: & quemadmodùm anima totum corpus animat, vegetat, & vivificat: & sicut ignis ferrum transverberans ignitum reddit, candorem suum & calorem conferens, ipsum scintillare, flammescere, & urere contra naturam suam facit: Sic Deus hominem sibi unitum deificat, & supra omnem creaturam exaltatum puritatis omnipotentiâ & Deitatis prærogativâ secum clarificat. Filius de seipso testimonium perhibet dicens: *Ego lux veni in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem*. Et iterùm ait: *Ego sum lux mundi*. Joannes idipsum expressè loquitur inquiens: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Ad Patrem quidem ante passionem orans, locutus est Filius dicens: *Clarifica me Pater apud temetipsum claritate, quam habui priusquàm mundus fieret*. Cui Pater: *Et clarificavi, & clarificabo*. Quid clarius? quid manifestius? quid evidentius?

§. II.

Porrò [h] ex Evangelio collige claritatem, quam nunc habet Deus homo secundùm hominem clarificatus: qui appropinquante tempore, quo transiturus erat de hoc mundo ad Patrem, assumpsit Petrum & Joannem & Jacobum, & ascendit super montem Thabor, & transfiguratus est ante eos, & splendida facta est facies ejus sicut Sol, & vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix: qualia fullo non potest facere super terram. Et apparentibus Moyse & Elia, cùm intuerentur claritatem vultus ejus, ferre fulgorem non poterant, sed timentes valdè, & consternati animis, quasi exanimes lapsi sunt super terram. Si igitur tanti jubaris, tam radiosi splendoris, humanis obtutibus tam importabilis claritas apparere dignatus est, Corpore adhuc mortalitati obnoxio, & membris nondum corruptionis exutis: quantam claritatem credere inesse debemus Filio Dei in forma hominis assumpti jam glorificati, jam super Cælos cælorum exaltati, jam habenti nomen quod est supra omne nomen, ita ut in nomine ejus omne genu flectatur cælestium, & terrestrium, & infernorum: jam constituto in die Virtutis suæ, in splendoribus Sanctorum? Ubi Pater jucunditatem & exultationem thesaurizans ait: *Ante luciferum genui te*. Ibi revera lucet in die Virtutis suæ, in die æternitatis suæ. Hanc nimirùm diem nulla nox interpolat (i) nulla interrumpit obscuritas, nulla caligo sequestrat. Ibi circūdatur abysso luminis, ibi immēsum pelagus claritatis. Ibi ipse Christus tanquam Sol refulget in clypeos aureos, & resplendent montes ab eo: ibi illustrantur ab eo Sancti. Unde Propheta David ait: *Illuminans tu mirabiliter à montibus sanctis*. Et rursùm scriptum est: In circuitu tuo Domine lumen est, quod nunquam deficiet, ibi requiescunt Sanctorum animæ. Et iterùm: Sanctum est verum lumen & admirabile ministrans lucem his, qui permanserunt in agone certaminis, recipiunt à Christo splendorem sempiternum, in quo assiduè felices lætantur. Ecce quàm vera, quàm consona testimonia de illa beata & ineffabili claritate, in qua Christus est, imò quæ Christus est, quæ nequit minui, augeri non potest: quia immensa, quia æterna est, quia superat omnem sensum, quia omnem cogitatum excedit, omnem æstimationem supergreditur. Et homo accedit ad cor altum, & incomprehensibiliter in sua claritate exaltabitur Deus. Semper eadem manet claritas, in nullo accessu assumit augmentum, & in nullo decessu patitur detrimentum. Non decrevit per assumptum hominem: non magis excelluit in Deo per glorificatum hominem. Et hoc manifestat Propheta David dicens: *Tu autem idem ipse es & anni tui non deficient*. Abacuc quoque Propheta intuens hanc lucem, ait: *Splendor ejus ut lux erit, cornua in*

f *Ser. in fer. 4. hebd. sanct. n. 13.* g *Ser. de 3. præcip. myst. cap. 7. n. 22.*

h *Ibidem n. 21.* i *Ibidem n. 22.*

manibus ejus : ibi abscondita est fortitudo ejus. Apertè designans, quòd etiam, cùm manus ejus Cruci affixæ fuissent, licet ipse Sol radios suos obumbrasset ne Christum morientem in Cruce viderent, lux Deitatis non minùs in Christo enituit: unde præmisit, *Splendor ejus ut lux erit*. Manet igitur (k) claritas Verbi incarnati in homine glorificato: persistit in isto ad dexteram Patris collocato, non tempore decrescit, nec tempore minuitur, nullo eventu obscuratur: splendet æquè cùm est in Altari, ut in sublimitate Cæli: non minùs radiat cùm est in manibus Sacerdotis, quàm in sinu Dei Patris. Porrò (l) potesne æstimare quale vel quantum est hoc Sanctum Sanctorum, & Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum? Hæc sunt verè festa Paschalia: hæc sunt gaudia & fercula vitalia justorum: hæc sunt spirituales deliciæ justorum & sanctorum. Hìc bibuntur in loco uberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cælestis. Hìc efficitur vna caro sponsa cum Sponso, unus spiritus sancta anima cum Christo. Experientia horum & similium, spiritus & vita est: nec animalis homo horum sensu fruitur vel accessu. Amici Sponsi, id est, boni Episcopi, Abbates, & cæteri timorati & Religiosi viri gustaverunt, & plenissimè experti sunt quod nos dicimus. Ideoquè ad mensam Altaris frequentiùs accedunt, omni tempore candida facientes vestimenta sua (idest corpora) prout possunt meliùs, utpote Deum suum manu & ore contrectaturi, & colloquentem sibiipsis audituri. Ibi enim celebratur familiare colloquium inter Deum & Moysen amicum suum, idest bonum & fidelem ministrum. Magnum profectò (m) & valdè necessarium est humilitatis exemplum, magnum & omni acceptione dignum charitatis exemplum: sed non habent fundamentum, ac proinde nec statum, si desit redemptio. Volo totis nisibus humilem sequi Jesum: cupio eum qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, quibusdam brachiis vicariæ dilectionis amplecti: sed oportet me & Agnum manducare Paschalem. Nisi enim manducavero Carnem ejus, & bibero ejus Sanguinem, non habebo vitam in memetipso. Aliud est sequi Jesum, aliud tenere, aliud & manducare. Sequi, salubre consilium: tenere & amplecti, solenne gaudium: manducare, vita beata. Caro enim ejus verè est cibus, & Sanguis ejus verè est potus. Panis est Dei, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Super omnia (n) Caro Domini verè est cibus, & cibus vitæ, panis de cælo viuus. Panis iste Eucharistia: (o) quoniam panis, inquit, quem ego do, Caro mea est pro mundi vita. Hostia quam vides (p) jam non est panis, sed Caro Christi, quæ pependit in Cruce pro mundi vita. Sanè mutatio ista benedictionis opus est, non originis. Virtus hoc facit, non usus: effectus est potentiæ, non usus naturæ: dignatio est, non ratio: misericordia est, non miseria. Non commune, sed solùm Divinum est, non humanum: pietatis Sacramentum est, non Deitatis detrimentum. Hìc pereat physicale nutrimentum. Cibus iste non est ventris, sed mentis. Non est enim datus ad ruinas hujus vitæ, quæ vapor est ad modicum parens: sed ad æternam vitam animæ conficiendam. Iste est panis Angelorum, qui nescit putrescere, non vadit in secessum, nec tendit in excessum. Illuc reducit hominem, unde traxit imaginem. *Caro* autem *mea verè est cibus*. Similiter liquor iste quem vides, jam non est vinum, sed Sanguis meus, quem pro te fudi in precium: tibi reservans in Altari poculum, in peregrinatione tua præsidium, in exitu de Ægypto conductum, in cælo viaticum. Ego botrus carnis, pro salute tua portatus sum ad torcalar Crucis: inde liquatum mustum tuæ redemptionis. *Sanguis* autem *meus verè est potus*. Bethleem domum panis (q) Juda sonat confessionem. Tu ergo si Divini Verbi pabulo repleas animam tuam, fideliterquè & si non dignâ certè quantâ potes devotione suscipias panem illum, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo, Dominicum videlicet Corpus Jesu, ut veterem utrem corporis tui nova illa resurrectionis Caro reficiat & sustineat, quatenus nouum quod intus est vinum, hoc solidatus glutino, valeat continere. Si denique ex fide vivas, & nequaquam gemere oporteat quia oblitus sis comedere panem tuum, Bethleem factus es dignus planè susceptione Dominica, si tamen Confessio non defuerit. Sit proinde Judæa sanctificatio tua: confessionem & decorem induere, quam maximè stolam in ministris suis Christus acceptat. Salubre est ei sæpè communicare (r) qui omni devotione & studio virtutum, & custodia sui non solùm à magnis peccatis, sed etiam à levitate verborum & operum & cogitationum, se ad hoc studet aptare. Licet enim omni tempore debeamus esse solliciti ad spiritualia opera: convenit tamen maximè, ut ad susceptionem tanti Sacramenti nos præparemus, & susceptum reverenter custodiamus.

§. III.

Apparatus *mensæ Dominicæ* (s) non hominis est, sed fidei: non facinoris, sed mysterii: non temporalis alimenti, sed æterni. Qui est auctor muneris, ipse est testis veritatis. *Altare* cui assistis, Crucem, quam pro te Christus sustinuit, repræsentat: & *Calix* sepulchrum, in quo mortuus quievit: *Paterna* lapidem superpositum: *Corporale* sudarium: *Substratoria* corporalis, linteamina quibus involutus fuit. *Hostia* quam vides, jam non est panis, sed caro illa quæ pependit in Cruce pro mundi vita. Et quanquam panis mysteria habet, mutatur tamen in Carnem. Deus & homo est, qui testatur panem veraciter fieri Carnem suam. Vas electionis est, qui minatur judicium non dijudicandi tam sanctam Carnem. Idipsum, ô Christiane, de vino sentias, id honores in vino. Creator vini est, qui vinum provehit in Sanguinem Christi. Doctor Gentium est, cujus assertione mortem bibit, bibens indignè Sanguinem Christi. Et sciendum est, (t) quòd aqua mixta cum vino, notat unionem membrorum cum Capite suo. *Aquæ* enim *multæ, populi multi*. Tres autem portiones, quæ in Altari fiunt de Corpore Christi, mysticam significationem habent. Est enim

k *Ibidem n.13.* l *Ser. de excell. SS. Sacr. n. 10.* m *Tract. de error. Abæl. lar. cap. 9. num. 25.* n *Ser. 3. in Dom. Pal. n. 4.* o *Ser. 1. in Dom. 6. post. Pent. n. 4.* p *Ser. de excell. SS. Sacram. n. 11.*

q *Ser. 1. in vig. nat. Dom. num. 6.* r *Opusc. ad quid venisti cap. 11.* s *Ser. de excell. SS. Sacr. n. 11. & 12.* t *Ibid. n. 13.*

enim Corpus Christi universa Ecclesia, Caput scilicet cum mẽbris: & inveniuntur in Corpore isto quasi tres partes, ex quibus totum corpus constat. *Una* pars ipsũ caput. Caput enim & caput est, & pars corporis similiter. Itaq; caput ipsum pars corporis una est. Caput, inquam, quod jam immortale & impassibile resurrexit, non moriturum neque passurum ampliùs. *Altera* pars Corporis est in membris illis, quæ jam cum Capite suo quasi in sabbatho quiescunt in anima: immortalitatis unam stolam possidentes quantùm ad Animas in cælo. De talibus dicitur: *Gaudent in cælis animæ Sanctorum*. Sunt igitur duæ partes istæ simul, caput scilicet, idest Christus: & altera pars corporis, id est, boni defuncti, quorum corpora requiescunt in sepulchris, & animæ cum Christo sunt. Propterea in Altari duæ partes reservantur extra Calicem, quasi extra passionem: quia beati jam nullum sentiunt dolorem, quoniam hæc priora transierunt. *Tertia* portio, quam in Sanguinem ponimus, illam partem Ecclesiæ significat, quæ calicem Domini bibit, id est Christi passionem imitatur. Cui in Apostolis à Domino dictum est: *In me pacem habeatis: in mundo pressuram habebitis*. Audi etiam (u) quid Sacerdos in consecratione corporis Christi dicat: *Rogamus*, inquit, *hanc oblationem fieri benedictam*, per quam nos benedicamur. *Adscriptam*, per quam nos omnes in cælo conscribamur. *Ratam*, per quam in visceribus Christi censeamur: *Rationabilem*, per quam à bestiali sensu exuamur. *Acceptabilemquè facere digneris*, quatenus & nos per hoc quod in nobis displicemus, acceptabiles in ejus unico Filio Jesu Christo simus. Porrò mira sunt (x) quæ de hoc Sacramento Eucharistiæ dicuntur. Fides est necessaria: scientia rationis supervacua. Scientia ratione & intellectu colligitur: fides sola auctoritate inducitur. Augustinus contra Felicianum ait: Hoc fides credat, intelligentia non requirat, ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare. Hæc sunt, Fratres, quæ fidem necessariò exigunt, rationem omninò non admittunt. Expetunt simplicem creditorem, arguunt impium discussorem. Et ideo credi oportet simpliciter, quod investigari non potest utiliter. Hic est ille torrens, quem transuadere non potuit Helisæus. Nolite itaque nolite quærere quomodò fiat, nolite dubitare, utrum fiat. Nolite irreverenter accedere, ne vobis ad mortem fiat. Deus enim est: & quanquam panis mysteria habet, mutatur tamen in Carnem. Odor (y) species, sapor & pondus remanent ad mysterii ritum, & ad gustûs suffragium, ut horror penitùs tollatur, & meritum sortiatur. Etenim, ne humana infirmitas esum carnis & potum sanguinis in sumptione horreret, Christus velari & palliari illa duo voluit speciebus panis & vini, quæ inter humani generis victualia quodammodò tenent principatum. Nam ad literam quidem præ cibis omnibus cor hominis confirmat panis, & vinum lætificat. Sic itaque Corpus & Sanguinem suum sumenda proposuit Christus, ut sensus in uno foveretur, in altero fides ædificaretur. Fovetur enim sensus in uno, dum solita tantùm & consueta prospicit: ædificatur fides in altero, dum oculo carnis vidente aliud exteriùs, oculus cordis aliud sentit & reveretur interiùs. Aliud enim latet, aliud patet. *Posuit* enim *tenebras latibulum suum*. Quemadmodùm enim species illic videntur, quarum res vel substantiæ ibi esse non creduntur: sic res veraciter & substantialiter creditur, cujus species non cernitur. Videntur quidem species panis & vini, sed substantia panis & vini non creditur. Creditur autem substantia Corporis & Sanguinis Christi: & tamen species non cernitur. Proponitur igitur species panis & vini, ut doceatur & perfecta esse refectio in sumptione Corporis & Sanguinis Christi, & plena refectio cibi & potus. Cibi utique & potus substantiæ principales sunt panis & vinum. Cùm autem unum sit Sacramentum, tria ibi discreta proponuntur, scilicet species visibilis, veritas Corporis, & virtus gratiæ spiritualis. Aliud est *species visibilis*, quæ visibiliter cernitur: aliud *veritas Corporis*, quæ sub visibili specie invisibiliter creditur: atque aliud *gratia spiritualis*, quæ cum Corpore & Sanguine visibiliter & spiritualiter percipitur à solis dignè communicantibus. Tria quippe in Sacramento Altaris attendere debes: speciem panis, veritatem Carnis, virtutem gratiæ spiritualis. Usque ad speciem panis sensus pertingit exterior: ad veritatem Carnis fides interior: ad virtutem gratiæ spiritualis charitas superior. Speciem panis rodit aliquando sorex parvissimus: Christianus recipit etiam pessimus: virtutem gratiæ spiritualis nonnisi prædestinatus recipit. Quod itaque videmus, species est panis & vini. Quod autem sub specie illa credimus, verum Corpus est & verus Christi Sanguis, quod pependit in Cruce, & qui fluxit de latere. Comestio itaque Sacramentalis quantùm ad visibilem speciem, & quantùm ad Corporis Christi veritatem, convenit bonis & malis communiter. Sed est alia comestio (sicut jam diximus) bonorum solummodò, quam per Dei gratiam & per fidem ex dilectione operantem vitæ meritum efficit, & affectus mentium in cordibus percipientium vel ministrantium, intercedente spirituali & subtiliori quadam unione Capitis & membrorum. Unde est illud in Canone Missæ: *Ut nobis fiat Corpus & Sanguis Filii tui*. Nobis, inquit, fiat. Fit enim proculdubio Corpus Domini in mensa Altaris semper, cùm solemne illud celebratur mysterium ritu debito; sed non semper eis fit, per quos fit. Unde illud item in Canone: *Ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacramentum Filii tui sumpserimus, omni benedictione cælesti & gratia repleamur*. Non enim omnes qui Corpus Domini sumunt, ex participatione Altaris spiritualiter illa benedictione cælesti & gratia replentur. Unde est illud: *Ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur*. Item: *Ut quæ visibilibus mysteriis sumenda percipimus, invisibili consequamur effectu*. Et multa in hunc modum. Ad Missam quoque libenter servias (z) quoniam hoc est officium Angelorum. Ipsi enim devotissimè Domino serviunt & ministrant. In hoc autem ministerio triplex est fructus. *Primò*, boni operis exercitium est. *Secundò*, opus est charitatis, quia proximum provocat in bono. *Tertiò*, opus est devotionis,

u *Tract. de modo benè vivend. cap. 28. n. 87.* x *Ser. de excellent. SS. Sacramenti n. 12.* y *Ibidem n. 14. & 15.*

z *Opusc. Ad quid venisti cap. 11. tom. 6. pag. 1049.*

nis, quando astas ante mensam summi Regis, & cum eo loqueris in oratione, & in ministerio cum Angelis, quibus & familior eris ex ministerio. Ex hoc Sacerdos specialiter, & omnes circumstantes generaliter pro te orare debent, imò tota Ecclesia ubique in orbe terrarum: eò quòd vices omnium geras, qui Domino suo de cælo cum devotissima gratiarum actione vehementi ministrare deberent, si possent adesse. Et vix potest esse, quin Deus aliqua speciali gratia remuneret eum in præsenti, qui devotè & libenter ministrat ad Sacramentum illud tam salutare: quo nil melius, nilquè sanctius esse potest in cælo & in terra, & quodammodò divinæ dignitatis est, & dilectionis ad homines.

CAPUT VIII.

De dignitate Sacerdotis, & excellentia Sacrificij Missæ

Sacerdotes Domini incensum & panes offerunt Deo: & ideò sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus. Levit. 21.

1. *Ostenditur quanta sit dignitas Sacerdotis, & excellentia Sacrificij Missæ, cui Sancta Trinitas cum sua curia Angelica assistere non dubitatur.* 2. *Ostenditur, potestatem Sacerdotis majorem esse, quàm sit dignitas Angelorum, juxta eorum novem ordines: quorum etiam vocabula exponuntur.* 3. *Ostenditur quanta debeat esse sanctitas Sacerdotis, qui, intendens celebrare Missam, tenetur priùs reconciliari non solùm Deo, sed etiam proximo si quem offendit.* 4. *Agitur de dispositione sive præparatione Sacerdotis, ut valeat dignè accedere ad celebrandum Missæ Sacrificium.*

§. I.

GLoriare (a) sed in Domino Sacerdos Dei Altissimi: dignitatem tuam considera, intuere mortalibus oculis eminentiam, cogita prærogativam tuam, vide sortem tuam. Certè *funes ceciderunt tibi in præclaris*, si hæreditatem tuam præclaram non negligis? Attende quantùm Deus tuus te extulit, quantùm præ omnibus creaturis sublimavit. O præclara (b) ô reverenda potestas vestra! Certè non est potestas post Deum, sicut potestas vestra. Forsitan scire vultis, & audire delectat apertiùs, quænam sit ista tanta potestas, cui nihil in cælo vel in terra valeat comparari? Ad quod ego: Consecrare videlicet Corpus & Sanguinem Domini. Super potestate vestra, super tam insigni spectaculo, super tam solemni dignitatis vestræ privilegio stupet Cælum, miratur terra, contremiscit homo, reveretur plurimùm Angelica celsitudo. Porrò maximè considerate (c) qui in circuitu Domini estis, & in conspectu ejus affertis munera & offertis, non curruptibilium auri & argenti, sed pretiosi Sanguinis & Corporis Agni immaculati: quantam dignitatem contulit vobis Deus? Quanta est prærogativa Ordinis vestri? Prætulit vos Deus Regibus, & Imperatoribus: prætulit Ordinem vestrum omnibus ordinibus, imò (ut altiùs loquar) prætulit vos Deus Angelis & Archangelis, Thronis & Dominationibus. Sicut enim non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit ad faciendam redemptionem: sic non Angelis, sed hominibus, solisquè Sacerdotibus Dominici Corporis & Sanguinis commisit consecrationem. *Omnes* quidem (sicut ait Apostolus) *sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*. Sed longè excellentius est officium vestrum, quod admirabile est, & non solùm in oculis vestris, sed etiam Angelorum. Nec dulciùs, nec amicabiliùs (d) sed nec arctiùs omninò Regnum Sacerdotiumquè conjungi seu cõplantari in invicem potuerunt, quàm ut in persona Domini ambo hæc pariter convenirent, utpote qui factus est nobis ex utraque Tribu secundùm carnem Summus & Sacerdos & Rex. Non solùm autem, sed & commiscuit ea nihilominùs ac confæderavit in suo corpore, quod est populus Christianus. Ipse Caput illius, ita ut hoc genus hominum (Apostolica voce) *genus electum, regale Sacerdotium* appelletur. O genus Ecclesiasticum, regale Sacerdotium (e) gens sancta, populus acquisitionis, Virtutes annuntiate ejus, qui vos vocavit de tenebris in admirabile lumen suum, & ineffabile ministerium suum. *Vos estis lux mundi: vos estis sal terræ*. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi. O novam (f) & divinam potestatem Sacerdotis! cujus ministerio panis Angelorum & vitæ, mortalibus præparatur. In cujus confectione (g) fidelis Minister invenit seipsum in medio Patris & Filii & Spiritus Sancti, astantibus etiam ex omni latere supernis Ordinibus Angelorum. Sacramentum prænobile, mysterium superexcellentis gloriæ affectat & requirit plurimùm festivam celebritatem tam illustrium personarum. Quidquid de ascensu Sacerdotis in illa hora seu profectu cogitari potest vel dici, longè infra dignitatem veritatis est. Ibi deliciatur animus boni Sacerdotis seipso altior effectus, conatur, festinat, ascendit, crescit desiderio: & quantò magis sursùm tollitur, tantò ampliùs extenuat, ita ut omnem terrenæ concupiscentiæ nebulam evaporans, totus spiritualis hominem in homine exurat, & in abscondito faciei Domini glorietur. Nec enim ab introitu propitiatorii in Sancta Sanctorum mens pia thurificans, & devotio sacrificans prohibetur. Sed rari sunt, quos ad profunditatis hujus cardines puritas admittat, quos hujusmodi culmen Sanctitatis integritas rapiendo sustolat. Videt itaque minister sanctus (h) & sentit *Deum Patrem* spiritualiter, qui Pater est omnium per creationem, suum specialiùs Patrem esse per dignationem, quia ipse Pater est omnium pupillorum per gratiam: quibus videlicet mortuus est pater nequam, idest, mundus, & mortua est mater pessima, id est, carnalis concupiscentia. Videt quoque & sentit *Filium Dei*, Fratrem suum amantissimum esse, qui parvulus pro nobis factus, Frater revera est parvulorum, idest humilium. *Narrabo* (inquit) *nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te*.

a *Tract. de 2. præcip. myst. cap. 8. n. 24.* b *Ser. de excell. Sanctissimi Sacram. n. 3.* c *Ser. ad Pastores in Synodo congregatos n. 1. to n. 6. pag. 819.*

d *Epist. 243. n. 1.* e *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 9. n. 28.* f *Ser. de excell. Sanctissimi Sacramenti n. 3.* g *Ibidem n. 8.* h *Ibidem n. 9.*

bo te. Videt & sentit *Spiritum Sanctum* à Patre & Filio procedentem, domesticum sibi esse fautorem, suum: quia ipse consolator est verè pœnitentium, advocatus in se sperantium. Videt iterùm & sentit *Angelicos Spiritus* profectibus suis applaudentes, & ut concivis ipsorum adscribi mereatur, ardentiùs inhiantes. Omnia in figura contingebant antiquis, patribus (i) hîc veritas, ibi figura: ibi umbra, hîc lux: ibi nubes, hîc claritas: ibi agnus legalis, hîc Agnus innocens, qui tollit peccata mundi. Verus est enim Filius Dei, quem tu Sacerdos immolas, quem manibus tractas, quem ore sumis, quem in corpus tuum transmittis. Sed non sola ad te venit illa Majestas: venit ad te Filus, sed non sine Patre. *Qui me misit*, inquit, *mecum est, & non me reliquit solum.* Venit ad te Filius, sed non sine Spiritu Sancto. Quid enim ait Joannes: *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris ascendentem Spiritum, & manentem super eum, ipse est Christus*? Super alios descendit Spiritus Sanctus, sed non semper manet: super Christum verò semper mansurus descendit. Adest nihilominus totus supernorum exercitus Civium: *Millia* (inquit Scriptura) *millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*. Semper enim Angeli licet sint administratorii Spiritus, & in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, vident tamen faciem Patris, semper assistunt vultui majestatis, in quem desiderant prospicere, fruuntur nec fastidiunt, qui eo magis frui sitiunt. Quanta luce credis te circumfundi sancte Sacerdos, in præsentia tantæ Majestatis, in tam solemni adventu & conventu Trinitatis, & totius militiæ Cælestis? Quantam æstimas claritatem ad esse & inesse toti Curiæ Cælesti? Tantam nimirùm quantam ferre non posses, nisi virtus Altissimi tuæ infirmitati ad ferendum obumbraret. Unde (k) Dominus ad Moysem ait: *Non videbit me homo super terram, & vivet*. Ac si diceret: Tantæ sum in natura Divina claritatis, ut homo constitutus in mortali carne videre me nequaquam poterit absque sui consumptione.

§. II.

Attende igitur, ut prædixi, (l) & semper in mente habe: jugi memoria retine gratiam tibi singulariter à Deo collatam, quam nec Angelis præstitit, nec cæteris hominibus concessit. Panis enim in manibus tuis, in Corpus Unigeniti Filij Dei transsubstantiatur: vinum in sanctissimum Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi tua benedictione convertitur. Multùm ardent *Seraphim* (m) Sanctæ Trinitati præ cæteris cunctis Spiritibus loco & charitate conjuncti; unde & ardentes sive incendentes Seraphim interpretantur. Unusquisque enim ordo ejus rei censetur nomine, quam copiosiùs accepit in munere: non tamen hoc privilegio præeminent, ut Corpus vel Sanguinem Redemptoris nostri in subjecta creatura sanctificent. *Cherubim*, quibus inest plenitudo scientiæ, quod etiam testantur nomine: quia familiariùs omnibus cognoscunt, de Mysteriis cælestibus mirantur, quòd mirabilis facta est scientia & potentia Sacerdotalis, ex eis; & non possunt ad eam *Throni*, qui tantæ dignitatis sunt, ut in eis Dominus sedeat, & per eos sua judicia decernat; non hoc prævalent, quo Sacerdotes præeminent. *Dominationes*, licet dominium super cæteros à Domino acceperint: *Principatus*, quamvis principetur aliis sibi subjectis: *Potestates*, cùm potentatûs sublimitate præemineant: *Virtutes cælorum*, cùm potestates aëreas virtute coërciant, ne omnem nequitiam suam in genus humanum exerceant: *Archangeli*, cùm summa mysteria Divinæ voluntatis inferioribus Spiritibus nunciare habeant, & eosdem inferiores Spiritus ex authoritate ad homines mittant: *Angeli*, licet semper videant faciem Patris qui in cælis est: Hi inquam omnes sancti beatorum Spirituum ordines, quamvis perfruantur beatitudine, ut nihil eis desit à summa felicitate: gloriam tamen Sacerdotis reverentur, admirantur dignitatem, cedunt privilegio, honorant potentiam. Proinde (n) attende Sacerdos Dei Altissimi, quantùm Deus tuus te extulit, quantùm præ omnibus creaturis te sublimavit. Oratio tua munda sit, quia datur locus voci tuæ in Cælo, cùm ritè assistis sacris Altaribus, cùm sanctissimum mysterium cælestis Sacrificij celebrare intendis. Ad vocem tuam prolatam, ad verbum tuum vivificum, ad postulationẽ tuam salutarem, Summus Pater cujus nutu omnia subsistunt, quem indesinenter laudant Angeli, cui jubilant astra matutina, quem adorant dominationes, quem tremunt Potestates, qui respicit terram & facit eam tremere, qui fecit mirabilia magna solus: Ipse, inquam, tantus tam immensus, dulcissimum Filium suum deponit, & manibus tuis imponit; transmittit ab altissimis, & digitis tuis imponit. Ibi holocaustum tuum pingue fit, plùs quàm in millibus agnorum & arietum pinguium. Ibi enim (o) celebratur familiare colloquium inter Deum & Moysen amicum suum, idest bonum & fidelem ministrum. Cæterùm sermo ille non est sonans, sed penetrans: non loquax, sed efficax: non obstrepens auribus, sed blandiens affectibus. Sermo ille non est popularis, sed angularis & privatus: non sonat in foro, non auditur in publico: secretum consilium secretum quærit amicum. Auditui proculdubio gaudium dabit et lætitiam, si sobria cordis aure percipitur. *Audi* (inquit Dominus) *Israël, & tace.* Respondit fidelis amicus & fidelis seruus piæ familiaritatis ausu, non tamen vocali plausu, sed suavi planctu, dicens cum Samuële: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus*. Et cum Propheta: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Certè ibi loquitur Christus cum ministro suo. Proinde (p) ibi holocaustum tuum pingue fit, plus quàm in millibus agnorum & arietum pinguium. Multùm quidem acceptum fuit munus Abel, sed non ita. Multùm placuit sacrificium Abrahæ Patriarchæ, sed non adeò. Multùm approbata fuit oblatio Melchisedech, sed multominùs isto. Denique quid ait Propheta? *Sacrificium & oblationem noluisti: holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi: Ecce venio*. Dixit ille, qui non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel

in

i *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 8. n. 25.* k *Ibidem cap. 7. n. 22.* l *ibidem cap. 9. n. 26.* m *ibidem n. 27.* n *ibidem cap. 8. n. 24.* o *Ser. de excell. SS. Sacramenti n. 10. & 11.* p *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 8. n. 24. & 25.*

in sancta, æterna redemptione inventa. Hoc itaque Sacramentum (q) ab æterno repositum, diabolo celatum, Prophetis revelatum, sollicitudini vestræ Sacerdotali creditum, debita est gratiarum actione prosequendum. O sacrum, ô cæleste ministerium vestrum, laudabile desiderium, insigne spectaculum, solemne miraculum! Deus, qui mirabilis est in omnibus, seipso certè mirabilior quantùm ad vos ostenditur, dum mirabiliora per vos operatur. Quid plura? Sacerdotes Dei benedicite Domino, digna Deo satagentes, ne vobis fiat in ruinam, quod dignè sumentibus provisum est ad medelam. Sacerdotes Dei non immeritò vos dixerim, si vixeritis sacerdotaliter in domo Domini. Non enim provenit dignitas ex hoc nomine, quod est *Sacerdos*. Non, inquam, ex nomine, sed ex virtute; conversatione, non officio; merito, non vocabulo; sanctitate, non ministerio. Unde Scriptura dicit: *Sacerdotales viros quærimus, qui plures habemus Sacerdotes*. Plures, inquam, numero, non merito; simulatione, non fide; specie, non virtute; commixtione corporali, non vinculo spirituali; carnis adjunctione, non cordis unitate. Sunt enim lotis manibus, tamen illotis operibus: cruentâ conscientiâ ad divina accedunt Sacrificia. Comedunt sine timore & sine reverentia Carnes Agni, qui præsidet in cælo, sicut carnes quæ venduntur in foro. Nam sicut Sacerdotes assistunt in Altario, sic sunt carnifices in macello. Grave igitur pondus, grave est periculum istius honoris. Gradus quippe iste gradus casualis est, gradus judicialis est, nisi meritis illustretur dignitas unctionis, nobilitate morum, exercitatione virtutum, & instantiâ bonorum operum. Etsi rectè sapiens hortatur (r) sapientiam scribi in ocio: cavendum & in ocio ocium est. Fugienda proinde ociositas, mater nugarum, noverca virtutum. Inter sæculares nugæ, nugæ sunt: in ore Sacerdotis, blaphemiæ. Interdum tamen si incidant, ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Magis interveniendum cautè & prudenter nugacitati. Prorumpendum sanè in serium quid, quod nonmodò utiliter sed & libenter audiant, & supersedeant ociosis. Consecrasti os tuum Evangelio: talibus jam nugis os aperire illicitum, assuescere sacrilegium est. *Labia Sacerdotis* (ait Propheta Malachias) *custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore ejus*: non nugas profectò, vel fabulas. Verbum scurrile, quod faceti urbanivè nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore: procul & ab aure relegandum. Fædè ad cachinnos moveris, fædiùs moves. Porrò detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim. Fodite igitur charissimi (s) domesticos parietes, idest, ponite corda vestra super vias vestras: satagite quantùm potestis redimere citò in quibus offendistis. Dies enim Domini sicut fur ità veniet. Sicut enim nihil certius morte, ita horâ mortis nihil incertius: quod ut dignum est pensate, & ad pensandum circumspectiùs invigilate. Deo quidem erit ad gloriam, Angelis ad lætitiam, subditis vestris odor ad vitam, vobis autem ad coronã. In quo Christus & Christos suos exaudire dignetur, ministrando auxilium gratiæ suæ.

§. III.

Denique meditare dilecte Dei Sacerdos (t) & meditatio cordis tui semper sit, quòd Joannes Baptista præcursor Domini, amicus Sponsi, Paranymphus sponsæ, Propheta, & plusquàm Propheta in utero sanctificatus, in eremo justificatus: Hic tantus, tam præcipui meriti, tam singulariter sanctificatus contremiscit, & non audet tangere sanctum Dei verticem, sed clamat cum tremore: *Sanctifica me Salvator*. Meditare, quòd Petrus clavicularius regni cælorum, à Domino designatus Pastor ovium, trina dilectionis confessione constitutus, & Princeps Apostolorum præfiguratus, in periculo mortis, naufragio incumbente, positus penes Dominum approximare pertimuit: & se elongare ab eo præ formidine voluit, dicens: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*. Joannes ille electus & prædilectus discipulus, qui supra pectus Domini in cæna recubuit, cui adhuc in mortali carne constituto revelata sunt secreta cælestia: ipse supra modum gloriatus est de solo auditu & visu extrinseco, de tactu Dominici corporis, dicens: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ*. Si ergo isti gloriosi Principes terræ, curiæ cælestis Proceres eximii, tantùm reverebantur forinsecùs tactum Dominici Corporis, nondum in gloria ad cælos translati: quantâ reverentiâ, quanto timore & tremore, quanta corporis castitate, & animi puritate oportet Sacerdotẽ nunc illud gloriosum & in claritate paternæ gloriæ sublimatũ super omnia Corpus conficere, tangere, & in corpus proprium traiicere. Quapropter (u) si offers munus tuum ad Altare quicunque sacerdos, si disponis illud venerabile & ineffabile Mysterium celebrare, & recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid adversùm te: Ille magnus Frater, qui Filius Dei est per naturam, & nobis potestatem dedit filios Dei fieri, & fratres suos per gratiam: qui nos dignitatus est vocare fratres suos per Prophetam dicens: *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. Et rursùm post Resurrectionem: *Ite, nunciate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt*. Si, inquam, ille Frater habet aliquid adversùm te, si offendisti in illam Majestatem cogitatu, dicto, vel facto: si candorem innocentiæ tuæ aliquâ maculâ offuscasti, si conscientiam habes vel valdè ægram, vel minùs benè sanatam: relinque ibi munus tuum, differ Mysterium, & vade priùs reconciliari Fratri tuo, per devotam cordis contritionem, per puram oris Confessionem, per duram corporis in pænitentia attritionem, & condignam satisfactionem. Lava per singulas noctes lectum tuum, per singula peccata munda conscientiam tuam. Ascende tribunal conscientiæ tuæ, sedeas in loco judicis, teipsum condemna, & reum constitue. Accedat memoria peccati accusatrix, actio sit testis, consensus & delectatio aggrauet peccatum sive reatum. Omnia accusent, nihil te excuset, veniat timor carnifex & tortor reum cruciet, sanguinem cordis, scilicet lachrymas fundat: & sic per judicium proprium evades divini judicii supplicium, juxta illud

q *Ser. de excell. Sanctissimi Sacramen. n.* 16. r *Lib.* 2. *de consid. ad Eug. PP.* 111. *Cap.* 13. *n.* 22. s *Ser. de excellent. Sanctissimi Sacramenti. n.* 16.

t *Tract. de* 3. *præcip. myst. cap.* 10. *n.* 30. u *Ibidem n.* 31.

illud Apostoli: *Quòd si nosmetipsos dij judicaremus, non utique à Domino judicaremur*. Et tunc veniens offeres munus tuum, & placebit Deo super vitulum cornua producentem & ungulas. Frustra quoque offert munus suum ad Altare (x) qui conscius est sibi, quòd frater suus habet aliquid adversùm se. Denique non respexit Deus adCain munera, eò quòd non rectè ambularet cum fratre suo Abel. Teste Sancto Propheta Eseja, etiam abominabatur Sabbatha & neomenias & sacrificia Judæorum, ita ut manifestè protestaretur odisse ea Animam suam, & dicebat: *Cùm veneritis ante conspectum meum, quis quæsivit ea de manibus vestris?* Crede mihi [y] quia Deo non tantùm placent jejunia nostra, nostræ orationes, nostra sacrificia; quantùm concordia. Ideò Dominus dicit in Evangelio: *Vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum*. Magna est virtus concordiæ apud Deum, sine qua non placent Deo nostra sacrificia, quibus delentur peccata. Nunquam mihi contingat [z] turbatum ad pacis accedere Sacrificium, cum ira & disceptatione contingere Sacramentum, in quo Deus indubitanter est mundum reconcilians sibi. Certè non recipitur munus quodcunque meum quod defero ad Altare, nisi ante placato fratre quem me fortè læsisse meminero: quantò minùs si meipsum non pacavero priùs. Si autem & tu recordatus fueris [a] quòd frater tuus habet aliquid adversùm te, sis humilis ad veniam petendam: si tu habes adversùs illum, sis facilis ad dandam, & omnia membra erunt in pace. Si enim ad duo ista charitatem & humilitatem erimus paratissimi, non poterimus dissensionem sentire. Studeamus itaque, fratres mei, [b] & humiles ad satisfaciendum his, qui aliquid habent adversùs nos; & ad remittendum his qui offenderunt nos, faciles inveniri: quia non solùm mutuæ inter nos pacis conservatio constat in his duobus, sed ne ipsa quoque divina sine his propitiatio poterit obtineri; quòd nec munus ab eo recipiat, qui non priùs ierit ut fratri reconcilietur, & dimissum etiam ab eo delictum strictiùs exigat, qui conservo suo debitum non remittit.

§. IV.

Rogo insuper [c] ut audias prudentiam serpentis. Serpens enim cùm cœperit ire ad bibendum, antequã veniat ad fontem, evomit omne venenum. Imitare & tu hunc serpentem in hac parte, ut antequam venias ad fontem, idest, communionem Corporis & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi, evomas omne venenum, scilicet odium, iram, malitiam, invidiam, voluntatem malam, & noxias cogitationes ex corde tuo. Dimitte etiam omnibus proximis tuis ea quæ in te peccavère, ut tibi dimittantur à Deo peccata tua, sicut ipse Dominus ait: *Dimittite, & dimittetur vobis*. Itaque si hæc omnia feceris sicut dixi, poteris accedere ad fontem vivum, idest ad Christum, qui est fons omnium bonorum. Ipse etiam ait de seipso: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi*. De hoc pane dicit David in Psalmo: *Panem Angelorum manducavit homo*. Alioquin esca illa licet de cælo venerit, & potus quia corporeus erat, Angelis non congruebat, sed utique ille panis & potus qui per hoc præfigabatur. Christus verò panis est Angelorum, & Sacramentum hoc verè Caro ejus est, & verus Sanguis: quod Sacramentum spiritualiter manducat & bibit homo. Ac per hoc unde vivunt Angeli in cælis, inde vivit homo in terris: quia totum spirituale est & divinum in eo quod percipit homo. Sed sicut Apostolus ait: *Quidam in deserto eandem escam spiritualem manducavère, & tamen mortui sunt*: Ita & nunc in Ecclesia quibusdam Corpus Domini est vita, quibusdam verò est pœna, & supplicium peccati. Corpus Domini sine dubio est vita illis, quibus Christus est Vita: illis verò est mors, qui per culpam & ignorantiam atque negligentiam membra sunt diaboli. Curritur passim ad Sacros Ordines [d] & reverenda ipsis quoque Spiritibus Angelicis ministeria homines apprehendunt sine reverentia, sine consideratione. Neque enim signum regni accipere cælestis, aut illius timent imperii gestare coronam, in quibus avaritia regnat, ambitio imperat, dominatur superbia; sed & iniquitas, luxuria etiam principatur: in quibus & pessima fortè appareat intra parietes abominatio, si juxta Ezechielis prophetiam parietem fodiamus, ut in domo Dei videamus horrendum. Siquidem post fornicationes, post adulteria, post incestus, nec ipsæ quidem apud aliquos ignominiæ passiones & turpitudinis opera desunt. Utinam non fierent quæ usque adeo non conveniunt, ut nec Apostolum hæc scribere, nec nos dicere oporteret: ut nec dicentibus crederetur, quòd humanum aliquando occupaverit animum tam abominanda cupido. Numquid non olim civitates illæ [e] spurcitiæ hujus matres divino prædamnatæ judicio & incendio sunt deletæ? Numquid non gehennalis flamma moram non sustinens, execrabilem illam prævenit tollere nationem, quòd ipsius specialiter essent peccata manifesta præcedentia ad judicium? Numquid non & ipsam utpote consciam tantę confusionis tellurem absumpsit ignis, sulphur, & spiritus procellarum? Numquid non in lacum horribilem solum omne redactum est? Amputata sunt hydræ capita quinque, sed heu innumera surrexerunt! Quis reædificavit urbes flagitii? quis turpidinis mænia dilatavit? quis extendit propagines virulentas? Væ væ, inimicus hominum sulphureii illius incendii reliquias infelices circumquaque dispersit, exacrabili illo cinere Ecclesiæ corpus aspersit, & ipsorum quoque ministrorum ejus nonnullos sanie fœdissima spurcissimaquè respersit. Heu genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus aquisitionis! quis inter tua illa primordia tam divina, ac spiritualibus affluentem charismatibus Christianæ religionis ortum, credere posset posse talia in te aliquando reperiri? Ingrediuntur [f] cum hac macula tabernaculum Dei viventis, inhabitant cum macula, templum sanctum Domini polluentes: judicium multiplex accepturi, quòd & tam gravissimas conscientias gerunt, & nihilominus sese ingerunt in Sanctuarium Dei. *Quicunque (g) manducaverit panem vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*:

O idest,

x Ser. 71. in cant. nu. 14. y Tract. de modo bene viven. cap. 41. nu. 102. z Tract. de præcep. et dispensat. cap. 19. n. 57. a Ser. 19. div. n. 5. b Ser. 18. div. nu. 5. c Lib. de modo bene viven. cap. 28. nu. 86.

d Tract. de convers. ad Cleric. cap. 20. num. 35. e Ibidem. n. 30. f Ibidem n. 37. g Lib. de modo bene viven. cap. 28. n. 85.

idest, peccatum & maculam contrahet sibi. Quare? Quia ad bonum malè accedit. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, ait Apostolus. Ac si diceret: Unusquisque consideret vitam suam, & emundet cor suum ab omni malitia, ut dignè possit accedere ad tam magnum Sacramentum. *Quicunque enim Corpus & Sanguinem Domini manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit*, scilicet causam suæ damnationis. Unde etiam Beatus Isidorus ait: Qui in Ecclesia sceleratè vivunt, & communicare non desinunt, putantes se tali communione à peccatis posse mundari; sciant hi tales ad emundationem sibi non proficere, dicente Hieremia Propheta: *Quid est quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas?* Qui ergo Corpus Christi vult accipere, priùs studeat in Christi fide & dilectione manere. Hinc est quod ait Dominus in Evangelio: *Qui manducat carnem meam, in me manet, & ego in eo.* Ac si dicerit: Ille in me manet, qui bonis operibus voluntatem meam adimplet. Alioquin nisi priùs maneat in me per fidem & bonam operationem, & ego in eo: Carnem meam manducare non potest, nec Sanguinem bibere. Quid est ergo quod manducant homines? Ecce omnes frequenter Sacramentum Altaris percipiunt planè, sed alius Carnem Christi spiritualiter manducat & Sanguinem bibit, alius verò non; sed tantùm Sacramentum, idest, Corpus Christi sub Sacramento, & non rem Sacramenti. Sacramentum hoc dicitur Corpus Christi proprium de Virgine natum: res verò spiritualis, Christi charitas. Bonus igitur accipit Sacramentum, & rem Sacramenti: malus verò quia manducat indignè (sicut Apostolus ait) *judicium sibi manducat & bibit*, non probans se priùs, nec dijudicans Corpus Domini. Ergo quid manducat peccator & quid bibit? Non utique Carnem & Sanguinem spiritualiter ad suam salutem, sed judicium ad suam damnationem, licet videatur cum cæteris Sacramentum Altaris percipere. Itaque alius accipit Corpus Domini ad salutem, alius verò ad damnationem. Ille, qui cum Juda traditore Corpus Domini accipit, cum Juda condemnatur: qui cum Petro & cæteris fidelibus devotè ac fideliter illud sumit, sine dubio cum Petro & cæteris Apostolis in Corpore Christi sanctificatur. Audi etiam verba Beati Augustini: Qui casto corpore & mundo corde cum pura conscientia atque devota mente ad istam Altaris communionem venit, ad illud Altare qui est Christus in cælis, ante oculos Dei felici transmigratione perveniet. Ut (h) quemadmodùm Dominus dicit: Ubi ipse est, ibi sit & minister suus. Fatigavimus vos prolixitate sermonis, & detinuimus ultra quàm oporteret. Ex hoc jam finem loquacitati nostræ, quē non imperat verecūdia, videtur imperare vel hora. Mementote tamen Pauli Apostoli, quem aliquando verbum prædicationis usque in mediam noctem legitis protraxisse. *Utinam adhuc* (ut ipsius verbis utar) *sustineatis modicum quid insipientiæ meæ. Æmulor enim vos Dei æmulatione.*

b *Tract. de convers. ad Cleric. cap. 18. n. 31. & 32.*

CAPUT IX.

De Sermone Christi, quem habuit ad Discipulos suos post institutionem Sacramenti Eucharistiæ, exhortando illos ad mutuam dilectionem servandam.

Mandatum nouum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. *Joan.* 13.

1. *Christus in ultima Cœna post institutionem Eucharistiæ fecit testamentum, relinquens Discipulis suis nouum mandatum dilectionis, ut invicem diligerent se.* 2. *Christus exhortatus est Discipulos ut ipsum diligerent, præceptaque & sermones suos observarent: & promisit se missurum eis alium Paracletum à Patre.* 3. *Expenduntur verba Christi, quonam sensu sermonem suum dixerit non esse suum.* 4. *Agitur de vera & falsa dilectione proximi, nec non de elogiis charitatis.*

§. I.

Postquam (a) ante passionem affectuosiùs paterfamilias refectionem suis curavit domesticis exhibere: & in hoc quoque apparvit benignitas & humanitas Salvatoris. Cùm enim dilexisset suos, in finem dilexit eos, & dicebat: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Oportebat enim. Expetierat eos Satanas ut cribraret sicut triticum: opus erat prævenire refectionem. Denique qui refecti paulominùs defecerunt, quid jejuni fecissent? Hinc fuit quòd nonmodò corpora, sed etiam corda refecit, & ea quàm maximè. Neque enim corporalis passio, sed tentatio spiritualis instabat, quòd singulariter ille futurus esset donec transiret. Opportunè autem [b] & utique more suo, post exemplum operis, exhortationem sermonis adjunxit. Inter loquendum quoque (nam copiosissimus extitit sermo de resurrectione sua, de adventu Paracleti, de discipulorum confirmatione, & aliquando assumptione ad seipsum) multis eos promissionibus propter instantem maximè passionem resovere & resocillare curavit. Postmodùm (c) Discipulis suis ait: *Filioli adhuc modicùm vobiscum sum.* Filios appellat, quos præ mentis teneritudine adhuc plenariè robur fidei non solidabat. Nam qui consueverant vivere lacte, nondum erant idonei ad vescendum solido pane. Et ideo filioli quia parvuli, & tanquam parvuli in Christo lacte pascebantur, non escâ. Noverant Christum secundùm humanitatem, sed caligine mentis abducti, Christi vacillantes tenebant Divinitatem. Possumus etiam dicere [d] quòd præ amoris magnitudine Discipulos suos filios appellaverit, quos iturus ad Patrem non minimo charitatis affectu dilexit. Multùm eos diligebat, quos jam filios appellabat. Qui ait: *Modicum tempus vobiscum sum.* Hoc est modicum illud tempus, quo in hac carne mortali vobiscum sum, & præsentem cernere me potestis. Sed tollam Crucis patibulum, citò solvam mortis imperium

a *Ser. 3. in Dom. Pal. n. 3.* b *Ibidem n. 4.* c *Ser. 4. in ult. cœna n. 28. tom. 6. pag. 666.* d *Ibid. n. 29.*

rium. Citò veniet tempus & hora, quâ jam non pro homine videar reputari: sed ero tanquam opprobrium hominum, & abjectio plebis. Tunc quæretis me, cupietis me sequi; sed timore mortis percussi, nondum ex alto virtute induti, animam vestram pro me ponere non poteritis. Et hoc est quod dicitur: *Quò ego vado, nondum potestis me sequi*. Et est sensus: Vado ad Patrem, sed per foramen acûs, per angustias passionis, per dolores mortis. Sed non potestis me modò sequi, quia pavidi & timidi, veluti hædi in lacte matris ad immolandum nondum idonei: sed veniet tempus & hora, quibus penitùs timore expulso, non solùm crucis supplicium, sed quod nequius poterit excogitari tormentum, amore mei eritis subire parati. Denique ait: (e) *Mandatum nouum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Qui mandatum Domini non ignorat, necesse est, ut secundùm illud vivere non negligat. Nam servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis. Qui autem fecerit, divitiis & honoribus ditabitur multis: juxta quod Dominus omnium ait discipulis suis: *Beati eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*. Dulcis Dominus dulce mandatum proposuit. Ait enim: *Mandatum nouum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Mandatum nobis proponit amoris, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo. O bonum mandatum, mandatum dulce, mandatum delectabile, mandatum vitæ, mandatum salutis æternæ. In isto mandato omnis lex pendet & Prophetæ. Hoc est illud unum mandatum, de quo dictum est: *Qui omnia mandata servaverit, offendat autē in vno*, idest, in charitate, *factus est omnium reus*. Unde Apostolus enumeratis gradibus quibusdam virtutum, de charitate protinùs addit dicens: *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Hæc est illa preciosa *margarita*, quam dum invenit sponsa dilecti, dedit omnia sua, & comparavit eam, Hæc est illa *Scala* quæ in somnis Jacob apparvit, quam usque ad cælum tendi videbat: per quam quidā descendebāt, & quidā ascendebant. Per hanc enim & Angeli descēdebāt, & nos ascendimus ad Angelos, quia sine hac scala nullus scandere potest ad cælestia regna. Et in ipso nixu scalæ ipse Dominus Angelorum inventus est qui dicit: *Mandatum nouum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Iste inquam Dominus, qui dat præceptum fratrem amandi, qui & à servis suis ex omni corde vult amari: nec est magnum, si tantùm diligit servus Dominum, quantùm Dominus servum. Immo magis à servo Dominus debet amari: cùm non illi servus, sed servo Dominus valeat suffragari. Servus qui ex toto corde diligit Dominum suū, illius tota virtute satagit observare præceptū. Et cujus præceptū despicitur, restat proculdubio ut ipse auctor præcepti negligatur. Nā qui non diligit proximum in veritate, despicit Christi mandatum: & qui Christi mandatum despicit, despicit & Christum auctorem mandati. Nos ergo, dilectissimi Fratres (f) & Christum diligamus, & ejus præcepta servemus. Præceptum Domini lucidum, oculos mentis illuminans. Dulciora sunt Christi præcepta super mel & fauum: & in custodientis illis retributio multa, ipse Dominus Christus. Igitur mi lector regulam præcepti serva, & securus expecta ipsum pro præmio auctorem habere mandati: bonū mandatum, unde tantum & tale provenit præmium. Istud, inquam, mandatum à nobis irrefragabiliter debet observari, cùm exinde Dominum Christum non dubitamus nos promereri. Hoc est illud mandatum, quod iturus ad Patrem reliquit discipulis suis: imò istud est testamentum, quod moriturus dimisit hæredibus suis. Ait enim discipulis suis: *Mandatum nouum do vobis*. Unde *nouum*? Nuper inventum, non quia in veteri testamento non sit scriptum: *Diliges Dominum Deum tuum*? Quid est ergo *nouum*? Nouum, quia vetera ad novitatem perducit, & veteres homines transformat in juvenes. *Nouum*, quia exvit veterem hominem & induit nouum, qui secundum Deum creatus est in sanctitate & justitia veritatis. *Nouum*, quia olim genus humanum à paradisi gaudiis expulsum, nunc & quotidie transmittit in Cælum. Sed quoniam multi se diligunt ea dilectione, quæ tramite veritatis non gaudet, ideo adjunctum est, *sicut dilexi vos*. Sed quis unquam hominum potuit (g) vel poterit tale observare mandatum? quis unquam sic dilexit proximos, sicut Christus Apostolos? Nullus unquam. Unde notandum est, quia dictio, *sicut*, non est expressiva quantitatis, sed similitudinis. Et est sensus: Quomodo dilexi vos, eo modo diligite vos invicem. Sed fortasse dicit aliquis: De hac dilectione vacillo, & quomodo diligensit proximus, minùs perfectè intelligo: mori quidem non possum pro fratre, sicut Christus Dominus volvit mori pro nostra salute. Ad quem ego superiùs dixi, quòd dictio, *sicut*, non est expressiva quantitatis, sed qualitatis. Si non potes æquè ambulare cum Christo; saltem à longè imitare vestigia ejus. Si non vales diligere proximum tuum plusquàm teipsum, quod Christus fecit moriendo pro salute generis humani: saltem dilige eum tanquam teipsum, hoc faciendo illi quod ab eo tibi vis fieri. Sed dices fortè: Nec hoc possum, cùm id non imperandi, sed consulendi modo dictum sit. Si hoc observare non potes, vide ne facias alteri, quod tibi non vis fieri. Sic enim diligendus est proximus, ut in illo semper diligatur Deus. Si sic diligis proximum, complesti mandatum: sic enim debet diligi proximus, ut amoris causa sit semper Deus, non autem proximus. Si enim tantùm propter seipsum diligitur, jam non erit charitas, sed amor medius, qui nec charitati connectitur, nec amore cænoso fædatur: vel fortè quod absit, amor pessimus; & qui tali amore cæcantur, nisi pænituerint, Christi amore æternaliter privabuntur.

§. II.

Porrò (h) Christus ad Discipulos ait: *Si diligitis me, mandata mea servate*. Ex isto capitulo solo coniicere possumus, utrum verè diligamus Deum. Illum in veritate diligimus, si ejus mandata servamus. Et si ejus non servamus mandatum, certè non diligimus eum: non potest ex una parte diligi, & ex altera parte contemni. Ipse enim dicit: *Qui*

O 2 *non*

e Ser. 5. in ult. cæna n. 31. f Ibidem n. 32.

g Ibidem n. 33. & 34. h Ser. 8. in ult. cæna n. 51. et 52.

non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Ille cum Domino habitare meretur, qui pro ſuo poſſe ejus mandata ſervare conatur. Fruſtra enim ſe cum Domino habitare dicit, qui ejus mandata ſervare contemnit. Probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Hoc enim eſt quod Dominus dicit: *Si in veritate diligitis me, mandata mea ſervabitis*. Ac ſi dicat: Ad hoc ut perfectè vos me cognoſcam diligere, mea mandata ſervate, & ego rogabo Patrem: hîc enim monet diligere, mandata ſervare, ut accipiant Spiritum Sanctum, quem niſi habeant, non poſſunt diligere, nec mandata ſervare. Unde ſequitur: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*. Rogat homo, quod Deus dat: ipſe pro nobis rogat, qui nobis rogata dat. Deus ipſe pro nobis rogat ſecundùm quod homo, quando nos facit ſe rogare Deum. Tunc enim Patrem rogat pro nobis, cùm nos illum rogamus, unum cum Patre Deum eſſe credentes. Quod verò ſequitur: *Et alium Paracletum dabit vobis*, hoc eſt alium quantùm in perſona, non quantùm in natura vel in eſſentia, dabit vobis: non quòd ipſi non haberent; ſed quia habebant minus & occultè, & accepturi erant amplius & manifeſtè. *Ut maneat vobiſcum*: hoc eſt, ut vos illuſtret & doceat prædicare regnum Dei & evangelizare, & vos credere faciat me eſſe Patri æqualem, quem nunc creditis eſſe minorem. Maneat etiam vobiſcum in æternum, ut ad videndendum æterni luminis claritatem introducat: & me eſſe unum Deum cum Patre & eodem Paracleto ſicut citò creditis, facie ad faciem contemplari poſſitis. Porrò ipſum audite: (i) *Si quis diligit me*, inquit, *ſermones meos ſervabit*. Sed quid eſt, ſi quis diligit me, ſermones meos ſervabit? Legi enim alibi: *Qui timet Deum, facit bona*: ſed plus aliquid dictum ſentio de diligente, quia ſermones Dei ſervabit. *Ubi ergo ſervandi ſunt*? Haud dubium quin in corde, ſicut ait Propheta: *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi*. Sed quomodo in corde ſervandi? An ſufficit ſolâ eos ſervare memoriâ? At verò ſic ſervanti dicet Apoſtolus: *Quoniam ſcientia inflat*. Denique, & memoriam facilè delet oblivio. Sic ſerva ſermonem Dei, quomodo meliùs ſervare potes cibum corporis tui. Nam & ſermo Dei panis vivus eſt, & cibus mentis. Panis terrenus dum in arca eſt, poteſt à fure tolli, poteſt à mure corrodi, poteſt vetuſtate corrumpi. Ubi verò comederis illum, quid horum timeas? Hoc modo cuſtodi verbum Dei. Beati enim qui cuſtodiunt illud. Ergo traiiciatur in viſcera quædam animæ tuæ, tranſeat in affectiones tuas, & in mores tuos. Comede verbum, & delectabitur ingraſſitudine anima tua. Non obliviſcaris comedere panem tuum, ne exareſcat cor tuum, ſed adipe & pinguedine repleatur anima tua. Si ſic verbum Dei ſervaveris, haud dubium quin ab eo ſerveris. Habeamus dilectiſſimi (k) noſtri Redemptoris dilectionem. In hoc cognoſcitur amator Chriſti, ſi ſervat præcepta Chriſti. Unde ſequitur: *Qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt qui diligit me*. Qui habet in memoria & ſervat in vita: qui habet faciendo, & ſervat perſeverando: Vel qui habet in ſermonibus, & ſervat in moribus: vel habet audiendo, & ſervat faciendo: *Ille eſt, qui diligit me*. Multi ſunt enim qui Domini mandata habent, & ea minimè tenent. Multi habent in libro, ſed ea non tenent in animo: multi in voce, ſed non in opere: multi in memoria, ſed non in vita: multi in verbo, ſed non in exemplo. Iſti profectò non ſunt de dilectoribus Chriſti. Iſti, inquam, plagis vapulabunt multis. Iſtis erit fletus & ſtridor dentium, ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars pænæ eorum cum diabolo & Angelis ejus. Sed diligentibus Chriſtum magnum erit gaudium, magnum erit tripudium, magna exultatio, magna gloriatio. Sequitur enim: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum*. Quid tibi videtur amator Chriſti de præmio amoris tui? Quid tibi mali poterit nocere, aut quid tibi boni poterit deeſſe: ſi ille te diligit qui de nihilo cuncta creavit? O nimis fœlix & ultrà quàm dici poteſt beatus, quem piè diligit Deus Pater, & Filius ejus cum Spiritu Chriſti & Dei. Quid, inquam, felicius, quid beatius, quàm ab eo diligi qui eſt Dominus paradiſi, qui habet poteſtatem vitæ & mortis: damnare & ſalvare, damnare quos odit, ſalvare quos diligit? Sed ò Domine Jeſu, quid facies dilectoribus tuis? Dic rogo quid facies? Sic dic ut audiam: nam & ego ſum licet peccator, qui diligo te. Quod erit præmium tuæ dilectionis, quiſvè fructus tui amoris? dic & lætifica animam meam de præmio. Qui te diligit ex toto corde ſuo illud attendit, illud expectat: pro eo quòd tantùm differtur, gemit & quandoque plorat. Quod eſt illud, dic ut fratres audiant & intelligant, intelligant & quærant, quærant & inveniant, inveniant & accipiant, accipiant & teneant, teneant & ament, ament quantùm poſſunt. Quid dabis dilectoribus tuis? quid manifeſtabis illis? *Manifeſtabo eis meipſum*, ait. Ubi ſunt qui gemūt, ubi ſunt qui lugent pro dilectione regni æterni, pro abſentia Chriſti? Gaudeant & exultent, quia Jeſus manifeſtabit ſe illis. Dilectori utiq; ſuo (l) manifeſtabit ſeipſum. O ſummum gaudium, ò ſumma lætitia! Quid dulcius, quid glorioſius, quid beatius, quàm illum videre facie ad faciem? cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur: quem ſancti Angeli vident, & videre deſiderant ſemper, & nunquam de ejus viſione ſatiantur: qui eſt decor cæli, dulcedo paradiſi, fides viventium, ſpes morientium, & ſalus omnium Jeſus Chriſtus Dominus noſter.

§. III.

Sequitur: (m) *Dicit ei Judas, non ille Iſcariotes: Domine, quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo?* Audito, quòd mundus non videbit eum, ſed potiùs ipſi videbunt: pro omnibus quæſiturus quærit Judas cauſam hujus diſcretionis. Hæc eſt autem cauſa ex Domini reſponſione: dilectio, per quam ſolam diſcernitur gens ſancta à non ſancta. Et quòd cauſa ſit dilectio, probatur in cuſtodia ſermonum, ſicut dicit Dominus: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*. In hoc enim probatur dilectio Dei, ſcilicet in obſervatione & cuſtodia mandatorum Chriſti: quia probatio dilectionis, exhibitio eſt operis. Fruſtra enim ſe Deum dili-

i *Ser. 5. de Adven. Domini nu. 2. & 3.* k *Ser. 9. in ultim. Cœna nu. 57. et 58.*

l *Ibidem nu. 59.* m *Ibidem nu 60*

diligere dicit, qui mandatis ejus suis operibus contradicit: imò illum habet odio, qui ejus non obsecundat mandato. Ille tantùm diligit Christum, qui pro suo posse ipsius satagit obseruare mandatum. Quod verò sequitur: (n) *Et sermonem quem audistis non est meus*, sic est intelligendum. Sermo quem audistis, non est meus: & est ibi quædam figura quæ dicitur *Antiptosis*, quando casus ponitur pro casu. Rogo te, ne te moveat, ne te conturbet (qui totam spem tuam ponis in Dominum Jesum Christum, & ex toto corde diligis illum, credens illum esse verum Deum cum Patre & Spiritu Sancto) illud quod dicit *Sermonem quem audistis, non est meus, sed Patris*: quia ego non sum à me, sed à Patre. Sum Deus de Deo, lumen de lumine, Filius de Patre. Unus sum cum illo in essentia, in majestate, in divinitate, in virtute, in potentia, in creatione rerum: non posterior vel prior, non major nec minor, sed omninò illi æqualis. Alius sum in persona, non alius in natura: nam alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti. Verba quæ ego loquor vobis, Patris mei sunt, quia ipse me misit: & ego sum ab ipso, & verba mea sunt ab ipso. Vel aliter: *Sermo quem audistis non est meus*, id est, non est assumpti hominis, sed Dei assumentis: non est filij hominis, sed est Filij Dei: non est meus secundùm quod natus sum ex Virgine, sed est meus secundùm quod sum genitus à Deo Patre. Non est meus in eo quòd Filius Virginis, sed est meus in eo quòd sum Filius Dei Patris. Superiùs dixit: *Qui non diligit me, sermones meos non servat*: hìc autem dicit, *Sermonem quem audistis, non est meus*. Superiùs dixit, *Sermones meos*: nunc autem dicit, *Sermonem quem audistis non est meus*. Valdè contraria sunt, *est, & non est: sunt, & non sunt: est meus, & non est meus: sunt mei, & non sunt mei*. Et tamen sicut Veritas loquitur, ita est. Sunt sui, inquantùm Creator, non inquantùm creatura: inquantùm Deus, non inquantùm homo. Sunt sui, *quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Non sunt sui, sed Patris, *quia factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*. Vel fortè hoc dicit (o) ut Discipuli eius qui nondùm in illum perfectè credebant, firmiùs sua præcepta tenerent, & obnixiùs observarent: dùm scirent illa præcepta esse Dei Patris factoris & creatoris cunctorum. Majoris enim sublimitatis, majoris excellentiæ & dignitatis semper videtur Pater esse quàm Filius. Hoc enim dico in humanitate, nō in Divinitate: quia in divinitate Filius Patri est æqualis; nō eo posterior, non eo minor: æqualis Patri secūdùm divinitatem, minor Patre secundū humanitatem. Ut ergo illius verba clariùs tenerent audita Discipuli sui, et eorum sequaces, dixit illa esse sui Patris. Ac si diceret: Ea quæ præcipio vobis, irrefragabiliter debent observari, nec in totum, nec in partem ratio ulla permittit convelli, quia non sunt mea, sed Patris mei: nam ego à Patre sum Filius. Unde verba mea & opera mea non sunt mea, sed Patris mei. *Pater in me manens facit opera sua*, per me dat vobis præcepta. Homo de terra terrenus trabeâ mortalitatis indutus in hac valle lachrymarum, à gaudiis paradisi expulsus Deum loquentem non merebatur audire in hoc ærumnoso exilio, cujus præcepta contempsit adhuc positus in paradiso: & quæ via sibi remansisset redeundi ad patriam, nec miser jam excogitare valebat. Sed illius misertus Dominus suus, quærere venit errantem, consolari dolentem, sanare infirmum, relevare dejectum, patriam restituere exuli, & mortuo vitam sine fine mensuram. Unde venit Verbum in carnem, Deus ad hominem, & Verbum factum est caro, & Deus factus est homo. Et Verbum per carnem, & Deus per hominem, ore ad os loquitur ad ipsū hominem, & secundùm hominem dat homini vitæ præceptum: ut homo homini obediat, & per ipsum hominem Deum, ad ipsum Deum hominem redeat, à quo scilicet Deo miser per inobedientiam recesserat. Unde Deus homo apud homines manens mortalis, mortalibus dat vitæ mandatum: ut immortales per ipsum jam facti, cum ipso immortali æternaliter vivere possint beati. Unde rectè sequitur: (p) *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur*. Ac si diceret: Ideò præcipio vobis, & moneo vos mea observare præcepta, & manere in dilectione mea, ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium meum de vobis adimpleatur: ut habeam de vobis per mutuam charitatem, quam mihi impenditis, unde possim gaudere, & illud gaudium quod in retributione præmiorum electi sunt percepturi, percipere & possidere possitis. Igitur, fratres charissimi, maneat in vobis gaudium Christi, sive sit actiuum sive passiuum, sive sit diligentis sive dilecti: idest, sive sit gaudium quo Christus gaudet de nobis, sive sit gaudium quo nos gaudemus de Christo. Christi observemus præcepta, ut ipse gaudere possit de nobis, & nos de ipso gaudere possimus. Maneat in nobis gaudium beatitudinis ejus, non solùm quâ beat vel beatificat de seipso gaudentes; sed etiam quâ clarificatus est à Patre, ut nos cum illo in æternitate mereamur regnare. Denique hoc est illud præceptum (q) quod Jesus præcepit, quod statuit Discipulis suis, præceptum scilicet charitatis, præceptum dilectionis, quod sic habet: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos*. Dulcis & suavis Dominus, dulce & suave mandatum proponit. Dulce & suave illud esse videtur, quod præcipit dilectio & allicit amor. Nam nulla ibi apparet difficultas, ubi est charitas: nullus ibi labor est, ubi verus amor est. Cuncti amori libenter obediunt, & ejus jugo colla submittunt; perversi perverso, lubrici lubrico, sancti sancto, casti casto, quilibet in desiderio suo. Ideo Dominus dat præceptum amoris, præceptum dilectionis, ut suo præcepto omnes obediant, & cervicem superbiæ suæ, sub jugo suæ humilitatis edomare festinent. Igitur fratres mei, tanquam boni discipuli Christi ad audiendum estote parati, & præceptum Christi quod Euangelica tuba vobis intonat, libenter accipite, & efficaciter in omnibus & per omnia adimplete: ut ad illum possitis per amorem redire, à quo per tumorem superbiæ recessistis. Nunc etiam intendat charitas vestra (r) quid vobis præcipiat charitas vera, charitas exquisita, charitas inaudita, charitas pia, charitas bona, charitas tota dulcis, tota delectabi-

n *Ibidem nu.* 64. o *Ibidem. nu.* 65.

p *Ser.* 13. *in ult. Cœna nu.* 106. q *Ser.* 14. *in ult. Cœna nu.* 108. r *Ibidem nu.* 109.

ctabilis : charitas Sponsus speciosus, decorus, candidus, rubicundus, electus ex millibus, Christus futuri sæculi Judex, Princeps pacis, & Dominus vitæ. Ait Dominus Jesus per omnia tempora benedictus : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos*. Leve præceptum, suave præceptum, & dulce præceptum. Ad portandum leve, ad amplectendum suave, ad tenendum dulce & delectabile. Quid levius, quid suavius, quid dulcius, quàm diligere? Hoc potest omnis homo sanus & æger, dives & pauper, stultus & sapiens, nobilis & ignobilis, seruus & liber. Nemo se excuset, nemo se in hac parte apologizet. Cuilibet homini est possibilitas ista communis, amare videlicet. Sequitur igitur ex præcepto Dominico, ut nos invicem diligere debeamus.

§. IV.

Sed quoniam multi se diligunt (s) non ea dilectione quæ charitas est, sed ea quæ in Dominum est blasphemia, ut ea quæ fit pro pelle ad pellem, quæ concipit dolorem, & parit iniquitatem, ut cæca libido, prostibulosa cupido, quæ aculeum suum sic ad impetiginem calcaribus malitiæ & nequitiæ ire compellit, ut baratrum inferni in quo est, prævidere & evitare non possit: adjunctum est, *sicut dilexi vos*. Quomodo Christus nos dilexit, jam supra scriptum reliquimus. Sed ut teipsum ad istud cognoscendum, reducam ad teipsum : noverit dilectio tua, quòd Caro Christi & Sanguis, qui in Altari à Fidelibus sumitur & immolatur, tibi testimonium perhibet quomodo nos dilexerit Christus. Ideo noscat dilectio tua, quòd utilitati proximorum utilitas propria quandoque est postponenda. Sed si aliam dilectionem Christi adhuc requiris, etiam in bonis temporalibus tibi ab ipso collatis poteris invenire. Unde notandum est, duas esse Christi dilectiones, unam temporalem, alteram spiritualem : unam communem, aliam specialem. *Primam* scilicet *temporalem* communiter justis & impiis pietas Creatoris adhibuit : *alteram* scilicet *spiritualem* vel specialem, piè & justè viventibus tantùm attribuit. Hæc scilicet specialis dilectio in bifariam spargitur. Alia est de collatione virtutum, alia de retributione meritorum. Alia est, quà nos virtutibus contra tela hostis nequissimi roborat : alia est, quâ nos de nostro tyranno legitimè triumphantes gloriâ perpetuâ ditat. Has duas dilectiones nobis ipsa pia Christi dilectio dedit, quâ dilexit nos, & lavit ab omni inquinamento carnis & spiritûs in Sanguine suo. Sicut igitur nos (t) Christus duplici amore dilexit, ita nos bina charitate flagrare præcepit, scilicet dilectione sui, & dilectione proximi. Si charitatem Deo & hominibus corde puro & conscientia bona & fide non ficta exhibemus, facilè peccato resistimus, bonis omnibus abundamus, sæculi blandimenta reiicimus : & omnia etiam quæ difficilia sunt humanæ fragilitati vel aspera, etiam cum dilectione perficimus ; si tamen Deum perfecta charitate, quæ nobis ab illo est, ex toto corde & ex tota anima diligamus. Hunc si ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, unde peccati desideriis serviamus. Et quid est Deum diligere? Illi soli occupari, animo concipere fruendæ visionis ejus affectum, habere peccati odium, mundi fastidium : diligere proximum quem in se censuit diligendum, in ipso amore servare legitimum modum, nec peruertere dilectionis ordinem constitutum. Ordinem dilectionis illi pervertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum, qui contemnendus est, diligunt : aut corpora sua minùs diligenda plùs diligunt : aut proximos suos non sicut seipsos, aut Deum plusquàm seipsos, fortè non diligunt. Corpus nostrum à nobis est diligendum, ut saluti ejus aut fragilitati consulamus : ut spiritui ordinatè serviat suis motibus, animæ & rationi in nullo contradicat : ut in die resurrectionis gloria felici perenniter cum Domino vivat. Proximos nostros tunc diligimus sicut nos (u) si non propter aliquas utilitates nostras, vel speranda beneficia vel accepta, vel propter affinitates vel consanguinitates, sed propter hoc tantùm quòd sunt nostræ naturæ participes, diligamus. Proinde secundùm hoc nos omnes proximos diligamus, quãtùm ad mores bonos, & ad vitam æternam consequendam eorum saluti sicut & nostræ pro posse consulendo, & eorum necessitatibus prout facultas suppetit subveniendo. Deum ex toto corde diligimus, si illi soli secundùm nostrum posse placere contendimus : siquidẽ ipse solus est desiderium nostrum, spes nostra, intentio nostra, totus amor noster, tota charitas nostra. Alioquin illum non perfectè diligimus, nec charitatem tenemus : & qui charitatem non habet, jam non est ejus : nec illum habebit in præmium sui laboris, qui in hac ærumnosa solitudine rectam semitam non tenuerit charitatis. Nec est inquam semita charitatis, non solùm diligentem diligere, sed etiam odientem non minùs quàm seipsum, sed sicut seipsum. Sed quoniam multi se diligunt ea dilectione (x) quæ tramite veritatis non gaudet, ideò adjunctum est: *sicut dilexi vos*. Inter amorem & charitatem talis est differentia, qualis inter genus & speciem. Est quidam amor bonus, & est quidam amor malus, & est amor mediocris. *Amor bonus* ipsa charitas est, quâ diligimus Deum supra nos, & supra omne quod est ; & proximum nostrum, tanquam nosmetipsos. *Amor malus* est charitatis inimicus, ut puta cænosus, lubricus & fornicarius. Isti amores contrariorum ut oppositorum inter se habitudinem sortiuntur : unus meritum, alius suo possessori acquirit supplicium : alius pænam, alius gloriam : alius mortem, alius vitam : alius paradisum, alius infernum : alius Deum, alius diabolum. *Amor mediocris* est, qui nec charitati connectitur, nec amore cænoso fædatur : sicut amor filiorum, parentum & cognatorum, & aliarum rerum quæ justè & sine periculo possidentur. Et ut isti amores duo ab illo amore qui est charitas excludantur, ideo Dominus addidit : *Sicut dilexi vos*. Nos ergo, fratres, (y) qui à Christo Christiani vocamur & sumus, spretis omnibus terrenis transitoriis atque caducis cum totis amatoribus cæcis, illi soli adhærere cupientes, in fraterna charitate fundemur : ut illius mereamur vocari & esse discipuli, qui Apostolis suis, & nobis per ipsos mandavit dicens : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis*,

si

s *Ibid. nu. 102.* t *Ibid. nu. 111.*

u *Ser. 15. in ult. Cœna nu. 112.* x *Ser. 5. in ult. Cœna nu. 32.* y *Ibid. nu. 35.*

si dilectionem habueritis ad invicem. In hoc enim discernuntur filii lucis à filiis tenebrarum, discipuli Christi à discipulis diaboli, si gremium charitatis invicem & ad omnes extendunt. Extra sinum amoris, nullum valet relinquere charitas. Omnia complectitur, & continet universa: atque se erogat cunctis communem. Charitas est affectio mentis, brachiis amoris Christum astringens. Charitas est amor immensus, cœlum terramque complectens. Charitas est invincibilis amor, qui nunquam minis vel suppliciis cedere novit. Charitas est indissolubile vinculum amoris & pacis. Charitas est contemptus mundi, & amor Dei. Charitas regina virtututum ad nullius vitii pavet occursum, dotata Sanguinis Christi censu: in fronte vexillum bajulans Crucis, cunctos adversarios in fugam convertit, nec est qui possit resistere viribus ejus. Si autem inter nos (z) dominabitur hæc regina virtutum, profectò cognoscent omnes pusilli & magni, quòd verè erimus discipuli Domini. Qui non habet charitatem, jam non est ejus qui dedit mandatum charitatis. Charitas est dilectio Dei & proximi. Et qui non diligit proximum, superest ut non diligat Deum: & qui non diligit, odit. Ergo qui odit fratrem suum, odit charitatis Auctorem. Nos ergo fratres, quos amor Christi congregavit in unum, ex toto corde & ex tota mente diligamus Dominum Christum, & proximum nostrum tanquam nosmetipsos: & pro illius amore non solùm amicos diligamus, sed etiam inimicos: non tantùm diligentes, sed etiam odientes. Hæc est schola Christi. Hæc est doctrina Spiritus Sancti. Si quis de hac schola exierit, & in hac doctrina non perseveraverit: mihi credite fratres, in æternum peribit. Discipulis autem Christi amatoribus charitatis, dabitur ipsa multitudo dulcedinis, divitiæ æternæ beatitudinis, gaudia æternæ felicitatis. Quæ gaudia ipse nobis largiri dignetur, qui in Trinitate perfecta regnat & vivit Deus benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT X.

De aliis Sermonibus Christi, quos habuit cum Discipulis suis, consolando eos in Cænaculo discumbentes.

1. Christus Discipulos suos ob imminentem mortem suam anxios consolatur, dicens multas esse in domo Patris sui mansiones: ad quas etiam illos assumendos esse innuit. 2. Valedicendo Discipulis suis, dedit eis pacem & osculum oris sui. Ostenditur qualem pacem tunc reliquerit eis. 3. Christus terminando sermonem suum cum Discipulis, dixit Satanam tunc comparuiße, ut in eo maculam peccati inveniret. Agitur de obedientia Christi, & voluntate moriendi.

§. I.

SEquitur. (a) *Dixit ei Simon Petrus: Domine quò vadis?* Ad hoc respondit Petrus quod Dominus superiùs dixerat: *Quò ego vado, vos non potestis venire.* Hæc verba Petrus audire non potuit sine acerbo dolore, & ideo non ad præsentia, scilicet, *Mandatum do vobis, &c.* sed ad præterita, scilicet, *Quò ego vado, vos non potestis venire*, respondit dicens: *Domine, quò vadis?* Sicut enim manus sui corporis edocta frequenter palpat dolorem, sic lingua cordis amica celare non patitur ipsius cordis amaritudinem: & quod interiùs mens concipit in dolore, lingua exteriùs parturit in apertione. Unde nonnunquam vis doloris in mente concipitur, & per palatum vocis formatæ, lingua scilicet aperitur. Ideo lingua Petri dolorem celare non poterat, quem interiùs in corde tenebat. Audito, *Quò ego vado, vos non potestis venire*, vix postea Magistrum loquentem sustinuit. Unde expleto de mutua dilectione mandato, nimio circumseptus dolore de absentia futura Domini sui, statim sermonem tantæ auctoritatis interrumpit Magistri, & totus exclamat tristis in voce dicens: *Domine, quò vadis?* Ac si diceret: Mutuam charitatem, quam nobis commendas, illæsam & incontaminatam te donante servabimus, & quidquid aliud præceperis faciemus. Sed istud verbum quod dixisti, scilicet, *Quò ego vado, vos non potestis venire*, nos magnâ replevit amaritudine. Et quò vadis? cur nos deseris? Et cui nos desolatos relinquis? Jam sine te vivere nolo. Noli me derelinquere. Noli me deserere. Ad quem (b) Dominus ait: *Quò ego vado, non potes me modò sequi: sequeris autem postea.* Et est sensus: Non te desero, non te derelinquo: ego te præcedo, de invio faciens viam, de semita strata, de timore securitatem, de morte vitam. Pavidus es, timidus es, nondum es confirmatus, me modò non potes sequi, Ego te præcedam ad opprobrium, ad patibulum: moriendo, resurgendo, ad cœlos ascendendo. Non es idoneus ad præmium, quia nondum paratus es ad patibulum: non potes me sequi Vitam, quia nondum paratus es ad mortem: *sequeris autem postea.* Mittam promissum Patris Spiritum Sanctum in vos, qui confirmabit vos, & eritis mihi testes in Hierusalem & in omni Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ: & tunc me sequi eris paratus. Cui Petrus: Quare non possum te sequi modò? Non timeo pœnam, non timeo mortem: *tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* Quid est quod dicis non possum te sequi modò? Animam meam pro te ponam. Ad quem Dominus: Animam tuam pro me pones? Falleris Petre, nondum es paratus, nondum ex alto virtute vestitus. Cùm fueris ex alto virtute vestitus, tunc animam tuam dabis in mortem. Sed nunc propè est, ut timore mortis meæ neges Vitam, & occidas animam tuam. Ut neges te meum esse discipulum, & occidas spiritum tuum; properat tempus & hora quibus me negabis, ut te salvare jam possis. *Amen amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.* Et est sensus Matthæi dicentis: *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Quæ negatio erit trina, sive ante primum cantum galli sive secundum. Quo dicto (c) timor et tremor & ingens dolor Discipulos omnes invasit. Nec mirum. Audierant quia dixerat Dominus Petro: *Antequam gallus cantet, ter me negabis:* qui

z Ibid. num. 36. a Ser. 6. in ult. Cœna. num. 37.

b Ibid. num. 38. c Ibid. num. 39.

qui omnibus erat sanctitate præstantior, amore devotior, fide robustior, qui jam confessus fuerat Jesum esse Filium Dei, dicens ad eum: *Tu es Christus Filius Dei vivi*: Et timebant nè illud idem quod Petro, sibimetipsis contingeret. Et quia tantus vir eum erat negaturus, in illo quodammodò titubabant: & quòd à mortuis tertia die resurgeret, non perfectè credebant. Necnon ideo, quia Dominum, quem in præsenti audiebant loquentem, non longè post futurum credebant moriturum. Inde mæror & luctus, vox una plangentium. Certi erant de absentia tam dulcis Magistri, de futura morte dulcissimi Domini sui: & cùm adhuc in carne viventem cernebant, & tamen illum quasi jam mortuum lugebant Tunc ad memoriam revocabant dulcissima fluenta doctrinæ, quæ ab illo acceperant: salutes, quas dederit ægris: insuper & vitam, quam reddiderat mortuis: benignissimam & dulcissimam familiaritatem, quam semper circa illos habuit. Et videntes se ab eo tam subitò deseri, tam amarissimè flebant (mihi credite fratres) ut & ipsi jam consolari non possent. Quos ut Dominus vidit amarissimè flentes (d) eos de sua morte consolari volvit: sed puto, quia non tum volvit, imò magis instigabat ad luctum, dum eis dicebat: *Non turbetur cor vestrum*. Miror si Dominus Jesus non infremuit spiritu, & non turbavit seipsum, dũ discipulis fletibus diceret: *Non turbetur cor vestrum*. Credo propter quod & loquor, ait Dominus meus Jesus flentibus discipulis suis: *Non turbetur cor vestrum: creditis in Deum, & in me credite*. Ac si diceret: Non turbemini absentiâ meâ, de morte mea. Potestatem habeo ponendi Animam meam, & iterùm sumendi. Tribus diebus mortuum jacebit Corpus in tumulo, & post tres dies resurget immortale & impassibile. Tribus diebus & tribus noctibus fuit Jonas in ventre Ceti: et filius hominis tertia die resurget à mortuis. *Non turbetur cor vestrum*. Ego qui resuscitavi Lazarum, possum resuscitare hoc Corpus meum. Ego qui resuscitavi filium viduæ, ultrà tres dies non detinebor à morte. *Creditis in Deum, & in me credite*: nolite timere pro morte carnis meæ. Ego sum Deus, qui suscitabo Carnem. Opera quæ ego feci, testimonium perhibent de me. Si creditis in Deum, sequitur ut in me credere debeatis, quia ego sum Deus. Et ne dubitarent se apud Deum in æterna vita cum Christo mansuros, sequitur & dicit: *In domo Patris mei* (e) *mansiones multæ sunt*. Et est sensus: In æterna vita vos mecum regnabitis, in qua sunt multæ mansiones, idest, multæ dignitates: quia ibi alia est claritas Solis, alia Lunæ, alia Stellarum. Domus Dei Patris, est ipsa prædestinatio & præscientia ejus. In hac domo unusquisque perfectus habet mansionem pro numerato denario, qui idem omnibus datur: qui denarius est una & non diversa in æternitate vivendi mensura. Et hoc est quod dicit: *Si quominùs dixissem vobis, quia vado parare vobis locum: et si abjero & praparavero vobis locum, iterùm veniam & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego & vos sitis*. Et est sensus: In domo Patris mei diversa sunt præmia meritorum. Et, *Si quominùs*, id est, si non essent, *dixissem vobis* hoc, scilicet, *vado parare vobis locum*. Sed quia ibi sunt præparata per prædestinationem, non est opus, ut alias illic mansiones per prædestinationẽ præparem. Et quoniã nondum sunt in operatione, addit: Sed *si abiero & praparavero vobis locum, iterùm veniam & accipiam vos ad meipsum: ut ubi sum ego & vos sitis*. Ac si diceret: In domo Patris mei habetis mansionem per prædestinationẽ: sed vado ad Patrem, & illam vobis præparabo per operationem. In domo Patris mei habetis æternã mansionem: sed jam non potestis ad illam venire, nisi per magnum laborem. In domo Patris mei mansiones habetis tantùm ex gratia Dei, & dono: sed volo ut illas jam habere debeatis ex me. A vobis recedo secundùm humanitatem. non recedens à vobis secundùm Divinitatẽ: & præparabo vobis secundùm meam humanitatem, illam ineffabilem beatitudinem, quam vobis paravi ab origine mundi secundùm Divinitatem. Illa ineffabilia gaudia vitæ perennis utcunque percipere non potestis, nisi priùs fuero Carne solutus, & iterùm eadem Carne vestitus. Ascendam in cælum, & mittam vobis Spiritum Sanctum, qui vos sic doceat operari per operationem & gratiarum actionem: quatenùs regnum æternæ felicitatis, quod vobis paratum est per prædestinationem, habere debeatis per operationem. Ego corporali præsentia vos desero [f] sed non vos præsentiâ spiritûs derelinquo. Corpus quod de terra suscepi, ad cælestia sublevo: sed per spiritum meum usque ad consummationem sæculi vobiscum manebo. Pater me misit, ut apparerem in carne visibilis: sed venit hora & tempus, ut solvam debitum mortis: & resurgens à mortuis ascendam sessurus ad dexteram Patris, nec amodò in carne mortaliter mundus me videbit. *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*, abundantiâ suæ dulcedinis vos consolabitur de absentia Carnis meæ: & erit vester magister, non foris verba perstrepens, sed intùs in corde docens. Suggeret vobis omnia, & vos docebit omnia quæcunque per illum dixero vobis. Ipse erit doctor vester, & consolatio vestra. Non poteritis dolere de absentia Carnis meæ, dum ipse Spiritus manet in cordibus vestris.

§. II.

Porrò (g) audiant me peccatorem Christi, quos audire delectat verba ejusdem Christi. Sed rogo ut se præparet ad lachrymas fundendum, qui verbis Christi jam præparat auditum. Quomodò poterit jam lachrymas continere, ubi noverit jam Christum iturum ad Patrem Discipulis suis toto charitatis amplexu pacem dedisse? Ait Dominus discipulis suis: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Dominus enim Jesus, ubi venit tempus quo per mortem disposuerat humanum genus salvare, & Animam suam dare in redemptionem pro multis, relinquere mundum & ascendere ad dexteram Patris: Discipulos suos quos corporali præsentia deserebat, toto cordis affectu intra sinum amoris non mediocriter continebat: inde velut recedens ab eis & quasi deserens illos, modis quibus poterat de absentia sua eos consolari studebat. Sed quantò magis eos consolari volebat, tantò magis illos amarissimo mærore replebat. Tunc velut ultimum vale faciens illis, eos

d Ibidem n.40. e Ibidem n.41.

f Ser.9.in ult.cæna n.65. g Ser.10.in ult.cæna n.67. et 68.

eos amplectens in totum oscula forsitan ruit. Sed quantus ibi fuerit fluvius lachrymarum, quis æstimare valebit? Cujus cor etiamsi saxeum esset, tantâ abundantiâ charitatis, in lachrymarum fontem totum non resolvisset? Ministri lachrymarum tunc erant amor & dolor. O quantus amor! o quantus dolor! Et quia multus amor, ideò multus dolor: nam cum magno dolore relinquebant, quem cum magno amore possidebant. O quantus erat ibi amor! nihil aliud volebant, nihil aliud quærebant, nihil aliud desiderabant, nisi esse cùm Domino, illius perfrui visione, jucundari ejus dulcissima locutione, satiari ejus melliflua conversatione. Cùm hæc omnia cogitabant, & ô quàm citò his omnibus essent cariturі, ad memoriam revocabant; tunc per fluvios lachrymarum emanabant dolores amarissimi cordium. Quanta erat ibi suavitas amoris (h) & quanta suavitatis charitas, dum discipulorum labiis imprimerentur labia Redemptoris! Tunc in veritate illi dicere poterant: *Mel & lac sub lingua tua, & favus distillans sunt labia tua*. Odor tuus omnem balsami odorem excedit, & quidquid in odoribus continetur. Et verè sic erat. O quanta erat ibi odoris fragrantia, ubi erat tanta amoris abundantia! & quanta erat ibi tristitia, de tanta odoris & dulcedinis futura absentia! Quibus singultibus existimabo discipulorum corda fuisse vexata, dum audirent: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis?* Ibi mæror erat & luctus, omnes erant una voce plangentes. *Pacem* (inquit Dominus Jesus Discipulis suis) *meam do vobis, pacem relinquo vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Ego iturus ad Patrem, pacem relinquo vobis: & vos perducturus ad Patrem, pacem meam do vobis. Hoc est quod Propheta dicit: *Pacem super pacem*. Et alibi: *Domine dabis pacem nobis, pacem, quia speravimus in te*. Sed fortè admirabitur noster auditor (i) cùm in hoc libello servuli Christi, ipsũ invenerit Christũ pacem dedisse discipulis suis? Ad quem ego peccator Christi: Quid miraris? quid turbaris? Hoc non est magnum quod audis. Quid putas esse abjectius, an flexis genibus Discipulorum pedes lavisse, an eos in pacis osculo suscepisse? Illis non horruit pacis osculum dare, pro quibus non timuit patibulum Crucis subire. Sed fortè dicis: Ego in Evangelio lego, quòd Christus Discipulis suis dixerit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*; sed non lego, quòd sua sanctissima labia Discipulorum impresserit labiis? Cui ego: Si ore Veritatis constat esse prolatum, cur constare non debet esse completum? Non est periculosum sic credere, non est damnabile sic sentire, non est contra fidem. Sequitur: (k) *Non quomodò mundus dat, ego do vobis*. Qualem pacem dat mundus iste? Pacem falsam, pacem fictam, pacem sophisticam, pacem palliatam. Pax est vinculum amoris, & indissolubilis compago charitatis. Sed quid amat mundus? Prorsus utique nihil. Nihil amat, nihil diligit; cuncta odit, cuncta perimit & occidit. Dicitur etiam aliter *mundus*, scilicet rerum transeuntium amatores. Sed qualis sit pax inter illos, sapiens quisque advertere facilè potest. Igitur spreta hujus mundi paçe & concordia, adhuc ad pacem Domini Nostri Jesu Christi redeamus, quam ejus dilectionem esse & credere (quâ dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo) videtur non esse absurdum. Hæc est illa dilectio, quâ Deus mundum sic dilexit, ut se mundo hominem daret: ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Hanc pacem, scilicet charitatẽm illis reliquit. cùm animam suam pro illorum salute dedit, Unde (l) non immeritò plorant discipuli pro Magistro, servi pro Domino, ab illis quodammodò per mortem recessuro. Nec mirum. Videbant unde dolere poterant: sed non credebant unde gaudere debebant. Lugebant, quia Christum moriturum sciebant: sed illum resurrecturum & ad Cælos ascensurum, adhuc non perfectè credebant. Poterat unusquisque illorum veraciter dicere, si tamen præ dolore loqui valebat: Idcirco ego ploro, & oculus meus deducit aquam, quia me deserit consolator meus, consolans animam meam. Quos ut Dominus amarissimè flere respexit, credo quòd lachrymas secundùm hominem continere non potuit. Sed modis quibus valuit eos consolari non distulit, dicens: *Non turbetur cor vestrum*, quia vos in pace relinquo: *Neque formidet* quasi vos lupus invadat per Pastoris absentiam, quia sicut homo vado, sed sicut Deus sum præsens. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet* de morte mea, quia post tres dies resurgam, & veniam ad vos; & videbitis me Vitam, in quem quicunque crediderit, mortis imperio subjacere non poterit. *Vado, sed iterùm veniam ad vos, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego & vos sitis*. Non debetis turbari, non debetis constistari de abscessu meo, unde mihi tantus provenit honor & gloria tanta: potiùs inde gaudere debetis. Non me diligitis: *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem: quia Pater major me est*. Jam imperate lachrymis, quia de meo abscessu gaudere debetis. Nolite fletibus indulgere, quia ad Patrẽ vado, nec vos relinquo. Ad Patrẽ vado secundùm Carnem: nec vos relinquo secundum Divinitatem. Ad Patrem vadit homo assumptus: sed vobiscum remanebit Patris assumens Filius. Corpus, quod de virginea terra suscepi, supra choros Angelornm exalto: ut filius hominis ibi sedeat in dextera Patris, & habeat per gratiam, quidquid ipse Deus habet per naturam. Ad Patrem vado, ut genus humanum diabolica fraude deceptum, aculeo antiqui serpentis occisum, in hac valle lachrymarum sepultum, in cælo collocem; & ad gregem Angelorum reportem centesimam ovem perditam, per longum tempus errantem. Et ideo rogo, ne turbetur cor vestrum de morte mea: quia sic fieri oportet. Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Tantùm tribus diebus & tribus noctibus ero in corde terræ: postea die tertia resurgam perempto principe mundi: & videbitis me, & gaudebit cor vestrum. Quadragesimo die ascendam in Cælum, sessurus ad dexteram Patris: & illuc traham vos ad meipsum, mecum feliciter regnaturos. Et ideo rogo, gaudete. O bone Jesu Domine Deus, Vita mea. Reposita est hæc spes mea in mente mea. Ego interim gaudens gaudebo, & sẽper anima mea exultabit de Jesu Salvato-

h Ibid.n.69. i Ibid.n.70. k Ibid.n.71.

l Ibidem n. 72. & 73.

vatore meo, qui ascensurus ad Patrem dolentibus discipulis dixit: *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem*. Cùm ægrè ferrent discipuli [m] quod de ascensuri Magistri discessu ab eodem ipso audierant, audierunt: *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem*. Quid est ergo? Non diligebant de cujus discessu dolebant? Sed diligebant quodammodò, & non diligebant. Diligebant dulciter, sed minùs prudenter. Diligebant carnaliter, sed non rationabiliter. Denique diligebant toto corde, non autem totâ animâ. Dilectio eorum contra salutem eorum. Undè & ajebat: *Expedit vobis ut ego vadam*, culpans consilium, non affectum.

§. III.

Sequitur:(n) *Et nunc dixi vobis priusquàm fiat, ut cùm factũ fuerit, credatis*. Jam nunc dico vobis priùsquàm fiat: Vado ad Patrem, ut postquàm ascendero, perfectè credatis quia ego sum Filius Dei. *Ut credatis*, inquit. Credatis, non quod factum vidistis, quia hæc non est laus vel meritum fidei: imò non est fides de eo, quod videtur. Sed credatis me Filium Dei, non nova fide, quia & priùs credidistis: sed aucta & referta. Modò cùm hæc diceret, erat fides illorum parva, & cùm moreretur fuit nulla. Sequitur: *Jam non multa loquar vobiscum, venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam*. Imminet tempus & hora, ut solvam debitum mortis; & in hac mortali carne jam non multa loquar vobiscum. Venit diabolus, non princeps creaturarum, sed peccatorum: non lucis, sed tenebrarum: non vitæ, sed mortis: non gaudij, sed meroris. *Et in me non habet quidquam*: id est, nihil est in me quod ad eum pertineat. Ipse enim peccatum non fecit, nec unquam volvit: sed nec peccare unquam potuit. Nolvit habere Deus quod perderet. Pauper venit, ne diabolus haberet quod auferret. Venit enim princeps superbiæ, princeps invidiæ, princeps livoris & dolositatis, princeps rancoris & cujuslibet malæ voluntatis: venit ad Principem humilitatis, patientiæ & benignitatis, Principem vitæ & resurrectionis, Principem gloriæ & beatitudinis sempiternæ. Ad eum venit ut videret, si in eo maculam peccati aliquam inveniret: viderat eum trabeâ nostræ mortalitatis indutum, morti vicinum, & in eo se credidit aliquid invenire, quod ei in morte posset obiicere. Sed miser ille deceptus est, quia in eo nihil in venit propriũ: sed per ipsum, jus quod habebat in aliis amisit antiquum. In eo itaque auctor mortis peccatum nullum invenit, sicut ipsa veritas dicit: *Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.* Sed fortè(o) posset dicere aliquis: Cur ergo morieris, si peccatũ non habes, cùm mors ex peccato tantùm sit consecuta? Ipse respondet huic tacitæ quæstioni, & dicit: *Ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & hoc mandatum dedit mihi Pater ut facerem*. Ac si diceret: Verum est, quòd adhuc mors non esset, si peccatum non fuisset: & ideo veni moriturus in mundum, ut morte mea delerem peccatum. Hæc est enim voluntas Patris mei, ut pro salute generis humani sumam supplicium crucis. Ut ergo mundus cognoscat quia diligo Patrem, quod mihi mandatum dedit, facio illud. Hoc est quod Beatus Paulus dixit: *Christus factus est obediens Patri usq; ad mortem, mortẽ autem Crucis*. Unde(p) & ipse Christus dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me*. Et in alio loco: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me Patris*. Denique fideli reconciliatori Christo (q) nec *timoris* spiritus de fuit, quo Patri semper reverentiam exhiberet, semper ei deferret, semper gloriam ejus quæreret: nec spiritus *pietatis*, quo misericorditer compateretur hominibus. In terris visus (r) & cum hominibus conversatus medius nostrûm quem nesciebamus stetit, verus quidẽ Emmanuel nobiscum Deus, nobiscum stans, sed pro Patre. Quòd enim nobiscum stetit, adiutorium: quòd pro Patre stetit, zelum designat. Paternam namque quærebat in omnibus gloriam, cujus & venerat facere voluntatem. Proinde & ipse dicit (s) *Surgite, eamus hinc*. Adhuc erat in loco ubi discumbebat cum discipulis suis, unde discumbentibus dixit: *Surgite eamus hinc*, ad locum in quo tradendus sum in mortem. Non est hìc ulteriùs jam sedendum: præteriit tempus requietionis, & ecce tempus festinat Passionis. Surgite, & venite post me. Me enim præcedentem ad passionem sequi debetis quia ego sum Vitis, & vos palmites. Ego sum Caput vestrum ejusdem naturæ vobiscum: & Capite languente, cætera membra condolent languenti. Secundùm quod sum homo, sum Caput Ecclesiæ: & ideo vobiscum ejusdem naturæ. Pater diligit Filium(t) & singulari dilectione amplectitur, summus æqualem, æternus coæternum, unus Unicum. Sed enim non minori ipse à Filio affectione astringitur: quippè pro cujus amore & moritur, ipso attestante cùm ait: *Ut sciant omnes quia diligo Patrem, surgite eamus*: haud dubium quin ad Passionem. Sciens autem (u) quòd venerit hora ejus, tanquam potestatem habens, spontaneus se obstulit passioni. *Oblatus est (x) quia ipse volvit*: quandò & quantùm volvit, passus est, utpote verus quidem homo, sed verus nihilominus Deus. Oblatus est (y) quia sic decrevit ipsius erga hominem inæstimabilis dilectio: oblatus est, quia sic homo indiguit. *Oblatus est, quia ipse volvit*. Et ante in templo oblatus est (z) non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit; & in cruce nihilominus oblatus est, non quia mervit, non quia Judæus prævaluit: sed quia ipse volvit. Voluntariè sacrificabo tibi Domine, quia voluntariè oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. Fuit quidem cum mortuis (a) sed jam non est: fuit inter mortuos, sed & tunc liber fuit. Siquidem ipse sese turbavit, ipse animam suam posuit: quia ipse volvit oblatus est. Omnis enim ei infirmitas de voluntate fuit, non de necessitate. Solus namque (b) inter filos Adam libertatem sibi vendicat à *peccato*, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Porrò & à *miseriâ*, quæ est pæna peccati, habuit nihilominus libertatem, sed potentiâ, non actu. Nemo quippe tol-

m *Ser. 20. in Cant. n. 5.* n *Ser. 10. in ult. cæna. n. 74.* o *Ibidem n. 75.*

p *Ser. 2. in cæna Dom. n. 2.* q *Ser. 2. in Annunt. B. M. n. 3.* r *Ser. 5. de verb. Esa. n. 3.* s *Ser. 10. in ult. Cæna n. 75.* t *Ser. 8. in Cant. n. 1.* u *Ser. 3. in Dom. Palm. n. 1.* x *Ser. de S. Mart. n. 9.* y *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. n. 16.* z *Ser. 3. in Purificat. B. M. n. 2.* a *Ser. 34. div. n. 2.* b *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 3. n. 8.*

tollebat animam ejus ab eo, sed ipse ponebat eam. Denique teste Esaia Propheta: *Oblatus est, quia ipse voluit:* sicut & cùm voluit natus ex muliere, factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. Fuit quidē & ipse sub lege miseriæ, sed fuit quia voluit, ut liber inter miseros & peccatores utrumque jugum fraternis à cervibus excuteret. Habuit utique tres libertates, primam ex humana simul & Divina natura, reliquas ex Divina potentia. Quia ergo voluit (c) oblatus est. Nonmodò voluit & oblatus est, sed quia voluit. Solus nimirum potestatem habuit ponendi animam suam: nemo eam abstulit ab eo. Videtur quidem (d) & in nostris aliquando tribulationibus esse non nulla libertas, cùm videlicet pro peccatis proximorum libera & liberali charitate laborem pænitentiæ sustinemus, legentes pro eis, jejunantes pro eis, vapulantes pro eis, & quæ non rapuimus exolventes. Unde & Paulus: *Cùm liber essem*, inquit, *ex omnibus, omnium me servum feci*. Cæterùm nihil hoc ad libertatem illius qui nihil proprij delicti habuit, qui nihil morti debuit, nihil meruit tribulationis. Nam & à nobis quidem voluntarias illas tribulationes, etsi proximus exigere forsan ex jure non potest, exigit tamen Deus. Etsi proximo fortè videtur quis reddere plusquàm debeat, Deo tamen nemo unquam totum reddit quod debeat. Porrò (e) in nostra quidem vita, multa, quantùm in nobis est, videmur agere casu, multa ex necessitate: sed Christus Dei Virtus, & Dei Sapientia neutri potuit subjacere. Quæ enim Dei Virtutem necessitas cogeret, aut quid ageret Dei Sapientia casu? Omnia proinde quæcunque locutus est, quæcunque operatus est, quæcunque passus est, ne dubites fuisse voluntaria, plena Sacramentorum, plena salutis. Hæc scientes, si quid aliquando eorum quæ de Christo sunt, in nostram scientiam venire contingat, non sic audiendum est tanquam si inventitium quidpiam proferamus; sed tanquam id quod etiam priusquam causa sciretur, constaret sine causa fuisse. Ipse autem det vobis ea quæ dicuntur (f) non solùm tenere memoriter, sed & ardenterter diligere, & efficaciter adimplere, Sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

DEO GRATIARUM ACTIO,

ET BEATO BERNARDO,

Servo ejus dulci & fideli.

S. Bonavent. Conclus. tract. medit. de vita Christi.

P 2 PHI-

c Ser. in fer. 4. Heb. san. n. 8. d Serm. 34. di ver. n. 2. & 3.

e Ser. 4. de Ascen. Dom. n. 2. f Ser. 77. in Cant. n. 1.

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Quarta

De gestis passionis Christi in horto Getsemani.

CAPUT I.

Continens Proœmium, in quo excitatur quisque Christianus ad recolendam Passionem Christi.

Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. *Paul. 1. Corint. 2.*

1. *Ostenditur, familiarem fuisse Sancto Bernardo meditationem Passionis Dominicæ, adeo ut etiam non dubitaverit in ea sibi constituere perfectionem justitiæ, plenitudinem scientiæ, divitias salutis, & copias meritorum.* 2. *Exemplo & doctrinâ ejus excitamur ad meditandam Passionem Christi, compatiendumquè ejus doloribus, quos pertulit pro salute nostra.* 3. *Excitamur ad retribuendam dilectionem Jesu Crucifixo pro amore quē exhibuit nobis, patiendo & moriendo pro salute nostra.* 4. *Ostenditur, quanta proveniat nobis utilitas ex meditatione Dominica, & quantum valeat ejus memoria ad dulcorandum amaritudinem sive tribulationem nostram.* 5. *Ostenditur, quantùm valeat hujusmodi meditatio ad superandum quasvis tentationes inimici, illicitasquè cogitationes, & delectationes carnales: necnon quantum valeat ad acquirendam virtutem humilitatis.*

§. I.

HÆC est (a) mea sublimior interim Philosophia, scire Jesum, & hunc Crucifixum. Non requiro, sicut Sponsa, ubi cubet in meridie, quem lætus amplector mea inter ubera commorantem. Non requiro ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Illud sublimius, illud suavius vel paratius. Panis illud, hoc lac. Hoc viscera reficit paruulorum, hoc replet ubera matrum: & ideo inter ubera mea commorabitur. Hoc est: Sufficit mihi (b) nolo iam scire, nisi Jesum, & hunc Crucifixum. Memor ero (c) quamdiu fuero, laborum illorum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum ejus, conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumquè similium: quæ per eum & super eum abundantiùs transierunt. Hæc enim sunt instrumenta fortissima (d) in quibus omnipotens Virtus, & investigabilis Sapientia Dei, restaurationem mundi potenter atque magnificè operata est. Incomprehensibilis erat & inaccessibilis (e) invisibilis & inexcogitabilis omninò. Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quonam modo, inquis? Nimirùm jacens in præsepio, in virginali gremio cubans, in monte prædicans, in oratione pernoctans: & in Cruce pendens, in morte pallens, liber inter mortuos, & in inferno imperans. Quid horum non verè, non piè, non sanctè cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito: & per omnia est Deus meus. Hæc ego meditari dixi sapientiam, & prudentiam judicavi eructare memoriam suavitatis. Hæc utique meditari (f) dixi sapientiam. In his justitiæ mihi perfectionem cōstitui: in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorū mihi constitui. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his sursùm suavis unctio consolationis. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt: & inter læta tristitiaquè vitæ præsentis via regia incedenti tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi Judicem, dum tremendum potestatibus mitem humilemquè figurant: dum non solùm placabilem, sed & imitabilem repræsentant eum, qui inaccessibilis est principatibus, terribilis apud reges terræ. Propterea hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis: hæc in corde semper, sicut Deus scit: hæc stylo meo admodùm familiaria, sicut apparet. Hæc mea sublimor interim Philosophia, scire Jesum, & hunc Crucifixum. Passio ejus (g) ultimum est refugium, singulare remedium. Deficiente sapientia, iustitia non suficiente, sanctitatis succumbentibus meritis: illa succurrit. Quis enim de sua vel sapientia, vel justitia, vel sanctitate præsumat sufficientiam ad salutem? *Non quòd sufficientes* (inquit Apostolus) *simus cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Itaque cùm defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido: scio quid faciam. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Illumina oculos meos Domine, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore: & *sapiens* sum. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris: & *justus* sum. Deduc me Domine in via tua: & *sanctus* sum.

S. Bernar. Abb. juxta eius librorum edit. authore Horstio in VI. Tom. impress. Parisiis an. 1667. a *Ser. 43. in Cant. n. 4.* b *Ser. 45. in cant. n. 3.* c *Ser. in fer. 4. hebd. san. n. 11.*

d *Ser. de pass. Dom. n. 1.* e *Ser. 2. de Virg. Deip. n. 11.* f *Serm. 43. in Cant. n. 4.* g *Ser. 22. in Cant. n. 9.*

sum. Verumtamen nisi interpellet Sanguis tuus pro me: *salvus* non sum. Quid denique (h) tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? Proinde de remissione peccatorum (i) validissimum teneo argumentum Dominicam Passionem. Vox siquidem Sanguinis ejus invaluit multò plùs, quam vox sanguinis Abel: clamans in cordibus electorum remissionem omnium peccatorum. Traditus est enim propter peccata nostra: nec dubium quin potentior & efficacior sit mors illius in bonum, quàm peccata nostra in malum. Patet igitur (k) quia hæc Passio potentissima est ad exhaurienda omnium genera peccatorum. Sed quis scit si data est mihi? Mihi data est, quia alteri dari non potuit. Numquid Angelo? Sed ille non eguit. Numquid diabolo? Sed ille non resurgit. Denique non in similitudinem Angelorum, absit autem ut in similitudinem dæmonum, sed in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. Filius erat: & factus est tanquam servus. Non solùm formam servi accepit, ut subesset: sed etiam servi, ut vapularet: & servi peccati, ut pœnam solveret, cùm culpam non haberet. Meum proinde meritum (l) est miseratio Domini. Non planè sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit. Quod si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominùs ego in meritis sum. Quid enim si multorum sim mihi conscius delictorum? Nempè ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Et si misericordiæ Domini ab æterno & usque in æternum, ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo. Numquid justitias meas? Domine memorabor justitiæ tuæ solius. Ipsa est enim & mea. Nempè factus es mihi tu justitia à Deo. Numquid mihi verendum, nè non una ambobus sufficiat? Non est pallium breve, quod secundùm Prophetam non possit operire duos. Justitia tua, justitia in æternum. Quid longius æternitate? Et te pariter & me operiet largiter larga & æterna justitia. Et in me quidem operit multitudinem peccatorum, in te autem Domine quid nisi pietatis thesauros, divitias bonitatis? Hæ in foraminibus petræ repositæ mihi. Foramina petræ, vulnera Christi interpretans. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ in illis, opertæ quidem, sed in his qui pereunt. Ut quid enim Sanctum detur canibus, vel margaritæ porcis? Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, etiam & apertis foraminibus introduxit in Sancta. Quanta in his multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioque virtutum? Ibo mihi ad illa sic referta cellaria (m) atque ad admonitionem Jeremiæ Prophetæ relinquam civitates, & habitabo in petra. Ero quasi columba nidificans in summo ore foraminis: ut cum Moyse positus in foramine petræ, transeunte Domino, mereat saltem posteriora ejus prospicere. Nam faciem stantis, idest, incommutabilis claritatem quis videat, nisi qui introduci jam meruit non in Sancta, sed in Sancta Sanctorum? Sic ergo calicem eius accipiam (n) quia monumenta Passionis suæ intra animæ meæ sinum, & intra memoriæ meæ cellas semper revolvam. Aspiciam Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Aspiciam eum ligatum, flagellatum, consputum, saturatum opprobriis, clavisquè confixum. Hæc & alia patientis & morientis Domini mei memorialia, memoriæ meæ arctiùs commendabo, & ad os cogitationis revocans ruminabo diutiùs, ut impinguer devotiùs.

§. II.

Videte justum David (o) hoc ordine procedentem. *Cogitavi*, inquit, *vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua*: ut videlicet qui contritionem & infelicitatem in viis propriis perpessus fuerat, in via testimoniorum Dei delectaretur, sicut in omnibus divitiis. Et vos igitur exemplo justi, si de vobis in humilitate sentitis, sentite & de Domino in in bonitate. Sic enim legitis apud Sapientem: *Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum*. Hoc autem facilè menti persuadet divinæ munificentiæ frequens imò continua recordatio. Alioquin quomodò implebitur Apostolicum illud: *In omnibus gratias agentes*: si ea pro quibus gratiæ debentur, à corde recesserint? Nolo vos Judaico notari opprobrio, quibus Scriptura testatur quòd *non fuerint memores benefactorum ejus, & mirabilium ejus quæ ostendit eis*. Verùm quoniam bona, quæ largiri mortalibus non cessat misericors & miserator Dominus, recolere & recolligere omnia omni homini impossibile est: id saltem quod præcipuum est & maximum, opus videlicet nostræ Redemptionis à memoria redemptorum aliquatenùs non recedat. Novit siquidem (p) quicunque rectè sapit, quantùm Christianæ pietati expediat, quantùm Dei servum deceat, sacrosanctæ Passionis Dominicæ fideliùs recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, ad recondendum pleniùs per imitationem in memoria. Nil sanè in hac vita dulcius sentitur (q) nihil avidius sumitur, nil ita mentem ab amore mundi separat, nil sic animam contrà tentationes roborat, nil hominem ita excitat & adjuvat ad omne opus bonum & ad omnem laborem, quàm gratia contemplationis Crucifixi. Sit ergo (r) meditatio nostra, Fratres, Christus & hic Crucifixus. Ipsum ponamus signaculum super cor, signaculum super brachium nostrum. Ipsum amplectamur brachiis quibusdam vicariæ dilectionis: ipsum sequamur studio piæ conversationis. Sed ut validiùs compungamur (s) ut ampliùs moveamur, & curramus per omnia: revolvamus singula contexendo resticulum, contexendo funiculum, connectendo fasciculum de omnibus & singulis, quæ facta referuntur de humili Dei Filio, & summo Patris Unigenito, de Redemptore piissimo, de amantissimo Fratre nostro. Occurrat itaque spiritualiter & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, proditus & venditus à discipulo, à Judæis tanquam vile mancipium pretio satis exiguo comparatus, captus, tractus, & ligatus tanquam homo sine adjutorio: scisso etiam verberibus dorso, vellicatis genis, facie sputis illita, puncto vepribus capite, saucio latere, terebratis

h *Ser. 62. in Cant. n. 7.* i *Ser. 1. in Annunt. B. M. n. 4.* k *Ser. 4. in fer. 4. hebdom. sanct. n. 10.* l *Ser. 61. in Cant. n. 5.* m *Ibid. n. 6.* n *Ser. de verb. Sap. n. 5. tom. 6. pag. 770.*

o *Ser. 11. in Cant, n. 2. & 3.* p *Ser. 2. in Cœna Dom. n. 9.* q *Tract. de cognit. human. condit. cap. 7. n. 22.* r *Ser. 1. de ver. Esa. nu. 2.* s *Ser. 2. in Cœna Dom. n. 7.*

bratis palmis, pedibusquè confossis: qui tanquam jugulatori suo alludens, seipsum non reluctans exposuit, & nudum Corpus quasi incudem malleatorum ictibus patienter explicuit: dum pro nobis per hujus vitæ pelagus ad patriam de exilio transferendis, rapacibus piratis naulum propriæ mortis exoluit. Intuere ô homo tempus tuæ redemptionis (t) recordare & respice quomodo redemptus sis. *Empti estis* (ait Apostolus) *pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro*: non magno tantùm, sed permaximo. Venditus eras sub peccato, pretio vili, & despicabili morsu unius pomi: emptus & redemptus es pretio magno & inæstimabili, morte Filii Dei. Quid preciosius hoc pretio? quid inæstimabilius? Dominus in oratione constitutus (u) præ angustia spiritus sui totus sudore sanguineo immaduit in horto. Ibi captus & tentus, ad Tribunal judiciis ductus est: & cùm multi falsi testes contra eum procederent, & in multis mendaciis accusarent, ipse tanquàm Agnus innocens qui ad victimam ducitur, obmutuit: non aperuit os suum tanquam homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Ibi conspuerunt faciem dulcis Jesu, colaphis eum cædebant, & alapas in caput ejus certatim ministri dederunt. Inde ad columnam revinctus fragellis cæditur, Carne præ nodis flagellorum in tumorem surgente, & in livores se vertente, Sanguine guttatim de plagis in terram currente. Inde spinarum punctionibus Caput undique cruentatur, & in ludibrium ipsius virga manui ejus inferitur: coccinea chlamyde amictus, tanquam infatuatus irridetur. Parva loquor. Hîc tu, ô homo, totus contremisce, totus tremore obrigisce, meritò expalesce, pugnis pectus contunde, fletibus totam animã effunde, compatere patienti Jesu. Dignum est enim (x) & tibi multùm expedit, compati, commori, consepeliri: passo, mortuo, & sepulto Christo. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Qui enim tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Alioquin (y) si non doles, si non plangis, si non compateris: deliras, denegaras, belluam sapis, letargum pateris, hominem diffiteris.

§. III.

Planè norunt Fideles (z) quàm omninò necessarium habeant Jesum, & hunc Crucifixum: dum admirantes & amplexantes supereminentem scientiæ charitatem in ipso, id vel tantillum quod sunt, in tantæ dilectionis & dignationis vicem non rependedere confunduntur. Facilè proinde plùs diligunt, qui se ampliùs dilectos intelligunt. Cui autem minus donatum est, minùs diligit. Judæus sanè, sive paganus nequaquam talibus aculeis incitatur amoris, quales Ecclesia experitur, quæ ait: *Vulnerata charitate ego sum.* Cernit Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Cernit unicum Patris Crucem sibi bajulantem. Cernit cæsum & consputum Dominum majestatis. Cernit Auctorem vitæ & gloriæ confixum clavis, percussum lanceâ, opprobriis saturatum: tandem dilectam illam Animam suam ponere pro amicis suis. Cernit hæc, & suam magis ipsius animam gladius amoris transuerberat, & dicit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Hæc sunt quippè mala punica, quæ in hortum introducta Dilecti sponsa carpit ex ligno vitæ, à cælesti Sponso proprium mutuata saporem, colorem à Sanguine Christi. Videt deinde mortem mortuam, & mortis auctorem triumphatum. Videt de inferis ad terras, de terris ad superos captiuam duci captivitatem, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Quia verò Sponsa inter adversa & prospera versans (a) novit utrobique pericula non deesse: ideo medium uberum suorum vult habere Dilectum, cujus adversùs utraque continua protectione munitam, nec læta extollant, nec tristia deiiciant. Tu quoque si sapis, imitaberis Sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris auelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revoluens, quo possis dicere & tu: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Glorificate, quæso, dilectissimi (b) & portate interim Christum in corpore vestro, onus delectabile, suave pondus, sarcinam salutarem: etiamsi premere aliquaudo fortè videtur, etiamsi interdum latera tundit & flagellat recalcitrantem, etiamsi quando in camo & fræno maxillas constringit & coercet, omninò feliciter. Esto ut jumentum, minimè tamen jumentum, patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens: sapienter & delectabiliter cogitans tam ipsius oneris qualitatem, quàm propriam utilitatem. Noli ergo auditor obliviosus esse (c) sed die ac nocte legito Passionem Jesu: & in omnibus actibus sponsam Jesu imitare, tollens crucem tuam, & ad imitationem ejus unà cum sponsa currens ardenti desiderio fortiter post Jesum. Sit tibi Jesus semper in corde (d) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic sit tibi potus & cibus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio tua & meditatio tua, oratio tua & contemplatio, vita, mors, & resurrectio tua. Semper cogita illum, nunc positum in præsepio, & pannis involutum: modò in templo Patri à parentibus præsentatum: nunc fugientem in Ægyptum, ibi diu in extrema paupertate: & indigentia commorantem, & inde maximo cum labore redeuntem: modò in templo audientem doctores & interrogantem, qui docet hominem scientiam: & postea parentibus subditum, cui jure omnis creatura subditur. Deinde cogita eum esurientem in deserto & sitientem, qui est panis vitæ & fons sapientiæ, qui pascitur inter lilia, & implet omne animal benedictione. Modò fatigatum ex itinere, sedentem supra fontem, cum muliercula sola solum loquentem, totius mundi statum regentem. Postea cogita eum factum in agonia prolixiùs orantem, & omnia omnibus sufficienter administrantem: ab Angelo etiam ipsum, qui est dulcedo & consolatio Angelorum & homi-

t *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. n. 10.* u *Ibid. n. 13.* x *Ser. 2. in Cæna Dom. n. 6.* y *Ser. de excell. SS. Sacram. n. 6.* z *Tract. de diligen. Deo cap. 3. n. 7.*

a *Ser. 43. in Cant. n. 2.* b *Ser. 7. super Psal. 90. n. 3.* c *Soliloq. n. 20. tom. 6. pag. 1023.* d *S. Ber. in formul. honest. vit. nu. 2. & 3. tom. 6. pag. 1024.*

minum, consolationem nihilominùs recipientem: aut ad columnam illum, qui totius est orbis sustentamentum, ligatum & flagellatum: ac ipsum, qui est Angelorum splendor, sputis illitum, palmis in facie percussum, spinis coronatum, opprobriis saturatum: ad ultimum cum iniquis deputatum, & pro te in Cruce pendentem & morientem, atque spiritum suum in manus Dei Patris commendantem. Sic nimirùm erit fasciculus myrrhæ dilectus tuus, sic inter ubera tua commorabitur. Sic de omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini Dei tui collige quasi fasciculum, ut amarum poculum lachrymarum tibi conficias. Quoties enim (e) in contemplatione Dominicæ Passionis suspendimur, toties ex recordatione tantæ admirationis in oratione compungimur. Meditatio ruminat livores vulnerum, fixuras clavorum, lanceam, & acetum, persecutorum sævitiam, Apostolorum fugam, & mortem turpissimam, Corporis sepulturam. Oratio autē fundit suspiria, piæ devotionis stillat aromata, tota resolvitur in lamenta. Scit profectò quicunque Christi sensum habet (f) quantùm pietati Christianæ expediat: quantùm Dei servum, & servum redemptoris Christi deceat, & utile ei sit, unâ saltem aliquâ diei horâ passionis & redemptionis ipsius attentiùs recolere beneficia, ad fruendum suaviter in conscientia, & recondendum fideliter in memoria: quod est spiritualiter manducare Corpus Christi, & bibere ejus Sanguinem, in memoriam ejus, qui omnibus in se credentibus præcipit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. In quo etiam propter peccatum inobedientiæ, quàm impium sit hominem tantæ pietatis Dei esse immemorem, palàm omnibus est, cùm amici hominis abeuntis sub quolibet signo commendatam memoriam nefas sit oblivisci. Siquidem sanctæ hujus ac reverendæ commemorationis mysterium suo modo, suo tempore, suo loco celebrare licet paucis hominibus, quibus hoc creditum est mysterium. Rem verò Sacramenti vel mysterij omni tempore, & in omni loco dominationis Dei, modo quo traditum est, hoc est, debitæ pietatis affectu agere, contrectare, & sumere sibi in salutem omnibus in promptu est. Nam & Sacramentum sicut accipit ad vitam dignus, sic ad mortem suam & judicium indignus. Rem verò Sacramenti nemo percipit, nisi dignus & idoneus. Sacramentum enim sine re Sacramenti, sumenti mors est. Res verò Sacramenti etiam præter Sacramentum sumenti vita æterna est. Si autem vis, & verè vis, omnibus horis tam diei quàm noctis, hoc tibi in cella tua præstò est. Quoties in commemorationem ejus, qui pro te passus est, hoc facto ejus piè ac fideliter fueris affectus, Corpus ejus manducas, & Sanguinem bibis. Et quamdiu in eo manes per amorem, & ipse in te per sanctitatis & justitiæ operationem; in ejus Corpore & membris ejus computaberis.

§. IV.

Sed quis dignè dicat (g) quanta sit orationis hujus utilitatis? In pulsante purè oratione velut animæ nuncio, non jam paradisus, sed janua regni Filii Dei patenter aperitur: quod & qui quærit ostenditur, petenti tribuitur. Hoc etiam orationis tempore, si cæca fuerit anima, illuminabitur: si infirma, sanatur: si pauper, ditatur: si nuda, vestitur: si debilis, confortatur: si nutans, constans efficitur: si cujuscunque rei dubia, certificabitur: si ab amore Dei frigida, sancti amoris vaporibus inflammatur: si insipiens & stulta fuerit, super omnes docentes se sapiens & docta erit. Hoc etiam orationis tempore gustatur, & videtur quàm suavis est Dominus. Nec prætereundum est (h) quòd apes de liquore florum collecto fauum conficiunt, idest, ceram in se & mel continentem. Quid est hoc? Per ceram, tenacem memoriam accipe, quæ apta est ad recipiendum formam sigilli, & ad nutriendum ignem, si tamen in ea sit linum. Quæ cera mel in se continet *dulcissimum, mundificatiuum, descensiuum*. Nos verò, si verè spirituales apes sumus, de floribus nostri paradisi Nazareni, id est horti florentis floridissimi Christi nobis memoriam componamus tenacem, quæ non qualibet tentatione dissoluatur, sed apta sit illa memoria recipere impressionem sigilli, id est Crucifixi Jesu: ut illum semper in memoria habeamus, qui dicit: *Pone me sicut signaculum*. Signaculum enim regium, Crux est: quam si in cordis nostri memoria portaverimus, ad tanti regionem Regis regū, quæ finem non habet, securè poterimus transire. Habet hoc sigillum imaginem Crucifixi Jesu, in ipso sigillo Crucis multis fossuris effossam & expressam, sicut in sigillis imago Regum exprimitur fodiendo. Si autem in memoria nostra (i) Passionis Christi laborem habemus, potest accendi & ardere charitas ejus in nobis, qui illuminat tenebras ignorantiæ nostræ: ut & nos parati simus pati pro illo & cum illo, qui prior pro nobis passus est. In tali cera memoriæ nostræ debet esse mel, idest, delectatio de recordatione Crucis, quæ est mel *dulcissimum*. Quid tam amarum, quod in recordatione vivificæ Passionis non possit dulcescere? Certè legimus Hebræos cùm exissent de Ægypto, venisse ad aquam amarissimam, quam nullus gustare poterat: cui cùm Moyses lignum injecisset, dulcorata est, sic ut eam delectabiliter biberent. Quid apertiùs per aquam amaram, quàm cujuslibet adversitatis amaritudo signatur? Cui cùm lignum Crucis iniicitur, idest, cùm Passio dulcis Jesu consideratur, necesse est omnem passionem hominis levem videri, respectu Passionis Dominicæ, quam pro hominibus voluit sustinere Deus & homo, mediator Dei & hominum Deus Jesus. Propterea Sponsa non fascem (k) sed fasciculum dilectum dicit, quòd leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat & doloris. Benè fasciculus, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *Id enim* (inquit Apostolus) *quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis*. Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modò est fasciculus myrrhæ. An non fasciculus, cujus jugum suave est, & onus leve? Non quia leve in se (nec enim levis passionis asperitas, mortis amaritudo) sed levis tamen amanti. Et ideo non ait tantùm, *fasciculus myrrhæ dilectus*:

e *Ser. in fer. 2. Pasch. nu. 2. tom. 6. pag. 717.* f *Tract. de vit. solit. cap. 10. nu. 3. to. 5. pag. 252.* g *Solilog. S. Bern. n. 2.* h *Tract. de vite myst. cap. 44. nu. 170.* i *Ibid. nu. 171.* k *Ser. 43. in cant. nu. 1.*

tus: ſed *mihi*, inquit, quæ diligo, *faſciculus eſt*. Unde & dilectum nominat, monſtrans dilectionis vim omnium amaritudinum ſuperare moleſtiam, & quia fortis eſt ut mors dilectio. Hunc & vos, dilectiſſimi (l) tam dilectum faſciculum colligite vobis, hunc medullis inſerite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur. Habete illum ſemper non retrò in humeris, ſed ante præ oculis: ne portantes & non adorantes, & onus premat, & odor non erigat. Mementote, quia accepit eum Simeon in ulnis ſuis, Maria geſtavit in utero, fovit in gremio, ſponſa ſibi inter ubera collocavit. Arbitror & Joſeph virum Mariæ ſuper genua frequenter illi arriſiſſe. Hi omnes ante ſe habuerunt eum, & nullus retrò. Exemplo ergo ſint vobis, ut & vos ſimiliter faciatis. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes anguſtias Domini, leviùs veſtras portabitis. Nocturnus quidem & tenebroſus eſt timor (m), ſed facilè hunc radius veritatis exuperat. Ingerit enim oculis cordis ea quæ pro nobis pertulit Chriſtus, ut crebrò conſiderantes quanta ſuſtinuit illa Majeſtas pro inutilibus ſervis, erubeſcamus non ſuſtinere vel parva pro nobis. Quid tibi dirum (n) vel durum eſſe poterit, cùm recordatus fueris quia ille in forma Dei, in die æternitatis ſuæ, in ſplendoribus Sanctorum ante luciferum genitus, ſplendor & figura ſubſtantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus (ut dicitur) uſque ad cubitos in limo profundi? Quid non ſuave tibi eſſe poterit? cùm tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, & rememoraberis primùm quidem illarum infantilium neceſſitatum: deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo, inſidiarum in colloquendo: poſtremò periculorum in falſis fratribus, conviciorum, ſputorum, colaphorum, flagellorum, irriſionum, ſubſannationum, exprobrationum, clavorum, horumquè ſimilium, quę in ſalutem noſtri generis triginta & tribus annis operatus & paſſus eſt in medio terræ.

§. V.

Porrò meditatio Paſſionis Dominicæ (o) continet mel *mundificativum*: quia verè nihil eſt, quod ita ab omnium vitiorum impulſu & cogitatione mentem noſtram purificet, & in puritate conſervet, quàm jugis memoria Crucis, & Paſſionis Domini Jeſu. Proinde (p) quoties te ſentis turpibus cogitationibus pulſari, & ad illicitam delectationem affici: toties pone ante mentis oculos, quomodò Chriſtus in Cruce crucifixus eſt pro te. Intuere quomodò à Juda Judæis traditur, quàm viliter pertractatur, blaſphematur, colaphizatur, judicatur & condemnatur, expoliatur & flagellatur: ad ultimum verò contumeliis & opprobriis affectus, inter duos latrones ſuſpenditur, clavis Cruci affixus, ſputis deriſus, ſpinis coronatus, lanceâ perforatus, ex omnibus partibus Sanguis emanat: & inclinato capite emittit ſpiritum. Ita Redemptor tuus moritur pro te: & tu neſcio cujuſmodi cogitatione ſordidaris in mente. Sufficere quidē poſſet hæc cogitatio ad excludendas omnes illicitas cogitationes: ſed ecce ad alia transeamus. Si tentationum ſentis aculeos (q) exaltatum in ligno Serpentem æneum intuere, & ſuge non tam vulnera quàm ubera Crucifixi. Ipſe erit tibi in matrem, & tu eris ei in filium: nec pariter Crucifixum lædere aliquatenùs poterunt clavi, quin per manus eius & pedes ad tuos uſque perveniant. Porrò (r) ſi quandoque ſuggeſtionibus diaboli, vel importunis carnis noſtræ clamoribus, ad curam carnis in deſideriis peragendam revocemur, anxietates Chriſti cruciſquè ſupplicium ponamus præ oculis, & confeſtim ipſa nos docebit experientia, quid ſenſerit Apoſtolus cùm dixit: *Verbum Crucis his qui ſalvi fiunt, virtus Dei eſt*. Et: *Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Quare? Quia ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereunt omnes immunditiæ à facie Crucis. Dei ſiquidem infirmitas, noſtra eſt fortitudo, & in ſtultitia ejus facti ſumus ſapientes. Quomodò namque (s) non Chriſti patientiæ recordatio omnem arceat voluptatem? quomodò non illius humilitatis conſideratio ſuperbiam vitę prorsùs extundat? cùm charitas illa planè digna ejus meditatione ſic mentem occupet, ſic totam ſibi vendicet animam, ut omninò vitium curioſitatis exſufflet. Aſtat oranti (t) hominis Dei ſacra Imago morientis, vel ſtringat neceſſe eſt animum in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fuget illecebras, deſideria ſedet. Quid ergo dulce ſit ei in carne (u) cui tanta dulcedo eſt in Chriſti Paſſione? Nihil proficiet inimicus in eo (x) quem crux Chriſti delectat, ſi carnalem ſuggeſſerit delectationem: & filius iniquitatis non apponet nocere ei, ſi ad exaſperandum animum ejus quamlibet immittere tentaverit amaritudinem. Si denique (y) benè cogitamus Dominicam Paſſionem, erubeſcimus ſequi corporis voluptatem. Nihil quoq; ſic valet (z) ad extirpandas voluptatum radices, quàm recordatio vulnerum Domini mei, qui ſtetit ante Judicem, qui alapas accepit, qui flagellatus & conſputus eſt: qui coronatus ſpinis, qui colaphis cæſus, qui ſuſpenſus in ligno, cui pendenti inſultatum eſt: qui mortuus in Cruce, lanceâ percuſſus eſt. Poſtremò meditatio Paſſionis Dominicæ (a) continet mel *deſcenſivum*: quia contra aliorum liquorum conſuetudinem naturalem, quod in melle eſt puriſſimum, ad ima deſcendit, feculentum verò aſcendit, Quid per talem deſcenſum, niſi virtus humilitatis deſignatur? Quæ profectò virtus in Paſſionis Dominicæ memoria acquiritur, & conſervatur: quia non poteſt quis non humiliari, cùm recordatur pro ſe humiliatum Dominum majeſtatis. Indignum quippè eſſet hominem lutum & cinerem per ſui elevationem illuc aſcendere, ubi Angelus perfectiſſimus in omni ſcientia & decore (quia humilitate caruit) non potuit remanere. David agnovit Dominum minoratum ab Angelis: (b) Hieremias etiam vidit eum cum hominibus converſantem: Eſajas modò ſuper ſolium excelſum, modò non ſolùm infra Angelos aut inter homines, ſed tanquam leproſum ſe vidiſſe teſtatur, ideſt, non in carne tantùm, ſed in ſimilitudine carnis peccati. Tu quoque ſi de-

l *Ibidem n.* 5. m *Ser.* 6. *ſuper pſalm.* 90. *nu.* 2. n *Ser.* 22. *diu. nu.* 5. o *Tract. de vite myſt. cap.* 44. *num.* 171. p *Tract. de interiori domo cap.* 22. *nu.* 47. *pag.* 427.

q *Epiſt.* 351. *nu.* 1. r *Ser. de verb. ſap. nu.* 6. s *Ser. in fer.* 4. *hebd. ſan nu.* 5. t *Ser.* 20. *in Cant. nu.* 7. u *Ser.* 29. *diu. nu.* 4. x *Ser.* 1. *de S. Andrea nu.* 3. y *Ser.* 3. *de Reſurrect. Domini nu.* 2. z *Ser. de S. Nicol. n.* 7. *tom.* 6. *pag.* 792. a *Tract. de vite myſt. cap.* 44. *nu.* 172. b *Ser.* 1. *de verb. Eſai. nu.* 2.

ſi deſideras videre ſublimem, humilem priùs Jeſum videre curato. Intuere priùs exaltatum in deſerto ſerpentem, ſi videre deſideras Regem in ſolio ſedentem. Iſta te humiliet viſio, ut illa exaltet humiliatum. Reprimat & ſanet iſta tumorem tuum, ut illa repleat & ſatiet deſiderium tuum. Exinanitum vides? Non ſit ocioſa viſio, quia exaltatum ocioſè videre non poteris. Similis eris illi, cùm videris eum ſicuti eſt: eſto & nunc ſimilis ei, videns eum ſicut propter te factus eſt. Si enim ne in humilitate quidem ſimilitudinem ejus abnuis, certa tibi ſublimitatis quoque ſimilitudo debetur. Nunquam ille ſocium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri. Nimirùm (c) quod ait Dominus: *Cum ipſo ſum in tribulatione*: ad eum pertinet qui per fidem ambulat, non autem qui ad faciem jam pervenit. Equidem utriuſque eſt Caput unum, ſed non uno modo membris omnibus exhibetur. Quibuſdam enim oſtenditur caput hirſutum ſpinis, inclinatum in Cruce, ut humilientur pariter & compungantur. Quibuſdam glorioſum apparet, ut ab ipſo glorificentur, & in ipſo glorientur facta ei ſimilia, quem vident ſicuti eſt. Interim nempè non ſicut eſt, ſed ſicut pro nobis factum eſt Caput noſtrum nobis repræſentatur, non coronatum gloriâ, ſed peccatorum noſtrorum circumdatum ſpinis, ut pudeat ſub ſpinato Capite membrum fieri delicatum. Colligamus ergo nobis (d) in floribus Vitis noſtræ Domini Jeſu talem memoriam, talem delectationem, ut ſtigmata Crucifixi noſtri in memoria jugiter retinentes, ita in ipſo qui ſolus eſt dulcis delectemur, ut omnes per ipſum præſentis vitæ amaritudines ſuperemus, mundemur ab omni delicto, & in bonis operibus jugiter per humilitatis cuſtodiam conſervemur. Utinam (e) hujus abundantia pietatis ſic fragret quotidie in naribus noſtris, ut in veritate dicere poſſimus cum Sponſa in Canticis: Faſciculum myrrhæ dilecti ſemper ſupra meum pectus portabo. O dulcis ſarcina! o felix medicina! Hæc ſarcina, fratres mei, crux ipſa beata ſcilicet Paſſio Chriſti, bajulum ſuum non gravat, ſed levat: non deprimit, ſed extollit: non quaſſat, ſed erigit, & portat portantem, ubi Chriſtus eſt in gloria Patris. Hæc eſt inquam dulciſſima medicina, quæ morbum omnem expellit, vires atque virtutes non habenti acquirit: quæ non ſolùm ſanat ægrotos, ſed etiam vivificat mortuos. Mihi meus auditor credat, imò mihi credat crucis amator, quòd jam non lædetur à morte ſecunda, ſi in hac vita uſus fuerit tali medicina. Hoc eſt illud lignum propheticum, quod eſt inter juncturas ædificiorum: quia ipſa Crux glorioſa terram conglutinat cœlo, hominem conſociat Angelo: & peccatorem ſic reconciliat Deo, ut ipſe Deus manere dignetur in eo, & ipſe manere mereatur in Deo ſuo. Delectatur floribus Chriſtus (f) qui in Nazareth & concipi voluit & nutriri. Gaudet Sponſus cæleſtis talibus odoramentis, & cordis thalamum frequenter libenterquè ingreditur, quòd iſtiuſmodi floribus reſperſum invenerit. Ubi ſuæ videlicet Paſſionis gratiam ſedula inſpicit cogitatione verſari, ibi profectò adeſt ſedulus, adeſt libens. Totus proinde vobis figatur in corde (g) qui pro vobis totus fixus eſt in Cruce. Iſte quoque mihi ſit via in hoc Opuſculo, [h] & in omnibus actionibus meis, ut ipſo duce quæ geſſero incipiam & finiam: ut annunciem nomen Domini in Sion, & laudem ejus in Jeruſalem.

CAPUT II.

De anguſtia Chriſti, quam pati voluit in horto Gethſemani pro ſalute noſtra.

Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.
Matt. 26. Marc. 14.

1. Invitantur omnes Chriſtiani ad legendum hiſtoriam Paſſionis Dominicæ, plenam ſacramentorum & ſalutis: nec non ad conſiderandum cauſam, quarenam Chriſtus voluit tranſire per montem Oliveti ad hortum Gethſemani. 2. Oſtenditur ſollicitudo Chriſti erga Diſcipulos, quos, antequam ingrederetur hortum, priùs curavit exhortari ad vigilandum & orandum, ne intrarent in tentationem. Hoc documento excitantur etiam Paſtores animarum ad vigilandum ſuper greges ſibi commiſſas. 3. Oſtenditur quòd dum Chriſtus in horto cæpit pavere & tædere, contriſtari & mæſtus eſſe, totum hoc agebatur propter nos: ſcilicet ut nec mori timeamus in articulo mortis, nec diabolum tunc adfuturum expaveſcamus.

§. I.

Hymno dicto, egreſſus eſt Jeſus cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, in montem olivarum, ſecundùm conſuetudinem: & ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

Cùm univerſa fecerit Deus in numero [a] pondere & menſura: ſpecialiùs tamen ea tempora quibus in terra viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, quæcunque in eis operatus, aut locutus aut paſſus eſt, ita diſpoſuit, ut ne minimum quidem momentum, ne unum jota à ſacramento vacaverit, aut præterierit ſine myſterio. In noſtra quidem vita, (b) multa, quantùm in nobis eſt, videmur agere caſu, multa neceſſitate: ſed Chriſtus Dei Virtus, & Dei Sapientia neutri potuit ſubjacere. Quæ enim Dei Virtutem neceſſitas cogeret? aut quid ageret Dei Sapientia caſu? Omnia proinde quæcunque locutus eſt, quæcunque operatus eſt, quæcunque paſſus eſt, ne dubites fuiſſe voluntaria, plena ſacramentorum, plena ſalutis. Hæc ſcientes, ſi quid aliquando eorum quæ de Chriſto ſunt, in noſtram ſcientiam venire contingat, non ſic audiendum eſt tanquam ſi inventitium quidpiam proferamus, ſed tanquam id quod etiam priuſquàm cauſa ſciretur, conſtaret nequaquam ſine cauſa fuiſſe. Sicut enim qui ſcribit, certis rationibus collocat univerſa: ita quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, maximèq; ea quæ præſens in carne eſt operata Majeſtas. Sed væ anguſtæ cognitioni noſtræ, væ paupertati ſcientiæ noſtræ, qui tantùm ex parte cognoſcimus, & ex parte modica. Vix ſcin-

c *Ser. 5. de omn. Sanct. nu. 7. & 9.* d *Tract. de vite myſt. cap. 44. nu. 172.* e *Ser. 11. in ult. Cœna nu. 84 & 85.* f *Tract. de diligen. Deo cap. 3. nu. 8.*

g *Tract. de vite myſt. cap. 31. nu. 130.* h *Ser. 1. in ult. Cœna ante nu. 1.* a *Ser. 3. in Dom. Palm. nu. 1.* b *Ser. 4. de Aſcenſ. Dom. nu. 2.*

tillæ quædam nobis elucent de tanta luminis copia, de lucerna posita super candelabrum. Sanè quantò minus singuli capimus, tantò fideliùs cæteris communicanda sunt, quæ singulis revelantur. Et ego, Fratres, quæ mihi ad vestram ædificationem de *Passione sua* donare ipse dignatur, nec volo nec debeo subtrahere vobis: præsertim quòd hæc sit spiritualium prærogativa donorum, ut communicata non minuantur. Aliquibus fortassis hæc nota sunt, quibus similiter revelata sunt: sed propter eos qui fortè non adverterunt sublimioribus intenti, aut aliis occupati; seu etiam propter eos qui minùs capaces intelligentiæ sunt, mihi incumbit loqui quæ sentio. Ego enim [c] si non fastiditis, nostra fragmenta quæ mihi collegeram, sine invidia communicabo, ne fortè incurram maledictionem abscondentis frumenta in populis. Super est jam [d] ut distribuam quæ paravi: vos autem considerate potiùs dantem Dominum, quàm ministrum distribuentem. Ego enim quantùm in me est, nihil aliud sum quàm conservus vester, qui vobiscum pariter & mihi & vobis (sicut ipse Dominus novit) mendico panem de cælo, & alimentum vitæ: non eum panem qui corpus corroborat, sed qui confirmat cor hominis. Ego interim(e) haud temerè mihi arragârim Sponsæ prærogativam. Novit Sponsus quibus deliciis spiritûs foveat dilectam, quibus singulariter refocillet sensus ejus inspirationibus, & mulceat odoramentis. Sit sibi fons proprius, in quo ei non communicet alienus, nec indignus bibat ex eo. Est quippè hortus conclusus, fons signatus. Cæterùm derivantur aquæ inde in plateas. Eas me habere ad manus fateor, dum tamen nemo mihi molestus sit aut ingratus, si de publico haurio & propino. Accipite itaque syllabas aliquas (f) ex Sacris litteris passim sparsimquè comprehensas: in quibus si quid fragrantiæ, si quid dulcoris, si quid interim saporis palato pij cordis degustaveritis, nolo mihi attribuatis: sed nobilibus illis pigmentariis, de quorum Apothecis emendicatum est, referatis gloriam. Legite eas (g) & quas volvetis in ore literas, scintillas sentietis in pectore: quibus & incalescet cor vestrum intrà vos, tanquam ex illo igne, quem Dominus misit in terram. O quantus in illis meditationibus exardescebat ignis, è quibus hujuscemodi evolabant scintillæ. Vigilate autẽ animo, Fratres, [h] nè infructuosè vos hujus Passionis Dominicæ sacramenta pertranseant. Copiosa est benedictio: date receptacula munda, devotas animas, sensus vigiles, affectus sobrios, puras conscientias exhibete tantis charismatibus gratiarum. Prope est mons Oliveti Hierusalem [i] per quem Dominus voluit transire, intimans nobis pacis nobis esse occasionem & causam, & erga contubernales nostros misericordiæ compassionem. Mons Oliveti significat misericordiam, quia oleum in Scripturis, ut scitis, misericordiam exprimere solet. Ascenditur in montem Oliveti [k] descenditur in vallem Josephat, ut sic divitias Divinæ misericordiæ cogitetis, quatenus horrorem Judicis nequaquam dissimuletis: quia etsi in multis miserationibus suis multus est ad ignoscendum, judicia tamen ejus nihilominùs abyssus multa, quibus agnoscitur valdè omninò terribilis super filios hominum. David denique, qui montem Oliveti demonstrat dicens: *Homines & jumenta salvabis Domine, quemadmodùm multiplicasti misericordiam tuam Deus*: etiam judicij vallem in eodem Psalmo commemorat dicens: *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me*. Cujus & præcipitium se omninò perhorrescere fatetur, cùm, in alio Psalmo ita loquitur orans: *Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui*. Superbus in hanc vallem corruit & conquassatur, humilis descendit & minimè periclitatur. Christus Dominus mons est (l) mons coagulatus, & mons pinguis. Mons est sublimitate, coagulatus multorum congerie, pinguis charitate. Pinguissimus planè & uberrimus mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: siquidem propterea unxit eum oleo lætitiæ præ participibus suis. Unxit, inquam (m) & misit plenum gratiæ & veritatis. Unxit, ut ungeret. Omnes ab eo uncti sunt, qui de plenitudine ejus merverunt accipere. Mons cælestium aromatum (n) est Christus Dominus, mons charismatum spiritualium, non ad mensuram accipiens spiritum, sed omnimodam obtinens plenitudinẽ gratiarũ. Magnus mons, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt: in quo tota humanitatis veritas, tota Divinitatis inhabitat plenitudo. Excelsus & immensus mons, in quó omnia restaurantur quæ in Cælis sunt & quæ super terram, ut sit Deus omnia in omnibus. Venite (o) ascendamus ad hunc montem, Fratres, & si via nobis videtur ardua, exoneremus nos: si arcta, etiam exinanire nos non parcamus: si longa, tantò magis festinemus: si laboriosa, clamemus ei: *Trahe nos post te, in odorem unguentorum tuorum curremus*. Felix qui sic cucurrerit, ut comprehendat: imò ut ipse comprehendatur, & in illam amplitudinem montis & plenitudinem corporis Christi mereatur admitti. Felix qui in illum beatificum montem tam desideranter & perseveranter ascenderit, ut in loco sancto locum accipiens stationis, Deo Patri in Sancto ejus appareat, simul & videat virtutem ejus & gloriam: haud aliam sanè, quàm eundem ipsum Montem montium, montem coagulatum & pinguem, Jesum Christum Dominum nostrũ. In quo nimirùm per prædestinationem ab æterno apparvit ei, qui dilexit nos & gratificavit in dilecto Filio suo, in quo elegit nos ante mundi constitutionem.

§. II.

Tunc venit Jesus cum discipulis suis in villam, quæ dicitur Gethsemini, ubi erat hortus. Et dixit eis: Sedete hic donec vadam illuc & orem. Orate, nè intretis in tentationem. Sustinete hic & vigilate mecum. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Joan. 18.

Christus (p) ad Discipulos ait: *Sedete hic donec orem*: verba sunt debitæ subjectionis. Christo igitur adhuc orante, nequaquam surgere debemus per aliquam extollentiam; sed humiliari, & in bo-

c *Ser. 3. in Dom. 6. post. Pent. n. 1.* d *Ser. 1. de em. san. n. 3.* e *Ser. 22. in Cant. n. 2.* f *Proem. tract. de 3. præcip. myst.* g *Epist. 11. nu. 1.* h *Ser. in fer. 4. heb. san. nu. 1.* i *Ser. 4. in Dom. Palm. nu. 5. & 4.* k *Tract. de exerc. ad mil. templ. c. 8. n. 14.*

l *Ser. 33. diver. nu. 8.* m *Ser. 16. in cant. nu. 12.* n *Ser. 33. div. nu. 8.* o *Ibidem n. 9.* p *Ser. 2. in Cæna Domini n. 5.*

-lionis exercitari operibus convenit: ut quandoque post laborum quibus hîc afficimur tolerantiam, surgamus loco & tempore suo promovendi ad cælestem gloriam. *Vigilate & orate* [q] *ut non intretis in tentationem*. Quis hoc dixerit, scitis, & tempus scitis. Domini enim est verbum istud, instante jam passione sua. Et attendite quoniam ipse quidem erat passurus, & non discipuli: nec tamen pro se dicebat orandum, sed pro illis. Unde ad Petrum ait: *Ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Si tantùm illos oportebat timere in Passione Domini: quantùm nobis timendum est, Fratres, in passione nostra? Vigilate proinde & orate, ut non intretis in tentationem; quoniam undique circumdati estis tentationibus. Unde & legitis, quia *tentatio est vita hominis super terram*. Itaque si tot tentationibus plena est vita nostra, ut non immeritò tota ipsa tentatio debeat appellari, per vigili circumspectione opus est & oratione, ne inducamur in eam. Custodiendæ sunt vigiliæ noctis [r] supra gregem cogitationum & actionum nostrarum, ut si in prima vigilia vel secunda vel tertia Dominus venerit, paratos nos inveniat. *Prima* vigila est *rectitudo operis*, ut ad hanc quam jurasti Regulam, omnem vitam exæquare coneris, nec trasgrediaris terminos quos posuerunt Patres tui: in omnibus viæ & vitæ hujus exercitiis non declinans ad dextram, neque ad sinistram. *Secunda* vigilia est *puritas intentionis*, ut simplex oculus totum Corpus lucidum faciat: ut quidquid feceris, propter Deum facias: & ad locum unde exeunt gratiæ revertantur, ut iterum fluant. *Tertia* vigilia est *custodia unitatis*, ut in Congregatione positus, voluntates aliorum tuis voluntatibus anteponas: ut non solùm sine querela, sed & cum gratia inter Fratres maneas, portans omnes, orans pro omnibus, ut & de te quoque dicatur: *Hic est fratrum amator, & populi Israël: hic est qui multùm orat pro populo, & universa sancta civitate Hierusalem*. Audi denique [s] quid sponsa dicat: *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem*. Qui enim vigiles hi? Nempe illi, quos Salvator in Evangelio beatos pronuntiat, si cùm venerit, invenerit vigilantes. Quàm boni vigiles, qui nobis dormientibus ipsi pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus nostris. Quàm boni custodes, qui vigilantes animo atque in oratione pernoctantes, hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, retiacula dissipant, machinamenta frustrantur. Hi sunt Fratrum amatores & populi Christiani, qui multùm orant pro populo & univerersa sancta civitate. Hi sunt, qui multùm soliciti pro sibi commissis Dominicis ovibus, cor suum tradunt ad vigilandum diluculò ad Dominum qui fecit illos, & in conspectu Altissimi deprecantur. Et vigilant & deprecantur, scientes suam insufficientiam in custodienda civitate, & quia nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Porrò [t] cùm Dominus ita præcipiat: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*: liquet, quòd absque duplici hoc exercitio fidelium studioquè custodum, non potest esse secura Civitas, non Sponsa, non Oves. Horum differentiam quæris? Unum sunt. *Civitas* propter collectionem, *Sponsa* propter dilectionem, *Oves* propter mansuetudinem. Vis scire hoc Sponsam quod Civitatem esse? *Vidi* (inquit Joannes) *Civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de Cælo, à Deo paratam, sicut Sponsam ornatam viro suo*. Identidem tibi hoc & de Ouibus liquidò apparebit, si recorderis quàm attentè simul de amore commonitus sit primus ille custos (Petrum loquor) cùm sibi primò Oves committerentur. Quod utique tantâ curâ Sapiens creditor non fecisset, nisi se sentiret Sponsum, id sibi utique ex intimo respondente conscientia, Audite hæc amici Sponsi, si tamen amici. At parum dixi, amici: amicissimi sint oportet, qui privilegio tantæ familiaritatis donantur. Non ociosè toties repetitum est, *Patre amas me*, in commissione Ovium, Et ego quidem id significatum esse perinde puto, ac si illi dixisset Jesus: Nisi testimonium tibi perhibente conscientia quòd me ames, & valdè perfecteque ames, hoc est plusquàm tua, plusquàm tuos, plusquàm & te, ut hujus repetitionis meæ numerus impleatur: nequaquam suscipias curam hanc, nec te intromittas de Ovibus meis, pro quibus Sanguis utique meus effusus est. Terribilis sermo, & qui possit etiam impavida quorumvis tyrannorum corda concutere. Proinde ego infelix [v] quò me vertam, si tantum thesaurum, si preciosum depositum istud, quod sibi Christus Sanguine proprio preciosius judicavit, contigerit negligentiùs custodire? Si stillantem in Cruce Domini Sanguinem collegissem, essetquè repositus penes me in vase vitreo, quod & portari sæpiùs oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certè id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens (ipsa utique Sapientia) Sanguinem illum dedit. Sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multò plura quàm vitreis imminere pericula videantur. Accedit sanè ad sollicitudinis cumulum & pondus timoris, quòd cùm & meam & proximi conscientiam servare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est, & nihilominus exigitur à me utriusque custodia, & ore Esajæ clamatur: *Custos quid de nocte? custos quid de nocte?* Non est mihi dicere cum Cain: *Numquid custos fratris mei sum ego?* Sed est fateri humiliter cum Propheta David: *Quia nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*. Propterea attendite vobis (x) quicunque opus ministerij hujus sortiti estis: attendite inquam vobis, & precioso deposito quod vobis creditum est. *Civitas* est, vigilate ad custodiam concordiamquè. *Sponsa* est, studete ornatui. *Oves* sunt, intendite pastui. Et hæc tria ad illam Domini trinam sciscitationem fortè non incongruè pertinere dicentur. Porrò custodia *Civitatis* ut sit sufficiens, trifaria erit, à vi tyrannorum, à fraude hæreticorum, à tentationibus dæmonum. *Sponsæ* verò ornatus in bonis est operibus, & moribus, & ordinibus. At pastus *Ovium* communiter quidem in pascuis Scripturarum tanquam in hæreditate Domini est. Ad hæc boni solicitiquè Pastores impinguare pecus non cessant bo-

S r.5. super Psal.90. n.1. r Ser.3. in vig. Nat. Dom. n.6. s Ser. 76 in Cant. n.7. t Ibidem n.8.

u Ser.3. de Advent. Dom. n.6. x Ser.76. in Cant. n.9.

pis lætisquè exemplis, & suis magis quàm alienis. Nam si alienis & non suis, ignominia est illis, & pecus ita non proficit. Hæc interim de custodia Civitatis, atque ornatu Sponsæ, nec non & pastu Ovium dicta sint. Volo tamen adhuc (y) eadem paulò expressiùs designare propter eos, qui dum avidè nimis honoribus inhiant, minùs providè gravibus se supponunt oneribus, exponunt periculis: ut sciant ad quid venerint, sicut scriptum est: *Amice ad quid venisti?* Ni fallor, ad solam *Civitatis* custodiam, ut quantùm satis est procuretur, opus est viro forti, spirituali, fideli, *Forti*, ad propulsandas injurias; *Spirituali*, ad deprehendendas insidias: *Fideli*, qui non quæ sua sunt, quærat. Porrò autem ad mores honestandos vel corrigendos (quod utique ad decorem pertinet *Sponsæ*) quis non liquidò agnoscat pernecessariam fore cum multa quidem diligentia disciplinæ censuram? Eapropter omnis cui, hoc opus incumbit, oportet ferveat zelo illo, quo accensus præcipuus ille æmulator sponsæ Dei ajebat: *Æmulor vos Dei æmulatione: despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Jam quomodo in pascua divinorum educet eloquiorum *greges Dominicos* pastor idiota? Sed etsi doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum ne non tam nutriat doctrina uberi, quàm sterili vita noceat. Temerè itaque & in hac parte hoc onus subitur absque scientia pariter utiquè laudabili.

§. III.

Jesus assumpto Petro, & Jacobo, & Joanne, introivit in hortum ipse & discipuli ejus: & cœpit pavere & tædere, contristari & mæstus esse. Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem. Matt. 26. Marc. 14.

Christus (z) dato charitatis salutari mandato, & disposito fratribus regno Patris sui, ad locum proditori suo notum cum illis divertit, sciens omnia quæ ventura erant super se. Accinxit se quodammodò Dei Filius (a) & aggressus est per humilitatem recuperare eum qui recuperari poterat, qui per superbiam perierat. Itaque inter Deum & hominem medium se faciens, qui recedens à Deo, captus & ligatus à diabolo erat: hoc modo boni mediatoris & personã induit, & actu tum factus est homo. *Egressa est virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendit: & requievit super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replevit eum spiritus timoris Domini*. Intellige hìc fortissimum scilicet Agonothetam nostrum, quasi campum mundi ingressum inungi ad palæstram oleo Spiritus Sancti, & exultantem gigantem ad currendam viam dispensationis humanæ. Incipiat ergo [b] consideratio nostra in eodem loco, ubi ipso teste cùm inciperet pavere & tædere, tristis fuit Anima ejus usque ad mortem. Hìc namque turbare se [c] pavere quoque dignatus est & tædere, tentatus per omnia pro similitudine absque peccato. Videas si attendas [d] tristari lætitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minùs mirandum est. Ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans. Agnosce planè [e] in Duce belli pusillanimorum trepidationem: agnosce ægroti vocem in medico: agnosce infirmantem gallinam cum pullis: considera charitatem, stupe miserationem, expavesce dignationem. Misericors Dominus non beati Andreæ robustum sibi suscepit affectum: quia non est sanis opus medicus, sed malè habentibus. Si quem fortè dignatio scandalizat, planè meretur audire: *Nonne oculus tuus nequam est, quia ego bonus?* Huic enim odor vitæ in mortem est. Quid magnum fuerat Domine Jesu [f] si accedente hora propter quam veneras, intrepidus stares, tanquam qui potestatem habebas ponendi Animam tuam, & nemo eam tollebat à te? An non longè gloriosiùs fuit, quando quidem totum propter nos agebatur, ut nonmodò passio Corporis, sed etiam Cordis affectio pro nobis faceret: & quos vivificabat mors tua, nihilominus & trepidatio robustos, & mæstitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, desolatio consolatos? In horto [g] Animæ tuæ tristitiam, quam ex imminente Passione tua sponte assumpsisti, sicut & cætera quæ passus es, in auribus fratrum non erubuisti profiteri dicens: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Arbitramur autem quòd hoc ad consolationem infirmorum membrorum tuorum assumpsisti, ne fortè desperet quis si caro infirma remurmurat, ubi ad passionem promptus est spiritus. Nimirùm ut majoris erga te amoris & gratitudinis stimulos habeamus, naturalem carnis infirmitatem his indiciis in te expressisti, quibus docemur quia verè languores nostros portasti, & non absque sensu doloris passionum sentes percurristi. Vox enim illa vox esse carnis videtur, non spiritûs, ex eo quòd subjunxisti: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Arabia vespera interpretatur [h] quæ diei finis est noctisquè principium: horam mortis non incongruè (ut puto) signans, quæ cunctis ferè mortalibus timoris non leve pondus imponit. Quis enim hominum hoc onus evitet, cui se Salvator spontanea voluntate submisit? Imminente enim morte, *cœpit pavere & tædere*. Sub hoc timoris onere totum vivit genus humanum: nisi fortè aliquis talis sit, cui certa sit beata vita post mortem, cujus desiderio etiam amaritudinem mortis non sentiat. Timuit Christus mori [i] ut tu, o homo, non timeas mori, confidens in eum qui suscitavit Jesum à mortuis tertia die. In illum tantùm, qui suscitavit Jesum, est confidendum. O tu Christiane ne de hac infirmitate desperes, Jesus docuit quid tunc, & in omnibus periculis mortis debeas dicere, ad quem confugere, quem invocare, in quem sperare. In Patrem Deum, qui non potest despicere sperantes in se, cum attestatione bonorum operum. *Bonorum*, dico, quia sine meritis aliquid sperare non spes sed præsumptio debet dici. Tu itaque talia fac opera tua, ut ei in hora mortis in veri-

y *Ibidem. n. 10.* z *Ser. de Pass. Dom. n. 8.* a *Lib. 2 de amore Dei cap. 12. n. 35.* b *Tract. de vite myst. cap. num. 23.* c *Ser. 34. dict. num. 2.*

d *Ser. 2. super missus num. 9.* e *Ser. 1. de S. Andr. n. 5.* f *Ibidem num. 6.* g *Ser. de Pass. Dom. n. 8* h *Ser. de Adventu Dom. num. 12. tom. 6. pag. 605.* i *Ser. 1. in ult. Cœna n. 2.*

veritate dicere & orare possis: *In te Domine speravi non confundar in æternum*. Hoc enim est, totum hominis meritum [k] si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominem salvum facit. *In te speraverunt patres nostri, speraverunt & liberasti eos: ad te clamaverunt, & salvi facti sunt: in te speraverunt, & non sunt confusi*. Quis enim speravit in eo, & confusus est? Sperate in eo omnis congregatio populi. Quemcunque enim locum calcaverit pes vester, vester erit. Pes vester utique spes vestra est: & quantumcunque illa processerit, obtinebit, si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit & non titubet. Quid timeat aspidem aut basiliscum, quid leonis rugitus aut draconis sibilos expavescat? Quidni tolleret omnia [l] quæ ad omnia valet, promissionem habens ejus vitæ quæ nunc est & futuræ? Repugnet fortiter, impugnanti propugnator aderit indefessus, & triumphanti non deerit largissimus remunerator. *Scuto* (inquit Psalmista) *circumdabit te veritas ejus*. Necessaria planè insuperabilis protectio veritatis [m] nonmodò interim in carne degenti, sed postmodùm exeunti; & nunc quidem ob periculosos conflictus, tunc verò ab monstruosos occursus spirituum malignorum. Nempè & sanctissimam illam Gloriosi Martini Animam volvit pars inimica nocere, & cruenta bestia sciens quòd modicum jam tempus haberet, totâ profectò insaniâ malitiæ infatigabilis non est verita propè assistere ei quoque in quo nihil habebat. Immo verò ad ipsum etiam Regē gloriæ accedere impudentissima temeritas illa præsumpsit, sicut ipse testatur; *Venit enim princeps mundi hujus, & in me non invenit quidquam*. Fælix anima, quæ sic interim tentationum jacula scuto veritatis repulerit, ut nil prorsùs venenatum in se coalescere passa, omninò non confundatur cùm loquetur inimicis suis in porta: *Nihil in me funesti reperies*. Fælix quem sic circumdabit clypeus veritatis, ut introitum quoque & exitum ejus custodiat; exitum utique ab hac vita, & introitum in futuram; quo videlicet nec moliatur à tergo, nec à facie mali quidpiam inimicus attentet. Siquidem omninò opus erit illic custode, opus erit duce fideli, opus erit consolatore magno propter horribiles illas visiones; non minùs quàm hîc adjutore & propugnatore contra invisibiles tentationes. Licet autem (n) nullus tibi ad regnum cælorum nisi per medios hostium cuneos patet accessus, in itinere medio sunt gigantes in aëre volitant, obsident transitum, observant transeuntes; attamen fiducialiter age, ne timeas. Magni sunt, multi sunt; sed *cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*. Cadent undique, nunquam tibi deinceps in perpetuum nocituri: parum est, non appropinquaturi. Equidem videbit peccator & irascetur, sed à latere veniet, eò quòd videlicet præveniat te misericordia Dei tui, eadē quoque nihilominus etiam misericordia subsequatur, & introitum videlicet tuum & exitum tuum custodiens. Alioquin quid in illo tam terribili spiritualium nequitiarum occursu humani possent consistere sensus quid non intolerabili concuterentur horrore? Sed (o) nec juxta iter quidē scandalū de cætero inimicus ponet tibi, ad te enim non appropinquabit: nonmodò non attinget ut feriat, sed nec accedet ut terreat. Puto enim id verebaris, ne te forsitan gravis ad illas tam monstruosas effigies, & larvalium tantam multitudinem specierum horror invaderet: sed egregius tibi Paracletus & efficacissimus aderit consolator, ipse nimirùm de quo legisti: *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent*. Planè ad nihilum deducetur in conspectu ejus malignus: sic timentes se glorificabit. Præsente te Domine Jesu, quantumlibet irruant hostes, imò non irruant, sed ruant: confluant undique, sed ut fluant & pereant à conspectu Domini, quemadmodùm fluit cera à facie ignis. Quid enim metuam deficientes? quid trementes paveam? quid verear cadentes? Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, dummodò tu mecum sis Domine Deus meus. Siquidem protinùs aspirabit dies, & inclinabuntur umbræ, cadent hincinde principes tenebrarum. Quos enim nunc quoque, dum inter malignas eorum occultasquè suggestiones per fidem adhuc non per speciem ambulamus, fides tamen victoriosa triumphat: quomodò non faciliùs ipsa jam tunc propalatæ cognitio veritatis evidens cum suis illis tenebrosis ferrugineisquè imaginibus exsufflabit? Nec causeris fortè de numero, vel ipsam saltem multitudinē verearis homo. Memento sanè quod ad unum Salvatoris imperium ab obsesso jam & diu possesso unius hominis corpore dæmonum legio tota discessit, & ne ipsos ausa est nisi ab eo jussa contingere porcos: quantò magis ipso Duce quotquot fuerint undique cadent, cum ingenti admiratione & confusione dicentes; *Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*? Intrepidus itaque & omninò impavidus, magis autem gratulabundus & laudans oculis tuis considerabis: nec sanè jam vel impugnationem sustinebis, vel furorem pavebis, sed magis retributionem peccatorum videbis.

CAPUT III.

De circumstantiis primæ orationis Christi in horto Gethsemani.

1. *Christus oraturus in horto avulsus est à suis Discipulis, ut exemplo suo commendaret orare volentibus loci secretum quærendum, propter cautelam & verecundiam.* 2. *Christus procidens super terram in faciem suam, ad instar Elisæi contraxit se mortuo generi humano, eiquè restituit vitam, quam septem oscitationes demonstrant.* 3. *Christus ideo oravit Deum Patrem transferri à se calicem passionis, ut doceret nos in tribulationibus nostris recurrendum esse ad Deum, ut avertat à nobis flagella iracundiæ suæ. Et ostenditur Deum esse nobiscum in omni tribulatione nostra.*

§. I.

k *Ser. 15. super Psal. 90. n. 5.* l *Ser. 7. super. Psalm. 90. num. 1.* m *Ibidem n. 2.* n *Ibidem n. 7.* o *Ibidem n. 9.*

§. I.

Jesus avulsus est ab eis, & progressus pusillùm quantùm jactus est lapidis, orabat. Matth. 26. Luc. 22.

Vide ô homo[a] quàm utiliter orationis tempore etiam corporalis loci secretum quærimus, quãdo hoc Jesus non solùm docuit verbo: *Intra*, inquiens, *in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum*: sed & commendavit exemplo, nec domesticorum quemquam admittens, sed solus ascendens ad orationem. Denique (b) licet tres secum intimos sibi adduxerat, cùm ultrò properaret ad mortem, avulsus est tamen & ab ipsis orare volens. Ergo & tu fac similiter, quando orare volueris. Beatus (c) qui dicere potest: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine*. Non fuit contentus exire, nisi & longè se faceret, ut posset quiescere. Quærit sponsa Verbum verecundè quidem (d) quia in lectulo, quia per noctes: sed hæc verecundia habet gloriam, non peccatum. Quærit hoc ad purificationem conscientiæ, quærit ad testimonium, ut possit dicere: *Gloria mea hac est testimonium conscientiæ meæ. In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea*. Verecundia tibi si advertis, & loco signatur & tempore. Quid tam amicum verecundo animo quàm secretum? Porrò secretum & nox & lectulus habet. Denique orare volentes jubemur intrare cubiculum, utique secreti gratiâ. Id quidem ad cautelam, ne coram orantibus laus humana orationis furetur fructum, frustretur effectum. Sed doceris nihilominus verecundiam sententia hac. Quid tam proprium verecundiæ, quàm proprias vitare laudes, vitare jactantiam? Patet, quòd signanter & ad verecundiam orantibus petere secretum indixerit pudoris filius & minister. Necmodò locum (e) sed & tempus observare oportet eum, qui sibi orare voluerit. Tempus feriatum commodius aptiusquè est, maximè autem cùm profundum nocturnus sopor indicit silentium, tunc planè liberior exit puriorquè oratio. *Consurge in nocte* (inquit Scriptura) *in principio vigiliarum tuarum, & effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui*. Quàm secura ascendit de nocte oratio, solo arbitro Deo, sanctoquè Angelo, qui illam superno Altari suscipit præsentandam. Quàm grata & lucida verecundo colorata rubore. Quàm serena & placida nullo interturbata clamore vel strepitu. Quàm denique munda atque sincera nullo respersa pulvere terrenæ sollicitudinis, nulla aspicientis laude seu adulatione tentata. Propter hoc ergo sponsa non minùs verecundè quàm cautè, & lectuli secretum petabat & noctis, orare hoc est Verbum quærere volens. Porrò (f) verecundiam intellige tanquam colorem in facie, quòd hæc potissimum virtus & venustatem ingerat, & augeat gratiam. *Pulchræ sunt* (ait Sponsus ad sponsa) *genæ tuæ sicut turturis*. Poterat usitatiùs faciem ponere & describere pulchram, sicut solet cujus pulcritudo laudatur, pulchra facie seu decora facie dici. Sed nescio quid sibi voluerit, ut magis *genas* pluraliter dicendum putaverit, nisi quòd minimè id crediderim ociosum. Spiritus namque sapientiæ loquitur, cui non est fas vel modicum quid omninò adscribere ociosum, aut secùs dictum quàm oportuerit. Est itaque sine dubio causa, quæcunque illa sit, cur pluraliter *genas* malverit quàm singulariter faciem dicere. Et sit tu melius non habes, ego quod mihi videtur aperio. Duo quædam in *intentione* (quam faciem animæ dicimus) necessariè requiruntur, *Res & Causa*: id est, quid intendas, & propter quid intendas. Ex his sanè duobus animæ, vel decor, vel deformitas judicatur, ut (verbi causâ) anima quæ ambo ista recta atque pudica habuerit, illi meritò veraciterquè dicatur: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*. Quæ verò altero horum carverit, non poterit dici de ea quòd pulchræ sint genæ ejus sicut turturis, propter eam quæ adhuc ex parte erit deformitatem. Multò autem minùs illi hoc poterit convenire, quæ neutrum horum habere laudabile invenitur. Nimirùm intendere non in Deum, sed in sæculum, sæcularis animæ est, nec ullam prorsùs genarum speciosam habentis. Inquirere autem solum *Deum*, propter ipsum solum, hoc planè est utramque *bipartitæ intentionis* faciem habere pulcherrimam; atque id proprium ac speciale sponsæ est, cui meritò singulari prærogativæ audire conveniat: *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis*. Cur verò, *sicut turturis*? (h) Pudica avicula est, & conversatio ejus non cum multis, sed solo degere fertur contenta compare: ita ut si illum amiserit, alterum non requirat, sed sola deinceps conversatur. Tu ergo qui hæc audis, ut sanè non ociosè audias ea quæ scripta sunt propter te, & nunc propter te versantur & disputantur: tu, inquam, si ad istiusmodi Spiritus Sancti incitamenta moveris, & inardescis dare operam quomodò animam tuam facias sponsam Dei, stude ambas speciosas habere has genas tuæ *Intentionis*, ut imitator castissimæ volveris sedeas secundùm Prophetam solitarius, quoniam levasti te supra te. Omninò supra te est, Angelorum Domino desponsari. An non supra te adhærere Deo, atque unum spiritum esse cum eo? Sede itaque solitarius sicut turtur, nihil tibi & turbis, nihil cum multitudine cæterorum: etiamquè obliviscere ipsum popupulum tuum & domũ patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. O sancta anima sola esto, ut soli omnium serves teipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos, secede ab amicis & intimis, etiam ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere Sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente non corpore, sed intentione, sed devotione, sed Spiritu. *Spiritus enim ante faciem tuam Christus Dominus*, spiritùsquè requirit non corporis solitudinem: quanquam & corpore interdum non ociosè te separas, cùm oportunè potes, præsertim in tempore orationis. Tenes etiam in hoc & mandatum Sponsi Jesu & formam. *Tu*, inquit, *cùm ora-*

a *Ser. 4. in Ascens. Dom. n. 11.* b *Ser. 40. in Cant. n. 5.* c *Ser. 52. in Cant. n. 5.* d *Ser. 86. in Cant. n. 2.* e *Ibidem n. 3.* f *Serm. 40 in cant. n. 1. et 2.*

g *Ibidem n. 3. et 4.* h *Ibidem n. 5.*

oraveris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora. Et quod dixit, fecit. *Solus in oratione pernoctabat*: nonmodò se abscondens à turbis, sed nec ullum domesticorum admittens. De cætero sola (i) indicitur tibi mentis & spiritûs solitudo. Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant: si jurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis injuriarum. Alioquin nec si solus corpore es, solus es. Videsne posse esse te & solum cùm inter multos, & inter multos cùm solus es? Solus es in quantacunque hominum verseris frequentia. Ubicunque autem fueris (k) intrà teipsum ora. Si longè fueris ab Oratorio, noli quærere locum, quoniam tu ipse locus es. Si fueris in lecto aut in alio loco, ora, quia & ibi est templum. Frequenter orandū, & flexo corpore mens est erigenda ad Deum. Sicut enim nullum est momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate & misericordia: sic nullum debet esse momentum, quo Deum præsentem non habeat in memoria.

§. I I.

Jesus positis genibus, procidit super terram, in faciem suam. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Fortasè Crux ipsa nos sumus (l) cui Christus memoratur infixus. Homo enim formam Crucis habet, quam si manus extenderit exprimet manifestiùs. Ibi magnus Elisæus (m) in mensuram suscitandi pueri sese contraxit, nimirum Jesus Christus. Loquitur enim (n) in Psalmo: *Infixus sum in limo profundi*. Limum quidem nos esse manifestum est, quoniam de limo plasmati sumus. Sed tunc quidem limus paradisi fuimus, nunc verò limus profundi. Habuit & Judæa quosdam Jesus (o) quorum vacuis gloriatur vocabulis. Et illi quidem præmissi sunt tanquam baculus ad mortuum, Prophetam prævenientes, sed sua interpretari nomina nequiverunt: vacua quippe erant. Superpositus mortuo baculus est, & non erat vox, neque sensus: quoniā baculus erat. Descendit qui baculum misit, & mox salvum fecit populum suum à peccatis eorum, probans se esse quod dicebatur: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* Nimirum qui dicit: *Salus populi ego sum*. Jam vox jam sensus est, & patet eum non inane portare nomen instar priorum. Sentitur infusa salus, & beneficium non tacetur. Intùs sensus, foris vox. Compungor & confiteor, & confessio vitam indicat. A mortuo enim tanquam qui non est, perit confessio. Ecce vita, ecce sensus. Suscitatus perfectè sum, integra est resurrectio. An aliud mors corporis est, nisi cùm sensu privatur & vitâ? Peccatum, quod mors animæ est, nec compunctionis mihi sensum nec confessionis reliquerat vocem, & eram mortuus. Venit is qui peccata dimittit, & utrumque restituit. Et dicit animæ meæ: *Salus tua ego sum*. Quid mirum si cedit mors, ubi vita descendit? Jam corde creditur ad justitiam, & ore confessio fit ad salutem. Jam oscitat puer, & oscitat septies. Quid autem (p) sibi vult septenarius iste? Nescio enim an ita simplex quispiam in nobis sit, qui ociosas esse has voces & numerum hunc putet fortuitum? Ego nec illud vacare reor, quod Propheta incumbens super mortuum, ad mensurā puerilis corporis sese contraxit, os suū ad os illius conjunxit, oculisquè oculos, & manibus manus. Spiritus Sanctus sic omnia fieri, & sic scribi fecit ad eruditionem proculdubio illorum spirituum, quos corrupti corporis circumvenit infida societas, ac stulta mundi sapientia desipere docuit. Propterea nemo miretur aut molestè accipiat, si in his scrutandis tanquam quibusdam Spiritus Sancti apothecis curiosus existo, cùm sciam quia sic vivitur, & in talibus vita spiritus mei. Non parvum equidem fiduciæ robur præstat mihi, quòd magnus ille vir Propheta (*Christus*) potens in opere & sermone, de excelso monte Cælorum descendens, visitare dignatus est me, cùm sim cinis & pulvis: misereri mortuo, inclinare se jacenti, contrahi & coæquari parvo, cæco partiri lumen oculorum suorum, & os mutum oris proprii osculo solvere, debilesquè manus suarum roborare contactu. Suaviter rumino ista, & replentur viscera mea, & interiora mea saginantur, & omnia ossa mea germinant laudem. Hoc semel contulit Universitati generis humani. Hoc quotidie singuli in nobis actitari sentimus, & *cordi* scilicet tribui intelligentiæ lumen, & *ori* ædificationis verbum, & *manibus* opus justitiæ. Dat sentire fideliter, dat proferre utiliter, dat efficaciter adimplere. Et est funiculus triplex (qui difficile rumpitur ad extrahendas animas de carcere diaboli, & trahendas post se ad regna cælestia) si rectè sentias, si dignè proloquaris, si vivendo confirmes. *Oculis* suis tetigit meos, interioris hominis frontem claris luminaribus ornans, fide & intellectu. *Ori* meo junxit suum, & mortuo signum pacis impressit: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, reconciliavit nos Deo, justitiæ mortuos. Os ori applicuit, iteratò inspirans in faciem meam spiraculum vitæ, sed sanctioris quàm primò. Nam primò quidem in animam viventem creavit me: secundò in spiritum vivificantem reformavit me. *Manus* suas meis superposuit, exemplum præbens bonorum operum, formam obedientiæ. Aut certè manus suas misit ad fortia, ut doceret manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Itaque (q) Crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus. *Et* [r] *oscitavit puer septies*, inquit Scriptura. Sufficiebat ad gloriam manifestandi miraculi oscitasse semel: sed multiplicitas & insignis numerus, mysterii admonent. Si illud ingens universi humani generis primum quidem exanime corpus attendas: vides ubique Ecclesiam (ex quo vitam Propheta incumbente recipit) quasi septies oscitare: quia septies in die laudem dicere consuevit. Habeo & alias septem oscitationes, (s) septem videlicet experimenta, sine quibus vera & certa salus redivivi spiritus minimè constat: quatuor ad sensum *Compunctionis*, tria ad *Confessionis* sonum pertinentia. Si vivis, si vox, si sensus est, tu quoque eadem in te recognoscis. Porrò sensum ex integro recu-

i Ibidem n.6. k Tract. de cognit. human. condit. cap. 6. num. 18. l Ser. 2. in Vig. Nat. Dom. n.7. m Ser. 3. de Virg. Dep. n.3. n Ser. 4 in Vig. Nat. Dom. n.3. o Ser. 15. in Cant. n.8.

p Ser. in cant. n.1. et 2. q Ser. 4. in Vig. Nat. Dom. n.7. r Ser. 16. in cant. n.3. s Ibidem n.4.

recuperasse te scias, si tuam conscientiam quadruplici sentis compunctione morderi; *pudore* gemino, & gemino *metu*: nam vitam ad perficiendum septenarium triplex Confessionis species attestatur, de quibus postea videbitur. Nonne & sanctus Ieremias in suo planctu observat hunc numerum? *Quis dabit capiti meo aquam* (inquit) *& oculis meis fontem lachrymarum? &*. Et tu igitur in tua pro te lamentatione formam habens propheticam, Deum cogita *Factorem* tuum cogita & *Benefactorem*, cogita *Patrem*, cogita *Dominum*. Ad omnia reus es, plange ad singula. Ad primum & ultimum respondeat *timor* tuus, ad duo media *pudor*. *Pater* sanè non metuitur, cùm Pater sit. Patris enim est misereri semper & parcere. Et si percutit, virgâ non baculo percutit: & cùm percusserit, sanat. Paterna vox est: *Percutiam, & ego sanabo*. Non est proinde quod à Patre formides, qui etsi quandoque feriat ut emendet, numquid tamen ut vindicet? At verò cogitantem quòd Patrem offenderim, est certè quod pudeat, etsi non quod terreat. Voluntariè genuit me verbo veritatis, non stimulo carnalis cupiditatis excussit, quemadmodùm genitor carnis meæ. Deinde etiam non pepercit Unigenito pro sic genito. Ita ipse quidem Patrem se exhibuit mihi, sed non ego me illi vicissim filium. Quanam fronte attollo jam oculos ad vultum Patris tam boni tam malus filius! Pudet indigna gessisse genere meo: pudet tanto Patre vixisse degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei, operiat confusio faciem meam, vultum meum pudor suffundat, occupetquè caligo. Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Proh pudor! quem fructum habui in quibus nunc erubesco. Confundor audire: *Si ego Pater, ubi est honor meus?* Sed (t) etsi Pater non esset, obrueret me tamen beneficiis ut *Benefactor*. Instaurat adversùm me testes, videlicet hujus corporis victum, & usum temporis hujus, & super omnia Sanguinem dilecti Filii clamantem de terra. Pudet ingratitudinis, quanquam ad confusionis cumulum arguar etiam reddidisse mala pro bonis, & odium pro dilectione. Minimè quidem mihi à Benefactore sicut nec à Patre timendum. Verus quippè beneficus est, dans affluenter, & non improperans. Non improperat dona, quia dona sunt: & beneficia sua mihi dedit, non vendidit. Denique sine pœnitentia sunt dona ejus. At quantò de illo benignùs, tantò de me indigniùs sentire cogor. Erubesce & dole nihilominùs anima mea, quoniã etsi illum non repetere & improperare decet, nos tamen omninò dedecet ingratos immemoresquè extitisse. Heu, quid vel nunc tandem retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Quod si segnior fortè (u) suas partes minùs exequitur pudor, timor sanè excitetur in adjutorium. Excitetur, ut excitet. Sepone parùm pia vocabula Benefactoris & Patris, atque ad austeriora convertere. Nempe qui legitur, *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*: legitur nihilominus *Deus ultionum Dominus*. Legitur *Deus judex, justus, & fortis*: legitur *terribilis in consiliis super filios hominum*. Legitur *Deus zelans*. Quòd Pater est, quòd Beneficus est, tibi est; quòd *Dominus*, ac *Creator*, sibi. Etenim propter semetipsum fecit omnia, Scriptura teste. Qui ergo quod tuum est tibi descendit ac servat, putas & pro se aliquando non zelabit? putas sui non requiret principatus honorem? Propter hoc irritavit impius Deum, quia dixit in corde suo: *Non requiret*. Et quid est in corde suo dicere, *Non requiret*, nisi non metuere quod requirat? Sed requiret usque ad novissimum quadrantem; requiret, & retribuet abundanter facientibus superbiam. Requiret à redempto servitium, honorem & gloriam ab eo quem plasmavit. Esto quòd dissimulet Pater, ignoscat Beneficus: sed non *Dominus*, & *Creator*. Et qui parcit filio, non parcet figmento, non parcet servo nequam. Pensa (x) cujus sit formidinis & horroris, tuum atque omnium contempsisse *Factorem*, offendisse *Dominum* majestatis. Majestatis est timeri, Domini est timeri, & maximè hujus Majestatis, hujusquè Domini. Nam si reum regiæ majestatis quamvis humanæ, humanis legibus plecti capite sancitum sit: quis finis contemnentium Divinam omnipotentiam erit? Tangit montes, & fumigant: & tam tremendam Majestatem audet irritare vilis pulviculus, uno levi flatu mox dispergendus, & minimè recolligendus? Ille ille timendus est, qui postquam occiderit corpus, potestatem habet mittere & in gehennam. Qui sic afficitur (y) sensum proculdubio recuperavit, & in duplici *metu* isto, itemquè in *pudore* illo æquè duplici habet oscitationes quatuor. Tres quæ restant ex voce Confessionis adiiciet, & nequaquam dicetur jam de eo, quòd non sit vox neque sensus, si tamen de corde humili, simplici, fideliquè processerit illa Confessio. Omne ergo quod remordet conscientiam, confitere *humiliter*, *purè*, *fideliter*, & has vices implesti. Hæ autem tres Confessionis observantiæ (z) junctæ quatuor superioribus compunctionibus, septenarium implent.

§. III.

Jesus orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora, dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Matt. 26. Mar. 14.

Per Calicem [a] quem bibiturus erat, proculdubio Passionem significans, quam erat passurus. Sed est quod moveat nos: quia cùm instaret hora passionis extremæ, procedens ad orationem Dominus Jesus procidit in faciem suam, orans & dicens: *Mi Pater, si possibile est, transfer hunc calicem à me*: & hoc non tantùm semel, sed secundò & tertiò fecit. Quid est hoc? antequam gustes ô bone Jesu, petis calicem omninò auferri? Sed ut existimo, ante Passionem calicem ipsius Patris à te transferri orasti, non ut Passionem declinares, pro qua veneras patienda, & sine qua salus humano generi non adesset: sed ne putaret quis te verum hominem amaritudinem non sensisse propter claritatis unionem, verbis petentibus calicem à te transferri semel & bis & tertiò, summam acerbitatem Passionis tuæ dubitantibus indicasti: nobis quoque te sequentibus doctrinæ & exempli formam præscripsisti; quòd imminentibus periculis, etiam cùm ad utilitatem nostram pertineant

t Ibidem n.5. u Ibidem n.6.

x Ibidem n. 7. y Ibidem n. 8. z Ibidem n. 11. a Tract. de vite myst. cap. 13. n. 54. & 55.

ant, posse & debere à nobis Dominum frequentiùs exorari, ut flagella iracundiæ suæ etiam à nobis dignetur avertere. Nihilominùs & si tamen ablata non fuerint, exemplo Passionis Jesu gratanter, patienter, & viriliter cum omni perseverantia toleranda sunt. *Clamabit ad me* (b) *& ego exaudiam eum*, ait Dominus. Hoc planè est testamentum pacis, hoc pietatis fœdus, hoc pactum misericordiæ & miserationis. *Exaudiam eum*, ait. (c) In quo exaudies Domine, vel in quibus? *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Ad magnum illud triduum (quod ante Dominicam Resurrectionis celebratur) hunc mihi ternarium numerũ arbitror referendum. Siquidem & ipse Dominus Jesus propter nos & tribulationem & dolorem invenit, quando proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta. Verumtamen quæ de ipso erant, sicut ante mortem prædixerat, finem habuerunt: & sicut in morte dixit, *Consummata sunt*: & extunc sabbatizavit. Nec dilata est gloria Resurrectionis die tertia, summo diluculo Sol justitiæ de tumulo ortus est nobis. Ita ergo fructus pariter tribulationis & veritas ereptionis in manifestatione glorificationis apparuit. Nihilominus quoque & in nobis simile quoddam triduum posse videbitur assignari. *Cùm ipso sum* (ait) *in tribulatione*. Quando hoc nisi in die tribulationis nostræ, in die crucis nostræ, dum impletur quod ipse ait: *In mundo quidem pressuram habebitis*. Hoc & Apostolus ejus ait. *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur*. Nam liberatio plena atque perfecta ante diem sepulturæ esse non poterit: eò quòd maneat jugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium. In hac ergo die *eripiam eum* (inquit) quando nihil jam ultra, quod vel corpori vel animæ faciat, mundus habebit. Sanè glorificatio diem ultimum manet, diem resurrectionis, quãdò resurget in gloria quod in ignominia interim seminatur. Sed unde scimus (d) quòd nobiscum sit in tribulatione? Ex eo utique quòd in ipsa tribulatione nos sumus. Quis enim sustineret, quis persisteret sine eo? Omne gaudium existimemus, Fratres mei, cùm in tribulationes varias inciderimus: nonmodò quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, sed quoniam *juxta est Dominus his qui ribulato sunt corde*. Nam & mater (e) quem ægrotantem novit filium magis fovet, & sæpiùs amplectitur eum. Utilis tribulatio (f) quæ probationem operatur, ducit ad gloriam. *Cum ipso sum* (inquit) *in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*. Agamus gratias Patri misericordiarum, qui nobiscum est in tribulatione, & in omni tribulatione nostra nos consolatur. Res enim (ut dixi) necessaria tribulatio, quæ in gloriam vertitur, tristitia quæ mutatur in gaudium. Gaudium sanè longum quod nemo tollit à nobis, gaudium multiplex, gaudium plenum. Res necessaria est ista necessitas, quæ coronam parit. Non contemnamus, Fratres: Semen modicum est, sed magnus exinde fructus exurgit. Fortè insipidum, fortè acerbum est, fortè granum sinapis. Non consideremus quæ videntur, sed quæ non videntur in eo. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. Prælibemus primitias gloriæ magni Dei. Non solùm autem, sed ut dicam expressiùs, gloriemur in tribulatione. In ea siquidem spes gloriæ est. Vide si non hoc ipsum docere volvit Apostolus, cùm subjunxit: *Quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem*. Manifestè advertere est in his verbis, cùm præmisisset Apostolus *gloriari in spe*: non aliud aliquid, sed amplius eum addidisse dicendo: *Non solùm autem, sed & gloriari in tribulationibus*. Non enim altera gloriatio commendatur, sed additur ubi spes gloriæ, ubi ipsa spei gloriatio requiratur. Siquidem in tribulatione spes gloriæ, imò & ipsa in tribulatione gloria continetur: sicut spes fructus in semine, sic & ipse fructus in semine est. Omne ergo gaudium existimemus, cùm in varias inciderimus tribulationes. Dicamus ex animo, dicamus ex sententia: *Bonum magis ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivij*. *Cum ipso sum* [g] *in tribulatione*, ait Dominus: & ego aliud interim requiram quàm tribulationem? Mihi adhærere Deo bonum est. Non solùm autem, sed & ponere in Domino spem meam: quia *eripiam eum* (inquit) *& glorificabo eum*. *Cum ipso sum in tribulatione*. *Deliciæ*, inquit, *meæ esse cum filiis hominum*. Descendit ut propè sit his qui tribulato sunt cordè, ut nobiscum sit in tribulatione nostra. Bonum mihi Domine tribulari, dummodò ipse sis mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te vel in Cælo. Quid enim mihi est in Cælo, & à te quid volvi super terram? Aurum probat fornax, & viros justos tentatio tribulationis. Ibi ibi cum eis es Domine; ibi in tuo nomine congregatis medius astas, sicut olim cum tribus pueris es dignatus etiam Ethnico apparere, ut diceret: *Quia species quarti, similis Filio Dei*. Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum? Sævit ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione. *Si Deus nobiscum, quis contra vos*? Nihilominus quoque si ille eripit, quis est qui rapiat de manu ejus? Quis est qui de manu ejus possit ervere? Postremò si ille glorificat, quisnam alius inglorium faciet? Si ille glorificat, quis humiliabit? Itaque (h) cùm defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido: scio quid faciam. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Quid est (i) calicem accipiam? *Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritus meus in præcordiis meis*. *Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ meæ*. Non solùm autem nomen, sed & memoriale Passionis ejus semper sit in desiderio animæ meæ, ut Passionis ejus particeps efficiar, si quomodo cognoscere potero sicut & agnitus sum. Sic ergo calicem ejus accipiam: quia monumenta Passionis suæ intra animæ meæ sinum, intra memoriæ meæ cellas semper revolvam. Tres sunt Calices (k) quos Dominus nobis propinat. Calix *pænitentiæ* & doloris, qui est plenus mixto. Calix *patientiæ* & laboris, quem bibit Jesus. Calix bene-

b Ser. 16. super Psalm. 90. n. 1. c Ibidem n. 2. d Ibidem n. 3. e Ser. 2. in Dom. Palm. n. 6. f Ser. 17. super Psal. 90. n. 3.

g Ibidem n. 4. h Ser. 22. in cant. n. 9. i Ser. de verb. sap. n. 4. et 5. tom. 6. p. 769. k Lib. sent. n. 32. tom. 6. pag. 1001.

benevolentiæ & amoris, qui est inebrians & præclarus. Vinum est utique (l) & calix inebrians Christi amor. Calix hujus vini inebrians (m) quàm præclarus est? Inebriat, calefacit, acuit, audaces facit, & fortes, obliviosos, discretos, somnolentos. *Inebriat* amor Dei ad contemptum mundi. *Calefacit*, quia ferventes facit. *Acuit*, quia erudit. Facit *audaces* contra adversa: & *fortes* à carne, mundo, & à dæmonibus invincibiles. Facit *obliviosos* eorum scilicet quæ retrò sunt, & in futura extentos. Facit *discretos*, erudiens ad justitiam. Facit *somnolentos* & tædiosos ad temporalia, & ad invisibilia contemplanda pronos & promptos.

CAPUT IV.

De triplici sermone Christi, quo discipuli ejus blandè reprehenduntur ob suam dormitionem: & monentur ad vigilandum & orandum: sed nihilominus excusatur eorum infirmitas carnis.

1. *Ostenditur, quòd Jesus surgens ab oratione, veniensquè ad suos discipulos præ tristitia dormientes, exhibuit magnam tunc habuisse circa illos curam: quam etiam nunc exhibere non cessat circa nos licet somnolentos.* 2. *Quòd Jesus suos discipulos tunc exhortatus est ad vigilandum & orandum, ne intrarent in tentationem. Docemur dupliciter fieri orationem, voce, & desiderio: nec non triplici modo fieri vigilias, nimirum super opera, verba, & corda nostra.* 3. *Ostenditur, fortitudinem carnis operari debilitatem spiritûs, infirmitatem verò carnis augere robur spiritûs. Et probatur virtutem perfici in infirmitate, id est, in humilitate, de qua afferuntur plura documenta.*

§. I.

ET *cùm surrexisset Jesus ab oratione, venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes præ tristitia. Et dicit Petro: Simon, dormis? non potuisti unâ horâ vigilare mecum*, Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Vigilat super nos (a) indefessus & pervigil ille singularis clementiæ oculus, non dormit neque dormitat qui custodit Israël. Id quidem necesse: non enim dormit neque dormitat qui impugnat Israël. Et sicut Dominus sollicitus est nostri, & ipsi cura est de nobis: sic satanas sollicitus est ut nos mactet & perdat, & una ei cura est, ne fortè qui aversus est revertatur. Nos autem aut non attendimus, aut minùs attendimus reverentiam præsidentis, protegentis custodiam, beneficia largientis, ingrati gratiæ, imò tam multiplicibus gratiis quibus prævenit nos, & subvenit nobis. Et nunc quidem per seipsum implet splendoribus animas nostras, nunc per Angelos visitat, nunc per homines instruit, nunc etiam consolatur & erudit per Scripturas: *Quæcunque enim scripta sunt* (ait Apostolus) *ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus*. Benè *ad doctrinam*, ut per patientiam speremus. Siquidem (ut alibi dictum est) *doctrina viri per patientiam noscitur*: sed & patientia probationem operatur, probatio verò spem. Proinde non dedignatur (b) esse spes miserorum misereator & misericors Dominus: non seipsum liberatorem simul & protectorem in se sperantibus exhibere recusat. *Quoniam in me speravit* (inquit Dominus) *liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum*. Non in vigilibus, non in homine, non in Angelo, sed *in me* (inquit) *speravit*; nihil boni nisi ex me, nec per ipsos expectans. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Ex me vigiliæ hominum utiles, circa utique opera manifesta, eis nimirùm custodes homines deputavi. Ex me excubiæ Angelorum observantium secretiores motus, spiritualiter sollicitantium, propulsantium suggestores iniquos. Cæterùm intima sanè custodia secretissimæ intentionis non modò ex me, verùm etiam per me fiat necesse est: quam ille quidem humanus nequeat, sed ne Angelicus quoque oculus penetrare. Adest etiam nobis (c) nunc carnis ipsius vera substantia, haud dubium sanè quin in Sacramento. Adsunt revelationes, sed in spiritu & virtute: ut tempori gratiæ quod nunc est, nihil in ulla gratia deesse probetur. Quid ergo nos soli (d) nobis non adsumus? quid soli negligimus nosipsos? An ideo dissimulandum nobis, quia undique subvenitur nobis? Imò verò propterea studiosiùs vigilandum. Neque enim tàm magna pro nobis in cœlo pariter & in terra sollicitudo gereretur, si non magna nobis incumbere necessitas videretur: non tam multiplex nobis custodia nisi ob multiplices insidias poneretur. Huc accedit (e) quòd is qui nostrum profitetur se mediatorem ad Deum, Dei Filius est, & Deus est. Et quid est homo, ut innotescat ei: aut filius hominis, ut reputet eum? Quæ mihi fiducia, ut tantæ me audeam credere Majestati? unde inquam terra & cinis præsumo Deum curam habere mei? Ad hęc diligit Filius Patrem suum, me verò opus non habet, bonorum meorum non eget. Denique [f] si ipsę quoque justitiæ nostræ omnes ad lumen veritatis inspectæ velut pannus menstruatæ inveniuntur, injustitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen quod in nobis est, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt? Facilè est unicuique nostrûm, si sua meliùs universa & sine dissimulatione vestiget & judicet sine acceptione personæ, attestari per omnia Apostolicæ veritati, & liberè proclamare: *Qui se putat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Quid est homo quia magnificas eum* (ait fidelis & devota confessio) *aut apponis erga eum cor tuum?* Quid? Sine dubio vanitati similis factus est homo, ad nihilum redactus est homo, nihil est homo. Quomodo tamen penitùs nihil est, quem magnificat Deus? Quomodo nihil, erga quem appositum est cor Divinum? Respiremus ergo fratres [g] & si nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde Dei potest aliud latere de nobis. Testamentum utique pietatis, & testimonia veritatis. Lege homo in corde tuo, lege intra teipsum de teipso testimonia veritatis, etiam hac communi luce

l Ser. 44. *in cant. num.* 8. m *Ser.* 4. *super Sal. Reg. num.* 19. a *Ser.* 11. *super Psal.* 90. *nu.* 1.

b *Ser.* 15. *super Psalm.* 90. *num.* 3. c *Ser. de S. Mart. num.* 11. d *Ser.* 11. *super Psal.* 90. *nu.* 1. e *Ser.* 2. *in Cant. nu.* 4. f *Ser.* 5. *in dedicat. Eccl. nu.* 3. g *ibidem n.* 4. & 5.

luce judicabis te indignum. Lege in corde Dei testamentum, quod firmatum est in Sanguine mediatoris, & invenies quàm longè aliud spe possidere, quàm re tenere videris. *Quid est* [inquit Job.] *homo quia magnificas eum?* Magnus utique, sed in illo: siquidem magnificatus est ab illo. Aut quomodo non magnus apud illum, cui tam magna cura est de eo? *Ipsi enim cura est de nobis*, ait Apostolus Petrus. Et Propheta Dauid inquit: *Ego autem mendicus sum, & pauper: Dominus sollicitus est mei.* Planè artificiosa connexio utriusque considerationis, quâ velut uno momento descendens pariter & ascendens, & se pauperem & mendicum, & Deum pro se sollicitum vidit. Crede ergo te Deo [h] committe te ei, jacta in eum cogitatum tuum, & ipse te enutriet, ut fiducialiter & fideliter dicas: *Dominus sollicitus es mei.* Neque enim hoc sapiunt homines amantes seipsos, homines scioli, & solliciti pro seipsis, curam carnis perficientes in desideriis, surdi ad vocem dicentis: *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum: ipsi enim cura est de vobis.* Nam sibi quidem ipsi fidere, non fidei, sed perfidiæ est: non confidentiæ, sed diffidentiæ magis, in semetipso habere fiduciam. Is verè fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam vas perditum: sed sic perdens animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam. Porrò id quidem sola facit humilitas cordis, ut non sibi fidelis anima innitatur, sed deserens semetipsam ascendat jam de deserto innixa super dilectum, atque adeo deliciis affluens. Alioquin frustra nititur [i] si non innititur. Sanè etiam contra se innitens invalescet, & facta seipsâ validior coget pro ratione universa: iram, metum, cupiditatem & gaudium veluti quendam animi currum bonus auriga reget, & in captivitatem rediget omnem carnalem affectum, & carnis sensum ad nutum rationis in obsequium virtutis. Quidni omnia possibilia sint innitenti super eum qui omnia potest? Quantæ fiduciæ vox: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes qui in se sperant. Denique omnia possibilia sunt credenti. O Pater misericordiarum [k] ô Pater miserorum, quid apponis erga nos cor tuum? Scio, scio: ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus? Omnes gentes quasi non sint, sic sunt ante te, & tanquam nihilum & inane reputabuntur. Siquidem ante te, sed non sic intra te. Sic in judicio veritatis tuæ, sed non sic in affectu pietatis tuæ. Nimirùm vocas ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Et non sunt ergo, quia quæ non sunt vocas: & sunt, quia vocas. Licet enim non sint quantùm ad se, apud te tamen sunt, utique juxta Apostolum, *non ex operibus justitiæ, sed ex vocante.* Sic nimirùm, sic consolaris in tua pietate, quem in veritate tua humiliasti: ut magnificè dilatetur in tuis visceribus, qui meritò angustiatur in visceribus suis. Siquidem universæ viæ tuæ misericordia & veritas, requirentibus testamentum tuum & testimonia tua: testamentum vtique pietatis, & testimonia veritatis.

§. II.

Jesus ait discipulis: Quid dormitis? Surgite, vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Matt. 26. Luc. 22. Mar. 14.

Quis hoc dixerit, scitis, [l] & tempus scitis. Domini enim est verbum istud, instante jam passione sua. Et attendite quoniam ipse quidem erat passurus, & non discipuli: nec tamen pro se dicebat orandum, sed pro illis. Ad commendationem utique alacritatis [m] & ad commendanda exercitia spiritualia, contra acediam Dominus ait discipulis: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Et alibi: *Quoniam semper orare oportet, & nunquam deficere.* Ubi intelligitur orationem non tantùm esse vocis, sed & devotionis. Non enim semper clamare possumus motu labiorum, semper autem possumus bono desiderio fervere, quod ostendit Dominus loquens ad Moysen tacentem: *Quid clamas ad me?* Desiderium viri sancti clamorem appellat, quia lingua profectò tacebat. Unde Dominus ait in Psalmo: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem cordis eorum audivit auris tua.* Dulcis lex [n] quæ meritum exauditionis in clamore constituit postulationis: *Clamabit* [inquit Dominus] *ad me, & ego exaudiam eum.* Meritò non exauditur qui clamare dissimulat, aut omninò non postulans, aut tepidè postulans & remissè. Siquidem in Dei auribus desiderium vehemens, est clamor magnus: è regione autem remissa intentio, est vox submissa. Spiritus est Deus, & in spiritu clamet necesse est, quisquis clamorem suum ad eum desiderat pervenire. Sicut enim non faciem hominis respicit tanquam homo, sed magis intuetur cor: sic ad cordis potiùs vocem quàm corporis aures ejus, cui meritò dicitur: *Deus cordis mei.* Hinc est quòd Moyses foris tacens intùs auditur, dicente Domino: *Quid clamas ad me?* Cæterùm [o] vigilias semper debet comitari orationum instantia. Unde & Dominus in Evangelio legitur in oratione pernoctasse. Et discipulos suos exhortans, utrumque simul conjunxit dicens: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Tales vigiliæ abluunt nos à sordibus, quas contraximus per somnolentiam resoluti, dum oblivione quadam à via salutis intepuimus ac torpuimus. Vigilemus proinde [p] *super opera* nostra, Fratres, nè vel omittamus quod præceptum est, vel quod prohibitum est committamus. Hortatur nos ad bipertitam hanc custodiam Propheta cùm dicit: *Declina à malo, & fac bonum.* Integra [q] & perfecta moralitas in duobus præcipuè consistit, scilicet in evitandis vitiis, & appetendis virtutibus: quoniam non sufficit à malo abstinere, si non & bonum faciamus. Inde Psalmista ait: *Declina à malo, & fac bonum.* Fugiamus ergo vitia, amplectamur virtutes. Vigilemus quoque *super verba* nostra (r) nè in eis vel offendere Deum, vel proximum nocere contingat. Felix siquidem est, quem in omni confabulatione duplex timor sollicitat, & duorum consideratio stimulat auditorum. Primùm quidem Divinæ Majestatis, in cujus manus incidere prorsùs horrendum: deinde fraternæ infir-

h *Ser. 5. in vig. Nat. Dom. nu. 5.* i *Ser. 85. in Cant. num. 5.* k *Ser. 5. in dedicat. Eccl. nu. 4.*

l *Ser. 5. super Psal. 90. num. 1.* m *Tract. de vite myst. cap. 6. nu. 29.* n *Ser. 16. super Psal. 90. nu. 1.* o *Ser. 55. diver. nu. 2.* p *Ser. 17. diver. nu. 7.* q *Ser. 72. diver. num. 1.* r *Ser. 17. diver. nu. 7.*

infirmitatis, cui nihilominùs perfacilè est offendiculum dare. Puto tamen ne eum quidem, (s) qui in verbo cavet offensionem, perfectum adhuc dici oportere, nisi forsitan comparatione prioris qui tantùm super opera vigilabat. Nam & Veritas in Evangelio de vigilantibus servis, & adventum Domini præstolantibus loquens: *Si* (inquit) *in tertia vigilia venerit, & ita invenerit: beati sunt servi illi*. Quod nequaquam de prima, sed nec de secunda vigilia dictum quidem reperies. Est autem vigilia hæc *super cor*, cui sanè *omnem* jam *custodiam* exhibere sapiens monet: nimirùm *quia ex ipso vita procedit*. Ego tamen etiam hanc vigiliam constare arbitror specialiter in duobus: ut videlicet super affectionum pariter & cogitationum suarum greges mens sollicita vigilanter intendat. Et benè huic datur omnis custodia cordi, à quo cæteras quoque duas procedere constat: nisi fortè (quod absit) simulationis gerantur studio, & pietatis habeant speciem, non virtutem. Sicut enim fontis vena scaturiens, nisi fossas antè repleverit adiacentes, nec refluere, nec sedare, nec in altum sese tollere prævalebit, quòd uidelicet aliàs occupetur: sic humanus animus, donec eas quas prædiximus manus & linguæ custodias solerter impleat, nec ad perfectam sui ipsius poterit reflecti curam, nec jucunda devotionis tranquilitate frui, nec in sublime divinæ contemplationis proficere gradum. Proinde anima (t) quia seipsam ignorat, foras mittitur ut hædos pascat. Hædos quippe qui peccatùm significant, rectè oculos auresquè appellaverim: quoniam sicut mors per peccatum in orbem, sic per has fenestras intrat ad mentem. In his sanè pascendis se occupat curiosus, dum scire non curat qualem se reliquerit intùs. Et verè si te vigilanter homo attendas, mirum est si ad aliud unquam attendas. Audi curiose Salamonem, audi stulte sapientem. *Omni custodia* [inquit] *custodi cor tuum*: ut omnes videlicet sensus tui vigilent ad id unde vita procedit custodiendum. Duobus autem modis (u) vita à corde procedit. *Primò*, quia corde creditur ad justitiam, & justus ex fide vivit, & fide mundatur cor, & mundo corde Deus videtur, id est agnoscitur: & hæc est vita æterna, ut cognoscant te unum Deum, & quem misisti Jesum Christum. *Secundò*, quia Christus est vita nostra, qui nunc per fidem habitat in cordibus nostris, erit cùm apparebit, & nos cum ipso apparebimus in gloria: & qui nunc latet in corde, tunc quasi de corde ad corpus procedet, quando reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Porrò considerandum est (x) quid dicat sapiens: *Omni custodia serva cor tuum*. Solent dicere homines huius seculi: Bonum castellum custodit, qui corpus suum custodit. Nos autem non sic, sed sterquilinium vile custodit, qui custodit corpus suum, Apostolo teste: *Quoniam qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Qui verò* [inquit] *seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam*. Ac si dicat: Colendum & custodiendum magis animæ castrum, quoniam æterna ex ipso vita procedit. Sed quia castrum istud in terra inimicorum situm undique impugnatur: & idcirco omni custodia, idest, ex omni parte vigilanti sollicitudine est muniendum, inferiùs & superiùs, antè & retrò, à dextris & sinistris. *Inferiùs* impugnat concupiscentia carnis, quæ militat adversùs animam, quia caro concupiscit adversùs spiritum. *Superiùs* imminet judicium Dei: horrendum est enim incidere in manus Dei viventis. Sollicitè satis hac in parte cor suum custodierat Job, qui dicebat: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum*. *Retrò* mortifera delectatio est, quæ oritur ex recordatione præteritorum peccatorum. *Ante* instantia tentationum est. *A sinistris* verò arrogantium fratrum & murmurantium inquietudo est. *A dexteris* obedientium fratrum devotio est. Possunt enim quoque (nisi caveant) duobus nocere modis: aut bonis eorum actibus invidendo, aut singularem gratiam æmulando. Vigilet ergo (y) adversùs *carnem* rigor disciplinæ: contra *judicium* Dei vigilet judicium propriæ confessionis. Et hoc fit duplex, manifestum de manifestis, occultum de occultis. Unde ait Apostolus: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*. Contra *delectationem*, quæ procedit de recordatione præteritorum peccatorum, vigilet frequentia lectionis. Contra instantiam *tentationis* vigilet instantia supplicis orationis. Contra fratrum *inquietudinem* vigilet patientia & compassio. Adversùs inobedientium fratrum *furorem* vigilet congratulatio & discretio. Congratulatio enim expellit invidiam, discretio nimiam æmulationem.

§. III.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Matt. 26. Mar. 14.

Quis hoc dixerit, scitis, [z] & tempus scitis. Domini enim est verbum istud, instante jam passione sua. In hunc sensum poterit Ecclesia [a] sive anima diligens Deum dicere; *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, quoniam non est sanitas in carne mea*: ut secundùm animam sanior proinde fortiorquè factus dicat: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Et cum Apostolo: *Quando enim infirmor, tunc potens sum & fortis*. Vides quia carnis infirmitas robur spiritui augeat, & subministret vires? Ita è contrario noveris carnis fortitudinem debilitatem spiritûs operari. Et quid mirum si hoste debilitato, tu fortior efficeris? Nisi fortè illam tibi insanissimè ducas amicam, quæ non cessat concupiscere adversùs spiritum. Porrò [b] quomodo corpus nostrum continuè aut crescere constat, aut decrescere: sic necesse sit & spiritum aut proficere semper, aut deficere. Interest tamen, quòd nequaquam juxta ordinem corporalium vicissitudinum etiam spiritus sua vel incrementa capit, vel patitur detrimenta. Nam semper in robusto & vegeto corpore animus mollior atque tepidior jacet, & rursùm in corpore debili & infirmo fortior viget promptiorquè spiritus. Quòd se utique in se expertum contestans Apostolus inquit: *Quando infirmor, tunc fortior sum*. Sed & libenter gloriatur in infirmitatibus suis, *ut inhabitet in me* [ait] *virtus Christi*. Optanda infirmitas [c] quæ Christi virtute compensatur. Quis dabit mihi non solùm infirma-

s *Ibidem nu. 8.* t *Tract. de grad. humil. cap. 10. nu. 28.* u *Ser. 82. div. nu. 1.* x *Ibidem nu. 2.*

y *Ibidem nu. 3.* z *Ser. 5. super Psalm. 90. nu. 1.* a *Ser. 29. in Cant. num. 7.* b *Epist. 253. num. 5.* c *Serm. 25. in Cant. num. 7.*

firmari, sed & destitui ac deficere penitùs à memetipso, ut Domini virtutum virtute stabiliar? *Nam virtus in infirmitate perficitur*, inquit Apostolus. Denique ait: *Quando infirmor, tunc fortis sum & potens*. O quàm salubriùs (d) ad tactum Angeli nervus fæmoris Jacob emarguit, quàm Angeli superbientis intumuit, evanuit, ruit! Utinam & meum nervum Angelus tangat, ut marcescat: si fortè ex hac infirmitate incipiam proficere, qui ex mea firmitate non possum nisi deficere. Lego profectò: *Quòd infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Sic quoque Apostolus de suo nervo conquestus, quem Angelus non Domini sed satanæ colaphizabat, responsum audivit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*. Quæ virtus? Ipse Apostolus respondeat: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*. Sed nondum forsitan intelligis de qua virtute specialiter dixerit, quia Christus omnes virtutes habuit. Sed cùm omnes habuerit, præ omnibus tamen unam, idest humilitatem nobis in se commendavit, cùm ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Libenter igitur (e) & ego Domine Jesu gloriabor si potero, in mea infirmitate, in mei nervi contractione, ut tua virtus, idest, humilitas perficiatur in me. Nam sufficit mihi gratia tua, cùm defecerit virtus mea. Pedem profectò gratiæ fortiter figens, & meum qui infirmus est leniter trahens, securus ascendam per scalam humilitatis, donec veritati adhærens, ad latitudinem transeam charitatis. Tunc psallam cum gratiarum actione, & dicam: *statuisti in loco spacioso pedes meos*. Quod si deficit virtus mea (f) non tamen dereliquit me, ne qui cæperat, non posse perficere videretur. Quid multa? In veritate mox comperi, quia virtus in infirmitate perficitur. Et aio: *Bonum mihi quia humiliasti me*. *Nam* (g) *virtus in infirmitate*, hoc est, in humilitate *perficitur*. Non latuit Prophetam David (h) quippe cui incerta & occulta sapientiæ suæ manifestaverat Deus: & ideò dicit: *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas*. Vides quia humilitas justificat nos? Humilitas dixi, & non humiliatio. Quanti humiliantur, & humiles non sunt? Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, & alii libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi sunt justi. Quanquam & innocentia portio justitiæ est, sed consummatio ejus apud humilem. Qui autem dicere potest, *Bonum mihi quia humiliasti me*: is verè humilis est. Non potest hoc dicere qui invitus tolerat, minùs qui murmurat. Neutri horum promittimus gratiam, quòd humiliatur, etsi sanè longè hi duo à se differant: & alter quidem in patientia sua possideat animam suam, alter in suo murmure pereat. Sed enim etsi unus iram, neuter tamen gratiam promeretur: quoniam non humiliatis, sed humilibus Deus dat gratiam. Est autem humilis, qui humiliationem convertit in humilitatem, & ipse est qui dicit Deo: *Bonum mihi quòd humiliasti me*. Nemini prorsùs quòd patienter fert bonum est, sed planè molestum. Scimus autem, quòd hilarem datorem diligit Deus. Unde & cùm jejunamus jubemur *caput nostrum ungere oleo, & faciem lavare*: ut nostrum scilicet opus bonum spirituali quodam gaudio condiatur, & holocaustum nostrum pingue fiat. Etenim sola gratiam quam præfert meretur læta & absoluta humilitas. Quæ enim coacta fuerit vel extorta, qualis utique est in viro patiente illo, qui possidet animam suam: hæc inquam humilitas etsi vitam obtinet propter patientiam, propter tristitiam tamen gratiam non habebit. Non enim congruit ei qui ejusmodi est, illud Scripturæ: *Glorietur humilis in exaltatione sua*: quoniam non spontè humiliatur, neque libenter. Vis autem videre (i) humilem rectè gloriantem, & verè dignum gloriâ? *Libenter* (inquit Apostolus) *gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*. Non dicit patienter se ferre infirmitates suas, sed & gloriari, & libenter gloriari in illis, probans etiam sibi bonum esse quòd humiliatur: nec sufficere omnino, ut possideat animam suam tanquam patienter humiliatus, nisi & gratiam accipiat tanquam spontè humiliatus. Generalem verò hinc audi regulam: *Omnis qui se humiliat* (ait Dominus) *exaltabitur*. Significat profectò non omnem exaltandam esse humilitatem, sed eam tantùm quæ de voluntate venit, non ex tristitia nec ex necessitate. Nec enim per contrarium omnis qui exaltatur, humiliandus erit: sed tantùm is qui se exaltat, humiliabitur, nimirùm ob voluntariam vanitatem. Ita ergo non qui humiliatur, sed qui spontè se humiliat, exaltabitur: utique ob meritum voluntatis. Esto enim quòd humilitatis materia per alium ministratur, verbi gratiâ, probra, damna, supplicia: non tamen idcirco rectè ab alio quàm à semetipso humiliatus ille dicetur, qui illa omnia tacitâ & lætâ conscientiâ (causâ Dei) subeunda decreverit.

CAPUT V.

De secunda & tertia oratione Christi, facta in horto ad Deum Patrem suum.

1. *Christus secundò orans transferri à se calicem, demonstravit suam animam fuisse nimis contribulatam & desolatam, omniquè solatio destitutam. Et ostenditur quomodo Deus succurrat servis suis languidis in exercitiis spiritualibus.* 2. *Ostenditur quòd sicut Jesus iterum suos discipulos visitavit, ut eorum langnoribus compateretur: ita & modò non dubitatur humiles visitare, superbos verò praterire.* 3. *Ostenditur Christum propterea reliquisse suam voluntatem ut fieret communis, id est, & Dei Patris, & ipsius Christi, & nostra. Monemur vitare propriam voluntatem, & imitari Jesum, qui venerat facere voluntatem Patris sui.*

§. I.

Iterum Jesus secundò abiit, & oravit eundem sermonem dicens: Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt: Si vis, transfer calicem istum à me. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22.

Com-

d *Tract. de grad. humil. cap. 9. nu. 25.* e *Ibidem nu. 26.* f *Ser. 3. diver. nu. 3.* g *Tract. de off. & mor. Episc. cap. 5. num. 17.* h *Ser. 34. in Cant. nu. 2. & 3.*

i *Ibidem nu. 4.*

COmmendant nobis Sacræ literæ (a) Christum Dominum & ex Patre, & in Patre, & cum Patre, & à Patre, & pro Patre, & etiam sub Patre. Quòd dicitur, *ex Patre*, ineffabilis est Nativitas: quòd *in Patre*, consubstantialis unitas: quòd *cum Patre*, æqualitas Majestatis. Sanè hæc tria ab æterno. Jam verò (b) quòd dicitur, *à Patre*, ambulantem significat, & ad Incarnationis ejus adventum spectat. Hinc nimirùm & ipse ait: *Ego enim à Deo processi & veni*. In terris denique visus & cum hominibus conversatus, medius nostrûm quem nesciebamus stetit, verus quidem Emmanuel, nobiscum Deus: nobiscum stans, sed *pro Patre*. Quòd enim nobiscum stetit, adjutorium designat: quòd pro Patre stetit, zelum designat. Paternam namque quærebat in omnibus gloriam, cujus & venerat facere voluntatem. Cæterùm si pendentem in Cruce consideres, si Christum & hunc Crucifixum attendas, ibi maximè evidentissimèquè eum *sub Patre* reperies. Hoc enim propriè ac specialiter ad humanæ pertinuit naturæ humilitatem, secundùm quam ipse ait: *Pater major me est*. Dicerene audebimus quòd aliquando fuerit etiam *sine Patre*? Nemo id præsumeret, si non prior ipse dixisset: *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* Quasi quædam enim ibi derelictio fuit, ubi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostensio Majestatis. Quia enim (c) veram humanæ carnis & animæ substantiam suscepit, veram utriusque naturam: ideo nec corporis illi defuerunt nec animæ passiones. Videas (d) si attendas tristari lætitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Arbitramur autem (e) quòd hoc ad consolationem infirmorum membrorum suorum assumpsit. Ut (f) nonmodò passio ejus corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret: & quos vivificabat mors sua, nihilominus trepidatio robustos, & mæstitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, desolatio consolatos. Sunt aliqui (g) qui in studiis spiritualibus fatigati, & versi in teporem, atque in defectu quodam spiritûs positi ambulant tristes vias Domini, corde arente & tædente accedunt ad quæque injuncta, frequenter murmurant, longos dies, longas conqueruntur & noctes, loquentes cum Sancto Job: *Si dormiero, dicam, quando consurgam? & rursùm expectabo vesperam*. Ergo ubi contingit tale aliquid pati, si misertus Dominus appropiet nobis in via quâ ambulamus, & incipiat loqui de cœlo qui de cœlo est, necnon favorabile quippiam cantare nobis de canticis Sion, narrare etiam de Civitate Dei, de pace Civitatis, de æternitate pacis, de statu æternitatis: Dico vobis erit pro vehiculo animæ dormitanti & pigritanti læta narratio, itaut pellat omne fastidium ab animo audientis, & à corpore fatigationem. An tibi aliud vel pati vel petere ille videtur, qui ait: *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis*? Et nonne cùm obtinuerit, clamabit: *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est*? Sunt enim quædam verba Verbi Sponsi ad nos, nostræ meditationes de ipso & ejus gloria, elegantia, potentia, majestate. Non solùm autem, sed & cùm avida mente versamus testimonia ejus & judicia oris ejus, & in lege ejus meditamur die ac nocte: sciamus pro certo adesse Sponsum Jesum, atque alloqui nos, ut non fatigemur laboribus, sermonibus delectati. Tu ergo cùm tibi aliqua talia volui animo sentis, non tuam putes cogitationem, sed illum agnosce loquentem, qui apud Prophetã Esajam dicit: *Ego sum qui loquor justitiam*. Unde & licet mortuus in peccato (h) si audieris vocem Filii Dei, vives. Sermo enim quem loquitur, spiritus & vita est. Si cor tuum induratum est, memento Scripturæ dicentis: *Emittet eloquium suum, & liquefaciet ea*. Et item: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est*. Si tepidus es, & evomi jam formidas, non discedas ab eloquio Domini, & inflammabit te: quia eloquium ejus ignitum valdè. Quæ cùm ita sint (i) duo liquet contemplationis genera esse: *Unum* de statu & felicitate & gloria Civitatis supernæ, quo vel actu vel ocio ingens illa Cælestium Civium occupata sit multitudo: *Alterum* de Regis ipsius majestate, æternitate, Divinitate. Si cui ne hoc quidem possibile sit, huic sanè propono Jesum, & hunc crucifixum: ut & ipse absque suo labore habitet in foraminibus petræ, in quibus non laboravit. Judæi in his laboraverunt, & ipse in labores infidelium introibit, ut sit fidelis. Nec verendum quòd patiatur repulsam, qui & vocitur ut intret: *Ingredere* (inquit Esajas) *in petram, abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria majestatis ejus*. Infirmæ adhuc & inerti animæ (quæ juxta quod in Evangelio quidam de semetipso confitetur, fodere non valet, mendicare erubescit) fossa ostenditur humus ubi lateat, donec convalescat & proficiat. Et si intelleximus fossam humum illam quæ ait: *Foderunt manus meas & pedes meos*: non erit ambigendum de sanitate citiùs adipiscenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur. Quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, necnon ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? Jam verò (k) cùm in his diutiùs fueris exercitatus, roga tibi dari devotionis lumen, diem serenissimam, & sabbatum mentis, in quo tanquam emeritus miles, in laboribus universis vivas absque labore, & dilatato nimirùm corde currens viam mandatorum Dei: ut quod priùs cum amaritudine & coactione tui spiritus faciebas, de cætero jam cum summa dulcedine peragas & delectatione. Hanc (ni fallor) gratiam petebat David, dum ait: *Remitte mihi ut refrigerer*. Ac si dicat: Quousque in labore & dolore isto crucior, & morte afficior tota die? Remitte mihi ut refrigerer. Verùmtamen ad hanc quidem perfectionem pauci (ni fallor) perveniunt in hac vita. Neque enim si quis aliquando videtur hanc habere, continuò credat sibi necesse est: maximè si novitius est. Pius enim Dominus noster Jesus Christus pusillos corde blanditiis talibus solet allicere. Sed noverint qui hujusmodi sunt, gratiam hanc præstitam sibi esse, non datam: ut in die bonorum memores sint malorum, & in die malorum immemores sint bonorum. Longè aliter qui exercitatos habent sensus, devotionis

a *Ser. 5. de verb. Esa. n. 1.* b *Ibidem num. 3.* c *Ser. 34. diver. nu. 4.* d *Ser. 2. super missus n. 9.* e *Ser. de pass. Dom. n. 8.* f *Ser. 1. de s. Andrea nu. 6.* g *Ser. 32. in Cant. nu. 4. & 5.*

h *Ser. 24. diu. nu. 2.* i *Ser. 62. in Cant. nu. 4. 6. & 7.* k *Ser. 3. in Circumcis. Dom. nu. 10.* l *Ser. 21. Cant. nu. 6.*

nis hujus felici fruuntur jucunditate. Sed multi totâ vitâ suâ ad hoc tendunt, & nunquam pertendunt: quibus tamen si piè & perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur quod in hac vita dispensatoriè est negatum: illuc perducente eos sola gratia, quò priùs tendebant ipsi cum gratia, ut consummati in brevi, expleant tempora multa. Verumtamen cùm te torpore (l)acediâ vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere, aut desistere à studio spirituali; sed juvantis require manum, trahi te obsecrans Sponsæ exemplo, donec denuò suscitante gratia factus promptior alacriorquè curras, & dicas: *Vitā mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*. Sic autem quamdiu adest gratia, delectare in ea, ut non te existimes donum Dei jure hæreditario possidere, ita videlicet securus de eo, quasi nunquam perdere possis: ne subitò cum fortè retraxerit manum, & subtraxerit donum, tu animo concidas, & tristior quàm oportet fias. Denique ne dixeris: *In abundantia tua non movebor in æternum*. Nec etiam illud quod sequitur dicere cum gemitu quidem cogaris: *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus*. Curabis potiùs (si sapis) juxta consilium Sapientis, *in die malorum non immemor esse bonorum, atque in die bonorum non immemor esse malorum.*

§. II.

Et venit iterùm Jesus, & invenit discipulos dormientes: erant enim oculi eorum gravati, & ignorabant quid responderent ei. Et relictis illis iterùm abiit orare. Matt. 26. Mar. 14.

Ecce venit is (m) *saliens in montibus, transiliens colles*. Ad hoc salit ut transiliat, qui non vult ad omnes pertingere. *Neque enim in omnibus beneplacitum est Deo*. Fratres, si juxta sapientiam Pauli scripta sunt ista ad correctionem nostram, observemus Sponsi discretos & circumspectos saltus, quemadmodùm videlicet tam apud Angelos quàm apud nos, & in humiles saliat, & superbos transiliat: siquidem excelsus Dominus & humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Hæc, inquam, attendamus, quo cauti simus Sponsi nos salutaribus saltibus præparare, ne veluti à montibus Gelboë fortè transeat, & à nobis, si indignos nos sua visitatione conspexerit. Quid superbis terra & cinis? Et de Angelis transilit Dominus execrans eorum superbiam. Ergo repudiatio Angelorum fiat emendatio hominum: scripta est enim ad ipsorum correctionem. Cooperetur mihi in bonum etiam diaboli malum, & levem manus meas in sanguine peccatoris. Qualiter inquis? Audi. Superbo certè diabolo horrenda & formidolosa maledictio intorquetur, Propheta David in spiritu dicente de illo sub typo Gelboë: *Montes* (inquit) *qui in circuitu ejus sunt, visitet Dominus, à Gelboë autem transeat*. Sanè ergo hoc legens (n) referensquè oculos in me, & intuens diligenter, invenio me peste ipsa infectum, quam in Angelo Dominus intantùm exhorruit, quatenùs propterea declinaret ab eo, cùm omnes in circuitu ejus montes, sive de Angelis, sive de hominibus visitationis suâ gratiâ dignaretur. Et pavens tremensquè aio ad memetipsum: Si sic actum est cum Angelo, quid de me fiet terra & cinere? Ille in cœlo intumuit, ego in sterquilinio. Quis non tolerabilem in divite superbiam quàm in paupere ducat? Væ mihi. Si tam durè in potente illo animadversum est, pro eo quòd elevatum est cor illius, nec ei profuit quòd cognata potentibus superbia esse cognoscitur: quid de me exigendum & misero & superbo? Denique jam luo pœnas, jam acerbissimè vapulo. Non sine causa ab heri & nudius tertius invasit me languor iste animi, & mentis hebetudo, insolita quædam inertia spiritûs. Currebam benè: sed ecce lapis offensionis in via, impegi, & corrui. Superbia inventa est in me, & Dominus declinavit in ira à servo suo. Hinc ista sterilitas animæ, & devotionis inopia quam patior. Quomodò ita exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua? Nec compungi ad lachrymas queo: tanta est duritia cordis. Non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Ubi illa inebriatio spiritûs? Ubi mentis serenitas & pax & & gaudium in Spiritu Sancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias somnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ & gulæ indulgentior, segnior obtusiorquè ad prædicationem. Præterea donec divisa sunt corda nostra [o] & multos interim sinus inveniuntur habere, nec sibi omninò cohærere videntur, sed particulatim ea & membratim quomodò levare necesse est, ut in superna illa Hierusalem colligantur, cujus participatio ejus in idipsum: ubi non tantùm singuli, sed & omnes pariter incipiant habitare in unum, nonmodò scilicet non divisi in semetipsis, sed nec inter seipsos. Ecce enim ut tanquam principalia cordis ipsius membra distinguam: est *Intellectus* in nobis, est & *Affectus*. Et hi quoque sæpiùs sibi invicem adversantur, ut alter summa petere, alter appetere infima videatur. Quantus verò is dolor, quàm gravis animæ cruciatus, dum sic distrahitur, sic dilaceratur, sic abrumpitur à seipsa, vel ex ea saltem, quam omnibus experiri in promptu est, corporis scissione coniiciat: si quis in suo spiritu animadvertere perniciosa & periculosa insensibilitate non neglexerit. Distrahuntur hominum crura, & longioris obice ligni remouentur ab invicem pedes: & dum adhuc cutis integra manet, quis tamen ille est cruciatus? Sic sic affligi plango me miserum. Heu [p] omnes montes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem non appropinquat. Num collis non sum ex his quos transilit Dominus sponsus? Nam alium quidem intueor singularis abstinentiæ, alium verò patientiæ admirandæ, alium autem summæ humilitatis & mansuetudinis, alium multæ misericordiæ & pietatis: illum intueor in contemplatione frequenter excedere, hunc pulsare & penetrare cœlos orationum instantiâ, aliosquè in aliis præeminere virtutibus. Hos, inquam, considero omnes ferventes, omnes deuotos, omnes in Christo unanimes, omnes donis cælestibus & gratiâ affluentes, tanquam spirituales revera montes, qui à Domino visitantur, & Sponsum in se salientem frequenter recipiunt. Ego autem, qui horum in me invenio nihil, quid me aliud putem quàm

l *Ser. 21. Cant. nu. 6.* m *Ser. 54. in Cant. nu. 9.* n *Ibidem num. 10.*

o *Serm. 5. in Ascens. Dom. num. 5. & 6.* p *Serm. 54. in Cantic. nu. 10.*

quàm unum de montibus Gelboë, quem præterit in ira & indignatione sua ille cæterorum omnium benignissimus Visitator? Frequenter etiã ego ipse (q) quod fateri non verecundor, maximèquè in initio conversionis meæ, corde durus & frigidus, & quærens quem vellet diligere anima mea: nec adhuc enim diligere poterat quem nondum invenerat, aut certè minùs quam vellet diligebat, & ob hoc quærebat ut magis diligeret, quem nequaquam quæreret, nisi jam aliquatenùs dilexisset. Cùm ergo eum quærerem, in quo recalescere t atque requiesceret spiritus meus, utique torpens & languens, nec ulla de parte occurreret qui succurreret, per quem videlicet pruina rigens quæ sensus stringebat internos, dissolveretur, & vernalis illa suavitas ac spiritualis amænitas reverteretur: tunc magis ac magis languebat & tædebat & dormitabat anima mea præ tædio tristis penè & desperans, & mussitans secum illud: *A facie frigoris eius quis sustinebit*? Cùm subitò fortè ad affatum vel etiam aspectum cujuspiam spiritualis perfectiquè viri, interdum & ad solam defuncti seu absentis memoriam flabat spiritus, & fluebant aquæ: & erant mihi lachrymæ illæ panes die ac nocte. Quidnam istud nisi odor exhalantis unctionis, quâ erat ille perfusùs? Non enim unctio, quæ ad me nimirùm nisi homine mediante non pertingebat. Eapropter etsi gaudebam de munere, confundebar tamen & humiliabar, quòd sola ad me tenuis exhalatio & non pinguis aspersio pervenisset. Odoratu quippe delectatus non tactu, indignum me proinde cognoscebam cui per seipsum dulcisceret Deus. Et nunc idipsum si accidat, avidus quidem suscipio munus indultum, gratumquè habeo: sed dolens doleo per meipsum non meruisse, atque (ut dicitur) de manu in manum minimè accepisse, cùm obnixè id peterem. Pudet nimirùm magis ad hominis quàm ad Dei moveri memoriam. Et tunc cum gemitu clamo: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei*? Existimo & aliquos vestrûm idem esse expertos, & experiri interdum adhuc. Qua in re quid sentiendum, nisi quòd nostra aut superbia convincitur, aut humilitas custoditur, ant fraterna charitas nutritur, aut desiderium excitatur? Unus idemquè cibus & ægrotis est medicina, & ægrotativis dieta: porrò & debiles confortat, & delectat valentes. Unus idemquè cibus, & languorem sanat, & servat sanitatem, & corpus nutrit, & palato sapit. Fratres, (r) hæc cogitatio tollit extollentiam oculorum, conciliat gratiam, Sponsi saltibus præparat. Hæc ego in me trasfiguravi propter vos, ut & vos ita faciatis. Imitatores mei estote. Quod non de exercitio dico modò virtutum, aut morum disciplina, aut gloria sanctitatis: (nec enim de huiusmodi quidquam mihi temerè arrogaverim imitatione dignum,) sed volo vos non parcere vobis, sed accusare vosmetipsos, quoties fortè in vobis vel ad modicum tepere gratiam, virtutem languescere deprehenditis, sicut & ego pro hujusmodi metipsum accuso. Hoc facere hominis est, qui curiosus circumspector est sui, & scrutator viarum suarum ac studiorum, atque in omnibus semper suspectum habet arrogantiæ vitium ne subrepat.

q *Serm. 14. in Cant. num. 6.* r *Serm. 54. in Cant. nu. 11.*

§. III.

Et oravit Jesus tertiò eumdem sermonem dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Matt. 26.

Quid est Deus? (s) Voluntas omnipotens, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, fæcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. Hinc Christus (t) Paternam quærebat in omnibus gloriam, cujus & venerat facere voluntatem. Sed fortè quærendum ab ipso est, (u) quomodo voluntatem suam reliquerit. O Domine, voluntas de qua dixisti ut non fieret, si bona erat, quomodo tua erat? si bona erat, quare derelicta est? Et bona erat, & ejus erat, neque minùs tamen relinquenda, ob hoc videlicet ut fieret melior. Neque enim oportebat propriam præjudicare communi. Erat ergo voluntas Christi, & bona erat, quâ dicebat. *Si fieri potest, transeat à me calix iste*. Sed ea, de qua dicebat, *Fiat voluntas tua*, melior erat: quia communis non solùm *Patris*, sed & *Christi* ipsius, (oblatus est enim, quia ipse voluit) & *nostra*. Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum esset, ipsum solum maneret, mortuum verò multum fructum attulit. Atque hæc volnntas *Patris* erat, ut videlicet haberet quos adoptaret in filios. *Christi* erat, ut sit ipse Primogenitus in multis fratribus. *Nostra* erat, quia pro nobis faciebat ut redimeremur. Sed audiant qui propriæ voluntatis, & qui proprii consilii leprâ sordent. Audiant quid spiritus dicat Ecclesiis, brevi uno versiculo lepram utramque condemnans. *Sapientia* (ait Jacobus Apost.) *quæ desursum est, primùm quidem pudica est*, contra propriç voluntatis impuritatem: *deinde pacifica*, contra consilii proprii obstinatam rebellionem. In corde duplex est lepra, (x) propria voluntas, & proprium consilium. Lepra utraq; nimis pessima, eoquè perniciosior, quò magis interior. Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantùm, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Huic contraria est recta fronte charitas, quæ Deus est. Hæc enim adversùs Deum inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam. Propria siquidem voluntas (y) Deum impugnat, & adversus eum extollitur. Ipsa est, quæ Paradisum spoliat, & ditat infernum. Ipsa est, quæ Sanguinem Christi evacuat, & ditioni diaboli subjugat mundum. Vide qualiter propria voluntas adversetur Deo. *Nemo potest duobus Dominis servire*. Non poteris obedire simul & Divinæ & propriæ voluntati,

s *Lib. 5. de considerat. cap. 11.* t *Ser. 5. de verb. Esa. nu. 3.* u *Ser. 3. de Resur. Domini nu. 5.* x *Ibid. nu. 3.* y *Ser. de Verb. sap. nu. 14. tom. 6. pag. 774.*

tati. Si autem voluntas tua voluntati divinæ concordat, jam non propria voluntas est, sed communis: non tantùm est hominis, sed hominis & Dei. Cæterùm voluntati Dei ex debito creationis tuæ necessariò es obnoxius. Quare? Quia sola voluntas Dei certa est, quare creaverit & recreaverit te Deus, sicut ait Apostolus Jacobus: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*, Facis quod debes, dum obedis Deo. Debitum etiam virtutis pensum fideliter persolvis, cùm ejus voluntatem & habes in desiderio, & servas in obsequio. Hæc planè, fratres [z] perfectæ conversionis est forma. *Paratum* (inquit David) *cor meum Deus, paratum cor meum. Paratus sũ, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Domine, quid me vis facere?* O verbum breve, sed plenum, sed vivum, sed efficax, sed dignum omni acceptione! Quàm pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipsum cor proprium habeant: ut non quid ipsi, sed quid Deus velit, omni hora requirant, dicentes sine intermissione cum Paulo Apostolo: *Domine, quid me vis facere?* Et illud Samuelis: *Loquere Domine, quia audit servus tuus*, Heu plures habemus Evangelici illius cæci, quàm novi Apostoli Pauli imitatores. *Quid uis* (ait Dominus ad cæcum illum) *ut faciam tibi*? Quanta est miseratio tua Domine, quanta dignatio tua? Siccine Dominus quærit ut servi faciat voluntatem? Verè cæcus ille, quia non consideravit, non expavit, non exclamavit: Absit hoc Domine, tu magis dic, quid me facere velis: sic enim decet, sic omninò dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri & fieri voluntatem. Videtis, fratres, quia verè necessaria erat hoc in loco conversio. Sic profectò, sic multorum usque hodie pusillanimitas & perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat: *Quid vis ut faciam tibi*? Non ipsi quærunt: *Domine, quid me vis facere*? Considerare necesse habent Ministri & Vicarii Christi, quid sibi præcipi velint: non ipsi considerant quæ voluntas sit Præceptoris. Non est obedientia eorum plena, non in omnibus parati sunt obsequi: non per omnia sequi proposuerunt eum qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt & dijudicant eligentes in quibus obediant imperanti, imò in quibus Præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. Hujusmodi itaque etsi tolerari se videant, & condescendi ac morem geri infirmitati suæ, perficiant obsecro, pudeatquè semper paruulos inveniri, ne quãdo fortè audiant: *Quid debui vobis facere, & non feci*? Et abutentibus patientiâ & benignitate Prælati, fiat tandem multitudo exhibitæ miserationis cumulus justæ damnationis. Quid enim odit (a) aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille dæseviet, nisi in propriam voluntatem? Hæc est immundissima lepra animi, propter quam oporteat imitari eum, qui non venit facere voluntatem suam: unde & in passione, *Non mea*, inquit, *voluntas, sed tua fiat*. Obedientia victimis jure præponitur (b) quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tantò quisque Deum citiùs placat, quantò ante oculos ejus repressa arbitrii superbia gladio præcepti se immolat. Quo contra hariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientia demonstretur. Ex adverso enim meliùs ostenditur, quid de ejus laude sentiatur. Si enim quasi peccatum hariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere: sola obedientia est quæ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis convincitur, etsi fidelis esse videatur. Hinc (c) per Salamonem dicitur in ostensione obedientiæ: *Vir obediens loquitur victorias*. Vir quippe obediens victorias loquitur: quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Hinc Veritas in Evangelio dicit; *Eum qui venit ad me, non eiiciam foras: quia non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me*. Quid enim suum faceret, si eos qui ad se veniunt, expulisset? Quis autem nesciat, quòd voluntas Filii à Patris voluntate non discrepet? Sed quoniam primus homo, quia suam voluntatem facere volvit, à paradisi gaudiis exivit: secundus ad redemptionem hominum veniens, dum se voluntatem Patris & non suã facere ostendit, permanere nos intùs docuit. Cùm igitur non suam, sed voluntatem Patris facit; eos qui ad se veniunt, foras non eiicit: quia dum exemplo suo nos obedientiæ subiicit, viam nobis transgressionis claudit.

CAPUT VI.

De Obedientia Christi, quam Deo Patri exhibuit, eamq; perfecit, dum executus est ipsius voluntatem in Opere redemptionis nostræ.

Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus. *Joann.* 4.

1. *Ostenditur cibum Christi fuisse obedientiam, quam perficere juxta voluntatem Dei Patris volvit. Cibus ejus sunt etiam actus virtutum nostrarum, inter quas virtus obedientiæ principatum tenet.* 2. *Docemur voluntatem nostram debere esse subjectam voluntati Divinæ: de qua traditur triplex doctrina utilissima saluti nostræ.* 3. *Proponitur nobis Christi obedientia ad imitandum. Ostenditur triplicem esse obedientiam: specialem, propriam, & communem.* 4. *Agitur de septem gradibus obedientiæ.*

§. I.

Bonus cibus obedientia (a) de qua nimirùm & ipse Dominus ait: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei*. Paternam quoque (b) quærebat in omnibus gloriam, cujus & venerat facere, voluntatem. Nonne ipse Filius Regis (c) Rex regionis illius quæ continuis gaudiis inclarescit, factus est Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, & didicit obedientiam ex iis quæ passus est?

z *Ser.* 1. *de conversf. S. Pauli n.*6. a *Ser.* 3. *de Resur. Dom. num.*3 b *Tract. de ord. vit. cap.* 5. *n.* 16. *tom.*5 *pag.*460.

c *Ibidem. num.* 17. a *Ser.* 2. *di ver. n.*4. b *Ser.* 4. *de verb. Esa. n.* 3. c *Ser.* 41. *di n. n.*1.

Hoc est (d) obedientiam didicit in suo corpore (quod est Ecclesia) ex iis quæ passus est in Capite. Nam illa mors, illa crux, opprobria, sputa, flagella, quæ omnia Caput nostrum Christus pertransiit, quid aliud corpori ejus, idest nobis, quàm præclara obedientiæ documenta fuerunt? Porrò (e) audi ipsum quo se dicat cibo ali. *Meus*, inquit, *cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei*. Verbum Verbi est, apertè indicantis esse suum cibum factum bonum si tamen invenerit illud inter lilia, hoc est, inter virtutes. Alioquin si extra reperit, etsi bonus, quod in se est, videtur cibus, non tanget illum is qui pascitur inter lilia. Verbi causâ, non recipit eleemosynam de manu raptoris, seu fæneratoris; sed nec de hypocritæ quidem, qui cùm facit eleemosynam, facit tubâ cani ante se, ut glorificetur ab hominibus. Sed nec illius orationem aliquando exaudiet, qui amat orare in angulis platearum, ut ab hominibus videatur. Teste sancto Propheta Isaia, etiam abominabatur sabbata & neomenias & sacrificia Judæorum, ita ut manifestè protestaretur odisse ea Animam suam, & dicebat: *Cùm veneritis ante conspectum meum, quis quæsivit ea de manibus vestris?* Credo non redolebant lilia manus illæ, & propterea respuebat munus ex illis qui pasci inter lilia consuevit, & non inter spinas. Quidni spinosas habebant manus, quibus ajebat: *Manus vestræ sanguine plenæ sunt?* Et manus Esau pilosæ erant spinosis similes, ideoque non sunt admissæ ut ministrarent Sancto. Vereor ne & inter nos aliqui sint (f) quorum non acceptet munus Sponsus, eò quòd non redoleant lilia. Etenim si in die jejunii mei inveniatur voluntas mea, non tale jejunium elegit Sponsus: nec sapit illi jejunium meum, eò quòd non lilium obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis sapit. Ego autem non solùm de jejunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni observatione Monachi ubi invenitur voluntas sua in ea, & non obedientia Magistri sui, idipsum sentio. Minimè prorsùs observantias illas etsi bonas in se, tamen inter lilia, idest, inter virtutes censuerim deputandas: sed audiet à Propheta qui ejusmodi est: *Nũquid tale est obsequiũ quod elegi? dicit Dominus* Et addit: *In die bonorum tuorum inveniuntur voluntates tuæ*. Grande malum propria voluntas, quâ fit ut bona tua tibi bona non sint. Oportet proinde extra lilia fiant qui hujusmodi sunt, quia nihil omninò quod propriâ inquinatum sit voluntate, gustabit is qui pascitur inter lilia. Sapientia est ubique attingens propter munditiam suam, & nil inquinatum in eam incurrit. Ita ergo inter lilia pasci amat Sponsus, idest, apud munda & nitida corda. En fortè appetis & ipse contemplationis quietem [g] & benè facis, tantùm ne obliviscaris flores, quibus lectulum sponsæ legis aspersum, cùm dicat: *Lectulus noster floridus*. Ergo cura & tu tuum similiter circumdare bonorum floribus operum, virtutum exercitio tanquam flore fructum sanctum ocium prævenire. Alioquin delicato satis ocio dormitare voles, si non exercitatus quiescere appetas, & Liæ fœcunditate neglecta, solis cupias Rachelis amplexibus oblectari. Sed & præposterus ordo est, ante meritum exigere præmium, & ante laborem sumere cibum, cùm dicat Apostolus: *Qui non laborat, non manducet. A mandatis tuis intellexi*, inquit Propheta; ut scias nisi obedientiæ mandatorum contemplationis gustum penitus non deberi. Non igitur putes de propriæ amore quietis, sanctæ obedientiæ actibus, seniorumquè traditionibus præjudicium ullatenùs faciendum. Alioquin non dormiet tecum Sponsus in lecto uno, illo præsertim quem tibi pro obedientiæ floribns, cicutis atque urticis inobedientiæ aspersisti. Propter quod non exaudiet orationes tuas, vocatusquè non veniet. Nec enim dabit inobedienti copiam sui tantus obedienriæ amator, ut mori quàm non obedire malverit. Sed neque approbat tuæ contemplationis inane ocium, qui dicit per Prophetam: *Laboravi sustinens*: significans tempus quo exul cælo, & patriâ summæ quietis, operatus est salutem in medio terræ. Magis autem vereor, ne te quoque involvat formidolosa illa sententia, ita intonans in perfidiam Judæorum: *Neomenias vestras, & sabbatum, & festivitates alias non feram. Itẽ: Kalendas vestras & solẽnitates vestras odit anima mea*. Miror valdè impudentiam aliquorum (h) qui cùm omnes nos sua singularitate turbaverint, suâ impatientiâ irritaverint, suâ contumaciâ & rebellione contempserint, suâ inobedientiæ coinquinaverint, audent nihilominùs ad tam fædum conscientiæ suæ lectulum omni orationum instantia totius puritatis Dominum inuitare. *At cùm extenderitis* (ait) *manus vestras, avertã oculos meos: & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam*. Quid enim? Lectulus non est floridus, magis autem & putidus est: & tu illuc Regem gloriæ trahis? Ad pausandum hoc facis, an ad causandum? Centurio vetat illũ intrare sub tectum suum propter suam indignitatem, cujus tamen fides in universo redolet Istraele: & tu ad te compellis intrare tantorum sordens spurcitiâ vitiorum? Clamat Apostolorum Princeps: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*: & tu dicis: Intra ad me Domine, quoniam sanctus sum? *Omnes* (inquit Petrus) *unanimes in oratione estote, fraternitatẽ diligite*. Et vas electionis, *Levantes puras manus*, ait, *sine ira & disceptione*. Videsne quomodo cõcordent sibi, & eodem spiritu de pace & tranquillitate animi (quã habere debet ille qui orat) loquantur Princeps Apostolorum & Doctor Gentium? Perge ergo tu tota die expandere ad Deum manus tuas, qui Fratres tota die molestas, unanimitatem impugnas, ab unitate te separas. Et [i] quid me vis facere, inquis? Profectò ut primò quidem emundes conscientiam ab omni inquinamento iræ, & disceptationis, & murmuris, & livoris: & quidquid omninò adversari cognoscitur aut paci fratrum, aut obedientiæ seniorum, de cordis habitaculo eliminare festines. Deinde etiam circumdare tibi flores bonorum quorumque actuum & laudabilium studiorum, atque odoramenta virtutum: idest, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ. Hæc cogitare, in his exerceri curato. Ad istiusmodi securè vocabis Sponsum, qnoniam cùm introduxeris eum, veraciter dicere poteris & tu,

d *Tract. de grad. humil. cap. 3. n. 7.* e *Ser. 71. in Cant. num. 14.* f *Ibidem. num. 15.* g *Ser. 40. in Cant. num. 5.*

h *Ibidem. n. 6.* i *Ibidem. n. 7.*

tu: *Quia lectulus noster floridus*: redolente nimirum conſcientia pietatem, ſed pacem, ſed manſuetudinem, ſed juſtitiam, ſed obedientiam, ſed hilaritatem, ſed humilitatem.

§. II.

Meus cibus eſt(K) *ut faciam voluntatem Patris mei*. Cibus utique eſt, ſed cibus cordis. Quid enim æquè confirmat & corroborat cor humanum? quid ita in omni neceſſitate conſortat & ſuſtentat, ut Divinæ voluntatis executio, velut in quendam animæ ventrem, conſcientiam ſcilicet ejus ingeſta? Totius humilitatis ſumma in eo videtur conſiſtere (l) ſi voluntas noſtra Divinæ (ut dignum eſt) ſubjecta ſit voluntati, ſicut ait Propheta: *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea?* Scio quidem creaturam omnem velit nolit ſubjectam eſſe Creatori: ſed à creatura rationali voluntaria ſubjectio quæritur, ut voluntariè ſacrificet Domino: & confiteatur nomini ejus, non quia terribile & ſanctum, non quia omnipotens, ſed quia bonum eſt. At verò ſubjectionem iſtam triplicem eſſe neceſſe eſt, ut quod certum eſt Deum velle, id nos velimus omnino: & quod certum eſt eum nolle, ſimiliter execremur & nos. Quod autem incertum eſt utrum velit aut nolit, neque velimus ex toto, neque penitùs non velimus. Hìc certè, Fratres, in hoc medio totum periculum eſt omnium noſtrûm, dum infeliciter blandimur nobis, & palpando ſeducimus noſmetipſos. Huic accedit, ut diſſimulemus Domini quærere voluntatem, dum & noſtram facere, & aliquam de ignorantia habere volumus excuſationem. Quis enim eſt ille tam infelix, qui id nolle audeat, quod certus eſt Deum velle: aut quod certus eſt eum nolle, id velle præſumat? Sed in medio periculum eſt his, qui jam egreſſi de ſeculo, in loco converſionis habitant tanquam in paradiſo voluptatis: ſicut in medio paradiſi lignum tranſgreſſionis poſitum erat, in quo prævaricati ſunt Parentes primi, lignum ſcientiæ boni & mali, non tantùm boni vel mali ſolius, ſed boni & mali. Propterea rogo vos Fratres (m) diligenter attendite, quia nihil mihi occurrit quod utilius poſſitis audire. Ubi certa eſt Dei voluntas, omninò noſtra ſequatur, in his videlicet de quibus certum aliquid in Scripturis invenimus: aut ipſe Spiritus manifeſtè clamat in cordibus noſtris quid ſentiendum ſit, ut eſt charitas, humilitas, caſtitas, obedientia. Hæc approbemus indubitanter, & appetamus quæ placere Deo ſcimus indubitanter. Sed & ea omnimodis odiſſe debemus, de quibus certum eſt quòd oderit ea Deus, ut eſt apoſtaſia, fornicatio, iniquitas, impatientia. In his verò rebus, de quibus nihil certi poſſumus invenire, nihil certum voluntas noſtra definiat, ſed pendeat inter utrumque, aut ſaltem neutri parti nimis inhæreat, cogitans ſemper ne fortè altera pars Deo magis placeat: & parati ſimus voluntatem ejus ſequi, in quamcunque partem eam cognoverimus inclinari. Nemo ſuper his quæ certa ſunt, hæſitet: nemo dubia pro certis admittat: nemo ſibi in dubiis judicium vendicet, præcipitetquè ſententiam. Et experiemur quod ſcriptum eſt: *Pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non eſt illis ſcandalum.* Unde enim ſunt ſcandala, unde turbationes, niſi quòd propriam ſequimur voluntatem, & temerè quod volumus in corde noſtro definientes? Si quomodo id prohiberi contingat aut impediri; continuò etiam in impatientiam, in murmurationem, in ſcandalum proni ſumus, non attendentes quoniam omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti: & qui nobis caſus videtur, ſermo quidem Dei eſt, ſuam nobis indicans voluntatem. At quicunque nihil certum de hujuſmodi in corde poſuerit, in quamcunque partem poſtea convertatur, ſcandilizari non poterit. Aut ſi quis facere cogitat unde mandatum certum non habet, ſi voluntatem ſuam ſuſpensã tenuerit, donec Prælatum interroget, & ab eo quærat Domini voluntatem, qui vice ipſius obedit, non turbabitur quidquid ei præcipiatur; quoniam *pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non eſt illis ſcandalum*. Porrò (n) quod dixi: Voluntatem ſuſpenſam teneat, aut voluntatem ſuſpenſam teneat, aut voluntatem ſuam Divinæ ſubjaceat voluntati; non de concupiſcentiis deſideriorum, non de affectionibus dico. Illud enim impoſſibile eſt, dum adhuc in hoc peccati corpore, & in hoc corpore mortis anima detinetur. Quid enim eſſet aliud quàm vita æterna, tota affectione Divinam in omnibus ſequi voluntatẽ? Sed conſenſum noſtrum neceſſe eſt Divinę ſubiicere voluntati, ſi pacem æternã, & pacem deſideramus habere præſentẽ, ſicut ſcriptum eſt: *Pacem meã do vobis, pacẽ relinquo vobis. Domine* (ait Propheta) *in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die*. Alius enim ambulabat in lumine vultus ſui, ſollicitus facere ſuam voluntatem, & beneplacitum cordis ſui conſiderans. Alius ambulat in lumine vultus humani, in eo ſemper intentus quid hominibus placeat, quid mundus judicet. Propterea homines ſibiipſis aut aliis hominibus placere ſtudentes, confuſi ſunt. Sed qui in lumine vultus tui ambulant Domine, id ſolùm cogitantes quomodo tuam faciant voluntatem, & toto corde contendentes placere tibi: nunc quidem in nomine tuo exultabunt, & non erit illis ſcandalum: demùm in juſtitia tua exultabunt, quando exuentes infirmitates ſuas, & intrantes potentias Domini memorabuntur juſtitiæ tuæ ſolius, ut eam tunc teneant ſine labore, quam modò ſequi laborant. Sola autem voluntas (o) quoniam pro ſui ingenita libertate, aut diſſentire ſibi, aut præter ſe in aliquo conſentire, nulla vi, nullaquè cogitur neceſſitate: non immeritò juſtam vel injuſtam, beatitudine ſeu miſeria dignam ac capacem creaturam conſtituit, prout ſcilicet juſtitiæ injuſtitiævè conſenſerit. Quid enim odit (p) aut punit Deus præter propriam voluntatem? Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille deſæviet, niſi in propriam voluntatem? Væ oppoſitis voluntatibus (q) ſolam ſuæ profectò averſionis referentibus pœnam. Quid tam pænale. quàm ſemper velle quod nunquam erit? Quid tam damnatum, quàm voluntas addicta huic neceſſitati volendi nolendiquè, ut ad utrumlibet jam ſicut nonniſi perversè, ita nonniſi miſerè moueatur? In æternum non obtinebit quod vult, & quod vult in æternum nihilominus ſuſtinebit

k *Ser. 3. in Dom. P. 1. n. 4.* l *Ser. 26. int. diuer. n. 2.* m *Ibid. n. 3.*

n *Ibidem. n. 4.* o *Tract. de lib. arb. cap. 3. n. 6.* p *Ser. 3. in Resurr. Dom. n. 3.* q *Lib. 5. de confider. cap. 12. n. 25.*

bit. Dignè omninò, ut qui ad nihil afficitur unquam quod deceat, ad nil unquam quod libeat, evadat. Quid hoc facit? Rectus Dominus Deus noster, qui & cum perverso pervertitur. Nunquam recto pravoquè conveniet. Hæc enim sibi invicem adversantur, & si non invicem lædant. Læsio alterius est, absit ut Dei. *Durum tibi est* (inquit Dominus) *contra stimulum calcitrare*: hoc est, non stimulo durum, sed calcitranti. Caveamus itaquè à propria voluntate [r] tanquam à vipera pessima & nequissima, & quæ sola deinceps damnare possit animas nostras.

§. III.

Christus [s] *factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis*. Qua necessitate? Respondeat Apostolus Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini*, inquit, *vestigia ejus*: idest, ut imitemini obedientiam ejus. Ex his sanè quæ passus est, discimus quanta nos qui puri homines sumus, oporteat pro obedientia perpeti, pro qua is qui & Deus erat, non dubitaverit mori. Christus utique [t] factus est obediens Patri. Unde & ipse dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me*. Et in alio loco: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me Patris*. Denique [u] in eo obedientia consummata est, cùm inclinato capite tradidit spiritum, factus obediens usque ad mortem. Familiaris quidem [x] & amica saluti obedientia est, sed obedientia firma & stabilis, quæ fundata est supra petram. *Melior est enim obedientia quàm victima, & acquiescere nolle, ut peccatum hariolandi est*. Unde & vitæ quoque ipse Salvator prætulit hanc virtutem, eligens magis Animam ponere, quàm obedientiam non implere. Ejus ergo exemplo (y) bonum obedientiæ toto mentis & cordis conatu nobis amplectendum est, ut qui inobediendo recessimus à Deo, per obedientiæ legem redire mereamur. Nam [z] quem à Deo suo exturbavit inobedientia, sine dubio per obedientiam recto tramite ad Deum redit. Præterea purgatio est [a] obedientia præceptorum, sicut audierunt Discipuli: (quod utinam audire mereamur & nos) *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*. Nimirùm quia non erant sicut hi quibus dicitur: *Sermo meus non capit in vobis*: sed in auditu verbi obaudierant ei. An non tibi videntur Apostoli [b] singularis obedientiæ conscendisse fastigium, qui acceptâ licentiâ sedendi in civite, intra unius domunculæ septa conclusi unanimiter in oratione perseverabant? Intellixisti quia ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati? O quantis obedientiæ viribus innituntur, qui gaudent pro Christo ad concilium trahi? Dignitatem ducunt pro eo cædi, gloriam quærunt pro eo mori. Beatæ animæ, & abundanti majestate Spiritûs influentes, quibus vilitas sublimitas, contumelia gloria, patientia victoria, mirabili mirabilitate videntur. Multùm repleta est anima eorum, opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Cernis quàm libera fronte Pontificum faciem, Pharisæorum supercilium, tumultum plebis irrumpant dicentes: *Magis oportet Deo obedire quàm hominibus*. Intuere illa duo magna Luminaria Petrum & Paulum, & universum ordinem Apostolici Senatus obambula, & ibi videbis obedientiæ firmitatem inter tormentorum multitudinem viriliter perstitisse. Quàm beatus ille (g) qui ait: *Dominus Deus aperuit mihi aurem, & ego non contradico, retrorsùm non abii*. Ubi & voluntariæ habes obedientiæ formam, & longanimitatis exemplum. Qui enim non contradicit, spontaneus est: & qui retrò non abiit, perseverat. Utrumque necessarium, quoniam hilarem datorem diligit Deus: & qui perseveraverit in finem, hic salvus erit. Utinam & mihi aperiat aurem Dominus, intret ad cor meum sermo veritatis, mundet oculum, & lætæ præparet visioni, ut dicam Deo etiam ipse: *Præparationem cordis mei audivit auris tua*. Utinam audiam à Deo etiã ipse cum cæteris obedientibus: *Et vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*. Nec omnes mundantur qui audiunt, sed quia obediunt. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*. Talem requirit auditum qui mandat dicens: *Audi Israël*. Talē offert qui ait: *Loquere Domine, quia audit servus tuus*. Talem spondet qui dicit: *Audiam quid loquatur Dominus Deus*. Fortissima res est obedientia vera (d) & quæ in animum descendere non potest, nisi à mundi hujus aspergine purè pressèquè detersum. Ut autem via ejus evidentiùs elucescat, ostendamus quantùm possumus, quæ sit obedientia *specialis* ad Deum, *propria* ad hominem, *communis* inter Deum & hominem. Sunt quædam summè mala, quædam summè bona. Summè bona sunt, diligere Deum, amare poximnm, veritatem loqui, non furtum facere, non falsum testimonium dicere, non adulterari, & alia multa, quæ sermonis brevitas numerare prohibet. Summè mala sunt eorum contraria, & similia illis. Bona præcipit Deus ut faciamus, à malis jubet ut abstineamus. Præcepti hujus sancta & incommutabilis auctoritas non valet quoquomodò refelli, quia illius est charactere consignita qui dicit: *Ego Dominus, & non mutor*. Si ergo homo ille, quem imposuit Dominus super capita nostra, aliter sentire volverit, ponens tenebras lucem, & lucem tenebras, vel præcipiat prædicta bona relinquere, vel malis præfatis adhærere: audacter refutandum est præcipientis imperium, & libera voce dicendum: *Obedire oportet magis Deo quàm hominibus*. Hæc est *specialis* obedientia ad Deum, quæ nunquam est hominibus arbitrio temperanda, sed incommutabili conservanda proposito. Certam igitur regulam tene, ut nec imperio Prælatorum prædicta bona relinquas, vel facias mala. Inter summè verò mala & summè bona, quædam media sunt ad alterutrum se habentia, & boni maliquè nomen assumunt. Media sunt ambulare, sedere, loqui, tacere, comedere, jejunare, vigilare, dormire, & si qua sunt similia: quæ si Pastoris licentiâ fiant, summam expectant retributio-

r Ser. 11. divin. 3. s Tract. de grad. humil. cap. 3. num. 7. t Ser. 2. in cœna Dom. n. 2. u Ser. 1. de resur. Dom. n. 3. x Tract. de vit. & mor. Cler. c. 1. n. 1. y Epis. 385. n. 3. z Ser. 35. diver. n. 3. a Ser. 1. in Dom. 1. post. oct. Epiph. n. 4. b Ser. 41 int. div. n. 1.

c Ser. 28. in Cant. n. 5. d Ser. 41. int. div. 3.

tionem. In his igitur mediis subditi esse & obedientes debemus ad nutum Præpositorum, nihil interrogantes, propter conscientiam: quia in his nullum præfixit opus Deus, sed Prælatorum dereliquit imperio disponenda. Non autem te moveat Magister imperitus, indiscreta potestas, sed memento quia non est potestas nisi à Deo: & qui resistit potestati, resistit Dei ordinationi. Hæc est *propria* hominis obedientia quam homini debemus, qui homini subditi sumus. *Communis* est etiam inter Deum & hominem: quia quidquid obedientiæ Prælatis exhibetur, ei exhibetur qui dicit: *Qui vos audit, me audit.* Cum magna igitur cautela hoc tramite dicimus incedendum: quia & multi gradus ibidem delitescunt, quorum qui unum reliquerit, cæteros sine retributione tenebit.

§. IIII.

Primus (e) gradus obedientiæ est *obedire libenter.* Omnis ætas ab adolescentia sua prona est ad malum, & unus quisque voluntatem pravi cordis sui sectatur. Ab illa enim primæ prævaricationis angustia innatus est homini amor propriæ voluntatis, quæ voluntatem sui Creatoris relinquens, ibi subdita est servituti, ubi volvit dominari. Difficile est ergo suam relinquere voluntatem, & alterius voluntati deservire. Quamlibet autem grave sit, non posset tamen primum obediendiæ ascendere gradum, qui voluntatem præcipientis suam non fecerit. In volunta sua justus gloriatur sese Domino confiteri: unde *voluntariè* (inquit) *sacrificabo tibi.* Sola ergo voluntas est, quæ totius operis ornat effectum, sine qua etiam nec benè aliquid agitur, etiamsi bonum esse videatur. Ex voluntate igitur suscipienda sunt imperia Prælatorum, & ipsum cor à suis voluntariis reflexionibus abducendum, donec propria voluntas mactata mandatum diligat imperantis. Hoc est ergo libenter obedire, Prælatorum voluntatem voluntariè adimplere.

Secundus (f) obedientiæ gradus est *obtemperare simpliciter.* Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. In simplicitate cordis quærere Dominum Scriptura præmonstrat. Multos videmus post præcipientis imperium multas facere quæstiones: Cur, quare, quam ob rem, sæpiùs interrogare, crebras ingeminare querelas: quærere, quare hoc præcepit? unde hoc venit? quis hoc adinuenit consilium? Inde murmuratio, inde verba murmurationem & indignationem sonantia, & redolentia amaritudinem. Inde frequens excusatio, simulatio impossibilitatis, advocatio amicorum. Non sic Abraham. Andi quid Dominus de simplici populo protestetur: *In auditu* (inquit) *auris obedivit mihi*: ut videlicet ostenderet uno eodemquè momento processisse & imperantis imperium, & obsequium obsequentis. Nolite errare, Deus non irridetur. Murmuras contra Prælatum in tabernaculo corporis tui? elevat manum suam ad prosternendum te dextera Dei. Incede igitur simpliciter in mandatis obedientiæ, addens voluntati simplicitatem, intentioni illuminationem. Fortitudo enim simplicis via Domini, quæ obedientia est. Fortitudinem igitur indvunt qui obedientes sunt, & simpliciter incedunt.

Tertius (g) gradus obedientiæ est *hilariter obedire.* Hilarem enim datorem diligit Deus, *Non ex tristitia* (inquit Apostolus) *aut ex necessitate.* Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus multùm colorant obedientiam obsequentis. Unde & gentilis ille Poëta ait sic: *Super omnia vultus accessère boni.* Quis enim locus obedientiæ, ubi tristitiæ cernitur ægritudo? Ostendunt plerumque voluntatem animi signa exteriora, & difficile est ut vultum non mutent, qui mutant voluntatem. Nubiliosa corporis compositio, & facies tenebris obfuscata tristitiæ, devotionem ab animo recessisse signat. Respice David ante arcam Domini hilariter saltantem, & quàm sapienter superbientis fæminæ reprimit indignationem. *Ludam* (inquit) *& vilior ero in conspectu Domini.* Cernis igitur quàm necessaria & conveniens sit hilaritas in obedientiæ executione. Quis imperat libenter tristitiam efflanti? Si vis ergo perfectus esse, hilariter, & cum magna vultûs alacritate suscipe jubentis imperium, ut voluntati cordis, simplicitati operis, vultûs hilaritatem adjungas.

Quartus [h] gradus obedientiæ est *obsecundare velociter.* Velociter currit sermo Dei, & velocem habere desiderat sequentem. Vides cum quanta velocitate currit ille qui dicit: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visvi, aurem auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Vide Dominum festinanter præcipientem, & hominem festinanter obedientem. *Zachæe* (inquit) *festinans descende, quia in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit eum gaudens.* Animadvertisti quia & festinanter descenderit, & gaudenter exceperit. Audisti obedientiam, audi & obedientiæ remunerationem: *Quia salus huic domui facta est.* Intuere etiam ex occasione hujus obedientiæ conclusionis grande mysterium, & obsignatam signaculo misericordiæ sententiam. *Venit enim* (inquit) *filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* Nonne legisti quod filiis Israël præcipitur, ut agnum comedant festinanter? Festinanter quippe veri Agni comestio signatur implenda: quia verba illa quæ per legem dedit, quæ per semetipsum presens exibuit, quæ per Ecclesiæ Præpositos tradenda reliquit, veloci sunt obedientia consummanda. Et tu ergo cùm voluntatem cordi, simplicitatem operi, hilaritatem vultui conjunxeris, adde velocitatem: ut sis juxta Apostolum Jacobum, *velox ad audiendum, & ad implendum velocior.*

Quintus [i] gradus obedientiæ est *adimplere viriliter.* Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino. Non est fortitudinis ire ad inobedientiam, sed ab obedientia non abduci. Si tribulatio intonat, si persecutio resultat, si peccatores tibi laqueum ponunt, si maligni tuum iter impediunt: tu obedientiæ viam non deseras, sed dic: *Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Quid enim superiùs enumerata pariunt utilitatis, si fortitudo desit, quæ in arce constantiæ virtutes collocat, & eo vallo monit, quo furentis impetus aspirare non possit? Manum tuam misi-

e *Ibidem n.4.* f *ibidem n.5.*

g *Ibidem n.6.* h *ibidem n.7.* i *Ibidem n.8.*

misisti ad fortia? agendum est instanter, & constanter obediendum: nec inter verborum seu verberum asperitatem tam regalis est semita relinquenda, sed tenaciori est retinenda fervore. Et ut breviter dotes fortitudinis concludamus: Virtus est, virtutes servans ac muniens. Junge igitur velocitati fortitudinem, constantiam instantiæ, & tunc decantabis securus: *Manus peccatoris non movebit me*. Audi denique hominem (k) quem secundùm cor suum invenerat Deus: *Paratum* (inquit David) *cor meum Deus, paratum cor meum*. Paratum ad prospera, paratum ad humilia, paratum ad sublimia, paratum ad universa quæcunque præceperis. Vis Pastorem ovium facere? vis constituere Regem populorum? paratum cor meum Deus, paratum cor meum.

Sextus (l) gradus obedientiæ est *humiliter obedire*. In humilitate nostra memor fuit nostri, qui fecit nos. Magna virtus humilitas, sine cujus obtentu virtus fortitudinis non solùm virtus non sit, sed etiam in superbiæ vitium erumpat, Quàm fortiter currebat Saûl cùm esset parvulus in oculis suis? quanta Philistæorum agmina prosternebat, quantis viribus exercebat gladium? Postquam autem tenuit eum superbia, & transivit in affectum cordis, debilis & impotens factus, incircumcisorum armis facilè prostratus occubuit. Aspice Regem David, in quo humilitas sublimis & humilis sublimitas felici compositione nitescunt. *Domine* (inquit) *non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei*. Et ad totum intinerarium ejus sedula intentione recurre, & quaquaversùm oculos reflexeris, invenies humilitatis floribus esse respersum. Audi namque alibi quid dicat: *Fortitudinem meam ad te custodiam*. Quàm verè loquitur justus justitiæ executor! Sunt namque plurimi, qui fortitudinem suam non ad Deum, sed ad inanem gloriam custodiunt: qui confidunt in virtute sua, qui de acceptis virtutibus quasi non acceperint, gloriantur: Conditori facientes injuriam, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Ne ergo fortitudo in superbiam transeat, condienda est sale humilitatis: quia nihil proderit fortiter obedire, si contigerit infeliciter superbire. Illi ergo fortitudinem suam ad Deum custodiunt, qui cùm fecerint quod facere debent, dicere possunt: *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus*.

Septimus (m) gradus obedientiæ est *indesinenter obtemperare*. Non qui incæperit, sed qui perseveraverit, saluus erit. Incipere multorum est, perseuerare paucorum. Perseuerantia singularis est filia summi Regis, virtutum fructus, earumquè consummatio, totius boni repositorium, virtus sine qua nemo videbit Deum, nec à Deo uidebitur: finis est ad iustitiam omni credenti, in qua virtutum conuentus reuerendum sibi thalamum consecrauit. Quid enim currere prodest, & ante metam cursûs deficere? *Sic currite ut comprehendatis*, dicit Apostolus. O quàm perseueranti pede cursum suum perfecerat qui dicebat: *Cursum consummavi*. O quàm longum cursum felix ille Latro compleuit, qui consummatus in breui explevit tempora multa. Denique & Dominus Prophetarum loquitur: *Si conversus fuerit iustus à justitia sua, & fecerit iniquitatem: omnium justitiam ejus non recordabor*. Vides ergo quàm profunda obliuione virtutes illæ sepeliantur, quas perseuerantia non insignivit. Sola est, quæ amatorem obedientiæ ad Regis cubiculum introducit, ut eum uideat in decore suo, in quem desiderant Angeli prospicere. In via igitur ista quâ ambulamus, absconderunt superbi laqueum mihi. Difficilis est uia ista & grauis, spinosis anfractibus & multiplicium uinculorum nexibus innodata. An tu ibi putas obedientiæ fructum, cùm subditus audit obedientiam quam multis expetierat votis, cùm ei præcipitur quod redoleat dignitatem, gaudio & lætitia fluitet, potentiæ fulciatur imagine? E contrario autem, an tu illi obedientiæ meritum assignas, quæ cum aduersitate procedens, animum terret audientis, gravis ad audiendum, gravior ad implendum, ad tenendum grauissima? Non est ita. Faciendum est ut à prosperitate animo separemur, & aduersitatem animo complectamur, si uolumus Christum sequi, qui regnum fugit, & ad passiomem voluntarius venit.

CAPUT VII.

De agonia, & sudore sanguineo Christi orantis in horto.

1. *Ostenditur Christum in agonia non solùm immaduisse sudore sanguineo, sed etiam decorem exteriorem corporis sui amisisse: quo docemur ut & nos deformemur in corpore extrinsecùs, interiùs verò reformemur in anima*. 2. *Ostenditur Christum sudaße sanguinem, ob ingentem angustiam & scissionem cordis: quo docemur scindendum esse corda nostra. Assignantur causæ, cur toto corpore sudavit Sanguinem Christus*. 3. *Ostenditur Christum, ideo voluiße consolari & confortari ab Angelo, ut nos doceret non ad carnales & caducas recurrere consolationes, sed ad spirituales & Angelicas. Docemur, ut in omni tribulatione nostra invocemus Angelum Custodem nostrum, qui nos consoletur & confortet*.

§. I.

Et factus in agonia, prolixiùs orabat. Luc. 22.

NOn est aliquo modo dubitandum de Christo (a) quin infirmitatē & exterminationem corporis incomparabilem sustinuerit, qui etiam vererat crucem sustinere: & præ cæteris tantò magis fuerit confectus, quantò major in eo fuit compassionis affectus, qui non solùm facta, sed etiam cogitationes inspexit. Suffragatur his rationibus sententia ipsius Domini sic dicentis: *Jerusalem Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Videamus quid sibi hoc velit, quòd Dominus se gallinæ magis quàm alteri animali voluit comparere? Quia ut à Sanctis Patribus tenetur, ideo factum est, ut exprimatur incomparabilis affectus charitatis. Nullum enim animal circa pullos suos tanta compassione movetur, sicut gallina. Fit enim toto corpore hispida,

k. *Serm.2. in Quadrag. n. 6. serm. 31. inter. diver. n. 9. m Ibidem. n. 10.*

a *Tract. de vite Myst. cap. 5. n. 21.*

pida, voce rauca, toto fervens animo, & omnibus membris infirma, & usque ad supremum defectum perveniens. Si ergo intantùm pullis suis gallina animal irrationale compatitur: quantò putas optimum Jesum humano generi fuisse compassum? ad quantam putas eum debilitatem & infirmitatem pervenisse? Quanta ipsum putas macie confectum fuisse, qui pro omnibus cognoscitur doluisse? Unde Esajas ait: *Verè languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portavit.* Et præco ipsius (b) Joannes Baptista clamat: *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Non dicit morbos corporis, non molestias carnis, sed peccatum, quod est morbus animæ, & corruptio mentis. *Ecce qui tollit peccata mundi.* Unde? Vtique à manu, ab oculo, à collo, demùm etiam à carne ipsa, cui altiùs infixum est. Tollit peccatum à manibus (c) commissa peccata delens; tollit ab oculo, purgans cordis intentionem; tollit à collo, violentam removens dominationem, sicut scriptum est: *Sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.* Itemquè: *Computrescet jugum à facie olei.* Et Apostolus loquitur, dicens: *Ut non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Siquidem alio in loco ait idem Apostolus: *Scio*, inquit, *quòd non est in me bonum, hoc est, in carne mea.* Sed jam veniamus ad illum ultimæ diei agonem (d) & causas deformati corporis Jesu nequibimus ignorare. Incipiat ergo consideratio nostra in eodem loco, ubi ipso teste cùm inciperet pavere & tædere, tristis fuit anima ejus usque ad mortem. Sudor sanguineus orantis & agonizantis membra copiosè perfudit, itaut jam non solùm distillaret, sed guttatim decurreret in terram. Quis hìc decor speciei? Quis in corpore sic macerato formæ pulchritudinem quærat? Venite quæso (e) & condolete ei omnes, qui gaudere desideratis in Domino. Attendite manu fortem nostrum, quomodo contritus est: desiderabilem nostrum, quomodo miserabiliter deformatus est: pacificum nostrum, quomodo in bello peremptus est. Ubi est rubor roseus? ubi candor juvenilis? ubi in corpore tam contrito decorem invenies? Ecce defecerunt dies nostræ diei Domini Jesu, qui solus est dies sine tenebris: & ossa ejus sicut cremium aruerunt. Percussus est sicut fænum, & aruit cor ejus: elevatus est, & allisus valdè; sed in dedecore extrinseco decorem simul verè & decus intrinsecùs retinebat. Noli ergo deficere pro ipso in tribulationibus tuis, quia hunc speciosum formâ præ filiis hominum viderunt omnes in cruce, qui tantùm exteriora intuebantur, & viderunt eum non habentem speciem neque decorem: & facies ejus abiecta est quasi deformis. De hac tamen deformitate Redemptoris nostri manavit precium decoris nostri, sed decoris interni. Omnis enim gloria filiæ Regis ab intus. Senserat hoc & Sponsa, quæ in Cantico Salamonis proclamat: *Nigra sum, sed formosa filia Jerusalem, sicut pelles Salamonis.* Nisi corpus Domini Jesu deforme fuisset, cujus nigredinem supra pro parte executi sumus; formositatem intrinsecam (quia in ipso omnis plenitudo divinitatis) quis enarrabit? Sciendum tamen est, quòd ea quæ diximus de deformitate Corporis speciosi, non de naturali, sed de accidentali deformitate Domini: non accusantes in ipso defectum naturæ, sed passionis charitatem commendantes. Deformemur igitur & nos in corpore extrinsecùs cum deformato Jesu, ut reformemur interiùs in anima cum formoso Jesu. Conformemur corpori Jesu in corpore nostro, ut reformet corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Imitatores simus Pauli Apostoli, sicut ipse Christi fuit, qui de se dicit: *Christo confixus sum cruci.* Et alibi: *Ego semper porto stigmata Jesu Christi in corpore meo.* Benè portabat characterem passionis Jesu Christi in corpore suo, cui mundus mortuus erat, & ipse mundo. Fuscus effectus est, quia decoloravit eum sol passionis & charitatis Christi. Vis tibi denique demonstrem (f) animam & nigram pariter & formosam? *Epistolæ*, inquiunt, *graves sunt: sed præsentia corporis infirma, & sermo contemptibilis*, Paulus hic erat. Itane Paulum, ô filiæ Jerusalem, de præsentia corporis æstimatis, & tanquam decolorem deformemquè contemnitis, quia cernitis homunculum afflictari in fame & siti, in frigore & nuditate, in laboribus plurimis, in plagis supra modum, in mortibus frequenter? Hæc sunt quæ denigrant Paulum, Pro hujusmodi Doctor Gentium reputatur inglorius, ignobilis, niger, obscurus, tanquam denique peripsema hujus mundi. Enimverò nonne ipse est qui rapitur in Paradisum, qui unum alterumquè perambulans, usque ad tertium sui puritate penetrat cælum? O verè pulcherrima anima, quam etsi infirmum inhabitantem corpusculum, pulchritudo cælestis admittere non despexit, Angelica sublimitas non rejecit, charitas divina non repulit: hanc vos dicitis nigram? Nigra est, sed formosa, filiæ Jerusalem. Nigra vestro, formosa divino Angelicoquè judicio. Etsi nigra est, forinsecùs est. Sibi autem pro minimo est, ut à vobis judicetur, aut ab his qui secundùm faciem judicant. Homo siquidem videt in facie, Deus autem intuetur cor. Propterea etsi nigra foris, sed intùs formosa, ut ei placeat cui se probavit, Non enim vobis, quibus si adhuc placeret, Christi seruus non esset. Felix nigredo, quæ mentis candorem parit, lumen scientiæ, conscientiæ puritatem. Non planè contemnenda est in aliis sanctis ista nigredo extera (g) quæ candorem operatur internum, & sedem proinde præparat Sapientiæ. Candor est enim vitæ æternæ Sapientia, ut Sapiens definit: & candidam oportet esse animam, in qua ipsa Sapientia sedem elegerit. Quod si anima justi sedes est Sapientiæ, haud dubiè dixerim animam justi esse candidam: & fortassis justitia ipsa candor est. Justus autem erat Paulus, cui reposita fuerat corona justitiæ. Candida proinde Pauli anima erat, & Sapientia sedebat in ea, ita ut sapientiam loqueretur inter perfectos, sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum mundi hujus agnovit. Porrò hunc in eo sapientiæ justitiæquè candorem nigredo illa exterior de sapientia corporis infirma, de laboribus plurimis, de jejuniis ac vigiliis multis aut operabatur, aut promerebatur. Ideoquè & quod nigrum est Pauli, speciosius est omni ornatu extrinseco, omni etiam Regio cultu. Non comparabitur ei quantalibet pulchritudo carnis, non cu-

cis

b *Serm. 6. de Adu. Dom. nu. 1.* c *Ibidem nu. 2.* d *Tract. de vite myst. cap. 5. nu. 23.* e *Ibidem nu. 27.*

f *Ser. 25. in Cant. nu. 5.* g *Ibidem nu. 6.*

tis utique nitida & arsura, non facies colorata vicina putredini, non vestis preciosa obnoxia vetustati, non auri species, splendorvè gemmarum, seu quæcunque talia, quæ omnia sunt ad corruptionem. Habet & Salamon, *scilicet Christus*, nigredinem (h) sed in pelle. Foris niger, in cute niger, non intus. Alioquin omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. Intùs Divinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, innocentiæ puritas. Sed tetegit hæc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus vultus ejus & despectus, dum tentatur per omnia pro similitudine absque peccato.

§. II.

Et factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram. Luc.22.

Angustias quidem cordis Domini Jesu(i) certissimè indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de carne sua Sanctissima guttatim decurrebat in terram. Inspice ò homo (k) tribulationem ipsius mitissimi Cordis quâ angebatur, cùm toto corpore ex omni parte sanguineus sudor maneret. Neque enim corpus extrinsecùs tanto taliquè sudore deflueret, si Cor intrinsecùs nullius doloris molestiâ frangeretur. *Contritum est cor meum in meipso*, ait Propheta Jeremias. Scisso igitur corde interiùs, scissa est & exteriùs pellis nostri Salvatoris: effusus est sudor sanguineus super terram. Dominus Jesus in oratione constitutus (l) præ angustia spiritus sui, totus sudore sanguineo immaduit. Ubi quidem(m) non solis oculis, sed quasi membris omnibus flevisse videbatur: ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totius lachrymis corporis purgaretur. Floret in Vite nostra (n) benigno Jesu rosa rubens & ardens. Rubens Sanguine passionis, ardens igne charitatis, roscida effusione lachrymarum dulcissimi Jesu. Flevit enim & contristatus est propter me gaudium meum, imò gaudium Angelorum, Dominus Jesus: *qui* (ut ait Apostolus) *in diebus carnis suæ offerens vota & supplicationes ad eum, qui possit salvum facere eum à morte, cum clamore valido & lachrymis, exauditus est pro sua reverentia*. Audis cor non carneum, sed lapideum, illum magnum Jesum & optimum indiebus carnis suæ, quam pro me redimendo assumpserat, lachrymis immaduisse, & adhuc aridum permanens? O cor durum, audis commoveri pro me ad lachrymas illum, qui in æternum stat & non commovebitur: nec adhuc tu ad lachrymas commoveris? Addam & ignem charitatis & passionis Sanguinem, si fortè calefacias, si emolliaris, ut dulcissimo Jesu pro lachrymis suis & Sanguinis effusione solas saltem lachrymas rependas. Sanguinis effusio Jesu Christi (o) quâ passionis rosa coloratur, invenitur in sudore sanguineo orantis & agonizantis benigni Jesu. Ita enim ait Evangelista: *Et factus in agonia, prolixiùs orabat: & factus est sudor ejus, sicut gutta sanguinis decurrentis in terram*: ut cessent omnes cæteræ Sanguinis purissimi effusiones, Numquid hæc sola non poterit rosam nostram sufficienter rubricare? Verè potest cõscindere cor meum miserum, & sanguineis lachrymis madefacere: quia ecce Creator meus pro me sanguineo cruore perfunditur; nec levi quidem, sed decurrente in terram. Væ misero cordi, quòd tali & tanto sudore non madescit perfusum. *Scindite corda vestra* (p) *& non vestimenta vestra*, ait Dominus omnipotens. Si quis in vobis est, cujus voluntas circa unum aliquid solet obstinatior inveniri, scindat cor suum gladio spiritûs, quod est verbum Dei: scindat illud, & in multas minutias festinet dispartiri. Alioquin non est converti ad Dominum in toto corde, nisi scisso corde. Potest quoque (q) & aliter hæc scissio cordis intelligi, ut si pravum fuerit, scindatur ad confessionem: si durum, ad compassionem. Quidni scindatur cor, ut visceribus effluat pietatis? Quidni scindatur ulcus, ut sanies effluat? Utilis prorsùs utraque scissio, ut nec clausum lateat peccati virus in corde, nec indigenti proximo claudamus viscera misericordiæ, ut & ipsi consequamur misericordiam à Domino nostro Jesu Christo. Porrò (r) rubricata est rosa passionis, & charitatis Christi rubicundi Jesu. Ecce quàm rubicundus, & quàm totus rubicundus: nec vacat à mysterio ista Sanguinis Jesu effusio generalis. Sudavit enim toto corpore Sanguinem, qui nostras venerat tollere infirmitates ex carne nostra & sanguine contractas: ut ad convalescentiam & sanitatem totius corporis spiritualis sive Ecclesiæ sufficeret sudor sanguineus ab omni parte corporis, capitis scilicet nostri Domini Jesu Christi effusus. Arbitramur quoque (s) quòd hoc ad consolationem infirmorum membrorum suorum assumpsit, ne fortè desperet quis si caro infirma remurmurat, ubi ad passionem promptus est spiritus. Nimirum ut majoris erga Jesum amoris & gratitudinis stimulos habeamus, naturalem carnis infirmitatem his judiciis in se expressit, quibus doceremur quia verè languores nostros portavit, & non absque sensu doloris passionum sentes percurrit. Liberati ergo sumus (t) de sanguinibus. Deo gratias, auctori salutis nostræ benigno Jesu, qui suum pro nobis Sanguinem liberalissimè effudit. Totus siquidem (u) nobis datus, & totus in nostros usus expensus est. Porrò (x) vel hoc certè significabat sudor sanguineus à toto corpore Capitis nostri effusus, quia in toto corpore suo spirituali quod est Ecclesia, sanguis erat Martyrum effundendus, & Ecclesiæ rubricanda. Cæterùm nos, fratres, (y) ut vel fideles nos probemus Deo nostro, si martyrium sanguinis non habemus (martyrium enim testimonium est) quæramus vel testimonium aquæ, & ne ipsum quidem despiciet Deus. *Tres sunt enim qui testimonium dant in terra: Spiritus, Aqua, & Sanguis*, Beati quibus trinum suppetit testimonium, quoniam funiculus triplex difficilè rumpitur. Nos si sanguinis testimonium non habemus, habeamus spiritum & aquam: quoniam sine spiritu nec sanguis nec aqua sufficiet. Imò verò si spiritus ipse sine aqua aut sanguine invenitur, sufficit testimoniũ ejus: quoniam spiritus veritatis est, nec sanguis nec aqua quidquam proderunt à se ipsis, sed spiritus est qui testificatur in illis. Sanè tamen aut vix aut nunquam sine aqua, aut sanguine spiritum arbitror inveniri. Propterea, charissimi, quæramus vel aquam, qui sanguinem non

h *Ser:28.in Cant.nu.2.* i *Ser: de Pass. Dom. nu. 8.* k *Tract. de vite myst. cap. 37.* l *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 13.* m *Ser. 3. in Dom. Palm. nu. 4.* n *Tract. de vite myst. cap. 33. nu.137.* o *Ibidem cap. 37.*

p *Ser.2.in quadrag. n.5.* q *Ibidem nu.6.* r *Tract. de vite myst. cap.37.* s *Ser. de Pass. Dom. nu. 8.* t *Tract. de vite myst. cap.37.* u *Ser.3.in Circumcis. Dom. nu.4.* x *Tract. de vite myst. cap.37.* y *Ser. de S.Clem. nu.5.*

non habemus: quæramus menſuras binas vel ternas, quas hydriæ capiebant. Nam & Chriſtus triplicem nobis apponit aquam: & perfectus omnis qui fuerit in nobis ſicut ipſe, qui videlicet tres metretas habere potuerit. Propter hoc enim ſub diſtinctione dicitur, *binas vel ternas*, ut duas adminùs conſtet neceſſarias eſſe, tertiam non ab omnibus exigendam. Accipe igitur triplicem aquam, (z) quam tibi Saluator apponit. Plorat ſuper Lazarum, & ſuper Civitatem Jeruſalem: & hęc eſt *aqua prima*. Sudavit imminente jam paſſionis horâ: & hæc eſt *aqua ſecunda*, non ab oculis tantùm, ſed à toto corpore manans. Hæc autem rubea eſt, ſanguineiquè coloris, ſicut ſcriptum eſt: *Et factus eſt ſudor ejus, ſicut gutta ſanguinis decurrentis in terram*. Iam verò *tertia aqua* eſt, quæ de latere ejus unà cum Sanguine emanavit. E tu ergo *primam* quidem habes *aquam*, ſi rigas lachrymis tuis conſcientiæ tuæ ſtratum, & dolore compunctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. *Secundam aquam* habes, ſi in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, & labore pænitentiæ corpus tuum caſtigas, ac reſtinguis concupiſcentiæ flammam. Eſt autem ſanguinei coloris, ſive propter laborem, ſive etiam propter ipſum quem extinguit concupiſcentię ignem. Jam verò ſi proficere potes uſque ad devotionis gratiam, potaberis *aquâ ſapientiæ* ſalutaris; & ſpiritus Chriſti, qui ſuper mel dulcis eſt, fiet in te fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et ut breviter repetam. *Prima* quidem aqua à præteritis delictis abluit conſcientiam. *Secunda* ut futura caveas, extinguit concupiſcentiam. *Tertia* ſi ad eam pervenire merueris, potat animam ſitientem.

§. III.

Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. Luc. 22.

Lego quidem in Lazari reſurrectione (a) quia Jeſus intremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum. Sed eſto interim quia ſe ipſe turbavit, non conditionis neceſſitate, ſed ſuæ beneplacito voluntatis. Nunc autem aliquid jam amplius audio. Uſque adeò ſiquidem prævaluit ea quæ fortis eſt ut mors dilectio, ut Chriſtum Angelus Dei confortaverit. Quis, Quem? Evangeliſtam audi. *Apparuit* (inquit) *Angelus confortans eum*. Quem *eum*? Planè eum, cui naſcituro clauſus patuit Virginis uterus: cujus nutu in vinum aqua mutata eſt: cujus tactu lepra fugata eſt: ſub cujus plantis ſolidum mare ſtetit: ad cujus vocem mortui ſurrexerunt. Denique *eum*, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ, per quem facta ſunt omnia, per quem univerſa ſubſiſtunt, etiam & Angelus ipſe. Et quid dicam? Quem *eum*? Minùs enim morarer, ſi non penitùs eſſet indicibilis: *Confortans eum*. Quem *eum*? Cujus ne ipſe quidem confortator ſuus capere poterat Majeſtatem. Aliter quippe Chriſtus fortitudo (b) vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantùm nuncupativè, Chriſtus autem etiam ſubſtantivè. Chriſtus Dei virtus & dicitur & eſt, quæ forti armato (qui ſuum atrium in pace cuſtodire ſolebat) fortior ſuperveniens, ipſum ſuo brachio debellavit, & ſic ei vaſa captivitatis potenter eripuit. Angelus verò fortitudo Dei appellatus eſt, quòd hujuſmodi meruerit prærogativam officii. Rogo te Angele [c] quem conſolaris? An ignoras quis eſſet, ad quem conſolandum veniebas? Certè conſolator eſt, certè Paracletus eſt. Alioquin non diceret alium Paracletum à Patre mittendum Apoſtolis, ſi non eſſet & ipſe Paracletus. Denique agnoſco & in hoc ipſo Paracletum maximum, agnoſco Paracletum benigniſſimum, qui propè ſit his qui tribulato ſunt corde. Non deſpero jam, Domine, etiamſi moleſta mihi videatur tribulatio quam patior, etiam ſi puſillanimis ſum, etiamſi deſidero ut transferatur calix à me. Non deſpero inquam, dummodò audiam ipſe: *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Ita planè, dummodò non murmurem: id enim penitùs ſepararet à te, ſi non citiùs reſpicerem: non renuo, etiamſi opus habeo conſolari. Quid enim? Agnoſco vocem meam in Salvatore, & de ſalute deſperem? Planè in patientia mea poſſidebo animam meam. Qui minor eſt in regno cœlorum (d) major eſt quovis carnem portãte ſuper terram, etiamſi ſit ille magnus Jo: Baptiſta. Nam etſi ſanè Deum hominẽ fateamur Chriſtum, etiam in homine ſuper omnem principatum & poteſtatem longè incomparabiliter præeminere: certum tamen eſt, quia etſi præit maieſtate, ſed infirmitate ſuccumbit. Porrò etſi prælatus hominibus (e) ſed ab Angelis minoratus eſt. Miro enim modo & Angelis ſeſe factus caro ſubiecit, & Angelos ſibi manens Deus ſubiectos retinuit. Denique *videbitis* (inquit) *Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis*: quòd in uno eodemquè homine Chriſto Jeſu, & infirmitatem foveant, & ſtupeant Maieſtatem. Proinde didici ex hoc ipſo (f) non ad carnalem ſive caducam recurrere conſolationem, ſed ad Angelicam, ſed ad ſpiritualem, ſed ad cæleſtem. *Quoniam Angelis ſuis* (g) *mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? Reverentiam pro præſentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia. Cautè ambula, ut videlicet cui adſunt Angeli, (ſicut eis mandatum eſt) in omnibus viis tuis. In quovis diverſorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Quoties autem graviſſima cernitur urgere tẽtatio (h) & tribulatio vehemens imminere, invoca Cuſtodem Angelum tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum. In opportunitatibus, in tribulatione inclama eum, & dic: *Domine, ſalva nos, perimus*. Non dormit neque dormitat: etſi ad tempus quandoque diſſimulet, ne fortè periculoſiùs ab illius te manibus ipſe præcipites, ſi te eis ignoraveris ſuſtentatum? Spirituales enim ſunt manus iſtæ, & auxilia utique ſpiritualia, quæ ſingulis electorum pro cujuſque diſcriminis modo & obiectæ difficultatis, tanquam lapideæ molis quantitate, ab his qui ſibi deputati ſunt Angelis ſpiritualiter & multipliciter exhibentur. Dico ego tamen aliqua ex his quæ communia magis arbitror, & paucis qui inter vos ſunt inexperta. Turbatur aliquis vehementer, ſeu corporali quovis incommodo, ſeu tribulatione aliqua ſæculari, ſeu acediâ ſpiritûs, & quadam animi defectione langueſcens. Jam tentari

T tari

z *Ibidem nu. 6.* a *Serm: 1. de S: Andr: nu: 6:* b *Ser: 1: ſuper miſſus nu: 2:*

c *Ser: 1: de S: Andr: nu: 7:* d *Ser: 53: in Cant: nu: 8:* e *Serm: 48: in Cant: n: 4:* f *Ser: de S: Andr: n: 7:* g *Ser: 12: ſuper Pſal: 90: nu: 6.* h *Ibid. nu. 9.*

tari incipit supraquàm valeat sustinere, jam impinget & offendet in lapidem, si non fuerit qui subveniat. Quis verò est lapis iste? Ego illum intelligo lapidem offensionis, & petram scandali, in quam si offenderit quis, collidetur: super quem verò ceciderit, conteret eum. Lapidem utique angularem, electum, preciosum, qui est Dominus Christus. In hunc lapidem offendere est murmurare adversùs eum, scandalizari à pusillanimitate spiritûs & tempestate. Itaque opus illi est Angelica ope, Angelica consolatione, Angelicis manibus, qui jam deficit, jam propemodùm offendit in lapidem. Et verè offendit in lapidem qui murmurat & blasphemat, seipsum collidens, non eum in quem furibundus impingit. Arbitror sanè [i] velut duabus quibusdam manibus ejusmodi homines interdum ab Angelis supportari, ut quodammodò non sentientes transeant quod tantoperè formidabant, nec parùm mirentur postmodùm tam super posteriori facilitate, quàm super difficultate priori. Vultis scire quas intelligam duas manus? Duplicem utique demonstrationem, dum videlicet hinc quidem *tribulationis brevitas*, inde *æternitas retributionis* ostenditur: aut magis pingitur, vel imprimitur cordi, ut intimo affectu sentiat, quoniam momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Quis verò istas tam bonas per bonos non credat fieri, cùm certum sit, quòd è contrario malæ utique fiant immissiones per Angelos malos? Habetote familiares Angelos, Fratres mei, frequentate eos sedulà cogitatione & devota oratione, qui semper vobis adsunt ad custodiam & consolationem. Ipsi enim amant nos [k] quia nos Christus amavit. Dicitur certè vulgari quodam proverbio: Qui me amat, amat & canem meum. Nos verò, ô beati Angeli, catelli sumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis: catelli inquam, cupientes saturari de micis quæ cadunt de mensa Dominorum nostrorum, qui estis vos. Et hæc dixerim, Fratres, ut ampliorem de cætero erga beatos Angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiariùs in omni necessitate vestra eorum invocetis auxilia: sed & ut digniùs in eorum præsentia conversari, & magis ac magis eorum vobis conciliare gratiam, captare benevolentiam, exorare clementiam studeatis. Cujus rei gratiâ necessarium duco alias quoque charitati vestræ exponere causas, quæ ipsos beatos Angelos pro nostra infirmitate reddant sollicitos: absque sua sanè anxietate, sed non absque utilitate nostra, nec ad detrimentum felicitatis suæ, sed ad nostræ salutis augumentum. Constat sine dubio rationis participes (l) & capaces beatitudinis humanas animas, Angelicæ cognatas esse naturæ: nec decet vos, ô beati Spiritus, contra legis præceptum dedignari, quam visitare debetis speciem vestram, licet in multam (ut ipsi cernitis) dejecta sit vilitatem. Sed neque arbitramur vos, Superni Cives, civitatis vestræ excidio delectari, & ruinâ murorum quos semirutos ipsi videtis. Cujus instaurationem si desideratis (ut dignum est) frequenter, quæso, ante thronum gloriæ verbum precis iterate dicentes: *Benefac Domine in bona voluntate Sion, ut ædificentur muri Hierusalem*. Si diligitis decorem domus Dei, imò quia diligitis: experiantur zelum vestrum vivi & rationales lapides, qui soli in instaurationem ejus vobis possunt coædificari. Hic est, dilectissimi, funiculus triplex, quo de excelso cœlorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adjuvandos nos attrahitur supereminens charitas Angelorum: propter Deum, propter nos, propter seipsos. *Propter Deum* utique, cujus tanta erga nos misericordię viscera ipsi quoq; Angeli (ut dignum est) imitantur. *Propter nos*, in quibus nimirùm propriam similitudinem miserantur. *Propter seipsos*, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. In ore enim parvulorum, qui lacte modò vescuntur, & nondùm solido cibo, perficienda est laus illa Majestatis Divinæ, cujus habentes primitias Angelici Spiritus beata nimirum delectatione fruuntur: sed tantò avidiùs nos expectant, quantò consummationis ejus expectatione & expetitione sollicitantur.

CAPUT VIII.

De spontanea voluntate Christi, quam ostendit manifestando se Judæ & satellitibus, ut caperetur ab eis.

1. Christus voluntariè oblatus passioni docet nos, ut libenter offeramus Deo vitam nostram. Docemur qualiter quatuor obstacula adversantia divinæ voluntati reprimenda sunt mediantibus quatuor virtutibus cardinalibus. 2. Christus manifestans se ad capiendum, monstravit se esse sollicitum de accelerанda redemptione nostra. Ostenditur quantam curam habeat erga Ecclesiam electorum suorum. 3. Christus antequam caperetur, ostendit suam potentiam Divinam in illo tempore, quo prostravit in terram eosdem qui volebant ipsum capere.

§. I.

Tunc venit tertiò ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite jam, & requiescite: ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet. Matt. 26. Mar. 14.

Vide homo magnitudinem caloris (a) imò fervoris in patiente pio Jesu, & miraberis fructus sui accelerationem. Ardebat incomparabiliter charitatis intrinsecùs & passionis extrinsecùs igne, ut fructus nostræ redemptionis sine mora produceret. Pater diligit Filium (b) & singulari dilectione amplectitur, summus æqualem, æternum coæternum, unus Unicum. Sed non minori à Filio affectione astringitur: quippè pro cujus amore & moritur, ipso attestante cùm ait: *Ut sciant omnes quia diligo Patrem, surgite, eamus*: haud dubium quin ad passionem. Ea nocte quâ Dominus tradebatur (c) cùm fatigatos productioribus vigiliis discipulos qui secum erant, dormire demùm ac requiescere præcepisset, in ipsa hora surgere cogit: *Surgite, eamus* [inquit] *ecce appro-*

i *Ibid. nu. 12.* k *Serm. 1. de S. Michaele Archang. nu. 3.* l *Ibidem nu. 4.*

a *Tract. de vite myst. cap. 46. nu. 178.* b *Ser. 8. in Cant. num. 1.* c *Ser. 58. in Cant. nu. 1.*

propinquat qui me tradet. Fidelis sermo (d) & omni acceptione dignus. Quia enim voluit, oblatus est. Nonmodò voluit & oblatus est, sed quia voluit. Solus nimirùm potestatem habuit ponendi Animam suam: nemo eam abstulit ab eo. In templo priùs oblatus est [d] non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia voluit. Et in mortem nihilominus oblatus est, non quia meruit, non quia Judæus prævaluit, sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi Domine, quia voluntariè oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. Sed quid, Fratres nos offerimus [f], aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam preciosorem quam habuit, nimirùm quæ preciosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit, tu quis es qui teipsum offerre cunctaris? Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur Majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo Domine, corpus & animam dico: utinam hæc tibi perfectè possim sacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi longequè gloriosiùs atque utiliùs est, ut tibi magis offerar, quàm deserar mihiipsi. Nam ad meipsum anima mea conturbatur, in te verò exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. Fratres, Morituro Domino Judæus mortuas hostias offerebat: sed jam nunc, *Vivo ego*, (dicit Dominus) *nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat*. Non vult Dominus mortem meam, & non libenter offeram illi vitã meam? Hæc est enim hostia placabilis, Deo placens hostia, hostia viva. Hæc est utique professio fidei Christianæ [g] ut qui vivit, jam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est. Ipse enim oblatus est [h] quia apud ipsũ propitiatio est, & copiosa apud eum redemptio. Oblatus est, quia sic decrevit ipsius erga hominem inæstimabilis dilectio. Oblatus est, quia sic homo indiguit. Oblatus est, quia ipse voluit. Quid retribuam Domino [i] pro omnibus quæ retribuit mihi? Nonne si conferrentur in me omnes vitæ filiorum Adam, & omnes dies sæculi, & labores omnium hominum qui fuerunt, qui sunt, & qui erunt: nihil esset ad comparationem Corporis illius, quod spectabile & stupendum est Virtutibus etiam supernis in conceptu de Spiritu Sancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus Sacramentorum? Vides igitur quia sicut exaltantur Cæli à terra, sic exaltata est Vita Christi a vita nostra: quæ tamen posita est pro vita nostra. Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita & vita nostra nullam habet ad Vitam illius proportionem: cùm illa dignior, ista miserior esse non possit. Nec me putes rem exaggerare sermonibus: quia hîc deficit omnis lingua, nec sufficit oculus vel ad intuendum tantæ dignationis arcanum. Cùm ergo ei donavero quidquid sum, quidquid possum: nonne istud sic est, sicut stella ad Solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, Corpus scilicet & animam: vel potiùs unum minutum, voluntatem scilicet meam, & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se totum me comparavit? Alioquin si illam retinuero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericordiæ Dei nostri: & audeo perfodere illud fortissimum propugnaculum quod custodit Israel, & illius Sanguinis non guttas sed undas à quinque partibus Corporis in meum precium retorquere? Hoc quidẽ oramus ut voluntas Domini (k) sicut in cælestibus facta est creaturis, fiat etiam in terrenis: ut sicut Angelus, sic & homo adhærens Deo, unus cum eo spiritus sit. Sed heu me, quot obstacula separant, quot prohibent impedimenta! *Primò* obiicit sese *malitia* mediam. Inest enim nobis quasi à natura, magis autem ab exterminio naturæ, affectio quædam pessima & libido nocendi, ut inextinguibilis inveniatur in miseris animabus nostris malitiæ delectatio. Quid verò longius à voluntate Divina? Planè chaos magnum inter nos & illam firmatum est in hac parte: cùm semper Deum delectat præstare beneficia, & ingratis nobis è contra suggerat affectio crudelissima & innoxiis vel nocere. Hinc omnis radix amaritudinis germinat, hinc invidiæ, hinc detractiones, hinc dissensiones pullulant, hinc sylvescunt inimicitiæ. At hæc quidem germina virulenta præcidi semper necesse est falce *Justitiæ*, quâ videlicet extorqueamus à nobis, ne cui faciamus quod nolumus nobis fieri: sed quæ volumus vt faciant nobis homines, & nos eis eadem faciamus. *Secundò* obiicit sese *infirmitas* nostra. Ipsâ enim corruptibilis hujus infirmitate corporis præpedimur, ne voluntas nostra Divinæ valeat cohærere. Nobis quidem quod molestum sentimus, non potest non displicere: & frequenter in his voluntas nostra à Divina diffidet voluntate; cui ne penitùs adversetur, *Fortitudo* est nobis necessaria, quæ secunda species est virtutis. *Tertiò* obiicit sese (l) *concupiscientia* nostra. Nec enim sola impedit afflictio corporis, sed impedit & concupiscentia, quâ multiplicibus & inexplebilibus distrahimur desideriis. Quando autem poterit anfractuosa & angulis plena voluntas nostra ei Voluntati uniri, quæ rectissima est & omnimodis indistorta? Heu mihi Domine Deus, quia undique mihi bella, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta! Quocunque me vertam, nulla usquã securitas est: & quæ mulcent, & quæ molestant, timeo: & esuriens & refectio, & somnus & vigiliæ, & labor & requies militant contra me. *Divitias & paupertatem ne dederis mihi*, orat Sapiens: nimirum quia utrobique periculum. Quod si reprimit *Temperantia* concupiscentiam (hoc quippe unicum in hujusmodi remedium est) erit quidem unio jam nonnulla, sed plena non erit. Hinc & Apostolus de se fatetur: *Ego ipse*, ait, *mente consentio legi Dei, carne autem legi peccati, quæ est in membris meis*. Ex parte ergo cohæret, & ex parte dissidet, donec veniat quod perfectum est, & quod ex

d *Ser. Infer. 4. hebd. San. n. 4.* e *Ser. 3. in Purific. B. M. n. 2* f *Ibid. n. 3.* g *Ser. 33. inter. diuer. n. 6.* h *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 16* i *Ser. 22. inter. diuersorum. 6.*

k *Ser. 6. in Quadrag. n. 1. & 2.* l *Ibidem. n. 3.*

parte est evacuetur. *Quartò* [m] obiicit sese *ignorantia* nostra, quam & ipsam in nobis plurimùm obesse non ignoratis. Quo enim pacto voluntatem Dei præviam sequar, ubi ignoro eam? Cognosco autem tantùm ex parte, & necdum sicut cognitus sum. Propterea inquirenda sunt nobis cum omni desiderio incrementa *Prudentiæ*, ut magis ac magis notam faciat nobis Deus voluntatem suam, ut sciamus quid acceptum sit ei omni tempore. Sic virtutum consummatio, Justitiæ & Fortitudinis, Temperantiæ & Prudentiæ, unionem illam tam felicem quàm desiderabilem consummabit, ut sit nobis cum Deo una voluntas: & quæcunque ei placent, placeant simul & nobis.

§. II.

Adhuc Jesu loquente, ecce Judas cùm accepisset cohortem & ministros, à principibus Sacerdotum & Senioribus populi missos cum gladiis & fustibus & armis & laternis & facibus, venit illuc. Sciebat enim Judas qui antecedebat eos, locum, quia Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super se, processit, et dixit: Quem quæritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Respondit eis Jesus: Ego sum. Si ergo me quæritis, finite hos abire. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Joan. 18.

Redemptor noster [n] Dominus noster Jesus, quem Pater ad salutarem victimam misit in mundum, cùm tempus instaret quando moreretur, præsentem exhibere se volvit ubi traderetur. In nostra quidem vita,[o] multa, quantùm in nobis est, videmur agere casu & necessitate: sed Christus Dei Virtus & Dei Sapientia neutri potuit subjacere. Quæ enim Dei Virtutem necessitas cogeret, aut quid ageret Dei Sapientia casu? Sicut autem venit ut moreretur (p) sic prævidit & ubi, quando, & quo mortis genere moreretur: præscriptum coram se habens ab æterno mortis suæ genus, locum, & tempus. Hæc autem tria erant, Hierosolyma, Pascha, & Crux. Nam si de loco quæris, in Hierosolyma mortuus est: si de genere, morte crucis: si verò de tempore, instante tempore Paschalis solennitatis. Denique (q) quòd promptus ad passionem fuerit spiritus ejus, evidenter ostendit, quando venientibus unà cum proditore Juda viris sanguinum, & quærentibus Animam ejus cum laternis & facibus & armis per noctem, ultrò occurrit: & ne quid acciperent à duce flagitii, seipsum manifestavit. Exiit quandoque [r] & abscondit se ab eis, scilicet Judæis: nec volebat jam ambulare palàm in Judæa, quia quærebant eum interficere. Sciens autem quòd venerit hora ejus, tanquam potestatem habens, spontaneus ipse se obtulit passioni. Et qui (s) quæsitus in regnum, fugit; quæsitus ad tanta probra & ignominiosum supplicium crucis, spontè obtulit semetipsum. Non pepercit sibi (t) qui suis parcere novit. Hujus rei evidentiam vides in Evangelio Joannis, ubi cùm ab his qui ad Jesum venerant capiendũ, ei diceretur quòd ipsum quærerent, subjungit: *Ego sum, quem quæritis. Si ergo me quæritis, finite hos abire.* Nimirũ tres discipulos. O ardor verissimæ charitatis! Manifestat & tradit se charitas sævientibus inimicis, non parcens sibi: rogatquè pro suis, ut parcatur illis. Unde (u) quidam servorum suorum gratulando sic dicit de eo: *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis.* O verè admirabile commercium! Tradidit se Rex pro servo, Deus pro homine, Creator pro creatura, innocens pro nocente. Propterea meritò Sponsa locuta est (x) & dixit Sponsum intendere sibi. Quæ est Sponsa, & quis est Sponsus? Hic Deus noster est, & illa, si audeo dicere, nos sumus cum reliqua quidem multitudine captivorum, quos ipse novit. Gaudeamus. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Nos sumus in quos intendit Deus. Quanta tamen disparilitas? Quid terrigenæ & filii hominum coram illo? Secundùm Esaiam Prophetam sic sunt quasi non sint, & quasi nihilum & inane reputati sunt ei. Quid sibi ergo vult ista inter tam dispares comparatio? Aut illa in immensum gloriatur, aut is in immensum amat. Quàm admirabile est, quòd illius intentionem Sponsa sibi quasi propriam vendicat dicens: *Dilectus meus mihi?* Nec eo contenta tamen, pergit ampliùs gloriari, respondere se illi quasi ex æquo morem gerere, rependere vicem. Sequitur enim: *Et ego illi.* Insolens verbum, *Et ego illi*: nec minùs insolens, *Dilectus meus, mihi*: nisi quod utroque insolentius utrumque simul. O quid audet cor purum (y) & conscientia bona, & fides non ficta? *Mihi*, inquit, *intendit*. Itane huic intenta est illa Majestas, cui gubernatio pariter & administratio universitatis incumbit & cura sæculorum; ad sola transfertur negocia, imò ocia amoris & desiderii huius? Ita planè. Ipsa est enim Ecclesiam electorum, de quibus Apostolus: *Omnia*, inquit *propter electos*. Et cui dubium quòd gratia & misericordia Dei sit in sanctos ejus, & respectus in electos illius? Ergo providentiam cæteris creaturis non negamus, curam Sponsa rendicat sibi. *Numquid de bobus cura est Deo?* Nec dubium est quin idem possimus dicere de equis, de camelis, de elephantis, & de cunctis bestiæ terræ: similiter & de piscibus maris, & volatilibus Cæli, postremò de omni re quæ est super terram. Solis sanè exceptis quibus dicitur: *Omnē solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* An non tibi videtur veluti his verbis dictum: Intendite illi, quia ipse intendit vobis? Et observa Apostolum Petrum (ejus enim verba sunt) si non & ipse verborum Sponsæ observaverit ordinem. Nempe non ait: *Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum*, ut sit ipsi cura de vobis: sed, *quia ipsi cura est de vobis*: apertè proinde monstrans, quòd Ecclesia sanctorum nonmodò quoniam dilecta, sed & quòd priùs dilecta fuerit. Constat non ad eam pertinere de verbo [z] quod de bobus dixit Paulus Apostolus, nam curam illius habet qui dilexit illam, & semetipsum dedit pro illa. Nonne hæc est Ovis errans, cujus cura Supernorum curæ gregum prælata est? Denique illis expositis, Pastor descendit ad istam, quæsivit diligen-

m *Ibid. n. 4.* n *Ser. 4. in Dom. Palm. n. 1.* o *Ser. 4. in Ascens. Dom. n. 2.* p *Ser. 4. in Dom. Palm. n. 1.* q *Ser. de Pass. Dom. n. 9.* r *Ser. 3. in Dom. Pal. n. 5.* s *Ser. 4. de Adu. Domini n. 4.* t *Tract. de vite myst. cap. 41. n. 147.*

u *Ibidem. cap. 5. n. 25.* x *Ser. 68. in cant. n. 1.* y *Ibid. n. 2.* z *Ibid. n. 3.*

ligenter, inventam non reduxit, sed revexit: nova cum illa & de illa intulit Cælis festa gaudiorum, populis Angelorum invitatis ad solennitatem. Quid ergo? Propriis humeris dignatus est eam reportare, & curam illius non habebit? Ideo non confunditur dicere: *Dominus sollicitus est mei*. Nec se existimat errare cùm item dicit: *Dominus retribuet pro me*. Et si quid est aliud quod curam Dei circa ipsā significare videatur. Videamus denique (a) quàm verum dixerit ille qui dixit: *Dominus sollicitus est mei*. Pater ut servum redimat, Filio non parcit: Filius seipsum libentissimè tradit. O quàm indebita miseratio (b) quàm gratuita & sic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo, quàm invicta mansuetudo? O quàm vilis negociatio, ubi Filius Dei pro servo traditur, pro creatura Creator occiditur, pro mancipio Dominus condemnatur! Tua sunt hæc Christe opera, qui de lumine cæli ad tenebras inferni, à dextra majestatis ad miseriam humanitatis, à gloria Patris ad mortem crucis descendisti: infernum illustrando, hominem redimendo, superando mortem, & mortis auctorem. Unus es, & secundum non habes: quem ad nos redimendum propria benignitas invitavit: misericordia traxit, veritas quâ te venturum promiseras, compulit: puritas uteri virginalis suscepit, salva virginitatis integritate potentia eduxit, patientia armavit, charitas verbis & miraculis manifestavit. O duri & indurati (c) & obdurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor ejus, qui pro vilibus sarcinis tam preciosas merces expendit!

§. III.

Stabat autem Judas, qui tradebat Jesum, cum ministris. Ut ergo dixit eis Jesus: Ego sum: abierunt retrorsùm, & ceciderunt in terram. Joan. 18.

Sicut mediator noster (d) Christus Jesus duas naturas, Humanitatem videlicet & Divinitatem conjunxit in una persona: ita singula ejus opera ad hanc sive illam necesse est pertinere naturam. Ad hanc siquidem miseria, sed ad illam pertinet potentia. Quidquid miseriæ passus est, ex homine contraxit: quidquid potenter operatus est, à Patre habuit. Apparvit humanitas ejus [e] in nostræ infirmitatis susceptione, Divinitas in miraculorum exhibitione: apparuit in dæmoniorum oppressione potestas, in peccatorum susceptione benignitas. Potestatis quoque fuit, quòd volentes eum capere prostravit: benignignitatis, quòd abscissam sui persecutoris Malchi auriculam loco simul & sanitati restituit. In Arca testamenti (f) Thuribulum aureum, Manna & Virga sunt recondita. Thuribulum Sacrosanctam Carnem significat Salvatoris, quæ ideo aurea dicitur, quia nullius passa est detrimentum pudoris. Carbones Thuribuli sunt opera Jesu Christi. Carbones isti aliquando mortui, quandoque verò sunt ignei: quia in Salvatore nostro nunc propria tolerabat humanitas, nunc propria faciebat Divinitas. Ignis in carbone, Divinitas est ignoscens in opere. Ignis in prunis, evidens est indicium Divinitatis. Carbo mortuus, in præsepio jacens: Igneus, dæmonia expellens. Carbo mortuus, in Ægyptum fugiens: Igneus, vendentes & ementes columbas de templo ejicientes. Carbo mortuus, dormiens in navi: Igneus, imperans ventis & mari. Carbo mortuus, subditus parentibus: Igneus, quinque satians hominum millia de septem panibus. Carbo mortuus, ad peteum Jacob rogans potum: Igneus, circa Jerico illuminans cæcum, & sanans leprosum. Carbo erat mortuus, dum à diabolo tentaretur: Igneus, dum ei ab Angelis ministraretur. Carbo mortuus in proditione discipuli: Igneus in filio Reguli. Carbo erat sopitus ante Præsidem: Igneus circa Tyberiadem. Carbo sopitus erat, dum ei Herodes illuderet: Igneus, dum mortuorum suscitator magnificus fieret. Carbo sopitus erat, dum ei acetum cum felle mixtum propinaretur: Igneus, dum ab eodem decem leprosi mundarentur. Carbo erat sopitus, dum à Judæis se absconderet: sopitus, dum cum publicanis & peccatoribus ederet. Igneus carbo erat, dum ambularet super undas: Igneus, dum ex aqua facto vino lætificaret convivas. Sopitus carbo erat, jacens in cunabulis: Igneus, fulgens in miraculis. Sopitus carbo erat ante tribunal Præsidis: Igneus in filia Chananitidis. Carbo erat sopitus in Cruce: Igneus in monte Thabor. Prunæ ergo mortuæ, erant Humanitatis opera; ignitæ, Divinitatis miracula. Denique considerate quid sit Deus [g] & videte quid sit quòd deposuerit tantam Majestatem, quòd exinaniverit tantam Potestatem, quòd infirmaverit tantam Virtutem, quòd tantam Altitudinem humiliaverit, quòd tantam Sapientiam infatuaverit. Numquid hominis justitia? Absit. *Omnes enim declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum*. Quid ergo? Num aliqua ejus egestas? Minimè. Ejus enim est *orbis terræ & plenitudo ejus*. An fortè nostri in aliquo eguit? Nequaquam. Deus quippe meus est: *bonorum meorum non eget*. Quid ergo? Verè Domine non mea justitia, sed tua misericordia; non tua egestas sed, mea necessitas. Dixisti enim: *Misericordia ædificabitur in cælis*. Ita planè: quia miseria abundabat in terris. Ideo misericordiam cantabo tibi Domine. Misericordiæ namque fuit, quòd infirmitates nostras factus homo in se suscepit: misericordiæ, quòd fidem Divinitatis suæ miraculis confirmavit. Misericordiæ nihilominus fuit, quòd dæmonum nobis calliditates detexit, & evacuavit virtutem. Misericordiæ fuit, quòd meretricis attactum non respuit, sed approbavit devotionem. Itaque quòd se exhibuit in humanitate humilem, in miraculis potentem, in dæmonum oppressione fortem, in peccatorum susceptione mitem: totum hoc ex misericordiæ fonte processit, totum ex pietatis visceribus emanavit. Implevit quidem & Pater & Spiritus Sanctus carnem Filii [h] à quo neuter eorum poterat separari: sed implevit Majestate, non susceptione. Ideoquè Filius ostendit in carne potentiam Patris per opera, exhi-

a *Ser. 2. in die Pent. n. 7.* b *Ser. 42. int. diu. n. 1.* c *Ser. 2. in die Pent. n. 8.* d *Ser. de verb Sap. n. 7. tom. 6. pag. 771.* e *Ser. de Adu. Dom. n. 2. tom. 6. pag. 600.* f *Ser. de B. M. Deip. n. 11. tom. 6. pag. 766.*

g *Ser. de Adu. Domin. n. 2. tom. 6. pag. 600.* h *Ser. 57. int. diu. n. 1.*

exhibuit bonitatem Spiritus Sancti, remittendo peccata: & quod ipse erat, idest, Sapientia, occultavit per septẽ signacula. Septem enim signacula quædam arbitror inveniri [i] quibus maximè celebratur in carne præsentia Majestatis, ut non posset Sapientia quæ latebat agnosci. Septem autẽ signacula sunt [k] temporalis Nativitas, legalis Circumcisio, Matris purgatio, fuga in Ægyptum, carnis necessitudo, Baptismus, Passio. Hæc siquidem sunt vera quædam Humanitatis insignia, quibus se teneri ac ligari voluit Incarnata Dei Sapientia. Facta est igitur res mira & obstupenda. Infirmata est Virtus summa, & ut ita dicam (si dici liceat, quod tamen reverenter dico) quasi infatuata est Sapientia. Nec erubesco dicere, quod non erubuit Doctor gentium docere. Sic nempè credidit, sic docuit, sic scriptum reliquit: *Nos* (inquit) *prædicamus Christum Crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei Virtutem, & Dei Sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Verumtamen hæc Virtus abscondenda erat, & in humilitate perficienda, ut omnia implerentur oracula Prophetarum. Oportebat quoque (l) à principe mundi aliquandiu celari Divini consilii Sacramentum: non quòd Deus si palàm opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metuebat sed quia ipse, qui non solùm potenter sed etiam sapienter quæcunque volvit fecit. Sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit: ità in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis non tantùm potentiam suam, sed & prudentiam ostendere volvit: quatenus malitiæ fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi Virtus contereret, diabolo Deus & prudentior appareret & fortior. Ita quippè decuit Incarnatam Sapientiam spirітualem vincere malitiam, quo non solùm attingeret à fine usque ad finem fortiter, sed & disponeret omnia suaviter.

CAPUT IX.

De osculo Judæ, quo tradidit Christum ministris Judæorum ad capiendum.

1 *Ostenditur summa benignitas Christi, quòd non est dedignatus suscipere osculum Judæ, in quo dolus erat & virus hypocrisis. Docemur hypocrisim reprimendam esse duplici humilitate, quarum unam parit veritas, alteram charitas.* 2. *Christus licet dixerit se ignorare causam adventûs Judæ, minimè tamen dubitatureum scivisse cogitationes suas dolosas. Docemur Christum Deum nostrum præstò ubique esse Divina præsentiâ majestatis, gratia tamen exhibitione hypocritis longè.* 3. *Ostenditur, quantùm fuit derogatum libertati Christi, dum sicut latro captus ligabatur à satellitibus. Et proponuntur nobis imitanda tria vincula, quibus astringamur Domino Jesu Christo liberatori nostro.*

§. I.

Dederat autem traditor eis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est: tenete eum, & ducite cautè. Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave Rabbi: & osculatus est eum. Marc. 14. Math. 26.

O bonitas Redemptoris! (a) O pietas Creatoris! Neminem vult perire, sed omnes fieri salvos. Nam accedentem ad osculum sanctissimi oris sui (b) trucem bestiam aversatus non est, sed os in quo dolus inventus non est, ori quod abundavit malitiâ, dulciter applicuit. Innocens Agne Dei, quid tibi & lupo illi? Quæ conventio tui ad Belial? O quantos (c) habes Domine Jesu percussores? Percutit te Pater tuus, qui proprio Filio, idest tibi non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit te. Percutis temetipsum: tradis enim in mortem Animam tuam, quam nemo potest tollere à te sine te. Percutit te discipulus impius traditione & osculo falso. Nemo magis iram meretur (p), quàm amicum simulans inimicus. *Juda, osculo tradis filium hominis?* Hujusmodi sibi versutiam & serpens induerat (e) cùm se ut deciperet consiliarium exhibebat, simulabat amicum. Hujusmodi quoque ab eo paradisi Incolæ induerant sibi, cùm pudendam jam nuditatem tegere conarentur umbrâ frondosi ligni, & frondium succinctoriis, & verbis excusatoriis Quàm latè extunc & deinceps omnem posteritatem hæreditarium hypocrisis virus infecit? Quem dabis de filiis Adam, qui quod est non dico velit, sed vel patiatur videri. Situs violæ floris terræ est proximus, [f] & optimè. Ita enim habes docentem Apostolum: *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes*. Non habent hanc proprietatem istius floris, qui se aliis meliores putant, vel aliis meliores videri volunt, quamvis sibimetipsis parvi sunt. Sunt enim nonnulli, qui quidem in conscientiis suis se subjectos judicant, sed tamen videri foris volunt aliis meliores. Isti staturam hujus floris habent, qui sibi intùs in animo parvi sunt, situm verò non habent: quia volunt foris super alios elevari, de quibus dicit Salamon: *Mensura & mensura, pondus & pondus abominatio est Domino*. Et in lege Moysis duplex pondus prohibetur haberi. Duplex quippe pondus habet ille, qui sibi malorum conscius, malum se judicat: aliis verò vult foris bonus, & aliis melior apparere. Agitantur hi quicunque tales sunt, vitio hypocriseos. Porrò est nardus humilis herba [g] quã etiam calidæ fuerunt esse naturæ hi, qui herbarũ vires curiosiùs explorarunt: & ideo per hanc videor mihi non inconvenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere, sed quæ sancti amoris vaporibus flagret. Quod propterea sanè dico, quoniam est humilitas quam nobis veritas parit, & non habet calorem: & est humilitas, quam charitas format & inflammat. Atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit. Etenim tu si temetipsum intùs ad lumen veritatis & sine dissimulatione inspicias, & si-

i *Ser. 1. de Resur. Dom. n. 10.* k *Ser. 57. div. n. 1 & 2.* l *Ser. 2. super missus n. 13.*

a *Ser. 3 in ult. Cana n. 20.* b *Ser. de Pass. Dom. n. 9.* c *Tract. de vite myst. cap. 5. n. 25.* d *Tract. de convers. ad Cler. c. 19. n. 33.* e *Ser. 82 in cant. n. 3.* f *Tract. de vite myst. c. 17. n. 64.* g *Ser. 42. in Cant. n. 6.*

& sine palpatione dijudices; non dubito quin humilieris & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamvis necdum fortasse id esse patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, sed de opere interim veritatis, & minimè adhuc de amoris infusione. Nam si veritatis ipsius, quæ te tibi veraciter atque salubriter demonstravit, sicut splendore illuminatus, ita affectus amore fuisses; voluisses procul dubio, quod in te est, eandem de te omnes tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis. Sanè quod in te est dixerim, quoniam plerumque non expedit innotescere omnibus omnia, quæ nos scimus de nobis: atque ipsa veritatis charitate, & charitatis veritate vetamur palam fieri velle quod noceat agnoscenti. Alioquin si privato amore tui tentus detines pariter intra te judicium veritatis inclusum, cui dubium est minùs te veritatem diligere, cui proprium præfers vel commodum vel honorem? Vides igitur non esse idipsum (h) hominem de seipso non altum jam sapere, veritatis lumine redargutum, & humilibus spontè consentire, munere charitatis adjutum. Illud enim necessitatis est, hoc voluntatis. Christus Jesus, *qui cùm in forma Dei esset, semetipsum exinanivit* (inquit Apostolus) *formam servi accipiens*, & formam humilitatis tradens. Ipse se exinanivit, ipse se humiliavit, non necessitate judicii, sed nostri charitate. Poterat nimirùm vilem se & contemptibilem demonstrare, sed planè non reputare, quoniam sciebat seipsum. Voluntate proinde humilis fuit, & non judicio, qui talem se obtulit, qualem se nescivit: magis autem placuit minimum reputari, qui se Summum non ignorabat. Denique ait: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Corde dixit, cordis affectu, id est voluntate. Itaque necessitatem exclusit, qui voluntatem confessus est. Non enim quomodo ego vel tu invenimus nos in veritate dignos dedecore & contemptu, dignos omni extremitate & inferioritate, dignos etiam suppliciis, dignos plagis: non, inquam, ita & ille: quæ tamen omnia expertus est, quia voluit tanquam humilis corde. Humilis videlicet illa humilitate, quam cordis suasit affectio, non quam extorsit discussio veritatis. Propterea [i] dixi hanc voluntariæ humilitatis speciem non redargutione veritatis, sed charitatis intra nos infusione creari: quia cordis est, quia affectionis, quia voluntatis: an verò rectè dixi, tu judica. Itemquè etiam hoc tuo æquè examinetur judicio, dignene eandem Domino assignaverim, quem charitate constat exinanitum, charitate minoratum ab Angelis, charitate parentibus subditum, charitate Joannis Baptistæ manibus inclinatum, charitate carnis infirma passum, charitate postremò morti obnoxium, cruce inglorium extitisse. Sed & hoc unum adhuc tui sit considerare arbitrii, rectene etiam hanc ipsam humilitatem ita charitate calentem, herba humili & calida, id est nardo putaverim designatam. Et si ita cuncta probaveris (probabis enim rationi manifestissimæ aquiescens, tunc si jam apud teipsum humiliatus es necessaria illa humilitate, quam scrutans corda & renes veritas sensibus ingerit animæ vigilantis) adhibe voluntatem, & fac de necessitate virtutem, quoniam nulla est virtus sine convenientia voluntatis. Sic autem fiet istud, si nolis alter apparere foris, quàm te invenis intùs. Alioquin time ne de teipso legas: *Qoniam dolosè egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium. Pondus* (inquit Sapiens) *& pondus abominatio est apud Deum.* Quid enim? Tu te depreciaris in secreto apud teipsum veritatis trutinâ ponderatus, & foris alterius precii mentiens majori te pondere vendis nobis, quàm ab ipsa accepisti? Time Deum, & noli hanc rem pessimam facere: ut quem humiliat veritas, extollat voluntas. Non aliud abscondas intùs [K] & aliud ostendas foris. Non sis aliud in secreto, & aliud in publico. Qualis vis haberi, talis esto: qualis es in facie, talis esto in operatione: & qualis es in vultu, talis esto in actu.

§. II.

Jesus autem dixit illi: Amice, ad quid venisti? Juda, osculo filium hominis tradis? Matt. 26. Luc. 22.

O bonitas Redemptoris! [l] O pietas Creatoris! Neminem vult perire, sed omnes fieri salvos. Manifestat crimen, & dat locum pænitentiæ: ut proditor videns se latere non posse, agat pænitentiam. Hoc autē benignitatis fuit (m) ut omnia illa exhiberet Jesus, quæ pravi cordis pertinaciam emollire possent. Nam & veteris amicitiæ non immemor illum commonvit, dicens: *Amice, ad quid venisti?* Atque horrore sceleris sui cor impii ferire volvit, cū dixit: *Juda, osculo filium hominis tradis?* Homo unanimis (n) qui simul mecum dulces capiebas cibos, qui in paropside panē meū pariter intinxisti? Panis intinctio (o) significat fictionem Judæ, qui fictus amicus venerat ad cænam. Proinde (p) non dicet hypocrita: *Gloria mea hæc est, testimonium conscientiæ meæ*: quia & si judicantium secundùm faciem, verbo, vultu, habituquè simulatorio illudat opinioni, sed non ejus qui scrutatur renes & corda, fallit & evadit judicium. Siquidem Deus non irridetur. Cujus utique scientiam nemo effugit, sententiam non subterfugit, etiam quod propriam latet conscientiam. Audivit Deus in corde cogitantis, quod non audit vel ipse qui cogitat. Aderat auris Elisei Prophetæ absentis Giesi ori fortivè poscentis pecuniam: & ego quantumlibet in occulto lædere cogitans aut proximum nequiter, aut turpiter meipsum, non verear aurem nusquam absentem? Tremenda prorsùs auris & reverenda, cui non cessat quies, non tacet silentium. Denique ait: *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Sed quid est quod dicit, *ab oculis meis*? An & nostra Deus non solùm audit, sed & videt arcana? Quales oculi qui contemplantur cogitationes? Non sunt coloratæ ut videantur, sicut nec sonant ut audiantur. Solent sentiri à cogitante, non audiri ab auscultante, non à contemplante videri. Meritò tamen Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Cur enim

h Ibidem. n. 7. i Ibidem. n. 8.

k Tract. de modo bene vivent. cap. 9. n. 27. l Ser. 3. in ult. Cænam. n. 20. m Ser. de Pass. Domin. num. 9. n Tract. de Convers. ad Cleric. cap. 19. n. 32. o Ser. 3. in ultim. Cæna n. 20. p Tract. de Offic. & mor. Episc. cap. 6. n. 21. & 22.

enim nesciret, quæ & audit & videt? His præcipuè duobus sensibus, id est, visui & auditui nemo putat fidem esse negandam. Hoc nos scire constanter adstruimus, quod vidimus & audivimus. Meritò itaque non erat opus Domino Jesu, utquis testimonium perhiberet de homine. Ipse nimirùm sciebat quæ essent in homine. *Quid cogitatis* (ait) *mala in cordibus vestris?* Respondebat non sermonibus, sed cogitationibus. Audiebat non loquentes, videbat non apparentes. Ubique enim regnat [q] ubique imperat, ubique Majestas ejus, sed gratia fortè non ita. Non, inquam, ubique sicut potestas, sic & voluntas ejus bona & beneplacens & perfecta. Alioquin quid est quod dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra?* Fit enim voluntas ejus de omnibus, fit per omnes, non in omnibus tamen. Sed hoc (r) dico planiùs. Sponsus quidem Christus æqualiter atque indifferenter præstò ubique est, Divinæ utique præsentiâ Majestatis, & magnitudine virtutis suæ. Gratiæ tamen exhibitione seu inhibitione quibusdam longè, quibusdam propè esse dicitur Angelorum duntaxat & hominum, idest, rationalium creaturarum. Denique longè à peccatoribus salus. Et Sanctus David nihilominus dicit: *Ut quid Domine recessisti longè?* Cæterùm à sanctis pia dispensatione ad tempus, & non ex toto, sed juxta aliquid aliquando longè se facit. Peccatoribus autem de quibus dicitur: *Superbia eorum ascendit semper*: & item: *Inquinatæ sunt viæ illorum in omni tempore*: semper valdequè longè est, atq; in ira hoc, & non in misericordia. Quamobrem orat ad Deum Sanctus David, & ait: *Ne declines in ira à servo tuo*: sciens quia & in misericordia potuerit declinare. Propè est ergo Dominus sanctis & electis suis etiam cùm longè esse videtur, & non æqualiter omnibus, sed aliis plùs, aliis minùs pro diversitate meritorum. Attendite & vos vobis in omni loco [s] scientes quoniam omnia vestra norit, scrutans corda & renes Deus, qui finxit singillatim corda vestra, & intelligit omnia opera vestra. Ubi est? [t] Quid dixi miser? Sed ubi non est? Altior est cœlo, inferno profundior, latior terrâ, mari diffusior. Nusquam est, & ubique est, quia nec abest ulli, nec ullo capitur loco. Quid est Deus? [u] *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.* Quæris si in ipso sunt omnia, ipse ubi? Nihil minus invenio. Quis capiat locus? Quæris ubi non sit? Ne hoc quidem dixerim. Quis sine Deo locus? Incomprehensibilis est Deus: sed non parum apprehendisti, si hoc tibi de eo compertum est, quòd nusquam sit, qui non clauditur loco, & nusquā nonsit, qui non excluditur loco. Suo autem sublimi atque incomprehensibili modo, sicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est. Non est tamen [x] corporalis Divina substantia, nec in formam hominum membris distincta corporeis. Spiritus est Deus: & quæ de eo dicuntur, spiritualiter vestiganda. Animæ (y) corporalibus & corporeis egent sensibus, per quæ sibi invicem innotescant, & valeant. At non ita omnipotens Deus, cui de sola voluntate celeris suppetit efficientia tam creandis rebus, quàm ordinandis pro ut voluerit. Valet cui vult, quantum vult, & absque corporalium officio obsequiovè membrorum. Quid? Ad intuenda quæ condidit ipse, putas sibi requirat corporei sensus adjutorium? Nihil omnium omninò latet aut effugit lucem ubique præsentem, nec tamen ut agnoscat aliquid, necessarium habet renunciantis sensus ministerium. Nec solùm universa noscit sine corpore, sed & innotescit mundis corde sine corpore. Propterea expedit omni animæ, [z] Deum semper attendere tanquam proprium nonmodò adiutorem, sed etiam inspectorem. Quomodo enim negligens poterit fieri, qui intuentem se Deum nunquam desinit intueri? Aut quomodo non quasi proprium illum habere videtur, qui sic eum super se videt intentum, ut omnia interiora ejus & exteriora omni hora considerare non cesset: omnesquè non solùm actus, sed etiam ipsos subtilissimos animæ motus perscrutetur atque dijudicet? Audit planè qui plantavit aurem [a] & qui finxit oculum, ipse considerat. Non illius Solis arcet radios maceria lapidum, quos ipse creavit: non vel ipse corporis hujus paries veritatis excludit aspectum. Nuda sunt ejus oculis omnia, penetrabilior est ancipiti gladio. Ipsas quoque nonmodò cernit, sed & discernit cogitationum vias, & medullas affectionum. Denique si non totam humani cordis abyssum & quidquid in ipso latet, inspiceret præ ipso, non ille jam nil sibi conscius judicantis sese Domini sententiam tantopere formidaret. *Mihi* (inquit Paulus) *pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum judicio: nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me Dominus est*

§. III.

Tunc accesserunt cohors & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & manus injecerunt in eum: & tenuerunt & ligaverunt eum. Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

Tunc videlicet cùm traditus esset (b) iniecerunt manus in Jesum, & vinxerunt eum. O Rex regum & Domine dominantium, quid tibi & vinculis? Ligantur vites, ne si jaceant in terra, aut minuantur, aut corrumpantur fructus earum. Incorruptibilis autem fructus fuit, & est. Quare ergo ligatur? Benè quidam Rex, cùm percussus humanâ sagittâ pateretur, ut se ligari permitteret donec excideretur, quia levissimo motu mortem posset incurrere: *Non decet*, inquit, *vinciri Regem: libera sit Regis & semper salua potestas.* O Deus deorum, quantum derogatum fuit libertati & potentiæ tuæ! Tu enim ligaris vinculis, qui solus ligandi & solvendi potestatem habes. Sed propter misericordiam tuam ligatus es, ut nos à miseriis nostris faceres absolutos. Ecce Philisthæi super te (c) Samson. Non illos à te absterruit, quòd in hora apprehensionis tuæ omnipotenti brachio tuo terræ eos allisisti, non quidem defensionis causâ, sed ut cognosceret humana præsumptio nihil se posse adversùs te, nisi quantum permitteretur à te. Et nec tunc misericordiæ effundere super inimicos

q *Ser. 5. de verb. Esa: nu. 5.* r *Ser. 56. in Cant. num. 4.* s *Ser. 9. in Cant. nu. 4.* t *Ser. 4. diu. nu. 2.* u *lib. 5. de Consid: cap. 6: nu. 14.* x *Ser. 5. de verb. Esa: nu. 9.* y *Ser: 4. in Cant: num. 4.*

z *Ser. 2. super Psal. 90. nu. 3.* a *Tract. de Convers. ad Cleric. cap. 9. num. 18.* b *Tract. de vite myst: cap. 4. num. 12.* c *Ser. de Pass. Dom. n. 9. & 10.*

micos tuos, & distillare fauum dulcedinis tuæ Christe cessasti, ac defensoris tui zelum à læsione trahentium te compescuisti. Maledictus furor eorum, quia pertinax, quem nec majestas miraculi, nec pietas beneficii potuit confringere. Majestatis namque fuit, [d] quòd volentes eum capere, prostravit: benignitatis fuit, quòd abscissam sui persecutoris auriculam loco simul & sanitati restituit. O grossum vipereumquè affectum Judæorum (e) odire hominem qui hominum corpora sanat, & animas salvat! O nihilominùs intellectum grossum & certè bovinum, qui Deum non intellexerunt nec in operibus Dei! Nimiùm me fortasse queratur in sui suggillatione Judæus, qui intellectum illius dico bovinum. Sed legat in Esaja, & plusquam bovinum audiet. *Cognovit*, inquit, *bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem non cognovit me, populus non intellexit*. Vides me Judæe mitiorem tibi Propheta tuo? Ego te comparavi jumentis, ille subiicit. Quanquàm in sua persona Propheta non dixit hoc, sed in Dei, qui Deum se & in ipsis operibus clamat: *Et si mihi*, inquit, *non creditis, operibus credite; & si non facio opera Patris, nolite credere*. Nec sic tamen evigilant ad intelligendum. Non fuga dæmonum, non obedientia elementorum, non vita mortuorum bestialem hanc & plusquam bestialem habetudinem ab eis depellere quivit. De qua non minùs mirabili quàm miserabili cæcitate factum est, ut in illud tam horrendum tamquè enormiter grossum facinus proruerint, Domino majestatis iniicientes manus sacrilegas. O quàm [f] immitia fuerunt illorum immitissimorum vincula, quibus Agnum mitissimum vinciebant! Quis audiat sine gemitu [g] qualiter homicidas manus in illa hora in Jesum iniecerunt, & innocentes manus suas vinculis adstringentes, Agnum mansuetissimum nihil loquentem, adinstar latronis contumeliosè traxerunt ad victimam? Occurrat itaque spiritualiter [h] & ingerat semetipsum cordibus nostris Dominus Christus, proditus & venditus à discipulo, à Judæis tanquam vile mancipium precio satis exiguo comparatus, captus, tractus, & ligatus tanquam homo sine adiutorio. Vinculum fuit funis [i] quo ligabatur, cùm caperetur. Ita enim habes: *Tunc*, videlicet cùm traditus esset, *iniecerunt manus in Jesum, & vinxerunt eum*. Vinciamur ergo vinculis passionis boni Jesu [k] ut etiam vinculis charitatis cum illo vinciri possimus. Ipse vinculis charitatis devinctus ad suscipienda vincula passionis de cęlo est tractus in terras: nos è contrario, qui de terris trahi desideramus in cælum, priùs passionis vinculum nostro Capiti colligemus, ut per hoc ad charitatis vincula pertinentes unum efficiamur cum ipso, secundùm quod oravit Patrem dicens: *Rogo Pater, ut quos dedisti mihi*, confirmati in charitate, *sint unum in nobis, sicut tu & ego unum sumus*. Quid hac unitate gloriosius? Quid ultra vel optare poteris vel habere? Unum cum Sponso Jesu tu eris. O felix, felicior, imò omnium felicissima unitas! Hac unitate se Apostolus Christo unitum sentiebat, cum dixit: *Quis separabit nos à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio, an periculum, an nuditas, an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque Angeli, neque principatus, neque potestates, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu*. Optemus totis desideriis, hujus charitatis vinculis Sponso & Domino nostro colligari, itaut ejus sequentes vestigia illuc pervenire possimus, ubi ipse est qui dixit: *Volo Pater, ut ubi ego sum, illic sit & minister meus*. Sed [l] quomodo possunt tam diversa coniungi? *Mihi* (ait Sanctus David) *adhærere Deo bonum est*. Immediatè ei coniungi non possumus, sed per medium aliquod poterit fieri fortassis ista coniunctio. Tria autem sunt vincula, quibus Deo astringimur: & sic tria, ut sola cum solis istis vel istorum similibus omne quod ligatur, ligetur. *Primum vinculum sunt funes*. Hoc vinculum astringit fortiter & durè. Fune quodammodò alligatus est Redemptori, si quis fortè dum vehementiori tentatione turbatur, proponit sibi honestatis intuitum, memoriam promissionis: & hoc interim se fune retinet, ne propositum penitùs abrumpatur. Durum profectò vinculum est & molestũ, sed & periculosum nimis, & quòd diu teneri non possit: siquidem putrescũt funes, & pudoris vinculum aut oblivi scimur, aut abrumpimus citò. *Secundùm vinculum* [m] *sunt clavi* lignei vel ferrei. Hoc vinculum astringit fortiùs & duriùs. Est autem qui clavis configitur Domino majestatis, quem timor Dei ligat, qui non expavescit ad vultus hominum, sed ad memoriam gehennalium tormentorum: & hic quidem peccare non metuit, sed ardere. Duriùs tamen & fortiùs primo imprimitur, quia cùm ille vacillet in proposito, iste propositum non amittit. *Tertium vinculum est gluten*. Hoc vinculum astringit suaviter & securè. Glutine autem ei conglutinatur, idest charitate, qui tam suaviter quàm securè ligatus adhærens Deo, unus spiritus est cum eo. Iste est qui quæcunq; undecunque, sive quæ facit, sive quæ ei fiunt, ad suum commodum revocat & retorquet. Beatus hujusmodi homo, & abundanti Spiritûs influens majestate, qui suavis & unctus portat omnes, & neminem onerat ipse: qui terribilius & horribilius ipsâ gehennâ judicat in re levissima vultum Omnipotentis scienter offendere. *Glutinum bonum est*, ait Esajas. Bonum est revera & jucundum, quia alia duo comparatione istius gravia & importabilia sunt. Sed ille misericors oculus qui novit figmentum nostrum, neminem salvandorum dimittit in primo, sed provehit ad secundum: & nec ibi deserens, de secundo perducit ad tertium. Primò siquidem quia pudet deserere, æstuantes vix sustinemus ad horam: secundò jam timentes & sperantes proficimus: tertiò perficimur amantes. Sic igitur duobus præcedentibus timore pariter & pudore exclusis, in solius amoris reclinatario commoramur.

V CA-

d *Serm. de Aduen. Domini num. 1. tom. 6. pag. 600.* e *Ser. 60. in Cant. num. 4. & 5.* f *Tract. de vite myst. cap. 4. num. 12.* g *Ser. de Pass. Domini nu. 10.* h *Ser. 2. in Cœna Domini num. 7.* i *Tract. de vite myst. cap. 4. nu. 12.* k *ibidem n. 18.*

l *Ser. 4. inter. diu. nu. 3.* m *Ibidem n. 4.*

CAPUT X.

De auricula Malcho amputata, & de fuga discipulorum.

1. Christus reprehendens Petrum ob abscissionem auriculæ Malchi, ostendit intempestiuum fuisse ejus zelum ad excolendam vineam sterilem: per quam designatur populus Judæorum. 2. Præcipiens Petro mittere gladium in vaginam, innuit quidem non trucidandos esse Judæos neque effugandos: non tamen prohibet evaginandum gladium ad debellandum Paganos. Docemur, hæreticos non armis sed argumentis convincendos esse, ut reconcilientur Ecclesiæ Catholicæ. 3. Ostenditur, quòd discipuli fugientes tunc reliquerāt Jesum corporaliter simul & mentaliter, mulieres verò tantùm mentaliter: sed B. V. Maria neutro modo reliquerat eum. Et probatur, Christum esse veram Vitem, palmites verò eos esse omnes qui ei adhærent fide: cujus quatuor acceptiones afferuntur.

§. I.

Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, Simon Petrus habens gladium eduxit eum, & percutiens servum principis Sacerdotum, amputavit illi auriculam dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. Et cùm tetigisset Jesus auriculam ejus, sanavit eum. Tunc dixit Petro Jesus: Converte gladium tuum in locum suum. Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. Joan. 18.

MEritò quidem Petrus abscidit auriculam servi [a] ut viam faceret veritati, & veritas liberaret eum, id est, liberum faceret. Sed non erat tunc putationis tempus [b] & ideò audivit: *Converte gladium tuum in locum suum*. Erat enim hora & potestas tenebrarum, & quisquis tunc discipulorum levaret gladium vel ferri vel verbi, aut ferro truncandus erat, & neminem lucraretur, nec quidpiam fructûs afferret: aut certè timoris gladio ad negandum cogendus erat, etsic magis ipse periret juxta verbum Domini, quod subjunxit mox ita dicens: *Omnis qui accipit gladium, gladio peribit*. Quis nempe cæterorum ante pavendam mortis imaginem impavidus staret, trepidante & cadente Principe suo: & qui voce confortatoria sui Imperatoris fuerat præmunitus & præmonitus alios confortaret? Cæterùm nec is [c] nec illi sibi adhuc induerant virtutem ex alto, & ob hoc tutum non erat eis exire in vineas, & exerere linguæ sarculum, & gladio Spiritûs putare vites, putare palmites, ut fructum plùs afferrent. Denique ipse Dominus tacebat in passione, & in multis interrogatus non respondebat, *factus* (juxta Prophetam David) *sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*. Dicebat autem: *Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem interrogavero, non respondebitis mihi*. Sciens tempus putationis nondum advenisse, nec responsuram prorsùs vineam suam impensis laboribus: idest, nec fidei, nec boni operis fructum aliquem relaturam. Quare? Quia hyems erat in cordibus perfidorum Judæorum, & hyemalis quidam malitiæ imbres occupaverant terram, jacta semina verbi suffocare quàm fovere pariores, sed & cultui vinearum omnem nihilominùs impendendam operam frustraturi. Quos vos me nunc putatis [d] dicere imbres? Istosne quos videmus currentes per aëra nubes turbulento spiritu spargere super terram? Non est ita. Sed quos de terra in aërem sursùm ferunt homines turbulenti spiritus, ponentes in cælum os suum, & lingua eorum transiens in terram, tanquam pluvia amarissima terram ipsam palustrem & sterilem facit, & tam plantis quàm satis inutilem, non quidem his visibilibus atque corporeis ad nostros utique corporeos usus datis: de quibus nulla planè, sicut nec de bobus cura est Deo. Sed quibus? Profectò quæ sevit & plantavit Dei manus & non hominis, quæ & vel germinare vel radicari in fide & charitate poterant, & fructus parturire salutis, si bonis & temporaneis imbribus rigarentur. Animæ denique sunt, pro quibus Christus mortuus est. Uæ nubibus pluentibus istiusmodi imbres super eas qui lutum faciant, fructum non afferant. Nam sicu t sunt & bonæ & malæ arbores, ferentes quæque fructus pro sui dissimilitudine differentes, bonæ videlicet bonos, & malæ malas: ita & arbitror nubes & bonas quæ bonos, & malos quæ malos pluant imbres. Et vide ne fortè innueret nobis hanc nubium imbriumquè differentiam Dominus, cùm per Esajam dicebat: *Mandabo nubibus meis, ne pluant imbrem super eam*: haud dubium quin super vineam. Cur putas adiunxisse signanter, *meis*, nisi quia sunt & malæ nubes, quæ non sunt ejus? *Tolle, tolle*, (inquiunt) *crucifige eum*. O nubes violentas & turbidas! O imbrem procellosum! O torrentem iniquitatis, evertere magis quàm fæcundare idoneum! Nec minùs malus minusvè amarus, minori licet impetu proruens imber ille, qui subsecutus est: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere? Christus Rex Israël descendat nunc de Cruce, & credimus ei*. Porrò Philosophorum ventosa loquacitas non bonus imber est, qui sterilitatem magis intulit terris quàm fertilitatem. Multò magis prava dogmata hæreticorum mali imbres sunt, quæ pro fructibus spinas producunt & tribulos. Mali imbres sunt etiam traditiones Pharisæorum, quos Salvator redarguit, & ipsi nubes malæ. Et nisi existimes me iniuriam facere Moysi, nam bona nubes est illa, non omne quod pluit vel ipsa, bonum tamen dicam, ne illi contradicam qui ait: *Dedit illis*, idest Judæis, *præcepta non bona* (haud dubium quin per Moysen) *& justificationes in quibus non vivent in eis*. Literalis illa (verbi causâ) observatio Sabbati sonantis requiem non donantis, indictus sacrificiorum ritus, interdictus porcinæ carnis esus, nonnullorumquè similium quæ immunda à Moyse censentur: pluvia est hoc totum ex illa nube descendens, sed nolo in agrum vel hortum meum quandoque descendat. Donec ergo istiusmodi aquæ pestilentes occupaverunt terram [e] & invaluerunt super eam, tempus suum vineæ non habuerunt: nec fuit quòd Sponsa invitaretur ad putandas vineas. Cæterùm illis decur-

a Ser. 28. in Cant. nu. 4. b Ser. 58. in Cant. nu. 5. c Ibidem nu. 6.

d Ibidem nu. 7. e Ibidem nu. 8.

currentibus terra apparuit arida, & flores apparuerunt in ea, significantes tempus putationis adesse. Quæris quando hoc fuit? Quando putas, nisi cùm refloruit caro Christi in resurrectione? Et hic primus & maximus est flos, qui apparuit in terra nostra: nam primitiæ dormientium Christus. Flores etiam fuerunt, qui primi crediderunt de populo, primitię sanctorum. Flores eorum miracula instar florum producentia fructum fidei. Nam postquam ille infidelitatis imber aliquantulùm vel ex parte abiit & recessit, secuta mox est pluvia voluntaria quam segregavit Deus hæreditati suæ, & flores apparere cœperunt. Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dedit flores suos: ita ut una die tria millia, in alia quinque millia de populo crederent, adeo in brevi crevit florum numerus, idest, credentium multitudo. Et non potuit gelu malitiæ prævalere adversùs flores qui apparebant, nec præripere (ut assolet) fructum vitæ quam promittebant. Nam cùm omnes qui crediderant induerentur virtute ex alto, surrexerunt ex eis homines qui minas hominum contempserunt, fortes in fide: passi sunt quidem quàm plurimos contradictores, sed non cesserunt, neque subterfugerunt quominùs & facerent & annunciarent opera Dei. Processu temporis tempestas sedata est (f) & pace reddita terris, creverunt vineæ & propagatæ & dilatatæ sunt, & multiplicatæ super numerum. Et tunc demùm Sponsa ad vineas invitatur, non quidem ad plantandum, sed ad putandum quod plantatum jam erat. Opportunè quidem, nam id opus pacis tempus requirebat. Quando etenim persecutionis tempore id liceret? Alioquin sumere in manus gladios ancipites, facere vindictam in nationibus, increpationes in populis, alligare reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, & facere in eis judicium conscriptum: hoc quippe putare vineas est. Spirituali sensu *vineas* Ecclesias, [g] id est, fideles interpretamur populos, juxta Esaiæ Prophetæ sensum dicentis: *Vinea Domini Sabaoth domus Israël est.*

§. II.

Dixit Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? Joan. 18. Matt. 26.

Licet Judæi [h] qui per Judam significantur, panem intinctum comedunt, quia Christum Jesum non Deum, sed purum hominem fuisse credunt: & mortem illius concedunt, sed resurrectionem adhuc non admittunt. Non sunt tamen persequendi Judæi [i] non sunt trucidandi, sed nec effugandi quidem. Interroga tu Divinas paginas. Novi quod in Psalmo legitur prophetatum de Judæis: *Deus ostendit mihi* (inquit Ecclesia) *super inimicos meos, ne occidas eos: ne quando obliviscantur populi mei.* Numquid tu major es Patre nostro Abraham [k] qui eodem Deo prohibente gladium deposuit, quo jubente levaverat? Numquid tu major es Principe Apostolorum, qui quæsivit à Domino: *Domine, si percutimus in gladio?* Sed instructus es omni sapientia Ægyptiorum, idest, sapientià hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum. Aliter solvis quæstionem Petri, quam ille docuit qui dicit: *Mitte gladium in locum suum. Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit.* Nonne copiosiùs triumphat Ecclesia de Judæis per singulos dies, vel convincens, vel convertens eos, quàm si semel & simul consumaret eos in ore gladii? Numquid in cassum constituta est illa universalis oratio Ecclesiæ, quæ offertur pro perfidis Judæis à Solis ortu usque ad occasum, ut Deus & Dominus auferat velamen de cordibus eorum, ut ad lumen veritatis à suis tenebris eruantur? Nisi enim eos qui increduli sunt, credituros speraret, superfluum videretur & vanum orare pro eis. Sed considerat oculo pietatis, quòd Dominus habet respectum gratiæ apud eum qui reddit bona pro malis, & dilectionem pro odio. Ubi est ergo illùd quod dictum est: *Videas ne occidas eos?* Ubi est: *Cùm plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israël salvus fiet?* Ubi est: *Ædificans Jerusalem Dominus, dispersiones Israëlis congregabit?* Tune es ille qui mendaces facies Prophetas: & evacuabis omnes thesauros pietatis & misericordiæ Jesu Christi? Vivi quidam apices nobis sunt Judæi (h) repræsentantes Dominicam Passionem. Propter hoc dispersi sunt in omnes Regiones, ut dum justas tanti facinoris pœnas luunt, testes sint nostræ redemptionis. Unde & addit in dicto Psalmo loquens Ecclesia: *Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.* Ita factum est. Dispersi sunt, depositi sunt, duram sustinent captivitatem sub Principibus Christianis. Convertentur tamen ad vesperam, & in tempore erit respectus eorum. Denique *cùm introierit gentium plenitudo, tunc omnis Israël salvus erit*, ait Apostolus Paulus. Si Judæi penitùs conterantur, unde jam prosperabitur eorum in fine promissa salus, sive conversio? Planè & gentiles (*Turcæ, & Tartari*) si essent similiter expectandi, sustinendi forent potiùs quàm gladiis expetendi. Nunc autem cùm in nos cæperint esse violenti, opportet vim vi repellere eos qui non sine causa gladios portant. Est autem Christianæ pietatis ut debellare superbos, sic & parcere subiectis: his præsertim quorum est legislatio repromissa, & ex quibus Christus secundum carnem natus est, qui est benedictus in sæcula. Proinde Christi milites securi præliantur prælia Domini sui (m) nequaquam metuentes aut de hostium *Turcarum* cæde peccatum, aut de sua nece periculum: quandoquidem mors pro Christo vel ferenda vel inferenda, & nihil habeat criminis, & plurimum gloriæ mereatur. Hinc quippe Christo, inde Christus acquiritur: qui nimirùm & libenter accipit hostis mortem pro ultione, & libenter præbet seipsum militi pro consolatione. Miles inquam Christi securus interimit, interit securior. Sibi præstat cùm interit, Christo cùm interimit. Non enim sine causa gladium portat. Dei etenim minister est ad vindictam malefactorum, ad laudem verò bonorum. Sanè cùm occi-

f *Ibidem nu. 9.* g *Ser. 30. in Cant. nu. 3.* h *Ser. 3. in ult. Cœna nu. 21.* i *Epist. 322. nu. 6.* k *Epist. 323. nu. 2.*

l *Epistola 332. nu. 6. & 7.* m *Tract. de exhortat. ad milit. templi cap. 3. nu. 4.*

occidit malefactorem, non homicida, sed, ut ita dicam, malicida, & planè Christi vindex in his qui malè agunt, & defensor Christianorum reputatur. Cùm autem occiditur ipse, non perisse, sed pervenisse cognoscitur. Mors ergo quam irrogat, Christi est lucrum: quam excipit, suum. In morte Pagani Christianus gloriatur, quia Christus glorificatur. In morte Christiani liberalitas Regis aperitur, cùm miles remunerandus educitur. Porrò super illo *lætabitur justus cùm viderit vindictam*: de isto dicet homo: *Si utique est fructus justo; utique est Deus judicans eos in terra*. Non enim vel Pagani necandi essent, si quoquomodò aliter possent à nimia infestatione seu oppressione Fidelium cohiberi. Nunc autem meliùs est ut occidantur, quàm certè relinquatur virga peccatorum super sortem justorum: ne fortè extendant justi ad iniquitatem manus suas. Quid enim? (n) Si percutere in gladio omninò fas non est Christiano, cur ergo præco Salvatoris contentos fore suis stipendiis militibus indixit, & non potiùs omnem militiam interdixit? Si autem (quod verum est) omnibus fas est ad hoc ipsum duntaxat divinitùs ordinatis, ut depulsis Divinæ transgressoribus legis, secura ingrediatur gens justa custodiens veritatem? Securè proinde dissipentur gentes quæ bella volunt, & abscindantur qui nos conturbant: & disperdantur de Civitate Domini omnes operantes iniquitatem, qui repositas in Hierosolymis Christiani populi inæstimabiles divitias sustulerunt, Sancta polluerunt, & hæreditate possederunt Sanctuarium Dei. Exeratur gladius uterq; Fidelium in cervices inimicorum, ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, quæ est Christianorum Fides: ne quando dicant gentes: *Ubi est Deus eorum?* Cæterùm (o) etsi juxta allegoriam Ecclesias vineas, vulpes hæreses vel potiùs hæreticos ipsos intelligamus: simplex est sensus, ut hæretici capiantur potiùs quàm effugentur. Quia fides suadenda est (p) non imponenda. Quanquam meliùs proculdubio coercerentur gladio illius videlicet qui non sine causa gladium portat, quàm in suum errorem multos trajicere permittantur. Dei enim minister ille est, vindex in iram ei qui malè agit. Capiantur, dico, (q) non armis, sed argumentis quibus refellantur errores eorum: ipsi verò si fieri potest reconcilientur Ecclesiæ Catholicæ, revocentur ad veram fidem. Hæc est enim voluntas ejus, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hoc denique velle se perhibet, qui non simpliciter capite vulpes, sed, *Capite*, inquit, *nobis vulpes parvulas*. Sibi ergo & Sponsæ suæ, idest Ecclesiæ Catholicæ jubet acquiri has vulpes, cùm ait: *Capite eas nobis*. Itaque homo de Ecclesia exercitatus & doctus, si cum hæretico homine disputare aggreditur, illò intentionem suam dirigere debet, quatenùs ita errantem convincat, ut & convertat, cogitans illud Apostoli Jacobi: *Quia qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum*. Quod si reverti noluerit nec convictus, post primam & secundam admonitionem (utpote qui omninò subversus est) erit secundùm Apostolum devitandus. Ex hoc jam meliùs (ut quidem ego arbitror) effugatur, aut etiam religatur, quàm sinitur vineas demoliri.

§. III.

Tunc discipuli omnes, relicto Jesu, fugerunt. Petrus autem sequebatur à longe. Matt. 26. Joan. 18.

Videamus (r) quanto desperationis mærore discipulorũ in captivitate Jesu corda percussa fuerunt. Solet vitis fructifera præcidi (s) quod corporaliter & figurativè accipi potest. Cultro siquidẽ timoris amputati sunt à Jesu omnes amici & proximi, ita ut non esset qui cõsolaretur eum ex omnibus charis ejus. Torcular enim calcavit solus, & de gentibus non erat vir cum eo. Et cùm sustineret cor ejus improperium & miseriam, expectavit qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, etiam non invenit. Vide nunc quantùm præcisa fuerit Vitis nostra Jesus. Quæ vitis unquam tantùm præcisa fuit? Sed quæ est consolatio hujus præcisionis? Multus fructus. Multam enim & incomparabilem præcisionem sustinuit. Videtur tamen signanter dictum esse: *Et de gentibus non est vir meum*: tanquam intelligendum sit solas mulieres cum Jesu remansisse. Viris enim fortioris naturæ fugientibus præ timore, non fugit muliebris infirmitas, quæ etiam bajulantem sibi Crucem, & in Cruce morientem non dereliquerunt, sicut in persona Christi conquerentis loquitur Beatus Job: *Derelicta sunt tantummodò labia mea circa dentes meos*. Per labia quippe, quæ cæteris sunt membris molliora, muliebris sexus mollis & infirmus (qui solos Christo Discipulis fugientibus adhæsit) intelligitur & figuratur. Elegit enim Dominus infirma mundi, ut confunderet fortia. Si verò fugam mentalem intelligimus, nec vir nec mulier relicti sunt cum eo, præter illam quæ sola benedicta est in mulieribus, quæ sola per illud triste Sabbathum stetit in fide, & salvata fuit Ecclesia in ipsa sola. Propter quod aptissimè tota Ecclesia in laudem & gloriam eiusdem Virginis diem Sabbathi per totius anni circulum celebrare consuevit. Verè & singulariter benedictus palmes, qui à sua Vite nullo potuit timore præcidi. Abscissi sunt viri qui dicunt: *Nos autem sperabamus, quòd ipse redempturus esset Israël*. Abscissę sunt mulieres, quę quamvis piè pręveniunt mortuo corpori Jesu humanitatis servitium exhibere, tamen illum resurrecturum nequaquam credebant. Et fortasse propterea (quod tamen non asserendo dico, ne novas videar assertiones introducere) illa Mater Virgo quæ plus habuit pietatis, cum aliis ad ungendum non venit Corpus Christi sepultum, quia frustra putabat eum ungi quem resurrecturum sciebat. Sperans firmiter (t) fortiterquè tenens ipsum secundùm promissum suum tertia die resurrecturum. In ipsa ergo sola in triduo illo fides Ecclesiæ stabat: & dum unusquisque hærebat, hæc quæ fide concepit, fidem quam à Deo semel suscepit, nunquam perdidit; speque certissima Domini resurgentis gloriam expectavit. Verè fortis hæc mulier (u) & præ cunctis post Filium hono-

n *Ibidem nu.* 5. o *Ser.* 64. *in Cant. nu.* 8. p *Ser.* 66. *in Cant. num.* 12. q *Serm.* 64. *in Cant. nu.* 8.

r *Tract. de vite myst. cap.* 46. *n.* 187. s *Ibidem cap.* 2. *nu.* 1. & 4. t *Serm. de Lament. V. M. nu.* 11. u *Tract. de vite myst. cap.* 2. *num.* 4.

honoranda. Verè & virago dici potest, quæ à viro Christo per animi fortitudinem separata non est: sed eum quem morientem & mortuum vidit, credidit immortalitatis gloriâ sublimatum. Sed fortassè quis dicat: (x) Numquid non eum præscierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non sperabat continuò resurrecturum? Et fidenter. Cæterùm quoad alios (y) jam tunc Deus implevit per os, quod olim præsignaverat per Prophetam dicens: *Percutiam pastorem, & dispergentur oves*. Omnes siquidem amici (z) & proximi & noti, fratres quoque, imò & ipsi discipuli unanimes & electi de mundo, à Domino Jesu Christo in tantarum pressurarum molestia, in tanta confusione, & tantis opprobriis, percusso pastore velut erraticæ oves sunt dispersi. Fugerat quoque ille discipulus quem diligebat Jesus, & ille ardens (*Petrus*) à longe sequebatur: signorum immemores divinorum, quæ Salvatorem toties viderant operari, imò & ipsi in nomine ipsius fuerant operati. Christus est Vitis (a) in quo est totus humor, idest, omnis plenitudo Spiritus Sancti corporaliter. Palmites ejus sunt Apostoli, & omnes qui Christo fide adhærent. Hanc Vitem, id est Christi humanam naturam Deus Pater mundavit, faciendo immunem à peccatis, & dando virtutes. Sic facit & palmitibus, licet non omninò sicut & Christo, unde sequitur: *Omnem palmitem in me non ferrentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plùs afferat*, Omnes enim qui Christo adhærent fide, sunt palmites manentes in Christo, salutifera Vite. Sed alii faciunt fructum, alii in sterilitate persistunt. Alii florent & germinant, & botrum producunt dulcedinis: alii se per latitudinem foliorum expandunt, pulchritudinem cupientes habere tantùm viriditatis. Omnes qui in sterilitate persistunt, & qui per latitudinem sine fructu se foliorum expandunt, tempore putationis, si Deus Pater illos sine fructu invenerit, abscindet à Vite, & in ignem mittet, & ardent. Sed (b) forsitan tuum animum pulsat, quomodo qui fide Christo adhærent, abscindi ab ipso contingat, cùm omnis qui adhæret Christo, unus spiritus fit cum illo? Unde ut hoc tibi luce clarius constet, te scire oportet, quòd fides distinguitur per diversas proprietates. Dicitur fides mortua, fides ficta, fides perversa, fides recta, id est Catholica. Omnes enim homines in eo quòd christiani vocantur, Christo adhærere dicuntur: in eo quòd Christiani sunt, fidem Christi habere dicuntur. Sed quorundam *mortua*, quorundam *ficta*, quorundam *perversa*, quorundam *Catholica* est fides. In *prima* sunt superbi & luxuriosi, pecuniæ cupidi, fures & latrones, & alii hujusmodi. In *secunda* sunt non obedientes patribus spiritualibus, ingrati de donis cœlestibus: qui sunt sine affectione fraterna, sine pace charitatis, fratrum criminatores, iræ incontinentes, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes speciem pietatis, virtutem ejus abnegantes. In *tertia* sunt hæretici, contra Deum elati, de suis erroribus superbi, in Deum blasphemi, per omnia aliis deteriores & scelestiores. Omnes isti conculcant Dominum Jesum Christum, & Sanguinem istius dulcissimæ Vitis ducunt pollutum. *In fide Catholica* sunt mites, patientes, mansueti, humiles, virgines, casti, continentes, dilectores Dei & proximi, ad omne opus parati, expectantes redemptionem filiorum Dei: in quorum numero nos Dominus computare dignetur. Valdè enim, dilectissimi, timere debemus hoc quod Dominus Jesus dicit: *Omnem palmitem in me non ferẽtem fructum, tollet eum*. Verùmtamen (c) omnem palmitem veræ Viti adhærentem & facientem fructum, Deus Pater purgabit, sive putabit eum, ut fructum plùs afferat. Ut ergo, dilectissimi, Deum Patrem mereamur habere cultorem, adhæreamus veræ Viti, Domino Jesu Christo Salvatori nostro, non fide mortua, nec fide ficta, nec fide perversa: sed fide recta, quæ per dilectionem operatur, sine qua nullus salvari potest. Adhæreamus Christo, quia bonum est ei adhærere: & in illo ponamus totam spem nostram, totum desiderium nostrum, confidentes in illum qui suscitavit eum à mortuis, quia & suscitabit mortalia corpora nostra, & consedere nos faciet cum illo in dextera sua. Quod ipse nobis per eundem Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum præstare dignetur, qui vivit & regnat cum eodem Patre in unitate Sancti Spiritus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PHI-

x *Serm. 1. de Virg. Deip. num. 15.* y *Serm. 29. in Cant. num. 1.* z *Tract. de vite myst. cap. 10. nu. 44.* a *Serm. 10. in ultim. Cœna nu. 76.* b *Ibidem nu. 77.*

c *Ibidem num. 79. & 81.*

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Quinta,

De gestis passionis Christi in civitate Jerusalem.

Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget: dixit Jesus duodecim discipulis suis. Luc. 18.

CAPUT I.

De gestis coram Anna Pontifice Judæorum.

1\. *Christus de sua doctrina interrogatus à Pontifice Anna simulante se ignorare illam, respondit ei ut interrogaret potiùs eos, qui suas prædicationes auscultabant. Ostenditur triplicem esse ignorantiam culpabilem: necnon docemur, quantùm Christianæ pietati expediat auscultare doctrinam Christi, eamquè adimplere opere.* 2. *Christus non solùm verbo commendavit nobis patientiam suam imitandam, sed etiam exemplo consecravit tunc quando cæsus erat alapâ. Ostenditur triplici modo patientiam nostram tentari: verborum injuriis, damnis rerum, corporis læsione. Docemur in patiendo triplex malum, triplicem providentiam adhibendam esse.* 3. *Ostenditur, quòd Caiphas uti Pontifex paulò ante verè quidem prophetavit oportere Jesum mori, ne totum genus humanum periret: sed Judæis justitia & repudium obtigit, Gentibus autem misericordia & connubium. Utrisque pro voto suo.*

§. I.

Comprehendentes autem Iesum, adduxerunt eum ad Annam primùm, qui erat Pontifex anni illius. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, & de doctrina ejus. Respondit ei Jesus: Ego palàm locutus sum mundo: Ego semper docui in Synagoga, & in templo, quò omnes Judæi conveniunt: & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt quid locutus sum ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Luc. 22. Joan: 18.

MULTA scienda nesciuntur (a) aut sciendi incuriâ, aut discendi desidiâ, aut verecundiâ inquirendi. Et quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem. Sed numquid fortè tale est hoc, quod inquisitura humano possit addisci magisterio? Homo hominis nisi ipso indicante non intelligit cogitatum: quantò minùs Divinum quis poterit investigare consilium, nisi cui ipse voluerit revelare? Audi denique ipsum: *Si non venissem*, ait, *& locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*. Non dicit simpliciter, & locutus non fuissem, sed inferens, *eis*, *Et locutus eis*, inquit, *non fuissem*: ostendens sine dubio non ante censeri inexcusabiles de contemptu, quàm ad ipsorum usque notitiam jussio perveniret. Nam si locutus quidem fuisset, sed non eis, inobedientiæ culpam ignorantia nihilominùs excusaret. Nunc autem, inquit, quoniam locutus sum eis, excusationem non habent de peccato suo. Unde & ajebat: *Ego palàm locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil*. Non quod suos domesticos multa in occulto privatimquè non docuerit; sed quòd tanquam nihilum interim reputaret, & nec pœnam nec præmium ea augere quæ in secreto tradebat judicaret, donec de medio fierent, & prodirent in lumine. Denique & dicebat: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*: ut meritò videlicet jam audientibus obedientiæ vel meritum adscriberet vel contemptum, cùm in medio proferrentur. Item: *Qui vos audit*, inquit, *me audit: & qui vos spernit, me spernit*. Ac si diceret: Judicium meum inter obedientes & contemnentes, non de mea secreta traditione, sed de vestra publica prædicatione pendebit. Currebant in odore sapientiæ (b) qui missi fuerant à Pharisæis, cùm reversi

S. Bernar. Abb. juxta ejus libror. edit. authore Horstio in VI. Tom. impress. Parisiis an. 1667.

a Tract. ad Hugon. de S. Vict. cap. 1. num. 3. b Serm. 22. in Cant. num. 10.

versi dicerent: *Nunquam homo sic locutus est*. Utique admirantes doctrinam, & confitentes sapientiam. Currebat in hoc ipso odore sanctus Nicodemus, qui venit ad Jesum nocte, in splendore multo sapientiæ: de multis quippè instructus edoctusquè recessit. Verùm (c) cæteros advertens Jeremias Propheta in sui siccitate & cæcitate remanentes (justorum siquidem imbris & lucis expertes) infæcundos ac tenebrosos, confusos & aversos subsannat & notat: *Hæc est* (inquit) *gens, quæ non audivit vocem Dei sui*. Non vultis, ô miseri, dicere cum David: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Utique foris fusi in vanitates & insanias falsas, intimum optimumquè non requiritis veritatis auditum. *Filii hominum usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Surdi ad vocem veritatis, ignorantes consilium cogitantis cogitationes pacis; sed & loquentis pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor. *Jam vos* (inquit Dominus) *mundi estis propter sermonem meum, quem locutus sum vobis*. Ergo qui hunc sermonem non audiunt, immundi sunt. Sermo Dei veritas est (d) & ipse Sponsus Jesus. Nostis hoc, audite cætera. Is cùm auditur, & minimè obeditur illi; vacuus interim & jejunus quodammodò remanet, omninò tristis & querulus, quòd prolatus in vacuum sit. Si autem obeditum fuerit, nonne tibi verbum videbitur in quandam excrevisse corpulentiam, quia verbo opus accessit, ut pote refectum quibusdam fructibus obedientiæ, justitiæ frugibus? Inde est quod in Apocalipsi loquitur: *Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*. Videtur approbari hic sensus & apud Isaiam Prophetam sententiâ Domini, ubi dicit, quòd verbum suum non revertetur ad eum vacuum, sed prosperabitur, & faciet ad quæ misit illud. *Non revertetur*, inquit, *ad me vacuum*, vel jejunum, sed quasi prosperè in omnibus agens, saturabitur bonis actibus eorum qui in dilectione acquiescent illi. Denique usu loquendi sermo impletus tunc dicitur, cùm fuerit mancipatus effectui, quòd videlicet tamdiu inanis & macer ac quodammodò famelicus sit donec opere compleatur. Sed loquar vobis experimentum meum (e) quod expertus sum. Si quando sanè comperi profecisse aliquos vestrûm ex meis monitis, tunc non me piguit (fateor) curam prætulisse sermonis proprio ocio & quieti. Cùm enim, verbi gratiâ, post sermonem iracundus quispiam reperitur mutatus in mitem, superbus in humilem, pusillanimis in fortem; porrò mitis, humilis, fortis, in sua quisque gratia excrevisse, & seipso melior factus esse agnoscitur: sed & qui fortè tepuerant & languebant circa spirituale studium torpentes & dormitantes, ad ignitum eloquium Domini referbuisse & evigilasse videntur: & qui deserto fonte Sapientiæ, foderant sibi propriæ voluntatis cisternas non valentes aquas continere, proptereaquè ad omne injunctum gravati corde arido murmurabant, nullum in se habentes devotionis humorem: Hi, inquam, cùm de rore verbi & pluvia voluntaria quam segregavit Deus hæreditati suæ, refloruisse probantur in opera obedientiæ, facti in omnibus voluntarii & devoti: non est (dico vobis) unde subeat mentem quasi pro intermisso studio jucundæ contemplationis tristitia, cùm talibus fuero circumdatus floribus atque fructibus pietatis. Patienter avellor ab infæcundæ Rachelis amplexibus, ut de Lya mihi exuberent fructus profectuum vestrorum. Minimè prorsùs pigebit me intermissæ quietis pro cura sermonis, dum videro in vobis germinare semen meum, atque ex eo augeri incrementa frugum justitiæ vestræ.

§. II.

Hæc cùm dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Jesus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè, quid me cædis? Joan. 18.

Hìc tu ô homo (f) totus contremisce, tremore obrigesce, meritò expallesce, pugnis pectus contunde, fletibus totam animam effunde, compatere patienti Jesu. Percutit Jesum Judæus colaphis (g) & alapis: ut non eatenùs (h) etsi justa indignatione inebrieris, quatenùs Dominici illius præcepti obliviscaris, quo *percutienti unam maxillam, præbere jubemur & alteram*. Plùs te præpara ad suscipiendam injuriam [i] quàm ad inferendam. Disce potiùs mala tolerare, quàm mala facere. Esto patiens, esto mitis, esto suavis, modestus, mansuetus, Contumelias detrahentium per patientiam supera: clypeo patientiæ frange sagittas contumeliæ: præbe scutum conscientiæ contra gladium linguæ. Magnæ virtutis es, si non lædas, a quo læsus es. Magnæ fortitudinis es, si etiam læsus dimittas. Magnæ es gloriæ, si ei de quo te potuisti ulcisci, parcas. Triplici autem velut ariete (k) mansuetudo nostra pulsatur: verborum injuriis, damnis rerum, corporis læsione. In his tribus est omnis exhibitio patientiæ, & omnis exercitatio mansuetudinis. Probata est illa virtus, quam nihil horum videtur concutere potuisse. Considerare libet quemadmodùm Paulus super his omnibus in ipsa statim conversione tentatus, verè jam Paulus inventus sit, in hac parte verè mitis & patiens. *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare*. Durum equidem *verbum*, verbum increpatorium, plenum comminatione. Sanè quod ad *corpus* pertinuit, concussus est & prostratus in terram. An verò & *damno* quoque probatus est? Et valdè. Si quidem ipsum ei lumen ademptum est oculorum: & *apertis* (ut scriptum est) *oculis nihil videbat*. Experta est in his tribus & exercitata patientia Job, quem in hac virtute opinatissimum Deus exemplar dedit. Sed vestræ hoc industriæ relinquimus vestigandum. Et quia (l) nisi humilitatis merito maxima minimè obtinentur, propterea qui provehendus est, correptione humiliatur, humilitate meretur. Tu ergo cùm te humiliari videris, habeto id signum in bonum

c *Epist.107.n.12.* d *Ser.72.in Cant.n.13.* e *Ser.51.in Cant.n.4*

f *Tract.de 3.præcip.myst.cap.6.n.13.* g *Tract.de vite myst.cap.5.n.25.* h *Epist.80.* i *Lib.de modo bene vivend.cap.40.n.101.* k *Ser.2.in Convers.S.Pauli n.2.* l *Ser.34.in Cant.n.1.*

num, omninò argumentum gratiæ apropinquantis: nam sicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur. Sanè utrumque legis, Deum scilicet & superbis resistere, & humilibus dare gratiam. Nonne denique servum suum Job, cùm post insignem triumphum, tantam & tam probatam ipsius patientiam larga remunerandam benedictione censeret, priùs in multis & districtis percunctationibus humiliare curavit, & sic parare viam benedictioni? At parum est (m) cùm per seipsum humiliat nos Deus, si tunc libenter accipimus, nisi quando & per alium hoc facit, sapiamus similiter. Quamobrem accipite hujus rei mirabile documentum de sancto David. Aliquando maledictum est illi & à servo: at ille nec cumulatam injuriam sensit, quia præsensit gratiam. *Quid mihi* (ait) *& vobis filii Sarviæ?* O verè hominem secundùm cor Dei, qui se ulciscenti potiùs quàm exprobranti succensendum putavit! Unde & secura conscientia loquebatur: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidã meritò ab inimicis meis inanis*. Vetuit ergo prohiberi maledicum conviciantem, quæstum æstimans maledicta. Et addit: *Dominus misit illum ad maledicendum David.* Prorsùs secundùm cor Dei, qui de corde Dei ferebat sententiam. Sæviebat lingua maledica, & ille intendebat quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, & animus inclinabat se ad benedictionem. Numquid in ore blasphemi Deus? Absit. Sed eo usus est ad humiliandum David. Nec latuit Prophetam, quippè cui incerta & oculta sapientiæ suæ manifestaverat Deus. Et ideo dicit: *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas*. Et tu ergo acceptâ fortè injuriâ (n) non continuò more secularis, obliquè referire Fratrem responsione festines: sed neque sub specie quasi corripiendi, verbo acuto & urenti transfigere audeas ullatenùs animam, pro qua Christus affigi Cruci dignatus est: non grunire quasi increpando, non labiis mussitare quasi murmurando, non narem contrahere aut cachinnare quasi subsannando, non frontem rugare quasi invehendo aut comminando. Sanè commotio tua ibi moriatur ubi oritur, nec permittas exire quæ mortem portat, ne perimat, ut dicere possis & tu cum Propheta David: *Turbatus sum, & non sum locutus*. Denique audi Sponsum loquentem: (o) *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Non mediocris titulus profectò virtutis inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem, & morum lenitantem: magis autem si his qui oderunt pacem, pacificum & amicum ipsis te exhibeas inimicis. Id planè tibi similitudinẽ datam de lilio jure quodam proprietatis specialiter vendicabit, quod ipsas utique pungentes se spinas candore proprio illustrare & venustare non cessat. An non proinde lilium tibi videtur, implere quodammodò Euangelij perfectionem, quâ orare jubemur pro calumniantibus & persequentibus nos, benefacere his qui oderunt nos? Ergo & tu fac similiter, & erit anima tua amica Domini, & laudabit te de te dicens: *Quia sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Si in Christo volumus piè vivere (p) necessè est sustineamus persecutionem, nec malum pro malo, aut maledictum pro maledicto reddamus. Alioquin qui patientiam non servaverit, perdet justitiam: hoc est vitam perdet hoc est perdet animam suam. *Mihi vindictam, & ego retribuam,* dicit Dominus. Ita prorsùs est. Ipse retribuet, sed si ei vindictam serves, si non tollas ab eo judicium, si non reddes retribuentibus tibi mala. Faciet judicium, & injuriam patienti in æquitare judicabit, sed pro mansuetis terræ. Cæterùm in patiendo malum (q) quoniam triplex est, triplicem providentiam adhibere te oportet. Est enim quod *à te* pateris, quod *à proximo*, quod *à Deo*. *Primum* est austeritas pænitentiæ. *Secundum* est vexatio alienæ malitiæ. Tertium est flagellum correctionis Divinæ. In eo quod à te pateris, debes voluntariè sacrificare: quod à proximo, patienter ferre: quod à Deo, sine murmure, & cum gratiarum actione sustinere.

§. III.

Et misit Jesum Annas ligatum ad Caipham principem Sacerdotum. Erat autem Caiphas qui consilium dederat Judæis, dicens eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit, quòd Jesus moriturus erat pro gente. Joan. 11. & 18. Matt. 26.

Hæretici (r) qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum si Ordinibus Ecclesiæ detrahunt, si instituta non recipiunt, si Sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt. Peccatores, inquiunt, sunt Apostolici, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, ac per hoc nec dandis nec accipiendis idonei Sacramentis: nunquam verò duo ista convenient, Episcopum esse & peccatorem? Falsum est. Episcopus erat Caiphas, & tamen quantus peccator qui in Dominum mortis dictabat sententiam? Si negas Episcopum, arguet te testimonium Joannis qui eum in testimonium sui Pontificatus etiam prophetasse refert. *Expedit*, inquit, (s) *ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*. Expedit sanè, ut unus pro omnibus denigretur similitudine carnis peccati, & non tota gens nigredine condemnetur peccati. Splendor & figura substantiæ Dei obnubiletur in forma servi, pro vita servi. Candor vitæ æternæ nigrescat in carne, pro carne purganda. Speciosus formâ præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obscuretur in Passione, turpet in Cruce, palleat in morte: ex toto non sit ei species neque decor, ut sibi speciosam atque decoram acquirat sponsam Ecclesiam sine macula & sine ruga. Jesus quoque quid dicat (t) audiamus: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Moriatur igitur granum, & surgat Gentium seges. Oportet pati Christum & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pænitentiam, & remissionem peccatorum non solùm in Judæam, sed etiam in omnes Gentes: quatenus ab uno

m *Ibidem nu. 2.* n *Serm. 29. in Cant. num. 5.* o *Ser. 48. in Cant. num. 2.*

p *Ser. 3. in Annunt: B. M. n. 6.* q *Ser. 1. in Fest. SS. Apost. Petri & Pauli n. 5.* r *Ser. 66. in Cant. n. 11.* s *Ser. 27. in Cant. n. 1.* t *Ser. 15. in Cant. n. 3.*

uno nomine quod est Christus, millia millium credentium Christiani dicantur, & dicant: *Oleum effusum nomen tuum*. Notus in Judæa Deus [u] in Israël magnum nomen ejus. Populus Gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, quæ erat in Judæa & in Israël: volvitquè accedere & illuminari, ut qui aliquando non populus, nunc populus esset, lapisquè unus angularis ambos in se parietes venientes in diverso reciperet, & esset de cætero in pace locus ejus. Porrò fiduciam dabat invitatis vox quæ jam sonuerat: *Lætamini Gentes cum plebe ejus*. Ergo accedere voluit, sed vetuit Synagoga, immundam afferens Ecclesiam de Gentibus & indignam, idolatriæ fæcem & ignorantiæ cæcitatem improperans, & dicebat: Tu enim quo merito? Noli me tangere. Cur inquit? An Judæorum tantùm Deus? Nonne & Gentium? Etsi mihi certè meritum deest, sed non illi miseratio. Numquid solùmmodò justus est? Est & misericors. *Domine, veniant mihi miserationes tuæ, & vivam*. Et rursùm: *Misericordiæ tuæ multæ Domine, secundùm judicium tuum vivifica me*: quod nimirùm temperatum misericordiâ est. Quid faciet justus & misericors Dominus? Synagogâ gloriante in lege, & applaudente justitiam sibi, nec indigente misericordiâ, sed despiciente ipsam quæ indiget: Ecclesiâ è regione propria cognoscente delicta, confitente indignitatem, renuente judicium, flagitante misericordiam. Quid, inquam, faciet Judex, & ille Judex cui & judicare & misereri sic utrumque familiare est, ut neutrum altero familiarius? Quid sanè possit esse convenientius, quàm ut pro suo quæque accipiat voto, judicium illa, ista misericordiam. Judæus judicium quærit, & habeat: Gentes autem super misericordia honorant Deum. Et est judicium, vt qui contemnunt Dei misericordem iustitiam, & suam volunt constituere (quæ profectò non justificat sed accusat) eidem suæ justitiæ relinquantur, opprimendi magis quàm justificandi. Et quippe ex lege [x] quæ neminem unquam duxit ad perfectum: est iugum quod neque ipsi neque Patres eorum unquam portare potuerunt. Sed Synagoga fortis est, non curat onus leve, nec jugum suave. Sana est, non est ei opus medicus, nec unctio Spiritûs. Confidit in lege, liberet eam si potest. Non autem data est lex quæ possit vivificare, insuper & occidit. Litera enim occidit. *Propterea* (inquit Dominus) *dico vobis, moriemini in peccatis vestris*. Hoc ergo judicium, ô Synagoga, quod flagitas. Errori tuo cæca & contentiosa desereris, donec plenitudo Gentium (quas superba spernis, & invida repellis) introeat, & agnoscat etiam ipsa ipsum qui notus est in Judæa Deus, quòdquè est in Israël magnum nomen ejus. Hoc quippe in judicium venit Jesus in hunc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Habuit & Judæa quosdam Jesus [y] quorum vacuis gloriatur vocabulis. Illa enim nec lucent, nec pascunt, nec medentur. Idcirco Synagoga in tenebris est usque adhuc, fame & infirmitate laborans: & non sanabitur neque satiabitur, quousque sciat meum Jesum dominari Jacob & finium terræ, & convertatur ad vesperam. Adhuc Synagoga (z) foris epulatur cum amicis suis dæmonibus, quibus satis placet, quòd hædum peccati insipiens devorat transglutiens, & reponens atque quodammodò occultans sibi illud in ventre secordiæ & insipientiæ suæ: dum contemnens Dei justitiam, & suam volens constituere, dicit se non habere peccatum, nec morte egere vituli saginati, mundam siquidem justamquè ex legis operibus se reputans. At verò Ecclesia scisso velo occidentis literæ in morte Verbi Crucifixi, audacter ad ejus penetralia prętereunte spiritu libertatis irrumpit, agnoscitur, placet, sortitur æmulæ locum, fit Sponsa, fruitur præreptis amplexibus: & in calore spiritûs Christo Domino cui confricatur inhærens, stillante ac fundente undique sui oleum exultationis. Hoc illa præ participibus suis excipiens, ait: *Oleum effusum nomen tuum*. Quid mirum si ungitur, quæ unctum amplectitur? Sponsa, ut dixi, (a) Ecclesia est. Ipsa est cui plùs dimissum est, & quæ plùs diligit. Quod æmula Synagoga improperat ei ad convitium, hoc, sibi ipsa inflectit ad commodum. Inde mansuetior ad correptionem, inde patientior ad laborem; inde ardentior ad amorem, inde sagacior ad cautelam: inde humilior pro verecundia, inde ad obediendum paratior, inde ad gratiarum actionem devotior ac solicitior. Denique Synagogâ (ut dictum est) murmurante, & memorante merita sua & labores & pondus diei & æstus, Ecclesia beneficium recolit dicens: *Oleum effusum nomen tuum*. Hoc planè testimonium Israël ad confitendum nomini Domini. Non tamen Israël secundùm carnem, sed ejus qui secundùm spiritum est. Nam hoc ille quo pacto dicat? Non quòd non habet oleum, sed non habet effusum. Habet, sed reconditum: habet in codicibus, sed non in cordibus. Foris hæret in litera: contrectat manibus vas plenum, sed & clausum, nec aperit ut ungatur. Intùs intùs est unctio Spiritûs: aperi & ungere, & jam non eris domus exasperans. Quid facit oleum in vasis, si non sentias & in membris? Quid tibi prodest pium Salvatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem in moribus?

CAPUT II.

De gestis coram Caipha præsidente in Concilio Judæorum, coacto contra Jesum innocentem.

1. *Describitur Concilium impiorum Judæorum: Docemur fugiendam esse unitatem perversorum, sectandam verò unitatem bonorum. Ostenditur unitatis bonum servari duobus modis, triaquè esse quæ unitatem impediunt.* 2. *Ostenditur Caipham ejusque Concilium ideo condemnavisse Jesum reum esse mortis, quia interrogatus & adjuratus confessus est veritatem, respondendo se esse Christum Filium Dei:* 3. *Ostenditur Judam pœnituisse quidem quòd Christum tradiderit, & confessum esse se peccavisse: sed confessio eius fuit infidelis, non credens Christum esse Deum. Docemur tria requiri ad Sacramentalem Confessionem, ut sit pura, humilis, & fidelis.*

X §. I.

u Ser.14. in Cant. n.1. x Ibidem nu.2. y Ser.15. in Cant. num.8. z Ser.14. in Cant. n.4.

a Ibidem num.7. & 8.

§. I.

Et adduxerunt Jesum ad Caipham summum Sacerdotem, ubi omnes Sacerdotes & Scribæ & Seniores convenerant. Princeps autem Sacerdotum & omne Concilium quærebant falsum testimonium adversùs Jesum, ut eum morti traderent: nec inveniebant, cùm multi falsi testes accessissent. Multi enim falsum testimonium dicebant adversùs eum, & convenientia testimonia non erant. Novissimè autem venerunt duo falsi testes, qui falsum testimonium ferebant adversùs Jesum, dicentes: Nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam hoc templum Dei manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificabo: & non erat conveniens testimonium eorum. Et exurgens summus Sacerdos in medium, interrogavit Jesum dicens: Non respondes quidquam ad ea quæ tibi obiiciuntur ab his. Ille autem tacebat, & nihil respondit. Matt. 26. Mar. 14.

OCcurrat spiritualiter (a) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, proditus à discipulo, à Judæis tanquam vile mancipium precio satis exiguo comparatus, tractus & ligatus tanquam homo sine adjutorio. Et incipiat [b] consideratio nostra in eodem loco: ubi [c] cùm multi falsi testes contra Jesum procederent, & in multis mendaciis accusarent, ipse tanquam agnus innocens qui ad victimam ducitur, obmutuit, nec aperuit os suum, tanquam homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Ibi conspuerunt faciem dulcis Jesu, colaphis eum cædebant, & alapas in Caput ejus certatim ministri dederunt. O dulcissime atque amantissime Jesu [d] quis te tam amaræ & tam odiosæ morti addixit? *Filii matris meæ, ait,* [e] *pugnaverunt contra me*. Annas & Caiphas & Judas Iscarioth filii Synagogæ fuerunt. Et pulchrè filios matris suæ, non autem & Patris sui illos vocat, qui non habebant Patrem Deum, sed ex patre diabolo erant: homicidæ utique, sicut & ille homicida erat ab initio. Propterea non dicit fratres mei, aut filii Patris mei: sed, *Filii* (inquit) *matris meæ pugnaverunt contra me*. Conglobantur vel ad convincendum [f] vel ad occidendum. Faciunt impietatis parietem unum: squama squamæ conjungitur: sibilant sibi serpentes adinvicem: convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus. Hinc sciendum [g] quòd alia est unitas Sanctorum, & alia facinorosorum, quæ ex Scripturis ostenditur & improbatur. De hac enim scriptum est: *Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus*. De hac iterùm Evangelista: *Abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent Jesum in sermone*. Et iterùm: *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium*. Ut quid hoc? Sicut Joannes testatur, *ut interficerent Jesum*. Quàm verò pertinax sit ista reproborum unitas, docet ipse Dominus, qui de corpore diaboli ad beatum Job loquitur dicens: *Corpus illius quasi scuta fusilia & compactum squamis se prementibus. Una uni conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Una alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur*. Talis unitas, imò verò perversitas solet esse aliquorum fratrum tepidè & remissè conversantium. Quibus si quid honestatis, aut insigne cujusquam bonæ consuetudinis persuadere velis, promptiores sunt majori dispendio ac difficultate gravi ori resistere, quàm facili compendio assequi velle quod rectum esse constiterit. Perversa & execranda talis unitas est. Quàm miserandi sunt (h) qui ad jucundum justorum consilium, nullum adhuc tenent suæ vocationis testimonium? Domine, quis credit auditui nostro? O utinam saperent & intelligerent! Verùm nisi crediderint non intelligent. Sed habetis & vos (i) ô infelices sæculi malè securi amatores, vestrum seorsùm à justis consilium. Squama squamæ conjungitur, & non est spiraculum in vobis. Habetis, inquam, & vos ô impii, communicatum adinvicem consilium, sed planè adversùs Christum ejus. Etenim si dicente Scriptura, *Pietas est cultus Dei*: profectò quisquis plùs amat mundum quàm Deum, impius atque idololatra esse convincitur, colens & serviens creaturæ potiùs quàm Creatori. Habentibus autem Sanctis atque impiis suum ad se quibusque consilium, magnum proculdubio inter utrosque chaos firmatum est. Nam quomodò justus longè se facit à consilio & concilio malignantium: ita nec resurgunt omninò impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum. Hac ergo unitate (k) à cordibus & sermonibus nostris exclusa, illam quæ bona est & tantùm bonorum est, prosequamur. Et ipsa quidem gemina est. *Alia* est enim quæ justificat, *alia* quæ glorificat. Illa meritum, ista præmium est. Denique de illa scriptum est: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*. De hac autem: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est*. Et quoniam in futuro magis speranda est (res est enim futuri temporis magis quàm præsentis) eam interim omittamus, & à Deo speremus potiùs quàm tractemus. Illam verò quæ justificat, quæ etiam nunc potissimùm necessaria est, in usum nostri operis assumamus. *Ipsa* est enim decus suavitatis, quam dulcedine sacra insonat Psalmista: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum*. Cujus unitatis cùm descripsisset sermo propheticus pulchritudinem, ejus etiam non tacuit utilitatem: *Quoniam illic*, inquiens, *mandavit Dominus benedictionem & vitam*: hîc scilicet benedictionem, & in futuro sæculo vitam æternam. Ipsa est, inquam, unitas, quam summâ diligentiâ observandam tradidit Apostolus, dicens: *Solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis*. Servatur autem hoc unitatis bonum duobus modis (l) ab his qui curam gerunt servandi. Debet quisque perfectus unitatem habere *ad seipsum*: debet habere & *ad proximum*. Ad *seipsum* per integritatem, ad *proximum* per conformitatem. Omnis quippè creatura, & maximè rationalis, debet suum principium imitari. Si ergo Deus noster unus est, dicente Moyse: *Audi Israël, Dominus*

Deus

a *Ser. 2. in Cæna Domini n. 7.* b *Tract. de vitæ myst. cap. 5. n. 23.* c *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. n. 13.* d *Tract. de vitæ myst. cap. 5. n. 24.* e *Ser. 29. in cant. n. 1.* f *Ser. de S. Steph. n. 3. tom. 6. pag. 627.* g *Ser. 5. de Assumpt. B. M. n. 10.*

h *Epist. 107. n. 10.* i *Ibid. n. 11.* k *Ser. 5. in Assumpt. B. M. n. 11.* l *Ibidem num. 12.*

Deus tuus unus est; sed & ille cùm sit unus & idem, atque in seipso perfectus, nec ullo indigens, inest ei tamen benignitas erga nos, & amor ex benevolentia in nos veniens: debemus & nos quisque sibi unus esse per integritatem virtutis, & unum cum proximis per vinculum dilectionis. Hanc imitationem loquens de charitate commendat nobis Apostolus Joannes dicens: *Quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo*. Sed hanc unitatem, quam quemque sibiipsi diximus habere debere, tria sunt quæ solent impedire: *nimietas, pusillanimitas, levitas*, Et *nimii* quidem sunt, qui putant se posse quod non possunt, & quod non acceperunt, præsumunt. Quorum speciem tenebat Petrus in passione Domini, cùm diceret: *Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem* ire. *Pusillanimes* contrarii sunt nimiis. Et horum quoque tenuit imaginem Petrus, cùm diceret: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine*. *Leves* sunt & inconstantes, qui circumferuntur omni vento doctrinæ: quibus quod paulò ante placuit, nunc displicet; & quod nunc eligunt, post paululùm reprobant.

§. II.

Rursùm summus Sacerdos interrogabat Jesum, & dixit ei: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Jesus autem dixit illi: Tu dixisti: Ego sum. Verùm amen dico vobis: Amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus Cœli. Tunc summus Sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis. Matt. 26. Mar. 14.

Procedamus nunc (m) & illius noctis incommoda percurramus, quomodò Jesus tentus, vinctus, tractatus est. Occurratquè spiritualitèr (n) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus captus & ligatus, tanquam homo sine adiutorio. Incipiat autem (o) consideratio nostra in eodem loco: ubi Judæi (p) non immemores odij quo oderant Patrem, exercebant illud in Filium. Quid enim fecerunt impij, quibus gravis erat etiam ad videndum? *Hic est*, inquiunt, *hæres: venite, occidamus eum*. O venenata lingua (q) verbum malitiæ, sermo nequam! O vipereum affectum (r) odire hominem qui hominum & corpora sanat, & animas salvat! O intellectum grossum & certè bovinum, qui Deum non intellexerunt nec in operibus Dei! Non fuga dæmonum, non obedientia elementorum, non vita mortuorum bestialem hanc & pluquàm bestialem hebetudinem ab eis depellere quivit. Terra cognovit Dominum (s) quia ad vocem virtutis ejus cùm clamasset voce magna: *Lazare veni foras*, mortuum reddidit. Cognovit mare quia solidum se præbuit sub pedibus ejus, ita ut Apostoli eum putarent phantasma esse. Sed (t) non cognovit Synagoga Judæorum. De qua (u) non minùs miserabili quàm mirabili cæcitate factum est, ut in illud tam horrendum tamquè enormiter grossum facinus proruerint, Domino majestatis iniicietes manus sacrilegas. Christus namque concilio malignantium Judęorum præsentatus & veritatem prout oportuit confessus, quasi de blasphemia adjudicatus est morti. Cognosce anima mea (x) cognosce: Hic est Dominus Deus noster JesusChristus, Salvator tvus, Unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce tanquam abortivum quod proiicitur à vulua, sic projectus est ab utero matris suæ, infelicis Synagogæ. Judęi qui per Judã significantur (y) panem intinctum comedunt, quia Christum Jesum non Deum, sed purũ hominem credunt. Et quẽ (z) propriis attrectant manibus, ligando, flagellando, colaphizando: minimè tamen vel resurgendo intelligunt. Christum in carne nasciturum (a) & moriturum odoraverunt Prophetæ & Patriarchæ, sed non dederunt tunc eundem odorem suum: quia non exhibuerunt in carne quem in spiritu præsenserant. Videamus de olfactu Isaac. (b) Loquitur de illo Scriptura sic: *Statimquè ut sensit vestimentorum ejus fragrantiam* (haud dibium quin Jacob) *Ecce*, inquit, *odor filij mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus*. Vestimenti fragrantiam sensit, sed vestiti præsentiam non agnovit: soloquè vestis tanquam floris odore forinsecùs delectatus, quasi fructus interioris dulcedinem non gustavit, dum electi Filij simul & Sacramenti fraudatus cognitione remansit. Quò spectat hoc? Vestimentum profectò spiritûs litera est, & caro Verbi. Sed ne nunc quidem Judæus in carne Verbum, in homine scit Deitatem, nec sub tegmine literæ sensum prævidet spiritualem: forisquè palpans hædi pellem (quæ similitudinem majoris, hoc est primi & antiqui peccatoris expresserat) ad nudam non pervenit veritatem. Hac ergo similitudine deceptus Propheta cæcus hodie quem nescit benedicit, dum quem lectitat in libris, ignorat & in miraculis. Porrò vir ille (c) qui Jacob tangens, & Christum sentiens, *Ecce* inquit, *odor filij mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus*: cùm hoc dicebat, habebat delicias suas sibi, nec cuiquam illas communicabat. *At ubi venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*: tunc prorsùs odor ille qui in illo erat, sese ubique sparsit, adeo ut à finibus terræ ipsum sentiens clamaret Ecclesia: *Oleum effusum nomem tuum*. Et quid mirum (d) si ejus effusum est nomen, cùm ipse quoque effusus sit? Nam semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Denique ait: *Sicut aqua effusus sum*. Effusa est plenitudo Divinitatis, habitans super terram corporaliter: ut de illa plenitudine omnes qui corpus mortis gestamus, caperemus, ac vitali odore repleti diceremus: *Oleum effusum nomen tuum*. Cæterùm unde scimus, (e) quòd Christus sit Deus? Miracula probant: facit quippe opera quæ nemo alius facere possit, ut

m *Tract. de vite myst. cap. 5. n. 25.* n *Ser. 2. in Cœna Dom. n. 7.* o *Tract. de vite myst. cap. 5. n. 25.* p *Ser. 3. in Circumcis. Dom. n. 4.* q *Ser. 1. de Resur. Dom. n. 1.* r *Ser. 60. in Cant. n. 5.* s *Serm. 2. de Ascens. Dom. n. 1.* t *Ser. 28 in Cant. n. 10.*

u *Ser. 60. in Cant. n. 5.* x *Ser. de Passion. Dom. n. 10. & 15.* y *Ser. 3. in ultim. Cœna n. 21.* z *Tract. exhort. ad milit. cap. 7.* a *Serm. 60. in Cant. n. 8.* b *Tract. exhor. ad milit. cap. 7. n. 13.* c *Ser. 60. in Cant. n. 8.* d *Ser. 15. in Cant. n. 4.* e *Tract. exhort. ad milit. cap. 11. n. 21.*

taceam oracula Prophetarum; nec non & Paternæ vocis testimonium elapsæ cælitus ad ipsum à magnifica gloria. Sicut autē mediator noster duas naturas [f] humanitatem videlicet & Divinitatem conjunxit in una persona: ita singula ejus opera ad hanc vel illam necesse est pertinere naturam. Ad hanc siquidem miseria, sed ad illam pertinet potentia. Quidquid ergo miseriæ passus est, & homine contraxit. Quidquid potenter operatus est, à Patre habuit. Ipse namque est [g] secundùm Gabrielis testimonium Altissimi Filius, ac proinde coaltissimus ipse. Neque enim fas est Dei Filium degenerem suspicari, sed æqualis fateri necesse est altitudinis, & ejusdem penitùs dignitatis. Et cùm esset Filius Dei [h] verus Deus, Deo Patri Sanctoquè Spiritui coæternus & consubstantialis, lucem habitans inaccessibilem, portansquè omnia Verbo virtutis: non despexit tamen in hoc nostræ mortalitatis ergastulum altitudinem suam inclinare, ubi nostram & gustaret & absorberet miseriam, nosquè repararet ad gloriam. Cùm igitur videas Christum [i] in una quidem persona duas habere naturas, unam quâ semper fuit, alteram quâ esse cæpit: & secundùm sempiternum suum quidem esse, semper omnia nosse, secundùm temporalem verò multa temporaliter expertum fuisse: cur fateri dubitas ut esse in tempore cæpit, sic carnis quoque miserias scire cæpisse, illo duntaxat modo cognitionis, quem docet defectio carnis. Ergone credendum est [k] quòd iste Deus sit, qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur, excelsus & immensus? Quomodò potuit hoc persuaderi generi humano, universo orbi terrarum? Et tamen tam facilè, tam potenter persuasum est, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Juvenes & virgines, senes cum junioribus elegerunt potiùs mille mortibus mori, quàm vel ad momentum ab ista Fide deficere.

§. III.

Tunc videns Judas qui tradidit Jesum, quòd damnatus esset, pænitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum & Senioribus, dicens: Peccavi, tradens Sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, recessit: & abiens, laqueo se suspendit. Et suspensùs crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus. Matt. 27. & Actor. 1.

Judas proditor Domini [l] & Cain fratricida confessi sunt, & diffisi sunt. Alter: *Paccavi*, inquit, *tradens sanguinem justum* Alter ait: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*. Et verax licet nihil eis profuit infidelis confessio. Omnis spes veniæ & misericordiæ [m] est in confessione vera: simulata autem confessio non est confessio, sed duplex confusio. Excludit enim miserationem Dei, miseriæ simulatio: nec dignatio locum habet, ubi fuerit dignitatis præsumptio Provocat verò compassionem humilis miseriæ confessio. Nulla est enim tam gravis culpa, quæ non habeat veniam per puram confessionem. *Primò* confessio *purè* facienda est [n] quia non est pars una peccatorum dicenda, & altera reticenda: neque levia confitenda, & gravia diffitenda: nec alter accusandus, & ipse excusandus. Sed cum justo Propheta dicendum est: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis*. Hæc enim sunt verba malitiæ, quâ gravior vel pejor vix esse possit. Oportet itaque [o] confessionem esse simplicem. Non intentionem (fortè quia latet homines) excusare delectet, si sit rea: nec levigare culpam quæ gravis est, nec alieno adumbrare suasu, cùm invitum nemo coëgerit. Primum illud non confessio est sed defensio, nec placat sed provocat: sequens monstrat ingratitudinem; & quò minor reputatur culpa, eò minuitur & gloria indultoris. Sed enim minùs libenter beneficium datur, quod minùs gratè minusuè necessariè provenire sentitur. Veniam proinde sibi adjudicat, qui munus largitoris attenuat: quod quidem omnis qui reatum suum verbis alleviare conatur, facit. Jam à postremo primi hominis dehortetur exemplum, nec culpam siquidem diffitentis, nec tamen consequentis veniam, non dubium quin ob reatûs mulieris admixtionem. Genus excusationis est, cùm argueris tu alium incusare. Porrò excusare te velle quando corriperis, quàm sit nonmodò minimè fructuosum, sed & perniciosum, Sanctum David interroga: *Verba* nempè *malitiæ excusationes in peccatis appellat*, ne in ea declinet cor suum rogans & supplicans. Meritò quidem. In animam etenim suam peccat, qui se excusat, repellens proinde à se indulgentiæ medicinam, & sic vitam sibi proprio ore intercludens. *Secundò* confitendum est & *humiliter* [p] ut idem sit in corde, quod sonabit in ore. Sunt enim nonnulli qui narrare in confessionibus solent, quæ vel arguté literario, vel fortiter gladiatorio gessère conflictu. Proh dolor? sub humilitatis pallio superbiam inducentes, & putantes se posse vitare oculos Judicis cuncta cernentis. Nonne utrique Reges Saül & David redarguti à Prophetis Samuële & Nathan, dixerunt, *Peccavi*? Et tamen Saül audivit: *Transtulit Dominus regnum tuū à te, & dabit illud æmulo tuo*. Et David audivit: *Transtulit Dominus peccatum tuum, & non morieris*. Quid est hoc, nisi quia quòd Saül habuit in ore, non fuit in corde: & humilitas quæ in ore David extitit, in corde etiam radiavit? Numquid profuit Saül [q] quòd se ad increpationem Samuëlis peccasse confessus est? Culpabilis proculdubio fuit illa confessio, quæ culpam non diluit. Quomodo enim humilem contemneret confessionem humilitatis Magister, & cui humilibus dare gratiam certè ingenitum est? Omninò non poterat non placari, si quæ in ore sonuit, in corde radiasset humilitas. *Tertiò* confitendum est & *fideliter* [r] ut in fide Ecclesiæ credat quisque sibi peccata dimitti, quia Cain & Judas purè & humiliter confessi sunt, sed nequaquam fideliter: quia alter eorum desperans ad laqueū cucurrit, alter illud grande scelus evomuit: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*. Mentiris latro Cain: quia ma-

jor

f *Ser. de verb. sap. n. 7. tom. 6. pag. 771.* g *Ser. 1. de Advent. Dom. n. 2.* h *Ser. de Pass. Dom. n. 3.* i *Tract. de grad. humil. cap. 3. n. 12.* k *Ser. 3. in vig. Nat. Dom. n. 4.* l *Ser. 16. in cant. n. 11.* m *Tract. de interior. dom. cap. 21. n. 46. tom. 5. pag. 426.*

n *Ser. de S. And. n. 7. tom. 6. pag. 786.* o *Ser. 16. in Cant. n. 10.* p *d. Ser. de S. And. n. 7* q *Ser. 16. in Cant. n. 9.* r *Ser. de S. And. n. 7.*

jor est pietas Dei, quàm quævis iniquitas quia miserationes ejus super omnia opera ejus. Audi denique Deum (s) quomodò ipse contriti cordis temperat amaritudinem, quomodò pusillanimem à desperationis barathro revocat, quomodò blandæ & fidelis promissionis melle mærentem consolatur, erigit diffidentem. Ait per Isaiam Prophetam: *Ego infrænabo os tuum laude mea ne intereas*: hoc est, ne interitu facinorum tuorum nimiam incurras tristitiam, atque instar effrænis equi desperatus in præceps ruas & pereas. Fræno te, inquit, (t) inhibebo indulgentiæ meæ, & meis laudibus erigam: respirabisquè in bonis meis, qui de tuis confunderis malis, dum me sanè benigniorem quàm te culpabiliorem inuenies. Hoc fræno si infrænatus fuisset Cain, nequaquam desperando dixisset: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*. Absit, absit. Major enim est ejus pietas, quàm quævis iniquitas. Denique (u) ideo liquet errasse illum, qui ait: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*: quòd non erat de membris Christi, nec pertinebat ad eum de Christi merito, ut suum præsumeret, suum diceret quod illius esset, tanquam rem capitis membrum. Judas ideo panem intinctum accepit (x) quia Dominum Jesum tantùm hominem & non Deum putavit. Buccellam intinctam, vel panem subcinericium intinctum comedit, quia etsi Dominum moriturum, tamen resurrecturum non credidit. O Juda infelix (y) ô discipule pessime, mercator nequam! Tibi cæna parabatur, & à te dator cænæ tradebatur. O miser Juda, ô male confessor! O desperate pænitens, dixisti: *Peccavi, tradens sanguinem justum*, & laqueo disperationis te miser suffocasti? Diabolus miserat in cor per suggestionem, ut traderet Jesum, non credens illum esse Deum. Denique Judas suspendit seipsum [z] diabolo sine dubio immittente. Pulchrè Petrus Apostolus (a) *filium perditionis in locum suum abiisse* testatus est, quòd in aëre crepuerit medius, aëriarum collega potestatum: utpote quem veri Dei & veri pariter hominis (qui de cælo venisset operaturus salutem in medio terræ) proditorem nec cælum reciperet, nec terra sustineret. Quomodò cecidisti de cælo Lucifer (b) qui mane oriebaris? In deliciis paradisi gloriosus apparuisti, Civium cæli socius, & Verbi Divini conviva, quomodò reputatus es inter filios tenebrarum? *Meliùs ei fuerat* (c) *si natus non fuisset homo ille*, ait Jesus. Non utique si natus non fuisset omninò, sed si natus non fuisset homo, sed verbi gratiâ, aut pecus, aut alia quæpiam creatura: quæ quoniam judicium non haberet, ad judicium non veniret, ac per hoc nec ad supplicium.

CAPUT. III.

De prima accusatione Christi, facta à Judæis coram Pilato Præside.

1. *Ostenditur malitia & ingratitudo Judæorum, qui suum Benefactorem Jesum accusantes, & asseverantes eum esse malefactorem, tradiderunt Pilato ad crucifigendum: quem tamen linguâ suâ maledicâ jam crucifixerant. Agitur de vitio detractionis.* 2. *Ostenditur, Jesum Christum nedum esse Regem Cælestis Jerusalem, sed etiam illius terrestris Jerusalem, in qua habitabant Judæi.* 3. *Ostenditur causa, cur Pilatus statim ac in interrogavit Jesum quid sit veritas, resiliit non expectans responsum. Docemur agnitionem veritatis in tribus gradibus consistere: scilicet in nobis, in proximis, in sui natura.*

§. I.

Et surgens omnis multitudo Judæorum, duxerunt Jesum à Caipha in prætorium: & vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi. Erat autem mane: & ipsi non intraverunt ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis adversùs hominem hunc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi traddidissemus eum. Dixit autem eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate eum. Dixerunt ei Judæi: Nobis non licet interficere quenquam. Ut sermo Jesu impleretur quem dixit: significans qua morte esset moriturus. Luc. 23. Matt. 27. Joan. 18.

JUdæi dixerunt Pilato: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum*. Judæi non immemores odii (a) quo oderant Patrem, exercent illud in Filium. Unde & ipse ait: *Quia oderunt me, & Patrem meum*. Quid ergo fecerunt impii, quibus gravis erat etiam ad videndum? *Hic est*, inquiunt, *hæres, venite, occidamus eum*. O vipereum affectum, odire hominem [b] qui hominum & corpora sanat, & animas salvat. O intellectum grossum & certè bovinum, qui Deum non intellexerunt nec in operibus Dei! Nimiùm me fortassè queratur in sui suggillatione Iudæus, qui intellectum illius dico bovinum. Sed legat in Esaia, & plusquàm bovinum audiet: *Cognovit*, inquit, *bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël non cognovit me, populus meus non intellexit*. Vides me, Judæe, mitiorem tibi Prophetâ tuo? Ego te comparavi jumentis, ille subiicit. Quanquam in persona sua Propheta non dixit hoc, sed in Dei, qui Deum se & ipsis operibus clamat. *Et si mihi*, inquit, *non creditis, operibus credite: & si non facio opera Patris mei, nolite credere*. Ipse denique (c) Judæis protestatus est dicens: *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo*. Et item Scriptura de eo: *Qui pertransiit* ait, *benefaciendo & sanando omnes*. Obtulit Carnem sapientibus carnem (d) per quam discerent sapere & spiritum. Nam dum in Carne & per Carnem facit opera non carnis, sed Dei, naturæ utique imperans, superansquè fortunâ, stultam faciens sapientiam hominum, dæmonumquè debellans tyrannidem: manifestè ipsum se indicat esse, per quem eadem & ante

s Ser.11.in cant.n.2. t ibidem n.3. u Ser.61. in cant.n.4. x Ser. 3.in ult.cæna n.21. y Ser.1.in ult.cæna n.3. z Ser.66.in Cant.n.13 a Ser.8.super.Psalm.90.n.10. b Ser.de Pass. Dom.n. 7. c Ser.35.in cant.n.7.

a Ser.3.in Circumcis.n.4. b Ser.62.in Cant.n.4. & 5. c Ser.47. in Cant.n.5. d Ser.6.in cant.n.2.

te fiebant quando fiebant. In Carne, inquam, & per Carnem potenter & patenter operatus mira, locutus salubria, passus indigna; evidenter ostendit quia ipse sit qui potenter sed invisibiliter sæcula condidisset, sapienter regeret, benignè protegeret. Denique dum evangelizat ingratis, signa præbet infidelibus Judæis, pro suis crucifixoribus orat: nonne liquidò ipsum se esse declarat, qui cum Patre suo quotidie oriri facit Solem suum super bonos & malos, & pluit super justos & injustos? Hoc enim est quod ipse ajebat: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere*. Nec sic tamen (e) evigilant Judæi ad intelligendum. Non fuga dæmonum, non obedientia elementorum, non vita mortuorum bestialem hanc & plusquàm bestialem habetudinem ab eis depellere quivit. De qua non minùs miserabili quàm mirabili cæcitate factum est, ut in illud tam horrendum tamquè enormiter grossum facinus proruerint, Domino majestatis iniicientes manus sacrilegas. Domine audivi auditionem tuam (f) & timui: consideravi opera tua, vias tuas, & expavi. Subsannaverunt te subsannatione, dentibus suis super te frenduerunt, lætati sunt & convenerunt. Te summi Sacerdotes & principes tradiderunt, & crucifixerunt. Illi qui regere gregem debuerunt per viam salutis, facti sunt loqueus & ruina in præcipitium damnationis aliorum: ex ipsis flamma invidiæ erupit. Per Sacerdotum quippè persuasionem (g) populus dimitti Barabbam, Christum verò crufigi acclamavit: & Pilatus fieri adiudicavit. Ecce quommodò Summi Sacerdotes & principes crucifixerunt Jesum. Linguis utique non manibus ipsum crucifixerunt. Unde dicit David, quia *linguas suas ut gladium acuerunt*. In hoc fortè Judæi minùs reprehensibiles, quàm novi crucifixores, qui manibus & verbis mortem illi accersunt, immortalem mortificant, incrucifigibilem crucifigunt. Quæ ab ipsis in occulto vel etiam in aperto fiunt, turpe est dicere. Ponere vereor os meum in cælum, & non dicam in cænum, & Saül ad purgationem ventris inclinatum occidere: cùm Dominus dicat per Malachiam: *Vos me configitis, gens* scilicet *tota*. Porrò videas eos ambulare seorsum (h) convenire sibi & sedere pariter, moxquè laxare procaces linguas in detestandum susurrium, Non veniat anima mea in concilio detrahentium, quoniam Deus odit eos, dicente Apostolo: *Detractores Deo odibiles*. Quam sententiam Deus ipse loquens in Psalmo, audi quommodo affirmat: *Detrahentem* inquit, *secretò proximo suo, hunc persequebar*. Nec mirum (i) cùm id præcipuè vitium charitatem quæ Deus est, & quidem cæteris vitiis acriùs impugnare & persequi cognoscatur, quemadmodum vos quoque potestis advertere. Omnis qui detrahit, primùm quidem seipsum prodit vacuum charitate: deinde quid aliud derrahendo intendit, nisi ut is cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis apud quos detrahit? Ferit ergo charitatem in omnibus qui se audiunt, lingua maledica, & quantùm in se est, necat funditùs & extinguit: non solùm autem, sed in absentibus universis, ad quos volans verbum fortè per eos qui præsentes sunt pervenire contigerit. Vides quàm facilè & in brevi ingentem multitudinem animarum velociter currens sermo tabe malitiæ hujus inficere possit? Propterea dicit de talibus Propheticus spiritus: *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem*. Utique tam veloces, quàm velociter currit sermo. Unus est qui loquitur, & unum tantùm verbum profert: & tamen illud unum verbum uno in momento multitudinis audiëtium dum aures inficit, animas interficit. Cor siquidem felle livoris amarum per linguæ instrumentum spargere nisi amara non potest, dicente Domino: *Ex abundantia cordis os loquitur*. Et sunt duæ species pestis hujus. Alii quidem nudè atque irreverenter (uti in buccam venerit) virus evomant detractionis. Alii autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicquè quadam cum gravitate & tarditate, vultu mæsto, dimissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem: & quidem tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab his qui audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu quàm malitiosè proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quòd diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius ait: Mihi quidem benè compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset: at quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum, dolens dico: Revera ita est. Et addit: Grande damnum. Nam aliàs quidem in pluribus valet, cæterùm in hac parte, ut verum fatear, excusari minimè potest.

§ II.

Cæperunt autem Jesum accusare, dicentes. Hunc invenimus subvertentem gentem nostram: & prohibentem tributa dare Cæsari: & dicentem se Christum Regem esse. Introivit ergo iterùm in prætorium Pilatus, & vacuit Iesum. Iesus autem stetit ante Præsidem, & interrogavit eum Præses: dicens Tu es Rex Judæorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Numquid ego Iudæus sum? Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis quia Rex sum ego, Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum. Luc. 23. Matt. 27. Joan. 18.

Egredimini filiæ Sion (k) *& videte Regem Salamonem*, ait Scriptura. Non dicit Ecclesiastem, aut Iditan. Nam & his nominibus appellatus est Rex ille; & significat Jesū Christum nostrum verum Salamonem

e *Ser. 60. in Cant. n. 5.* f *Ser. in fer. 2. Pasche num. 11. tom. 6. pag. 722.* g *Ibidem. num. 12.* h *Ser. 29. in Cant. num. 3.* i *Ibidem. n. 4.*

k *Ser. 50. de diu. n. 1.*

nem, qui est *Salamon*, idest, pacificus in exilio: *Ecclesiastes*, idest, concionator in judicio: *Idida*, idest, dilectus Domini in regno. Ubique Rex. In exilio rector morum, in judicio discretor meritorum, in regno distributor præmiorum. In exilio mansuetus, in judicio justus, in regno gloriosus. In exilio amabilis, in judicio terribilis, in regno admirabilis. Unde [l] Lucas Evangelista ait: *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui.* Verba sunt Angeli ad Virginem de Filio promisso, promittentis quòd debeat possidere regnum David. Quòd de stirpe David duxerit originem Dominus Jesus, nemo dubitat. Quæro autem quommodò dederit ei Deus sedem David patris sui, cùm ipse in Hierusalem non regnaverit, quinimo turbis eum volentibus constituere Regem, non acquieverit; sed & ante faciem Pilati protestatus sit: *Regnum meum non est de hoc mundo*? Denique quid magnum promittitur ei qui sedet semper Cherubim, (quem Propheta Isajas vidit *sedentem super solium excelsum & elevatum*) sedere in throno David patris sui? Sed novimus quandam aliam Hierusalem ab ea, quæ nunc est in qua regnavit David, significatam, multò istâ nobiliorem, multò ditiorem. Hanc igitur puto hîc fuisse significatam, illo videlicet usu loquendi, quo sæpè reperis in Scripturis significans poni pro significato. Tunc sanè dedit illi Deus sedem David patris sui, quando *constitutus est Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*. Sed hîc Propheta de quo regno dixerat, expressiùs aperuisse videtur in eo, quòd non in Sion posuit, sed *super Sion*. Nam ideo fortassis dictum est, *super*, quia in Sion quidem regnavit David, super Sion verò regnum est illius de quo dictum est ad David: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. De quo etiam dictum est per Esajam Prophetam: *Super solium David, & super regnum ejus sedebit*. Vides quia ubique reperis, *super*: *Super Sion, super sedem, super solium, super regnum*. Dabit ergo ei Dominus Deus sedem David patris sui, non typicam, sed veram; non temporalem, sed æternam; non terrenam, sed cælestem. Cæterùm (m) venientes ab Oriente Hierosolymam Magi quid dixerint audiamus: *Ubi est qui natus est Rex Judæorum*? Quàm certa fides, & nihil penitùs hæsitans. Non quærunt utrum natus sit: sed fiducialiter loquuntur & interrogant sine dubitatione, ubi sit qui natus est Rex Judæorum. Porrò audito nomine Regis, Rex Herodes successorem suspicatus expavit. Denique (n) venturas aliquando turbas ut reperent Christum, & eum Regem facerent, fugiens legitur declinasse: postea verò etiam non quæsitus adfuit, ut tanquam Rex Israel susciperetur, & prædicaretur ab eis: quin etiam in hæc ipsa præconia eorum animos (quod dubium non est) excitavit. *Egredimini* igitur (o) *filiæ Sion, & videte Regem Salamonem*. Nam ubique Rex est. Licet enim regnum ejus non sit de hoc mundo, tamen Rex est etiam in hoc mundo. Interrogatus siquidem à Pilato: *Ergo Rex es tu? Ego* (inquit Jesus) *in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum.* Princeps ergo est Christus (p) & magnus Princeps, cujus ne ipsi quidem dæmones possunt effugere dominatum. At illorum regnum in seipsis divisum desolabitur. Huius Regnum integrum atque perfectum est: & regni ejus non erit finis. Regnum Dei (q) homines sunt justi. Beati (r) in quibus Jesus regnabit in æternum, quia & ipsi cum eo regnabunt: & regni ejus non erit finis. O quàm gloriosum est regnum illud, in quo Reges congregati sunt, convenerunt in unum, ad laudandum scilicet & glorificandum eum, qui super omnes est Rex regum, & Dominus dominantium. De cujus splendidissima contemplatione fulgebunt justi sicut Sol in regno Patris eorum. O si & mei peccatoris meminerit Jesus in beneplacito populi sui, cùm venerit in regnum suum? Inde est (s) quòd non simpliciter petimus ut *fiat voluntas Domini*, quam in omnibus & per omnia fieri certissimè constat: sed ut *fiat sicut in Cælo & terra*. Quam nimirùm adjectionem duabus quoque præcedentibus petitionibus nihilominus reor aptandam, ut Patrem nostrum qui in Cælis est, exoremus, quatenùs & nomen ejus sanctificetur, & regnum ejus adveniat, & voluntas fiat. Hæc omnia sicut in Cælo, sic & in terra. Alioquin ubi non sanctificatur nomen ejus? Ubi etiam regnum ejus non venit, quando *in nomine Jesu omne genu flectitur Cælestium, terrestrium, & infernorum*? *Scio te quis es, Sanctus Dei*, ait etiam ipse malignus spiritus. At longè aliter & dissimili prorsùs affectione nemen istud sanctificatur in Cælis, ubi tam inenarrabili jucunditate clamatur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Sic & regnat non in terra solùm, verumetiam in gehenna imperium habens vitæ & mortis. Sed omninò dissimiliter regnat in his qui inuiti serviunt, & qui voluntariè famulantur.

§. III.

Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, Joannes cap. 18.

Quid tu Pilate (t) seorsùm interrogas Dominum, ut tibi susurret in aure, *quid sit Veritas*? Multùm est ad te: non dabitur Sanctum cani, nec margarita porco. Quære potiùs fidei gustum, satietatem intelligentiæ interim ne requiras. Meritò reverberata acie protinùs resilivit, & responsum non sustinens egressus est ad Judæos, qui ambulare cæperat in magnis & mirabilibus super se, quid esset Veritas percontatus. Non revelatur servo Veritas (u) quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Sed nec mercenarius rapitur ad contemplandum Veritatem, qui propriam quærit utilitatem. Filio autem Pater notam faciet Veritatem suam, quem audit dicentem: *Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu Pater*. Denique (x) superbo oculo Veritas non vide-

l *Ser. 4. super miss. n. 1.* m *Ser. 3. in Epiph. n. 3.* n *Ser. 3. in Dom. Palm. n. 1.* o *Ser. 2. in Epiph. n. 2.* p *Ser. 33. diuer. n. 7.*

q *Ser. 6. in ultim. Cæna n. 41. tom. 6. pag. 673.* r *Ser. 4. super missus. n. 2.* s *Ser. 2. diver. n. 3.* t *Ser. 15. diver. n. 3.* v *Ser. 3. diver. n. 9.* x *Ser. 62. in Cant. n. 8.*

videtur, sincero autem patet, Non est quòd se Veritas deneget intuendam puro cordi, ac per hoc nec eloquendam. Duo quædam in *Intentione* (y) quam faciem animæ esse dicimus, necessariè requiruntur, *Res & Causa*: idest, quid intendas, & propter quid. Et ex his sanè duobus animæ vel decor vel deformitas judicatur, ut (verbi causâ) anima quæ ambo ista recta atque pudica habuerit, illi meritò veracíterquè dicatur: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*. Quæ verò altero horum carverit, non poterit dici de ea quòd pulchræ sint genæ ejus sicut turturis, propter eam quæ adhuc ex parte erit deformitatem. Multò autem minùs illi poterit convenire (z) quæ neutrũ horum habere laudabile invenitur. At id totum fiet planiùs in exemplis. Si verbi causâ intendat quis animum inquirendæ Veritati, atq; id solo veritatis amore nonne is tibi videtur & *Rem & Causam* habere honestam, meritoquè sibi vendicare quod dicitur: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*: quippè cui in neutra genarum nævus reprehensionis appareat? Quod si minimè quidem Veritatis desiderio, sed aut inanis gloriæ, aut alterius qualiscunque commodi temporalis obtentu in Veritatem intenderit: jam & si unam genarum videatur habere formosam, non tamen (ut arbitror) dubitabis judicare vel ex parte deformem, cujus alteram faciem causæ turpitudo fœdaverit. Si autem videris hominem nullis honestis studiis intendentem, sed carnis illecebris irretitum, ventri & luxuriæ deditum, quales sunt illi quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt: quid istum, nonne ex utraque parte fœdissimum judicabis, in cujus utique intentione & *Res & Causa* reproba invenitur? Ergo intendere non in Deum sed in seculum, sæcularis animæ est, nec ullam prorsùs genarum speciosam habentis. Intendere autem quasi in Deum (a) sed non propter Deum, hypocritæ planè animæ est. Cujus & si una facies decora videtur, quòd ad Deum qualicunque intentione respiciat; ipsa tamen simulatio omne decorum in ea exterminat, & magis per totum ingerit fœditatem. Si autem vel solùm vel maximè ob vitæ præsentis necessaria ad Deum converterit intentionẽ, non quidem fæce hypocrisis putidam, pusillanimitatis tamen vitio dicimus subobscuram, & minùs acceptam. Porrò è contrario intendere in aliud quàm in Deum, tamen propter Deum, non ocium Mariæ, sed Marthæ negotium est. Absit autem ut quæ hujusmodi est, quidquam illam dixerim habere deforme, nec tamen ad perfectum affirmaverim pervenisse decoris: quippè quæ adhuc sollicita est & turbatur erga plurima, & non potest terrenorum actuum vel tenui pulvere non respergi. Quem tamen citò facilèquè deterget vel in hora sanctæ dormitionis casta intentio, & bonæ conscientiæ interrogatio ad Deum. Ergo solùm inqnirere Deum propter ipsum solum, hoc planè est utramque *bipartitæ Intentionis* faciem habere pulcherrimam, atque id proprium ac speciale sponsæ, cui metò singulari prærogativa audire conveniat: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*. Denique (b) qnia ipsa quoque Veritatis agnitio in tribus gradibus consistit, ipsos breviter distinguo, Inquirimus namque Veritatem in nobis, in proximis, in sui natura. In *nobis*, nosmetipsos dijudicando. In *proximis*, eorum malis compatiendo. In *sui natura*, mundo corde contemplando. Observa sicut numerum, ita & ordinem. Primò te doceat Veritas ipsa quòd priùs in proximis, quàm in sui debeat inquiri natura. Post hoc accipies cur priùs in te, quàm in proximis inquirere debeas. In numero siquidem beatitudinum, quas suo sermone distinxit Matthæus Evangelista, priùs misericordes quàm mundicordes posuit. Misericordes quippe citò in proximis Veritatem deprehendunt, dum suos affectus in illos extendunt: dum sic per charitatem se illis conformant, ut illorum vel bona vel mala tanquam propria sentiant. Cum infirmis infirmantur, cum scandalizatis uruntur: gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus consueverunt. Hac charitate fraterna cordis acie mundata, Veritatem delectantur in sui contemplari natura, pro cujus amore mala tolerant aliena. Qui verò ita se fratribus non consociant, sed è contrario aut flentibus insultant, aut gaudentibus derogant; dum quod in illis est, in se esse non sentiunt, quia similiter affecti non sunt: veritatem in proximis qualiter deprehendere possunt? Benè namque convenit illis illud vulgare proverbium: *Nescit sanus quid sentiat æger, aut plenus quid patiatur jejunus*. Et æger ægro, & jejunus jejuno quantò propinquiùs tantò familiariùs compatiuntur. Sicut enim pura Veritas non nisi puro corde videtur, sic miseria fratris veriùs misero corde sentitur. Sed ut ob alienam miseriam miserum cor habeas, oportet ut tuam priùs agnoscas: ut proximi mentem in tua invenias, & ex te noveris qualiter illi subvenias, exemplo scilicet Salvatoris, qui pati voluit, ut compati sciret; miser fieri, ut misereri disceret: ut quomodo de ipso scriptum est: *Didicit ex his quæ passus est obedientiam*: ita & misericordiam disceret. Cùm sint itaque [c] tres gradus seu status Veritatis: ad *primùm* ascendimus per laborem humilitatis, ad *secundum* per affectum compassionis, ad *tertium* per excessum contemplationis. In primo Veritas reperitur severa, in secundo pia, in tertio pura. Ad primum ratio ducit, quâ nos discutimus: ad secundum affectus perducit, quo aliis miseremur: ad tertium puritas rapit, quâ ad invisibilia sublevamur. Impuris autem non se ostendit Veritas [d] non se credit Sapientia.

CAPUT IV.

De Secunda accusatione Christi, facta per Judæos, coram Pilato.

1. *Ostenditur, Jesum nihil respondentem Pilato ad falsam accusationem Judæorum docuisse nos, ut ejus humilitatem & mansuetudinem, verecundiam & taciturnitatem imitemur*. 2. *Ostenditur ignorantiam Judæorum esse culpabilem, graviùsquè peccari doctrinæ Christi contemptu, quàm neglectu. Agitur de differentia utriusque*. 3. *Ostenditur, Jesum ideo se subjecisse potestati Herodis, ut doceret omnem*

y Ser. 40. in Cant. n. 2. z Ibidem n. 3. a Ibidem n. 4. b Tractat. de grad. humil. cap. 3. n. 6.

c Ibidem cap. 6. n. 19. d Ser. 62. in Cant. n. 8.

nem hominem debere esse subjectum utrique potestati, seculari videlicet & Ecclesiasticæ.

§. I.

Pilatus iterùm exivit ad Judæos, & dixit eis: Ego nullam invenio in eo causam. At summi Sacerdotes accusabant eum in multis. Et cùm accusaretur à principibus Sacerdotum & Senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversùm te dicant testimonia? non respondes quidquam? Vide in quantis te accusant. Jesus autem ampliùs nihil respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Pilatus vehementer. Joan. 18. Mar. 15. Matt. 27.

Filius Dei (a) & Dominus noster Jesus Christus de cælo ad hoc missus est, ut nobis præiret in via virtutum, & legem vitæ & disciplinæ suo nobis exemplo daret, & erudiret nos sicut semetipsum. Et (b) ut omnis sua actio esset nostra lectio, & omnis sua vita esset nostra doctrina. Profectò (c) sanctus ille Emmanuel terris intulit magisterium disciplinæ cælestis, dum supernæ illius Hierusalem quæ est mater nostra, visibilis quædam imago & species decoris ejus per ipsum nobis & in ipso expressa innotuit. Vita Christi (d) vivendi nobis regula extitit, mors à morte redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit. Omnia proinde (e) quæcunque locutus est, quæcunque operatus est, quæcunque passus est, ne dubitemus fuisse plena Sacramentorum, plena salutis. Cùm autem multi falsi testes contra Jesum procederent (f) & in multis mendaciis eum accusarent, ipse tanquam agnus innocens qui ad victimam ducitur, obmutuit: & non aperuit os suum, tanquam homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Tacebat ore (g) sed instruebat opere: & quod priùs docuit verbo, jam clamabat exemplo: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Discite, ait (h) à me, non quòd sobrius, aut castus, aut prudens, aut aliquid hujusmodi: sed quia mitis sum & humilis corde. *A me*, inquit, *discite*. Non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto: sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inviderunt mihi altitudinem quam habeo apud Patrem, Angelus & Fæmina: ille potentiæ, ista scientiæ. Vos autem æmulamini charismata meliora, discentes à me quia mitis sum & humilis corde. Profectò collectaneæ sunt humilitas & mansuetudo (i) & in eo confæderatæ germaniùs qui dicebat: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Sicut enim mater præsumptionis est elatio, sic mansuetudo vera nonnisi ex vera humilitate procedit. Cùm enim boni adolescentuli (k) & mansueti tacendo revereantur Majores suos, nemo solius taciturnitatis hanc laudem putet: quia silentium ipsum (in quo est reliquarum virtutum ocium) maximus actus verecundiæ est. Denique si naturale est, aut infantiæ deputatur, aut superbiæ probro datur: si verecundiæ, laudi ducitur. Tacebat in periculis Susanna, gravius verecundiæ quàm vitæ damnum putabat, ubi soli loquebatur cui poterat casta verecundia loqui. Fugit & pulcher Joseph, relicta veste in manibus fornicariæ tacensque celeriter egressus est, qui incongrua suæ verecundiæ audiens, non poterat diu stare. Moyses quoque & Hieremias quod poterant per gratiam, excusabant per verecundiã. Tutiùs etenim est discere quàm docere, tacere quàm loqui. Quid autem magis potest verecundiæ bonum, quàm ut juniorum ætas magis debeat discere quàm tacere? Pythagoras quippè legẽ dedit silentij discipulis suis, ut tacentes per quinquennium loqui discerent: & tu non vis tacere, cui virtus silentij propria est? Quid opus est, ô adolescens, ut properes periculum suscipere loquendo, cùm tacendo possis esse tutior? Quàm plures vidi loquendo incidisse in peccatum, vix quenquam tacendo. Ideoquè tacere nosse quàm loqui difficilius est. Scio plerosque loqui, cùm tacere nesciant. Rarum est tacere quenquam, cùm sibi loqui nihil prosit. Sapiens ergo est qui novit tacere. Meritò quoque sapiens dicendus est, qui novit tempus loquendi. Unde benè ait Scriptura: *Homo sapiens tacebit usque ad tempus.* Ideo Sancti Domini, qui sciebant quia vox hominis plerumque peccato juncta est, & initium erroris humani sermo est hominis, tacere amabant. Denique sanctus David ait: *Posui ori meo custodiam.* Propheta custodiebat, & tu non custodies? Potes autem custodire, si non citò loquaris. Potes & cum Propheta David dicere: [l] *Proposui custodire vias meas, ut non delinquam in lingua mea.* Quoniam juxta eundem Prophetam: *Vir linguosus non dirigetur super terram.* Et juxta aliam Scripturam: *Mors & vita in manibus linguæ. Silentium* autem, dicente Esaja, *cultus justiæ est.* Et: *Bonum est expectare* (ut docet Hieremias) *salutare Dei cum silentio.* Est utique silentium irreprehensibile [m] imò & laudabile magis. Est & sermo non bonus. Alioquin non diceret Propheta: *Bonum est homini præstolari cum silentio salutare Dei.* Bonum silentium à jactantia, bonum à blasphemia, bonum à murmure & detractione. *Alius* enim ob laboris magnitudinem & pondus diei exasperatus, animo murmurat; dijudicat eos qui animâ suâ pervigilant, tanquam redditun utique rationem. Clamor est, sed supra omne silentium clamor iste animi obdurati silere facit: quia audiri non patitur vocem Verbi. *Alius* pusillanimitate spiritûs in expectatione deficit, pessimumquè hoc verbum blasphemiæ est, quod nec in hoc seculo remittitur, nec in futuro. *Tertius* in magnis ambulat & mirabilibus super se dicens: Manus nostra excelsa, putans se aliquid esse cùm nihil sit. Quid loqueretur huic qui loquitur pacem? Dicit enim quia dives sum, & nullius egeo. Porrò Veritatis sententia est: *Væ vobis divitibus, quia habetis hic consolationem vestram.* Contra verò: *Beati*, inquit, *qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Sileat ergo in nobis lingua maledica, lingua blasphema, lingua magniloqua: quoniam bonum est in hoc triplici silentio salutare Dei præstolari. Imitemur Christum [n] qui sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum,

 §. II.

a *Opusc. Ad quid venisti cap.* 24. b *Tract. de 3. præcip. myst. cap.* 6. n. 12. c *Ser.* 27. *in Cant. n.* 7. d *Exhort. ad milites templi cap.* 11. n. 18. e *Ser.* 4. *de Ascens. Dom. n.* 2. f *Tract. de 3. præcip. myst. cap.* 6. n. 13. g *Ser.* 1. *in Epiph. Dom. n.* 8. h *Tract. de mor. & vit. Episc. cap.* 5. n. 11. i *Ser.* 1. *de Virg. Deip. n.* 12. k *Tract. de ord. vitæ cap.* 4. n. 12. & 14. *tom.* 5. *pag.* 458.

l *Epist.* 89. n. 2. m *Ser.* 2. *de Virg. Deip. n.* 14. n *Ser.* 4. *de Advent. Dom. n.* 7.

§. I I.

At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum docens per universam Judæam, incipiens à Galilæa usque huc. Luc. 23.

Judæi non immemores odij (o) quo oderant Patrem, exercent illud in Filium, unde & ipse ait: *Quia oderunt me & Patrem meum*. Domine audivi auditionem tuam (p) & timui: consideravi opera tua, vias tuas, & expavi. Subsannaverunt te subsannatione, dentibus suis super te frenduerunt. Venisti quidem ad oves quæ perierant domûs Israël (q) Divini verbi lampadem extollens palàm ad illuminationem orbis terræ, & regnum Dei cunctis annuncians obtemperantibus verbo, sermonem sequentibus signis confirmasti: virtutem Divinitatis in cunctis ostendisti malè habentibus, & omnes omnibus gentibus gratias exhibens, quæ saluti peccatorum congruerent, ut omnes lucrifaceres. Sed obscuratum est insipiens cor eorum, Domine, & projecerunt sermones tuos retrorsùm: neque attenderunt ad omnia mirabilia tua, Domine, quæ operatus es in eis. Terra cognovit Dominum (r) quia ad vocem virtutis ejus cùm clamasset voce magna: *Lazare veni foras*, mortuum reddidit. Cognovit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus ejus, ita ut Apostoli eum putarent phantasma esse. Cognoscit Ecclesia (s) quæ æmulatur ejus nigredinem passionis, ut decorem perciperet. Sed non cognovit Synagoga, quæ nigredinem illi passionis & infirmitatis improperans: *Alios*, ait, *salvos fecit, seipsum non potest salvum facere*. Multa profectò [t] scienda nesciuntur, aut sciendi incuriâ, aut discendi desidiâ, aut verecundiâ inquirendi. Et quidem hujusmodi ignorantia non habet excusationem. Sed numquid fortè tale est hoc, quod inquisitû humano possit addisci magisterio? Homo hominis nisi ipso indicante non intelligit cogitatum: quantò minùs Divinum quis poterit investigare consilium, nisi cui ipse voluerit revelare? Audi denique ipsum: *Si non venissem*, ait, *& locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*. Non dicit simpliciter, & locutus non fuissem, sed interserens, *eis*: *Et locutus eis*, inquit, *non fuissem*: ostendens sine dubio non ante censeri inexcusabiles de contemptu, quàm ad ipsorum usque notitiam jussio perveniret. Nam si locutus quidem fuisset, sed non eis, inobedientiæ culpam ignorantia nihilominùs excusaret. *Nunc autem*, inquit, *quoniam locutus sum eis, excusationem non habent de peccato suo*. Unde & ajebat: *Ego palàm locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil*. Non quòd suos domesticos multa in oculto privatimquè non docuerit; sed quòd tanquam nihilum interim reputaret, & nec pænam nec præmium ea augere quæ in secreto tradebat judicaret, donec de medio fierent, & prodirent in lumine. Denique & dicebat: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*: ut meritò videlicet jam audientibus obedientiæ vel meritum adscriberet vel contemptum, cùm in medium proferrentur. Item: *Qui vos audit*, inquit, *me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Ac si diceret: Judicium meum inter obedientes & contemnentes, non de mea secreta traditione, sed de vestra publica prædicatione pendebit. Licet namque [u] ipsa per se iniuncti operis qualitas innoxia sit: adjunctæ tamen auctoritatis pondus obnoxium mandato, mandatumquè peccato obnoxium facit, non magno tamen si contemptus defuerit. Hæc ergo generalis regula sit universorum (x) quæ per se aut propter se nec bona nec mala sunt, aut Divina institutione, aut propria cujusque professione fixa non sunt, ut non jussa quidem licitè utrumlibet vel admittantur vel omittantur: jussa verò sine culpa non negligantur, sine crimine non contemnantur. Ubique enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis est. Differunt autem, quòd neglectus quidem languor inertiæ est, contemptus verò superbiæ tumor. Porrò contemptus in omni specie mandatorum pari pondere gravis, & communiter damnabilis est: neglectus autem in fixis gravior, tolerabilior in mobilibus mandatis. Siquidem adulterium quocunque modo, quocunque perpetres animo, turpe flagitium est, ac criminale peccatum: cùm tamen leve verbum in tempore vel loco silentii fortè per oblivionem subreptum, risusuè per impetum magis excussus quàm præsumptus contra præceptum (quod utique animi negligentis, aut dissoluti spiritus indicium est) eò facillimè veniam promeretur, quò vix vel peccatum reputatur. Quid cùm scienter vel ex deliberatione in verba ociosa, silentio licet non indicto, lingua laxatur? numquid hoc tamen neget quispiam usurpari contra regulam veritatis? Unde nimirùm & ratio exigenda est in futuro judicio: Judice ipso terrificè admodùm comminante, quia de omni verbo ocioso reddent homines rationem in die judicii. Multi sunt (y) qui se de infirmitate vel ignorantia tegunt ad excusandas excusationes in peccatis. Sed frustra sibi de infirmitate vel ignorantia blandiuntur, qui ut liberiùs peccent, libenter ignorant, vel infirmantur. Putas primo homini profuit, licet non libenter peccavit, quòd se per uxorem tanquam per carnis infirmitatem defendit? Aut primi Martyris lapidatores, quoniam aures suas continuerunt, per ignorantiam excusabiles erunt? Unde Stephanus ad homicidas (z) ad legis adulteros, ad crucifixores Filii Dei Patris loquitur, genti peccatrici in Ægypto, populo gravi iniquitate in diserto, semini nequam in terra promissionis, filiis sceleratis in morte Salvatoris: *Dura*, inquit, *cervice & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui Sancto restitistis*. Propterea (a) viri Ninivitæ consurgent contra vos in judicio, propterea ipsi judices vestri erunt: quia Prophetæ Jonæ obtemperaverunt, vos nec Domino Prophetarum. Et ipse Dominus (b) ait per Prophetam: *Perditio tua Israël ex te tantùm: in me auxilium tuum*. Quasi diceret: Ut pereas, imputa tuo merito: ut salveris, meo auxilio. Denique (c) ipsa Sapientia prædicit, quæ mentiri omninò non potest: *Quia vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret*. Et post pauca:

o *Ser. 3. in Circumcis. Dom. n. 4.* p *Ser. in fer. 2. Paschæ n. 11.* q *Ser. de Pass. Dom. n. 6.* r *Ser. 1. de Ascens. Dom. n. 1.* s *Ser. 28. in Cant. n. 10.* t *Tract. ad Hugon. cap. 1. n. 3.*

u *Tract. de præcepto & dispensat. cap. 8. n. 17.* x *Ibidem n. 18.* y *Tract. de grad. humil. cap. 6. n. 19.* z *Ser. de S. Steph. n. 2. tom. 26. pag. 627.* a *Ser. 1. in die Paschæ. n. 11.* b *Tract. de interior. domo cap. 25. n. 57.* c *Ser. 8. super Psal. 90. n. 10.*

ca: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cùm vobis quod timebatis advenerit, cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit*. Quid ergo in insipientium interitu Sapientiæ credimus placiturum, nisi justissimam suam dispositionem, & irreprehensibilem ordinem rerum? Sanè quod Sapientiæ tunc placebit, sapientibus quoque placeat necesse est universis.

§. III.

Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset Jesus. Et ut cognovit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Jerosolymis erat illis diebus Luc. 23.

Christus jussit (d) & gessit. *Reddite* (ait) *quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo*. Quod ore locutus est, mox opere implere curavit. Conditor Cæsaris, Cæsari non cunctatus est reddere censum. Exemplum enim dedit vobis, ut & vos ita faciatis. Quando verò Dei Sacerdotibus debitam negaret reverentiam, qui hanc secularibus quoque potestatibus exhibere curavit? Secularior nemo Pilato (e) cui Dominus astitit judicandus: *Non haberes*, inquit, *in me potestatem, nisi tibi data esset desuper*. Jam tunc per se loquebatur, & in se experiebatur quod post per Apostolos clamavit in Ecclesiis: *Non est potestas nisi à Deo: & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*. Ergo (f) non debemus cõtemnere potestates sive mundi sint sive Ecclesiæ, quia omnes à Deo ordinatæ sunt. Non autem te moveat magister imperitus (g) indiscreta potestas, sed memento quia non est potestas nisi à Deo: & qui resistit potestati, resistit Dei ordinationi. Quando namque (h) per inobedientiã Prælatis nostris contradicimus, Deo injuriam facimus. Quando per superbiam & inobedientiam Prælatis nostris rebelles sumus, contra Dei præcepta facimus. Quando Prælatis nostris contumaces sumus atque inobedientes, Deum contemnimus, qui dicit: *Qui vos audit, me audit*; id est, qui vobis est obediens, mihi obediens est: & qui vos despicit, me despicit. Ergo qui Prælatum suum despicit, Deum despicit: & qui Prælatum suum honorat, Deum honorat: & qui obediens est Prælato suo, obediens est Deo. Hanc virtutem scilicet obedientiam laudat Samuël Propheta dicens: *Melior est obedientia, quàm sacrificium: & obedire magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*: id est, nolle obedire. Maria soror Aaron quia per superbiam & inobedientiam murmuravit contra Moysen fratrem suum, & statim percussa est leprâ. Maria quæ contra Moysen fratrem suum, idest, Prælatum murmuravit per inobedientiamm & rebellionem, significat animam cujuslibet hominis qui murmurat contra Prælatum suum, cui non vult obedire, nec præcepta salutis accipere. Et quia non vult per obedientiam præcepta sui Prælati suscipere, leprâ peccatorum percutitur atque fædatur. Etiam Core, Dathan, & Abiron, qui contra Moysen & Aaron per superbiam & contumeliam atque inobedientiam insurrexerant, statim pro sua præsumptione pænas sustinuerunt, sicut scriptum est in Psalmo: *Aperta est terra, & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abiron*. Et iterum: *Exarsit ignis in Synagoga eorum, flamma combussit peccatores*. Nam & Ozias Rex, cùm per superbiam & inobedientiam atque contumaciam Thuribulum accepisset, & contra legem Dei sacrificare voluisset, à Deo est leprâ percussus, atque maculatus in fronte. Nam & Saül Rex quia inobediens fuit, regnum perdidit, & in manibus inimicorum suorum cecidit. Etiam Jonas Propheta per inobedientiam fugit, & eum piscis absorbuit, atque in profundum maris misit. Cavendum est igitur nobis, ne contra Prælatos nostros per inobedientiam audeamus insurgere: ne Dominus per eos velit nos, quia vice sua funguntur, asperè visitare. Pro salute nostra posuit Deus Prælatos in Ecclesia (i) ut nobis provideant, ut Deo pro nobis rationem reddant, atque nos ne mala faciamus custodiant. Unde Paulus Apostolus ait: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris*. Prælati debent custodire ac regere gregem Dominicum cum magna vigilantia ac sollicitudine, de quibus in canticis Canticorum legitur: *Lectulum Salamonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos*. Verus *Salamon* Christus esse intelligitur, quia revera pacificus est, qui pacem inter Deum & hominem reformavit. *Lectulus* verò Salamonis Congregatio est fideliũ, in qua Deus habitat & quiescit. *Lectulum* verò *Salamonis sexaginta fortes ambiunt*, scilicet Prælati, qui defendendo, castigando, increpando, admonendo, circumeunt & custodiunt Ecclesiam Dei contra vitia, & contra inimicos visibiles atque invisibiles. Qui ideo *fortes* esse dicuntur, quia Prelati sanctæ Ecclesię perfecti sunt in observatione mandatorum Dei. *Omnes tenentes gladios*, id est, spirituale verbum, quia prædicando vitia subditorum debent reprimere. *Ad bella sunt doctissimi*, quia nececesse est ut ad bella spiritualia sint instructi. *Uniuscuiusque ensis super femur suum*: Prælati sanctæ Ecclesiæ super femur enses tenent, quia priùs in se, & tunc in sibi subjectis vitia debent resecare. Et hæc omnia faciunt *propter timores nocturnos*, idest, propter occultas insidias malignorum spirituum, qui in nocte hujus seculi maximè insidiantur sanctis Prælatis: ut illis deceptis, lectulum Salamonis, idest, congregationem Servorum Dei fædare ac maculare possint. Si enim tentatio est cujuscunque hominis vita super terram, (k) quantis putatis periculis patet vita Prælati, cui omnium necesse est ferre tentationes? Si ego latens in caverna, & quasi sub modio non quidem lucens sed fumigans, ventorum tamen impetus nec sic declinare sufficio, sed continvis tentationum variisquè fatigatus impulsibus, instar vento agitatæ arundinis hac illacquè circumferor: quid positus supra montem, positus supra candelabrum? Solus mihi servandus, solus tamen ipse mihi sum scandalo, solus tædio, solus oneri atque periculo, ita ut propriæ gulæ &

d Tract. de off. & mor. Episc. cap. 8. n. 31. e Ibidem cap. 9. n. 35.
f Tract. de modo bene vivend. cap. 19. n. 55. g Ser. 14. divers. num. 3.
h Tract. de modo bene vivend. cap. 19. n. 55.

i Ibidem n. 56. k Tract. de off. & mor. Episc. cap. 1. n. 1.

& ventri & oculo scandalizanti frequenter irasci oporteat: quibus ergo molestiis angitur Prælatus, quibus lacessitur injuriis, cui etiam etsi propria cessent, nunquam tamen de alienis desunt foris pugnæ, intùs timores?

CAPUT V.

De gestis coram Herode Rege, commorante tunc Jerosolymis.

Herodes viso Jesu, gavisus est valdè, eò quòd sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. *Luc. 23.*

1. *Ostenditur multipliciter accipi signum in sacra Scriptura. Herodes non aliud signum voluit videre, nisi ut ipsi revelaret seipsum Christus: sed ob malam voluntatem non fuit dignus cognoscere illum.* 2. *Ostenditur, Jesum ideo nihil respondisse Herodi, quia sciebat illum nullum fructum fidei relaturum ex suis responsis: hunc tamen fructum multi credentes in Iesum retulerunt post ejus resurrectionem.* 3. *Ostenditur, Herodem ideò sprevisse & illusisse Iesum, quia vidit eum tantùm foris esse nigrum absque specie & decore secundùm humanitatem, non autem intùs speciosum secundùm Divinitatem. Agitur de nigredine simul & pulchritudine Christi. Nigredo designat passionem & infirmitatem ejus, pulchritudo majestatem Divinitatis.*

§. I.

Herodes viso Iesu, gavisus est valdè. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo: & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Luc. 23.

Etsi non latuit Sanctos Patres ante adventum Salvatoris (a) Deum super mortalium genus cogitare cogitationes pacis: nec enim faceret verbum super terram, quod non revelaret servis suis Prophetis. Erat tamen verbum hoc absconditum à multis. Fuit namque in tempore illo rara fides in terris, & tenuis admodùm spes in pluribus quoque illorum, qui expectabant redemptionem Israël. Qui verò præsciebant, ipsi & prædicebant Christum in carne venturum, & cum ipso pacem. Unde quidam eorum: *Et pax erit*, inquit, *in terra nostra cùm venerit*. Cæterùm illis prænunciantibus pacem, moram autem faciente auctore pacis; nutabat populi fides, dum non erat qui redimeret, neque qui salvum faceret. Itaque causabantur homines moras, quòd ille toties nunciatus necdum veniret Princeps pacis, sicut locutus fuerat per os Sanctorum qui à sæculo sunt Prophetarum ejus: & suspectas habentes promissiones, signum promissæ reconciliationis (quod est osculum) flagitabant. Ac si nunciis pacis unus quilibet responderet de populo: Quousque tollitis animas nostras? Jam olim prædicitis pacem, & non venit: promittitis bona, & adhuc turbatio. Ecce hoc ipsum multifariè multisquè modis & Angeli Patribus, & Patres nostri annunciaverunt nobis dicentes: *Pax, pax: & non est pax*. Si mihi vult esse persuasum Deus, quod de suæ beneplacito voluntatis tam crebra jam legatione spondet nec exhibet: *Osculetur me osculo oris sui*, sicquè in signo pacis faciat de pace securum. Ne ergo universum genus humanum moram faciente Christo (b) desperatione periret, dum se contemni suspicaretur infirma mortalitas, suæquè reconciliationis cum Deo de gratia toties repromissa diffideret: Sancti Patres qui de spiritu certi erant, certitudinem de carnis præsentia exoptabant, ac signum reformandæ pacis propter pusillanimes & incredulos omni instantia requirebant. O *radix Iesse, qui stat in signum populorum*, quàm multi Reges & Prophetæ voluerunt te videre, & non viderunt! Fœlix tamen ex omnibus Simeon, cujus senectus in misericordia uberi. Is nempè exultavit ut videret desiderii signum, & vidit & gavisus est: acceptoquè osculo pacis in pace dimittitur; ante tamen apertè pronuncians Iesum esse natum in signum cui contradicendum erat. Omninò ita fuit. Contradictum est exorto signo pacis, sed ab his qui oderunt pacem. Nam pax hominibus bonæ voluntatis; malevolis autem petra scandali, & lapis offensionis. Herodes denique turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Siquidem in propria venit, & sui eum non receperunt. Felices illi in sua pernoctatione pastores, qui signi hujus visione digni habiti sunt. Sic enim Angelus ad pastores ait: *Et hoc vobis signum*: vobis humilibus, vobis obedientibus; vobis non alta sapientibus, vobis vigilantibus, & in lege Dei meditantibus die ac nocte. *Hoc*, inquit, *vobis signum*. Quod? Quod Angeli promittebant, quod populi requirebant, quod Prophetæ prædixerant, hoc fecit Dominus nunc, & ostendit vobis: in quo recipiant fidem increduli, pusillanimes spem, perfecti securitatem. Hoc ergo vobis signum. Cujus rei signum? Indulgentiæ, gratiæ, pacis, & pacis cujus non erit finis. Hoc est ergo signum. *Invenietis infantem pannis* quidem *involutum, & positum in præsepio*: Deus est tamen in ipso mundum reconcilians sibi. Morietur propter peccata vestra, & resurget propter justificationem vestram, ut justificati per fidem, pacem habeatis ad Deum. Hoc signum pacis (c) Propheta Esajas quondam Regi Achas proponebat petendum à Domino Deo suo sive in excelso suprà, sive in inferno deorsùm. Sed impius Rex recusavit, non credens miser quòd in signo hoc ima summis in pace socienda essent: quatenùs & inferi Domino descendente salutati, in osculo sancto signum pacis & ipsi recipiant, & superni Spiritus idipsum nihilominùs cùm ad cœlos redierit, æterna suavitate participent. Audivimus suadentem Regi Achas Esajam (d) petere signum à Domino sive in profundum inferni, sive in excelsum supra. Audiamus responsionem ejus, formam quidem habentem pietatis, sed non virtutem. Propter hoc denique ab eo qui intuetur cor, & cui confitetur hominis cogitatio, meruit reprobari. *Non petam*, inquit, *& non tentabo Dominum*. Elatus erat Achas fastigio solii regalis, astutus humanæ sapientiæ verbis. Audierat igitur Esajas à Domino: *Vade, dic vulpi illi, petat sibi*

a *Serm. 2. in Cant. nu. 3.*

b *Ibidem num. 6. & 7.* c *Ibidem num. 8.* d *Serm. 2. de Advent. Domini num. 1.*

ſibi ſignum à Domino in profundum. Habet enim vulpes foveam: ſed in infernum quoq; ſi deſcenderit, adeſt qui comprehendat ſapientes in aſtutia ſua. Item: *Vade*, ait Dominus, *dic volucri iſti, petat ſibi ſignum in excelſum ſupra*. Habet enim volucris nidum: ſed etſi in cœlum aſcenderit, illic eſt qui ſuperbis reſiſtens propriâ calcat virtute ſuperborum & ſublimium colla. Verumtamen diſſimulat ille poteſtatis excelſæ, ſeu incomprehenſibilis profunditatis ſapientiæ quærere ſignum: & propterea ſignum bonitatis & charitatis domui David ipſe Dominus promiſit, ut quos nec poteſtas nec ſapiētia terruit, alliceret ſaltē exhibitio charitatis. Felices autem illi in ſua pernoctatione paſtores (e) qui ſigni hujus viſione digni habiti ſunt. Iam tunc ſe abſcondebat à ſapientibus & prudentibus, & revelabat parvulis. Et Herodes videre voluit: ſed quia non bona voluntate, non meruit. Pacis ſiquidē ſignum erat, datum tantùm hominibus bonæ voluntatis. Hærodi verò & ſimilibus ejus non dabitur niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Egreditur Jonas de ventre Ceti (f) Chriſtus de corde terræ tertia die procedit: niſi quòd manifeſtè pluſquàm Jonas hic, qui ſemetipſum viriliter & ab ipſo utero mortis eduxit.

§. II.

Stabant autem principes Sacerdotum & ſcribæ conſtanter accuſantes Jeſum. Interrogabat autem eum Herodes multis ſermonibus. At ipſe nihil reſpondebat. Luc. 23.

Dominus Jeſus tacebat in paſſione (g) & in multis interrogatus non reſpondebat, *factus* (juxta *Prophetam*) *ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones*: ſciens tempus putationis nondum adveniſſe, nec reſponſuram prorsùs vineam ſuam impenſis laboribus; ideſt, nec fidei nec boni operis fructum aliquem relaturam. Quare? quia hyems erat in cordibus perfidorum Judæorum: & hyemales quidam malitiæ imbres occupaverant terram, jacta ſemina verbi ſuffocare quàm fovere paratiores, ſed & cultui vinearum omnem nihilominùs impendendam operam fruſtraturi. Quos vos me nunc putatis (h) dicere imbres? Iſtoſne quos videmus currentes per aëra nubes turbulento ſpiritu ſpargere ſuper terram? Non eſt ita. Sed quos de terra in aërem ſursùm ferunt homines turbulenti ſpiritus, ponentes in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiens in terram, tanquam pluvia amariſſima terram ipſam paluſtrem ac ſterilem facit, & tam plantis quàm ſatis inutilem, non quidem his viſibilibus atque corporeis ad noſtros utique corporeos uſus datis, de quibus nulla planè, ſicut nec de bobus cura eſt Deo. Sed quibus? Profectò quæ ſevit & plantavit Dei manus & non hominis, quæ & vel germinare, vel radicari in fide & charitate poterant, & fructus parturire ſalutis, ſi bonis & temporaneis imbribus rigarentur. Væ nubibus pluentibus iſtiuſmodi imbres ſuper eas qui lutum faciant, fructum non afferant. Nam ſicut ſunt & bonæ & malæ arbores ferentes quæque fructus pro ſui diſſimilitudine differentes, bonæ videlicet bonos, & malæ malos: ita & arbitror nubes & bonas quæ bonos, & malas quæ malos pluant imbres. Et vide ne fortè innueret nobis hanc nubium imbriumquè differentiam qui dicebat: *Mandabo nubibus meis ne pluant ſuper eam imbrem*: haud dubium quin ſuper vineam. Cur putas adjunxiſſe ſignanter, *meis*, niſi quia ſunt & malæ nubes, quæ non ſunt ejus? *Tolle, tolle* (inquiunt) *crucifige eum*. O nubes violentas & turbidas! O torrentem iniquitatis, evertere magis quàm fæcundare idoneum! Nec minùs malus minuſvè amarus minori licet impetu proruens imber ille qui ſubſecutus eſt: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere? Chriſtus Rex Iſraël deſcendat nunc de cruce, & credimus ei*. Porrò Philoſophorum ventoſa loquacitas non bonus imber eſt, qui ſterilitatem magis intulit terris quàm fertilitatem. Multò magis prava dogmata hæreticorum mali imbres ſunt, quæ pro fructibus ſpinas producunt & tribulos. Mali imbres ſunt traditiones Phariſæorum quos Salvator redarguit, & ipſi nubes malæ. Et niſi exiſtimes me iniuriam facere Moyſi, nam bona nubes eſt illa, non omne quod pluit vel ipſa bonum tamen dicam, ne illi contradicam qui ait: *Dedi illis*, ideſt Judæis, *præcepta non bona* (haud dubium quin per Moyſen) *& juſtificationes in quibus non vivent*. Literalis illa (verbi causâ) obſervatio Sabbathi ſonantis requiem non donantis, indictus ſacrificiorum ritus, interdictus porcinæ carnis eſus, nonnullorumquè ſimilium quæ immunda à Moyſe cenſentur, pluvia eſt hoc totum ex illa nube deſcendens, ſed nolo in agrum vel hortum meum quandoque deſcendat. Donec ergo (i) iſtiuſmodi aquæ peſtilentes occupaverunt terram, & invaluerunt ſuper eam, tempus ſuum vineæ non habuerunt, nec fuit quòd Sponſa invitaretur ad putandas vineas. Cæterùm illis decurrentibus terra apparuit arida, & flores apparuerunt in ea, ſignificantes tempus putationis adeſſe. Quæris quando hoc fuit? Quando putas, niſi cùm refloruit caro Chriſti in reſurrectione? Et hic primus & maximus flos qui apparuit in terra noſtra, nam primitiæ dormientium Chriſtus. Is quidem flos apparuit primus, ſed non ſolus. Nam & multa corpora ſanctorum qui dormierant, pariter ſurrexerunt, qui veluti quidam lucidiſſimi flores ſimul apparuerunt in terra noſtra. Denique venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis. Flores etiam fuerunt qui primi crediderunt de populo, primitiæ Sanctorum. Flores eorum ſunt miracula inſtar florum producentia fructum fidei. Nam poſtquam ille infidelitatis imber aliquantulùm vel ex parte abiit & receſſit, ſecuta mox eſt pluvia voluntaria quam ſegregavit Deus hæreditati ſuæ, & flores apparere cœperunt. Dominus dedit benignitatem, & terra noſtra dedit flores ſuos: ita ut una die tria millia, in alia quinque millia de populo crederent, adeo in brevi crevit florum numerus, ideſt, credentium multitudo. Et non potuit gelu malitiæ prævalere adversùs flores qui apparebant, nec præripere (ut aſſolet) fructum vitæ quam promittebant. Nam cùm omnes qui crediderant, induerentur virtute ex alto, ſurrexerunt ex eis homines qui minas hominum

e *Serm. 2. in Cant. num. 6.* f *Serm. 1. in die Paſch. num. 11.*
g *Serm. 58. in Cant. num. 5.* h *Ibidem num. 7.*
i *Ibidem num. 8.*

num contempserunt, fortes in fide: passi sunt quidem quàm plurimos contradictores, sed non cessarunt, neque subterfugerunt quominùs & facerent & annunciarent opera Dei. Nam juxta illud in Psalmo spiritualiter quidem *& seminaverunt agros, & plantaverunt vineas, & fecerunt fructum nativitatis*. Processu temporis tempestas sedata est (k) & pace reddita terris, creverunt vineæ & propagatæ & dilatatæ sunt, & multiplicatæ super numerum. Et tunc demùm Sponsa ad vineas invitatur, non quidem ad plantandum, sed ad putandum quod plantatum jam erat. Opportunè quidem, nam id opus pacis tempus requirebat.

§. III.

Sprevit autem Jesum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant adinvicem. Luc. 23.

Christus in universali hominum miseria (l) pressiùs & profundiùs se immersit, ne subtilis ille diaboli oculus magnum pietatis deprehenderet Sacramentum. Ideo habitu & omni habitu inventus est ut homo: nec in eo quantùm ad naturæ debitum, signum aliquod singularitatis apparuit. Quia enim inventus est, ideo crucifixus est. Paucis autem revelavit seipsum, ut essent qui crederent: reliquis autem absconditus est. *Quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Non cognovit Herodes (m) & idcirco despexit. Contemnat Herodes (n) ego tantò magis non contemno, quantò magis contemptibilem se ostendit Herodi. Agnosco pellem Salamonis (o) imò ipsum in pelle foris nigra Salamonem Jesum amplector. Habet & Salamon ingredinem, sed in pelle. Foris niger, in cute niger, non intùs. Alioquin omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs. Intùs Divinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, innocentiæ puritas: sed tetigit hæc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus vultus ejus & despectus, dum tentaretur per omnia pro similitudine absq; peccato. Agnosco denigratæ formam naturæ. Agnosco tunicas illas pelliceas Protoplastorum peccantium habitum. Denique semetipsum denigravit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Exinanivit semetipsum (p) formam servi accipiens. Filius Dei erat: & factus est tanquam servus. Non solùm formam servi accepit, ut subesset: sed etiam servi, ut vapularet: & servi peccati, ut pœnam solveret, cùm culpam non haberet. Quàm mihi decorus es Domine mi (q) in ipsa tui hujus positione decoris. Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti: ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plùs effulsit, ibi ampliùs gratia radiavit. Agnosco sub pelle hædi (r) qui peccatum significat, & manum quæ peccatum non fecit, & collum per quod mali cogitatio non transivit. Ideoque non est inventus dolus in ore ejus. Novi quod sis lenis naturà, mitis & humilis corde, blandus aspectu, suavis spiritu: & quidem unctus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Unde ergo nunc instar Esaü pilosus & hispidus? Cujusnam rugosa & tetra imago hæc? & unde hi pili? Mei sunt, nam pilosæ manus similitudinem proximi exprimunt peccatoris. Unde Apostolus (s) inquit: *In similitudinem hominum factus*, non hominis: quia primus homo nec in carne peccati, nec in similitudine carnis peccati creatus est. Meam proinde ad hoc induit formam (t) ut suscipiat causam. Quippe disciplina pacis nostræ super eum, dicente Propheta Esaja: *Et Dominus in eo posuit iniquitatem omnium nostrùm*. Unde *debuit fratribus per omnia similari* (sicut ait Apostolus) *ut misericors fieret*. Propterea vox quidem, vox Jacob: manus autem, manus sunt Esaü. Suum est quod auditur ex eo: quod in eo videtur, nostrum. Quod loquitur, spiritus & vita est: quod apparet, mortale & mors. Aliud cernitur, & aliud creditur. Nigrum sensus renunciat, fides candidum & formosum probat. Niger est, sed oculis insipientium: nam fidelium mentibus formosus valdè. Niger est, sed formosus. Niger reputatione Herodis, formosus confessione Latronis, Centurionis fide. Siquidem (u) absque specie & decore vidit eum & sprevit Herodes. Niger planè (x) cui non erat species neque decor. Niger, quia vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Deniq; seipsum fecit peccatum, & nigrum dicere verear? Intuere sanè pannis sordidum, plagis lividum, illitum sputis, pallidum morte, & nigrum vel tunc profectò fatebere. Splendor & figura substantiæ Dei (y) obnubilatur in forma servi pro vita servi. Candor vitæ æternæ nigrescit in carne pro carne purganda. Nigredo est (z) sed forma & similitudo Domini. Vade ad sanctum Esajam, & describet tibi qualem in spiritu illum viderit. Quem namque alium dicit *Virum doloris & scientem infirmitatem*, & quia *non erat ei species neque decor*? Et addit: *Nos putavimus eum tanquam leprosum, & percussum à Deo & humiliatum*. Ecce unde niger. Junge & illud Sancti David: *Speciosus formâ præ filiis hominum*, & habes totum in Sponso Jesu. Percunctare etiam Apostolos (a) eundem ipsum qualem in monte Thabor perspexerint, aut certè Angelos in qualem prospicere concupiscunt, & nihilominùs formosum mirabere. Ergo formosus in se, niger propter te. Quàm formosum & in mea forma te agnosco Domine Jesu, non ob divina tantùm quibus effulges miracula, sed & propter veritatem & mansuetudinem & justitiam. Beatus qui te in his hominem inter homines conversantem diligenter observans, seipsum præbet pro viribus imitatorem tui. Ad hoc utique facta sunt hujusmodi [b] ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Qui enim tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Habeamus ergo eorum [c] quæ contemptibilia Christo sunt illata, continuam & indesinentem memoriam: non utique ociosam, non tepidam, non torpentem, sed

k *Ibidem nu. 9.* l *Ser. in fer. 4. hebd. san. nu. 10.* m *Ser. 28. in Cant. nu. 10.* n *Ser. 61. in Cant. nu. 6.* o *Ser. 28. in Cant. nu. 2.* p *Ser. in fer. 4. hebd. san. num. 10.* q *Serm. 45. in Cant. num. 9.* r *Ser. 28. in Cant. nu. 2.*

s *Serm. in fer. 4. hebd. san. num. 10.* t *Serm. 28. in Cant. nu. 3.* u *Serm. 1. de verb. Esa. num. 1.* x *Serm. 25. in Cant. num. 8.* y *Serm. 28. in Cant. num. 1.* z *Serm. 25. in Cant. num. 9.* a *Ibidem num. 9.* b *Serm. 2. in Cœna Domini num. 6.* c *Ibidem num. 9.*

Sed compassionis ardore super omnia delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem. Grata ignominia crucis ei [d] qui Crucifixo ingratus non est.

CAPUT VI.

De reassumptione causæ contra Innocentem Jesum coram Pilato : & de postulatione Barabbæ homicidæ.

1. *Pilatus cognoscens innocentiam Iesu, meritò dixit se nullam causam mortis invenire in eo: quia cùm solus sub Sole sine macula inventus sit, argui non potuit de peccato.* 2. *Ostenditur, Iudæos per invidiam tradidisse Pilato Iesum ad crucifigendum. Monemur ut invidiam tanquam basiliscum fugiamus, charitatem verò sectemur.* 3. *Ostenditur. Judæos tunc vel maximè exercuisse odium in Iesum, quando eum innocentem scelerato Barabbæ postponentes, multoties postulabant hunc dimitti, Iesum autem crucifigi. Monemur timere asperam auditionem in die judicii.*

§. I.

Pilatus autem convocatis principibus Sacerdotum & magistratibus & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Luc. 23.

CIrcuit veritas orbem terræ (a) & nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram. Originale quidem maximum illud peccatum vocatur [b] quod à primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur universi. Maximum planè, quod sic totum nonmodò genus humanum, sed & quemlibet ipsius generis occupat, ut non sit qui evadat, non sit usque ad unum. A primo homine usque ad novissimum protenditur: & in singulis quoque à planta pedis usque ad uerticem diffunditur hoc venenum. Sed et aliter nihilominùs in universam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die, quâ sua quemque concipit mater, usque ad eam, quâ communis eum recipit mater. Proinde quis gloriabitur innocentes manus (c) aut castum se habere cor? *Nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram.* Unus tamen est inter noxios innocens, mundus inter impuros, inter mortuos liber: unus est, & non æstimabitur alius absque eo. Ipse est, de quo legisti: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo.* Erat enim innocens manibus, qui peccatum non fecit, sed multa bona operatus Judæis liberè ajebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* An verò mundissimum cor fuisse quis dubitat unitum personaliter Sapientiæ, in quam nihil inquinatum incurrit, attingit autem ubique propter suam munditiam? Sed non in vano accepit Animam suam, qui solus potestatem habuit ponendi Animam suam, & iterùm resumendi. Non in vano accepit nascens, non in vano posuit moriens, non in vano recepit resurgens. Et si piè quærimus (d) cum Propheta utique dicere non audemus: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur*, inquit, *sine macula*. Sed hæc, inquies, præparatio soli Christo convenire videtur. *Nemo* enim cæterorum omnium *mundus à sorde, nec infans cujus est vita unius diei super terram.* Itaque solus intrabit, qui solus Agnus est sine macula. Nullum omninò peccatum (e) nec actu proprio, nec contractu, sed nec in quo crescere posset habens. Solus ergo argui non potuit de peccato (f) quod nec ab eo factum est, nec in eo inventum. Solus planè Summus Pontifex meus nec in Patre, nec in Matre contaminatus est, ut lex dicit: Patrem quippè sed Deum, matrem quoque sed Virginem habens. Mater est sine corruptione virginitatis (g) Filius sine omni labe peccati. Non cadit in Matrem Evæ maledicto, non cadit in prolem generalis illa conditio, de qua dictum est per Prophetam: *Nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius Dei vita super terram.* Ecce infans sine sorde, solus inter homines verax, imò & Veritas ipsa. Unde jam quidem peccatum in propria persona vicit (h) quando humanam nostram sine ulla contagione suscepit. Grandis enim peccato facta est violentia, & revera expugnatum esse cognoscitur, quando natura, quam se totam infecisse & occupasse gloriebatur, ab eo penitùs aliena in Christo inventa est. Germen Domini [i] est Jesus Christus solus de mundissimo conceptus semine: quia etsi in similitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati. Etsi filius carnis Adæ, non tamen filius prævaricationis Adæ: qui non fuit naturâ filius iræ, sicut reliqui omnes qui in iniquitatibus sunt concepti. Ecce Agnus sine macula, (k) Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Quis enim peccata meliùs tolleret, quàm is in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lavare me potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto detergat oculum meum, quæ sola sine pulvere est. Iste mihi festucam educat de oculo, qui non habet trabem in suo: imò iste trabem educat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in suo. Neque enim intùs (l) nigredinem meus Salamon habet. Unde sponsa non ait: *Nigra sum* sicut Salamon, *sed sicut pelles Salamonis*: quòd in superficie tantùm sit veri nigredo pacifici. Peccati nigredo intùs est, quòd priùs interiora culpa commaculet, quàm ad oculos prodeat. Deniq; de corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, adulteria, blasphemiæ, & hæc sunt quæ coinquinant hominem: sed absit ut Salamonem. Minimè prorsùs apud verum pacificũ istiusmodi inquinamenta reperies. Oportet namque esse sine peccato eum, qui tollit peccata mundi: quoad reconciliandos peccatores inventus idoneus, jure sibi nomen vendicet Salamonis. Solus merum habuit vinum Dominus meus Jesus [m] qui solus perfe-

d Ser. 25. in Cant. n. 9. a Ser. 1. in Annunt. B. M. n. 13. b Ser. in fer. 4. hebd. san. n. 6. c Ser. 33. diu. n. 3.

d Ser. 28. diu. n. 1. e Ser. in fer. 4. heb. san. n. 2. f Ser. 28. diu. num. 1. g Ser. 4. in Vi. Nat. Dom. n. 5. h Ser. 1. in Nat. Dom. n. 4. i Ser. 2. in die Pent. n. 1. k Ser. 4. in vig. Nat. Dom. n. 5. l Ser. 28. in cant. n. 10. m Ser. 9. super. Psal. 90. n. 3.

perfectè mundus, & ſemper etiam poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine. Solus planè merum habuit vinum, qui nimirùm & ſecundùm Divinitatem Sapientia eſt, ubique attingens propter munditiam ſuam, & nihil inquinatum cadit in eum: & ſecundùm Humanitatem peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Et fortaſſis propterea ipſe ſe lilium appellavit (n) quòd totus verſetur in liliis, & omnia quæ ipſius ſunt, lilia ſint: Conceptio, Ortus, Converſatio, Eloquia, Miracula, Sacramenta, Paſſio, Mors, Reſurrectio Aſcenſio. Quid horum non candidum & non ſuaviſſimè redolens? Tanta denique in *Conceptione* refulſit ſuperni luminis claritas de ſupervenientis abundantia Spiritûs, ut ne ipſa quidem Virgo ſancta ſuſtinuiſſet, ſi non ſibi obumbratum foret à Virtute Altiſſimi. Porrò *Ortum* candidavit incorrupta virginitas Matris, *Converſationem* innocentia vitæ, *Eloquia* veritas, *Miracula* puritas cordis, *Sacramenta* pietatis arcanum, *Paſſionem* patiendi voluntas, *Mortem* libertas non moriendi, *Reſurrectionem* martyrum fortitudo, *Aſcenſionem* exhibitio promiſſionum. Quàm bonus fidei odor in his ſingulis, noſtra quidem qui candorem non vidimus, tempora & viſcera replens. Et beati qui non viderunt, & crediderunt. Pars mea in his odor vitæ, qui procedit ex ipſis. Infuſus naribus meis apto quodam Fidei inſtrumento, & quidem copioſiùs præ multitudine liliorum, ſanè & exilium levat, patriæ deſiderium aſſiduè innovat in viſceribus meis.

§ II.

Per diem autem ſolemnem conſueverat Præſes & neceſſe habebat dimittere populo unum ex vinctis, quemcunque voluiſſent & petiiſſent. Habebat autem tunc vinctum inſignem qui dicebatur Barabbas, qui in ſeditione fecerat homicidium, & cum ſeditioſis erat vinctus. Congregatis autem Principibus Sacerdotum & Scribis, dixit Pilatus: Eſt conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha: quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jeſum qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim quod per invidiam tradidiſſent eum ſummi Sacerdotes. Matt. 27. Mar. 14. Luc. 23. Joan. 18.

Judæi (o) non immemores odii quo oderant Patrem, exercent illud in Filium, unde & ipſe ait: *Quia oderunt me, & Patrem meum*. Item: (p) *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*. Annas & Caiphas & Judas Iſcarioth filii Synagogæ fuerunt. Et pulchræ *filios matris ſuæ*, non autem & Patris ſui illos vocat, qui non habebant Patrem Deum, ſed ex patre diabolo erant: homicidæ utique, ſicut & ille homicida erat ab initio. Quid ergo fecerunt impii (q) quibus gravis erat Chriſtus etiam ad videndum? *Hic eſt*, inquiunt, *hæres, venite, occidamus eum*. Quis autem tam gravis pruritus oculi (r) quàm invidia eſt? Nec verò aliis livor invidus quàm alienâ gloriâ & felicitate torquetur. Miſeria enim (ut ajunt) invidiâ caret. Baſiliſcus venenum in oculo gerit (s) peſſimum animal, & præ omnibu execrabile. Noſſe cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum faſcinantem? Invidiam cogitato. Quid verò eſt invidere, niſi malum videre? Si non eſſet ille baſiliſcus, nunquam per ejus invidiam mors intraſſet in orbem terrarum. Væ homini miſero quòd invidum non prævidit. Superemus vitium hoc dum adhuc vivimus, ſi poſt mortem volumus miniſtrum tantæ nequitiæ non timere. Nemo alterius bonum invido aſpiciat oculo. Nempè hoc ipſum jam, quod in ſe eſt, tabe ſua illud inficere, & quodammodò interficere eſt. Qui hominem odit homicidam illum Veritas ipſa teſtatur. Quid & ille qui bonum odit in homine, numquid non homicida poterit appellari? Adhuc vivit homo, & ille jam reus eſt mortis. Adhuc ardet ignis quem Deus Jeſus miſit in terram, & invidus tanquam qui ſpiritum extinxerit, jam damnatur. Proinde homo invidus [t] membrum eſt diaboli, cujus invidiâ mors introivit in orbem. Invidia cuncta germina virtutum concremat. Invidia cuncta bona peſtifero ardore devorat. Invia [u] duplices evomit flammas. Modò illũ urit, qui meliori invidet ob id quod ipſe non eſt: modò illum afficit, qui quemlibet conſimilem dolet ſibi eſſe æqualem. Nulla enim virtus eſt [x] quæ non habeat contrarium invidiæ malum. Nimirùm metientes noſmetipſos nobis [y] ſentimus aliqui noſtrûm pro noſtræ imperfectionis experientia, quàm rara virtus ſit alienæ non invidere virtuti, nedum gaudere ad illam, nedum etiam tantò plùs quàm ad propriam quemque gratulari, quantò ſe perpenderit in virtute ſuperatum. Porrò [z] invidia tinea eſt animæ. Invidia priùs nocet ſibi quam alteri. Invidia priùs ſeipſum mordet quàm alterum. Invidia primùm ſuum mordet auctorem: invidia ſenſum hominis comedit, pectus urit, mentem lacerat, cor hominis quaſi quædam peſtis depaſcit. Triſtitius invidiâ nihil eſt (a) quæ protinùs ipſum auctorem torqueat diſcrutiatquè ſuum. Omnino igitur fugienda eſt & execranda invidia, quoniam in illa Deus offenditur, proximus læditur, animus affligitur. Invidia etenim ſemper torquet poſſeſſoris ſui animum, quamvis ſæpè lædere non poſſit ſuum proximum, erga quem ſævit. Sed cùm mala ſit omnis invidia, peſſima tamen eſt hujus mali ſpecies, quæ ſub ſpecie ſanctitatis ſuas exercet injurias. Sæpe enim quando ſævit in proximum ex vitio iracundiæ, vel veneno invidiæ, fingit ſibi cogitatio quòd faciat illud zelo juſtitiæ. Læſus namque quilibet à proximo ſuo, non jam eum facilè reſpicere poteſt ſimplici oculo. Diſplicet ſibi quidquid ab illo fieri conſiderat. Omni ferè hora tacita apud ſe cogitatione illum accuſat. Surgunt cauſæ quotidie innumeræ, quæ illum culpabilem oſtendunt: occurrunt rationes multæ, quæ illum reum puniendumquè eſſe convincunt. Creſcit autem ſæpe eouſque malum, ut apud Deum eſſe credat ſe reum, niſi illum ſeveriùs corripiat, & de ſua perverſitate redarguat. Loquitur enim apud ſe hujuſmodi maligna cogitatio: Uſquequò illum talem tolero? Conſentire ei comprobor, ſi eum non corripio, conſcentiens autem Deum offendo: Corripiam

n *Ser. 70. in Cant. n. 7.* o *Ser. 3. in circumciſ. n. 4.* p *Ser. 29. in Cant. n. 1* q *Ser. 3. in Circumciſ. Dom. n. 4.* r *Ser. 5. de Verb. Eſa. n. 10.*

s *Ser. 13. ſuper. Pſal. 90. n. 4.* t *Tract. de modo bene vivent. cap. 34* u *tract. de ord. vit. cap. 10. n. 33.* x *tract. de modo bene viven. cap. 24* y *Ser. 49. in Cant n. 7.* z *Tract. de modo bene viv. cap. 24. num. 94* a *Tract. de interior. domo cap. 33 n. 76.*

ripiam ergo eum, ne Deum offendam: nihil enim pro mea, sed pro Dei injuria ulciſcendo totum facio, imò ſic illum ſibi reſtituam. Proximum enim corrigere & eum caſtigare, hoc non eſt proximo nocere, ſed prodeſſe velle. Sic ſæpè apud ſe loquitur maligna cogitatio humana: excæcavit enim eam malitia ſua: & putat odium ſuum amorem eſſe, & injuriâ ſuâ juſtitiam exercere. Conveniunt itaque undique hujuſmodi malignæ cogitationes ad mentem, & fingunt ſe ad obſequium Dei convenire, non autem ſuum odium exercere velle. Sed tibi contra invidiam occurrat bonitas (b) charitas præparetur adversùs invidiam. Vis autem audire verba breviter (c) quæ tanquam folia refrigerium nobis ab æſtu præſtent invidiæ? Ad commendationem charitatis contra invidiam dicit Jeſus: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & calumniantibus: ut ſitis filij Patris veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.*

§. III.

Principes autem Sacerdotum & Seniores concitaverunt turbam, & perſuaſerunt populis ut peterent Barabam, Jeſum verò perderent. Et cùm aſcendiſſet turba capit rogare Pilatum, ſicut ſemper faciebat illis. Reſpondens autem Præſes, ait illis: Quem vultis de duobus dimittam? Vultis dimittam vobis Regem Judæorum? Exclamavit ſimul univerſa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. Erat autem Barabbas latro, qui erat propter ſeditionem quandam factam in civitate & homicidium miſſus in carcerem. Pilatus autem iterùm reſpondens ait illis: Quid ergo vultis faciam Regi Judæorum? At illi iterùm clamaverunt: Crucifige eum. Iterum autem Pilatus locutus eſt ad illos, volens dimittere Jeſum. At illi ſucclamabant dicentes: Crucifige, Crucifige eum. Et invaleſcebant voces eorum: Tolle, tolle, crucifige eum. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Joan. 18:

Judæi non immores odij (d) quo oderant Patrem, exercent illud in Filium. Vinctum ſiquidem ante faciem Pilati perduxerunt (e) poſtulantes crucis ſupplicio eum interimi qui peccatum non noverat, & virum homicidam dari ſibi: Agnum lupo, aurum luto poſtponentes. O vipereum affectum (f) odire hominem qui hominum & corpora ſanat, & animas ſalvat! *Tolle* (g) *tolle*, inquiunt, *crucifige eum*. O nubes violentas & turbidas! O imbrem procelloſum! O torrentem iniquitatis, evertere magis quàm fæcundare idoneum! O venenata lingua (h) verbum malitiæ, ſermo nequam! Verbum aſperum fuit (i) quod protulit domus exaſperans, populus Judæorum: *Tolle, tolle, Crucifige eum.* Quàm horribile verbum, quàm aſperum, quàm crudele? Verè dentes eorum arma & ſaggittæ, & lingua eorum gladius acutus. Hoc verbum aſperum tu ſuſtinuiſti Domine. Cur? niſi ut nos liberes à verbo aſpero. Sit pietatis tuæ, ut non ſuſtineamus nos quod tu dignatus es ſuſtinere pro nobis. Cæterùm [k] jam nunc tibi provide quiſquis es dexteri negligens, ſiniſtri lateris cultor, ne cum hædis locum accipias in ſiniſtra quam elegiſti. Aſperum verbum eſt, Fratres, non immeritò expaviſtis. At cavere non minùs neceſſe eſt, quàm pavere. O homo (l) vel magis beſtia, laqueum non timebas, time vel malleum: *A verbo aſpero*, inquit Pſalmus. Quid eſt hoc verbum, niſi illud inſatiabilis gehennæ: *Affer, affer, percute, dilacera, citò interfice, velociter ſpolia detrahe?* Quid eſt verbum aſperum? *Tollatur impius ne videat gloriam Dei*. Quomodo exultant venatores captâ beſtiâ, & clamant: Tolle, tolle, infige verubus, infer prunis, & malè bullentibus impone lebetibus. Tunc ergo nihil opertum erit quod non reveletur (m) quoniã veniet Chriſtus Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Non erit jam quo lateas ô miſera anima. Fruſtra dices montibus, *Cadite ſuper nos*: & collibus, *Operite nos*: quoniam nudam & opertam oportebit te ſtare ante tribunal Chriſti, ut audias vocem judicii, quæ vocem conſilii contempſiſti. Ecce enim quid loquitur Deus: *Agite pænitentiam*: & diſſimulant multi, & continent aures ſuas, & dicunt: *Durus eſt hic ſermo*. Non ſic impii, non ſic diſſimulare poteritis cùm ſonabit aſperum illud verbum, & auditio mala: *Ite maledicti in ignem æternum*. Reſpondent homines ſeculares (n) cùm eis ſuademus agere pænitentiam, & dicunt: *Durus eſt hic ſermo*. Ergone durum momentaneum hoc & leve tribulationis, quod ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis? Durum eſt breviſſimo & leviſſimo labore cruciatus illos & tormenta redimere, quæ nullus terminus finiat, nullus animus ſufficiat cogitare? Durum vobis videtur cùm dicitur: *Agite pænitentiam?* Erratis, ſed audituri eſtis aliquando verbum aſperum, ſermonem durum, auditionem malam: *Ite maledicti in ignem æternum.* Ita dico vobis hoc timete, hoc durum reputate, & invenietis quia jugum Domini ſuave eſt, & onus ejus leve. Alioquin væ tibi generatio prava (o) atque perverſa: væ tibi popule ſtulte & inſipiens, qui & memoriam faſtidis, & præſentiam expaveſcis. Meritò quidem. Nec modò enim liberari vis de laqueo venantium: ſiquidem qui volunt divites fieri in hoc ſeculo, incidunt in laqueum diaboli. Nec tunc à verbo aſpero poteris liberari. O Verbum aſperum, ô ſermo durus: *Ite maledicti in ignem æternum*. Legimus in Evangelio (p) quòd prædicante Domino, & ſub myſterio edendi Corporis ſui diſcipulos ad communicandum paſſionibus ſuis admonente, dixerint quidam: *Durus eſt hic ſermo*: & ex hoc jam non fuerunt cum eo. Interrogati verò Diſcipuli an & ipſi vellent abire: *Domine*, inquiunt, *ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*. Ita dico vobis, Fratres, uſque hodie quibuſdam manifeſtum eſt, quoniam verba quæ loquitur Jeſus, ſpiritus & vita ſunt, & propterea ſequuntur illum: aliis dura videntur, & miſeram alibi quærunt conſolationem. Sapientia ſiquidem

b *Tract. de modo bene viven. cap. 34.* c *Tract. de vita myſt. cap. 6. n. 29.* d *Ser. 3. in Circumciſ. n. 4.* e *Ser. de paſſ. Dom. n. 11.* f *Ser. 62. in Cant. n. 4.* g *Ser. 58. in Cant. n. 7.* h *Ser. 1. in die Paſchæ n. 1* i *Ser. 3. ſuper pſal. 90. n. 2.*

k *Ser. 7. ſuper pſal. 90. n. 15.* l *Ser. 3. ſuper pſal. 90. n. 2.* m *Ser. 5. int. diver. n. 2.* n *Ser. 3. ſuper pſal. 90. n. 3.* o *Tract. de diligen. Deo cap. 4. n. 11.* p *Ser. 5. int. diver. n. 1.*

dem in plateis clamitat, in lata videlicet & spaciosa via quæ ducit ad mortem, ut revocet ambulantes per eam. Denique *quadraginta annis*, inquit, *proximus fui generationi huic, & dixi: Semper hi errant corde*. Porrò habes in alio Psalmo: *Semel locutus est Deus*. Semel utique, quia semper: una enim & non interpolata sed continua & perpetua locutio est. Postremò videte Fratres, (q) quàm salubriter admoneat nos Propheta, ut si vocem ejus audierimus hodie, non obduremus corda nostra. Eadem enim penè verba & in Evangelio legitis, & in Propheta. Ait enim Dominus in Evangelio: *Oves meæ vocem meam audiunt*. Et Sanctus David in Psalmo: *Populus*, inquit, *ejus* (haud dubium quin Domini) *& oves pascuæ ejus. Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*. Utiliùs namque & multò salubriùs est hodie audire eum consulentem, consolantem, admonentem, docentem, corripientem: quàm in die illa tam amara, tam lugubri, tam tenebrosa audire illum judicantem, indignantem, ulciscentem, sævientem, condemnantem. Bonum interim mihi est ut humilier, ut corripiat me justus in misericordia & increpet me, quàm ut oleum peccatoris impinguet caput meum: ne fortè terra inveniar, quam percutiat virga oris sui, quando vasa figuli virgâ ferreâ conterentur. Bonum mihi propter verba labiorum ejus cum Propheta custodire vias duras, quàm pariter cum impio interfici spiritu labiorum ejus.

CAPUT VII.

De flagellatione Christi ad columnam ligati.

Pilatus autem tertiò dixit ad Judæos: Quid enim mali fecit iste qui dicitur Christus? Nullam causam mortis invenio in eo. Corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit. *Luc. 23. Matt. 27. Joan. 19.*

1. *Proponitur nobis ad considerandum Jesus alligatus columnæ, flagellisque cæsus. Et invitamur ad colligendum ejus Sanguinem, ex conscisso Corpore & flagellato distillantem in terram. 2. Ostenditur, patientiam ejus fuisse singularem tunc dum flagellabatur, siquidem non aperuit os suum. Hoc exemplo docuit nos, ut patientiam ejus imitemur, ac flagella Dei patienter toleremus. 3. Ostenditur, Deum tribus modis castigare homines in hac vita: nec non flagella ejus esse utilia hominibus. Et probatur, flagella Dei esse argumenta amoris ejus erga homines: in quibus nemo debet murmurare contra Deum, sed potiùs seipsum accusare.*

§. I.

EXpergiscere nunc anima Christiana (a) excutere de pulvere, & contemplare virum hunc memorabilem, quem in speculo Evangelici sermonis quasi præsentem intueris. Occurrat spiritualiter (b) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, proditus & venditus à discipulo, à Judæis tanquam vile mancipium precio satis exiguo comparatus, captus & ligatus tanquam homo sine adjutorio, scisso etiam verberibus dorso: qui tanquam jugulatori suo alludens, seipsum non reluctans exposuit, & nudum Corpus quasi incudem malleatorum ictibus patienter explicuit. Cognosce anima mea (c) cognosce: Hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce ad columnam revinctus (d) flagellis cæditur, Carne præ nodis flagellorum in tumorem surgente, & in livores se vertente, Sanguine guttatim de plagis in terram decurrente. Filius Dei erat: (e) & ecce factus est tanquam servus. Non solùm formam servi accepit ut subesset, sed etiam servi, ut vapularet: & servi peccati, ut pœnam solveret, cùm culpam non haberet. Adhuc autem attentiùs intuere (f) quàm grandi admiratione, & tenerrima compassione dignus apparet. Vide nudum corpus Jesu, & verberibus laceratum. Fletus deducite oculi mei, & liquesce anima mea igne compassionis super contritione amabilis viri hujus, quem in tanta amaritudine tot vides affectum doloribus. O cum quanta quantitate putas illum sanctissimum Sanguinem (g) ex concisso Corpore & flagellato distillasse in terram! O quantâ putas sævitiâ impiorum frementium, quanto fremitu sævientium flagellatum putas fuisse dulcem Jesum, qui venerat ut nos à flagellis liberaret æternis? *Sine causa*, inquit, *flagellis ceciderunt me*. Verè sine causa, nisi fortè miserrimi & perversi bona opera tua pœnis digna judicarent, qui veritatem tuam in mendacio detinuerunt. Et quidem (h) nec ignorabat impius Pilatus per invidiam hæc in te fieri, nec tamen abstinuit à te temerarias manus, sed replevit Animam tuam amaritudine sine causa. Illusum recepit, in conspectu illusorum adstare te jussit, nec pepercit amarissimis verberibus virgineam Carnem tuam divellere, plagis plagas, livores livoribus crudeliter infligere. Electe puer Dei mei, quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? Prorsus nihil. Ego ego homo perditus, totius perditionis tuæ causa extiti. Ego, Domine, uvam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt: quia quæ non rapuisti tunc exolvebas. Proinde quamvis immitia (i) quamvis dura, quamvis injusta erant illa flagella quæ Corpus tuum circuibant, diligo flagellorum istorum vincula, quibus Sacratissimum Corpus tuum datum est contingere, quæ tuo purissimo Sanguine non mediocriter sunt imbuta, ô bone Jesu. Si enim Sanguis tuus in flagellatione fuit tam cupiosè effusus, ut columna guttis illius respersa adhuc habere rubra vestigia dignoscatur: quantùm Sanguis ejus sursùm in aëra resultaret? Videamus autem quàm bene huic ligationi conveniat, quòd vitis ad palum ligatur. Quid enim per palum quàm ipsa columna, cui Dominus Jesus erat alligatus, accipitur?

Si-

q ibidem n. 3. a Ser. de Pass. Dom. n. 13

b *Ser. 2. in Cœna Dom. n. 7.* c *Ser. de Pass. n. 15.* d *Tract. de 3. princip. myst. cap. 6. n. 12* e *Ser. in fer. 4. hebd. Sanc. n. 10.* f *Ser. de Pass. Dom. n. 14.* g *Tract. de vite myst. cap. 40.* h *Ser. de Pass. Dom. n. 11.* i *Tract. de vite myst. cap. 4. n. 13.*

Sicut enim vitis pallo, ita Christus statuæ alligatur. Tunc domus Christi, id est, Ecclesia [k] impleta est ex ardore unguenti nostræ Vitis præcipuè in passione florentis. Conscissus est saccus corporis Domini Jesu, ceciderunt grana sanguinearum guttarum, quæ adhuc à fidelibus mente colligi possunt, & ab accedentibus ad columnam fideliter ac devotè colliguntur. Preciosissimus thesaurus & incomparabilis guttæ sunt Sanguinis Jesu Christi. Accede huc ô fidelis anima [l] & collige tibi reliquias epularum Sponsi tui Jesu, micas gratissimas & folia rosarum. Nec est morbus animæ, cui his floribus mederi non possis. Collige tantùm folia florum florentis Jesu, stillas Sanguinis rubicundi, & tanquã pillulas (sine quibus esse nolo) in cubiculo cordis tui reconde. Erit tibi illarum sapor & odor in medicinam salubrem, morbos si qui fuerint repellentem venturosquè caventem. Vide tantùm, ne unquam sine illis esse velis quæ verè nomen habent, quodam fideli dicente; *Sine quibus esse nolo.* Hauri ergo toto cordis tui affectu odorem Vitis veræ Jesu Christi Nazareni, & delectare in illo, sicut Pater cælestis in illo delectatus fuit, ut verè dicere potuerit: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus.* Verè pleni, in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi sunt.

§. II.

Porrò agnosce ô homo, [m] quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Cogita ad columnam illum [n] qui totius est orbis sustentamentum, ligatum & flagellatum. In hac flagellatione Christi (o) patientia singularis nobis commendatur, quòd videlicet cùm supra dorsum ejus fabricarent peccatores, tanquam ovis coram tondente non aperuit os suum: non adversùs Patrem murmurans, à quo missus fuerat; non adversùs humanum genus, pro quo quæ non rapuit exolvebat: non denique vel contra populum ipsum peculiarem sibi, à quo pro tantis beneficiis tanta mala recepiebat. Plectuntur aliqui pro peccatis suis, & humiliter sustinent: hoc ipsum tamen eis ad patientientiam reputatur. Flagellantur alij non tam purgandi quàm probandi coronandiquè, & major in eis patientia comprobatur & commendatur. Quomodò non maxima patientia censeatur in Christo? qui in funiculo hæreditatis suæ ab his quibus specialiter advenerat, Salvator crudelissimè flagellatur sicut fur, nullum omninò peccatum nec actu proprio, nec contractu, sed nec in quo crescere posset, habens. Moraliter autem hìc erudimur (p) ut flagella benignissimi Patris Dei nostri discamus æquanimiter tolerare, quia pessimorum flagella pro nobis indignis tam patienter sustinuit dulcis Jesus. Quis enim flagella non sufferret homo in flagella paratus, ad laborem natus, in peccatis nutritus & conversatus, hæreditati cælestis aulæ destinatus, quæ non nisi mundos recipit: cùm videat Regem omnium regum & Dominum dominantium dulcem Jesum, qui peccatum non fecit, & in cujus ore non est dolus inventus, tam gravibus flagellationibus esse contritum? Audi ô homo stulte & insipiens, & erudire: & non solùm refuge, sed etiam apprehende disciplinam, ne fortè quandoque pereas de via justa, Domino tibi irascente, qui proprio Filio suo non pepercit, sed propter te tradidit flagellandum. Non pepercit Filio suo naturali, consubstantiali sibi & coæterno, & impassibili: quia pro salute tua ipsum fecit nasci in tempore & passibilem, ut flagellis eum contereret sicut scriptum est: *Dominus voluit eum conterere in infirmitate.* Et quomodò parcet tibi filio adoptivo, cùm sensus tui proni sint in malum? Quinimo in camo & fræno maxillas tuas constringit, ut saltem vexatio det tibi intellectum, quatenus ad ipsum approximare cogaris: qui licet molestè, salubriter tamen flagellat omnem filium, quem recipit. Illorum quidem est hìc flagella percipere (q) quibus datur de æternitate gaudere: sed qui de percussione murmurat, ad ipsum qui supra ipsum est non appropinquat: imò hæreditatem supernæ felicitatis amittit, si flagellum Dei Patris patienter & cum amore non suscipit. Et si de flagello Domini murmuraverit, certus sit quia murmurantium pœnam incurrit. Vos ergo Fratres dilectissimi nolite murmurare (r) si vobis inesse contigerit disciplinam Domini nostri, neque fatigemini dum ab eo arguimini. *Omnis enim disciplina* (ait Apostolus) *in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mæroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ.* Flagellis Domini pinguendo carnalis voluptatis atteritur, & virtutes animæ roborantur: & lasciva caro restringitur, & anima pennis virtutum ad cælestia sublevatur. Caro quod superfluum habebat amittit, & spiritus virtutes quas non habebat acquirit. Sic ergo per flagella Domini virtutes augentur, vitia resecantur, spernuntur terrena, amantur cælestia. Nos autem æternitatis præmia præstolantes, si nobis aliqua gravis infirmitas vel tentatio fortis vel etiam damnũ temporalium rerum irrepserit, ex omnibus his vires sumere debemus, quia crescente pugna gloriosiorem non ambigemus nobis manere victoriam. In hoc namque ostendimus quanta ad Deum cupiditate flagramus, si non solùm ad eum per tranquilla & mollia, sed etiam per aspera & dura transimus. Ad æterna gaudia jam redire non possumus, nisi per temporalia detrimenta: & ideò spe manentis lætitiæ, omnia adversa prosperitatem non modicam debemus reputare. Peccata quippe nostra (s) Divina severitas nequaquam inulta remanere permittit, sed ira sui judicij inchoat à nostra hìc correctione, ut in reproborum damnatione conquiescat. Interiùs enim est medicus, & peccatorum in nobis contagia, quæ inesse medullitùs reprobat, secat, abscinditquè vulnus putredinis ferro tribulationis. Et hoc est quod Veritas ait: *Omnem palmitem in me facientem fructum, Deus Pater purgabit eum, ut fructum plùs afferat.* Nam dum mens posita in tentatione considerat quòd à virtutis suæ pristina soliditate repellitur, tunc solicita trepidat, ne hoc quod dudum esse cæperat, funditùs amittat. Tunc qualiter resistere tentationi possit, inquirit: & qualiter eam debellare jam valeat, elaborat. Tunc arripit gladium orationis, fletum compunctionis,

Z 2 & sic

k *Ibidem cap. 43. n. 161.* l *Ibidem n. 162.* m *Ser. 3. in Nativit. Dom. n. 4.* n *Form. honestæ vitæ n. 3. tom. 6 pag. 1025.* o *Ser. 4. hebd. San. n. 2.* p *Tract. de vite myst. cap. 40.*

q *Ser. 10. in ultim. Cæna n. 79.* r *Ibidem num. 80.* s *Ibidem. num. 81.*

& sic eam debilitat, & de ea gloriosè triumphat non ipsa, sed gratia Christi per ipsam: & ita fit ut mens, quæ pigra & infæcunda in prosperitate jacebat, fortior & uberior ad fructificandum assurgat. Deus justissimo judicio suo quibusdam hîc miseretur (t) non misserturus in futuro: quosdam autem flagellat tanquam iratus, ut ipsius ira & flagella afflictis in gloriam convertantur. Dimittit illos secundùm desideria cordis ipsorũ, ut eant in adinventionibus suis: ut iniquitatem inquitati apponant: ut qui in sordibus sunt, plùs sordescant. Quod si à Deo corrigantur (u) neque mundantur, neque emendantur, sed est emundatio eis suæ destructionis occasio, juxta illud: *Destruxisti eos ab emundatione.* Isti inter flagella Dei murmurant & blasphemant, & pœnis præsentibus pœnas gehennales accumulant. Sancti verò Domini inter flagella, & flagella ipsius diligunt propter Deum, & gratias agunt Deo de judiciis ejus, se accusantes & cum Propheta dicentes: *Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero judicio fecisti. Quia peccavimus tibi*: sed da gloriam nomini tuo. Talibus convenit illud Propheticum: *Exultaverunt filij Judæ propter judicia tua Domine.* Sunt qui non solùm judicia Dei sustinent patienter, sed ipsi seipsos judicant, & manum adjuvant flagellantis: accusant se, testificantur contra se, seipsos judicant, & propriæ sunt executores sententiæ.

§. III.

Dominus loquitur in Apocalipsi (x) dicens: *Ego quos amo, arguo & castigo.* Tribus modis Deus in hac vita castigat homines. *Primò* ad damnationem percutit reprobos. *Secundò* ad purgationem corripit quos videt errare electos. *Tertiò* castigat justos ad augendam gloriam meritorum. Deus percussit Ægyptum multis plagis ad damnationem. Flagellatus est pauper Lazarus ad purgationem: flagellatus est etiam Job ad probationem. Flagellat etiam hominem ante peccatum, ne malus fiat: sicut flagellavit Paulũ, qui instigante angelo satanæ tolerabat stimulos carnis. Flagellatur etiam homo à Deo post peccatum, ut emendetur: sicut ille qui traditus est satanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus saluus esset. Qui valentiores sunt & sani, utile est eis infirmari, ne per vigorem sanitatis plùs lætentur in transitoriis & terrenis rebus quàm debent. Mala est sanitas carnis, quæ hominem deducit ad infirmitatem animæ. Et valdè est bona infirmitas carnis, quæ perducit hominem ad sanitatem animæ. Infirmitatem carnis laudat Apostolus dicens: *Cùm enim infirmor, tunc fortior sum*, scilicet spiritu. In flagellis Dei non debet murmurare homo: quia per hoc quòd castigatur, à peccato emendatur. Leviùs sustinebimus infirmitates corporis, si ad memoriam reduxerimus mala quæ fecimus. In infirmitate non debet homo murmurare. Quare? Quia ab illo judicatur, cujus judicia semper sunt justa. Qui infirmitatem patitur, & contra Deum murmurat, justitiam judicantis accusat, ac iram Dei adversùm se provocat. Non potest non esse justum, quod justo placet Judici. Quem enim diligit Deus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit, & quasi pater in filio complacet sibi. In hac vita Deus parcit peccatoribus, & non parcit justis. In futura vita parcet justis, & non parcet peccatoribus. Qui in hac vita flagellari non meretur, in inferno torquebitur. Vides quia tunc magis irascitur Deus peccatoribus (y) cùm non irascitur. *Misereamur impio*, inquit, *& non discet facere justitiam.* Misericordiam hanc ego nolo. Super omnem iram miseratio ista, sepiens mihi vias justitiæ. Satiùs profectò mihi juxta Prophetæ consilium apprehendere disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & paream de via justa. Volo irascaris mihi Pater misericordiarum, sed illâ irâ, quâ corrigis devium, non quâ extrudis de via. Illud tua nobis benigna animadversio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Non enim cùm nescio, sed cùm sentio te iratum, tunc maximè confido propitium: etenim cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. *Deus* (inquit Propheta) *tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum.* Moysem loquitur & Aaron atque Samuëlem, quos modò præmiserat: & hoc vocat propitiationem, quòd eorum Deus non pepercit excessibus. Porrò si quid amaritudinis sentio in voce ejus (z) non sine dulcedine est, quoniam cùm iratus fuerit, misericordiæ recordabitur: imò verò & ipsa indignatio non aliunde quàm de misericordia est. Quos enim amat, arguit & castigat, & flagellat omnem filium quem recipit, visitans in virga iniquitates ejus, & in verberibus peccata ipsius: misericordiam autem suam non dispergit ab eo. Propterea qui prudentes sunt, non operiunt vulnera sua sed detegunt, & confitentur Domino quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus: & sic vinum reprehensionis infundit, ut non desit oleum consolationis. Unde (a) dicit Dominus. *Ego quos amo, arguo & castigo.* Si autem te zelus deseruit & amor, non eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris. Semper Deus hos castigat (b) quos ad salutem præparat perpetuam. Proinde in infirmitatibus tuis non contristeris, sed in languoribus tuis gratias age Deo. Valere te magis opta animo, quàm corpore. Semper desidera plùs valere mente, quàm carne. Adversa carnis remedia sunt animi. Ægritudo carnem vulnerat, mentem curat. Languor enim vitia excoquit, languor vires libidinis frangit. Probari te in dolore cognosce, ut non frangaris. In fornace probatur aurum, ut sordibus careat: tribulationibus camino purgaris, ut purior appareas: persecutionis igne conflaris, ut omni peccatorum sorde purgeris: ad probationem sunt omnia ista quæ sustines. Igitur in infirmitatibus tuis non murmures, non blasphemes. Non dicas: Quare sustineo mala? Non dicas: Cur affligor? ut quid mala patior? Sed te accusa: [c] Peccavi: ut eram dignus non recepi, æqualem vindictam peccati mei non sentio: minùs me sentio percussum quàm mereor: juxta modum meriti minor est tribulatio ultionis: secundùm meritum peccatorum meorum dispar est causa pœnarum: non sunt tanta supplicia, quanta extiterunt peccata. Porrò si vis à peccatis tuis purgari, in pœna te accusa, &

t *Lib. 3. de amore Dei cap. 29. n. 96.* u *Ibidem n. 97.* x *Tract. de modo bene viven. cap. 43. num. 106.*

y *Ser. 42. in Cant. n. 4.* z *Ser. 5. diver. n. 4.* a *Ser. 42. in Cant. num. 4.* b *Tract. de modo bene viven. cap. 43. num. 106. & 107.* c *Ibidem. 108.*

& Dei justitiam lauda. Ad purgationem tuam sufficit, si ea quæ pateris ad justitiam Dei retuleris, si pro irrogata infirmitate tu humilis Deum glorificaveris. Corripit enim te Deus flagello piæ castigationis, exercet in te disciplinam. Et qui parcendo te à se abiiciebat, feriendo clamat ut redeas. Denique cogita quoslibet mundi cruciatus, intende animo quascunque mundi pœnas, quoscunque tormentorum dolores, quascunque dolorum acerbitates: compara hoc totum gehennæ, & leve erit quod pateris. Si times, pœnas inferni time. Istæ enim pœnæ temporales sunt, illæ æternæ: In istis pœnis moriendo tormenta receduntin illis moriendo æternus dolor succedit, Si enim conversus fueris homo, emendatio est quod pateris. Converso instantes plagæ ad purgationem proficiunt. Qui enim hîc castigatus corrigitur, illic liberatur. Qui verò nec sub flagello corriguntur, isti & tẽporali pœnaret æterna damnantur: & in hoc priùs judicantur seculo, & illic denuò in futuro. His duplex est pœna & damnatio, gemina his percussio est: quia & hîc habent judicia tormentorum, & illic supplementum pœnarum. Propterea consultiùs est hîc poniri (d) hîc uri, hîc nos accusando & judicando torqueri, quàm incidere in manus Dei viventis, & in die tremenda damnationis æternæ supplicium à terribili & inexorabili Iudice expectare.

CAPUT VIII.

De coronatione Christi, quem coronâ spineâ coronarunt Judæi ad illudendum.

1. *Ostenditur, coronam spineam adeò validè impressam fuisse Capiti Jesu, ut non guttæ sed rivi sanguinei inde profluxerint in collum & faciem ejus.* 2. *Monemur imitari Iesum spinis coronatum, veste irrisoria indutum, ac irrisoriè adoratum & salutatum. Excitamur, ut ejus exemplo sustineamus contumelias & convitia malignantium, tacendo & dissimulando.* 3. *Ostenditur, Caput Iesu ideo coronatum esse spinis & punctum, ut nos videntes illud vepribus punctum compungamur ad lachrymas. Docemur quibus modis compungatur cor hominis justi, & quisnam sit effectus compunctionis & lachrymarum.*

§. I.

Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: & exuentes eum, chlamidem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Matt. 27.

E*Gredimini filiæ Sion* (a) *& videte Regem Salamonem in diademate, quo coronavit eum mater sua*, in corona paupertatis, in corona miseriæ: siquidem coronatus est & à noverca sua coronâ spineâ, coronâ miseriæ. Synagogam loquor [b] quæ se Christo Iesu non matrem exhibuit, sed novercam? Populus namque Judæorum [c] qui spinosus detractione, hispidus superstitione, aridus fuit unctione Divinæ gratiæ: spineam coronam Regi suo exhibuit, & in eum sicut ignis in spinis exarsit. Occurrat itaque spiritualiter [d] & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus proditus & venditus à discipulo, à Judæis tanquam vile mancipium precio satis exiguo comparatus, captus & ligatus tanquam homo sine adiutorio: puncto etiam vepribus capite. Interim namque non sicut est (e) sed sicut pro nobis factum est Caput nostrum (*Christus*) nobis repræsentatur non coronatum gloriâ, sed peccatorum nostrorum circumdadum spinis, dicente Scriptura: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salamonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.* O Regem! O diadema! Mater siquidem Synagoga non matrem sanè se exhibens sed novercam, Regem nostrum coronâ spineâ coronavit. Agnosce ô homo (f) quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Ipsa namque ejus corona (g) cruciatus est illi, & mille puncturis speciosum caput ejus diuulnerat. Vinculum fuit corona illa spinea (h) quæ cum magna amaritudine illud caput amabile complectens, multorum aculeorum in illo signa reliquit: sanguineas quoque guttas elicuit, & in faciem venerabilem transmisit, vix adhuc de sputis Iudaicis exsiccatam. Siquidem corona spinea (i) non leviter imposita fuit, sed validè impressa capiti dulcissimi Capitis mei dulcis Iesu. Satis enim consentit veritati: ut qui oderant Veritatem, non solùm opprobrium illius sed supplicium requirant. Nec hîc puto quidem rivos Sanguinis defuisse, qui à capite irrisoriè & invidè coronati defluerent in collum simul & in faciem dulcis Jesu: quia si noluissent coronato pœnam simul cum irrisionibus irrogare, faciliùs de aliis ramis vel virgultis arboris alicujus poterant plexisse coronam: sed ut morum suorum aculeos demonstrarent, spinarum aculeis coronaverunt Agnum mitissimum, dulcem Jesum. O Rex gloriæ (K) Domine Jesu Christe, corona omnium te confitentium, te sequentium, pugnantium pro te, viventium pro te, manentium in te, quis te tam amaro vinculo confusionis addixit? Ecce operit confusio caput tuum, & faciem tuam amabilem: ingeritur tibi à generatione prava & amaricante honor derisionis in corona, sed spinarum aculeis contendunt in te dolor & confusio. Nescio in utro magis puniaris. Corona derisionem, spinæ ingerunt punctionem. O Vitis dulcissima, bone Jesu (l) hunccine fructum reddidit sibi vinea tua, quam de Ægypto transtulisti? Expectaveras patienter usque ad hunc diem nuptiarum tuarum, ut faceret uvas, fecit autem spinas. Spinis enim coronavit te, & spinis peccatorum suorum circumdedit te, Ecce in quantam amaritudinem conversa est vitis non jam tua, sed aliena. Vide Jesum ô felix anima [m] in diademate quo coronavit eum mater ejus, Synagoga videlicet plebs Judæorum. Et quidem impia Synagoga (n) hunc nobis filium peperit officio quidem matris, sed non

matris

d *Lib.3. de amore Dei cap.29. n.93.* a *Ser.2. in Epiph. n.3.* b *Ser.50. diu. num.1.*

c *Ser. de B. M. Virg. Deip. n.10. tom.6. pag.365.* d *Ser.2. in Cant. Dom. n.7.* e *Ser.5. de omn. SS. n.9.* f *Ser.2. in Nat. Dom. n.4.* g *Ser. de Pass. n.13.* h *Tract. de vite myst. c.4. n.14.* i *Ibid. cap.39.* K *Ibidem c.4. n.14* l *Ibid. c.5. n.24.* m *Ibid. c.4. n.15.* n *Ser.6. in Vig. N. Dom. n.1.*

matris affectu. O mater amara, (o) quid peccavit hic bonus filius tuus, ut vinculis etiam spinarũ vinciatur? Hic est qui solvit compeditos, qui erexit elisos, suscipiens advenas, pupillos viduasquè consolans, & meruit vinculari? Hancne dotem, hæccine munuscula nuptiis illius impendis? Dies enim desponsationis illius, dies ista est dies indignationis & blasphemiæ, dies tribulationis & miseriæ, dies percussionis & doloris, dies vinculorum & mortis, dies desponsationis illius est. Hac arrha, ô fidelis anima, Sponsus tuus speciosus subarrhavit te; & ipse tanquam sponsus hodie coronatus processit. Coronatus inquam non auro, non gemmis, sed spinis: nec defuit purpura vestis irrisoriæ. Chlamydē enim coccineam circumdederunt ei, quamvis ipse vestem corporis sui, Sanguinis sui preciosissimi effusione multò nobiliùs purpuravit. Purpura enim non plùs quàm bis tingitur; ipse verò purpuram corporis sui non solùm bis, sed etiam tertiò sanguineo torrente pertinxit. Ecce Sponsus tuus Jesus, ô sponsa anima, rubricatur in sudore, in flagellatione, in coronatione. Eleva mentis oculos, & vide si tunica Sponsi tui hæc sit, an non? Ecce fera pessima condemnavit filium tuum, fratrem tuum, sponsum tuum. Quis hîc gemitus lachrymasquè contineat? Quis hîc non doleat? Quia si est pium gaudere pio Jesu, ita est pium flere pium Jesum.

§. II.

Et veniebant ad Jesum, & genuflexo ante eum, adorabant, & illudebant ei. Et caperunt salutare eum, dicentes: Ave Rex Judæorum. Joan. 19. Matt. 27. Mar. 15.

Licet in irrisione coronent (p) tamen ignorantes & irridentes coronatum Regem fatentur: quia Regum est coronari. Coronatus ergo Rex esse à nescientibus demonstratur: in spinis verò coronantium malitia aperitur. Moraliter autem docemur imitari Caput nostrum, Regem & Ducem nostrum, dulcem Jesum. Si autem malorum quorumlibet perversitate compungimur & irridemur, cùm Caput nostrum ita compũctum & ita irrisum conspexerimus, non murmuremus, non recalcitremus. Pauca quæ nobis in vita præsenti & brevi inferuntur, cum omni æquanimitate & patientia sufferamus, ut digni simus esse membra Capitis nostri, & boni bellatores simus, sequendo vestigia Signiferi nostri. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi (q) ut his omnibus cõfiguretur & conformetur vita Christiani. Habeamus ergo eorum (r) quæ contemptibilia Christo sunt illata, continuam & indesinentem memoriam; non utique ociosam, non tepidam, non torpentem; sed compassionis ardore super omnia plurimùm delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem. Imitemur quoad possumus (s) eum qui imposita sibi ab aliis patienter audivit, qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tãta sustinuit opprobria. Non interroges ô homo, [t] ea quæ pateris, sed quę passus est Christus. Quid fles [u] quid suspiras ô homo, dum sustines verborum iniurias? Non audis quanta adversus Dominum Deum tuum ceciderunt opprobria propter te? Disce à Christo modestiam [x] disce tolerantiam: Christum attende, & non dolebis de iniuriis. Pro nobis namque passus reliquit nobis exemplum, Hoc autem exemplum [y] ideo ingerit oculis nostris ea quæ pertulit Christus, ut crebrò considerantes quanta sustinuit illa Majestas pro inutilibus servis, erubescamus non sustinere vel parva pro nobis. Palmis percussus (z) flagellis cæsus, sputis derisus, spinis coronatus, semper conticuit. Quando enim aliquis tibi conviciatur, propter pecata tua contingit tibi: quando tibi iniuriatur, mala tua hoc faciunt: quidquid tibi contingat adversum, pro tuo evenit peccato. Leviùs sustinebis, si pro quibus tibi infertur, intenderis. Cùm autem derogatur tibi, tu ora: quando aliquis maledicit tibi, tu benedic ei. Benedic ei, qui maledixerit tibi; maledicenti tibi, benedictionem appone: irascentem patientiâ delini, blandimento iracundiam furentis dissolve, lenitate vince nequitiam, bonitate malitiam. Tuo bono supera mala aliorum: tua tranquilla mente aliorum contumelias disperde. Ad bona & mala præpara cor tuum, & bona & mala prout tibi evenerint, porta, Sustine adversa & prospera, ut quæcunque occurrerint tibi, quæcunque evenerint tibi, mente placida sustineas. Respue probra illatæ contumeliæ, despiciendo supera irrisionum probra, dissimulando contemne errores detrahentium. Et quamvis te quisq; irritet (a) quamvis te incitet, quamvis exasperet, quamvis insultet, quamvis convincietur, quamvis criminetur, quamvis ad litem provocet, quamvis ad jurgium vocet, quamvis convicium dicat, quamvis iniuriam faciat, quamvis afficiat contumeliis; tu sile, tu tace, tu dissimula, tu contemne, tu non loquaris, tu tene silentium, iniuriam non respondeas, mala verba non dicas, convicium non retorqueas, contumeliam non respondeas. Tene silentii pacem; tacendo citiùs vinces. O sponsa Christi, audi quid ipse de te dicat: (b) *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Tractabile & lene est lilium, pungentes & duræ sunt spinæ. Non perdit lilium suam lenitatem, licet perferat spinarum asperitatem. O quàm malæ filiæ per communionem fidei, spinæ per amaritudinem morum! Tu ergo si vis esse lilium verum, si vis à Sponso dulcissimo collaudari, esto lilium inter filias, inter illas animas quæ ejusdem fidei, ejusdem professionis tecum sunt. Sed si morum amaritudine & verborum asperitate te pungunt: esto inter tales mitis & tractabilis, non exasperis ad quodlibet verbum, sed habe sustinentiam, ut merearis & tu audire; *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* O candens lilium [c] ô tener & delicate flos, increduli & subversores sunt tecum, vide quomodo cautè ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis. In terra sunt, in aëre sunt, in carne tua sunt. Versari in his, & minimè lædi, divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. *Sed confidite* (inquit Dominus) *quia ego vici mundum.* Et si igitur undique tibi intendi prospicias tribulationum tanquam tribulorum aculeos, non turbetur cor tuum neque

o *Tract. de vite myst. cap.* 4. *nu.* 15. p *Ibidem cap.* 39. q *Ser.* 2. *in Cœna Dom. num.* 6. r *Ibidem num.* 9. s *Serm.* 4. *de Adu. Dom. num.* 7. t *Serm.* 1. *in Epiph. Dom. num.* 2. u *Serm. de Pass. Dom. num.* 6.

x *Tract. de modo bene viven. cap.* 42. *n.* 104. y *Ser.* 6. *super Psalm.* 90. *n.* 2. z *Tract. de modo bene viven. cap.* 42. *nu.* 104. a *Ibidem nu.* 105. b *Tract. de vite myst. cap.* 19. *nu.* 71. c *Serm.* 45. *in Cant. nu.* 2.

neque formidet, sciens quia tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Considera lilia agri, quomodò inter spinas vigent & nitent. Si fœnum quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic custodit, quantò magis amicam & sponsam suam charissimam? Denique custodit Dominus omnes diligentes se. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Non mediocris titulus profectò virtutis inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ servare candorem, & morum lenitatem: magis autem si his qui oderunt pacem, pacificum & amicum ipsis te exhibeas inimicis. Id planè tibi similitudinem datam de lilio jure quodam proprietatis specialiter vendicabit, quod ipsas utique pungentes se spinas candore proprio illustrare & venustare non cessat. An non proinde lilium tibi videtur, implere quodammodò Evangelii perfectionem, quâ orare jubemur pro calumniantibus & persequentibus nos, benefacere his qui oderunt nos? Ergo & tu fac similiter, & erit anima tua amica Domini, & laudabit te de te dicens: *Quia sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Nec tamen hæc dicimus [d] ut tacitè transeat omnium perversitas, & ut non corripiantur inquieti, vel ut tumidi non comprimantur: imò qui ejusmodi sunt, reprehendendi veniunt, ut ne amittatur tractabilitas tuæ radicis, qui vis esse lilium. Sed secundùm Apostolum argue, obsecra, increpa, insta opportunè, importunè, in omni mansuetudine & patientia. Quasi dicat: Ita foris exerce zelum disciplinæ, ut lenitatem non perdas interiùs in mente, ut revocando perversum tu ipse quoque non pervertaris. Sunt autem quandoque malorum vitia arguenda, quandoque tacitè sufferenda, secundùm quod uniuscujusque qui talis est, utilitati videris expedire: quia non omnes ægroti uno genere medicinæ curantur.

§. III.

Et exspuentes in Jesum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus arundine: & dabant ei alapas. Matt. 27. Mar. 15. Jo. 19.

Cognosce anima mea [e] cognosce: Hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, unigeniti Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce omnis ei interim purpura [f] non tam honoris est, quàm irrisionis. Sceptrum in manu gestat [g] sed eo ipso Caput ejus reverendum feritur. Adorant coram ipso positis in terra genibus, & Regem clamant: & continuò sputis amabiles ejus genas sublinunt: maxillam palmis & honorabile collum exhonorant. Occurrat itaque spiritualiter [h] & ingerat seipsum Dominus Christus, vellicatis genis, facie sputis illita, puncto vepribus capite. Equidem utrisque adest Caput unum Christus [i] *scilicet viatoribus & comprehensoribus*: sed non uno modo membris omnibus exhibetur. Quibusdam enim gloriosum apparet, ut ab ipso glorificentur, & in ipso glorientur facta ei similia, quem vident sicuti est. Quibusdam ostenditur Caput hirsutum spinis, inclinatum in cruce, ut humilientur pariter & compungantur. Unde unus eorum [k] ait: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*. Benè confixus, qui conversus exinde est. Benè pungeris, si compungeris. Multi cùm sentiunt pœnam, corrigunt culpam. Et talis dicere potest: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*. Spina culpa est, spina pœna est. Videant ergo [l] peccatores Christum in corona miseriæ, idest spinea, & compungantur. Compunctio cordis est humilitas mentis, [m] veniens de recordatione peccati, & de timore judicii. Illa compunctio est perfecta, quæ repellit à se omnem delectationem carnalium rerum, & toto studio mentis figit intentionem suam in contemplatione Dei. Duplicem esse compunctionem legimus, unam scilicet, quâ propter Deum anima cujusque servi Dei afficitur, idest, cùm ad memoriam reducit mala quæ fecit: alteram verò, cùm suspirat propter desiderium æternæ vitæ. Exigit planctum à nobis [n] pœnitentia præteritæ conversationis: exigit fletum desiderium futuræ beatitudinis. *Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte* (ait Propheta) *cùm dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Parum ei placet hujus vitæ novitas, quâ necdum vetera plangit, necdum plangit admissa peccata, necdum plangit tempus amissum. Si non plangis, planè non sentis animæ vulnera, conscientiæ læsionem. Sed nec futura satis gaudia concupiscis, si non quotidie satis postulas ea cum lachrymis: minùs tibi nota sunt, si non renuit consolari anima tua, donec veniant. Denique quatuor modis compungitur [o] mens justi hominis; nempè memoriâ peccatorum: recordatione futurarum pœnarum: consideratione peregritationis hujus vitæ: desiderio supernæ patriæ, quatenus ad eam possit citò pervenire. Omnis peccator tunc se cognoscit visitari à Domino, quando compungitur ad lachrymas. Nam & Petrus tunc flevit, quando in eum Christus respexit, sicut scriptum est: *Et conversus Dominus respexit Petrum: qui statim egressus foras, flevit amarè*. Unde etiam Psalmista dicit: *Respexit terram, & commota est & contremuit terra*. Tunc terra contremiscit, quando peccator ad lachrymas cōmovetur. Admoneo te igitur ô homo, ut in oratione cum lachrymis ad memoriam reducas peccata tua: quia qui non habet cordis compunctionem vel contritionem, non habet mundam orationem. Audi exempla Sanctorum, qui propter compunctionem & lachrymas apud Deum obtinuerunt veniam peccatorum suorum. *Anna* mater Samuëlis per compunctionem & lachrymas meruit habere filium: insuper obtinuit apud Deum prophetiæ donum. *David* per compunctionem & lachrymas obtinuit veniam perpetrati homicidii atq; adulterii. Sic enim audivit per Prophetam: *Non morieris, quia Dominus transtulit peccatum tuum*. Pater *Tobias* per compunctionem & lachrymas meruit accipere curationem cæcitatis, & consolationem paupertatis. Sic enim dixit ei Raphaël Angelus: *Gaudium tibi semper sit*. Et adiecit: *Forti ani-*

d *Tract. de vita myst. cap. 19. nu. 79.* e *Ser. de Paß. Dom. nu. 15.* f *Serm. 5. de omn. Sanc. num. 9.* g *Serm. de Paß. Dom. num. 3.* h *Serm. 2. in Cœna Dom. nu. 7.* i *Ser. 5. de omn. Sanct. nu. 1.* k *Serm. 48. in Cant. nu. 1.* l *Serm. 50. divers. nu. 1.* m *Tract. de modo bene viven. cap. 10. num. 28.* n *Serm. 2. in Quadrag. nu. 4.* o *Tract. de modo bene viven. cap. 10. nu. 28.*

animo esto, in proximo est ut à Deo cureris. Etiam Maria *Magdalena* per compunctionem & lachrymas meruit à Domino audire: *Remittuntur tibi peccata tua*. Ideo autem exempla Sanctorum proposui tibi, ut lachrymæ per compunctionem suaves sint tibi. Bona compunctio [p] thesaurus est desiderabilis, & inenarrabile gaudium in mente hominis. Anima quæ in oratione habet compunctionem, proficit ad salutem. Vir fortis non est minùs laudandus in luctu, quàm in bello. Quia ergo post Baptismum inquinavimus vitam, baptizemus lachrymis conscientiam nostram. Ubi lachrymæ fuerint, ibi accenditur spiritualis ignis, qui illuminat secreta mentis. Lachrymæ pænitentium pro baptismate reputantur apud Deum. Si compunctionem secundùm Deum habueris, beatus eris. Compunctio cordis, sanitas est animæ. Compunctio mentis, illuminatio est animæ: quia tunc anima illuminatur, quando ad lachrymas compungitur. Compunctio lachrymarum, remissio est peccatorum: quia tunc peccata dimittuntur, quando cum lachrymis ad memoriam reducuntur. Compunctio Spiritum Sanctum reducit ad se: quia cùm à Spiritu Sancto mens visitatur, statim homo peccata sua plorat. Initium revertendi ad Deum [q] pœnitentia est, quam sine dubio Spiritus operatur non noster, sed Dei: idquè & certa ratio docet, & confirmat auctoritas. Quis enim cùm ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne venisse calorem, quem habere non poterat sine illo? Sic ergo qui priùs in iniquitate erat frigidus, si postmodùm fervore quodam pœnitentiæ accendatur, alium sibi Spiritum, qui suum arguit & dijudicat, non dubitet advenisse. Habes hoc & in Evangelio, ubi cùm Christus loqueretur de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum: *Ille*, inquit, *arguet mundum de peccato*.

CAPUT IX.

De spectaculo Christi, facto Judæis à Pilato extra prætorium.

1. *Ostenditur, Christum ideo voluisse coronari spinis, & indui veste irrisoria, ut fugiamus gloriam mundi, & luxum vestimentorum*. 2. *Ostenditur insipientia Judæorum & Pilati, qui Christum non Deum, sed purum hominem esse putabant: nec non prudentia Ecclesiæ, quæ eundem Christum catholicè credit Deum esse & hominem: qui præter oracula Prophetarum & paternam vocis testimonium, fidem divinitatis suæ miraculis comprobavit*. 3. *Ostenditur juxta verbum Christi, Pilatum non à Judæis, sed desuper datam sibi habuisse potestatem crucifigendi Jesum. Quod autem diabolus habeat potestatem & in homines, probatur triplici argumento*.

§. I.

Exivit iterùm Pilatus foras. Exivit & Jesus portans coronam spineam & purpureum vestimentum. Et dicit Judæis Pilatus: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam: Joan. 19.

EXpergiscere nunc anima Christiana [a] excutere de pulvere, & contemplare virum hunc memorabilem, quem in speculo Evangelici sermonis quasi præsentem intueris. Attende anima mea quis est iste, qui ingreditur habens imaginem quasi Regis, & nihilominùs servi despectissimi confusione repletus & coronatus incedit: sed ipsa etiam ejus corona cruciatus est illi, & mille puncturis speciosum Caput ejus divulnerat. Regali purpura induitur, sed potiùs in ea despicitur quàm honoretur. Spinarum punctionibus Caput ejus undique cruentatur [b] & in ludibrium ipsius virga manui ejus inseritur: coccineaquè chlamyde amictus, tanquam infatuatus irridetur. Pudeat ergo sectari gloriam membra [c] quibus Caput suum tam inglorium exhibetur, non habens speciem aut decorem, vel aliquid ejusmodi. Imitemur nostrum Jesum (d) qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tanta sustinuit. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi (e) ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Qui enim tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Pudeat sub spinato Capite (f) membrum fieri delicatum, quòd omnis ei interim purpura non tam honoris sit, quàm irrisionis. Unde & ipse Dominus noster Jesus Christus (g) dicit in Evangelio: *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*. Mollia dicuntur vestimenta, quia mollem faciunt animum. Mollibus vestimentis delectatur Regis curia: asperis verò & humilibus delectatur Christi Ecclesia. Talia debent esse vestimenta servorum Dei, in quibus nihil possit notari novitatis, nihil superfluitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad superbiam & ad vanam gloriam. Superbia habitûs est (h) quando homo ut gloriosus videatur, preciosis se ornat vestibus. Unde Paulus ait: *Non in veste preciosa*. Et Dominus: *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*: ubi superbia abundat. Vestes autem nostræ (i) virtutes sunt. Bona vestis charitas, bona vestis obedientia est. Beatus qui custodit vestimenta hæc, ut non ambulet nudus. Non facit ornatum Clericum tenera vestis (k) sed munditia mentis. Ergo ornemus nosmetipsos spiritualibus ornamentis, scilicet charitate, humilitate & mansuetudine, obedientiâ & patientiâ. Hæc sunt vestimenta quibus placere poterimus Jesu Christo, celesti Sponso. Christus invisibilis Sponsus non requirit pulchritudinem foris, sed intùs, sicut scriptum est in Psalmo: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*. Studeamus placere Christo non preciosis vestibus, sed bonis moribus: non pulchritudine carnis, sed pulchritudine mentis. Studeamus placere illi non facie, sed corde. Vestimenta nostra & calceamenta nec nimiùm sint preciosa, nec multùm vilia, sed ex moderato & competenti habitu. Sic enim ait Beatus Augustinus de semetipso: *Fateor, de preciosa veste erubesco*. Et iterum: *Non decet hanc professionem*, non

p *Ibidem n.* 19. q *Ser.* 1. *in die Pent. nu.* 3.

a *Ser. de Pass. Dom. nu.* 13. b *Tract. de* 3. *precip. myst. cap.* 6. *num.* 13. c *Serm.* 5. *de omn. Sanct. num.* 9. d *Ser.* 4. *de Advent. Dom. nu.* 7. e *Ser.* 2. *in Cœna Dom. nu.* 6. f *Ser.* 5. *de omn. Sanct. nu.* 9. g *Tract. de modo bene viven. cap.* 9. *nu.* 25. h *Ser.* 17. *de* [illegible] i *Ser.* 2. *in Quadrag. n.* 6. k *Tract. de modo bene viven cap.* 9. *n.* 25.

non decet hanc admonitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos. Proinde professionem nostram (l) habitu & incessu demonstremus: sit in gressu nostro simplicitas, sit in incessu honestas. Nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil levitatis in incessu nostro appareat. Animus enim in corporis gestu apparet: gestus corporis signum est mentis: corporis gestu animus proditur. Ergo incessus noster non habeat imaginem levitatis: incessus noster non habeat imaginem levitatis: incessus noster non offendat oculos alterius. Non præbeamus de nobis spectaculum: non demus aliis locum de nobis obtrectandi. Ideò autem hoc dixi, ut plùs gaudeamus intùs in anima de sanctis virtutibus, quàm foris in corpore de preciosis vestibus. Unde dicit Beatus Gregorius: Nemo vestimenta preciosa quærit, nisi ad inanem gloriam: videlicet, ut inde laudetur, & ut honorabilior cæteris appareat. Nemo vult preciosis vestibus indui, nisi ut ab aliis possit videri. Ergo pro sola vana gloria vestimentum preciosum quæritur. In hoc cognoscimur (m) quòd sæculum diligimus, quia preciosa vestimenta amamus. Qui sęculum non diligit, preciosa vestimenta non quærit. Quando homo gaudet de pulchritudine corporis, mens ejus elongatur ab amore Creatoris. Quantò ampliùs in compositione corporis lætamur, tantò magis à superno amore disiungimur. Quantò plùs in terrenis & transitoriis rebus gaudemus, tantò minùs cælestia desideramus. Ex cordis thesauro sine dubio procedit (n) quidquid foris apparet vitiosum. Vanum cor, vanitatis notam ingerit corpori: & exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta animi mollitiem indicant. Non tantò curaretur corporis cultus, nisi priùs neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Porrò in lepra vestis (o) omnem sæculi hujus pomposam intellige vanitatem. Sed ab illa nihilominùs mundaberis, ubi intueris Christum Dominum vilibus pannis involutum, factum opprobrium hominum, & abiectionem plebis. A lepra quoque corporis mundamur, si benè cogitantes Dominicam Passionem, erubescimus sequi corporis voluptatem. Ubi enim ille mulctatur morte (p) turpatur cruce: quis Christianorum delicias seu gloriam sustinere queat, nedum audeat quærere? Flagellatus Christus & sputis illitus, ludibrium factus est irrisoria veste, arundineo sceptro, coronâ spineâ: & hæc intuens qui dicitur Christianus, propriis nihilominus voluptatibus indulgere & florere in sæculo nullatenùs erubescit?

§. II.

Iterùm dicit eis Pilatus: Ecce Homo. Cùm ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos & crucifigite: ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Judæi: Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Joan. 19.

Judæi non immemores odii (q) quo oderant Patrem, exercent illud in Filium. Unde & ipse ait: *Quia oderunt me, & Patrem meum.* O grossum vipereumquè affectum (r) odire hominem qui hominum & corpora sanat, & animas salvat. Judas panem intinctum accepit (s) quia Dominum Jesum tantùm hominem & non Deum putavit. Hunc Judæi qui per Judam significantur, panem intinctum comedunt, quia Christum Jesum non Deum, sed purum hominem fuisse credunt. Non cognovit Synagoga (t) quæ nigredinem illi passionis & infirmitatis improperans: *Alios (ait) salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Sed cognovit Centurio, qui Filium Dei clamat. Cognoscit Ecclesia, quæ & æmulatur nigredinem, ut decorem participet. Sicut Mediator noster duas naturas, (u) Humanitatem videlicet & Divinitatem coniunxit in una persona: ita singula ejus opera ad hanc, sive illam necesse est pertinere naturam. Ad hanc siquidem miseria, sed ad illam pertinet potentia. Quidquid miseriæ passus est, ex homine contraxit: quidquid potenter operatus est, à Patre habuit. Apparuit humanitas ejus in nostrę infirmitatis susceptione (x) Divinitas in miraculorum exhibitione: in dæmoniorum oppressione potestas, in peccatorum susceptione benignitas. Humanitatis namque fuit, quòd esuriit: Divinitatis, quòd de quinque panibus quinque millia hominum satiavit. Humanitatis fuit, quòd in mari dormivit: Divinitatis, quòd mari & fluctibus imperavit. Humanitatis fuit, quòd mortem sustinuit: Divinitatis, quòd mortuos suscitavit. Item potestatis fuit, quòd Pharisæos de templo ejecit: benignitatis, quòd in convivium publicanos & peccatores suscepit. Potestatis fuit, quòd dæmones terruit: benignitatis, quòd adulteram absolvit. Postremò potestatis fuit, quòd volentes eum capere prostravit: benignitatis, quòd abscissam sui persecutoris auriculam loco simul & sanitati restituit. Considerate denique quid sit Deus (y) & videte quid sit quòd deposuerit tantam Majestatem, quòd exinaniverit tantam potestatem, quòd infirmaverit tantam virtutem, quòd tantam altitudinem humiliaverit, quòd tantam sapientiam infatuaverit. Numquid hominis justitia? Absit. Omnes enim declinaverunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum. Quid ergo? Num aliqua ejus egestas? Minimè. Ejus enim est orbis terræ, & plenitudo ejus. An fortè nostri in aliquo eguit? Nequaquam. Deus quippe meus est, bonorum meorum non eget. Quid ergo? Verè Domine non mea justitia fuit, sed tua misericordia: non tua egestas, sed mea necessitas. Dixisti enim: *Misericordia ædificabitur in Cælis.* Ita, planè: quia miseria abundabat in terris. Ideo misericordiam cantabo tibi Domine. Misericordiæ namque fuit, quòd infirmitates nostras factus homo in se suscepit: misericordiæ, quòd fidem Divinitatis suæ miraculis confirmavit. Misericordiæ nihilominùs fuit, quòd dæmonum nobis calliditates detexit, & evacuavit virtutem. Misericordiæ fuit, quòd meretricis attactum non respuit, sed approbavit de-

l *Ibidem nu.* 26. m *Ibidem num.* 27. n *Apolog. de vit. & mor. Relig. cap.* 10. *num.* 29. o *Serm.* 3. *de Resurrect. Dom. num.* 2. p *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap.* 14. *num.* 49. q *Serm.* 3. *in Circumcis. Dom. num.* 4.

r *Ser.* 60. *in Cant. num.* 4. s *Serm.* 3. *in ultim. Cœna num.* 21 t *Serm.* 28. *in Cant. num.* 10. u *Serm. de verb. sap. num.* 7. *tom.* 6. *pag.* 771. x *Serm. de Advent. Dom. num.* 1. *tom.* 6. *pag.* 600. y *Ibidem num.* 2.

votionem. Itaque quòd se exhibuit in Humanitate humilem, in miraculis potentem, in dæmonum oppressione fortem, in peccatorum susceptione mitem; totum hoc ex misericordiæ fonte processit, totum ex pietatis visceribus emanavit. Unde & ipse Deum se [z] & in ipsis operibus clamat: *Et si mihi*, inquit, *non creditis, operibus credite: et si non facio opera Patris, nolite credere*. Nec sic tamen evigilant Judæi ad intelligendum. Non fuga dæmonum, non obedientia elementorum, non vita mortuorum bestialem hanc & plusquàm bestialem hebetudinem ab eis depellere quivit. De qua non minùs mirabili quàm miserabili cæcitate factum est, ut in illud tam horrendum tamquè enormiter grossum facinus proruerint, Domino majestatis iniicientes manus sacrilegas. O fatuam sponsam Synagogam [a] quæ contemnens Dei justitiam, id est gratiam Sponsi sui, & suam volens constituere, justitiæ Dei non est subiecta. Ob hoc misera repudiata est, & jam non est sponsa, sed Ecclesia cui dicitur; *Desponsavi te mihi in fide. Desponsavi te mihi in judicio & justitia. Desponsavi te mihi in misericordia & miserationibus*. Habet & Judæa quosdam Jesus [b] quorum vacuis gloriatur vocabulis. Illa enim nec lucent, nec pascunt, nec medentur. Idcirco Synagoga in tenebris est usque adhuc, fame & infirmitate laborans. Et non sanabitur nec satiabitur, quousque sciat meum Jesum dominari Jacob & finium terræ, & convertatur ad vesperam: & famem patiatur ut canes, & circumeat Civitatem.

§. III.

Cùm ergo audisset hunc sermonem Pilatus, magis timuit. Et ingressus prætorium, dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris: nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Joan. 19.

Dicebat Dominus [c] capientibus se: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Potestas ista non latuit Apostolum qui dicebat: *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii claritatis suæ*. Hanc ergo Dominus Jesus nec in se quidem negavit diaboli potestatem, sicut nec etiam Pilati, qui membrum erat diaboli. Ait siquidem: *Non haberes potestatem in me ullam, nisi data tibi fuisset desuper*. Quodsi in viride lignum intantùm grassata est ista desuper data potestas, aridum quomodo non audet contingere? Jam quidem diabolo ignis paratus est (d) etsi nondum ille præcipitatus in ignem, modico tamen adhuc tempore sinitur malignari. Tanquam malleus cælestis opificis factus est, malleus universæ terræ. Terit electos ad eorum utilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem. Callidissimo serpenti nullum aliud desiderium (e) nullum studium, nullum negotium, nisi effundere sanguinem animarum. Hic est qui jugiter machinatur malum, qui desideria carnis instigat, qui concupiscentiæ ignem naturalem quodammodò venenatis suggestionibus sufflat, illicitos motus inflammat, peccati occasiones parat, & mille nocendi artibus corda hominum tentare non cessat. Sed quid prodest indicasse pericula (f) si nulla consolatio, nulla adhibeantur remedia? Magnum quidem discrimen est adversùs diabolicæ fraudis astutias tàm crebros, imò continuos habere conflictus: quem nec videre quidem possumus, & quem nimis astutum fecerit tam natura subtilis, quàm longa exercitatio malitiæ ejus. Verumtamen in nobis est si vinci nolumus, & nemo nostrûm in hoc certamine deiicitur invitus. Sub te est ô homo appetitus tuus, & tu dominaberis illi. Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in te est si volueris dare seu negare consensum. In tua facultate est si volueris inimicum tuum facere servum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum. Notandum est (g) quod dicitur: *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne dimiseris*. Nihil quippe adversùs nos malignus spiritus potest, nisi missus aut permissus. Unde cùm ejus sit voluntas semper mala, nunquam potestas est nisi justa. Nam voluntas quidem mala ex seipso sibi inest, potestatem verò non aliundè quàm à Deo habet. Quam tamen potestatem semper moderatur Dominus, ne scilicet ex nequitia voluntatis plùs puniat, quàm eorum exigunt merita qui puniuntur. Ceterùm etsi justam dicimus diaboli potestatem (h) non tamen & voluntatem. Unde non diabolus qui invasit, non homo qui meruit: sed justus Dominus qui exposuit. Non enim à potestate, sed à voluntate justus iniustusvè quis dicitur. Hoc ergo diaboli quoddam in hominem jus, etsi non jure aquisitum sed nequiter usurpatum, justè tamen permissum. Tripliciter autem mihi videntur (i) homines esse sub principe tenebrarum. *Primò* quidem *nec volentes, nec nolentes*, quod convenit his qui necdum habent voluntatis usum: sunt tamen vasa iræ propter originale peccatum, donec alligato forti vasa ejus diripiat fortior, per Sacramentum adveniens, verus utique Moyses qui in aqua venit, nec in aqua solùm, sed in aqua & Sanguine. *Secundo* modo *volentes*, cùm jam voluntariè peccant. Nam & qui voluerunt sui esse (k) utique sicut Dii, scientes bonum & malum: facti sunt non tantùm jam sui, sed & diaboli. Itaque libera voluntas nos facit nostros, mala diaboli, bona Dei. Ad hoc pertinet quod dicitur: *Novit Dominus qui sunt ejus*. Nam illis qui ejus non sunt: *Amen dico vobis*, inquit, *nescio vos*. Dum ergo per malam voluntatem sumus diaboli, quodammodò interim non sumus Dei: sicut cùm per bonam voluntatem efficimur Dei, desinimus jam esse diaboli. *Nemo siquidem potest duobus Dominis servire*. Ceterùm sive Dei simus, sive diaboli: non tamen desinimus esse & nostri. Manet quippe utrobique libertas arbitrii, per quam maneat & causa meriti: quatenus meritò vel puniamur mali, quòd tanquam liberi ex propria voluntate efficimur; vel glorificemur boni, quòd nisi æquè voluntarii esse non possumus.

z *Serm. 60. in Cant. num. 5.* a *Serm. 67. in Cant. num. 11.* b *Serm. 15. in Cant. num. 8.* c *Tract. de error. Abailar. cap. 5. num. 14.* d *Serm. de S. Malach. num. 4.* e *Serm. 5. in Quadrag. num. 2.*

f *Ibidem num. 3.* g *Serm. 84. diver. num. 2.* h *Tract. de error. Abailar. cap. 5. num. 14.* i *Serm. 8. diver. num. 5.* k *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 6. nu. 18.*

mus. Sanè diabolo nostra nos mancipiat voluntas, non ipsius potestas. Deo subiicit ejus gratia, non nostra voluntas. Nostra quippè voluntas bona (quod fatendum est) à bono Deo creata est, perfecta tamen non erit quousque suo Creatori perfectè subiecta sit. *Tertiò* denique modo (l) videntur homines esse sub principe tenebrarum *nolentes*, cùm jam resipiscere vellent, nisi quòd peccati consuetudine miserabiliter obligati, justo Dei judicio qui in sordibus sunt, sordescunt adhuc. In quo tertio statu laborasse videtur prodigus ille filius, & verè prodigus nimis, qui nonmodò dissipârat sua, sed & semetipsum subiecerat miseræ servituti. Infelix venundatus sub peccato, cùm ad se reversus ait: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hìc fame pereo?* Si quis expertus est in semetipso, facilè credo in his verbis animum miserabilem recognoscet. Quis enim peccati consuetudine obligatus non se felicem reputaret, si datum ei esset tanquā unum ex his se esse, quos in sęculo tepidos videt viventes sine crimine, minimè tamen quærentes quæ sursùm sunt sed quæ super terram? *Quanti*, inquit, *mercenarii in domo patris mei abundant panibus?* idest, consolantur in innocentia sua, & fruuntur propriæ conscientiæ bono. *Ego autem hic fame pereo*: id est, insatiabilibus crucior peccatorum desideriis, affectibus vitiorum. Potest tamen intelligi, quòd non fame panis nec siti aquæ, sed fame & siti Divini verbi, quam & Judæę Propheta minatur, & se perhibeat laborare. Et hæc dixerim non quòd ita sit, sed quòd ita sentiat miser humiliatus sub peccato. Neque enim gloriantur conscientiæ testimonio, quorum sæcularis & mercenaria intentio est: sed peccator compunctus reputat sanctissimum quacunque ex causa alterum cùm videat innocentem. *Fac me*, inquit, *sicut unum ex mercenariis tuis*.

CAPUT X.

De sententia mortis, quâ condemnavit Pilatus Jesum ad crucifigendum.

1. *Reprehenduntur Judæi, quòd impiè abnegantes Christum coram Pilato dixerunt*: Non habemus Regem, nisi Cæsarem. *Proinde ostenditur, Christum meritò repudiasse Synagogam Judæorum, Ecclesiam verò Gentium desponsavisse sibi*. 2. *Ostenditur, Judæos similes esse bestiis, eò quòd sicut istæ sitiunt sanguinem humanum ob ejus dulcedinem, sic illi sitiebant Sanguinem Christi ob execrabile odium, cùm dicebant*: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. *Ideò probatur eos esse homicidas Christi, quem occiderunt in suam quidem perniciem, sed in nostram salutem. Excitamur ad sitiendum Sanguinem Christi*. 3. *Ostenditur, Pilatum condemnavisse Christum ad crucifigendum, ob solam duntaxat voluntatem Judæorum. Monemur fugire propriam voluntatem, cùm nihil puniat Deus præter illam. Ostenditur, propriam voluntatem hominis triplici modo exercere bellum crudelissimum adversùs Deum*.

l Serm. 8. diver. num. 5.

S. I.

Exinde quærebat Pilatus dimittere Jesum. Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non eris amicus Cæsaris: omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, & sedit pro Tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè Gabbata. Erat autem hora quasi sexta, & dicit Judæis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle: crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem. Joan. 19.

JUdæi non immemores odii (a) quo oderant Patrem, exercent illud in Filium. Unde & ipse ait: *Quia oderunt me, & Patrem meum*. An non domus illa Jacob exasperans (b) impiè abnegavit Jesum, & insipienter respuit ante faciem Pilati, quando illo perhibente, *Regem vestrum crucifigam?* uno ore respondendo clamavit: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem?* Christus ab eodem populo (b) & in eodem loco, & ipso tempore, paucissimis diebus interpositis, primò cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus est. O quàm dissimile est, *Tolle, tolle, crucifige eum*: Et, *Benedictus qui venit in nomine Domini?* Quàm dissimile, *Rex Israël*: Et, *Non habemus Regem, nisi Cæsarem?* Quàm dissimiles rami virentes & Crux, flores & spinæ? Paveant qui abnegaverunt (d) qui dixerunt: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*. Paveant qui dixerunt: *Nolumus hunc regnare super nos*. Redit siquidem accepto regno, & malos malè perdet. Vultis nosse quia redit accepto regno? *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in cælo & in terra*. Sed & Pater in Psalmo: *Postula à me*, ait, *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Tuam, inquit, hæreditatem (e) tuamquè possessionem dabo tibi. Quomodò dabis ei, si sua est? & quomodò suam mones ut postulet? Mihi proinde postulat, qui meam ad hoc induit formam, ut suscipiat causam. O si me in illa die [f] quando traditurus est regnum Deo & Patri, visitare dignabitur in Salutari suo, ad videndum scilicet in bonitate Electorum suorum, ad lætandum in lætitia Gentis suæ, ut laudetur etiam à me cum hæreditate sua! Veni interim Domine Jesu, aufer scandala de regno tuo quod est anima mea, ut regnes tu (qui debes) in ea. Venit enim avaritia, & vendicat sibi in me sedem: jactantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse rex. Luxuria dicit: Ego regnabo. Ambitio, detractio, invidia & iracundia certant in meipso de meipso, cujus ego potissimùm esse videar? Ego autem quantùm valeo resisto, renitor quantùm juvor: Dominum meum Jesum reclamo, ipsi me defendo: quia ipsius me juris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo, & dico: Non habeo Regem, nisi Dominum Jesum. Veni ergo Domine, disperge illos in virtute tua, & regnabis in me: quia tu es ipse Rex meus, qui mandas salutes Jacob.

a Ser. 3. in Circumcis. Dom. nu. 4. b Ser. 4. super missus num. 2. c Serm. 2. in Dom. Palm: num. 4. d Ser. 1. in die Paschæ num. 9. e Ser. 28. in Cant. nu 3. f Serm. 4. super missus nu. 2.

Et tu quidem ô impia synaga (g) hunc nobis Filium peperisti officio quidem matris, sed non matris affectu. Excussisti eum de sinu tuo extra civitatem eiiciens & elevans super terram, tanquam dicens Ecclesiæ Gentium pariter & Ecclesiæ primitivorum, quæ est in cælis: Nec mihi nec vobis sit, sed dividatur. Dividatur, inquam, non inter vtrasque, sed ab utrisque. Expulsum enim & exaltatum & elevatum & quidem modicè satis, tamen ut nec in tuis esset manibus nec in terra, ferro undique coarctasti, ne fortè vel hac vel illac excideret: ut videlicet à te separatus, ad neutram perveniret illarum. Sæva nimirùm mater ita abortivum facere voluisti, dum non esset qui excipere posset excussum. Age ergo, quid profeceris intuere. Undique enim egrediuntur filiæ Sion, ut videant Regem Salamonem in diademate quo coronasti eum. Relinquens matrem adhæret uxori suæ, ut sint duo in carne una: & civitate pulsus atque elevatus à terra omnia trahit ad se. Vide autem nunc quomodò trahat ad se omnia (h) quomodò ei omnia uniantur unitate substantiali, personali, spirituali, Sacramentali. Habet in se Patrem, cum quo est una substantia. Habet assumptum hominem, cum quo est una persona. Habet adhærentem sibi animam, cum qua est spiritus unus. Habet sponsam Ecclesiam unam omnium Electorum, cum qua est caro una. Et fortè carnalis hæc unio dicenda fuisse videbitur; sed Sacramentalem dicere malvi, dignius hoc vocabulum arbitratus, præsertim occasionem dante Apostolo ubi ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. O fatuam sponsam synagogam (i) quæ contemnens Dei justitiam, idest gratiam Sponsi sui, & suam volens constituere, justitiæ Dei non est subjecta. Ob hoc misera repudiata est, & jam non est sponsa, sed Ecclesia cui dicitur: *Desponsavi te mihi in fide. Desponsavi te mihi in judicio & justitia. Desponsavi te mihi in misericordia & miserationibus*. Nec tu me elegisti, sed ego eligi te: nec ut te eligerem, tua inveni merita, sed præveni. Ita ergo in fide desponsavi te mihi, & non in operibus legis: desponsavique in justitia, sed justitia quæ est ex fide, non ex lege. Restat ut judices judicium rectum inter me & te, judicium quo te desponsavi, ubi constat intervenisse non tuum meritum, sed meum beneplacitum. Hoc est autem judicium ut tua merita non extollas, non præferas opera legis, non jactes pondus diei & æstus, quæ magis in fide & in justitia quæ est ex fide, nec non in misericordia & miserationibus nosceris desponsata.

§. II.

Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: acceptâ aquâ, lavit manus coram populo dicens: Innocens ego sum à Sanguine justi hujus: vos videritis. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Matt. 27.

Scitis Fratres (k) quia in primo homine Adã peccavimus omnes, in ipso etiam cecidimus universi. Cecidimus sanè in carcerem luto pariter & lapidibus plenum. Exinde jacebamus captivi, inquinati, conquassati, donec venit desideratus Gentibus qui nos redimeret, ablueret, adjuvaret. Ego autem audiens (l) quia transit ante carcerem Filius magni Regis, cæpi altiùs gemere, & mirabiliùs exclamare dicens: Filii Dei, misere mei. At ille sicut benignissimus, Quisnam est, inquit, ille fletus & ulatus quem audio? Et dicunt ei: Ipse est Adam proditor ille, quem Pater vester trudi fecit in carcerem, donec cogitet quibus illum suppliciis faciat interire. Quid ageret cujus natura bonitas, cui proprium est misereri semper & parcere? Descendit in carcerem, venit ut educeret vinctum de domo carceris. Judæi verò non immemores odii quo oderant Patrem, exercent illud in Filium. Unde & ipse ait: *Quia oderunt me, & Patrem meum.* Quid ergo fecerunt impii quibus gravis erat etiam ad videndum? *Hic est*, inquiunt, *hæres, venite occidamus eum*. Homicidium fit multis modis: (m) manu, præcepto, consilio, consensu, vel neglectu. Si enim moriturum aliquo modo vivificare valeas & negligis, proculdubio ejus mortis reus eris. Siquidem & Judæi (n) cùm per Sacerdotum persuasionem populus dimitti Barabbam, Christum verò crucifigi acclamavit, linguis non manibus ipsum crucifixerunt. Unde dicit David: *Quia linguas suas ut gladium acuerunt*. Sic ergo Judæi occiderunt Agnum Dei (o) in suam quidem perniciem, sed in nostram salutem. Illi enim Sanguinem Agni fuderunt, nos accessimus & bibimus illum. Accepimus calicem salutaris: & calix noster inebrians quàm præclarus est. Quis autem nisi totus caro & sanguis (p) & qui nihil in se habet spirituale, Sanguinem istum fastidiat? Quis volens se de sanguinibus contractis liberari, istum purissimum saluberrimumquè Sanguinem Jesu purissimi non affectet? Quis semel isto dulcissimo Sanguine inebriatus, quem paravit in dulcedine sua pauperi Deus, non magis ac magis sitiat, audiens veram vocem Sapientiæ Dei, Unigeniti Patris, optimi Jesu dicentis: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient?* Si verum est, imò quia verum est humano sanguini præ cæteris tantam naturaliter inesse dulcedinem, ut cùm à bestia qualibet semel gustatus fuerit, illum de cætero semper gustare desiderent: ita ut aliis animalibus postpositis, sanguini insidientur humano, & in mortem suam corruant pro illo acquirendo. Quantum in se credis habere dulcedinis Sanguinem Filii hominis Jesu Christi? Ecce sitiunt irrationales bestiæ sanguinem hominis, & non sitiam ego Sanguinem Filii Dei? Bestiæ quantò plùs gustaverint, tantò plùs sitiunt sanguinem humanum: & ego fastidiam Sanguinem Dei & hominis benigni Jesu? Bestiæ corrvunt in mortem suam dulcedine sanguinis humani attractæ: ego non festinabo ad vitam meam, & Sanguinem rubicundi Jesu & candidi? Imò verè festinabo, emam & bibam. Emam absque argento & absque ulla commutatione vinum & mel, quę nobis Sapientia Patris Altissimi benigniùs miscuit in cratere cordis sui, nimirùm Sanguinem suum, precium vitæ nostræ. Properate mecum qui diligitis Do-

g *Ser. 6. in vig. Nat. Dom. num. 11.* h *Serm. 33. di ver. n. 8.* i *Ser. 67. in Cant. num. 11.* k *Ser. 2. in oct. Pasch. num. 4.*

l *Ser. 3. in Circumcis. n. 4.* m *Ser. 4. super Sal. Reg. n. 24.* n *Ser. in fer. 2. Pasch. n. 13. tom. 6. pag. 723.* o *Ser. 3. in Circumcis. n. 4.* p *Tract. de vite myst. cap. 33. num. 140.*

Dominum: emitte non corruptibilis auro & argento, ſed commutione morum & converſationis veſtræ, vinum & lac. Sanguinem illum dico puriſſimum & precioſiſſimum, inebriantem perfectos ut vinum, ut lac parvulos nutrientem. Si perfectus, ſi fortis es, vinum eſt tibi Sanguis iſte meraciſſimus. Si adhuc infirmus es, & cui opus ſit lacte; lac eſt tibi ad nutriendum te. Bibe ergo Sanguinem hunc meraciſſimum, fide, memoriâ, & intuitu ſpirituali. Synagoga fortis eſt (q) non curat onus leve, nec jugum ſuave. Sana eſt, non eſt ei opus medicus, nec unctio ſpiritûs. Confidit in lege, liberet eam ſi poteſt. Non autem data eſt lex quę poſſit vivificare, inſuper & occidit. Litera enim occidit. *Propterea* (inquit Jeſus) *dico vobis quia moriemini in peccatis veſtris.* Hoc judicium eſt, ô Synagoga, quod flagitas: errori tuo cæca & contentioſa deſerens, donec plenitudo Gentium introeat. Tu ergo in medio gehennæ expectato ſalutem (r) quæ jam facta eſt in medio terræ. Quam tibi ſomnias proventuram inter ardores ſempiternos facultatem veniam promerendi, cùm jam tranſiit tempus miſerendi? Non relinquitur tibi hoſtia pro peccatis, mortuo in peccatis. Non crucifigitur iterum Filius Dei, mortuus eſt ſemel, jam non moritur. Non deſcendit ad inferos Sanguis qui effuſus eſt ſuper terram. Biberunt omnes peccatores terræ: non eſt quòd ſibi ex eo vendicent dæmones ad reſtinguendos focos ſuos, ſed neque Judæi ſocii dæmoniorum. Semel illò deſcendit non Sanguis, ſed Anima Chriſti: & hæc portio eorum qui in carcere erant, una illa viſitatio quæ tunc facta eſt per præſentiam Animæ, cùm Corpus penderet exanime ſuper terram. Sanguis aridam rigavit, Sanguis infudit terram, & inebriavit eam. Sanguis quæ in terra & quæ in cælis ſunt pacificavit, non autem & quæ apud inferos: niſi quòd ſemel illò (ut dixi) Anima ejus excucurrit, & fecit ex parte redemptionem, ne vel eo momenti vacarent opera charitatis: ſed ultra non adiiciet. Per Sacerdotum perſuaſionem (s) populus dimitti Barabbam, Chriſtum verò crucifigi acclamavit: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Propter hoc (t) diſperſi ſunt Judæi in omnes Regiones, ut dum juſtas tanti facinoris pœnas luunt, teſtes ſint noſtræ Redemptionis. Vivi quidam apices nobis ſunt, repræſentantes Dominicam Paſſionem. Unde in Pſalmo loquitur Eccleſia: *Diſperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus, Domine.* Ita factum eſt. Diſperſi ſunt, depoſiti ſunt, durã ſuſtinent captivitatem ſub Principibus Chriſtianis. Nulla turpior ſervitus graviorvè (u) quàm ſervitus Judæorum, quàm quocunque poſt ſe trahunt, ubique Dominos offendunt ſuos.

§. III.

Tunc Pilatus volens populo ſatisfacere, adiudicavit fieri petitionem eorum. Dimiſit autem eis eum qui propter homicidium & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem, Barabbam quem petebant: Jeſum verò flagellatum tradidit voluntati eorum, ut crucifigeretur. Mar. 15. Luc. 23. Matt. 27. Joan. 19.

Per Sacerdotum perſuaſionem (x) populus dimitti Barabbam, Chriſtum verò crucifigi acclamavit: & Pilatus fieri adjudicavit. Vinctum quippe Chriſtum (y) ante faciem Pilati perduxerunt Judæi, poſtulantes Crucis ſupplitio eum interimi qui peccatum non noverat, & virum homicidam dari ſibi: Agnum lupo, aurum luto poſtponentes. O indignum & infelix commercium! O verè admirabile (z) commercium! Tradidit ſe Rex pro ſervo, Deus pro homine, Creator pro creatura, innocens pro nocente. Verbum Patris (a) Vnigenitus Dei, Sol juſtitiæ, Summus ille negociator de ultimis cælorum finibus noſtræ redemptionis precium apportavit. Fidelis iſta negociatio & omni acceptione digniſſima, in qua Rex Filius Regis efficitur negociator, aurum pro plumbo tribuitur, pro peccatore donatus eſt juſtus ad mortem. Nam morte (b) & morte turpiſſima condemnatus eſt ab iniquis. O quàm indebita miſeratio (c) quàm gratuita & ſic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm ſtupenda dulcedo, quàm invicta manſuetudo, quàm vilis negociatio, ubi Filius Dei Unigenitus pro ſervo traditur, pro creatura Creator occidi jubetur, pro mancipio Dominus condemnatur. Et quidem non ignorabat (d) impius Pilatus hæc per invidiam in Jeſum fieri, nec tamen abſtinuit ab eo temerarias manus, ſed replevit Animam ejus amaritudine ſine cauſa, dimittens Judæis Barabbam, qui propter homicidium & ſeditionem miſſus fuerat in carcerem: Jeſum verò tradens voluntati eorum, ut crucifigeretur. Huic voluntati contraria eſt recta fronte charitas (e) quæ Deus eſt. Hæc enim adversùs Deum inimicitias exercens eſt, & bellum crudeliſſimum. Propria voluntas Deum impugnat (f) & adversùs eum extollitur. Ipſa eſt, quæ paradiſum ſpoliat, & ditat infernum. Ipſa eſt, quæ Sanguinem Chriſti evacuat, & ditioni diaboli ſubjugat mundum. Porrò voluntas propria (g) quo furore Dominum majeſtatis impugnet, audiant & timeant ſervi propriæ voluntatis. *Primò* namque ſeipſam & ſubtrahit & ſubducit ejus dominatui, cui tanquam Auctori ſervire jure debuerat, dum efficitur ſua. Sed numquid contenta erit hàc injuria? *Secundò* addit adhuc & quod in ſe eſt, omnia quoque quæ Dei ſunt, tollit & diripit. Quem enim modum ponit humana cupiditas? Nonne qui per uſuram acquirit pecuniam modicam, ſimiliter mundum lucrari conaretur univerſum, ſi non deeſſet poſſibilitas, ſi ſuppetteret voluntati facultas? Dico fiducialiter: Nemini qui ſit in propria voluntate, poſſet univerſus mundus ſufficere. Sed utinam vel rebus iſtis eſſet contenta, ne in ipſum (horribile dictu) deſæviret Rectorem univerſorũ. *Tertiò* denique nunc & ipſum (quantùm in ipſa eſt) Deum perimit voluntas propria. Omniò enim vellet Deum peccata ſua aut vindicare non poſſe, aut nolle, aut neſcire. Vult ergo eum non eſſe Deum, quæ quantùm in ipſa eſt, vult eum aut impotentem, aut injuſtum eſſe, aut inſipien-

q *Ser. 14. in Cant. n. 2.* r *Ser. 75. in Cant. n. 5.* s *Ser. in fer. 2. Paſch. n. 13.* t *Epiſt. 322. n. 6.* u *Lib. 1. de Conſid. cap. 3. num. 5.*

x *Ser. in fer. 2. Paſch. n. 13.* y *Ser. de Paſſ. Dom. n. 11.* z *Tract. de vite myſt. cap. 5. n. 25.* a *Ser. 42. diver. n. 1.* b *Ser. 4. in. vig. Nat. Dom. n. 3.* c *Ser. 42. diver. n. 1.* d *Ser. de Paſ. Dom. n. 11.* e *Ser. 3. de Reſurrect. Dom. n. 3.* f *Ser. de verb. ſap. n. 13. tom. 6. pag. 774.* g *Ser. 3. de Reſur. Dom. n. 3.*

pientem. Crudelis planè & omninò execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sævissima. Denique vide [h] qualiter propria voluntas adversetur Deo; *Nemo potest duobus Dominis servire*. Non poteris obedire simul & divinæ & propriæ voluntati. Si enim voluntas tua voluntati Divinæ concordat, jam non propria voluntas est, sed communis: non tantùm est hominis, sed & hominis & Dei. Cæterùm voluntati Dei ex debito creationis tuæ necessariò es obnoxius. Quare? Quia sola voluntas Dei certa est. Quare creaverit & recreaverit te Deus, sicut ait Apostolus Jacobus; *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*. Facis quod debes, dum obedis ei. Debitum etiam virtutis pensum fideliter persolvis, cùm ejus voluntatem & habes in desiderio, & servas in obsequio. Si autem fallente diabolo [i] & sensibus tuis sæculo lenocinante, ad ea quæ foris sunt curiosè egrederis, ad quorum delectationem dum propriæ voluntatis attraheris concupiscentiâ, quodammodò abrenuntias Deo, ac si abnegans diceres: Hucusque te colvi, voluntatem tuam feci, sed nullam in me deinceps habeas fiduciam, quia alii Domino servire fidemquè servare proposui. Ecce propriæ voluntatis iniquitate abnegasti Deum tuum. Sed necdum sufficit tibi ipsa negatio: quinimò impudenissimus prædo subsequenter effectus, in possessiones ejus violenter debaccharis, tam alimentis quàm indumentis, quæ præparavit non contemptoribus sed servitoribus suis, ad tantæ Majestatis injuriam abuteris. Si in Religione es, nihil comedis, nihil bibis, nullo indueris, quod priùs non auferas; dumquè de Sacrario victualia rapis, latrocinio sacrilegium jungis. Accedis tamen ad Altare, & Dominicum Corpus & Sanguinem tractans, nihil in te criminale reperis, si veritas subtiliter indagatur, Deum negasse convinceris, ac latro probaris & sacrilegus. Sequitur *tertium*, quod gravissimum est: quem abnegasti, quem deprædatus es, ad ultimum molieris occidere. Permanens enim in iniquitate tua, peccatum tuum vis esse impunitum, in quo Deum vis esse injustum. Exigit enim justitia ejus, ut unicuique reddat secundùm opera sua. Qui enim Deum vult esse injustum, vult Deum non esse Deum; & qui desiderat non esse Deum, nonne quantùm in eo est, ipse Deum occidit? Caveamus ergo à propria voluntate [k] tanquam à vipera pessima & nequissima, & quæ sola deinceps damnare possit animas nostras. Quid enim odit [l] aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille gehennæ desæviet, nisi in propriam voluntatem? Hæc est immundissima lepra animi, propter quam oporteat imitari eum, qui non venit facere voluntatem suam. Unde & in passione: *Non mea*, inquit, *voluntas, sed tua fiat*. Placeat igitur tua voluntas Deo [m] & voluntas ejus semper placeat tibi. Semper concorda te cum eo, semper sequere ejus voluntatem in omnibus, qui semper bonum tuum vult, qui nihil aliud curat nisi salutem tuam, cujus voluntas ad miserendũ tibi est benevola, & delectatur benefacere tibi. Alioquin stultissimus & dementissimus es, si tua desideria vel aliorum sequeris, & illius consilium dimittis qui semper est amicus dulcis, sapiens & pius consiliarius & Salvator, & super omnia adiutor fortis & potens, pater futuri sæculi & princeps pacis. Amen.

DEO GRATIARUM ACTIO,

ET BEATO BERNARDO,

Servo ejus dulci & fideli.

S. Bonavent. Conclus. tract. medit. de vita Christi.

h *Ser. de verb. Sap. n. 13. tom. 6. pag. 774.* i *ibidem. n. 14.*

k *Ser. 11. diver. n. 3.* l *Ser. 3. de Resurrect. Dom. n. 3.* m *Ser. de miseria hum. n. 7. tom. 6. pag. 846.*

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Sexta,

De gestis extra portam civitatis Jerusalem, & in via, quâ ducebatur Jesus bajulans sibi Crucem.

Jesus ut sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. S. Paul. ad Hebr. 13.

PROEMIUM.

CUM de Redemptore nostro (a) lingua nostra silere non debeat, & ne citò sit adfuturum de ipso tacentibus; nimis nostrûm interesse considero, si diem de ipso loquendo non perfunctoriè terminemus: & è contrario diræ damnationis nostræ subire sententiam contingat, si vanis verbis nostram manumiserimus linguam. Igitur vana verba & non sonantia Christum, nec religionis tenentia pondus, in omni loco æternâ clausurâ damnantes, ad dulcia eloquia à Verbo Patris eructata, cithara nostra suas chordas extendat: & plectrum mentis linguâ vocis magistrâ tuba insonet Salvatori, quæ de ore mellifluo Christi profluxêre dulcia eloquia vitæ. Sed utinam quod nobis proponitur, nulla vilitatis vel contemptûs offuscaret obductio, sed arctiùs charitate obnexum placeret vobis super lapidem preciosum, & dulciùs saperet in vestri cordis palato, super omnia mella & super quemlibet favum. Ipse Auctor dulcedinis cui omnia optata succedunt, cujus voluntati cuncta obediunt, qui etiam ea potest quæ impossibilia videntur esse: sic dulcescat in cordibus vestris, ut vos de eo semper audire delectet, & me interiùs sapientiam quæ de ipso est, doceat: & per lanceam oris mei vulneret & confodiat hostem generis humani, qui pro viribus elaborat, ut ipsa nobis verba Christi auditu vilescant, & mihi & aliis prædicata & dicta sententiam damnationis impendant. Adjuvet nos semper & protegat & defendat ab illo Jesus, qui dilexit & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo; nos instruens verbo & informans exemplo, statuens edictum, sanciens præceptum: edictum dulce, præceptum vitæ: edictum amoris, præceptum charitatis, statuens & adimplens, præcipiens & perficiens, in se inquam & in nobis. Verùm ego unum timeo (b) nè toties audita verba salutis vilescere nobis incipiant, tanquam verba. Vilis siquidem & volatilis res verbum hominis, nullius molis, nullius ponderis, nullius pretii, nullius soliditatis: Aërem verberat, unde & verbum dicitur, & sicut folium quod vento rapitur, effluit, & non est qui consideret. Nemo vestrûm Fratres mei, sic accipiat, imò nemo sic despiciat verbum Dei. Dico enim vobis: Bonum illi fuisset, si non audisset homo ille. Fructus vitæ sunt verba Dei, non folia; & si folia, sed aurea sunt: proinde non parvipendantur, non pertranseant, non prætervolent. Ipsa quoque colligite fragmenta ne pereant. Terra enim quæ sæpiùs supervenientem susceperit imbrem, & non fecerit fructum, terra reproba est, proxima maledicto. Nonnullos enim sic interdum audientes invenies (c) ac si nihil omninò ad eos pertineant quæ dicuntur: non intrare cor suum, non discutere mores suos, non cogitare, nè fortè quod audiunt dictum sit propter eos. Magis autem si fortè sermo Dei vivus & efficax, qui suo, & non ejus qui loquitur arbitrio fertur, quocunque voluerit: si inquam, manifestè adversùs vitia illa processerit, quibus sese illi sentiunt obligatos, dissimulant & avertunt oculos cordis, aut qualibet adinventione palliant vitia, & seducunt miseri semetipsos. In his profectò salutis signa non video, magis autem vereor ne fortè propterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi ex Deo. Unde & ea (d) quæ in Evangelio sterilis ficulnea legi-

S. Bernard. Abb. juxta ejus libror. edit. authore Horstio in VI. Tom. impr. Parisiis ann. 1667. a *Serm. 14. in ultim. Cæna num. 107.*

b *Ser. 2. in fest. SS. Petri & Pauli n. 1.* c *Ser. 1. in Septuagesima n. 2.* d *Ser. 2. in fest. SS. Petri & Pauli n. 1.*

legitur, si postquam foderit circa eam vineæ cultor, atque miserit stercora, nihilominùs sterilis inventa fuerit: nonne jam securis ad radicem illius arboris est ponenda? Sed jam superest (e) ut distribuam quæ paravi: vos autem considerate potiùs dantem Dominum, quàm ministrum distribuentem. Ego enim quantùm in me est, nihil aliud sum quàm conservus vester, qui vobiscum pariter & mihi & vobis (sicut ipse Dominus novit) mendico panem de cælo, & alimoniam vitæ. Propterea non ego vobis, sed Pater vester ipse est, qui dat vobis panem de cælo vivum. Ipse vos pascit & operibus & sermonibus, etiam & carne Filii sui, qui est verè cibus. Nam & de operibus lego: *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei*. Et de verbis: *Quoniam non solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Volebam fateor præterire (f) meque subducere huic scrutinio, cui sufficere me non sentio. Cæterùm remiscens in quantis æquè dubiis & obscuris etiam supra spem meam adjutum me desuper senserim, pudet diffidentiam: & reprehendens timorem meum, adorior non quidem temerè quod timidè refugiebam. Ipse autem det vobis ea quæ dicuntur, non solùm tenere memoriter, sed & ardenter diligere, & efficaciter adimplere, Sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT I.

De bajulatione Crucis, quam Christus portavit in montem Calvariæ.

1. *Invitamur egredi, & videre Regem Salamonem Jesum Christum bajulantem sibi Crucem, ut sequentes vestigia ejus adhærentesque ei, compatiamur Regi nostro: & ut passionibus ejus per patientiam communicantes, Regni ejus mereamur esse consortes.*
2. *Ostenditur, Christum in bajulando sibi Crucem, pertulisse laborem & dolorem, ut languores nostros auferat à nobis. Item ostenditur, tria præcipua motiva compulisse Jesum ad subeundam ignominiam Crucis.*
3. *Ostenditur, Simonem Cyrenæum portantem Crucem alienam denotare hypocritas illos, qui portantes Crucem Christi, & non suam, palliant sanctitatem negligendo sectari ejus humilitatem. Describitur Publicani humilis imploratio propitiationis pro peccatis suis, & Pharisæi superba gratiarum actio.*

§. I.

Susceperunt autem Jesum milites, & exuerunt eum Chlamydem coccineam, & induerunt eum vestimentis suis: & eduxerunt illum, ut crucifigerent eum. Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. Joan. 19. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23.

COgnosce anima mea (g) cognosce: Hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce cum sceleratis quomodò reputatus est: & quasi leprosus, novissimus virorum æstimatus, & tanquam abortiuum quod projicitur à vulva, sic projectus est ab utero matris suæ, infelicis Synagogæ. Et tu quidem ô impia Synagoga (h) hunc nobis Filium peperisti officio quidem matris, sed non matris affectu. Excussisti eum de sinu tuo extra civitatem eiiciens & elevans super terram, tanquam dicens Ecclesiæ Gentium pariter & Ecclesiæ primitivorum, quæ est in Cælis: Nec mihi nec vobis sit, sed dividatur. Dividatur, inquam, non inter utrasque, sed ab utrisque. Sæva nimirùm mater ita abortiuum facere volvisti, dum non esset qui excipere posset excussum. Porrò in omnibus his [i] non est satiata perfidorum Judæorum impietas. Novissimè autem incircumcisorum militum manibus devolutus est Jesus morte turpissima consummendus. Quid enim ait de illis Scriptura? *Et postquam illuserunt ei, induerunt eum vestimentis suis, ut crucifigerent bajulantem sibi Crucem*. Hinc alia Scriptura ait nobis: *Egredimini filiæ Sion* (k) *& videte Regem Salamonem in diademate, quo coronavit eum mater ejus*. Quæcunque autem anima confitetur se filiam Sion, id est Ecclesiæ, egrediatur à curis sæcularibus, à cogitationibus vanis, & videat per contemplationem mentis Regem Salamonem, id est Christum Jesum, qui est pax nostra, destruens inimicitias, amicitiasquè reformans inter Deum & hominem. *Egredimini filiæ Sion* (l) *& videte Regem Salamonem in diademate, quo coronavit mater sua*, Egredimini virtutes Angelicæ, incolæ civitatis supernæ. Ecce Rex vester, sed in corona nostra, in diademate quo coronavit eum mater sua. Sed his deliciis usque modò caruistis, hanc hactenus dulcedinem non gustastis. Habetis sublimitatem ejus, sed humilitatem ejus non vidistis. Egredimini igitur & videte Regem Salamonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Verumtamen non non est opus illis nostra exhortatione (m) quoniam ipsi sunt, qui desiderant in illum prospicere. Illis enim quantò sublimitas notior, tantò humilitas preciosior & amabilior est. Vobis ergo dicimus, filiæ Sion, animæ sæculares, debiles, delicatæ filiæ, non filii; in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi: *Egredimini filiæ Sion*. Egredimini de sensu carnis, ad intellectum mentis: egredimini de servitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ, Egredimini de terra vestra, & de cognatione vestra, & de domo patris vestri, & videte Regem Salamonem: alioquin non erit tutum vobis videre eum Ecclesiasten. Idem enim qui *Salamon*, id est *pacificus*, in exilio est: *Ecclesiastes*, id est, concionator erit in Judicio: *Idida*, id est, dilectus Domini in Regno. In *exilio* mansuetus & amabilis; in judicio justus & terribilis; in *Regno* gloriosus & admirabilis. Egredimini igitur & videte Regem Salamonem: nam ubique Rex est. Licet enim regnum ejus non sit de hoc mundo, tamen Rex est etiam in hoc mundo. Hic rector est morum, in judicio

e *Ser. 1. de omn. sanct. n. 3.* f *Ser. 77. in Cant. num. 8.* g *Ser. de Pass. Dom. num. 15.*

h *Ser. 6. in Vig. Nat. Dom. num. 11.* i *Ser. de Pass. Dom. num. 11. & 12.* k *Tract. de vite myst. cap. 4. num. 14.* l *Ser. 2. in Epiphan. Dom. num. 1.* m *Ibidem num. 2.*

dicio discretor meritorum, in Regno distributor præmiorum. Exeamus itaq; secundùm monita Pauli Apostoli (n) cum Sponso nostro bono Jesu, *extra castra*, idest, extra concupiscentias præsentis seculi, improperium crucis & vinculorum asperitatem cum illo portantes: quia non decet membrum delicatum esse sub Capite crucem bajulante, nec ad Capitis corpus se indicat pertinere membrum, quod Capiti compassum non fuerit. Non est magnum (o) si compatitur membrum Capiti, cum quo & glorificandum est. Felix membrum, quod huic adhæserit per omnia Capiti: & sequetur illud quocunque ierit. Alioquin si fortè abscindi separarique contingat, privetur statim necesse est etiam spiritu vitæ. Quæcunque enim portio capiti non cohæret, unde ei jam sensus aut vita? Imitemur quoad possumus eum (p) qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tanta sustinuit. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi [g] ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Qui enim tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Portavit ille onera tua ô Christiane (r) invitans te, ut & tu onera portes illius: idest, ut tu passionem illius imiteris. Christus enim passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.

§ I I.

Jesus bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, Hebraicè autem Golgotha. Joan. 19.

Vide anima Christiana (s) qualiter vir iste per omnia conturbatur, & spernitur: sub Crucis onere dorsum incurvare videtur, & tuam ipse portare ignominiam. Hic tu ô homo (t) totus contremisce, tremore obrigesce, meritò expallesce, pugnis pectus contunde, fletibus totam animam effunde, compatere Christo patienti. Ad mortem ducitur, ut tu educaris de morte. Ducunt impii lanistæ, ducunt Agnum immolandum, & angariant ut propriam Crucem propriis humeris bajulet, & ad locum suæ passionis deferat: non reclamat, non remurmurat, non contradicit, obsequitur tortoribus. Ille qui lucem inhabitat inaccessibilem (u) in quem desiderant Angeli prospicere, cujus solius odor Sanctorum sic mentes inebriat, ut & mundi præsentis & suiipsorum obliti totis viribus currant post ipsum: tanto dolori subiicitur, ut in ipso veraciter noscatur impletum, quod ante dixerat per Jeremiam Prophetã: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus*. Tollam Crucis patibulum (x) ut solvam mortis imperium. Citò veniet tempus & hora, quâ jam non pro homine videar reputari: sed ego tanquam opprobrium hominum, & abjectio plebis. Duo nobis in hæreditatem reliquerat [y] vetustus Adam qui fugit à facie Dei, *laborem* videlicet & *dolorem*: laborem *in actione*, dolorem *in passione*. Non hoc ipse audierat in paradiso quem acceperat ut operaretur & custodiret illum: Operaretur delectabiliter, custodiret fideliter et sibi & posteris suis. Christus Dominus laborem & dolorem consideravit, ut traderet eos in manus suas, imò se magis in manus eorum, infixus in limo profundi: & intraverunt aquæ istæ usque ad animam ejus. *Uide* (ad Patrem inquit) *humilitatem meam, & laborem meum: quia pauper ego sum, & in laboribus à juventute mea*. Laboravit sustinens, manus ejus *in laboribus* servierunt. Denique [z] loquitur Christus in Psalmo: *Infixus sum in limo profundi*. Limum quidem nos esse manifestum est, quoniam de limo psalmati sumus: sed tunc quidem limus paradisi fuimus, nunc verò limus profundi. *Infixus sum*, inquit, non pertransii, non recessi. Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Ipse est enim *Emmanuel, nobiscum Deus*. Nobiscum utique, sed per sinistram. Ipsa est læva Christus Iesus, & hic crucifixus. Sic enim olim Thamar pariente, Zara priùs solam protulit manum, quæ in sacramento Dominicæ passionis coccineo alligata est filo. De *dolore* autem (a) vide quid dixerit: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus. Verè languores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portavit*, vir dolorum, pauper & dolens, tentatus per omnia absque peccato. Et in vita passivam habuit actionem, & in morte passionem activam sustinuit, dum salutem operaretur in medio terræ. Et hoc totum non propter se (b) sed propter nos sustinuit, ut redderet nos incolumes de infirmis, cohæredes de extraneis, liberos de servis. Sustinuit, inquam, in assumpta carne incommoda nostra sine peccato carnis, portans in sua Carne peccata nostra. Deinde propria Cruce oneratus (c) primò portavit eam, quæ ipsum postea statim fuit portatura. Unde Esaias (d) de nativitate Iesu Christi loquens: *Puer* (inquit) *natus est nobis, & filius datus est nobis: cujus imperium super humerum ejus*. Crucem imperii nomine significavit. Cruce enim totum mundum simul & inferos subjugavit, qui regnavit à ligno fortis Jesus. Propter etiam Crucem, ad quam humiliavit semetipsum factus obediens, exaltavit illum Deus Pater: & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum. Tria autem quædam præcipua (e) coactione voluntaria compulerunt Dominum Jesum Christum subire Crucis & mortis ignominiam. *Primò* quidem filialis & pura *obedientia*, quâ prioris inobedientiæ piaculum solveretur. *Secundò* compassibilis & *communis miseria*, quæ Divinam justitiam inflexibilem & virgam ferream ad misericordiam hortabatur. Erat miseria illa & ponderosa & gravis, & cervices hominum communis peccati & mortis conditione premebat: publica & generalis, quæ justos & injustos simili damnationis sententiâ pariter obligabat: continua & perennis, quæ nisi per Christum redemptionis gratia fieret, irremedia-

n *Tract. de vite myst. cap.* 4. *n.* 18. o *Ser.* 1. *in Quadrag. n.* 1. p *Ser.* 4. *de Adv. Dom. num.* 7. q *Ser.* 2. *in Cæna Dom. num.* 6. r *Tract. de vite myst. cap.* 10. *num.* 48. s *Ser. de Pass. Dom. n.* 13. t *Tract. de* 3. *præcip. myst. cap.* 6. *num.* 13. u *Tract. de vite myst. cap.* 2. *num.* 3. x *Ser.* 4. *in ult. Cæna num.* 19. y *Ser. in fer.* 4. *heb. san. num.* 11.

z *Ser.* 4. *in Vig. Nat. Dom. n.* 7. a *Ser. in fer.* 4. *hebd. san. num.* 11. b *Ser.* 2. *in Cæna Dom. num.* 2. c *Tract. de vite myst. cap.* 5. *num.* 23. d *Ibidem cap.* 36. *num.* 142. e *Lib. sentent. num.* 4 *tom.* 6. *pag.* 993.

mediabilis captivitatis nexu omne genus Adam damnationis voragine absorbebat. *Tertiò* demùm spontaneè coegit in mortem celeberrima & solemnis *victoria*, cuius successu inevitabilis diaboli & mortis potentia in monumento gloriosè & efficaciter erat imminuenda. Tua sunt hæc Christe opera (f) qui de lumine cæli ad tenebras inferni, à dextera Majestatis ad miserias humanitatis, à gloria Patris ad mortem crucis descendisti: infernum illustrando, hominem redimendo, superando mortem & mortis auctorem. Unus es tu, & secundum non habes, quem ad nos redimendum propria benignitas invitavit, misericordia traxit, veritas quâ te venturum promiseras, compulit; puritas uteri virginalis suscepit, salva Virginitatis integritate potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armavit, charitas verbis & miraculis manifestavit,

§ III.

Et cùm ducerent Jesum, invenerunt hominem quendam Cyrnæum, nomine Simonem venientem de villa, patrem Alexandri, & Rufi: hunc apprehenderunt & angariaverunt, ut tolleret Crucem ejus: & imposuerunt illi Crucem portare post Jesum. Luc. 23. Matt. 27. Mar. 15.

Sunt qui fructum non faciunt: (g) sunt qui faciunt, sed non suum. Sunt, inquam, arbores infructuosæ, ut quercus & ulmus, & sylvestres aliæ arbores. Sed hujusmodi arbores nemo plantat in horto suo, quia non faciunt fructum: etsi quem faciunt, non humano usui aptus est, sed porcino. Tales sunt filii hujus sæculi, agentes in comessationibus & ebrietatibus, in crapula & voracitate, in cubilibus & impudicitiis. Hæc namque porcorum cibus sunt, quos Judæus verus prohibetur comedere, quia Christianus his non debet adhærere. Sicut enim caro porcina cùm comeditur adhæret carni, ut jam sit una caro; sic transgressor præcepti Dominici spurcos sibi sociat spiritus, & adhærendo eis, unus cum eis efficitur dæmon. Nam & idcircò in Sacrificiis prohibetur animal illud offerri, quòd spurcos spiritus immundosque designet: qui relicta omni munditia, solis sibi spurcitiis complacentes, vitiorum & criminum semper cœno delectantur involui. Unde & in Evangelio legio illa maledicta dum eiiceretur ab homine, tanquam simile sibi animal porcos postulat, nec negantur. His fructum ferunt arbores infructuosæ, ad quarum radices securis posita jam videtur. Arbores autem quæ fructum faciunt [h] sed non suum, hypocritæ sunt, cum Simone Cyrenæo crucem portantes non suam: qui religiosa intentione carentes angariantur, & quæ non amant, amore gloriæ quam desiderant, facere compelluntur. Væ portantibus crucem [i] non sicut Salvator suam, sed sicut ille Cyrenæus, alienam. Væ citharædis citharizantibus, non ut illi de Apocalypsi in citharis suis, sed verè ut hypocritæ in alienis. Væ semel, & væ iterùm pauperibus superbis. Væ inquam semel, & væ iterùm portantibus crucem Christi, & non sequentibus Christum, qui nimirùm cujus passionibus participant, humilitatem sectari negligunt. Duplici quippè contritione conteruntur qui hujusmodi sunt [K] quando & hîc pro temporali gloria se effligunt, & in futuro pro interna superbia ad æterna supplicia subtrahuntur. Laborant in Christo, sed cum Christo non regnant. Sequuntur Christum in paupertate sua, sed in gloria non sequuntur. De torrente in via bibunt, sed non exaltabunt caput in patria. Lugent nunc, sed tunc non consolabuntur. Et meritò. Quid enim facit superbia sub pannis humilitatis Jesu? Numquid non habet quo se palliet humana malitia, nisi unde involuta est infantiâ Salvatoris? Et quomodò intra præsepium Domini simulatrix arrogantia se coarctat, ac pro vagitibus innocentiæ, malum inibi detractionis immurmurat? An non illi superbissimi de Psalmo, quorum prodiit ex adipe iniquitas eorum, multò tutiùs operti sunt iniquitate & impietate sua; quàm nos latemus sub sanctitate aliena? Quis enim magis impius, an profitens impietatem, an mentiens sanctitatem? Nonne is qui etiam mendacium addens geminat impietatem. Consideretis [l] Pharisæum illum orantem. Non erat raptor, non injustus, non adulter. An sine fructibus pænitentiæ erat? Jejunabat bis in Sabbatho, decimas dabat omnium quæ possidebat. Sed ingratum forsitan suspicamini. Audite quid dicat: *Deus, gratias ago tibi*. Sed non erat vacuus, non erat exinanitus, non erat humilis, sed elatus. Non enim quid sibi deesset scire voluit, sed exaggeravit meritum suum: nec erat solida plenitudo, sed humor. Vacuus proinde rediit, quia plenitudinem simulavit. Nam Publicanus ille qui exinanire seipsum, qui vacuum vas exhibere curavit, gratiam retulit ampliorem. Siquidem (m) cùm propitiationem peccatis suis humiliter imploraret, descendit justificatus, teste ipsa Justitia. Nec illa gratiarum actio [n] si benè recolitis Evangelium, gratiorem fecit Pharisæum. Quare? Quia quidquid in ore devotum sonuerit, cordis non sufficit excusare tumorem apud eum, qui alta à longe cognoscit. Deus, ô Pharisæe [o] non irridetur. Putas tu habes aliquid quod non accepisti? Nihil, inquit. Et ideo gratias refero Largitori. Si omninò nihil, ergo nec meritum præcessit in te ullum, ut illa de quibus gloriaris acciperes. Quod si & fatearis, primò quidem frustra insultas adversùs Publicanum, qui ideo non habet quod tu, quia non accepit ut tu. Deinde vide etiam ne non integrè sua dona resignes Deo, & tibi inflectens aliquid de gloria & honore ipsius, fraudis meritò arguaris, & fraudis in Deum. Si enim de his quæ jactas, ex te tibi quippiam fortè arrogares, falli te magis quàm velle fraudare crederem, & errorem corrigerem. Nunc verò quia gratias agendo, probas te tibi nihil tribuere, sed Dei esse dona tua merita prudenter agnoscere: certè cæteros aspernando prodis te quod in corde & corde locutus sis, altero commodans linguam mendacio, altero veritatis usur-

f *Ser. 42. diver. num. 1.* g *Ser. de S. Benedict. n. 4.* h *Ibidem num. 5.* i *Tract. de vita & mor. Relig. cap. 1. n. 2.*

K *Ibidem. num. 3.* l *Ser. 3. in Annunt. B. M. num. 10.* m *Ser. 22. in Cant. num. 10.* n *Ser. 13. in Cant. num. 1.* o *Ibidem num. 2. & 3.*

usurpans gloriam. Non enim judicares Publicanum contemnendum præ te, si non præ illo te honorandum censeres. Sed quid respondes Apostolo præscribenti & dicenti: *Soli Deo honor & gloria?* Quid Angelo distinguenti & docenti quid sibi retinere placeat Deus, & quid partiri dignetur hominibus? Nam *gloria*, inquit, *in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Cernitisne Pharisæum agentem gratias, labiis quidem honorare Deum, cordis autem sententiâ se? Sic usu quodam magis quàm sensu vel affectu personare in ore multorum gratiarum actionem advertere est, intantùm ut homines quoque sceleratissimi ad quæque flagitia & facinora sua soleant gratias Deo agere, quòd benè prosperèquè (ut quidem ipsi sapiunt) cesserit sibi in adimpletione perversarum voluntatum suarum. Audiet qui hujusmodi est: *Existimasti inique quòd ero tui similis? arguam te, & statuam contra faciem tuam*. Proinde rogo & obsecro vos, Fratres, [p] fugite simulationem omnem, & angulos propriæ voluntatis: nisi fortè (quod absit) fraudare vultis animas vestras panis edulio benedicti.

CAPUT II.

De planctu mulierum, quæ flebant super Jesum bajulantem sibi Crucem.

1. *Excitamur exemplo sanctarum fœminarum plangentium super Jesum cruce propria oneratum, ut plangamus compatiendo doloribus ejus. Et quia non dubitatur & ipse flevisse cum flentibus, ideo lachrymæ ejus debent nobis incutere pudorem & dolorem.* 2. *Ostenditur, Jesum tunc exhibuisse suum compassionis affectum super mærore sanctarum fœminarum, quando illis locutus est verbum consolatorium. Docemur ut imitemur Jesum, & quæramus compassionis affectum, zelum justitiæ, & spiritum discretionis.* 3. *Ostenditur, Jesum dum locutus est ad mulieres, innuere quòd Judæi magnam sustinebunt calamitatem in die Judicii, ob incredulitatem & contemptum doctrinæ Christi. Monemur timere judicium extremum, & pœnas gehennæ.*

§. I.

Sequebatur autem Jesum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Luc. 23.

Cum Christus Deus (a) præcone clamante, Pilato imperante, sibi bajulans crucem ad supplicium traheretur, factus est concursus populorum post eum euntium: alii super eum plangentes, alii illudentes, & proiicientes lutum & fimum & immunditias super Caput ejus. Erant etiam & mulieres multæ, plangentes eum quasi unigenitum. Inter quas erat Maria Magdalena quæ super omnes dolebat, & plorabat cum aliis mulieribus, quæ eum secutæ fuerant à Galilæa ministrantes ei. O anima Christiana (b) quid agis? quis dabit aquam capiti tuo, & fontem lachrymarum oculis tuis, ut satis plangere, & satis flere possis Jesum bajulantem sibi crucem? Vide (c) quanto desperationis mærore illa discipulorum corda percussa fuerunt. Vide illarum fidelium mulierum lamentationes, quæ dulcissimum Jesum ad passionis locum euntem, cùm sibi crucem bajularet, non deserverunt. Et quia videre est homines sic affectos erga Christi passionem (d) ut vix sine lachrymis audiant vel recordentur. Occurrat itaque spiritualiter (e) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus. Incipiant consideratio nostra in eodem loco (f) ubi propria cruce oneratus, primò portat eam quæ ipsum postea fuit portatura. Cognosce anima mea (g) cognosce: Hic est Dominus Deus noster Jesus Christus, Salvator tuus, unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo; qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce cum sceleratis quomodo reputatus est. Vide anima mea, vide qualiter vir iste per omnia conturbatur & spernitur: sub Crucis onere dorsum incurvare videtur, & tuam ipse portare ignominiam. Heu! (h) candor lucis æternæ nigrescit in Carne pro carne salvanda. Facies ejus, quam Cherubim & Seraphim aspicere desiderant, erat ex lachrymis turgida. Fratres, (i) Lachrymæ Christi mihi & *pudorem* pariunt & *dolorem*. Ludebam ego foris in platea, & in secreto Regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc Unigenitus ejus, exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & ejulans, quòd morte damnatus esset servulus ejus. Intueor eum subitò procedentem, stupeo novitatem, causam percunctor, & audeo dicere: Quid facturus sum? adhucne ludam, & deludam lachrymas ejus? Planè si insanus sum & mentis inops, non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo? Ecce unde pudor. Dolor & timor unde? Utique quia ex consideratione remedii, periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam, sanus mihi videbar: & ecce mittitur Virginis filius, Filius Dei Altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis precioso Sanguinis balsamo medeatur. Sic & medicinæ æstimatio, & doloris mihi & timoris exaggeratio est. Verùm si diligenter observem præcepta medici (K) erit etiam consolationis occasio. Sicut enim gravem agnosco morbum, cui tanta apponitur medicina: sic & ex hoc ipso non incurabilem esse conjecto. Neque enim preciosiores species frustra insumeret medicus sapiens, imò Sapientia ipsa. Porrò frustra insumi constat non solùm si absque eis facilis esset curatio, sed multò magis, si & cum eis sit impossibilis. Itaque [l] quantumcunque gravis se ingeratmemoriæ meæ recordatio scelerum meorum, quantumcunque me deterreat præteritæ vitæ meæ horribilis consideratio, faciant alii quod consueverunt expedire: ego semper sentiam in bonitate de dulcedine Domini mei

p *Ser. 1. in Dom. 6 post. Pent. n. 3.* a *Ser. de lament. V. Mariæ* tom. 6. pag. 1056.

b *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 15.* c *Tract. de vite myst. cap. 46. num. 187.* d *Ser. 29. div. num. 4.* e *Ser. 2. in Cœna Dom. num. 7.* f *Tract. de vite myst. cap. 5. num. 23.* g *Ser. de Pass. Dom. num. 15. & 13.* h *Tract. de vite myst. cap. 5. num. 24.* i *Ser. 3. in Nat. Dom. num. 4.* k *Ibidem num. 5.* l *Epist. 385. num. 8.*

Jesu Christi, semper oculi mei ad misericordiam ejus, sciens nimirùm, & quandoque in me experiens longè efficaciorem ejus dulcedinem esse ad consolandū, multòquè promptiorem ejus benignitatem ad indulgendum, quàm meam iniquitatem ad delinquendum. Scio utique quia non est iniquitas, sicut iniquitas mea: sed è regione non est dolor, sicut dolor ejus. Si supra modum peccavi, non despero: quia supra modum dolvit, in quo respiro. Si exasperatur Deus immanitate sceleris mei, mitigatur proculdubio in dolore satisfactionis Filii sui. Porrò mitis & innocens Agnus bajulans sibi Crucem, non improperat circumstantibus, & insanientibus in eum: sed dulciter suggerit transeuntibus per viam, & respicientibus ad eum. Sic enim scriptum est: *O vos omnes qui transitis perviam, attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus.* O qualem te intueor (m) dulcis Jesu? O dulcissime atque amantissime Iesu, quis te tam amaræ & tam odiosæ morti addixit? Vulnerum antiquorum nostrorum plaga, Salvator. Fletus deducite oculi mei (n) & liquesce anima mea igne compassionis, super contritione amabilis viri hujus, quem in tanta amaritudine tot vides affectum doloribus. Doleo super te Domine mi Rex (o) magister & pater, imò & frater Domine mi Jesu Christe, amabilis valdè super amorem mulierum: cujus sagitta nunquam abiit retrorsùm. Sagittæ enim tuæ, idest, doctrinæ tuæ acutæ sunt. quia vivus est sermo tuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs.

§. II.

Conversus autem ad illas Jesus dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros. Luc. 23.

Salvator crucem suam (p) tanquam latro suum laqueum portans, cùm mulieres quæ eum à Galilæa secutæ fuerant, super se lamentantes respiceret, conversus ad eas dixit: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros.* Christus in die passionis sicut totum hominem salvum fecit (q) sic de toto se fecit hostiam salutarem: Corpus exponens tantis suppliciis & injuriis, Animam verò geminæ cujusdam humanissimæ compassionis affectui: hinc quidem super mærore inconsolabili sanctarum Fæminarum, inde super desperatione & dispersione Discipulorum. In his quatuor crux Dominica fuit: & hæc omnia propter nos passus est, qui tanta charitate compassus est nobis. Nec aliquo modo dubitandum est (r) quin infirmitatem & exterminationem Corporis incomparabilem sustinuerit, qui etiam venerat crucem sustinere, & præ cæteris tantò magis fuerit confectus, quantò major in eo fuit compassionis affectus: qui non solùm facta, sed etiam cogitationes inspexit. Suffragatur his rationibus sententia ipsius Domini sic dicentis: *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Videamus quid sibi hoc velit, quòd Dominus se gallinæ magis quàm alteri animali voluit comparare? Quia, ut à Sanctis Patribus tenetur, ideo factum est, ut exprimatur incomparabilis affectus charitatis. Nullum enim animal circa pullos suos tanta compassione movetur, sicut gallina. Fit enim toto corpore hispida, voce rauca, toto fervens animo & omnibus membris infirma, & usque ad supremum defectum perveniens. Si ergo intantùm pullis suis gallina animal irrationale compatitur: quantò putas optimum Iesum humano generi fuisse compassum? ad quantam putas eum debilitatem & infirmitatem pervenisse? Quanta ipsum putas macie confectum fuisse, qui pro omnibus cognoscitur dolvisse? Unde Esajas ait: *Verè languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portavit.* Hinc moraliter docemur (s) imitari Caput nostrum, Regem & Ducem nostrum, dulcem Jesum. Quærat igitur mens nostra (t) ante omnia compassionis affectum, dehinc rectitudinis zelum, & inter hæc discretionis spiritum non omittat. *Primò*: Quoties peccantem videris fratrem, continuò procedere debet *compassionis affectus*, tanquam cognatus humanitati, quippè quem concipis ex te ipso. *Vos* (inquit Apostolus) *qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Et Dominus cùm exiret bajulans sibi crucem, & plangerent super eum nondum quidem Tribus terræ, sed mulieres paucæ, conversus ad eas: *Filiæ*, inquit, *Jerusalem, nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros.* Ordinem diligenter attende. *Super vos*, inquit primò: deinde *super filios vestros*. Temetipsum attende, ut alii noveris compati, ut arguas in spiritu lenitatis. Temetipsum considera, ne & tu tenteris. Sed quia exemplum efficaciùs persuadet & altiùs imprimit animo, mitto vos ad sanctum illum Senem, de quo in Vitis Patrum legitur. Qui cùm audisset peccâsse unum ex Fratribus, amarissimè flebat inquiens: Ille hodie, & ego cras. Qui sic flebat super se, putas quia non compassus fuit fratri? Hic itaque compassionis affectus multis quidem prodest: quia animus liberalis contristare, quem pro se viderit anxium, erubescit. *Secundò*: Sed quid agimus (u) quòd nonnulli dura cervice & attrita sunt fronte, ut quò magis compatimur, tantò magis nostra & compassione & patientia abutuntur? Nonne sicut compatiebamur fratri, ita ipsi justitiæ compatiendum est, quam videmus tam impudenter abiici, & tam imprudenter provocari? Scio quia si quâ in nobis est charitas, contemptum hunc Dei ferre æquanimiter non possumus. Hic est *zelus justitiæ*, quo adversùs delinquentem accendimur, tanquam pietate ducti erga eam quamvidemus contemni justititiam Dei. Verumtamen oportet, ut priora sibi vendicet compassionis affectus: alioquin in spiritu vehementi conterimus naves Tharsis, conterimus quassatum calamum, extinguimus linum fumigans. Ferveat itaque [x] in nobis zelus iste, charis-

m *Tract. de vite myst. cap. 5. num. 24.* n *Ser. de Pass. Dom. num. 14.* o *Tract. de vite myst. cap. 5. num. 26.* p *Ser. in obitu. devoti Humberti num. 7.* q *Ser. 3. in Dom. Palm. nu. 5.* r *Tract. de vite myst. cap. cap. 5. num. 21.*

s *Ibidem cap. 39.* t *Ser. 2. de Resur. Dom. num. 3.* u *Ibidem num. 4.* x *Ser. de S. Joan. Baptist. num. 9.*

ſimi : ferveat amor juſtitiæ, odium iniquitatis. Nemo, Fratres, vitia palpet, peccata diſſimulet nemo. Nemo dicat : Numquid cuſtos fratris mei ſum ego? Nemo, quod in ſe eſt, æquanimiter ferat cùm viderit ordinem deperire, minui diſciplinam. Eſt enim conſentire, ſilere cùm arguere poſſis : & ſcimus quia ſimilis pœna facientes maneat & conſentientes. Vera eſt etiam (y) illa ſententia : Qui cùm emendare poſſit, negligit, participem ſe proculdubio conſtituit. *Tertio*: Sed cùm vterque aderit (z) videlicet & compaſſionis affectus & zelus juſtitiæ, neceſſe eſt ut adſit *ſpiritus diſcretionis* : ne fortè cùm oportebat hunc adhiberi, ille procedat, & indiſcretio ipſa confundat univerſa. Habeat itaque mens noſtra tertio loco ſpiritum diſcretionis, ut miſcens aptè temporibus tempora, opportunè æmulari & nihilominus ignoſcere ſciat. Samaritanus ſit, cuſtodiens & obſervans quando oleum miſericordiæ, quando vinum fervoris exhibeat. Et ne fortè meum putetis inventum, Prophetam audite in Pſalmo hæc eadem & eodem ordine poſtulantem : *Bonitatem*, inquit, *& diſciplinam, & ſcientiam doce me*.

§. III.

Filiæ Jeruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſipſas flete, & ſuper filios veſtros : quoniam ecce venient dies in quibus dicent : Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos : & collibus, Operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Luc. 23.

Rebroborum perditio (a) noſtra ſit cautio. Dum neſcimus, repentè mors venit. Neſcimus enim quid hodie nobis contingat, & ignoramus ſi hac nocte animam noſtram conditio mortis depoſcat. Quotidiè ad finem vitæ tendimus, & ad mortem properamus. Idcirco ſingulis horis cogitare debemus, quò ſingulis momentis properamus. Unde Dominus ait per Oſeam Prophetam. *Perditio tua Iſraël ex te tantùm, in me auxilium tuum*. Quaſi diceret : Ut pereas, imputes tu merito : ut ſalveris, meo auxilio. Audi denique ipſum : (b) *Si non veniſſem, ait, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*. Non dicit ſimpliciter, & locutus non fuiſſem, ſed inſerens, *ait*: *Et locutus eis*, inquit, *non fuiſſem*: oſtendens ſine dubio non ante cenſeri inexcuſabiles de contemptu, quàm ad ipſorum uſque notitiam juſſio perveniret. Nam ſi locutus quidem fuiſſet, ſed non eis, inobedientiæ culpam ignorantia nihilominùs excuſaret. Nunc autem, inquit, quoniam *locutus ſum eis, excuſationem non habent de peccato ſuo*. Unde hi qui ante non reſpiraverunt (c) nec enim quæſierunt inſpirantis diei lumen, & ſol juſtitiæ non ortus eſt eis, ibunt de tenebris in tenebras denſiores, ut qui in tenebris ſunt, tenebreſcant adhuc. Certum id quidem Fratres (d) omnem, qui non credit in Filium Dei, ex hoc ipſo jam nonmodò victum eſſe, ſed etiam judicatum. In priori adventu Chriſtus in terris viſus (e) & cum hominibus converſatus eſt, quando, ſicut ipſe teſtatur, *Et viderunt, & oderunt*. In poſteriori verò adventu videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri: & videbunt in quem transfixerunt. Veniet enim (f) cùm præcedentibus omnibus Angelis, & ſubſequentibus hominibus univerſis, deſcendet judicare vivos & mortuos. Quis cogitabit diem adventûs illius (g) quando deſcendet cum plenitudine luminis, præcurrentibus Angelis, & tubæ concentu excitantibus corpus inops? Veniet Dominus (h) expectantibus eum in veritate, ex quibus erat qui dicit : *Expectans expectavi Dominum*. Veniet tanquam revertens à nuptiis inebriatus vino charitatis, & immemor iniquitatum noſtrarum. Veniet non expectantibus tanquam revertens à nuptiis, tanquam potens crapulatns à vino, verè ebrius & immemor miſerationum ſuarum. Tunc enim quantùm ad illos obliviſcetur miſereri Deus. Veniet in ira & indignatione tanquam furibundus. Videbunt eum Sancti in corona gloriæ (i) & perpetualiter gaudebunt. Videbunt eum impii in corona juſtitiæ, & peribunt. O judiciorum Dei (k) abyſſus multa! O terribilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum! Fruſtra *tunc incipient miſeri dicere montibus, Cadite ſuper nos : & collibus, Operite nos*. Venient, venient ante tribunal Chriſti. Quis ille pudor erit (l) quævè confuſio, poſt tanta beneficia tam ingratos, tam imperfectos, tam vacuos apparere ante faciem Dei noſtri. Fugiebat Adam ut abſconderetur ab eo, poſt unius utique pomi vetiti guſtum : quid illi poſt tanta flagitia, poſt tanta facinora præſument? Siquidem (m) graviſſimum peccatum commiſſum eſt in Dominum majeſtatis, cùm viri impii virum juſtum injuſtè occiderunt, & ſacrilegas manus in ipſum Dei Filium injecerunt crudeliſſimi homicidæ, imò ſi fas eſt dicere, etiam Deicidæ. Quid tam pavendum [n] quid tam plenum anxietatis & vehementiſſimæ ſollicitudinis excogitari poteſt, quàm judicandum adſtare illi tam terrifico Tribunali, & incertam adhuc expectare ſub tam diſtricto Judice ſententiam? *Horrendum eſt* (ait Apoſtolus) *incidere in manus Dei viventis*. Horrendum inquam eſt [o] incidere in manus Dei viventis, offendere Creatorem, neſcire Dominum, recalcitrare dominantis imperio, qui habet poteſtatem corpus & animam mittere in gehennam. *Terribilis certè* (ſicut ait Apoſtolus ad Hebræos) *quædam expectatio Iudicii* : quando ignis in conſpectu ejus exardeſcet, & virtutes Cælorum movebuntur, & vacillantibus conſcientiis, latitudinem mundi validiſſimus ignis aduret. Nihil prorsùs terribilius eſt, quàm videre latronis officinam plenam ſanguine, cumulatam opprobriis, tormentis inundantem. Quis hæc diutiùs cogitans non ſtatim contremiſcat, & in deſperationis rotetur abyſſum? Time nunc ô homo [p] quòd in terribili Judicio ei præſentandus es, in cujus manus horrendum eſt incidere : & eo examinante quem nihil latet, ſi inventa fuerit in te iniquitas, alienandus es ab univerſitate quietis & gloriæ, & ſegregandus à numero Beatorum.

y *Ser. 40. diver. n. 8.* z *Ser. 2. de Reſurrect. Dom. n. 5.* a *Tract. de inter. domo cap 25. n. 57. tom. 5. pag. 431.* b *Tract. ad Hugonem. cap. 1. n. 3.* c *Ser. 72. in Cant. n. 10.* d *Ser. 1. in oct. Paſch. n. 3.*

e *Ser. 5. de Adv. Dom. n. 1.* f *Ser. 2. de Aſcenſ. Dom. n. 4.* g *Ser. 6. de Advent. Dom. n. 5.* h *Ser. 1. in Dom. 1. poſt. Epiph. n. 1.* i *Ser. 50. div. n. 1.* k *Tract. de vit. & mor. Cleric. c. 7. n. 20.* l *Ser. 28. diver. n. 7.* m *Ser. in fer. 4. heb. ſan. n. 7.* n *Ser. 8. ſuper. Pſal. 90. n. 12.* o *Ser. de S. M. Magd. n. 6.* d *Ser. 12. div. n. 4.*

rum. Pensa nunc benè cujus sit formidinis & horroris (q) tuum atque omnium contempsisse Factorem, offendisse Dominum majestatis. Majestatis est timeri, Domini est timeri, & maximè hujus Majestatis, hujus Domini. Nam si reum Regiæ majestatis quamvis humanæ, humanis legibus plecti capite sancitum sit: quis finis contemnentium Divinam omnipotentiam erit? Tangit montes, & fumigant: & tam tremendam Majestatem audet irritare vilis pulviculus, uno levi flatu mox dispergendus, & minimè recolligendus? Ille ille timendus est, qui postquam occiderit corpus, potestatem habet mittere & in gehennam. Paveo gehennam, paveo Judicis vultum, ipsis quoque tremendum Angelicis potestatibus. Contremisco ab ira Potentis, à facie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempestate valida, à voce Archangeli, & à verbo aspero. Contremisco à dentibes bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam. Horreo vermem rodentem, & ignem torrentem, fumum & vaporem & sulphur, & spiritum procellarum: horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & stridorem dentium, & manuum pedumquè dura vincula & pondus catenarum prementium, stringentiū, urentium, nec consummentium? Heu me! Mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis & plorationis æternæ? Cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, natus in combustionem, & cibus ignis?

CAPUT III.

De imitatione Christi bajulantis Crucem.

Dicebat Jesus ab omnes: Siquis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Luc. 9. Matt. 16.

1. *Christus proponit animæ rationali servitutem in abnegatione sui: ut quæ ceciderat per inobedientiam à seipsa, id est à libertate, abnegando semet ipsam, id est propriam voluntatem, recuperet per obedientiam libertatem sui.* 2. *Proponit eidem animæ vilitatem in toleratione crucis: ut quæ ceciderat per inobedientiam à societate Angelorum, id est à dignitate, tollendo crucem suam, id est carnem suam affligendo, per continentiam recuperet societatem Angelorum.* 3. *Christus proponit animæ rationali asperitatem in imitatione sui: ut quæ per inobebientiam ceciderat à visione Dei, id est à Beatitudine, sequendo Christum, id est ejus passionem imitando, recuperet visionem claritatis ejus. Ostenditur, triplex dari genus hominum: quorum alij trahuntur ad Jesum, alij ducuntur, alij rapiuntur.*

q *Ser. 16. in Cant. n. 7.*

§. I.

Qui vult venire post me (a) *abneget semet ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Tria proposuit Christus Dei Virtus & Dei Sapientia, Angelus magni consilij, animæ rationali ad imaginem Trinitatis factæ: scilicet *servitutem*, *vilitatem*, *asperitatem*. In abnegatione sui *servitus*, in toleratione crucis *vilitas*, in imitatione Christi designatur *asperitas*: ut anima quæ per inobedientiam de statu trinæ felicitatis ceciderat, humiliata afflictione trinæ miseriæ per obedientiam resurgat. *Primò* enim ceciderat anima rationalis *à seipsa*, idest, *à libertate*. Audiat ergo consilium, ut abnegando semetipsam, id est propriam voluntatem, sui libertatem recuperet. Porrò quid est semetipsum abnegare (b) nisi voluptatibus propriis renunciare? ut qui superbus erat, sit humilis: & qui erat iracundus, sit mansuetus: & qui erat luxuriosus, sit castus: & qui erat ebriosus, sit sobrius: & qui erat avarus, sit largus. Nam si ita quisque renunciet omnibus quæ possidet, & non renunciet suis pravis moribus, non est Christi discipulus. Qui renuntiat suis rebus, sua abnegat; qui renuntiat suis pravis moribus, semetipsum abnegat. Mundus transit & concupiscentia ejus: (c) proinde relinquere hæc magis expedit, quàm relinqui. *Ecce* (inquit Petrus) *nos relinquimus omnia*. Omnia sanè dixerim, non tantùm possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maximè. Plùs enim concupiscentia mundi quàm substantia nocet. Et hæc fugiendarum causa divitiarum præcipua est, quòd aut vix, aut nunquam sine amore valeant possideri. Liminosa siquidem & glutinosa nimis non modò exterior, verum etiam interior substantia nostra videtur, & facilè cor humanum omnibus quæ frequentat, adhæret. Age ergo qui relinquere universa disponis (d) te quoque inter relinquenda numerare memento. Imò verò maximè & principaliter abnega temetipsum, si deliberas sequi eum, qui exinanivit propter te semetipsum. Pone gravissimam sarcinam, pone asinariam molam, & terrenam molem: pone illa quinque non hominum planè juga sed boum, quæ tibi insipienter emisti. Alioquin sequi Sponsum Jesum, & venire ad nuptias spirituales quinaria hac pressus & oppressus corporis sensualitate non poteris. Sed & si novissimè veneris & pulsaveris, minimè profectò aperietur tibi, sed respondebitur de intus, quòd non sit de bobus & asinis cæterisquè jumentis insipientibus cura Deo. Ergone (e) bestiæ sumus? Bestiæ prorsùs. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus*. Bestiæ profectò sunt homines, oves errantes non habentes pastorem. Proinde (f) ait Dominus Jesus: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*: quia nisi quis à semetipso deficiat, ad Christum Regem sublimem non appropinquat. Felix est propter Christum addicatio sui, quam qui perfectè non habet, se Christo ad purum placere non existimet. Frustra enim Christo placere se credit, qui seipsum propter ipsum non abiicit: & perfectè se nove-

a *Ser. 63. diver.* b *Tract. de mod. bene viven. cap. 7. n. 18.* c *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 1. n. 1.* d *Ibidem n. 2.* e *Ser. 3. super. Psal 92. n. 1.* f *Ser. 11 in ultim. Cœna num. 9.*

noverit illi placere, qui perfectè jam propter ipsum se didicerit abdicare. Ut ergo Christo placere possimus, necessaria nobis est abdicatio nostri, quantùm nostra valetudo permittit, non quantùm odium nostri, lanceâ peccatorum perfossa, in nos quandoque manus iniicere gestierit: maximè duntaxat in alimentis sumendis, ubi conservandus est vigor naturæ, & non sequendus est appetitus illecebrosæ gulæ. Contra vitia quæ de lumbis carneis pugnantia procedunt, palmativè belligerare nequimus, nisi priùs appetitum gulæ restringamus fortiter contusione abstinentiæ. Legimus Verbum (g) in Evangelio loquens: *Esto consentiens*, inquit, *adversario tuo, dum es in via cum illo, ne fortè tradat te judici & judex tortori*. Quid consultius? Verbi consilium est (ni fallor) se adversarium protestantis, quòd adversetur carnalibus desideriis nostris dum dicit: *Semper hi errant corde*. Tu verò qui hæc audis, si pavens cœperis velle fugere à ventura ira, credo sollicitus eris quomodò huic consentias adversario, qui tibi illam tam terribiliter intonare videtur. At istud impossibile est, nisi dissentias tecum, nisi tibimet adverseris, nisi gravi & vigili lucta tuipse contra teipsum infatigabiliter prælieris, postremò nisi valefacias inveteratæ consuetudini, innatæquè affectioni: abnegando temetipsum (h) propter ipsum qui seipsum exinanivit, & pro nostra salute formam servi suscepit, in qua solvit quæ non rapuit, qui flagellari & mactari, crucifigi & occidi pro nobis volvit. Felix abnegatio, & beatus contemptus, qui facit de de peccatore justum, de inimico amicum, de servo filium: imò quod magnum est, de servo diaboli filium Dei.

§. II.

Secundò ceciderat anima rationalis (i) *à societate Angelorum*, idest, à dignitate. Audiat ergo consilium, ut tollendo crucem suam, idest, carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigendo, per continentiæ bonum recuperet societatem Angelorum. Nam (k) propter crucem piis dictum est: *Qui sunt Christi Jesu, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*. Cum quo ut simul (l) crucifigamur & nos, attentiùs auribus cordis audiamus vocem Christi dicentis: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. Ac si dicat: Qui me desiderat, se despiciat: qui vult facere voluntatem meam, discat frangere suam. Crux à cruciatu dicitur (m) aut certè cruciatus à cruce. Qui crucem portat (n) debet mundo mori: nam crucem ferre, semetipsum est mortificare. Crucem ferre & non mori, simulatio hypocritarum est. Porrò (o) audi Apostolum dicentem: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Non solùm, inquit, mortuus mundo, sed & crucifixus: quod est ignominiosum genus mortis. Ego illi, papariter & ipse mihi. Omnia quæ mundus amat, crux mihi sunt: delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes. Quæ verò mundus reputet crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu. Nulla ergo & te (p) mundi oblectamenta inclinent, nullæ adversitates deiiciant. Absit tibi gloriari nisi in cruce Domini tui Jesu Christi, per quem tibi mundus crucifixus est: ut quæ mundus appetit, crucem reputes: & tu crucifixus mundo, illis quæ mundus crucem reputat, toto inhæreas amore. Ea quæ amatores seculi diligunt (q) servi Dei velut adversa refugiunt. Servi Dei plùs gaudent adversitatibus mundi, quàm prosperitatibus delectantur. Ea quæ in hoc mundo sunt, servis Dei contraria sunt: ut dum ista adversa sentiunt, ad cæleste regnum cum summo desiderio suspirent. Magna apud Deum refulget gratia, quæ huic mundo contemptibililis est. Nam revera necesse est, ut quæ mundus odit, diligantur à Deo. Sancti viri peregrini sunt & hospites in seculo. Unde reprehenditur Petrus, quòd tabernaculum in monte fieri volverit: quia Sanctis in hoc mundo tabernaculum non est, quibus in cælo patria & domus est. Cuncta temporalia quasi herbæ marcentes siccantur & transeunt: & ideo præ æternis rebus quæ nunquam arescunt, rectè servi Dei ista contemnut & despiciunt: quia in eis nullam stabilitatem aspiciunt. Sancti viri (r) qui perfectè seculum contemnunt, ita huic mundo moriuntur, ut soli Deo vivere delectentur. Et quantò se à conversatione hujus seculi subtrahunt, tantò magis oculis mentis præsentiam Dei, atque Angelicæ societatis frequentiam contemplantur. Quamvis enim Deus in medio hominum carnalium vitam electorum protegat, tamen valdè rarum est, ut homo inter seculi voluptates positus à peccatis sit alienus. Non erit semper securus, qui periculo fuerit proximus. Quidni periclitetur castitas in deliciis (s) humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc seculo nequam? Fugite ergo de medio Babylonis, fugite, & salvate animas vestras. Bonum est (t) ut homo sit corporaliter remotus à mundo: sed multò est melius, ut sit & voluntate elongatus à seculo. Unde Beatus Job ait: *Onager contemnit civitatem*: & servus Dei contemnit secularium hominum societatem. Qui perfectè mundum despiciunt, adversa vitæ nostræ appetunt, & prospera contemnunt: & dum ab eis vita hæc contemnitur, cælestis invenitur. Longè quippe à Deo est animus, cui hæc miserabilis vita dulcis est. Iste enim quid de cælestibus concupiscat, vel quid de terrenis despiciat, ignorat. Nam sicut scriptum est: *Qui apponit scientiam, apponit & dolorem*. Quantò homo plùs potest superna cognoscere quæ concupiscat, tantò ampliùs dolere debet de terrenis & transitoriis rebus, quibus involvitur. Cui autem Christus incipit dulcescere (u) profectò necesse est amarescere mundum. Est siquidem panis qui de cælo descendit, habens omne delectamentum & suavitatem saporis. Sapor est Patris per illam æternam & ineffabilem naturam. Sapor est Angelorum per gratiam. Sapor est noster per misericordiam. Proinde si justus esse volueris (x) necesse est ut non solùm præsens seculum contemnans, sed & ipsam carnem castiges, & subiicias servituti. Nam Christus dixit: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam,*

&

g Ser. 85. in Cant. n. 2. h Ser. 13. in ult. Cœna n. 115. i Ser. 63. div. k Ser. 2. in Cœna n. 6. l Ser. 2. de S. Andr. n. 5. m Ser. in vig. S. Andr. num. 3. n Ser. de modo bene vive. cap. 1. o Ser. 7. in Quadrag. n. 3.

p Ser. 4. de Ascens. Dom. n. 13. q Tract. de modo bene viven. cap. 7. n. 18. r Ibidem n. 19. s Tract. de Convers. ad Cleric. cap. 21. n. 38. t Tract. de modo bene viven. cap. 7. n. 19. u Ser. de ver. Sap. num. 2. tom. 6. pag. 768. x Ser. 3. in Epiph. Dom. n. 6.

& sequatur me. Quod exponens Apostolus: *Quicunque*, inquit, *sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*.

§. III.

Tertiò [y] ceciderat anima rationalis *à visione Dei*, ideſt, à beatitudine. Audiat ergo consilium, ut sequendo Christum, ideſt, ejus passionem immitando, recuperet claritatis ejus visionem: quia si compatimur ei, & conregnabimus. Tu itaque si desideras videre sublimem [z] humilem priùs Jesum videre curato. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet humiliatum. Reprimat & sanet ista tumorem tuum, ut illa repleat & satiet desiderium tuum. Exinanitum vides? Non sit ociosa visio, quia exaltatum ociosè videre non poteris. Similis eris illi, cùm videris eum sicuti est. Esto & nunc similis ei, videns eum sicut propter te factus est. Si enim ne in humilitate quidem similitudinem ejus abnuis, certa tibi sublimitatis quoque similitudo debetur. Nunquam ille socium tribulationis à communione glorię patietur arceri. Denique usque adeo non dedignatur passionis suæ consortem & in regnum mittere secum, ut in cruce confitens Latro eadem die cum eo fuerit in paradiso. Hinc est quod ait etiam ad Apostolos: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus, & ego dispono vobis regnum*. Quia ergo si compatimur, & conregnabimus, sit interim meditatio nostra Christus, & hic crucifixus. Ipsum sequamur studio piæ conversationis. Hoc enim est iter, quo ostendatur & nobis ipse, qui est salutare Dei sanè non jam sine specie & decore, sed in claritate tanta ut majestas ejus repleat orbem terram. Christus Dominus [a] & in vita passivam habuit actionem, & in morte passionem activam sustinuit, dum salutem operaretur in medio terræ. Facit ergo mihi fortitudo, facit similitudo, sed si accesserit etiam imitatio, ut sequar vestigia ejus. Alioquin etiam exquiretur à me Sanguis justus, qui effusus est super terram: nec immunis ero ab illo tam singulari scelere Judæorum, quòd videlicet tanti charitati ingratus fuerim, quòd spiritui gratiæ contumeliam fecerim, quòd Sanguinem testamenti pollutum duxerim, quòd conculcaverim Filium Dei. Quàm pauci (b) post te, ô Domine Jesu, ire volunt, cùm tamen ad te pervenire nemo sit qui nolit: hoc scientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua usque in finem. Et propterea volunt omnes te frui, at non ita & imitari: conregnare cupiunt, sed non compati. Ex his erat ille qui dicebat: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia*. Optabat sibi extrema justorum, sed non ita & principia. Mortem spiritualium optant sibi etiam carnales, quorum tamen vitam abhorrent, scientes preciosam mortem esse sanctorum: quoniam cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, & quia beati mortui qui in Domino moriuntur: cùm è contrario juxta Prophetæ sententiam, *mors peccatorum pessima sit*. Non curant quærere quem tamen desiderant invenire, cupientes consequi, sed non & sequi. Non sic illi quibus ajebat: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis*. Beati qui digni habiti sunt testimonio tuo, benigne Jesu. Ipsi revera ibant post te & pedibus & affectibus. Notas eis fecisti vias vitæ, vocans eos post te, qui via & vita es & veritas, dicens: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*. Dicebant ergo discipuli gloriantes: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te*. O perversitas (c) ô abusio filiorum Adam, quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leviter ascendunt, & difficiliùs descendunt, parati ad honores & celsitudines graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam Angelicis humeris formidandas. Ad sequendum autem te Domine Jesu vix inveniuntur, qui velint duci per viam mandatorum tuorum. Alii enim *trahuntur*, qui possunt dicere: *Trahe me post te*. Alii *ducuntur*, qui dicunt: *Introduxit me Rex in cellaria sua*. Alii *rapiuntur*, sicut Apostolus raptus est ad tertium cœlum. Et primi quidem felices sunt, qui in patientia sua possident animas suas. Secundi feliciores, quia ex voluntate sua confitentur ei. Tertii felicissimi, qui in profundissima Dei misericordia, quasi quodammodò sepultâ jam arbitrii sui potestate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur, nescientes sive in corpore sive extra corpus, hoc solùm scientes quòd rapti sint. Beatus qui ubique te ducem habet Domine Jesu, non illum refugam spiritum (*diabolum*) qui statim ascendere voluit, & totâ Divinitatis dexterâ percussus est. Nos autem populus tuus & oves pascuæ tuæ sequamur te, per te, ad te: quia *tu es via, veritas, & vita*: Via in exemplo, Veritas in promisso, Vita in præmio. Verba enim æternæ vitæ habes, & nos cognoscimus & credimus quia tu es Christus Filius Dei vivi. Ad te proinde (d) libenter accedimus Domine Jesu, discipuli ad magistrum, infirmi ad medicum, servi ad Dominum. Tu es enim magister & Dominus, cujus schola est in terris, cathedra in cœlis. Tu es ille eximius medicus, qui solo verbo restauras universa. Vias tuas demonstra nobis, & semitas tuas edoce nos: viæ enim tuæ viæ pulchræ, & omnes semitæ tuę pacificicæ. Beati, qui ambulant in via tua Domine virtutum: beatiores, qui currunt viam mandatorum tuorum: beatissimi, qui currunt in odore unguentorum tuorum. Exultas enim ut gigas ad currendam viam: & non solùm currens, sed & saliens in montibus, & transiliens colles. Exultaverunt gigantes Philosophi non ad currendam viam tuam, sed ad quærendam vanam gloriam, evanescentes in cogitationibus suis, non in humilitate aut in virtutibus tuis, sed suis. Viam enim sapientiæ nescierunt, neque meminerunt semitarum ejus. Non est audita in Chanaam, neque visa est in Theman. Maledicti qui dixerunt Domino Jesu: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Nos autem quærimus te de die in diem, & scire vias tuas volumus.

CA-

y *Serm. 63. diver.* z *Serm. 1. de verb. Esaiæ num. 2.* a *Ser. in fer. 4. hebd. San. nu. 11.* b *Ser. 21. in Cant. nu. 3.* c *Ser. 2. in Ascens. Dom. nu. 6.* d *Ser. 40. diver. nu. 1.*

CAPUT IV.

De ſuavitate jugi Chriſti, quæ ad guſtandum datur portantibus jugum ejus.

1. *Oſtenditur, Chriſtum reficere portantes jugum ſuum triplici cibo: incipientes cibo humilitatis, proficientes cibo charitatis, perfectos cibo ſapientiæ. Septem ſunt panes, quibus nos paſcit Chriſtus: imò & ipſe paſcitur profectibus noſtris.* 2. *Invitamur ad tollendum jugum ejus ſuave, quo auferatur durum jugum ſæculi ab humeris noſtris, & onus premens animas noſtras. Reprehenditur dementia hominum, qui potiùs malunt emere multiplex jugum mundi durum, quàm tollere jugum Chriſti ſuave.* 3. *Oſtenditur, jugum Chriſti nullum habere onus ſeu laborem: probatur què exemplo & ſimilitudine, quòd onus Chriſti non onerat, ſed alleviat portantes ipſum.*

§. I.

Dominus ait: *Venite ad me omnes* (a) *qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*; quos veſtræ ſeu alienæ voluntatis dura premit ſervitus. Illud quoq; quod in ſcala illa (b) quæ in typo humilitatis Jacob monſtrata eſt, & Dominus deſuper innixus apparuit: quid nobis aliud innuit, niſi quòd in culmine humilitatis conſtituitur cognitio veritatis. Dominus quippe de ſummitate ſcalæ proſpiciebat ſuper filios hominum tanquam Veritas (cujus oculi ſicut fallere nolunt, ita falli non norunt) ut videret ſi eſt intelligens aut requirens Deum. An non tibi de alto videtur clamare ac dicere requirentibus ſe: *Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me: & à generationibus meis implemini?* Et illud: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ergo reficiam vos. Venite*, inquit Dominus. Quò? Ad me Veritatem. Quâ viâ? Per humilitatem. Quo fructu? Ego vos reficiam. Sed quæ eſt refectio quam Veritas aſcendentibus promittit, pervenientibus reddit? Charitas eſt. Verè dulcis & ſuavis cibus eſt charitas, quæ feſſos allevat, debiles roborat, mæſtos lætificat: jugum denique Veritatis facit ſuave, & onus leve. Bonus cibus charitas: (c) quæ media in ferculo Salamonis conſiſtens, diverſarum odore virtutum, velut diverſi generis fragrantiâ pigmentorum, eſurientes reficit, jucundat reficientes. Ibi ſiquidem apponitur pax, patientia, benignitas, longanimitas, gaudium in Spiritu Sancto: & ſi quæ ſunt aliæ virtutes ſeu ſapientiæ generationes, apponuntur in illa. Habet & humilitas in eodem ferculo ſuas epulas, panem ſcilicet doloris & vinum compunctionis: quas primò Veritas *incipientibus* offert, quibus utique dicitur: *Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris*. Habet ibidem contemplatio ex adipe frumenti ſolidum cibum ſapientiæ, cum vino quod lætificat cor hominis: ad quæ Veritas *perfectos* invitat dicens: *Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini chariſſimi. Media*, inquit, *charitate conſtravit propter filias Jeruſalem*, propter imperfectas, videlicet animas: quæ dum adhuc illum ſolidum cibum minùs capere poſſunt, lacte interim charitatis pro pane, oleo pro vino nutriendæ ſunt. Quæ rectè *media* deſcribitur, quia ejus ſuavitas nec incipientibus præſtò eſt, prohibente timore: nec perfectis ſatis eſt, pro abundantiori contemplationis dulcedine. Hi adhuc à noxiis carnalium delectationum humoribus timoris amariſſima potione purgandi, nondum lactis dulcedinem experiuntur. Illi jam auulſi à lacte, epulari ab introitu gloriæ glorioſiùs delectantur: Solis mediis, ideſt proficientibus ita jam melleas quaſdam ſorbitiunculas charitatis expertis, ut illis interim pro ſui teneritudine contenti ſint. Primus ergo cibus eſt *humilitatis* [d] purgatorius cum amaritudine: ſecundus *charitatis*, conſolatorius cum amaritudine: tertius *contemplationis*, ſolidus cum fortitudine. Bona tamen via humilitatis, quâ veritas inquiritur, charitas acquiritur, generationes ſapientię participantur. Deniq; ſicut finis legis eſt Chriſtus, ſic perfectio humilitatis eſt cognitio veritatis. Chriſtus cùm venit, attulit gratiam: veritas quibus innotuerit, dat charitatem. Innoteſcit autem humilibus: humilibus enim dat gratiam. Deniq; qui habet aures audiendi (e) audiat Chriſtum clamantem in templo: *Qui ſitit, veniat ad me & bibat*. Et: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Septem panes quibus reficiamini (f) iſti ſunt. *Primus* panis eſt verbum Dei, in quo vita hominis eſt, ſicut & ipſe Chriſtus teſtatur. *Secundus* panis eſt obedientia: quoniam *meus cibus eſt*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus qui miſit me*. *Tertius* panis eſt meditatio ſancta, de qua ſcriptum eſt: *Cogitatio ſancta conſervabit te*. Et quæ alio in loco nominari videtur *panis vitæ & intellectus*. *Quartus* panis ſunt orantium lachrymæ. *Quintus* verò panis eſt pænitentiæ labor. Ne mireris quòd laborem aut lachrymas panes dixerim, niſi fortè excidit tibi quod in Propheta legiſti: *Cibabis nos pane lachrymarum*. Et in alio Pſalmo: *Labores*, inquit, *manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit*. *Sextus* panis eſt jucunda unanimitas ſocialis: panis in quam ex diverſis granis confectus, fermentatus utiquè Sapientiâ Dei. Porrò *Septimus* panis eſt Euchariſtia: quoniam *panis*, inquit, *quem ego do, caro mea eſt pro mundi vita*. Bonus paterfamilias (g) qui ſuorum domeſticorum curam gerit, maximè in diebus malis: ut alat eos in fame, cibans illos pane vitæ & intellectûs, & ſic nutriens ad vitam æternam. At paſcens ita puto nihilominùs paſcitur ipſe, & quidem eſcis quibus libenter veſcitur profectibus noſtris. Etenim gaudium Domini fortitudo noſtra. Ita ergo & cùm paſcit paſcitur, (h) & cùm paſcitur paſcit, ſimul nos ſuo gaudio ſpirituali reficiens, & de noſtro æquè ſpirituali profectu gaudens. Cibus ejus pœnitentia mea, & cibus ejus ſalus mea, cibus ejus ego ipſe. An non cinerem tanquam panem manducat? Ego autem quia peccator ſum, cinis ſum, ut manducer ab eo. Mandor cùm arguor, glutior cùm inſtituor, decoquor cùm immutor, digeror cùm transformor, unior cùm conformor. Nolite mirari hoc, & manducat nos, & manducatur à nobis, quò arctiùs illi aſtringamur.

a Ser. 26. diu. num. 4. b Tract. de grad. humil. cap. 2. num. 5. c Ibidem num. 4. d Ibidem. num. 5. e Epiſt. 106. nu. 1. f Ser. 1. in Dom. 6. poſt Pent. nu. 3. g Ser. 71. in Cant. nu. 4. h Ibidem num. 5.

§. II.

Tollite (i) *jugum meum super vos*, ait *Dominus*. Acsi diceret: Non impono invitis, sed vos tollite si vultis. Ecce oleum (k) ad cujus præsentiam jugum vestræ captivitatis computrescet, sicut ait Esajas sanctus: *In illa die auferetur onus ejus de humero tuo, & jugum de collo tuo, & computrescet jugum à facie olei*. Quæ est ista dies, quod onus istud, quod jugum? Audi quod idem Propheta præmittit: *Suscitabit super eum Dominus* (scilicet super Regem Assiriorum) *flagellum supra plagam Madian in petra Oreb, & virgam suam super mare, & levabit eam in via Ægypti*. Flagellato itaque & percusso diabolo, qui est rex super omnes filios superbiæ: levavit Dominus virgam suam super mare, & levavit eam in via Ægypti. Mare est sęculum, virga est Crux, via Ægypti est via illa lata & spaciosa quæ ducit ad mortem. Gratias tibi Domine Jesu, qui exaltasti virgam tuam super mare, prosternens Cruci tuæ superbiam sæculi, & subiiciens ei principatus & potestates. Verè Domine, Crux tua premit fluctus sæculi, sedat tempestates persecutionum, & tentationum procellas mitigat. Levasti etiam eam in via Ægypti, ut obstructâ illâ viâ latâ quæ ducit ad mortem, illam arctam viam & angustam ostenderes, quæ ducit ad vitam. An nescitis? An non sentitis? An non experimini? Fervet in carne æstus concupiscentiæ, aliquando in mente ira desævit, indignationis & amaritudinis verba prorumpunt, & adinstar maris quod vehementer agitat ventus, omnia interiora hominis conturbantur: sed levante super hoc mare Crucem suam Jesu, sedantur omnia, omnia conquiescunt. Meritò hac die (l) idest tempore gratiæ, tempore misericordiæ, tempore quo Crux levatur, quo Christo subditur mundus, quo princeps mundi hujus eiicitur foras: hac inquam die, hoc tempore auferetur onus de humero vestro. Quod onus? Legimus in Scripturis multa onerum genera. Nam sanctus Esajas undecim nobis onera prophetico sermone describit. 1. Onus Babylonis. 2. Onus Philistiim. 3. Onus Moab. 4. Onus Damasci. 5. Onus Deserti maris. 6. Onus Ægypti. 7. Onus Dama. Onus in Arabia. 9. Onus Vallis visionis. 10. Onus Tyri. 11. Onus jumentorum Austri. Et quid est onus, nisi pondus quoddam deprimens animam, & ad terram inclinans: faciens eam ad inferiora respicere, & negligere superiora? Tale nobis onus aliquando ex mundi provenit delectatione: & hoc est *Onus Babylonis*. Aliquando ex immundorum spirituum immissione; & hoc est *Onus Philistiim*. Aliquando ex naturali quadam & inevitabili necessitate: & hoc est *Onus Moab*. Aliquando ex tenebris ignorantiæ: & hoc est *Onus Ægypti*. Aliquando ex innata nobis infirmitate: & hoc est *Onus Damasci*. Aliquando ex malorum persecutione: & hoc est *Onus Deserti maris*. Aliquando ex occulta animi vexatione: & hoc est *Onus Dama*. Aliquando ex timore mortis: & hoc est *Onus in Arabia*. Aliquando ex vanitate quando proficimus: & hoc est *Onus Vallis visionis*. Aliquando ex angustia pro his quæ toleramus: & hoc est *Onus Tyri*. Aliquando ex charitate quando aliis prodesse desideramus: & hoc est *Onus jumentorum Austri*. An verò comparatum jumentis esse quis dubitet hominem (m) qui sibi juga emerit jumentorum: nisi quòd eò sanè ipsis quoque jumentis convincitur stolidior, & bestialior bestiis comprobatur, quòd juga necessitatis earum propriâ ipse subeat voluntate? Quod enim illis natura est, huic culpa: dum tanquam unus ex his quæ ratione carent, sine ratione degens & ipse, sub corporeis similiter sensibus incurvatur. Sed quid eum juga subisse causamur? Arguamus magis emisse. Illud enim stoliditatis miserandæ, istud extremæ dementiæ est. Planè & in eo qui juga emit, contrarium fieri manifestum est. Quid enim juga emit, & juga boum (n) cui jugum suave offertur? Nam jugum Christi, jugum hominis est, siquidem & Christus homo. Necmodò gratis tribuitur, sed & copiosa his qui tulerint illud, remuneratio est, ut à nemine non dico emi, sed gratis sustineri queat. Quid ergo miser pro jugo boum distrahis animam tuam, qui jugum Christi suscipiens emere poteras regnum Dei, mercari vitam, lucrifacere Christum? Nam sine jugo interim esse non potes homo, nimirùm qui natus es ad laborem: sed *grave jugum super omnes filios Adam*, utique qui sequuntur eum. Nam super eos qui Christum sequuntur, leve est & suave. Postremò ut cætera sileam, cùm sine jugo esse non possint: quale hoc ipsum est eligere potiùs quinque quàm unum? Quis enim potest servire quinque dominis, nedum quinque tyrannis, quinque prædonibus? Siquidem *oculus* meus deprædatur animam meam. An non sæpè aliud *gula* exigit, ad aliud prutitus *aurium* vocat? Sic & *odoratus* & *tactus* diversa imperant, interdum forsitan & adversa, dum uterque communem sibi gestit præripere servum, & trahit sua quemque voluptas. Vides excusationem hominis qui propterea Christum non sequitur, propterea se excusat à nuptiis, quòd juga boum emerit quinque? Quòd si eorum laborem & dolorem consideres (o) si numeres eorum juga qui variis serviunt vitiis morum, magis quàm corporum sensibus: erit profectò invenire jam homines, qui multò magis in labore hominum non sunt, sed longè ampliùs aliena ab homine flagella sustineant. Erit invenire ementes nonmodò quinque, sed plusquàm quinquaginta quinque, non planè jumentorum juga, sed dæmonum. Contendunt *ambitio*, & *elatio cordis*: altera modum, altera foveam parat: volare altera jubet, repere monet altera, cùm neutrum profectò sit hominis. Quis enim es tu (ait *elatio*) quis verò ille, vel ille est, aut quæ domus patris eorum, ut eis in aliquo cedas, ut reverearis eos, ut aliquatenùs eis blandiaris? At bonus sermo bonum invenit locum (ait *ambitio*) & interdum quoque qui prodesse non potest, potest obesse: unde dissimula, primùm vinum bonum pone, donec veniat hora tua? *Avaritia* quoque & *appetitus* laudis sibi invicem adversantur, & quod hæc congregat, hic dispergit. Nec minùs contraria sunt ea, quæ *simulatio* & *pusillanimitas* suggerunt impudentiæ, impatientiæque clamoribus: & est utraque labor & dolor & afflictio spiritûs. Hæc autem omnia

i *Epist. 11. num. 6.* k *Ser. de Advent. Dom. num. 3. tom. 6. pag. 631.* l. *Ibidem num. 4.*

m *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 1. num. 2.* n *Ibidem cap. 2. num. 3.* o *Ibidem num. 4.*

omnia (p) similiaquè ac dissimilia mala ex una radice pullularunt, propriæ scilicet voluntatis. Hujus enim sanguisugæ duæ sunt insatiabiles filiæ, clamantes: *Affer, affer*. Siquidem nec animus vanitate, nec voluptate corpus aliquando satiatur, ut scriptum est: *Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu*. Fuge sanguisugam hanc, & omnia reliquisti. Hæc enim omnia trahit ad se propria voluntas. Pone hanc, & jugum tam importabile quàm multiplex abiecisti. Non est enim Dominus crudelis ad illam, non est tyrannus tam impius & inhumanus sic urgens seruulum, & non parcens. Fatigatum magis instigat, subditum premit duriùs. Inquietum malum est, quòd spiritui semper incubãs inexcogitabilia meditatur. *O custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis?* Nullum mihi onus importabilius, nulla gravior sarcina est. Factus sum mihi talentum plumbi, & resedit iniquitas super illud. Sed audiam vocem solatii, audiam quid loquatur magni consilii Angelus.

§. III.

Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve, dicit Dominus. Matt. 11.

Laborantes ad refectionem invitat [q] ad requiem provocat oneratos. Non tamen interim onus subtrahit aut laborem, magis autem onere alio, alio labore commutat; sed onere levi, suavi jugo: in quibus requies ac refectio etsi minùs appareat, tamen invenitur. Grave onus iniquitas sedens super talentum plumbi. Sub hac gemebat sarcina qui dicebat: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus gravatæ sunt super me.* Quod ergo onus Christi, quod onus leve? Ut quidem ego sentio, onus beneficiorum est. Dulce onus, sed ei qui sentit, & qui experitur. Alioquin si non invenias, si non advertas, grave omninò & periculosum. Oneriferum animal homo tempore suæ mortalitatis si adhuc portat peccata sua, onus est grave; si jam fortè exoneratus est à peccatis, minùs quidem grave; sed si sanum sapiat, non minùs grande onus inveniet hanc ipsam quam diximus exonerationem. Onerat nos cùm exonerat Deus, onerat beneficio cùm exonerat peccato. Vox onerati: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Vox onerati: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine*. Vox onerati: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum. Semper* (inquit) *timui*, sicut ante, sic post acceptam indulgentiam peccatorum. Et hoc miraculum [r] agit sermo Dei vivus & efficax: hoc illud Verbum per quod facta sunt omnia, benignissimè & potentissimè operatur: hoc denique facit *jugum Christi suave, & onus leve*. Libet admirari quàm leve sit onus Veritatis. Num verè leve est, quod portantem non gravat, sed levat? Quid eo levius onere, quod non solùm non onerat, sed & portat omnem cui portandum imponitur? Hoc onus potuit uterum gravidare Virginis, gravare non potuit. Hoc onus ipsa quibus se præbuit sustentandum senis Simeonis brachia sustentabat. Hoc etiam onus Paulum in gravi licet & corruptibili corpore positum rapiebat usque ad tertium cœlum. Quæram in rebus si quod fortè huic exoneranti oneri simile inveniamus. Occurrit mihi de pennis avium quod utcunque coaptem, quæ quodam videlicet singulari modo & corpulentiorem reddunt substantiam, & agiliorem. Mirum opus naturæ: unde grossescit materia, inde sarcina levigatur: & quantùm crescit in massa, tantùm decrescit in pondere. Hoc planè in pennis Christi oneris exprimit similitudinem, quod & ipsæ ferunt, à quibus feruntur. Proinde qui pro Christo laboribus fatigantur [s] qui persecutiones patiuntur, qui nulli mala inferunt, sed ab aliis illata patienter ferunt: meritò isti portare Christum in humeris dicuntur, quibus & ab ipsa Veritate dicitur: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam*. O dulcis sarcina! [t] Hæc sarcina fratres mei, scilicet crux ipsa benedicta, bajulum suum non gravat, sed levat: non deprimit, sed extollit: non quassat, sed erigit, & portat portantem, ubi Christus est in gloria Patris. *Jugum itaque Christi suave est* [u] *& onus leve*. Sed quibus? Qui spiritu Dei aguntur. Qui sunt illi? Non servi carnis, sed filii Dei. Vultis cognoscere filios Dei? Qui spiritu facta carnis mortificant, quorum membra templum sunt Spiritus Sancti, quem à Deo acceperunt: ut jam non sint sui, nec sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit: empti videlicet precio magno pretiosi Sanguinis Christi. Unde & portantes eum & glorificantes in corpore suo, utique honorificant eum; quia non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus confitentur eum. Glorificate itaque & vos dilectissimi [x] & portate interim Christum in corpore vestro, onus delectabile, suave pondus, sarcinam salutarem. Etiamsi premere aliquando fortè videtur, etiamsi interdum latera tundit & flagellat recalcitrantem, etiamsi aliquando in camo & fræno maxillas constringit & coercet, omninò feliciter: esto ut jumentum. *Homo* (inquit Psalmista) *cùm in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Quid enim tantoperè vel plangit Propheta, vel arguit in homine similitudinem jumentorum; præsertim qui in alio quodam loco de se loqui, & dicere Deo non sine quadam congratulatione videtur: *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum?* Puto, imò non puto, sed scio similitudinem aliquam jumentorum homini commendari; sed planè non eam quæ non intelligendo, nec insipientiæ sed patientiæ imitatione consistat. Neque enim succensentis similiter, sed ne plangentis quidem videretur vox si dixisset: Homo cùm sub onere Dei esset, non recalcitravit, ut jumentum factus est apud eum. Quis enim non illi jumento plurimùm invideret, cujus in humili tergo ad commendationem suæ ineffabilis mansuetudinis dignatus est sedere Salvator: si cum illius tam pretiosi oneris gestatione intelligentiam quoque tam singularis habuisset honoris? Ut jumentum igitur esto, minimè tamen

 jumen-

p *Ibidem num.* 5. q *Serm.* 15. *super Psalm.* 90. *nu.* 1. r *Epist.* 72. *num.* 2.

s *Serm.* 51. *dim.* t *Serm.* 21. *in ult. Can. nu.* 84. *&* 85. u *Epist.* 485. *num.* 4. x *Serm.* 7. *super Psalm.* 90. *num.* 3.

jumentum, patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens; sapienter & delectabiliter cogitans tam ipsius oneris qualitatem, quàm propriam utilitatem. Id quidem necesse: [y] nam sub lingua ejus mel & lac, qui juxta Prophetam *laborem fingit in præcepto*. Miraris fingere Veritatem, nam mirari licet, dubitare non licet. Si & alterum testem quæris, lege in Evangelio, quia *finxit se longiùs ire*. Quidni figmentum figmento exhibeat? Siquidem ipse novit figmentum nostrum, utique laboris impatiens, dilationem non sustinens, fragile ad utrumque. Piè ergo providit, ut haberet pietas promissionem vitæ ejus quæ nunc est, & futuræ; nec laborem verum imponeret, sed magis fingeret in præcepto. Audi quomodò laborem fingere ipse se prodat: *Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*. Quomodò non fictus labor, ubi non labor, sed requies invenitur?

CAPUT V.

De vera requie animarum nostrarum, quæ invenitur à portantibus jugum Christi.

1. *Ostenditur, sub jugo Christi esse veram requiem & pacem. Agitur de duplici pace, vera, & falsa: una est Christi, altera mundi. Pacis nomine intelligitur charitas Christi.* 2. *Ostenditur, Christum non solùm nos invitare ad tollendum jugum suum, sed etiam ad discendam suam humilitatem. Agitur de duplici humilitate, quarum unam parit veritas, alteram format charitas.* 3. *Docemur exemplo & doctrinâ Christi, ut ejus sectemur humilitatem, per eamquè tendamus ad Deum. Agitur de duplici humilitate, quarum una est cognitionis, altera affectionis: nec non de duplici superbia, ut ex opposito sibi vitio appareat decor humilitatis.*

§. I.

Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris, ait Dominus. Matt. 11.

NOn impono invitis [a] sed vos tollite si vultis. Alioquin non requiem, sed laborem invenietis animabus vestris. Proinde consensum nostrum necesse est divinæ subiicere voluntati [b] si pacem æternam, & pacem desideramus habere præsentem, sicut scriptum est: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis*. Qualem pacem [c] dat mundus? Pacem falsam, pacem fictam, pacem sophisticam, pacem palliatam. Pax est vinculum amoris, & indissolubilis compago charitatis. Sed quid amat mundus? Prorsùs utique nihil. Nihil amat, nihil diligit, cuncta odit, cuncta perimit & occidit. Ab egressu propriæ matris uteri usque ad ingressum ventris omnium matris, quid habet homo miser à mundo? Famem, sitim, nuditatem, frigus crucians, scabiem cutis, dolorem capitis, chiragram in manibus, podagram in pedibus, morbum in liene, morbum in jecore; undique miseriam intùs & extrà. Foris illum interficit gladius, & domi mors similis est: ad ultimum morte sæva cunctos prosternit, & deiicit. Ecce qualis est amor mundi. Et tamen miseri homines mundi, fallaciam non attendentes, odientem diligunt, & sævo ejus gladio spontè colla submittunt. Isti miseri sunt sine consilio, sed utinam saparent & intelligerent, & his quæ ventura sunt in novissimis temporibus, maturè providerent: profectò mundum odio haberent, nec diligerent. Dicitur etiam aliter mundus, scilicet rerum transeuntium amatores. Sed qualis sit pax & concordia inter illos, sapiens quisque advertere facilè potest. Igitur spretâ hujus mundi pace & concordia, ad pacem Domini nostri Jesu Christi redeamus, quam ejus dilectionem esse & credere, quâ dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo, videtur non esse absurdum. Hæc est illa dilectio, quâ Deus mundum sic dilexit, ut se mundo hominem daret: ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Hanc pacem scilicet charitatem Discipulis suis reliquit, cùm Animam suam pro illorum salute dedit. Hanc pacem nobis reliquit, sicut Beatus Petrus Apostolus asserit dicens: *Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus*. Et ad hanc charitatem alibi hortatur, ubi ait: *Christo in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini*. Hanc pacem nobis moriendo reliquit, aliam pacem nobis resurgendo donavit. Prima nos liberat à peccato: secunda nos reconciliat Domino. Prima nobis peccata dimittit: secunda nos ad gaudia paradisi perducit. Primam nobis dedit moriens in Cruce: secundam nobis dabit in æternitate regnans cum Patre. Prima fuit in dolore, secunda erit in gaudio & exultatione. Prima lachrymosa, altera gloriosa. Prima est in miseria, secunda erit in gloria. In prima sumus flentes pro Christo, in secunda erimus gaudentes cum Christo. Sed quomodò inquis [d] possunt hæc fieri? Nempè hoc est quod paulò ante commemoravi: *Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem*. Mira novitas, sed ejus qui nova omnia facit. Jugum tollens invenit requiem, relinquens omnia Centuplum habet. Noverat hoc & ille nimirùm homo secundùm cor Dei, qui ei loquebatur in Psalmo: *Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* An non fictus in præcepto labor, onus leve, suave jugum, crux inuncta? Hujus enim rei sacramentum est, quòd in dedicatione Ecclesiarum depictas in parietate cruces oleo Sancto Pontifex linit. Sic & olim quidem Abrahæ dictum est: *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & offeres mihi eum in holocaustum*. Labor fictus est in præcepto. Oblatus siquidem Isaac, sanctificatus est, non mactatus. Et tu igitur si vocem Domini audieris intùs in animo, & dicatur tibi ut offeras Isaac, & tuum quodcunque est gaudium immoles Deo, (interpretatur enim Isaac gaudium seu risus) fideliter & constanter obedire ne timeas. Nimirùm etsi rem grandem tibi dicit Propheta, facere debes, & ob tempe-

randum

y *Serm. 97. diu. num. 1.* a *Tract. de diligen. Deo cap. 14. nu. 37.* b *Serm. 26. diu. num. 4.* c *Serm. 10. in ult. Cœna num. 71.*

d *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 18. num. 59. & 60.*

randum est ei per omnia, etiamsi oportuerit ipsum Isaac jugulari. Nunc autem quidquid affectio propria judicet, securus esto, non Isaac, sed aries morietur: non peribit tibi lætitia, sed contumacia, cujus utique cornua vepribus hærent, & sine punctionibus anxietatis esse non potest. Tentat enim te Dominus Deus tuus, nec mactabitur Isaac ut opinaris, vivens vivet, sed elevatus est utique super ligna, ut in sublime gaudeas: nec in carne propria, sed in cruce Domini glorieris, per quem nimirùm crucifixus & ipse es, sed crucifixus mundo, nam ei vivis. Hæc est nimirùm conversatio perfectorum, hæc sanctorum vita, hæc gratia spiritualis. Denique habes ex verbis Sapientis [e] vanitatem & afflictionem spiritûs. Apponit Veritas *tertium*, scilicet *servitutem*. *Omnes*, inquit, *qui facit peccatum, servus est peccati*. Conjungantur autem hæc tria, vanitas, servitus, & afflictio spiritûs: ubi ergo quies ubi sabbatum? Nonne verbum legis est, nullum peccatum facies in eo? Quis est qui peccatum non fecit? Dixit rex David: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Quis ergo nos liberabbit à jugo veteri & servitute peccati? Ille de quo Veritas in Evangelio dicit: *Si Filius vos liberaverit, verè liberi eritis*. Ipse nos ad sabbatum invitans: *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. Ecce refectio quasi sabbati præparatio. Audiamus & sabbatum: *Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris*. Ecce sabbatum, ecce quieta tranquillitas. *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*. Quantò enim benignior [f] & dulcior est Divina clementia quolibet homine, tantò suavius esse manifestum est jugum ejus cæteris omnibus. Jugum hoc non premit [g] sed erigit: pennas habet quibus evolet, non pennas quibus aliquos gravet. Illud jugum charitas est Dei, proximiquè dilectio: hìc requiescitur, hìc sabbatizatur, hìc ab omni opere servili vacatur. Nimirùm charitas non agit perperam, non cogitat malum: sed & dilectio proximi malum non operatur. Vides ô Christiane sabbatum ubi sit? Inde etsi aliqua peccati surreptitio ex aliqua infirmitate contingat, non perit sabbati feriatio: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Videamus aliquos [h] qui cùm suaviter respirare deberent sub jugo & onere tam suavi & tam levi, sub utroque laborant & murmurant. Ad jugum utique mundi pertinet quòd curis æstuant, quòd inflammantur odiis, quòd torquentur invidiâ. Hoc jugum cupiditatis est, & onus sæculi grave. Jugum autem Domini suave est & onus leve. Et quid suavius homini, quid jucundius, quàm mundum contemnere, & se reputare sæculo celsiorē, atque in bonæ conscientiæ vertice consistentem; & mundum habere sub pedibus, nihil in eo videre quod appetat, nullum cui invideat, quem metuat, nihil mali esse quod ab aliquo sibi possit inferri: & in illam hæreditatem immarcescibilem, incontaminatam & incorruptam, conservatam in cælis, oculos dirigendo, fallaces divitias & honores perniciosos, & damnabiles delicias conculcare? Quid quæso desiderabilius est, & quid tranquillius, quàm suam animam sic stabilire, ut nullis motibus carnalis concupiscentiæ agitetur? Carnem rore pudicitiæ tepescentem compellet ancillari, ut eam ad exercitium militiæ spiritualis promptissimam habeat adjutricem. Quid præterea ita Divinæ tranquillitatis imaginem gerit, quàm anima, quæ sic ad omnium injuriarum tolerantiam se obfirmat, ut eam contumeliæ illatæ non moveant, & mentem ejus à statu suo nullæ comminationum aut injuriarum machinæ deiiciant? Amicum & inimicum eodem oculo intueri, nonne similis est ei, qui facit Solem suum oriri super justos & malos? Quid, cùm omnia circa eum mutabiliter fiant, nulla est in corde ejus mutatio?

§. II.

Tollite jugum meum super vos: & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, ait Dominus. Matt. 11.

Videamus [i] quantùm in se hanc humilitatis virtutem omnium virtutum Dominus commendavit. Primò verba ejus attendentes, ubi ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris*. Quid est Magister bone, optime Jesu? Numquid ad hoc redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in te reconditi, ut hoc singulariter doceas, *quia mitis & humilis corde*? Non doces, ut cæli discantur fabricari, fieri miracula, mortui suscitari, & cætera hujusmodi: sed, *quia mitis sum & humilis corde*. Numquid tam magnum est quod est paruum? Utique. Quia per hoc invenitur requies animabus. Quæ enim alia est causa omnis laboris & certaminis nostri, nisi ut inveniamus requiem animabus nostris? Brevis doctrina, brevis via demonstrata est. Disce ô homo hanc à Domino Jesu, qui mitis est & humilis corde: id est, vide & quantùm & quare humilitatus fuit ille, qui est Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria ejus: & disce etiam quia tu es lutum & cinis, & sic invenies requiem animæ tuæ. Sed nota quod ait: *Humilis corde*. Non enim ficta humilitate placatur ille qui est humilis corde, sed humilitate vera. Humilitate cordis delectatur ille qui intuetur cor, quia in humilium cordibus requiescit. Quærit enim corda humilia, quæ elevet non tumida, à quibus resiliat. Proinde & ego huic animæ [k] in omnibus me profiteor debitorem, huic me ministrum seruum tanquam dignissimæ Domini mei sponsæ, & quæ revera dicere possit: *Cùm esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum*. Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendens, perfusis circumquaque vicinis regionibus, ipsum quoque regium accubitum grata suavitate respergat. Est nardus humilis herba, quam & calidę ferunt esse naturæ, hi qui herbarum vires curiosiùs explorarunt: & ideo per hanc videor mihi non inconvenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere, sed quæ sancti amoris vaporibus flagret. Quod propterea sanè dico, quoniam est humilitas quam nobis veritas parit, & non habet calorem: & est humilitas quam charitas format, & inflammat. Atque

hæc

e *Lib. 3. de amore Dei cap. 12. n. 45.* f *Ser. 26. diu. n. 4.* g *Lib. 3. de amore Dei cap. 12. n. 45.* h *Ibidem. n. 46.*

i *Tract. de vite myst. cap. 17. n. 69.* k *Ser. 42. in Cant. num. 5. & 6.*

hæc quidem in affectu, illa in cognitione consistit. Etenim tu si temetipsum intùs ad lumen veritatis & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatione dijudices; non dubito quin humilieris & tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamvis necdum fortassè id esse patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, sed de opere interim veritatis, & minimè adhuc de amoris infusione. Nam si veritatis ipsius, quæ te tibi veraciter atque salubriter demonstravit, sicut splendore illuminatus ita & affectus amore fuisses; voluisses proculdubio (quod in te est) eandem de te omnes tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis. Sanè quod in te esse dixerim, quoniam plerumque non expedit innotescere omnibus omnia quæ nos scimus de nobis, atque ipsa veritatis charitate & charitatis veritate vetamur palàm fieri velle quod noceat agnoscenti. Alioquin si privato amore tentus detines pariter intra te judicium veritatis inclusum, cui dubium est minùs te veritatem diligere, cui proprium præfers vel commodum vel honorem? Vides igitur non esse idipsum (l) hominem de seipso non altum jam sapere, veritatis lumine redargutum: & humilibus spontè consentire, munere charitatis adjutum. Illud enim necessitatis est, hoc voluntatis. *Christus Jesus cùm in forma Dei esset, semetipsum exinanivit* (inquit Apostolus) *formam servi accipiens*, & formam humilitatis tradens. Ipse se exinanivit, ipse se humiliavit, non necessitate judicii, sed nostri charitate. Poterat nimirùm vilem se & contemptibilem demonstrare, sed planè non reputare, quoniam sciebat seipsum. Voluntate proinde humilis fuit, & non judicio, qui talem se obtulit qualem esse nesciviti: magis autem placuit minimum reputari, qui se Summum non ignorabat. Denique ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Corde dixit, cordis affectu, idest voluntate. Itaque necessitatem exclusit, qui voluntatem confessus est. Non enim quomodo ego vel tu invenimus nos in veritate dignos dedecore & contemptu, dignos omni extremitate & inferioritate, dignos etiam suppliciis, dignos plagis: non inquam ita & Christus. Quæ tamen omnia expertus est, quia voluit tanquam humilis corde: humilis videlicet illa humilitate, quam cordis suasit affectio, non quam extorsit discussio veritatis. Propterea dixi hanc voluntariæ humilitatis speciem (m) non redargutione veritatis, sed charitatis intra nos infusione creari: quia cordis est, quia affectionis, quia voluntatis. An verò rectè, tu judica. Itemquè etiam hoc tuo æquè examinetur judicio, dignene eandem Domino assignaverim, quem charitate constat exinanitum, charitate minoratum ab Angelis, charitate Parentibus subditum, charitate Baptistæ manibus inclinatum, charitate carnis infirma passum, charitate postremò morti obnoxium, Cruce inglorium extitisse. Sed & hoc unum adhuc tui sit considerare arbitris, rectène etiam hanc ipsam humilitatem ita charitate calentem, herba humili & calida id est nardo putaverim designatam. Et si ita cuncta probaveris (probabis enim rationi manifestissimæ acquiescens), tunc si jam apud teipsum humiliatus es necessaria illa humilitate, quam scrutans corda & renes Veritas sensibus ingerit animæ vigilantis) adhibe voluntatem, & fac de necessitate virtutem, quoniam nulla est virtus sine convenientia voluntatis. Sic autem fiet istud, si nolis alter apparere foris, quàm te invenis intùs. Alioquin time ne de teipso legas: *Quoniam dolosè egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium*. *Pondus* (inquit Sapiens) *& pondus abominatio est apud Deum*. Quid enim? Tu te deprecciaris in secreto apud teipsum veritatis trutinâ ponderatus, & foris alterius precii mentiens, majori te pondere vendis nobis quàm ab ipsa accepisti? Time Deum, & noli hanc rem pessimam facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas: hoc enim est resistere veritati, hoc pugnare contra Deum. Magis autem acquiesce Deo, & sit voluntas subdita veritati, nec tantùm subdita, sed & devota.

§. III.

Denique sola est humilitas (n) de qua omnium plena virtutum Maria gloriandum esse putavit: *Respexit*, inquiens, *Deus humilitatem ancillæ suæ*. Quid deinde Auctor & dator virtutum Christus, in quo omnes thesauri sapientiæ sunt absconditi, in quo omnis quoque plenitudo Divinitatis habitat corporaliter: nonne tamen & ipse de humilitate tanquam summa suæ doctrinæ suarumquè virtutum gloriatus est? *Discite* (ait) *à me*, non quòd sobrius, aut castus, aut prudens, aut aliquid ejusmodi: sed *quia mitis sum & humilis corde*. *A me*, inquit, *discite*. Non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto, sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inviderunt mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, Angelus & Fæmina: ille potentiæ, illa scientiæ. Vos autem æmulamini charismata meliora, discentes à me quia mitis sum, & humilis corde. Cōsilium istud, Fratres mei, (o) secretum est, quod solis credatur amicis. Mysterium regni Dei est, quod Apostolis revelatur in aure, nam turbis nihil dicitur absque parabola. *Nisi conversi fueritis*, inquit, *& efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum Cælorum*. Agnosce planè, quò velit ut convertamur. Ad parvulum converti necesse est, ut discamus ab eo, quia mitis est & humilis corde. Ad hoc siquidem parvulus datus est nobis. Sanè idem & magnus est, sed in civitate Domini, cui & dicitur: *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël*. Quid tu inflaris ô homo? Quid extolleris sine causa? Quid alta sapis, & oculi tui omne sublime vident, quod tibi non cedet in bonum? Sublimis quidem Dominus, sed non ita proponitur tibi. Laudabilis magnitudo illius, non etiam imitabilis. Elevata est magnificentia illius, & non poteris ad eam: nec si te ruperis, apprehendes. *Accedat* (inquit David) *homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*. Excelsus siquidem Dominus & humilia respicit, & alta à longè cognoscit. Humiliare, & apprehendisti. Hæc est planè lex pietatis: & propter hanc legem sustinui te Domine. Si

forte

l *Ibidem.n.7.* m *Ibidem.num.8.*

n *Tract.de mor. & Off. Episc. cap.5.n. 17. & 18.* o *Ser. 2.in Quadrag.num.1.*

fortè sublimitatis esset via proposita, & illic iter quo ostenderetur salutare Dei, quanta facerent homines ut exaltarentur? Quàm crudeliter sese invicem sternerent, invicem conculcarent? quàm impudenter reperent, manibusquè & pedibus conarentur in altum, ut imponerent sese homines super capita aliena? Et certè qui contendit supergredi proximos, multas inveniet difficultates, multos habebit æmulos, multos patietur contradictores, ascendentes equidem ex adverso. Nihil verò facilius est volenti, quàm humiliare semetipsum. Hoc verbum est, dilectissimi, quod omninò nos reddit inexcusabiles, ita ut ne tenue quidem nobis velamen prætendere liceat. Propter quod (p) dicebat: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Considera sanè in his verbis, quoniam humilitas dupplex est: altera cognitionis, altera affectionis, quæ hîc dicitur *cordis*. Priore cognoscimus quòd nihil sumus: & hanc discimus à nobis ipsis, & ab infirmitate propria. Posteriore calcamus gloriam mundi: & hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum formam servi accipiens: qui etiam quæsitus in Regnum, fugit; quæsitus ad tanta probra & ignominiosum supplicium crucis, spontè obtulit semetipsum. Denique non simplex (q) aut modica illa exinanitio fuit, sed semetipsum exinanivit usque ad carnem, ad mortem, ad Crucem. Sed ad quid hoc, Fratres (r) aut quæ necessitas fuit, vt sic exinaniret se, sic humiliaret se Dominus majestatis, nisi ut vos similiter faciatis? Jam clamat exemplo, quod prædicavit verbo; *Discite à me, quia mitis sum humilis corde*. Obsecro proinde & plurimùm rogo, Fratres, non patiamini sine causa tam preciosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, & renovamini spiritu mentis vestræ. Studete humilitati, quæ fundamentum est custosquè virtutum: sectamini illam, quæ sola potest salvare animas vestras. Quid enim magis indignum, quid detestandum ampliùs, quid graviùs puniendum, quàm ut videns Deum Cœli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? Intollerabilis impudentiæ est, ut ubi se exinanivit Majestas, vermiculus infletur & intumescat. Commodum reor indagare aliquid & de superbia (s) quatenùs ex opposito sibi vitio, virtutis scilicet humilitatis decor manifestior appareat. Superbia est appetitus propriæ excellentiæ. Hæc in species duas dividitur, in *cæcam*, & *vanam* superbiam. Quæ quidem & aliis nominibus appellari possunt, *contumacia & vanitas*; quarum prior intelligentiæ, posterior voluntatis vitium est. Nam ex illa rationis fallitur oculus, ex ista voluntatis malè appetitus afficitur. Quod meliùs ex singularum definitionibus demonstrabimus. *Cæca* superbia seu contumacia est vitium, quo se existimans aliquis vel esse bonum quod non est, vel à se esse quod est, in se non in Domino gloriatur. *Vana* superbia seu vanitas est vitium, quo quis tam de eo quod est, quàm de eo quod non est, suis magis quàm Dei laudibus delectatur. His ita præmissis, aptemus jam contraria humiliati, singula singulis opponentes. Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ. Contemptus opponitur appetitui. Duabus quoque superbiæ speciebus, duæ nihilominùs species humilitatis opponuntur. Contra cæcam, ut quis de se noverit sentire humiliter. Contra vanam, nec consentire aliter sentientibus. Nempè qui de seipso sentire humiliter novit, in neutro ipsius ad se judicium falli potest; videlicet ut aut majus aliquid putet se esse quàm sit, aut à se esse quod sit. Et ideo patienter carens quod sibi novit deesse, humiliter de eo quod certus est adesse, non in se, sed in Domino gloriatur. Noverat quidem Apostolus (t) gloriã propriam esse Creatoris, non creaturæ, secundùm illud: *Gloriam meam alteri non dabo*. Et: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Itemquè: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Sed tamen consideravit rationalem creaturam adeo affectare gloriam, ut aut vix, aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit: quippè quæ ad imaginem facta est Creatoris. Propterea secundùm datam sibi à Deo sapientiam, saluberrimum adinvenit consilium, dicens: Quandoquidem persuaderi nobis non potest non gloriari, saltem *qui gloriatur, in Domino glorietur*.

CAPUT VI.

De vera, & falsa sequela hominum Christum sequentium.

1. *Ostenditur, quadruplicem esse sequelam sequentium Christum. Exhortantur personæ Ecclesiasticæ ut Crucem Christi tollant, id est ut laborem & humilitatem ejus amplectantur, vanitatem verò & delicias mundi detestentur.* 2. *Ostenditur, Crucem Christi foris quidem esse duram, sed intùs dulcissimam. Docemur, triplicem esse gradum ferentium crucem, quam incipientes sustinent patienter, proficientes portant libenter, perfecti amplectuntur ardenter.* 3. *Ostenditur, neminem posse esse discipulum Christi absque renunciatione & contemptu mundi. Agitur tandem angustiis eorum qui possident divitias, quàm de spiritualibus deliciis eorum, qui terrenas contemnunt divitias.*

§. I.

QVi *mihi ministrat* (a) *me sequatur*. *Primò* sunt homines, qui non sequuntur Christum, sed fugiunt. Illi non sequuntur sed fugiunt, qui necdum peccare desistunt, de quibus scriptum est: *Omnis qui malè agit, odit lucem*. Et Propheta: *Ecce qui elongant se à te, peribunt*. *Secundò* alii non sequuntur, sed præeunt. Illi non secuuntur sed præeunt, qui magistrorum sententiis suas præferunt sententias. Quorum imaginem tenebat Petrus, cùm pro salute nostra volentem pati Dominum increparet, dicens: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*. *Tertiò*, nonnulli sequuntur, sed non consequuntur. Illi sequuntur sed non assequuntur, qui segniter & remissè agunt, vel usque ad finem non perseverantes de medio itinere revertuntur. Talibus dicit Apostolus: *Remissas manus & dissoluta genua erigete, gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem*

p *Ser. 4. de Advent. Dom. n. 4.* q *Ser. 11. in Cant. n. 7.* r *Ser. 1. in Nat. Dom. n. 1.* s *Tract. de mor. & off. Episc. cap. 5. n. 19.*

t *Ser. 7. diver. n. 1.* a *Ser. 62. diver.*

tum sanetur. *Quartò* denique alii sequuntur, & consequuntur. Illi sequuntur & consequuntur, qui viam humilitatis Christi devoto mentis affectu perseveranter imitantur. Hujusmodi verè sequuntur Dominum dicentem: *Qui mihi ministrat, me sequatur*: ideft, me imitetur. Quo fructu? *Ut ubi sum ego*, inquit, *ibi sit & minister meus*. Proinde omnis qui se dicit in Christo manere [b] debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare: multò magis qui pro eo legatione fungitur, qui ei ministrat, si eum non sequitur, inexcusabilis est. Sanè nisi abnegaverit semetipsum, & tulerit crucem suam, sequi eum omninò non potest. Quid verò crucem tollere est, nisi laborem amplecti & humilitatem, sicut scriptum est: *Elegi abjectus esse in domo Dei*. Videtur enim sanctus David cauterio gravi inurere quosdam [c] ipsi viderint quos hæc parabola tangat. *In labore*, inquit, *hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideò tenuit eos superbia*. Habent enim singula quæque genera hominum laboris aliquid, aliquid voluptatis. Sed advertere est prudentiam aliquorum, & mirari est quemadmodùm novo inter hæc artificio discernentes & ab invicem sequestrantes ea, totum quod delectat eligunt & amplectantur, quod molestum est fugiunt & declinant. Cum militibus nempè superbiæ fastus, amplam familiam & nobiles apparatus, equorum phaleras, accipitres, aleas, & similia quæque frequentant: aliqui fortè & dependentes à collo rubricatas murium pelles, ornatos thalamos, balnea, & mollitiem omnem atque gloriam vestium à mulierculis mutuantur. Cautè omninò loricæ pondus & insomnes in castris noctes incertaquè discrimina præliorum, muliebrem quoque verecundiam & disciplinam, aut siquid aliud sexus ille laboris habere cernitur, declinantes. Sudant agricolæ, putant & fodiunt vinitores. Et illi inter hæc torpent acio, accedente fructuum tempore innovari sibi horrea jubent, & promptuaria eorum plena: utinam non præ illis, utinam vel cum illis: vivunt tritico, bibunt uvæ sanguinem meracissimum. Parum est. Impinguantur & dilatantur adipe frumenti. Herbarum viribus peregrinum mutuantur vina saporem: & additur oleum camino. Sed considera & negociatores: cicumeunt mare & aridam, in labore corporis & periculo vitæ perituras sibi divitias congregantes. Dura sunt hæc: caveant prudentes nostri, ne dulces interea capiant somnos, ne dicam in stratis lasciviant suis. Erit tamen invenire in die festo graves vasis aureis & argenteis ministrorum dexteras, refertas variis operibus manticas, perticas oneratas, & in scriniis tam multiplices loculos, ut si mensas adhibueris, nummularios putes. Quid fabros aut cęmētarios cęterosquè ejusmodi operarios necesse est numerare? Victum sibi multo tempore quærunt agricolæ: illi madent deliciis, copiis affluunt ociosi. An non meritò tales [d] magnus ille Propheta & plusquàm Propheta terribiliter increpat dicens: *Genimina viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?* Ubi enim sunt pænitentiæ fructus? Cùm cæperint resurgere homines unusquisque in ordine suo, ubi putas generatio ista locabitur? Si ad milites fortè diverterint, exsufflabunt eos, quòd minimè secum laborē aut pericula toleràrint. Sic agricolæ, sic negociatores, & singuli quique ordines hominum à suis eos similiter arcebunt finibus, utpote qui in hominum labore non fuerint. Quid igitur restat, nisi ut quos omnis ordo repellit pariter & accusat, eum sortiantur locum ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat. Nemo tamen indignetur nobis [e] aut molestè accipiat quæ dicuntur. Si sanctus est, & minimè sibi conscius horum, congratulamur ei: doleat & ipse nobiscū in pluribus hęc inveniri. Nec enim revelamus nunc occulta dedecoris, nec parietem fodimus, ut abominatio major appareat: nullum adhuc de fornicatione fecimus verbum, quamvis & hæc in multis etiam & multipliciter regnet, qui puritatis Auctori impuro corde & corpore ministrantes, non verentur stare Angelum Domini qui secet medios & disperdat: sed omninò audent Agni immaculati sacras contingere Carnes, & intingere in Sanguine Salvatoris manus nefarias, qui-bus paulò ante carnes (proh dolor) meretricias attrectaverunt. Sic Altaria circuire audent, sic frequentare Psalmos, cùm & ejusmodi laus execrabilis, & oratio fit in peccatum. Verùm hæc aliàs. (f) Invenient fortè in novissimis locum sibi. Interim sanè fęlices liquet esse, qui exonerati sunt, & sequuntur Dominum expediti. Arctissimum enim nos foramen expectat. Si, quem sequimur, consequi volumus, per angustam contendamus ingredi portam necesse est.

§. II.

Qui non bajulat crucem suam & venit post me, non potest meus esse discipulus, *dicit Dominus*. Luc. 14.

Christus Dominus pro peccatis nostris crucifixus est [g] & crucem amaram suis amatoribus dulcoravit. Sanè necesse est [h] ut unctio spiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem nostram, observantiarum & multimodæ pęnitentiæ cruces devotionis suæ gratiā liniens: quia nec sine cruce sequi Christum, nec sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset? Hinc est quòd multi abominantur & fugiunt pænitentiam, crucem quidem videntes, sed non etiam unctionem. Vos qui experti estis, ecce scitis quia verè crux nostra inuncta est, & per gratiam Spiritûs adjuvantis est suavis & delectabilis pænitentia nostra: & ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima est. Sanctus Andras homo erat similis nobis passibilis [i] & tam vehementi ardore spiritûs crucem sitiebat, tam inundato à sæculis gaudio tripudiabat, cùm paratum sibi eminùs patibulum conspexisset: *O crux* (inquit) *diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata: securus & gaudens venio ad te, ita ut & tu exultans suscipias me*. Videtis quia non se capit præ magnitudine gaudii? *Ita* (inquit) *ut & tu exultans*. Ergone tanta exultatio est, ut exultet & ipsa Crux: nec læti quidquam habeat, sed totum lætitiæ sit? Aut quis dicat minùs contra consuetudinem, supra rationem, ultra naturam crucifixum exultare Andream quàm Crucem? Illi sensum lætitiæ natura negavit: huic si quid prævalet, gaudium omne exterminat, ingeritquè dolorem. *Amator* (ait Andreas) *tuus semper*

b *Tract. de vit. & mor. cleric. cap. 14. n. 49.* c *Ibidem. cap. 4. n. 10.* d *Ibidem. n. 11.*

e *Ibidem. n. 12.* f *Ibidem. cap. 2. n. 5.* g *Ser. de Pass. Dom. num. 1.* h *Ser. 1. in dedicat. Eccles. n. 4.* i *Ser. in vig. S. And. n. 3.*

per fui, & desideravi amplecti te. Fratres, Ignis vibrans est, non lingua loquens: & si lingua, certè ignea est. Planè Beate Andrea, [k] granum sinapis est fides tua, quæ tam insperatum ubi teri cœpit, cœpit ex se proferre fervorem. Quid si paulò ampliùs teretur, quis fervorem illum animus, quis verba illa sustinere posset auditus? Dum enim minùs minaretur Egeas, adhuc granum sinapis despicabile videbatur. Integrum erat, nesciebamus quid intùs lateret. *Dominus* (inquit Andreas) *me misit ad istam Provinciam, in qua non parvum ei populum acquisivi*. Accedat comminationis pistillum, longè jam acriùs sapiet, constantiùsquè loquetur. Terrendum eum putat Egeas, crucis supplicium minitans, sed non est ita. Accenditur magis in verbo hoc, & liberè clamat: *Ego si patibulum crucis expavescerem, crucis gloriam non prædicarem*. At ubi paratum sibi lignum intuitus est, ex hoc jam planè totus ignescens applaudebat, & blandiebatur illi amatæ suæ, officiosissimè salutabat, devotissimè suscipiebat, magnificè extollebat eam & in ipsius præconio gloriebatur, clamans magis affectione quàm voce: *Salve Crux preciosa, quæ decorem & pulchritudinem de membris Dominicis accepisti: Salve Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris ejus tanquam margaritis ornata es*. Meritò proinde Crucis amatorem Andream venerantur, quicunque sunt servi Crucis: sed ab his ampliorem jure devotionem exigit, qui specialiùs proposuerunt tollere crucem suam. Vobis hoc & de vobis dico, Fratres mei, qui non surda aure audistis illam Evangelicam tubam: *Qui non bajulat crucem suam & sequitur me, non potest meus esse discipulus*. Et nos utiq; cum Beato Andrea [l] necesse habemus tollere crucem nostram, imò cum eo, quem & ipse secutus est, Domino Salvatore. Inde enim sic lætabatur, inde exultabat, quòd non solùm pro eo, sed etiam cum eo mori videretur, & complantari similitudini mortis ejus, ut compatiens et iam conregnaret. Talem invenimus hunc Beatum Apostolum [m] talem miramur, talem meritò prædicamus. Unde & triplicem hîc licet considerare gradum, *incipientium*, *proficientium*, *perfectorum*. Initium sapientiæ timor Domini: medium spes: charitas plenitudo. Denique Apostolum audi: *Quia plenitudo legis est charitas*. Qui initiatur à timore, crucem Christi *sustinet patienter*: qui proficit in spe, crucem *portat libenter*: qui verò consummatur in charitate, crucem *amplectitur jam ardenter*. Solus etenim iste est qui dicere possit: *Quia amator tuus semper fui, & desideravi amplecti te*. Longè est vox ista ub eo qui sustinet quidem, sed optaret omninò si posset non venisse in hanc horam. Verumtamen ego proficere volo si possum [n] nec statim adepta salute esse contentus. *Qui timet Deum* (ait Sapiens) *faciet bona*: sed parum est. Scriptum est enim: *Declina à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam*. Noli esse salute contentus, quære pacem, ne tibi sit in periculũ etiam salus ipsa. Audi ergo Angelum nato eo, qui factus est pax nostra, exultantem atque canentem: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*. Quæ est autem bona, nisi ordinata voluntas? Quænam est illa inquis? Profectò quæ rationi consentanea est, dicenti: *Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Hoc si jam sentire cœpisti, haud dubium quin libenter feras crucem Domini, & dicas: *Paratus sum, & non sum turbatus: ut custodiam mandata tua*. Attamen si vis perfectus esse [o] unum adhuc tibi est necessarium. Quod illud inquis? Profectò gaudium in Spiritu Sancto. Siquidem & is qui timore coercetur & patiens est, qui ratione spei ducitur & benevolus est: nisi etiam fuerit fervens spiritu facilè labi potest. Porrò quæ per Spiritum diffunditur charitas, & patiens & benigna est: & quod est amplius, nunquam excidit. Fortis quippe est ut mors [p] non patientia aut spes, sed dilectio. Non timor aut ratio, sed spiritus fortitudinis est. Dicit patientia, Sic oportet fieri: quia timore urgetur. Dicit voluntas bona, Sic expedit, & sic agendum est: quia spei attrahitur ratione. Charitas verò quæ inflammatur à Spiritu, Neque sic oportet dicit, neque sic expedit: sed sic volo inquit, sic cupio, sic desidero vehementer. Videtis quanta est sublimitas, videtis quanta securitas, quantaquè suavitas charitatis? Felix anima, quæ ad hunc charitatis pervenerit statum. Nec sanè desperandum nobis est, quandoquidem ejus (qui ad hunc pervenit gradum) ob hoc maximè memoria celebratur, ut ipsius & invocemus auxilium, & provocemur exemplo. Si dicis Beatum Andream Apostolum esse, nec posse te qui pusillus es, ejus sequi vestigia: pudeat vel eos qui tecum sunt, non imitari. Nemo repentè fit summus: ascendendo non volando apprehenditur summitas scalæ. Ascendamus igitur velut duobus quibusdam pedibus, meditatione & oratione. Meditatio siquidem docet quid desit, Oratio ne desit obtinet. Illa viam ostendit, ista deducit. Duas autem alas habeat oratio nostra [q] contemptum mundi, & afflictionem carnis: nec dubium quin cælos penetret, & dirigatur sicut incensum in conspectu Dei. Præterea nos quicunque sequimur Caput nostrum, scilicet Christum (r) tota die hac qua psalmati & redempti sumus, non cessemus agere pænitentiam, non cessemus tollere crucem nostram, perseverantes in ea sicut ipse perseveravit, & donec dicat Spiritus ut requiescamus à laboribus nostris. Neminem audiamus, Fratres, non carnem & sanguinem, non spiritum quemlibet, descensum de cruce suadentem. Persistamus in cruce: deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. Caput nostrum Christum deposuère viri justi; nos verò dignatione sua Angeli Sancti deponant: ut consummata viriliter prima die crucis, secunda die quæ post mortem est, quiescamus suaviter, dormiamus fæliciter in sepulchris, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, qui resuscitabit corpora nostra tertia demum die, configurata Corpori claritatis suæ.

§. III.

Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: ait Dominus. Luc. 14.

k *Ibidem. num.4.* l *Ser.2.de S.Andr.n.5.* m *Ser.1.de Andr.n.4.& 5.* n *Ibidem.num.8.*

o *Ibidem.n.9.* p *Ibidem num.10.* q *Ser.3.in Epiph.n.6.* r *Ser.1. in die Pasch.num. 8.*

Divitiæ perducunt hominem(s) usque ad periculum corporis & animæ: divitiæ pertrahunt hominem usque ad mortem. Multi propter opes periclitati sunt, & multi propter divitias in periculum devenerunt. Multis exitiabiles fiunt divitiæ: opes multis hominibus generaverunt mortem. Nunquam habent requiem mentis, qui curis terrenis se implicant: sollicitudines enim rerum mentem conturbant. Mens occupata in terrenis curis, semper est in angustiis. Si ergo vis esse quietus, nihil ex his quæ in sæculo sunt, quæras. Semper habebis requiem mentis, si à te mundi curas removeris. Semper habebis pacem mentis, si te à strepitu terrenarum actionum subtraxeris: quia divitiæ nunquam sine peccato acquiruntur. Nullus administrat res terrenas sine peccato. Valdè rarum est, ut qui divitias possident, ad requiem mentis perveniant. Qui curis terrenis se implicat, ab amore Dei se separat. Qui defigitur in amore temporalium rerum, in Deo nullatenùs delectatur. Curæ temporalium rerum ab intentione Dei avertunt animum. Nemo potest simul amplecti gloriam Dei, & gloriam sæculi. Nemo potest diligere simul Christum & sæculum. Difficile est simul servire cælestibus curis & terrenis negociis. Difficile est Deum simul & mundum diligere. Uterque enim simul æqualiter amari non potest. Proinde si justus esse volueris, (t) & non avertere aurem tuam à mandatis Domini, ne avertat & ipse suam à precibus tuis: necesse est ut non solùm præsens sæculum contemnas, sed & ipsam carnem tuam castiges, & subiicias eam servituti. Nam ipse Dominus dixit: *Nisi quis abrenunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*. Etenim si dicente Scriptura, (u) *Pietas est cultus Dei*: profectò quisquis plùs amat mundum quàm Deum, impius atque idololatra esse convincitur, colens & serviens creaturæ potiùs quàm Creatori. Habentibus autem Sanctis atque impiis suum ad se quibusque consilium, magnum proculdubio inter utrosque chaos firmatum est. Nam quomodo justus longè se facit à consilio & concilio malignantium, ita nec resurgunt omninò impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum. Est quippè justorum consilium pluvia voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ. Est consilium verè secretum, descendens nimirùm sicut pluvia in vellus. Est fons signatus, cui alienus non communicat. Est Sol justitiæ, qui timentibus Deum tantùm oritur. Unde cæteros advertens Propheta [x] in sui siccitate & cæcitate remanentes, justorum siquidem imbris & lucis expertes, infæcundos ac tenebrosos, confusos & aversos, subsannat & notat: *Hæc est*, inquiens, *gens quæ non audivit vocem Dei sui*. Non vultis, ô miseri, dicere cum David: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Utique foris fusi in vanitates & insanias falsas, intimum optimumque non requiritis Veritatis auditum. *Filii hominum usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Surdi ad vocem Veritatis, ignorantes consilium cogitantis cogitationes pacis: sed & loquentis pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor. *Jam vos* (inquit Dominus) *mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*. Ergo qui hunc sermonem non audiunt, immundi sunt. Cæterùm tu, ô charissime(y) huic voci Dei tui dulciori super mel & favum, si præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito & vacante interno sensu dicas & tu cum Samuële: *Loquere Domine, quia audit servus tuus*. Vox hæc non sonat in foro, sed nec auditur in publico. Secretum concilium, secretum quærit auditum. Auditui tuo gaudium pro certo dabit & lætitiam, si sobria aure perceperis. Abrahæ præcipitur exire de terra, & de cognatione sua, ut videre & possidere mereatur terram viventium. Jacob relicto fratre & patriâ Jordanem transit in baculo, & excipitur Rachelis amplexibus. Joseph dominatur in omni terra Ægypti, mercatione furtiva patri sublatus & patriæ. Ecclesiæ jubetur, ut concupiscat Rex decorem ejus, & oblivisci populum suum, & domum patris sui. Puer Jesus inter cognatos & notos à parentibus quæritur, nec tamen invenitur. Tu quoque fuge fratres tuos, si tuam vis invenire salutem. Fuge, inquam, de medio Babylonis, fuge à facie gladii Aquilonis. Parati sumus cum panibus occurrere fugienti. O si scires (z) & quid dicam? *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te*. Sed tu Frater, qui (ut audivi) Prophetas legis, putas intelligis quæ legis? Nam si intelligis, sentis utique sensum propheticæ lectionis esse Christum. Quem videlicet si apprehendere cupis, citiùs illum sequendo quàm legendo consequi potes. Quid quæris Verbum in verbo, quod jam caro factum præstò est oculis? Jam enim de latibulo Prophetarum egressus est ad oculos Piscatorum. Jam de monte umbroso & condenso tanquam sponsus de thalamo suo prosilivit in campum Evangelii. Jam qui habet aures audiendi, audiat eum clamantem in templo: *Qui sitit, veniat ad me & bibat. Et: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. Tu ergo times deficere, ubi se Veritas reficere te promittit? Certè si tantùm te delectat tenebrosa aqua de nubibus aëris quantò jucundiùs haurias ad serenissimis fontibus Salvatoris? O si semel paululum quid de adipe frumenti [a] unde satiatur Jerusalem, degustares, quàm libenter suas crustas rodendas literatoribus Judæis relinqueres! O si te unquam in schola pietatis sub Magistro Jesu merear habere sodalem! O si mihi liceat purificatum priùs tui pectoris vasculum supponere unctioni, quæ docet de omnibus! O quàm libens tibi partirer calidos panes, quos utique adhuc fumigantes, & quasi modò de furno (ut ajunt) recens tractos de cælesti largitate crebrò Christus suis pauperibus frangit! Utinam si quam mihi guttam quandoque de pluvia voluntaria quam segregavit hæreditati suæ, stillare dignetur in dulcedine sua pauperi Deus, mox eam tibi possem refundere, & rursùs à te vicissim recipere quod senseris! Experto crede: Aliquid amplius invenies in sylvis, quàm

s *Tract. de modo bene viven. cap. 8. num. 23.* t *Ser. 3. in Epiph. num. 6.* u *Epist. 107. num. 11.* x *Ibidem num. 12.* y *Ibidem num. 13.* z *Epist. 106. num. 1.* a *Ibidem. num. 2.*

quàm in Libris. Ligna & lapides docebunt te, quod à magistris audire non possis. An non putas posse te sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo? An non montes stillant dulcedinem, & colles fluunt lac & mel, & valles abundabunt frumento? Eia ergo festina, (b) exi, recede: moriatur anima tua morte justorum, quo fiant & novissima tua horum similia. O quàm preciosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus! Fuge, quæso, in via peccatorum ne steteris. Quomodò vivere potes, ubi mori non audes? Cum panibus occurrere fugienti paratos nos esse confidito. Si inimici hominis [c] domestici ejus. Ipsi sunt qui non te diligunt, sed gaudium ex te. Alioquin audiant à puero nostro: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem*. Si prostratus (ait Beatus Hieronymus) jaceat in limine pater, si nudato sinu quibus te lactavit ubera mater ostendat, si parvulus à collo pendeat nepos: per calcatum transi patrem, per calcatam perge matrem, & siccis oculis ad vexillum Crucis evola. Summum pietatis est genus in hac parte pro Christo esse crudelem. Phreneticorum lachrymis ne movearis, qui te plangunt de gehennæ filio factum filium Dei.

CAPUT VII.

De contemptu divitiarum terrenarum, pretioquè paupertatis spiritualis.

1. Ostenditur, neminem posse esse perfectum, nisi vendat omnia quæ possidet, ac sequatur Christum, ejusquè paupertatem imitetur. Refellitur effugium quorumdam divitias amantium, & se frustrà tuentium exemplis Patrum veteris testamenti qui divitias possidebant. 2. Ostenditur, neminem posse esse verum discipulum Christi, nisi amorem Dei & salutem propriæ animæ præposuerit affectui parentum suorum. Monentur parentes, ne impediant suos filios volentes sequi Christum, ejusquè paupertatem amplecti. Ostenditur, tria esse quæ constituunt paupertatem spiritualem. 3. Docemur neminem posse animam suam salvam facere, nisi priùs perdat illam propter Christum. Monemur ut exemplo Sancti Pauli, qui juxta consilium Domini perdebat animam suam, perdamus & nos animas nostras, secundùm doctrinam quæ traditur nobis.

§. I.

Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me: dicit Dominus. Matt. 19.

SI justus esse volueris [a] necessè est ut non solùm præsens seculum contemnas, sed & ipsam carnem castiges, & subiicias servituti. Nam ipse Dominus dixit. *Si vis esse perfectus, vade, & vende omnia quæ habes & da pauperibus: & veni, sequere me*. Quid est [b] *vende omnia quæ habes*? Abrenuncia omnibus quæ possides, exiens ad Jesum extra castra, ut portes improperium crucis ejus: quatenùs tantæ humilitatis merito de nemore exiens, in quo sunt semitæ impiorum qui circuitu ambulant, agrum paupertatis possideas: in quo abjectis occupationibus curisquè sæcularibus, corpore composito & corde dilatato curras alacriter viam mandatorū Dei, quæ quidem desiderabilia sunt & dulciora super mel & favum. Quare? Quia in custodiendis illis retributio multa. Planè multa, quia custodientibus ea debetur vita æterna. Ager paupertatis meritò plenus dicitur (c) quem simul & ver decorat floribus, & autumnus replet fructibus. Cui meritò Pater comparat Filium suum dicens: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni*. In quo nimirùm omnis perfectio paupertatis, & virtutum plenitudo superabundavit, ita ut de plenitudine ejus omnes acciperemus. Cùm enim dives esset, propter nos factus est egenus, ut illius ditaremur inopiâ. Ager iste aquis irriguus, floribus redolens, & abundans fructibus, thesaurum habet in se absconditum, videlicet continentiam carnis. Preciosus siquidem thesaurus est possidere vas suum in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut Gentes quæ ignorant Deum. Noli quærere thesaurum hunc inter spinas & tribulos sæcularis illecebræ, nec in sylvis ruditatis antiquæ: non enim in sylva, sed in agro absconditus est. Quæras in agro, ubi saturantur ligna campi, & ubi posseres nidificant: idest, ubi incontinentes resipiscunt, dignos pænitentiæ fructus facientes, prolem gignunt, non sibi tantùm, sed & aliis proficientes. Judas [d] à Christo recessit: vos autem sequimini illum. Judas vendidit illum Judæis: vos autem vendite quæ habetis, ut possitis comparare eum. Non solùm autem quæ habetis, sed etiam vosmetipsos pro amore tantæ pulchritudinis margaritæ pro nihilo reputetis, & illi soli placere quantùm potestis contendite. Nam valdè bonum est vobis [e] omnia terrena propter nomen Domini relinquere, ut ab eo possitis cælestia accipere. Quicunque voluerit esse amicus hujus sæculi, inimicus Dei erit. Igitur non diligamus mundum, ne inimicum Deum habeamus. Facilè contemnit omnia, qui se quotidie moriturum æstimat. Si quotidie mortem nostram ad memoriam reducimus, libenter omnia terrena despicimus. Si diem mortis nostræ in mente habemus, citò omnia quæ in hoc mundo sunt despicimus. Sed excusant aliqui fortassè dicentes: (f) Abraham, Isaac, & Jacob, cæterique sancti Patres numquid non terrenas divitias habuisse leguntur? Sufficit nobis esse sicut illi fuerunt: neque enim sumus nos Patribus meliores. Si culpabilis esset possessio divitiarum, nunquam illi in divitiis tantam à Domino gratiam obtinuissent, aut tantam gratiam consecuti, divitias nihilominus possedissent. Quid respondebimus novis imitatoribus sanctorum veterum? Imponant certè vitulos super altare Domini, mactent arietes, hircos immolent, quia & hoc Abraham fecit: & hic erat ritus Patrum, quibus nonmodò meliores non sumus, sed ne digni quidem solvere

b *Epist. 105. num. 2.* c *Epist. 35. n. 2.* a *Ser. 3. in Epiph. num. 6.* b *Ser. de verb. sap. num. 12. tom. 6. pag. 774.*

c *Ibidem num. 10.* d *Ser. 2. in ult. cæna. Domini num. 16* e *Tract. de modobene viven. cap. 8. num. 22.* f *Tract. de vit. & mor. cleric. cap. 3. n. 6.*

corrigiam calceamentorum eorum. Sed hæc (inquiunt) statum ultrà non habent; ubi revelata est veritas, transiêre. Quid si ipsas quoque sanctorum Patrum divitias temporales, umbram fuisse dixerimus futurorum? In figura siquidem eis omnia legimus contigisse. Denique quidni terrenas palàm divitias possiderent sancti & perfecti viri; cùm sola adhuc terrena palàm promitterentur à Deo? Sicut enim sacrificiis illis, sic & divitiis, carnalibus adhuc populis dispensatio Divina morem gerebat: nimirùm ut tanquam parvuli paulatim à Gentilium secederent ritu, eadem quæ Gentes dæmoniis, Domino immolantes, eademquè & illi, sed à Domino, non à dæmoniis expectantes. Ubi sanè cælestis promissio sonuit, spiritualia jam necesse est spiritualibus comparari, & mutari sacrificium spe mutata. Noverant hæc quicunque vel eo tempore fuère perfecti, sed ex charitate populo cohærebant, ut in manifestò quidem & agere eadem, & eadem quærere viderentur. An fortè violenta videtur extorsio [g] quod de umbra dicimus & significatione? Olim B. Hieronymus super hæc scripserat in hunc modum: Nullus mihi opponat aurum templi Judæorum: tunc enim hoc fuit, quando sanguis immolabatur, quod totum figura fuit. Aurum ergo repudiemus cum cæteris superstitionibus Judæorum: aut si aurum placet, placeant & Judæi. Postremò non multos legisse me recolo aut non afflictos graviter, aut non graviter in ipsa sæculi hujus prosperitate tentatos, fortè & periclitatos. Nimirùm longè aliud est in luto aquarum multarum divisi fundo Maris iter carpere, terrena licet possidendo: aliud verò est ipsam quoque novis gressibus undam calcare, omnia relinquendo. Sed tempori gratiæ prærogativa hæc debebatur. Petro nouum iter & novi typus itineris servabatur. Antiquorum sanè Patrum diebus, donec in terris videretur & conversaretur inter homines Dominus majestatis, non erat Evangelicæ forma perfectionis, sed Spiritum Domini solo interim spiritu sequebantur. At ubi *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; jam nobis in eo tradita est imago vitæ, & conversationis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari: ut utroque sequentes vestigio, non ulteriùs cum Patriarcha Jacob altero femore claudicemus. Ubi enim audivimus quia dictum sit antiquis: *Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*? Et item: *Si vis esse perfectus, vade, & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me*. Neque id dicimus [h] tanquam salvari quis vel hoc tempore nequeat, si secus egerit: sed ut gradum agnoscat proprium & locum perfectionis, aut discipulatûs officium non usurpet. Habent Evangelia & perfectionis consilium, & remedium infirmitatis. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*: hæc perfectio est. Siquidem Filius hominis ubi caput reclinaret, non habebat. Petro & Joanni nec argentum nec aurum erat. Paulus victu simplici vestituquè contentus, hæc ipsa labore manuum acquirebat. Imitemur ergo Christum [i] qui sic dilexit paupertatem, ut quamvis in ejus manu essent fines terræ, tamen non habuit ubi caput reclinaret: ita ut discipulos adhærentes ei legamus fame compulsos spicas manibus confricasse, cùm per sata transirent.

§. I I.

Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus: dicit Dominus. Luc. 14.

Mel & lac [k] *sub lingua ejus*: ait Scriptura. Id quidem necesse. Nam quod in lingua est, durum sonat. *Verba Sapientis quasi stimuli, & sicut clavi in altum defixi*. Denique sub lingua ejus quid? Audi Prophetam: *Labor & dolor*. Porrò sub lingua ejus mel & lac, qui juxta eundem Prophetam laborem fingit in præcepto. Miraris fingere Veritatem, nam mirari licet, dubitare non licet. Audi quomodò laborem fingere ipse se prodat: *Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris: Jugum enim meum suave est, & onus meum leve*. Quomodo non fictus labor, ubi non labor, sed requies invenitur. Ita ergo labor in lingua, mel sub lingua. Quid supra linguam? Ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Miseri qui solum quod in lingua sonuit attendentes, nec quod sub lingua reconditum, nec quod supra repositum fuit, capere potuerunt. *Durus est hic sermo*, inquiunt. Durus equidem, sed tamen idem est Verbum vitæ, loquens: *Si quis venit ad me, & non odit patrem, & matrem, adhuc autem & animam suam, non est me dignus*. Quid durius poterat dici? Noli errare. Lapis videtur, panis est. Durus in cortice, sed suavissimus in medulla. Tentat te Dominus Deus tuus. Fidei exercitatio, & probatio dilectionis est fictio ista laboris. Sed novi ego (l) quàm liquidò & copiosè hæc me quoque tacente cogitare sufficias, materno verò devinctus amore, necdum possis abiicere quod jam contemnere noris. Et quid ego ad hæc respondebo tibi? Ut matrem deseras? Sed inhumanum videtur. Ut cum ipsa maneas? Sed nec ipsi expedit ut sit filio causa perditionis. Fortè ut & mundo simul milites & Christo? Sed nemo potest duobus dominis servire. Mater tua vult contraria tuæ saluti, ac per hoc & suæ ipsius. Elige ergo tu è duobus quod vis, aut unius videlicet satisfacere voluntati, aut utriusque saluti. Verùm si multùm eam diligis, desere potiùs ipsam propter ipsam: nè si Christum deseras ut maneas cum ipsa, propter te pereat & ipsa. Alioquin malè meruit de te, quæ te peperit, si propter te perit. Quomodò enim non perit, quæ ipsum quem peperit perimit? Et hæc dixerim, ut tuo aliquo modo carnali condescendam consulamquè affectui. Cæterùm fidelis sermo, & omni acceptione dignus: Etsi impium est contemnere matrem, contemnere tamen propter Christum, piissimum est. Nam qui dicit, *Honora patrem & matrem*: ipse etiam dixit: *Qui amat patrem*

g *Ibidem num.* 7. h *Ibidem num.* 8. i *Ser.* 4. *de Advent. Dom. num.* 6.

K *Ser.* 97. *cit. num.* 1. & 2. l *Epist.* 104. *num.* 3.

patrem & matrem plusquàm me, non est me dignus. Eia ergo fuge (m) in via peccatorum ne steteris. Sed potiùs dicito illis: (n) Sola causa, quâ non licet obedire parentibus, Deus est. Ipse enim dicit: *Qui amat patrem & matrem plusquàm me, non est me dignus.* Si me verè ut boni & ut pii parentes diligitis, si veram, si fidelem erga filium pietatem habetis, quid me Patri omnium Deo placere satagentem inquietatis, & ab ejus servitio, cui servire regnare est, retrahere attentatis? Verè nunc cognosco, quia *inimici hominis domestici ejus.* In hoc vobis obedire non debeo, in hoc vos non agnosco parentes, sed hostes. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad meum atque vestrum imò universorum Patrem. Alioquin quid mihi & vobis? Quid à vobis habeo, nisi peccatum & miseriam? Hoc solum quod gesto corruptibile corpus, de vestro me habere fateor & agnosco. Non sufficit vobis quòd me in hanc sæculi miseriam miseri miserum induxistis, quòd in peccato vestro & peccatores peccatorem genuistis, quòd in peccato natum, de peccato nutristis; nisi etiam invidendo mihi misericordiam, quam consecutus sum ab eo qui non vult mortem peccatoris, filium insuper gehennæ faciatis? O durum patrem, (o) ô sævam matrem, ô parentes crudeles & impios, imò non parentes sed peremptores, quorum dolor salus pignoris, quorum consolatio mors filii est! Qui me malunt perire cum eis, quàm regnare sine eis. Qui me rursùs ad naufragium, unde tandem nudus evasi; rursùs ad ignem, unde vix semiustus exivi; rursùs ad lattones, à quibus semivivus relictus sum, sed miserante Samaritano jam aliquantulùm convalui, revocare conantur: & militem Christi propè jam rapto cælo triumphantem (quod non in me glorior, sed in eo qui vicit mundum) ab ipso jam introitu gloriæ, tanquam canem ad vomitum, tanquam suem ad lutum, ad sæculum reducere moliuntur. Mira abusio. Domus ardet, ignis instat à tergo, & fugienti prohibetur egressus, evadenti suadetur regredi? Et hæc ab his qui in incendio positi sunt, & obstinatissimâ dementiâ ac dementissima obstinatione fugere periculum nolunt. Proh furor! Si vos contemnitis mortem vestram, cur etiam appetitis meam? Si inquam negligitis salutem vestram, quid juvat etiam persequi meam? Quare vos non potiùs sequimini me fugientem, ut non ardeatis? An hoc est vestri cruciatus levamen, si me etiam perimatis: & hoc solum timetis, ne soli pereatis? Ardens ardentibus quod solatium præstare poterit? Quæ, inquam, consolatio damnatis, socios habere suæ damnationis? Quoduè remedium morientibus, alios videre morientes? Non hoc mihi persuadet dives ille, qui in tormentis desperatus de sui liberatione, rogabat nunciari fratribus suis, ne & ipsi venirent in locum eundem tormentorum, timens proculdubio ex suorum cruciatu augeri suum. Quid ergo? (p) Ibo & consolabor lugentem matrem meam mei ad tempus visitatione, ut in æternum lugeam & me & ipsam sine consolatione? Ibo, inquam, & satisfaciam patri meo irascenti pro mei ad tempus absentia, consolandus & ipse ad tempus de ejus præsentia: ut postmodùm & quisque pro se, & utrique pro alterutro inconsolabili desolemur tristitia? En potiùs exemplo Apostoli non acquiescens carni & sanguini, vocem audiam Domini jubentis: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Et cantabo cum David: *Renuit consolari anima mea.* Et cum Hieremia: *Diem hominis non concupivi, Domine, tu scis.* Quid enim? *Funes ceciderunt mihi in præclaris, & cælestis hæreditas præclara est mihi,* & terrena adulatur promissio, blanditur consolatio carnis? Gustato spiritu, necessè est desipere carnem. Affectanti cælestia, terrena non sapiunt. Æternis inhianti, fastidio sunt transitoria. Desinite igitur parentes mei, desinite & vos frustrà plorando affligere, & me gratis revocando inquietare. Sed imitemini quoad potestis eum, (q) qui sic dilexit paupertatem, ut quamvis in ejus manu essent omnes fines terræ, tamen non habuit ubi caput reclinaret. Paupertatem spiritualem (r) tria constituunt: depositio rerum & contemptus, vilitas & abiectio suiipsius, abdicatio propriæ voluntatis in omnibus. Voluntaria paupertas, quæ sine possessione vel desiderio habetur, quantò expeditior est, tantò securior est. Custos & magistra est virtutum hujusmodi paupertas: sicut è contrario, radix est vitiorum immoderata rerum affluentia.

§. III.

Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam, & salvam faciet illam: dicit Dominus. Luc. 9. & Matt. 16.

Perfectus omnis erit (s) qui aliàs dicere poterit: *Vineam meam non custodivi,* illo videlicet sensu, quo Salvator loquitur in Evangelio: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Idoneus planè & dignus qui ponatur custos in vineis, quem propriæ cura vineæ à commissarum diligentia & sollicitudine non impedit, aut retardat: dum non quærit quæ sua sunt, neque quod sibi utile est, sed quod multis. Propterea sanè Petro cura ista tradita est in tam multis vineis quæ erant de circumcisione, quia homo paratus erat & in carcerem & in mortem ire: usque adeo suæ vineæ, idest suæ animæ non detinebatur amore quominùs curæ intenderet creditarum. Meritò & Paulo inter Gentes tam ingens sylva credita est vinearum, quòd & ipse in suæ custodia vineæ minimè curiosus inventus sit, ita ut non solùm aligari, sed & mori in Jerusalem paratus fuerit propter nomen Domini Jesu Christi. Denique inquit: *Nihil horum vereor, nec facio animam meam preciosiorem quàm me.* Optimus æstimator rerum, qui nihil suorum sibi præferendum existimet. Quàm multi saluti propriæ modicam vilissimamquè pecuniam prætulerunt? Paulus nec animam. *Non* (inquit) *facio eam preciosiorem quàm me.* Ergo differentiam facis inter te & animam tuam. Prudenter quidem tu tibi pluris es quàm quiduis tuum. Sed (t) quomodò non tua anima tu? Arbitror quòd quia Paulus jam tunc in spiritu ambularet, & mente consen-

m *Epist.* 105. *num.* 2. n *Epist.* 111. *num.* 1. o *Ibidem, num.* 2. p *Ibidem num.* 7.

q *Ser.* 4. *de Advent. Dom. num.* 6. r *Ser.* 2. *in Cæna Dom. num.* 3. s *Ser.* 30. *in Cant. num* 9. t *Ibidem num.* 10.

ſentiret legi Dei quoniam bona eſt, idcirco hanc ipſam mentem ſuam tanquam principale ac ſupremum quiddam ſui, dignum duxerit ſuimet potiùs quàm ſuæ cujuſpiam rei nomine deſignare: reliquum verò quod conſtat naturæ eſſe inferioris, & inferiori proinde vilioriquè eſſentiæ (quod eſt corpus) inhærere, nonmodò officio vivificandi ac ſenſificandi, ſed & fovendi nutriendiquè deſiderio, Hoc, inquam, ſenſuale atque carnale appellatione ſui homo ſpiritualis indignum judicans, inter ſua magis cenſuit deputandum, quàm ſe perſonaliter exprimendum per illud. Cùm *me* dico, (inquit) excellentius quod in me eſt, in quo & ſto per gratiam Dei, id eſt mentem rationemquè intellige. Cùm loquor *animam meam*, hoc inferius accipe quod carni animandæ vides accommodatum, etiam & junctum in concupiſentia. Id me fuiſſe quidem, ſed jam non eſſe agnoſco, quia non ſecundùm carnem adhuc ambulo, ſed ſecundùm ſpiritum. *Vivo ego iam non ego, vivit verò in me Chriſtus*. Secundùm mentem ego, ſecundùm carnem non ego. Quid enim ſi carnaliter etiam nunc anima concupiſcit? *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*. Et ideo non me quidem, ſed tamen meum dixerim quod in me carnaliter ſapit, idquè non aliud quàm ipſam animam. Revera enim animæ portio eſt carnalis affectio ejus, & vita quam adminiſtrat corpori. Hanc ergo animam ſuam Paulus ſpernebat præ ſe, paratus pro Domino non ſolùm alligari, ſed & mori in Jeruſalem, & ſic perdere animam ſuam juxta conſilium Domini Jeſu Chriſti. Tu quoque ô homo (u) ſi propriam deſeras voluntatem, ſi corporis voluptatibus perfectè renuncies, ſi carnem tuam crucifigas cum vitiis & concupiſcentiis, ſed & mortifices membra tua quæ ſunt ſuper terram: probabis te Pauli imitatorem, qui non facies animam tuam precioſiorem teipſo: probabis te & Chriſti diſcipulum etiam illam perdendo ſalubriter. Et quidem prudentiùs eam perdis ut cuſtodias, quàm cuſtodis ut perdas. *Nam qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam*. Quid hîc vos dicitis obſervatores ciborum, morũ neglectores? Hippocrates medicus & ſequaces ejus docent animas ſalvas facere in hoc mundo: Chriſtus & ejus Diſcipuli perdere. Quemnam vos è duobus ſequi magiſtrum eligitis? At manifeſtum ſe facit qui ſic diſputat: Hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori vel ſtomacho nocet. Profectò unuſquiſque quod à ſuo magiſtro didicit, hoc in medium profert. Num in Evangelio legiſti has differentias, aut in Prophetis, aut in literis Apoſtolorum? Caro & ſanguis pro certo revelavit tibi hanc ſapientiam, non Spiritus Patris. Eſt enim carnis hæc ſapientia. Sed audi quid de ipſa noſtri medici ſentiant: *Sapientia* (inquiunt) *carnis mors eſt*. Item: *Sapientia carnis inimica eſt Deo*. Num Hippocratis ſeu Galeni ſententiam, aut certè de ſchola Epicuri debui proponere vobis? Chriſti ſum diſcipulus: Chriſti diſcipulis loquor. Ego ſi peregrinum dogma induxero, ipſe peccavi. Epicurus atque Hippocrates corporis alter voluptatem, alter bonam habitudlnem præfert: meus Magiſter Chriſtus utriuſque rei contemptum prædicat. Animæ in corpore vitam, quam ſummo ſtudio iſte unde ſuſtentet, ille unde delectet inquirit atque inquirere docet: Salvator monet & perdere. Quid enim tibi aliud de Chriſti auditorio ſonvit (x) cùm paulò ante clamatum eſt: *Qui amat animam ſuam, perdet eam*? Perdet eam, dixit, ſive ponendo ut martyr, ſive affligendo ut pænitens. Quanquam genus martyrii eſt, ſpiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius. Videſne hac ſententia Magiſtri mei carnis ſapientiam condemnari, per quam utique aut in luxum voluptatis diffluitur, aut ipſa quoque bona valetudo corporis ultra quàm oporteat appetitur? Denique quòd vera ſapientia in voluptates non effluat, audiſti profectò à Sapiente ne inveniri quidem hanc in terra ſuaviter viventium. Qui autem invenit, dicit: *Super ſalutem & omnem pulchritudinem dilexi ſapientiam*. Si ſuper ſalutem & pulchritudinem, quantò magis ſuper volupeatem & turpitudinem? Proinde rogo vos, fratres chariſſimi (y) exinanite vos, humilitate vos, ſeminate vos, perdite vos. Seminate corpus animale, & reſurget corpus ſpirituale. Perdite animas veſtras, & in vitam æternam ſervabitis eas. Vultis noſſe quomodo id fecerit Apoſtolus ipſe qui docuit? *Sive*, inquit, *mente, Deo: ſive ſobrii ſumus, vobis* Quid ergo tibi? *Ego*, inquit, *factus ſum tanquam vas perditum*. Bene ſeipſum perdit, qui nihil unquam pro ſe facit: ſed omnis ejus intentio & omne deſiderium tendit ad Dei bene placitum, & utilitatem fratrum ſuorum.

CAPVT VIII.

De conſideratione Chriſti, qui eſt fons, lux, via, veritas, & vita.

1. *Invitantur ſitientes animæ, ut veniant ad Jeſum fontem vivum, de cujus pectore procedunt quatuor fontes, ſcilicet miſericordia, ſapientia, gratia, & charitas: & ut libant ex illis aquas remiſſionis, diſcretionis, devotionis, & æmulationis.* 2. *Invitantur animæ in tenebris ignorantiæ manentes, ut ſequantur Jeſum mundi lucem & vitæ lumen: cujus lux tanquam lumen ſolis fuit in Reſurectione. Docemur quomodò poſſit videri Deus in hac vita: monemurquè purgare oculum noſtrum, ut in altera vita mereatur videre lucem meraciſſimam, Jeſum Chriſtum.* 3. *Proponitur nobis via labor, id eſt, humilitas: & laboris fructus, id eſt, veritas & vita. Oſtenditur, neminem poſſe venire ad Deum Patrem, niſi per ejus Filium Unigenitum. Chriſtus propterea didicit noſtras miſerias, ut miſericors fieret.*

§. I.

In noviſſimo die magno feſtivitatis ſtabat Jeſus, & clamabat dicens: Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. Joan. 7.

AD fontem invitamur (a) Redemptoris noſtri voce dicentis: *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat: & de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Et ſequutus Evan-

u *Ibidem num.* 11.

x *Ibidem num.* 12. y *Ser. de S. Bened. num.* 8. a *Ser.* 96. *diver num.* 5.

Evangelista exposuit ad quem fontem nos invitaret dicens: ***Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.*** Quem, nisi Spiritum charitatis, quem mundus non potest accipere, sed soli accipiunt qui verè credunt in eum? Pro paradiso quem perdidimus (b) restitutus est nobis Christus Salvator. Sicut autem de uno fonte paradisi dirivantur quatuor flumina ad irrigandum paradisum: ita de pectoris Christi arcano procedunt quatuor fontes, ex quibus hauriuntur quatuor aquarum genera, unde tota per universum mundum rigatur Ecclesia. Itaque (c) ut de exhibitione præsentium firma sit expectatio futurorum, paradisum habemus multò meliorem & longè delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt. Et paradisus noster Christus Dominus est, in quo quatuor fontes invenimus. *Primò* quidem habemus de fonte *misericordiæ* ad diluendas culpas, aquas *remissionis*. Fons utique nobis est Christus Dominus unde lavemur, sicut scriptum est: *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis nostris*. *Secundò* habemus de fonte *sapientiæ* ad potandam sitim nostram, aquas *discretionis*. Non enim ille solus aquarum est usus, nec tantùm sordes abluunt, sed & sitim extingvunt. *Beatus verò* (ait Sapiens) *qui in sapientia morabitur, & qui in justitia meditabitur*. Et post pauca inquit: *Aqua sapientiæ salutaris potabit illum*. Benè *sapientiæ salutaris*, quoniam sapientia carnis mors est, & sapientia mundi etiam ipsa inimica est Deo. Sola quæ ex Deo est sapientia salutaris est, quæ secundùm Beati Jacobi definitionem primùm pudica, deinde pacifica est. *Tertiò* habemus de fonte *gratiæ* ad irrigandas plantas bonorum operum, aquas *devotionis*. Hic enim aquarum usus est irrigatio, quam profectò maximè necessariam habent novellæ plantationes. Alioquin aut minùs proficient, aut ex toto peribunt præ siccitate. Quærat ergo devotionis aquas, quisquis seminaverit bonorum operum semina: ut irrigatus fonte gratiæ, bonę coversationis hortus non arescat, sed in perpetua viriditate proficiat. Orat enim pro hujusmodi Propheta David: *Et holocaustum meum* (inquit) *pingue fiat*. Sic & in laudibus Aaron legis, quoniam sacrificium ejus quotidianus ignis absumpsit. In quibus omnibus nihil aliud intelligendum videtur, nisi ut bona opera fervore devotionis, & dulcedine spiritualis gratiæ condiantur. *Quartò* (d) quæramus ad decoquendos cibos aquas *ferventes*, aquas *æmulationis*. Hæc nimirùm condiunt & decoquunt affectiones nostras, & ebulliunt de fonte *charitatis*, unde ait Propheta: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*. Alibi quoque inquit: *Zelus domus tuæ comedit me*. Siquidem ex dulcedine devotionis diligens justitiam, ex fervore æmulationis odio habet iniquitatem. Et vide ne de fontibus istis prædixerit Esajas: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Nam ut promissionem hanc vitæ præsentis esse noveris, non futuræ, illud attende quod sequitur: *Dicetis in illa die: Confitemini Domino, & invocate nomen ejus*. Inuocatio quippè præsentis temporis est, sicut scriptum est: *Invoca me in die tribulationis*. Porrò ex his quatuor fontibus (e) tres quidem propriè convenire videntur tribus Ecclesiæ ordinibus, singuli singulis. Nam primus quidem communis est omnibus. In multis enim offendimus omnes, & necessarium habemus misericordiæ fontem ad diluendas offensionum sordes. Omnes namque peccavimus, & egemus gloriâ Dei. Et Prælati, & continentes, & conjugati, si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus. Quia ergo nemo mundus à sorde, necessarius est omnibus fons *misericordiæ*: & pari voto debent ad hunc fontem, *Noë*, *Daniel*, & *Job* properare. De cætero quidem *Job* maximè *sapientiæ* fontem quærat, quoniam ipse magis inter medios laqueos ambulat, ita ut magnum videatur, si à malo declinat. *Danieli* verò currendum est ad fontem *gratiæ*, cui nimirùm pænitentiæ opera & labores abstinentiæ devotionis gratiâ necesse est impinguare. Oportet enim ut nos maximè in hilaritate omnia faciamus, quoniam hilarem datorem diligit Deus. Nam & terra nostra nequaquam fertilis est hujusmodi seminis, bonæ scilicet conversationis; ideoquè facilè exarescet, nisi crebris irrigationibus adjuvetur. Unde & in oratione Dominica hujusmodi gratiam sub quotidiani panis nomine postulamus. Meritò sanè, ne fortè cadat super nos terribilis illa maledictio propheticæ imprecationis: *Fiant sicut fænum tectorum, quod priusquàm evellatur, exaruit*. Fons verò *æmulationis* convenit *Noë* specialiter, quia maximè Prælatos decet hic zelus. Præterea (f) ne quis de ignorantia habeat excusationem, dico: Oporte te, Frater, ad quem de fabricanda seu regenda inter undas diluvii arca nihil spectat, aut virum esse desideriorum, *ut Daniel* erat: aut cum Beato *Job* virum esse dolorum, & scientem infirmitatem. Alioquin vereor, ne tepidum te & nauseam provocantem evomat ex ore suo, qui te invenire cupit aut sui consideratione calidum, & charitatis igne flagrantem: aut tua ipsius cognitione frigidùm, & aquâ compunctionis ignita diaboli jacula restinguentem. Quatuor itaque fontes istos (g) adhuc in carne viventibus nobis in semetipso Christus exhibet: quintum, qui est *fons vitæ* post hoc sæculum repromittens, ad quem sitiebat Propheta cùm diceret: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*. Vita æterna est fons indeficiens (h) qui universam irrigat superficiem paradisi cælestis. Necmodò irrigat, sed inebriat, fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano; & fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Quis verò fons vitæ, nisi Christus Dominus? Fortassis etiam propter hos quatuor fontes (i) quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc vivens in cruce: propter quintum, cùm jam tradidisset spiritum, transforatus est in latere. Vivebat adhuc quando foderunt ei manus & pedes, ut nobis adhuc viventibus quatuor fontes ex seipso proferret. Quintum pertulit vulnus cùm jam expirasset, ut in se nihilominùs quintum nobis fontem post obitum nostrum aperiret.

b *Ibidem num.1.* c *Ser.1 in Nativit Dom.num.5.& 6.* d *Ibidem num.6.* e *Ibidem num.7.*

f *Ser.3.in Assumpt.B.M.V. num.5.* g *Ser.1. in Nat.Dom. num. 8.* h *Ser.2.de Virg.Deip.n.4.* i *Ser.1.in Nat.Dom.num.8.*

§. II.

Ego sum lux mundi : qui sequitur me , non ambulat in tenebris , sed habebit lumen vitæ , dicit Dominus . Joan. 8.

Militia est [k] vita hominis super terram : & quamdiu militamus in hoc corpore , peregrinamur à Domino , idest , à luce . Nam Dominus lux est: & inquantùm quisque cum eo non est , intantùm in tenebris est . Alius enim [l] ambulat in lumine vultus sui , sollicitus facere suam voluntatem , & beneplacitum cordis sui considerans . Alius ambulat in lumine vultus humani , in eo semper intentus quid hominibus placeat , quid mundus judicet . De quo die Propheta loquitur : *Diem hominis non concupivi , Domine tu scis . Contritio & infelicitas in viis eorum , & viam pacis non cognoverunt , non est timor Dei ante oculos eorum .* Nox præcessit [m] dies autem appropinquavit. Numquid non Dominus Christus dies est ? Dies planè illustrans & spirans, qui spiritu oris sui fugat umbras , & destruit larvas illustratione adventus sui . Fuit tamen quædam hujus aurora diei. [n] ex quo Sol justitiæ per Archangelum Gabrielem nunciatus est terris , & Virgo Deum in utero de Spiritu Sancto concepit & peperit Virgo : ac deinceps quoad in terris visus est , & cum hominibus conversatus est . Nam usque adeò per totum id temporis lux pusilla & tanquam lux revera auroræ apparuit , ut diem esse interim apud homines penè universitas ignoraret . Denique *si cognovissent , nunquam Dominum gloriæ crucifixissent .* Et utique ipsis paucis Discipulis dicebatur : *Adhuc modicum lumen in vobis est* : eò quòd aurora esset, & initium vel potiùs indicium diei , dum Sol adhuc absconderet radios suos , & minimè eos spargeret super terram . Paulus quoque dicebat : *Quoniam nox præcessit , dies autem appropinquavit* : significans esse tunc adhuc adeò modicum lumen , ut propinquasse quàm venisse diem dicere maluerit . Quando autem hoc dicebat ? Profectò quando Sol reversus ab inferis jam se ad alta cœli sustulerat . Quantò magis cùm adhuc similitudo carnis peccati instar densæ nubis operiret auroram , juxta omnes nimirum nostri corporis passiones , ita ut neque amara mors , nec crux probrosa defuerit : quantò magis , inquam , tunc exigua tenuisquè admodùm lux fuit , & quæ de auroræ magis quàm de Solis prodire præsentia videretur . Erat ergo aurora [o] & ipsa subobscura satis tota illa Christi conversatio super terram , usque dum occumbens & rursùm exoriens, solaris suę præsentiæ lumine clariori fugavit auroram, & mane facto absorpta est nox in victoria . Denique habes : *Et valdè manè una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam Sole .* An non mane fuit quando ortus est Sol ? Attulit autem nouum de resurrectione decorem , & sereniorem solito lucem : quoniam etsi noveramus eum secundùm carnem , sed nunc jam non novimus . Est scriptum in Propheta : *Decorem induit , induit fortitudinem, & præcinxit se* : quòd carnis infirma tanquam nubila quædam excusserit , stolam gloriæ induens . Sanè extunc elevatus est Sol , & sensim demùm diffundens suos radios super terram, cæpit paulatim ubique clarior apparere , fervidiorquè sentiri . Verùm quantumlibet incalescat & invalescat , multiplicet & dilatet radios suos super omne hujus nostræ mortalitatis curriculum , (erit enim nobiscum usque ad consummationem sęculi) non tamen ad meridianum perveniet lumen , nec in illa sui plenitudine videbitur modò , in qua videndus est postea , ab his duntaxat , quos hac visione ipse dignabitur . Talem se obtulit Apostolis Apostolorum Dominus [p] ut jam non invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent , sed ipse facie ad faciem videretur, qui omnia fecit . Et quia Discipuli carnales erant , & Deus spiritus est , nec benè convenit spiritui & carni : umbrâ corporis sui temperavit se eis , ut obiectu vivificæ carnis viderent Verbum in carne, Solem in nube, lumen in testa, cereum in lucerna. Spiritus enim oris nostri est Christus Dominus , cui dicimus : *In umbra tua vivemus inter gentes* . In umbra , inquit , tua inter gentes , non inter Angelos, ubi purissimum lumen purissimis oculis intuebimur. Videtur quidem & hìc (q) sed sicut videtur ipsi , non sicuti est . Nam neque hoc luminare magnum (Solem loquor istum quem quotidie vides) vidisti tamen aliquando sicuti est, sed tantùm sicut illuminat verbi causâ aërem , montem , parietem . Quod nec ipsum quidem aliquatenùs posses videre , si non aliqua ex parte ipsum lumen corporis tui pro sui ingenita serenitate & perspicuitate cœlesti lumini simile esset . Non denique alterum membrum corporis capax est luminis , ob multam utique dissimilitudinem . Sed nec ipse oculus cùm turbatus fuerit , lumini propinquabit , nimirùm ob amissam similitudinem . Qui ergo turbatus oculus nullatenùs serenum solem videt propter dissimilitudinem, serenus aliquatenùs videt propter nonnullam similitudinem. Profectò si pari prorsùs puritate vigeret, videret omninò inoffensa facie eum sicuti est, propter omnimodam similitudinem . Ita & Solem justitiæ illum , qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum , videre in hoc mundo sicut illuminat illuminatus potest , tanquam in aliquo similis : sicuti est, omninò non potest , tanquam nondum perfectè similis . Propterea dicit Propheta : *Accedite ad eum & illuminamini , & facies vestræ non confundentur .* Ita sanè , sed si quantùm satis est illuminamur , ut revelata facie speculantes gloriam Dei , in eandem imaginem transformemur de claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu . Ergo accedendum ad eum [r] non irruendum , ne irreverens scrutator Majestatis opprimatur à gloria . Nec locis sanè accedendum , sed claritatibus , ipsisquè non corporeis, sed spiritualibus tanquam à Domini Spiritu . A Domini planè Spiritu, & non à nostro , quamvis in nostro . Qui itaque est clarior , ille propinquior : esse autem clarissimum, pervenisse est . Gloria mea hæc est [s] si unquam de me audiero : *Inveni hominem secundùm cor meum .* Cor Sponsi Jesu , cor Patris sui . Ipsum quod ? *Estote* , ait , *misericordes, sicut & Pater*

k *Serm. 26. in Cant. num. 1.* l *Serm. 26. ... iver. nu. 4.* m *Ser. 72. in Cant. num. 5.* n *Serm. 33. in Cant. num. 5.* o *Ibidem num. 6.*

p *Serm. 3. in Ascens. Dom. num. 3.* q *Serm. 31. in Cant. nu. 2.* r *Ibidem num. 3.* s *Serm. 62. in Cant. num. 5.*

Pater vester misericors est. Hæc forma quam videre desiderat, cùm Ecclesiæ dicit, *Ostende mihi faciem tuam*: forma est pietatis & mansuetudinis. Hanc cum omni fiducia levat ad petram cui similis est. *Accedite* (inquit) *ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur*. Quo pacto humilis ab humili confundetur, à pio sancta, & à modesto modesta? Non planè abhorrebit à puritate petræ pura facies Sponsæ, non magis quàm à virtute virtus, à lumine lumen. Et nunc quidem apparet quibus vult (t) sed sicuti vult, non sicuti est. Non sapiens, non Sanctus, non Propheta videre illum sicuti est potest aut potuit in corpore hoc mortali, poterit autem in immortali, qui dignus habebitur. Oculum itaque perga (u) ut videre possis merissimam lucem: & aurem tuam inclina ad obediendum, ut quandoque pervenias ad quietem perpetuam, & pacem super pacem. *Lux* enim est propter serenitatem, *pax* propter tranquillitatem, *fons* propter affluentiam & æternitatem. Fontem assigna *Patri*, ex quo nascitur Filius, & procedit Spiritus Sanctus. Lucem assigna *Filio*, qui est utique candor vitæ æternæ, & lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Pacem assigna *Spiritui Sancto*, qui nimirùm super humilem & quietum requiescit. Nec hoc dico tanquam propria ista sint singulorum, nam & Pater lux est, ut sit Filius de lumine: & Filius pax est, pax nostra qui fecit utraque unum: & Spiritus Sanctus fons est aquæ salientis in vitam æternam.

§. III.

Ego sum Via, & Veritas, & Vita: nemo venit ad Patrem nisi per me: dicit Dominus Jesus. Joan. 14.

Proponit Dominus nobis viæ laborem (x) & laboris mercedem. *Ego sum*, inquit, *Via, Veritas, & Vita*. Viam dicit humilitatem, quæ ducit ad Veritatem. Altera labor, altera fructus laboris est. Unde sciam, inquis, quòd ibi de humilitate locutus sit, cùm indeterminatè dixerit: *Ego sum Via*? Audi apertiùs dicentem: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Se ergo proponit humilitatis exemplum, mansuetudinis formam. Si imitaris eum, non ambulas in tenebris, sed habebis lumen Vitæ. Quid est lumen Vitæ, nisi Veritas quæ illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, ostendit ubi sit vera Vita? Ideò cùm dixisset: *Ego sum Via & Veritas*: subdit, *& Vita*. Ac si diceret: Ego sum *Via*, quæ ad Veritatem duco. Ego sum *Veritas*, quæ vitam promitto. Ego sum *Vita*, quam do. *Hæc est enim* (ait) *Vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Vel sic quasi tu dicas: *Viam* considero, id est humilitatem: fructuum desidero, *Veritatem*. Sed quid si tantus est labor viæ, ut ad optatum lucrum non possim pervenire? Respondet: *Ego sum Via*, idest viaticum quo sustenteris in via. Clamat igitur errantibus & viam ignorantibus: *Ego sum Via*. Dubitantibus & non credentibus: *Ego sum Veritas*. Jam ascendentibus, sed lassescentibus: *Ego sum Vita*. Qui vult (y) veniat post me, per me, ad me. Post me, quia *Veritas* sum: per me, quia *Via* sum: ad me, quia *Vita* sum. *Ego sum Via* (z) per quam est eundum: *& Veritas*, ad quam est veniendum: *& Vita*, in qua est permanendum. *Ego sum Via* sine errore, *Veritas* sine falsitate, *Vita* sine morte. *Ego sum Via* in exemplo, *Veritas* in promisso, *Vita* in præmio. *Ego sum Via* habilis, *Veritas* irrevocabilis, *Vita* interminabilis. *Ego sum Via* lata & spaciosa, *Veritas* potens & copiosa, *Vita* delectabilis & gloriosa. *Ego sum Via* incipientium, *Veritas* proficientium, *Vita* pervenientium. *Ego sum Via* lucis & serena, *Veritas* vivens absque pæna, *Vita* fælix & amena. *Ego sum Via* in patibulo, *Veritas* in inferno, *Vita* in resurrectionis gaudio. *Ego sum Via*, in qua non est spina vel tribulus: *Veritas*, in qua non est falsitatis stimulus: *Vita*, in qua reviviscit mortuus. *Ego sum Via* recta, *Veritas* perfecta, *Vita* sine fine mansura. *Ego sum Via* reconciliationis, *Veritas* retributionis, *Vita* æternæ beatitudinis. *Nemo venit ad Patrem* [a] *nisi per me*. Ac si dicat: Nemo venit ad me Veritatem & Vitam, nisi per me Viam: & nemo venit ad me Deum, nisi per me hominem assumptum. Ego per assumptam carnem mortalibus facio foveam, per quam venitur ad Veritatem & Vitam. Et viam moriendo facio, resurgendo, ad cælos ascendendo, ubi ego sum Veritas & Vita, Deus verus, Deus æternus. Miser homo de terra terrenus, semper gibbus, semper proclivis, semper æger, semper infirmus, ad gaudia paradisi vnde expulsus fuerat, per se redire non poterat: nec ad Veritatem & Vitam (quod Deus est) per se ascendere valebat. Sed venit Verbum ad carnem, Deus ad hominem, *Verbum caro factum est*, & Deus factus est homo. Inclinavit se Verbum ad carnem, Deus ad hominem: et sic genus humanum non solùm ad paradisum, sed etiam portavit ad cœlum, ubi est esse verum, & esse æternum, Veritas quæ semper fuit & erit, Vita beata & semper beata, quæ nec principum habuit, nec habebit finem. Unde nobis terrigenis homo Deus factus est *Via*, & nos perduxit ad Veritatem & Vitam, ad se videlicet Deum & hominem. Et hoc est quod dicit: *Nemo venit ad Patrem nisi per me*. Ac si diceret: Nemo venit ad me Deum, nisi per me hominem, hominem à Verbo assumptum. *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, qui sum homo & unus Deus cum Patre. Intuere ô homo (b) consilium Dei, agnosce consilium Sapientiæ, consilium pietatis. Ad Deum Patrem verebaris accedere (c) solo auditu territus ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem talis Filius obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. An verò trepidas & ad ipsum accedere? Frater tuus est & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Et hoc videtur approbari in Epistola ad Hebræos (d) ubi dicitur: *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret*. Puto quod hæc verba sic ad Caput (*Christum*) referenda sunt, ut corpori (*idest nobis*) aptari non possint. De Verbo utique Dei dictum est quod *non Angelos apprehendit*, hoc est non

E e in

t *Serm. 31. in Cant. num. 1.* u *Serm. 4. in vig. Nat. Dom. nu. 9.* x *Tract. de grad. humil. cap. 1. num. 1.* y *Serm. 63. div.*

z *Serm. 7. in ult. Cæna num. 44.* a *Ibidem num. 47.* b *Serm. 2. de Virg. Deip. num. 6.* c *Ibidem num. 7.* d *Tract. de grad. humil. cap. 3. num. 3.*

in unam sibi personam assumpsit, *sed semen Abrahæ.* Neque enim legitur: Verbum Angelus factum est, sed *Verbum caro factum est*, & caro de carne Abrahæ, juxta promissionem quæ illi primùm facta est. Vnde, id est ex qua seminis assumptione, *debuit per omnia fratribus similari*: idest, oportuit ac necesse fuit ut similis nobis passibilis, nostrarum omnia (excepto peccato) genera miseriarum percurreret. Si quæris qua necessitate? *Ut misericors*, inquit, *fieret.* Et hoc ais, cur non rectè ad corpus referri potest? Sed audi quod paulò post sequitur: *In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari.* In quibus verbis quid melius intelligi possit non video: nisi quòd ideo pati & tentari, omnibusquè absque peccato humanis voluit communicare miseriis (quod est per omnia fratribus similari) ut similiter passis & tentatis misereri, ac compati ipso disceret experimento: Quo quidem experimento (e) non dico ut sapientior efficeretur, sed ut propinquior videretur: quatenùs infirmi filii Adam, quos suos fieri & appellari fratres non dedignatus est, suas illi infirmitates committere non dubitarent, qui sanari illas & posset ut Deus, & vellet ut proximus, & cognosceret ut eadem passus. Unde Esajas *Virum* eum appellat *dolorum, & scientem infirmitatem*. Et Apostolus; *Non enim habemus*, inquit, *Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris*. Unde autem possit indicans adjungit: *Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. Beatus quippe Deus, beatus Dei Filius in ea forma, quâ non rapinam arbitratus est esse se æqualem Patri; proculdubio impassibilis; priusquàm se exinanisset formam servi accipiens, sicut miseriam & subiectionem expertus non erat, sic misericordiam vel obedientiam non noverat experimento. Sciebat quidem per naturam, non autem sciebat per experientiam. At ubi minoratus est non solùm à seipso, sed etiam paulominùs ab Angelis, (qui & ipsi impassibiles sunt per gratiam, non per naturam) usque ad illam formam in qua pati & subiici posset, quod utique (sicut dictum est) in sua non posset; & in passione expertus est misericordiam, & in subiectione obedientiam. Per quam tamen experientiam non illi scientia, sed nobis fiducia crevit: dum ex hoc misero genere cognitionis, is à quo longè erraveramus, factus est propior nobis. Quando enim illi appropinquare auderemus in sua impassibilitate manenti? Nunc autem Apostolo suadente, monemur, *cum fiducia adire thronum gratiæ ipsius*, quem nimirùm (sicut alibi scriptum est) *languores nostros tulisse, & dolores nostros portasse* cognoscimus: & in eo quod passus est ipse, nobis compati posse non dubitamus. Beati (f) qui sub tali duce strenuè militârint. Viæ Domini (g) Viæ rectæ, Viæ pulchræ, Viæ plenæ, Viæ planæ. *Rectæ* sine errore, quia ducunt ad Vitam. *Pulchræ* sine sorde, quia docent munditiam. *Plenæ* multitudine, quia totus jam mundus est intra Christi sagenam. *Planæ* sine difficultate, quia donant suavitatem. Jugum enim ejus suave est, & onus leve.

e Ibidem num. 9. f Serm. 7. in Quadrag. num. 4. g Serm. 21. divers. num. 1.

CAPUT IX.

De ardore desiderii Sponsæ, postulantis se trahi post Sponsum suum Jesum bajulantem crucem.

Trahe me post te: in odore unguentorum tuorum curremus. *Cant. 1.*

1. Ostenditur, quòd licet Christus dicat neminem posse venire ad se, nisi suus Pater traxerit eum: tamen minimè dubitandum quin & ipse trahat nos ad se, ut currentes post eum imitemur vitam ejus, & sequamur vestigia conversationis suæ. 2. Ostenditur, alios currere in via contemplativa, alios verò torpere pro discrimine gratiæ trahentis. Docemur, nunquam debere nos esse securos de præsenti gratia contemplationis. Traditur regula torpentibus in exercitio spirituali. Tractio variè exponitur. 3. Agitur de quatuor unguentis Sponsi Jesu: quæ appellantur, Sapientia, Justitia, Sanctificatio, & Redemptio. Et hæc omnia sicut Angelis, ita & hominibus factus est Christus. 4. Excitamur, ut libenter curramus post Jesum in odore unguentorum præfatorum, propter quadrifariam unctionem & suavitatem eorundem. Ostenditur, non omnes æqualiter currere in odore omnium unguentorum: de quibus singulis afferuntur exempla.

§. I.

Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Joan. 6.

Ad sequendum Dominum Jesum (a) vix inveniuntur, qui vel trahi patiantur, qui velint duci per viam mandatorum ejus. Alii enim *trahuntur*, qui possunt dicere: *Trahe me post te.* Alii *ducuntur*, qui dicunt: *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Alii *rapiuntur*, sicut Apostolus raptus est ad tertium cœlum. Et *primi* quidem felices sunt, qui in patientia sua possident animas suas. *Secundi* feliciores, quia ex voluntate sua confitentur ei. *Tertii* felicissimi, qui in profundissima Dei misericordia quasi quodammodò sepultâ jam arbitrii sui potestate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur, nescientes sive in corpore sive extra corpus, hoc solùm scientes quòd rapti sint. *Hæc est* (b) *generatio quærentium Dominum*. Quærentium, an habentium dicam? Habentium utique & quærentium. Alioquin non possent quærere non habentes. Sed quid habentes, aut quid quærentes? Vel potiùs quomodò habentes, quomodò requirentes? Verbo geniti, Verbum habent. Numquid non Verbum Dominus? Joannem audi. *Et Deus erat Verbum*. Quid ergo jam amplius quærit generatio quærentium Dominum? Considera quid sequatur in Psalmo: *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.* Eundem proinde habent pariter & requirunt, quia unus idemquè & Verbum Patris, & splendor paternæ gloriæ est. Et is quidem non quæsitus haberi forsitan potest, non habitus autem

quæ-

a Serm. 2. de Ascens. Dom. num. 6. b Serm. 37. divers. num. 3.

quæri omninò non potest. Denique ipsa est Sapientia quæ de se loquitur: *Qui edit me, adhuc esuriet*. Potens ipse est præstare etiam se non quærenti, qui de cumulo gratiæ & benedictione dulcedinis quærit & prævenit adhuc quærere non valentes. Nemo autem ante idoneus quærere quàm habere: quia *nemo* (inquit) *venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*. Adest ergo qui trahit, & quodammodò necdum adest, qui non aliò trahit quàm ad seipsum. Nunquam enim nec usquam sine Filio Pater adest per fidem ut ad speciem trahat. Quomodò ergo nunc non exultet spiritus meus, quomodò non sine modo jucundetur in generatione ista quærentium Dominum? Nempè testimonium credibile nimis gustatæ sapientiæ, est esuries ipsa tam vehemens. Certissima mihi probatio & indubitabile argumentum, quia habetis quem sic quæritis: & in vobis habitat, qui tam validè trahit vos ad seipsum. Non enim humanæ possibilitatis est cursus iste: ejus dextera facit virtutem, cui semper necessè est ut clametis: *Trahe nos post te, in odore unguentorum tuorum curremus*. Christus Dominus mons est (c) mons coagulatus, & & mons pinguis. Mons est sublimitate, coagulatus multorum congerie, pinguis charitate. Pinguissimus planè & uberrimus mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: siquidem propterea unxit eum oleo lætitiæ præ participibus suis. Mons cælestium aromatum, mons charismatum spiritualium, non ad mensuram accipiens spiritum, sed omnimodam obtinens plenitudinem gratiarum. Magnus mons, in quo omnes thesauri & scientiæ absconditi sunt: in quo tota humanitatis veritas, tota divinitatis inhabitat plenitudo. Excelsus & immensus mons, in quo omnia restaurantur quæ in cælis et quæ super terram, ut sit Deus omnia in omnibus. Dicat proinde (d) dicat cum gemitu Sponsa: *Trahe me post te*: quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitãtem. An hoc dicat cupiens dissolvi & esse cum Christo, præsertim dum videat adolescetulas, propter quas manere ipsam in carne necessarium videbatur, benè proficientes amare jam Sponsum, & stare in tuto charitatis? Siquidem hoc præmiserat: *Propterea*, inquiens, *adolescentula dilexerunt te*. Nunc ergo quasi dicat: Ecce adolescentulæ amant te, & amando firmiter inhærent tibi, mequè minimè jam opus habent, nulla mihi causa in hac vita ulteriùs commorandi. Idcirco ait: *Trahe me post te*. Hoc sentirem (e) si dixisset: Trahe me ad te. Nunc verò quia dicit, *post te*, magis illud mihi postulare videtur, ut conversationis ejus valeat vestigia sequi, ut possit æmulari virtutem, & normam tenere vitæ, & morum queat apprehendere disciplinam. In his quippè maximè opus est adjutorio, quo valeat abnegare semetipsam, & tollere crucem suam, & sic sequi Christum. Hîc prorsùs trahi necesse habet Sponsa, nec sanè trahi ab alio, quàm ab eo ipso qui ait: *Sine me nihil potestis facere*. Scio (inquit Sponsa) me nequaquam posse pervenire ad te nisi gradiendo post te, sed neque hoc quidem nisi adjutam abs te: ideoquè precor ut trahas me post te. *Beatus* siquidem *cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum*: perventuris quandoque ad te in montibus gaudiorum. Quàm pauci post te, ô Domine Jesu, ire volunt, cùm tamen ad te pervenire nemo sit qui nolit: hoc scientibus cunctis quia delectationes in dextera tua usque in finem. Et propterea volunt omnes te frui, at non ita & imitari: conregnare cupiunt, sed non compati. Non curant quærere quem tamen desiderant invenire, cupientes consequi, sed non & sequi. Non sic illi quibus ajebat Dominus: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis*. Beati qui digni habiti sunt testimonio tuo, benigne Jesu. Ipsi revera ibant post te & pedibus & affectibus. Notas eis fecisti vias vitæ, vocans eos post te, qui Via & Vita es & Veritas, dicens: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*. Item: *Qui mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit*. Dicebant ergo Discipuli gloriantes: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Sic itaque & dilecta Sponsa tua Domine (f) relictis omnibus propter te, concupiscit semper ire post te, semper tuis inhærere vestigiis, ac sequi te quocunque ieris: sciens quia viæ tuæ viæ pulchræ, & omnes semitæ tuæ pacificæ; & quia qui sequitur te, non ambulat in tenebris. Precatur autem se trahi, quoniam justitia tua sicut montes Dei, nec sufficit ad illam suis viribus. Precatur se trahi, *quia nemo venit ad te, nisi Pater tuus traxerit eum*. Porrò quos Pater trahit, trahis & tu. Opera quippè quæ Pater facit, hæc & Filius similiter facit. Sed familiariùs à Filio postulat trahi, tanquam à Sponso proprio, quem Pater misit obviam ei ducem ac præceptorem: qui sibi præiret in via morum, & præpararet iter virtutum, & erudiret eam sicut semetipsum, & viam prudentiæ doceret, & traderet ei legem vitæ & disciplinæ; & sic meritò ipse concupisceret decorem ejus. Multi equidem imò omnes (g) id est omnium virtutum flores in nostro Jesu Christo Nazareno sunt, quarum delectabili odore totum mundum traxit post se. Nam qui veniunt ad ipsum propter *humilitatem*, *violæ* ejus sequuntur odorem: qui propter *castitatem*, lilii ejus sequuntur odorem: qui propter *charitatem*, passionis *rosæ* sequuntur odorem: qui propter *abstinentiam*, *croci* sequuntur odorem. Ex his virtutibus optimi Jesu Christi ubique prædicatores tanquam quodam precioso unguento extraxerunt odorem: & ejus adolescentulæ odore ejus mirifico delectatæ cucurrerunt post unctum Jesum. Et adhuc nimirùm currunt clamantes in toto corde suo: *Trahe me post te, ut curramus in odore unguentorum tuorum*: scientes quòd neque volentis neque currentis, sed solius Dei miserentis est.

§. II.

Trahe me post te (h) *in odore unguentorum tuorum curremus*. Propterea opus habeo trahi, quoniam refriguit paulisper in nobis ignis amoris tui, nec valemus à facie frigoris currere modò sicut heri & nudius tertius. Curremus autem postea, cùm reddideris lætitiam salutaris tui, cùm redierit melior temperies gratiæ, cùm Sol justitiæ iterùm incalverit,

 & per-

c *Serm. 33. diver. num. 8.* d *Serm. 21. in Cant. num. 2.* e *Ibidem num. 3.*

f *Ibid. num. 4.* g *Tract. de vite myst. cap. 43. nu. 161.* h *Ser. 21. in Cant. num. 5.*

& pertransierit tentationis nubes, quæ hunc operire ad horam cernitur; atque ad lenem flatum auræ blandioris solito cœperint unguenta liquescere, & aromata fluere, & dare odorem suum. Tunc curremus, in odore illo curremus. Spirantibus inquam unguentis curremus, quoniam abscedet torpor qui nunc est, & revertetur devotio, & jam non erit opus nobis ut trahamur, quippè odore excitatis, ut spontè curramus. Nunc verò interim trahe me post te. Videsne illum qui in spiritu ambulat, nequaquam permanere in eodem statu, nec eadem semper facilitate proficere: & quòd non sit in homine via ejus, sed quemadmodùm ei Spiritus moderator prout vult dispensat, nunc segniùs, nunc alacriùs quæ retrò sunt oblivisci, & ad interiora se se extendere? Puto quòd hoc ipsum si attenditis, vestra vobis experientia intùs respondet quod ego foris loquor. Ergo cùm te torpore [i] acediâ vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere aut desistere à studio spirituali, sed juvantis require manum, trahi te obsecrans Sponsæ exemplo, donec denuò suscitante gratia factus promptior alacriorquè, curras, & dicas: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Sic autem quamdiu adest gratia, delectare in ea ut non te existimes donum Dei jure hæreditario possidere, ita videlicet securus de eo, quasi nunquam perdere possis: nè subitò cùm fortè retraxerit manum, & subtraxerit donum, tu animo concidas, & tristior quàm oportet fias. Deniqe in die virtutis tuæ noli esse securus(k) sed clama ad Deum cum Propheta, & dic: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Porrò in tempore tentationis consolare, & dic cum Sponsa: *Trahe me post te, in odore unguentorum tuorum curremus;* Sic te non deseret spes in tempore malo, nec in bono providentia deerit; erisquè inter adversa & prospera mutabilium temporum tenens quandam æternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem & inconcussam constantis animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore: proindequè vendicans tibi etiam in hujus nutabundi sæculi dubiis eventibus certisquè defectibus perennis quodammodò incommutabilitatis statum, dum te cœperis renovare & reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quippè sicut ipse est, ita & tu eris in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus. In hoc, inquam, nobilis creatura facta ad imaginem & similitudinem ejus qui se fecit, antiqui honoris dignitatem receptare jam jamquè & recuperare se indicat, cùm sibi indignum ducit huic labenti sæculo conformari, magis satagens (juxta Pauli doctrinam) *in novitate sui sensus* in eam similitudinem in qua se conditam novit; ac per hoc etiam cogens (ut dignum est) sæculum istud quod propter se factum fuit, versa vice mirum in modum conformari sibi; dum omnia ei cooperari in bonum incipiunt, tanquam in propria & naturali forma, abjectâ degeneri specie recognoscentia Dominum suum, cui ad serviendum creata fuère. Nos ergo (l) Sponsæ curemus æmulari libertatem atque constantiam, quæ sicut benè instructa in omnibus, & erudita corde in sapientia, scit abundare, scit & penuriam pati. Cùm se rogat trahi, ostendit quid desit sibi, non pecuniæ, sed virtutis. Rursùm cùm se nihilominùs de spe rediturae gratiæ consolatur, & si deficere, non tamen diffidere se probat, Dicit enim: (m) *Trahe me post te, in odore unguentorum tuorum curremus.* Et quid mirum si indiget trahi, quæ post gigantem currit, quæ comprehendere nititur eum qui salit in montibus, transilit colles? *Velociter* (ait Propheta) *currit sermo ejus.* Non valet ex æquo currere, non potest pari cum illo celeritate contendere, qui *exultat ut gigas ad currendam viam*: non potest suis viribus currere, & propterea rogat se trahi. Fessa sum, inquit, deficio, noli me deserere: *sed trahe me post te*, ne incipiam vagari post amatores alios, nec curram quasi in incertum. *Trahe me post te*: quia satiùs mihi est ut me trahas, ut scilicet vim qualemcunque mihi aut terrendo minis aut exercendo flagellis inferas, quàm parcens in meo me torpore malè securam derelinquas. Trahe quodammodò invitam ut facias voluntariam. Trahe torpentem, ut reddas currentem. Erit quando non indigebo tractore: quoniam voluntariè & cum omni alacritate curremus. Non curram ego sola, & si solam me trahi petierim: current & adolescentulæ mecum. Curremus pariter, curremus simul: ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo atque hortatu, ac per hoc omnes in odore unguentorum tuorum curremus. Habet Sponsa imitatores sui, sicut & ipsa est Christi. Et ideo non ait singulariter curram, sed *curremus*. Sed hìc oritur quæstio (n) cur similiter cùm se petiit trahi, etiam adolescentulas non adjunxit, ut non *trahe me*, sed trahe nos diceret. Quid enim? Fortène Sponsa indiget trahi, & adolescentulæ non indigent? O pulchra, ô felix, ô beata, edissere nobis hujus distinctionis rationem. *Trahe me*, ais. Quare *me*, & non nos? An hoc bonum invides nobis? Absit. Neque enim protinùs dixisses adolescentulas tecum esse cursuras, si sola post Sponsum ire voluisses. Cur ergo pluraliter mox subjunctura *curremus*, trahi te singulariter postulasti? Charitas, inquit, ita postulabat. Disce per hoc verbum à me in spirituali exercitio duplex auxilium desuper sperare, *correptionem* & *consolationem*. Altera foris exercet, altera visitat intùs. Illa reprimit insolentiam, ista in fiduciam erigit. Illa operatur humilitatem, ista pusillanimitatem consolatur. Illa cautos, ista devotos facit. Timorem Domini docet illa, ista ipsum timorem infuso temperat gaudio salutari, sicut scriptum est: *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Item: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Trahimur* [o] cùm tentationibus & tribulationibus exercemur. *Currimus*, cùm internis consolationibus & inspirationibus visitati, tanquam in suaveolentibus unguentis respiramus. Ergo quod austerum & durum videtur (ait Sponsa) retineo mihi tanquam forti, tanquam sanæ, tanquam perfectæ: & dico singulariter, *Trahe me*. Quod suave & dulce tibi tanquam infirmo communico: & dico, *Curremus*. Novi ego adolescentulas delicatas & teneras esse, & minùs idoneas

i Ibidem num. 6. k Ibidem num. 7. l Ibidem num. 9.

m Ibidem num. 10. n Ibidem num. 11. o Ibidem num. 12.

neas sufferre tentationes: & propterea mecum volo ut currant, & non ut mecum trahantur. Volo habere socias consolationis, non autem & laboris. Quare? Quoniam infirmæ sunt, & vereor ne deficiant, ne succumbant. Me, inquit, ô Sponse Jesu corripe, me exerce, me tenta, me trahe post te: quoniam ego in flagella parata sum, & potens ad sustinendum. Certatim simul curremus: idest, sola trahar, sed simul curremus. Curremus curremus, sed in odore unguentorum tuorum, non in nostrorum fiducia meritorum: nec in magnitudine virium nostrarum currere nos confidimus, sed in multitudine miserationum tuarum. Nam & si quando cucurrimus, ac voluntariæ fuimus, non fuit volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Revertatur miseratio & curremus. Tu quidem in virtute tua tanquam gigas & potens curris, nos nisi unguenta tua spiraverint, non curremus. Tu quem Pater unxit oleo lætitiæ præ consortibus tuis, curris in ipsa unctione, nos in illius odore curremus; tu in plenitudine, nos in odore.

§. III.

Porrò [p] salvo cuique quod fortè sublimiùs subtiliùsquè de Sponsi Jesu unguentis speciali munere sentire sibi & experiri donatum est, ego quod de communi accepi, profero in commune. Ipse siquidem fons vitæ, ipse fons signatus, de intra hortum conclusum erumpens per os Pauli fistulam suam, tanquam verè illa Sapientia, quæ juxta Beati Job sententiam trahitur de occultis, in quatuor sese rivos diffudit, & derivavit in plateas: ubi videlicet & assignat nobis *eum factum à Deo sapientiam, & justitiam, & sanctificationem, & redemptionem*. Quis verò fons vitæ [q] nisi Christus Dominus? Sanè ipsa sese plenitudo exinanivit, ut fieret nobis *sapientia, & justitia, & sanctificatio, & redemptio*. Ex his utique quatuor rivis [r] tanquam preciosissimis unguentis (nil enim obstat utrumque intelligi, & aquam & unctionem: aquam, quia mundant; unctionem, quia fragrant) ex his, inquam, quatuor præmissis rivis, tanquam unguentis preciosissimis super montes aromatum de cælestibus speciebus confectis, tanta Ecclesiæ nares odoris suavitas replevit, ut mox à quatuor mundi partibus excitata illa dulcedine, supernum properaret ad Sponsum, tanquam verè illa regina Austri festinans à finibus terræ audire sapientiam Salamonis, opinionis siquidem odore provocata. Sanè & Ecclesia non ante currere valuit in odore sui Salamonis [s] quousque is qui ab æterno ex Patre Sapientia erat, factus est ei in tempore à Patre *sapientia*, quo ipsius odorem percipere posset. Sic *justitia*, sic *sanctificatio*, sic & *redemptio* nihilominùs ei factus est: ut horum quoque in odore currere posset, cùm hæc æquè omnia in se ante omnia esset. Nam & in principio quidem erat Verbum, sed tunc demùm ad videndum ipsum, pastores venerunt festinantes, cùm nunciatum est factum. Denique & loquuntur adinvicem: *Transeamus usque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis*. Et sequitur: Quia *venerunt festinantes*. Priùs non se movebant, dum Verbum erat tantùm apud Deum. At ubi Verbum, quod erat, factum est, ubi hoc Dominus fecit & ostendit: tunc venerunt festinantes, tunc cucurrerunt. Quomodò ergo in principio erat Verbum, sed Verbum erat apud Deum, factum est autem quatenùs esse inciperet & apud homines: sic nihilominùs in principio *sapientia* erat, erat *justitia*, erat *sanctificatio*, erat *redemptio*, sed Angelis; ut esset & hominibus, fecit eum hæc omnia Pater, & fecit quod Pater. Denique *qui factus est* (inquit Paulus) *nobis sapientia à Deo*, non ait simpliciter, qui factus est sapientia, sed, qui *factus est nobis sapientia*: quoniam quod erat Angelis, factus est & nobis. At Angelis, inquis [t] quomodò *redemptio* fuerit, non video? Nec enim auctoritas Scripturarum uspiam assentire videtur eos aliquando aut peccato extitisse captivos, aut morti obnoxios ut necessariam haberent redemptionem, exceptis duntaxat illis qui superbiæ lapsu irremediabili corruentes, redimi deinceps non merentur. Nempè novit *superbiam Moab* [u] *quòd superbus est valdè*: & superbia ejus pænitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ. Si itaque Angeli nunquam redempti sunt [x] alii utique non egentes, alii non promerentes; illi quidem quia nec lapsi sunt, hi autem quia irrevocabiles sunt: quo pacto tu dicis Dominum Jesum Christum eis fuisse *redemptionem*? Audi breviter. Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur: sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens. Et hac ratione fuit æquè utrique *redemptio*, solvens illum, & servans istum. Denique [y] attendo verbi profunditatem. Postquam natus est Jesus vocatur ab hominibus, qui vocatus est ab Angelo priusquàm in utero conciperetur. Idem quippè & Angeli Salvator & hominis est: sed hominis ab incarnatione Verbi, Angeli ab initio creaturæ. Porrò (z) qui hominibus subvenit in tali necessitate, servavit Angelos à tali necessitate. Et qui homines diligendo tales fecit, ne tales remanerent: ipse æquè diligendo dedit & Angelis, ne tales fierent. Liquet ergo [a] sanctis Angelis Dominum Christum fuisse *redemptionem*, sicut *justitiam*, sicut *sapientiam*, sicut *sanctificationem*: & nihilominùs tamen hæc ipsa quatuor esse factum propter homines, qui invisibilia Dei non nisi per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere possunt. Sic ergo omne quod erat Angelis, factus est nobis. Quid? *Sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio*. *Sapientia* in prædicatione, *Justitia* in absolutione peccatorum, *Sanctificatio* in conversatione quam habuit cum peccatoribus, *Redemptio* in passione quam sustinuit pro peccatoribus. Ubi ergo hæc à Deo factus est, tunc Ecclesia odorem sensit, tunc cucurrit. Tunc prorsùs odor ille qui in Christo erat [b] sese ubique sparsit, adeo ut à finibus terræ ipsum sentiens clamaret Ecclesia: *Oleum effusum nomen tuum*: currerentquè adolescentulæ in odore olei. Ecclesia quidem recumbit intùs [c] sed Ecclesia interim perfectorum

p *Ser. 22. in Cant. num. 4.* q *Ser. 2. de Virg. Deip. num. 3.* r *Ser. 22. in Cant. num. 4.* s *Ibidem num. 5.*

t *Ibidem num. 6.* u *Ser. 2. de Advent. Dom. num. 5.* x *Serm. 22. in Cant. num. 6.* y *Ser. 1. in Circum. Dom. n. 2.* z *Tract. de diligen. Deo cap. 1.* a *Ser. 22. in Cant. num. 6.* b *Ser. 60. in Cant. num. 3.* c *Ser. 14. in Cant. num. 5.*

tum: spes tamen est & nobis. Excubemus ergo præ foribus qui minùs perfecti sumus, spe gaudentes. Sponsus & Sponsa soli interim intùs sint, mutuis secretisquè fruantur amplexibus, nullo strepitu carnalium desideriorum, nullo corporeorum phantasmatum perturbante tumultu. Turba verò adolescentularum, quæ absque hujusmodi inquietudinibus nondum esse possunt, foris expectet. Expectentquè securè, scientes ad se illud spectare quod legunt: *Adducentur Regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi*. Et ut quæque sciat cujus spiritus sit, *virgines* dico illas, quæ ante Christo fœderatæ quàm fœdatæ mundi complexibus, ipsi firmiter perseverant, cui se tantò feliciùs quantò maturiùs devoverunt. *Proximas* verè dico illas, quæ pristinam suam deformitatem (in qua mundo huic quandoque conformes, mundi principibus, idest spiritibus spurcis in omni carnali concupiscientia sese turpiter prostituerant) tandem aliquando erubescentes, & exeuntes in novi hominis formam, quantò seriùs tantò sinceriùs reformare festinant. Et hæ & illæ sanè proficiant, non deficiant neque fatigentur, & si necdum plenè in se sentiunt unde dicant & ipsæ: *Oleum effusum nomen tuum*. Nec enim audent adolescentulæ per se facere verba Sponso. Tamen si magistræ vestigiis pressiùs inhærere student, effusi olei saltem odore delectabuntur, & incitabuntur etiam de odoris perceptione cupere & quærere potiora.

§. IV.

Videamus jam nunc quadrifariam unctionem (d) videamus affluentissimam atque inæstimabilem suavitatem ejus, quem unxit Pater oleo lætitiæ præ consortibus suis. Sedebas ô homo in tenebrosis & umbra mortis per ignorantiam Veritatis, sedebas vinctus catenis delictorum: descendit ad te in carcerem non ut torqueret, sed ut erueret de potestate tenebrarum. Et primò quidem Veritatis doctor depulit umbram ignorantiæ tuæ, *luce sapientiæ suæ*. Per *justitiam* deinde quæ ex fide est, soluit funes peccatorum, gratis justificans peccatorem. Quo gemino beneficio implevit sermonem illum sancti David: *Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos*. Addidit quoque *sancte* inter peccatores vivere, & sic tradere formam vitæ, tanquam formam viæ quâ redires ad patriam. Ad cumulum postremò pietatis tradidit in mortem animam suam, & de proprio latere protulit precium *satisfactionis* quo placeret Patrem: per quod illum planè ad se versiculum Psalmi traxit: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio*. Prorsùs copiosa: quia non gutta, sed unda Sanguinis largiter per quinque partes Corporis Christi emanavit. Quid tibi debuit facere [e] & non fecit? Illuminavit cæcos, soluit vinctum, reduxit erroneum, reconciliavit reum. Quis non post illum libenter atque alacriter currat, qui & ab errore liberat, & errata dissimulat: qui deinde merita vivendo tradit, præmia moriendo conquirit? Quam excusationem habet qui in odore horum unguentorum non currit, nisi ad quem fortè odor minimè pervenit? Sed enim in omnem terram exivit odor vitæ: quoniam misericordiâ Domini plena est terra, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Ergo qui talem hanc sparsam ubique fragrantiam non sentit, & ob hoc non currit, aut mortuus est, aut puditus. Fragrantia fama est, prævenit opinionis odor, excitat ad currendum, perducit ad unctionis experimentum, ad bravium visionis. Vox una lætantium, omnium pervenientium: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum*. Omninò propter mansuetudinem quæ in te prædicatur, currimus post te Domine Jesu, audientes quòd in spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confitentem Latronem, non lachrymantem peccatricem, non Chananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem Publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem Discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odore horum currimus. Porrò *sapientiæ* tuæ odorem ex eo percipimus quòd audivimus, quia si quis indiget sapientiâ, postulet eam à te, & dabis ei. Ajunt siquidem quòd des omnibus affluenter, & non improperes. At verò *justitiæ* tuæ tanta ubique fragrantia spargitur, ut non solùm justus, sed etiam ipsa dicaris Justitia, & Justitia justificans. Tam validus denique es ad justificandum, quàm multus ad ignoscendum. Quamobrem quisquis pro peccatis compunctus esurit & sitit justitiam, credat in te qui justificas impium, & solam justificatus per fidem, pacem habebit ad Deum. *Sanctitatem* quoque suavissimè & copiosissimè tua redolet non solùm conversatio, sed & conceptio: peccatum siquidem non commisisti, nec contraxisti. Qui ergo justificati à peccatis sectari desiderant deliberantquè sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, audiant te clamantem: *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum*. Considerent vias tuas, & discant à te, quia *Justus sis in omnibus viis tuis, & Sanctus in omnibus operibus tuis*. Jam *redemptionis* odor quantos currere facit? Cùm exaltaris à terra, tunc prosùs omnia trahis ad teipsum. Pro his omnibus currimus post te [f] dimitte nos, quia clamamus post te. Nec currimus æqualiter omnes in odore omnium unguentorum. Sed videamus alios vehementiùs studiis flagrare *sapientiæ*, alios magis ad *pænitentiam* spe indulgentiæ animari, alios ampliùs ad *virtutam exercitium* vitæ & *conversationis* Christi provocari exemplo, alios ad *pietatem* Passionis memoriâ plùs accendi. Putamus nos de singulis posse reperire exempla? *Primò* quidem currebant in odore *sapientiæ* qui missi fuerant à Pharisæis, cùm reversi dicerent: *Nunquam homo sic locutus est*: utique admirantes doctrinam, & confitentes sapientiam. Currebat in hoc ipso odore sanctus Nicodemus, qui venit ad Jesum nocte, in splendore multo sapientiæ: de multis quippè instructus edoctusquè recessit. *Secundò*, in odore *justitiæ* cucurrit Maria Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multùm. Justa profectò & sancta, & non jam peccatrix quemadmodùm Pharisæus exprobrabat, nesciens justitiam seu sanctitatem Dei esse munus, non opus hominis, & quia nonmodò justus, sed & beatus cui

d *Ser. 22. in Cant. num. 7.* e *Ibidem num. 8. & 9.*

f *Ibidem. num. 10.*

cui non imputabit Dominus peccatum. An oblitus erat, quomodò vel suam ipsius, vel alterius corporalem tangendo lepram fugârat, non contraxerat? Sic tactus à peccatrice Justus justitiam impertit, non perdit; nec sorde peccati, quâ illam mundat, se inquinat. Cucurrit & Publicanus, qui cùm propitiationem peccatis suis humiliter imploraret, descendit justificatus, teste ipsa Justitia. Cucurrit Petrus, qui lapsus flevit amarè, quatanùs culpam dilveret, & recuperaret justitiam. Cucurrit David, qui reatum agnoscens & confitens, audire meruit: *Et Dominus transtulit à te peccatum tuum*. *Tertiò* in *sanctificationis* odore (g) Paulus currere sese testatur, cùm se Christi imitatorem esse glorìatur, dicens ad discipulos: *Estote imitatores mei, sicut & ego Christi*. Cucurrerunt & omnes qui ajebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Desiderio quippè sequendi Christum reliquerant omnia. Hortatur generaliter universos ad eundem odorem ista Joannis sententia: *Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare*. *Quartò*, Jam qui in odore cucurrerint *passionis*, si audire vis, universos Martyres accipe. Hoc autem tam delectabili odore inebriati (h) non solùm Viri naturâ fortiores, sed & Virgunculæ tenerrimæ currebant toto cordis affectu, omnibus què viribus animi ad delitias crucis. En quatuor (i) unguenta assignata habetis: primum *sapientiæ*, secundum *justitiæ*, tertium *sanctificationis*, quartum *redemptionis*. Tenete nomina, percipite fructū: & compositionis modum vel numorum specierum, quibus confecta sunt, nolite requirere. In Christo nempè rerum plenitudo est sine numero, & sine modo. Nam & *sapientiæ* ejus non est numerus: & *justitia* ipsius sicut montes Dei, sicut montes æterni: & *sanctitas* singularis: & *redemptio* inexplicabilis. Itaque qui se dicit in Christo manere (k) debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Jesus enim non resedit, sed exultavit ut gigas ad currendam viam. Et nos quoque si non desipimus, curramus post eum in odore unguentorum ipsius. Alioquin si elongari contigerit, erit pigritanti animæ & laboriosior & periculosior via, dum nec odore recreari, nec certa possit agnoscere vestigia abeuntis. Sic autem currite Fratres, ut comprehendatis. Quod sanè ita fiet, si nequaquam arbitramini vos comprehendisse, sed obliti quæ retrò sunt, extenditis vos in anteriora: si apprehendatis disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Cæterùm in omnibus actibus (l) sponsam Jesu imitamini, tollentes crucem vestram: & ad imitationem ejus, unà cum ipsa curratis ardenti desiderio fortiter post Jesum.

CAPUT X.

De triplici præmio relinquentium mundum, propter amorem Christi.

1. *Ostenditur, verba Christi habere magnam vim ad persuadendum hominibus contemptum mundi, & sequendum Christum. Demonstratur, Petrum reliquisse omnia, licet nihil habuerit. Reprehenditur detestabilis in hominibus concupiscentia terrenorum. 2. Agitur de perfecta obedientia Petri & Andreæ, qui ad unicam Christi vocem relictis omnibus statim secuti sunt eum. Quorum exemplo docemur vocationi divinæ festinanter esse obediendum, sicut & Abraham & Zachæus obediverunt. 3. Ostenditur relinquentes omnia & sequentes Christum, habituros in futura regeneratione quietem sessionis; dum & corpus dotabitur gemina felicitate immortalitatis scilicet & impassibilitatis: & Anima sicut nihil metuet, sic nec concupiscet ultrà. 4. Ostenditur, sequaces Christi habituros excelsum honorem judiciariæ potestatis, & immensum gaudium: illum pro humilitate paupertatis, istud pro labore. Exhortamur fugire honores mundi, & ambire dignitatem promissam sequentibus Christum, quæ est excellentior omni gloria sæculi. 5. Ostenditur, contemptores mundi in hac vita accepturos præmium nomine Centupli promissum, & possessuros vitam æternam. Reprehenditur vesania hominum, qui cunctantur relinquere simpla pro Centuplo: cujus qualitas fide comprehenditur, non experimento. Afferuntur variæ definitiones & effectus hujus Centupli.*

§. I.

Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Matt. 19.

Fidelis sermo (a) & dignum omni acceptione colloquium Simonis Petri, & Domini Jesu. Libet proinde sacratissimo huic interesse colloquio, & intima cordis aure percipere quæ dicuntur. Arbitror enim verba lectionis hujus ea esse, de quibus ad immortalem Sponsum à fininibus terræ clamat Ecclesia: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*. Hæc nempè sunt verba, quæ contemptum mundi in universo mundo, & voluntariam persuasêre hominibus paupertatem. Hæc sunt verba, quæ Monachis Claustra replent, deserta Anachoretis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægyptum spoliant, & optima quæque ejus vasa diripiunt. Hic sermo vivus est & efficax, convertens animas felici æmulatione sanctitatis, & veritatis promissione fideli. Dixit enim Simon Petrus ad Jesum: *Ecce nos reliquimus omnia*. Benè, optimè, & non ad insipientiam tibi. Nam & mundus transit & concupiscentia ejus, & relinquere hæc magis expedit quam relinqui. *Ecce*, inquit, *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Nimirùm quia exultavit ut gigas ad currendam viam: nec currentem sequi poteras oneratus. Sed nec inutilis commutatio pro eo qui supra omnia est, omnia reliquisse: nam & simul cum eo donantur omnia: & ubi apprehenderis eum, erit unus ipse omnia in omnibus, qui pro ipso omnia reliquerunt. *Omnia* sanè dixerim, non tantùm possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maximè. Plùs enim concupiscetia mundi quàm substantia nocet. Nota admodùm quæstio est (b) quomodò Petrus cùm nil ferè ex omnibus habuisse sciatur, tam fiducialiter glorietur sese omnia reliquisse. Vnde Sanctus Gregorius, Multum,

g Ibidem n. 11. h Tract. de vite myst. cap. 43. n. 163. i Ser. 22. in Cant. num. 11. k Epist. 3; 1. num. 1. & 2. l Soliloq. S. Bernar. d. num. 22. tom. 6. pag. 1023.

a Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 1. n. 1. b Ibidem. cap. 10. num 31.

tum, inquit, deservit, qui voluntatem habendi dereliquit. Et post pauca: A sequentibus tanta relicta sunt, quanta à non sequentibus desiderari potuerunt. Fidelis sermo, sed forsan clausus & ipse est. Numquid enim voluntas habendi tam multa complectitur, ut reliquisse illam, sit omnia deservisse? Quis hominum omnia desiderare possit, nedum piscator ille pauper & modicus? Sed quid cuique sufficere possit, diligentiùs vestigato, & facilè est invenire omnia desiderantem. Neque enim ponere est concupiscentiæ modum, donec videatur impleta, donec adepta sit quibus valeat esse contenta. Cæterùm nec amator pecuniæ dicet aliquando, Sufficit: nec libidinosus satiabitur voluptate. Sic & crudelis quisque sempersanguinem sitit: & ambitiosus aut cupidus laudis humanæ adeptis dignitatum titulis seu favoribus, nullum exinde capit omninò remedium, sed desiderio æstuat ampliori. Minùs autem invenit requiem, qui sibi placere cupit, & suis, idest, quibusdam fatuis de semetipso testimoniis gloriatur dicens: *Manus mea excelsa*: putans sese aliquid esse, cùm nil sit. Vidi ego aliquando quinque viros (c) quidni phreneticos arbitrer? *Primus* siquidem buccis tumentibus marinam masticabat arenam. *Secundus* sulphureo astans lacui, exhalantem teterrimum fœdissimumquè gestiebat haurire vaporem. *Tertius* fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas hiantibus excipere faucibus lætabatur. *Quartus* supra pinnaculum templi residens, levioris auræ spiritum aperto attrahebat ore: & si quominùs influere videretur, flabello sibi ventum ipse ciebat, ac si totum speraret aërem deglutire. *Quintus* seorsùm positus ridebat cæteros, ipse quoque ridendus, & maximè. Proprias enim carnes incredibili quodam studio sugere laborabat: nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Miseratus homines, causamquè miseriæ sciscitatus à singulis, unam omnibus esse reperio, validissimam utique famem. Tunc verò macilentissimam eorum facies contemplatus, recordabar Prophetæ gementis miserabiliter & dicentis: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*. Quid hæc vobis, inquio, prosunt? Non sunt naturales cibi, magis famem hæc provocant quàm extinguunt. Panis namque Animæ justitia est, & soli *beati qui esuriunt illum: quoniam ipsi saturabuntur*. Nimirùm ad imaginem Dei facta anima rationalis (d) cæteris omnibus occupari potest, repleri omninò non potest. Capacem Dei, quidquid Deo minus est, non implebit. Inde est quòd naturali quidem desiderio summum quivis probatur appetere bonum, nullam nisi adepto eo requiem habiturus. Cæterùm errant miseri non invenientes viam: &, ut scriptum est, ambulant impii in circuitu, dum minora quæque bona quærentes, illud semper desiderant, quod sibi vicinius necdum videntur adepti. Atque utinam, si fieri posset, cætera omnia obtinuisset unus, eodemquè proculdubio & ipsum quod sibi solum deesse videret, Summum utique bonum desiderio quæsiturus, quo cætera quoque semper expetit non adepta. Sed innumera sunt hæc, & à cæteris quoque pariter requiruntur. Quod valet quisque trahit in partem suam, nec aliquando poterit hic circuitus peragrari. Vis pervenire? Incipe transilire. Alioquin proripieris miser in desiderio terrenorum, & à Summo bono eò longiùs invenieris, quò te ampliùs dederis caducis rebus & transitoriis appetendis. In circuitu siquidem ambulas: & quod propè erat in corde & in ore tuo, si corde crederes & ore confitereris, terga vertens declinas, & elongaris ab eo. Hinc est quod vociferatur dicens: *Convertimini filii hominum*. Anfractuosa siquidem via est, & inambulabilis: faciliùsquè pervenies spretis omnibus, quàm adeptis. Porrò attende (e) quàm sapienter ordinaverit Sapientia Dei Christus contra peccatum primum, remedium primum opponens: *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Ac si apertiùs dicat: Vis obtinere cælum quod perdidit superbiens Angelus, qui confisus est in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum: paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. Quod si ita est (f) non putent divites hujus sæculi, fratres Christi sola possidere cælestia, quia audiunt eum dicentem: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Non eos, inquam, æstiment sola cælestia possidere, quia ea sola audiunt in promissione: possident & terrena, & quidem tanquam nihil habentes, sed omnia possidentes: non mendicantes ut miseri, sed ut domini possidentes, eò pro certo magis domini, quò minùs cupidi. Denique fideli homini totus mundus divitiarum est. Totus planè: quia tam adversa quàm prospera ipsius mundi æquè omnia serviunt ei, & cooperantur in bonum. Ergo avarus terrena esurit ut mendicus, fidelis contemnit ut dominus. Ille possidendo mendicat, iste contemnendo servat.

§. II.

Dixit Simon Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia (g) & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Dignum planè Apostolica fide & devotione verbum. Jam reliquisti omnia, jam Dominum Petre secutus es: & nunc demùm quid sis accepturus, interrogas? Verè Simon, verè obediens in auditione auris, sine pacti conventione. Ad unius enim jussionis vocem *Petrus & Andreas relictis omnibus secuti sunt Redemptorem*. Vis adhuc audire (h) perfectæ obedientiæ formam? *Vidit Dominus* (ait Matthæus Evangelista) *Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum*. Faciam (inquit) de piscatoribus Piscatores, imò Prædicatores. At illi continuò nihil diiudicantes aut hæsitantes, non solliciti unde viverent, non considerantes quonam modo rudes homines & sine literis Prædicatores fieri possent: nihil denique interrogantes, sine omni mora *relictis retibus & navi secuti sunt eum*. Agnoscite Fratres, quoniam propter vos scripta sunt hæc, propter vos singulis annis in Ecclesia recitantur: ut discentes veræ obedientiæ formam, castigetis corda vestra in obedientia charitatis. Familiaris quidem & amica saluti obedientia est (i) sed obedientia firma & stabilis, quæ fundata est supra petram.

c *Ibidem num. 32.* d *Ibidem num. 33.*

e *Ser. 1. de omn. Sanc. num. 8.* f *Ser. 21. in Cant. num. 8.* g *Tract. de vit. & mor. cleric. cap. 11. num. 34.* h *Ser. 2. de S. An*[illegible] i *Tract. de vit. & mor.* [illegible] *cap. 1. num. 1.*

tram. *Melior est enim obedientia quàm victimæ: & acquiescere nolle, quasi peccatum hariolandi est*. Unde & vitæ quoque ipse Salvator prætulit hanc virtutem, eligens magis Animam ponere, quàm obedientiam non adimplere. Quod si homini carnali stultitia fortè videtur (k) audiat: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quoniam placuit Deo per stultitiam prædicationis salvare credentes: quippè cùm mundus eum in sapientia minimè cognovisset*. Quantos enim mundi sapientia maledicta supplantat, & conceptum in eis extinguit spiritum, quem volverat Dominus Jesus vehementer accendi? Noli (inquit sapientia mundi) præcipitanter agere, diu considera, diligentiùs intuere. Magnum est quod proponis, sed opus habes multa deliberatione: experire quid possis, amicos consule, ne post factum pænitere contingat. Hæc sapientia mundi terrena, (l) animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Deo vomitum provocare. Cave tibi, ait. Ut quid enim? Cùm à Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? Vocat magni consilii Angelus, quid aliena consilia præstolaris? Quis enim fidelior, quisvè sapientior illo? Deduc me Domine, & deducar: fortior esto & invalesce. Novi ego quænam sint quæ oportet fieri citò. Ab ore potui gehennæ eripior: & inducias petam, & retardabor, & cunctabor exire si fortè interim fiat aliquid? Abscondi ignem in sinu meo: & exusto jam latere, jam nudatis visceribus, jam sanie defluente, diu mihi & deliberandū est an expergiscar, an excutiam, an abiiciā illum? Magnum omninò est quod offertur, sed eò utique libentiùs & festinātiùs suscipiendum, & obviis arripiendum manibus cum fervore & hilaritate. Probet autem seipsum, qui de propria virtute præsumit. Nam Divina quidem omninò probata est. Amicos consulat qui non legit: *Inimici hominis domestici ejus*. Quid frequentat Evangelium, qui Evangelio non obedit? At in eo sanè legimus promittenti cuidam sequi Dominum, sed defunctum priùs patrem sepelire volenti responsum est ab eo, ut sineret mortuos sepelire mortuos suos. Alteri quoque tantùm suis qui in domo erant valedicere cupienti, *Nemo*, inquit, *mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei*. Sed quid audierat primus? *Magister*, ait, *volo te sequi quocunque ieris*. Cui respondens Dominus: *Vulpes*, inquit, *foveas habent, & volucres cæli nidum: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*. Prudentiam carnis in fovea vulpis, in nido volucris arguens cordis elationem. Est enim interdum videre nonnullos (m) qui relictis omnibus abrenunciare sæculo disponentes, cùm rectè offerre velint, nolunt dividere rectè, calliditate humana totos sese Divino committere nutui formidantes; sed reservantes nescio quid fermenti, ut totam massam corrumpat: quod in multis frequenter expertum est. Multos quoque videmus (n) post præcipientis imperium multas facere quæstiones: Cur, quare, quam ob rem, sæpiùs interrogare, crebras ingeminare querelas: quærere, quare hoc præcipit, unde hoc venit, quis hoc adinvenit consilium? Inde murmuratio, inde verba murmurationem & indignationem sonantia, & redolentia amaritudinem. Inde frequens excusatio, simulatio impossibilitatis, advocatio amicorum. Non sic Abraham. Audivit (o) à Deo omnipotente: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi*: & ad unius jussionis vocem, patriam fugit, relinquit parentes, deserit hæreditatem, & aliorum fines hospes ingreditur novus. Magna res, & primitivæ dignitatis privilegio in Patre multarum Gentium consecrata est. Primus primùm suis facultatibus renunciat, & obedientiæ viam indefessa velocitate percurrit. Denique (p) audi quid Dominus de simplici populo protestetur: *In auditu* (inquit) *auris obedivit mihi*: ut videlicet ostenderet uno eodemquè momento processisse & imperantis imperium, & obsequium obsequentis. Velociter currit sermo Dei (q) & velocem habere desiderat sequentem. Vides cum quanta velocitate currit ille qui dicit: *Viam mandatorum tuorum cucurri*. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aurem auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Vide Dominum festinanter præcipientem, & Zachæum hominem festinanter obedientem. *Zachæe* (inquit Dominus) *festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinanter descendit, & excepit eum gaudens*. Animadvertisti quia & festinanter descenderit, & gaudenter exceperit. Audisti obedientiam, audi & obedientiæ remunerationem: *Quia salus huic domui facta est*.

§. III.

Porrò intuere (r) quomodò alius sine duce & præceptore spirituale studium apprehende facilè cogitans, ambulat in magnis & mirabilibus super se, ut vulgò dicitur: *Saliens antequam videat, casurus antequam debeat*. Petrus autem cogitatum suum jactans in Dominum, & omnem solicitudinem suam in eum proiiciens, certus quòd illi foret cura de eo, reliquit omnia, secutus est Dominum, ne interrogans quidem de præmio, donec ex periculo divitum quod Salvator prosequebatur, sumeret occasionem percontandi: *Quid ergo erit nobis*? Ait illi Jesus: *Amen dico vobis*. Verbum confirmationis præmittitur: magnum noveris esse quod sequitur. *Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos*. Quid est quod dicit, *in regeneratione*? (s) aut quæ est hæc nova regeneratio? Neque enim jam ignoramus, quoniam oportet hominem nasci denuò, non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sed ex aqua & & Spiritu Sancto. Cæterùm cùm nullatenùs ad eam regenerationem valeat hæc promissio pertinere, fortè & altera regeneratione opus esse videtur: nec solùm denuò, sed & tertiò hominē nasci necesse est. Infelix ego homo, & miserabilis casus meus, cui non una sufficit, cui duplex est necessaria regeneratio. Nimirùm ex corpore & anima constitutus, cecidi totus si-

k *Ibidem cap. 11. num. 34.* l *Ibidem num. 35.* m *Ibidem num. 36.* n *Serm. 41. divers. num. 5.*

o *Ibidem num. 2.* p *Ibidem num. 5.* q *Ibidem num. 7.* r *Tract. de vit. & mor. cleric. cap. 11. num. 36.* s *Ibidem cap. 12. num. 38.*

simul, simul totus omninò resurgere non possum. An verò dignum non est, ut ea quæ videtur potior priorquè portio, reparetur? At ipsam sanè animam esse nemo sanæ mentis ignorat. Prior ergo reficiatur, quæ prior corruit: præsertim quòd ab ejus culpa alterius pœna prodierit, & ipsius corruptio corporeæ quoque fuerit causa corruptionis. Regeneretur interim anima (t) & tanquam præscita & prædestinata à Domino, conformis fiat imagini Filii ejus in mansuetudine cordis, & humilitate. Ipsius enim merito te quoque, o misera caro, noveris aliquando regenerandam, & conformandam Corpori Christi in gloria & claritate. *In regeneratione*, inquit (u) *cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos.* Ac si dicat: Consequimini, quem sequimini: ut cùm ipse sederit, & vos pariter sedeatis. Quando enim ille resedit in mundo, quando substitit, quando reclinavit caput? *Exultavit ad currendam viam, benefaciendo pertransiit*, quippè nec nidum, nec foveam, nec locum habens in diversorio: donec opere tandem quod susceperat consummato, sedendi præceptum mereretur accipere, & diceret Dominus Domino meo: *Sede à dextris meis*. Insipiens es tu, qui præsidere eligis magis quàm considere, quærens in itinere diverticula. Ille ministrare venit, non ministrari: tu supra magistrum, & Domino major, imò nec discipulus profectò nec servus recumbere jam festinas. Paululùm dormies, paululùm dormitabis, paululùm conseres manus: ille salit in montibus, transilit colles. Clamet ad eum anima mea: *Trahe me post te, in odore unguentorum tuorum curremus*. Alioquin quando eum remorando, tepescendo, pausando consequi speras? *Exultavit ad currendam viam*: hilarem sine dubio diligit secutorem. Necdum ad bravium pervenisti, necdum apprehendisti metam. Grandis adhuc restat via: noli sistere gradum, noli in medio itinere residere. *In sudore*, inquit *vultus tui comedes panem tuum, donec in terram de qua sumptus es, revertaris*. Et tunc sanè tempus erit requiei, nimirùm quando jam spiritus ipse dicet, ut requiescas à laboribus tuis. Necdum tamen erit consummata pax, necdum perfecta quies, denique necdum sessio plena. *In regeneratione*, inquit (x) *cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos*. Felix regeneratio. Quando enim renascar ad sessionem, miser homo natus ad laborem? O si unquam sedero totus, cujus modò ne minima quidem portio sedet: in quo nihil tranquillum, nihil quietum, sedatum nihil, nihil unquam in eodem permanens statu. *Sedebitis & vos*. O sessio! Quis mihi tribuat, ut dignis exprimam verbis quod de sessione hac, cordis affectione concipio? Imò quis tribuat mihi sessionis hujus imperturbata frui requie quam desidero, quam cupio, quam requiro? Ecce enim dixi: Nil in me sedet, sed cuncta in motu sunt, omnia nutant, fluctuant universa. Postremò ubi concupiscit adhuc caro adversùs spiritum, spiritus advesùs carnem, quidnam homini sedere videtur? Nec solùm jam concupiscentia pacem impedit, turbat sessionem, vetat esse sedatum: sed duplex quoque secundùm corpus miserum hominem contritio vexat, præsentis videlicet *sensus* doloris, & mortis *metus* futuræ. Nimirùm cùm & passibile sit corpus & mortale, duplex nihilominus animam agitare solicitudo videtur spei utique & timoris. Inter hæc nempè fluctuat jugiter, donec peccati corpus inhabitat, ascendens usque ad cælos, & ad iterùm usque ad abyssos descendens tabescens in malis, & ad bona nihilominùs inardescens. Erit autem cùm luteum hoc egrediens domicilium, à timore quidem penitùs liberabitur, sed necdum ab expectatione. Et tunc enim jam non erit timor in finibus nostris, sed in spe singulariter constituti psallemus singuli mente & spiritu. Quod etiam prælibaverat quodammodò qui dicebat: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*: *quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu*. Cæterùm de expectatione idem ipse Propheta sic ait: *Me expectant justi donec retribuas mihi*; Necmodò numerum fratrum ut compleatur, sed & ipsum corpus ut sua regeneratione restituatur, expectant. Imò verò & expetunt cum desiderio, sub Altare Dei vociferantes ad ipsum, ut qui audire meruit, potuit & testificari. Nam corpus quidem illo in tempore sedere quis dicat, dum effluit, & in saniem pulveremquè redigitur? *In regeneratione*, inquit, (y) *sedebitis & vos*. Seminatur enim corpus animale, resurget corpus spirituale. Seminatur in ignominia, surget in gloria. Ubi jam tunc mors victoria tua? Siquidem & tu inimica novissima destrueris. Corpus enim resurrectionis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur. Sed & dolor & gemitus omnis abscedet, quoniam *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & jam non erit ampliùs neque luctus neque clamor*: *sed neque ullus dolor erit ultra, quoniam priora transierunt*. Sedebit igitur corpus immortalitatis & impassibilitatis gemina quadam fælicitate dotatum, liberum ab omni necessitate, ab omni corruptione securum, alienum & immune ab omni concupiscentia, plenum gloriâ, configuratum denique claritati corporis Christi. Sedebit & *anima* sicut nil metuens, sic nec cupiens ultrà, nimirùm plena beatitudine, & secura plenitudine fruens; nullos jam cogitationum fluctus, nullos tentationum conflictus, nullos affectionum sentiens motus: sed æternæ illi incommutabilitati prorsùs immersa, & sic adhærens Deo, ut unus jam spiritus sit facta cum eo. Sed quando hæc (z) aut quibus hæc erunt? *Vos*, inquit, *qui secuti estis me, cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos*. Jam quidem sedet Filius hominis in sede majestatis: siquidem ascendens in cælum sedet à dextris Dei. Sed *cùm sederit* dictum est, hoc est, cùm apparuerit sedens, sicut Apostolus ait: *Cùm enim Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria*. Ipse itaque in regeneratione corporum sedebit in sede majestatis, qui pro animarum regeneratione stetit in ignominioso supplicio Crucis, interrogatus contumeliis pariter & tormentis, necmodò durissima morte, sed & turpissima condemnatus. Quoniam enim obediens Patri factus est usque ad mortem, mortem autem crucis, propter hoc exaltavit eum.

§. IV.

Ibidem num. 38. u Ibidem cap. 13. num. 39. x Ibidem num. 40.

y Ibidem cap. 14. num. 41. z Ibidem num. 42.

§. IV.

Sed fortaſsè (a) minùs adhuc firmiter ſtabilita hæc videantur, ſi tantùm fuerint ſubnixa baſibus, non etiam deſuper cohærentia capitellis. Hinc eſt quòd minimè ſuis contentus exemplis Salvator etiam præmia repromittit, ut quem fortè non provocat invitatio præcedentis, trahat vel deſiderium retributionis: & ſi quis voluptuoſus eſt, illum ſitiat torrentem voluptatis: ſi gloriæ cupidus eſt, aſpiret ad illam celſitudinem judiciariæ poteſtatis. *Sedebitis*, ait, *& vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Acsi dicat: Pro confuſione veſtra duplici & rubore pars veſtra laudabitur. Propterea enim in terra ſua duplicia poſſidebunt, & lætitia ſempiterna erit in Chriſto. In exilio vobis afflictio duplex, humilitatis utique & laboris. Sed conſolamini, & nolite deficere, quoniam in terra veſtra (in terra utique viventium) duplex vos nihilominùs remuneratio manet, ſublimitatis & delectationis. In Sedibus enim quies imperturbata eſt, in Judicio dignitatis eminentia commendatur. Denique (b) oportet impleri quod dictum eſt in Pſalmo: *Abſorpti ſunt juncti petræ judices eorum*. Abſorpti planè in affectum juſtitiæ, & petræ ſoliditatem cui juncti ſunt imitantes. *Juncti*, inquit, *petræ*: quam profectò ſolam ut ſequerentur, cætera omnia reliquerunt. Nempè hoc eſt quod interroganti Petro quidnam accepturi eſſent, petra ipſa reſpondit: *Cùm ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël*. Hæc quoque Propheta Iſaias prænuncians ait: *Dominus ad judicium veniet cum Senioribus populi ſui*. Dixit Lucifer ille (c) ſed non jam lucifer, ſed tenebrifer & veſperus: *Sedebo in monte teſtamenti, ſimilis ero Altiſſimo*. O impudens! *Millia millium miniſtrant ei, & decies centena millia aſſiſtunt*: & tu ſedebis? *Cherubim* (ait Propheta) *ſtabant*, & non ſedebant: quid laboraſti ut jam ſedeas? *Omnes adminiſtratorii ſunt Spiritus miſſi in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*: & tu ſedebis? Quid ſeminaſti, ut jam metas? Non eſt tuum hoc, ſed quibus paratum eſt à Patre. Quid eis invides? Profectò ipſi ſedebunt, ipſi inquam vermiculi terræ judicantes ſedebunt: & tu nonmodò non ſtabis, ſed judicandus aſtabis. *Neſcitis* (ait Apoſtolus) *quia & Angelos judicabimus*? Ipſi utique *ibant & flebant, mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*. Duo manipuli ſunt, quos quæris lucifer, honoris ſcilicet & quietis. Seſſionem affectas & altitudinem, ſed non ſic, non ſic: non colliges, quia non ſeminaſti. Qui ſeminaverunt laborem & vilitatem, metent honorem pariter & quietem. Pro confuſione enim ſua duplici & labore, in terra ſua duplicia poſſidebunt. Quis verò ſæcularis honor excogitari poteſt (d) qui non prorsùs in tantæ ſublimitatis comparatione vileſcat? Non unius ſiquidem civitatis, aut populi, ſeu regionis unius, ſed Univerſitatis judices habent præſidere cum Chriſto. Nec ſolùm homines, ſed & ipſos Angelos judicabunt illi, qui parentem ad modicum vaporem præſentis gloriæ dedignantes & exſufflantes, improperium Chriſti univerſis præferunt titulis dignitatum. *Nolite timere puſillus grex, quoniam complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*. Diffinitum eſt conſilium quod non evacuabitur, propoſitum immutabile perſeverat. Denique juravit Dominus & non pænitebit eum: *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos judicantes*. Quid glorioſius poteſt excogitari? O familiaritatis gratia! (e) ô honoris culmen! ô fiduciæ privilegium! ô prærogativa ſecuritatis perfectæ! Felix paupertas voluntaria (f) omnia derelinquentium, & ſequentium Dominum Jeſum. Fælix planè, quæ tam ſecuros, imò tam glorioſos faciat in illo ſingulari fragore elementorum, & in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto diſcrimine judiciorum. Judicent nunc & præjudicent ſuperbiæ filii (g) cum rege ſuo ſedeant, qui ſibi latera Aquilonis elegit. Exaltentur & leventur ſicut Cedri Libani: tranſibimus, & ecce non erunt. Opprimant nunc quos poſſunt, blaſphement, congregent maledicta, veniant ſuper nos opprobria exprobrantium Chriſto: quoniam merces noſtra copioſa eſt in cælis. Gloriamquè ab invicem habeant, utique vanam & mendacem: quoniam vani filii hominum, mendaces filii hominum. Gloriam enim quæ à ſolo Deo eſt, nolunt, veram utique & manentem: quoniam ipſe eſt Veritas, & ipſe eſt qui eſt. Infelix prorsùs ambitio, quæ ambire magna non novit, quærens de modico creſcere, & de maximo minui. Amant enim cathedras primas, quæ velut groſſi ficuum velociter ſunt caſuræ. Sunt enim groſſi primæ quædam ficus prorsùs inutiles, ſolam habentes ſpeciem ficuum, non ſaporem: nec tam fructus, quàm futurorum quædam præſagia ſunt fructuum; quas & decidere neceſsè eſt, ut eis aliæ humano uſui & eſui aptæ ſuccedant. Unde Sponſa in Canticis Canticorum ait: *Hyems tranſit, imber abiit & receſſit*. Et poſt pauca: *Ficus*, inquit, *protulit groſſos ſuos*: quòd videlicet perſecutione ceſſante, inclyta facta ſit Eccleſia, poſita in ſuperbiam ſæculorum. Quam ſanè ſublimitatem & excellentiam dignitatum congruè ſatis groſſos vocat, ut futura in his moneat potiùs quàm præſentia cogitare. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ non videntur, æterna. Caveant igitur qui primas cathedras amant, ne contingat carere ſecundis: & qui primos nunc recubitus eligunt, incipiant cum rubore locum tenere noviſſimum. *Sedebitis*, inquit, *ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël*. Hæ jam ficus erunt, non utique groſſi. Has nimirùm Sedes prævidera Propheta, qui de ſuperna Civitate dicebat: *Illic ſederunt ſedes in judicio, ſedes ſuper domum David*. Illic planè, non hîc. Quomodò enim ſedent quas hîc videmus Sedes, quæ toties nutant, toties titubant, toties ſubvertuntur? Nimirùm ergo groſſi ficuum ſunt, quos tenuis aura dejicit & diſperdit. Cæterùm quid ſibi vult (h) quòd duodecim Tribus Iſraël judicaturos fore promittit, in quibus etiam mundus ipſe cognoſcitur judicandus? An quia notus tantùm adhuc in Judæa Deus, Univerſi-

a *Ibidem cap.15.num.50.* b *Ser.8.ſuper Pſal.90.num.12.* c *Ser.de S.Bened.num.10.* d *Tract.de vit.& mor.cleric.cap.15.num.51.* e *Ser.8.in Pſal.90.num.11.* f *Ibidem num.12.* g *Tract.de vit.& mor.cleric.cap.15.num.52.* h *Ibidem cap.16.num.53.*

tatem Fidelium appellatione duodecim Tribuum voluit designari, & quasi solas meminit judicandas propter illud: *Qui non credit, jam judicatus est?* Hæc enim est Perfectorum gloria singularis, inter ipsos etiam eminere Fideles, & cæteris quoque salvandis præeminere auctoritate judicariæ potestatis: ut juxta illud de Psalmo, *sedeant super domum David*. Quid istud miseriæ est, quòd ad verbum tantæ promissionis negligentia humana dormiat? *Sedebitis super sedes duodecim* (i) *judicantes duodecim tribus Israël*. Ecce quies sessionis, & honor judicii. Nam & ipse Dominus ad hæc noluit pervenire, nisi per humilitatem & laborem: utique ut inimicus (*luciper*) induatur confusione ipse, pariter & omnes qui imitantur eum, & prætergrediuntur viam.

§. V.

Hinc meritò dicit Dominus: (k) *Popule meus, quid tibi debui facere, & non feci?* Quid causæ est, quòd inimico meo vestroquè libet magis servire quàm mihi? Neque enim ille creavit vos, sed nec pascit quidem, aut tempora vestra ipse disponit. Si parva hæc videntur ingratis: non ille, sed ego redimi vos. Sed quo precio? Non utique corruptibilibus auro & argento, non Sole vel Lunâ, non saltem aliquo Angelorum, sed proprio vos Cruore redemi. Cæterùm si neque tam multiplici jure debitum à vobis elicere est famulatum, omissis his omnibus, mecum saltem ex diurno denario convenite. Quid ad hæc conscientia humana respondet? Cùm improperari cæperint hæc in die judicii, quomodò miseri sustinebunt? Quid excusationis poterunt habere de peccato? Numquid tunc dicere incipient: Modò, ecce modò, sine paululùm? Sic enim nunc dissimulant infelices, & modò & modò non habet modum: &, sine paululùm, in longum vadit. Bonus est, inquiunt, Deus qui in proximo juuat. Magna quidem Divina promissio, sed longa valdè dilatio, & molesta expectatio est. Terrenas deserere sortes, & necdum obtinere cælestem, afflictio est intolerabilis, & inconsolabilis dolor. Quid accelerare necesse est, ut miseria prolongetur? Misera prorsùs & seductoria est cogitatio. Nova siquidem hæc querela est, nec prolixiorem vitam filii hominum hactenùs causabantur. Breves dies hominis sunt, donec conscientia stimulante, de pænitentia & conversione vel intùs à Spiritu, vel foris commoveantur ab homine. Postremò quid de incerto fine, & quid de certa brevitate laboris, retributionis æternitate loquar? Novit Dominus figmentum nostrum, consulit pusillanimitati nostræ, humanæ obviat cogitationi, anxietatem abigit, prævenit trepiditationem. Sequitur enim: *Et omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut domum, aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Quid ultrà dicetis filii hominum (l) quandò & in hoc mundo tanta vobis promissa sunt, ut dormiatis inter medios cleros, de quibus paulò ante causabamini: & exeuntes de sorte terrena amplior statim excipiat consolatio, quâ nonmodò patienter, sed etiam gratulanter expectetis sortem Sanctorum in regeneratione promissam? Siquidem & expectatio justorum lætitia est. *Centuplum*, inquit, *accipiet, & vitam æternam possidebit*. Habetis filii Adam promissionem vitæ ejus quæ nunc est, pariter & futuræ, ut obstruatur omne os loquentium iniqua, & *confundantur omnes iniqua agentes supervacuè*. An non *supervacuè* penitùs agit iniqua, qui nonmodò fructuosiùs sed etiam jucundiùs, non modò salubriùs sed etiam suaviùs Deo poterat servire quàm mundo? Et attende quod Petro quidem Dominus tantùm de futuro respondit. Neque enim super his quæ experiebatur præsentialiter, hæsitare poterat, aut opus habebat interrogare. Denique non quid nobis est dixit, sed, *quid erit*? An verò quis dubitat (m) instantis esse temporis Centupli promissionem? Manifestè id quidem ipsa verborum consequentia probat, ubi Centuplum accepturi, & possessuri dicimur vitam æternam. Cæterùm ne quis omninò impudenti remaneat obstinationi locus, mitto vos ad Evangelium secundùm Marcum, ubi promissio eadem descripta manifestiùs invenitur. Ait enim Dominus: *Nemo est qui reliquerit patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, aut domum propter me, & propter Evangelium: qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc*. Atque ut vehementiùs admiretur carnalis anima non percipiens quæ sunt Spiritus Dei, sed stultitiam reputans, addit signanter, *cum persecutionibus*. Fortè enim cùm audisset in tempore hoc Centuplum promitti, conjectabatur etiam de temporalibus exiberi: sed præripit hunc intellectum nomen additum *persecutionis*. Quid enim terrenæ est consolationis, quod non facilè terrena persecutio tollat? Quid terrenum inter persecutiones Sancti Martyres acceperunt, quando & ipsa quoque beatorum Corporum terra data est in manus hominum impiorum? Interim tamen undecunque Centuplum sint accepturi, dummodò sit Centuplum, dum valeat centupliciter; centupliciter placeat, consoletur, delectet, ametur. Quid insaniæ est, quòd cunctantur homines relinquere simpla pro Centuplis? Ubi est cupidus, ubi ambitiosus, ubi conquisitor hujus sæculi? Quid ad fidele negocium & nundinas questuosissimas avaritia intepuit & obdormivit humana? Cui id Judæo negares ô homo, qui in vanum accepisti nomen Domini nostri Jesu Christi? Cui sacrilego dare quidquid habes, pro Centuplo cunctareris? Sed execrabilis tibi est manus Domini, ut nullam ab eo commutationem recipere, non ei in ratione dati vel accepti communicare penitùs acquiescas. An fortè non ex odio (n) sed ex incredulitate detractas? Nam id mihi fateor credibilius est. Nemo enim perire magis optaret minimæ cujuspiam consolationis obtentu, quàm in maxima exultatione salvari. Sed non est omnium fides, ne eorum quidem qui nominetenùs sunt fideles. Poteram sanè multorum vobis exempla proponere, multos producere testes, qui id profectò sic credidère, sic sentiunt, sic audierunt, sic experiuntur. Abundat hujusmodi testimoniis, hujusmodi carbonibus desolatoriis omnis natio regionis, & omnis lingua, ubicunque sanctorum Congregatio est. Sed quandò humanis credat experimentis, qui Veritati non credit

i *Ser. de S. Bened. num. 10.* k *Tract. de vit. & mor. cleric. cap. 16. num. 53. 54. & 55.* l *Ibidem cap. 17. num. 56.*

m *Ibidem num. 57.* n *Ibidem num. 58.*

dit promittenti? Illud ergo vehementiùs arbitror admirandum, quòd fideles magis in maximo quàm in modico videamini. Non enim difficilè est ei dare Centuplum in præsenti, qui daturus est vitam æternam in futuro. Qui daturus est quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: nonne modò Centuplum dare potest? Sed quomodò, inquis (o) possunt hæc fieri? Qua ratione accipit Centuplum, qui nihil sibi relinquit ex omnibus? Nempè hoc est quod paulò ante commemoravi. *Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem.* Mira novitas, sed ejus qui nova omnia facit. Jugum tollens invenit requiem, relinquens omnia Centuplum habet. At fortè adhuc (p) secularis ad hæc quispiam dicat: Ostende mihi Centuplum quod promittis, & libens universa relinquo. Ut quid ostendam? Fides enim non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. An potiùs homini ostendenti, quam Veritati crederes promittenti? Deficis scrutans scrutinio. Nisi credideris, non intelliges. *Manna* absconditum est, quod in Apocalypsi Joannis victori promittitur. *Novum nomen* est, quod nemo scit nisi qui accipit. *Manna*, inquam, est (q) omnem saporem habens, & odoris delectationem: & *requies* est vera & sincera, suavis & salubris, jucunda & sancta. Hæc promissio est vitæ præsentis. Porrò *datum optimum* est Centuplum hoc (r) desursùm descendens à Patre luminum. Hoc Centuplum *adoptio filiorum* est, *libertas* & primitiæ spiritûs, *deliciæ* charitatis, *gloria* conscientiæ, *regnum* Dei, quod intra nos est: non utique esca vel potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Gaudium sanè nonmodò in spe gloriæ, sed etiam in tribulationibus. Hic est *ignis*, quem voluit Christus vehementer accendi. Hæc est *virtus* in alto, quæ Andream fecit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem. Hæc est illa *pax*, quam reliquit Christus, quando dedit & suam. Siquidem donum & pax est electis Dei: pax utique præsentis, & donum futuræ. Illa superat omnem sensum: sed & huic quidquid sub Sole placet, quidquid in mundo concupiscitur, non poterit comparari. Hæc est *gratia devotionis*, & *unctio* docens de omnibus, quam expertus novit, inexpertus ignorat: quoniam nemo scit nisi qui accipit. Quæ quidem gratia devotionis (s) non inter vitæ æternæ præmia, sed inter temporalis militiæ stipendia deputatur: nec ad futuram pertinet, sed ad eam magis quæ nunc est Ecclesiæ promissionem. Hoc denique Centuplum est, quod in hoc sæculo sæculi contemptoribus exibetur. Sed nec tibi illud nostro speraveris eloquio commendandum, solus Spiritus est qui revelat: sine causa paginam consulis, experientiam magis require. Sapientis est cujus precium nescit homo, de occultis trahitur: nec in terra suaviter viventium invenitur hæc suavitas. Nimirùm suavitas Domini est, nisi gustaveris, non videbis. *Gustate*, inquit, *& videte quoniam suavis est Dominus.* Manna absconditum est, nomen novum est, quod nemo scit nisi qui accipit. Non illud eruditio, sed unctio docet: nec scientia, sed conscientia comprehendit. Si enim Christus solum promitteret regnum (t) & in itinere deesset viaticum, omninò conquererentur homines, & responderent: Magnum quidem est quod promittitur, sed perveniendi illuc nulla facultas datur. Propterea qui post hoc sæculum vitam æternam promisit, ipse dandum etiam in hoc sæculo Centuplum providentissima pietate promisit. Utinam hìc filiorum hominum concupiscentia vigilet (u) utinam vel curiositas excitetur, ut dicant in cordibus suis: Non videtur hoc verbum adinventionis humanæ, cui sic consonant uno ore testimonia Scripturarum. Quod si ita est, sine dubio vehementer erramus. Probare libet an hæc ita se habeant, gustare quid hoc absconditum manna sapiat, experiri quid sit hoc Centuplum, quale gaudium in in Spiritu Sancto. Cras profectò respondebit ei justitia sua, qui id studiosè quæsierit. Confestim, ut gustaverit, videbit quàm suavis est Dominus, quoniam bonus non modò tenenti, sed & quærenti se, animæ speranti in se. Alioquin venite & arguite me, dicit Dominus, si non omnis qui reliquerit patrem & matrem, aut domum, aut agrum propter nomen meum, Centuplum acceperit nunc in hoc tempore: parum est, & vitam æternam possidebit. Fatigavimus vos prolixitate sermonis (x) & detinuimus ultrà quàm oporteret. Ex hoc jam finem loquacitati nostræ, quem non imperat verecundia, videtur imperare vel hora. Mementote tamen Pauli Apostoli, quem aliquando verbum prædicationis usque in mediam noctem legitis protraxisse. *Utinam adhuc* (ut ipsius verbis utar) *sustineatis modicum quid insipientiæ meæ. Æmulor enim vos Dei æmulatione.* Ipse autem (y) det vobis ea quæ dicuntur, non solùm tenere memoriter, sed & ardenter diligere, & efficaciter adimplere Sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

PHI-

o *Ibidem cap. 18. num. 59.* p *Ibidem cap. 22. num. 68.* q *Ser. 4. super Psal. 90. num. 2. & 3.* r *Tract. de vit. & mor. cleric. cap. 22. num. 65. & 69.* s *Tract. de convers. ad cleric. cap. 13. num. 25.* t *Ser. 4. super Psal. 90. num. 1.* u *Tract. de vit. & mor. cleric. cap. 22. num. 70.* x *Tract. de convers. ad cleric. cap. 18. num. 32.* y *Ser. 37. in Cantaum. 8.*

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Septima,

De gestis in monte Calvariæ, in quo Christus est crucifixus & exaltatus pro redemptione generis humani.

Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob: & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus. Ait Isajas cap. 2.

PROEMIUM.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Cant. 4.

VENITE (a) & ascendamus in hunc montem, Fratres. Si autem via nobis videtur ardua, exoneremus nos: si arcta, etiam exinanire nos non parcamus: si longa, tantò magis festinemus: si laboriosa, clamemus Domino: *Trahe nos post te, in odore unguentorum tuorum curremus.* Felix qui sic cucurrerit, ut comprehendat, imò ut ipse comprehendatur, & in illam amplitudinem montis & plenitudinem Corporis Christi mereatur admitti. Felix qui in illum beatificum montem tam desideranter & perseveranter ascenderit, ut in loco sancto locum accipiens stationis, Deo Patri in Sancto ejus appareat, simul & videat virtutem ejus & gloriam: haud aliam sanè quàm eundem ipsum montem montium, montem coagulatum & pinguem, Jesum Christum Dominum nostrum. In quo nimirùm per prædestinationem ab æterno apparuit ei qui dilexit nos, & gratificavit in dilecto Filio suo, in quo elegit nos ante mundi constitutionem. Venite ergo [b] ascendamus in montem Domini, vel locum, ubi Dominus videt, vel videtur. In recordatione hujus montis Dei totus exulto (c) & primitias Sancti Spiritus, & pignus gratiæ in spe crescentis in eo religionis devotus adoro. Nam & ipsum montis Dei nomen bonæ spei præfert omen, scilicet quòd (sicut Psalmista dicit de monte Dei) habitura sit in eo generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob: innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam. Inveniet enim locum tabernaculi admirabilis (d) ubi panem Angelorum manducet homo. Inveniet paradisum voluptatis plantatum à Domino: inveniet hortum floridum & amœnissimum: inveniet refrigerii sedem, & dicet: O si audiat vocem meam misera illa voluntas, ut ingrediens videat bona, & visitet locum istum: hìc nimirùm inveniet requiem ampliorem, & me quoque eò minùs inquietabit ipsa. Neque enim mentitur qui dixit: *Tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris.* In hujus fide promissionis exacerbatam blandiùs alloquatur voluntatem, & simulata quadam hilaritate & spiritu mansuetudinis eam conveniens dicat: Cesset penitùs indignatio tua: non ego sum qui te offendere possim: tuum est corpus, tuus & ego ipse: non est quod timeas, non est quod verearis. Nec mirum, si fortè amarius adhuc reddiderit illa responsum ut dicat, quia multæ cogitationes ad insaniam nos adduxerunt: sustineat interim æquanimiter

S. Bernard. Abb. juxta ejus libror. edit. auctore Horstio in VI. Tom. impr. Parisiis ann. 1662. a *Ser. 33. divers. n. 9.* b *Lib. 1. de amore Dei cap. 1. n. 1.* c *Tract. de vit. solit. cap. 2. num. 8. tom. 5. pag.* 236.

d *Tract. de Convers. ad Cleric. cap. 2. num. 24.*

miter, ac dissimulet omninò quod agitur, donec inter loquendum inducens alia pro aliis, opportunè aliquando inferat dicens: Inveni hodie hortum pulcherrimum, & amænissimum locum: bonum esset illic nos esse: nam & tibi nocet in hoc lecto ægritudinis, in hoc doloris strato versari, in hoc cubili tuo gravi corde compungi. Aderit Dominus quærenti se, animæ speranti in se, aderit votis supplicibus, & verbis ejus efficaciam ministrabit. Excitabitur desiderium voluntatis, ut nonmodò videre locum, sed & introire paulatim, & mansionem inibi facere concupiscat. Nec verò (e) locum repuces corporalem paradisum hunc voluptatis internæ. Non pedibus in hunc hortum, sed affectibus introitur. Nec terrenarum tibi commendatur arborum copia, sed virtutum utique spiritualium jucunda decoraquè plantatio. Hortus conclusus est, ubi fons signatus in quatuor capita derivatur, & ex una Sapientiæ vena virtus quadripartita procedit. Splendidissima quoque inibi lilia vernant: & cùm flores apparent, etiam vox turturis auditur. Illic nardus Sponsi fragrantissimum præstat odorem, & cætera quoque aromata fluunt, Austro spirante, Aquilone fugato. Ibi media est arbor vitæ, malus illa de Cantico cunctis preciosior lignis sylvarum, cujus & umbra Sponsam refrigerat, & fructus dulcis gutturi ejus. Ibi continentiæ nitor, & sinceræ veritatis intuitus oculos cordis irradiat. Auditui quoque dat gaudium & lætitiam dulcissima vox consolatoris interni. Ibi quibusdam fidei naribus influit jucundissimus odor agri pleni, cui Dominus benedixit. Ibi avidissimè prælibantur incomparabiles deliciæ charitatis, & succisis spinis ac vepribus quibus antea pungebatur, unctione misericordiæ perfusus animus in conscientia bona fæliciter requiescit. Curramus ergo non passibus corporis (f) sed affectibus mentis, sed desideriis, sed suspiriis: quoniam non solùm Angeli, sed Angelorum Creator nos expectat. Ascendamus in Calvariæ locum [g] ubi verus Elisæus, *Christus*, ab insensatis pueris irrisus, risum suis insinuavit æternum, quibus ait: *Ecce ego, & pueri mei, quos mihi dedit Deus*. Boni pueri, quos per contrarium illorum malignantium ad laudem excitat Psalmista, dicens: *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini*: quatenùs in ore sanctorum infantium & lactentium perficiatur laus, quæ ex ore defecerat invidorum, eorum utique de quibus queritur ita: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me*. Ascendit itaq: Calvariæ locum Caluus noster, *Christus*. Ibi mundo pro mundo expositus est: & revelata facie & discooperta fronte purgationem peccatorum faciens, probrosæ & austeræ mortis non tam erubuit ignominiam, quàm nec pænam exhorrvit: ut nos opprobrio sempiterno eriperet, restitueret gloriæ.

e *Ibidem cap. 13. num. 25.* f *Tract. de cognit. hum. co ndit. cap. 6. num. 18.* g *Tract. exhort. ad milit. templ. cap. 10.*

CAPUT I.

De vino myrrhato, quo potatus est Christus ante crucifixionem suam.

1. *Ostenditur, Christum cùm gustasset vinum myrrhatum, ideo noluisse illud bibere, quia indicabat nimiam acerbitatem invidiæ crucifixorum. Monemur abstinere à calice dæmoniorum, per quem significatur invidia peccatum. Ostenditur, Luciferum esse authorem invidiæ, quam conceperat in cælo, & peperit in paradiso.* 2. *Ostenditur, Christum ideo noluisse bibere amarum potum, ut nos priùs bibentes amaritudinem pænitentiæ, postea experiamur vinum jucunditatis spiritualis. Triplex est mysticum vinum quo inebriantur homines. Austeritas vini designat zelum fervidum. Oleum designat spiritum mansuetudinis.* 3. *Ostenditur, triplex esse vinum Dei. Monemur emere vinum & lac. Traditur modus comedendi & bibendi fructum redemptionis nostræ.*

§. I.

Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvaria, dederunt ei vinum myrrhatum bibere cum felle mixtum: & cùm gustasset, noluit bibere. Luc. 23. Matt. 27.

Fractus membris omnibus dulcis Jesus [a] voluit puniri & linguam. Dedit ergo ei illa vitis aliena conversa in amaritudinem de fructu suo potum amarum, potum non potandum, sed potiùs degustandum. O Vitis dulcissima bone Jesu (b) hunccine fructum reddit tibi vinea tua, quam de Ægypto transtulisti? Expectaveras patienter usque ad hunc diem nuptiarum tuarum, ut faceret uvas, fecit autem labruscas. Ecce in quantam amaritudinem conversa est vitis non jam tua, sed aliena. Parum erat sacrilegis illis crucifigere te (c) nisi priùs & ipsi illusionibus replevissent Animam tuam. Quid enim ait de illis Scriptura? *Et perduxerunt eum in Golgotha, & vinum myrrhatum dabant ei bibere cum felle mixtum: & cùm gustasset, noluit bibere*. Proinde vinum myrrhatum cum felle mixtum (d) suspectum mihi est, pro eo quòd Christus ex eo bibere noluit: quia nimiam acerbitatem invidiæ & nequitiæ crucifixorum suorum indicabat. Non debet homo (e) bibere calicem dæmoniorum. Calix dæmoniorum detractio & invida est. Homo invidus (f) membrum est diaboli, cujus invidiâ mors introivit in orbem terrarum. Invidia cuncta germina virtutum concremat. Invidia cuncta bona pestifero ardore devorat. Invidia tinea est animæ. Invidia priùs nocet sibi, quàm alteri. Invidia priùs seipsam mordet, quàm alterum. Invidia primum suum mordet auctorem. Invidia sensum hominis comedit, pectus urit, mentem lacerat, cor hominis quasi quædam pestis depascit. Invidus alie-

a *Tract. de vite myst. cap. 13. num. 53.* b *Ibidem cap. 5. num. 24* c *Ser. de Pass. Dom. num. 12.* d *Ibidem n. 21.* e *Epist. 2. n. 10.* f *Tract. de modo bene viven. cap. 34.*

alienum bonum (g) suum facit invidendo peccatum. Basiliscus venenum in oculo gerit[h]pessimum animal,& præ omnibus animalibus execrabile.Nosse cupis oculum venenatum,oculum nequam,oculum fascinantem? Invidiam cogitato, Quid verò invidere, nisi malum videre est? Si non esset ille basiliscus, nunquam per ejus invidiam mors intrasset in orbem terrarum. Quod dico [i] tale est. Putasne Lucifer ille qui manè oriebatur, sed præproperè elevabatur: antequam verteretur in tenebras,generi nostro inviderit & ipse olei effusionem, ut per seipsum jam tunc indignabundus mussitaret dicens intra se quodammodò: *Ut quid perditio hac?* Hoc ego non assero dicere spiritum malignum, sed nec contradicere dico. Potuit enim contingere (si tamen incredibile non putetur) plenum sapientiâ & perfectum decore, homines præscire potuisse futuros, etiam & profecturos ad parem gloriam. Sed si præscivit, in Dei Verbo absque dubio vidit, & in livore suo invidit: & molitus est habere subjectos, socios dedignatus. Infirmiores sunt, inquit, inferiores què naturâ: non decet eos concives, nec æquales in gloria. An fortè prodit impiam hanc ejus machinationem illa præsumpta ascensio sessioquè significans magisterium? *Ascendam*, inquit, *super montem excelsum, & sedebo in lateribus Aquilonis*: quo Altissimi quandam proinde similitudinem obtineret, si quemadmodùm ille super Cherubim sedens gubernat omnem Angelicam creaturam, ita & ipse altus sederet, regeretquè genus humanum. Absit. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, mentiatur iniquitas sibi. Nos alium non cognoscimus judicem quàm Auctorem. Non diabolus, sed Dominus judicabit orbem terræ: ipse est Deus noster in sæculum sæculi,ipse reget nos in sæcula. Ergo Lucifer in cælo concepit dolorem (k) & in paradiso peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrem mortis & ærumnarum: omniumquè vitiorum prima parens superbia. Nã etsi invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum, initium tamen omnis peccati est superbia. Væ homini misero (l) quòd invidum non prævidit. Superemus saltem nos vitium hoc dum adhuc vivimus, si post mortem volumus ministrum tantæ nequitiæ non timere. Nemo alterius bonum invido aspiciat oculo. Nempè hoc ipsum jam quod in se est,tabe sua illud inficere, & quodammodò interficere est. Qui hominem odit, homicidam illam Veritas ipsa testatur. Quid & ille qui bonum odit in homine, numquid non homicida poterit appellari? Adhuc vivit homo, & ille jam reus est mortis ejus. Adhuc ardet ignis, quem Dominus Jesus misit in terram; & invidus tanquam qui spiritum extinxit, jam damnatur. Confiteor & ego (m) quoniam invidia sæpissimè cor meum laniavit. Per invidiam namque, sanctè viventium merita, mea feci invidendo peccata. Nam bona,quæ ab eis fieri vel dici audiebam, vera omninò non credebam: ipsas res benè gestas, in malum malè interpretando convertebam. Omne malum,quod de illis mendax fama jactabat, statim tanquamsi ego vidissem, credebam. Omnia mala meis æmulis fingebam, & ex profectu eorum deficiebam. Hæc verò odia intra me abscondebam, & in meos cruciatus enutriebam: proficientibus invidebam, peccantibus favebam, de malis eorum gaudebam, & de profectibus lugebam. Igitur (n) contra invidiam occurrat bonitas, charitas præparetur adversùs invidiam. Ad commendationem charitas[o]contra invidiam dicit Dominus:*Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, & calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*.

§. II.

Et perduxerunt Jesum in Golgotha, quod est interpretatum Calvariæ locus: & dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit. Mar, 15.

Cognosce anima mea [p] cognosce: Hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, Unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce [q] myrrhâ in passione potatus est. Electe puer Dei mei [r] quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? Prorsùs nihil. Ego ego homo perditus, totius perditionis tuæ causa extiti. Ego Domine uvam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt: quia quæ non rapuisti, exolvebas. Nec sufficit te vulneratum esse (s) quin & super dolorem vulnerum tuorum addunt, dantes tibi sitienti vinum myrrhatum cum felle mixtum. Non uno (t) eodemquè modo omnes qui ebrii fuerint, inebriantur. Aliud est vinum *malitiæ*, quod effluit de uva fellis, & à diabolo initium habuit, qui amaritudinem peccati&mortis humano generi propinavit: quo inebriantur homines iniqui conformes facti ei. Aliud est vinũ *molestiæ*,quod emanat de labrusca conditionis humanæ: quæ Domino suo acetum iniquitatis apposuit. Hoc vino quisquis inebriatur, non injustè,sed merito peccati sui, à Deo hoc perpeti comprobatur. Aliud est vinum *gratiæ*, quod ex botro Cypri, idest Conditoris largitate decurrit: & hoc est mustum, quo Sponsi filii inebriantur, quod mittitur etiam & in utres novos. Profectò [u] dulce pigmentarium apponitur invitatis ad lætificandum de Cyprio vino, & preciosis & peregrinis (quia nobis adhuc inexpertis) speciebus conditum. *Botrus* (inquit Sponsa) *Cypri, dilectus meus mihi*. Præmissum erat in proximiori versiculo: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi*, scilicet Christus secundùm carnem: *Botrus* verò *Cypri*, Christus est secundùm Deitatem. *Fasciculus myrrhæ*, Christus est in passione: *Botrus Cypri* est Christus in resurrectione. *Fasciculus myrrhæ*, grando & tonitrua Judaicæ tempestatis: *Botrus Cypri* destructio est totius adversæ potestatis. *Fasciculus myrrha* multitudo est afflictionum: *Botrus Cypri* abundantia est gaudiorum: illinc amaricans, isthinc inebrians. Si dilectus in myrrha [x] multò magis in botri suavitate. Ergo Domi-

g *Tract. de interior. domo cap.* 23. *num.* 53. h *Ser.* 13. *super Psal.* 90. *num.* 4. i *Ser.* 17. *in Cant. num.* 5. k *Ibidem num.* 6. l *Ser.* 13. *super Psal.* 90. *num.* 4. m *Tract. de inter. dom. cap.* 18. *num.* 33.

n *Tract. de modo bene viven. cap.* 34. o *Tract. de vite myst. cap.* 6. *num.* 29. p *Ser. de Pass. Dom. n.* 15. q *Ser.* 2. *in Cana Dom. n.* 1. r *Ser. de Pass. Dom. n.* 11. s *Tract. de vite myst. cap.* 5. *n.* 25. t *lib. sentent. n.* 17. *tom.* 6. *pag.* 996. u *Ser.* 2. *in Cana Dom. num.* 8. x *Ser.* 44. *in Cant. num.* 1.

Dominus meus Jesus myrrha mihi in Passione, botrus in Resurrectione, seipsum mihi saluberrimum temperavit in potum, in lachrymis in mensura. Itaque & tu ò homo si peccata luxisti, bibisti amaritudinem: si autem jam respirasti in spem veniæ vitâ sanctiori, mutata est tibi myrrhæ amaritudo in vinum quod lætificat cor hominis. Et fortassis hoc illud significaverit quod Salvatori oblatum est in passione vinum myrrhatum, & ideò noluit bibere, quoniam istud sitiebat. Tu ergo si post myrrhæ (ut dixi) amaritudines, vinum jucunditatis experieris, haud temerè & ipse dicere poteris: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. Engaddi duplicem habet interpretationem, & uni ambæ intellectui serviunt. Dicitur namq; fons hædi, qui & baptisma Gentium, lachrymasquè peccantium apertè designat. Dicitur & oculus tentationum, qui & lachrymas æquè fundat, & tentationes quæ minimè unquam desunt vitæ hominis super terram, prospiciat. Sed & populus Gentium qui ambulabat in tenebris, nunquam per se laqueos tentationum agnoscere, ac per hoc nec evadere potuit, donec per gratiam illius qui illuminat cæcos, recepit oculos fidei: donec venit ad Ecclesiam, quæ habet oculum tentationis: donec se tradidit viris spiritualibus instruendum, qui illuminati spiritu sapientiæ, suo & aliorum experimēto edocti possunt veraciter dicere: *Quia non ignoramus astutias diaboli, & cogitationes ejus*. Ferunt in Engaddi arbusculas balsami crescere (y) quæ in modum vinearum ab indigenis excoluntur: & inde forsitan *vineas* appellavit. Alioquin quid faceret botrus Cypri in vineis Engaddi? Quis unquam botros de vineis in vineas transportavit? Solet siquidem vinum, ubi deest, aliundè evehi, non ubi adest. Ergo *vineas* Engaddi dicit plebes Ecclesiæ, quæ habet balsami liquorem, spiritum mansuetudinis, in quo parvulorum adhuc in Christo teneritudinem blandè fovet, & dolores pœnitentium consolatur. Sed et si quis frater in aliquo delicto præoccupatus fuerit, vir Ecclesiasticus qui hunc spiritum jam accepit, curabit hujusmodi mox instruere in eodem spiritu lenitatis, considerans seipsum, ne & ipse tentetur. In hoc typo quotquot baptizandi sunt, etiam corporaliter Ecclesia oleo materiali ungere consuevit. Quia verò vulnera illius (z) qui incidit in latrones, & jumento corporis pii Samaritani Ecclesiæ est deportatus in stabulum, non in solo oleo, sed in vino simul & oleo sanitatem recipiunt: necessarium habet spiritualis medicus etiam vinum fervidi zeli cum oleo mansuetudinis, cui sanè convenit nonmodò consolari pusillanimes, sed & corripere inquietos. Si enim viderit illum qui vulneratus est, id est, qui peccavit, blandis aut lenibus hortamentis quæ in eum prærogata sunt, minimè emendatum, magis autem fortè etiam abutentem sua mansuetudine, & patientiâ negligentiorem fieri, & in peccato suo etiam securiùs obdormire: frustrato tam suavium oleo monitorum, oportebit sanè mordacioribus uti medicamentis, & vinum compunctionis infundere, duris videlicet cum eo increpationibus atque invectionibus agere; et si causa requirit, & duritia tanta est, etiam censuræ Ecclesiasticæ baculo percellere contemptorem. Sed unde illi hoc vinum? Nec enim in vineis Engaddi vinum invenitur, sed oleum. Quærat ergo in Cypro, nam illa Insula ferax est vini, & vini optimi: tollatquè inde sibi ingentem botrum, quem olim exploratores de Israël in vecte ferebant, chorum Propheticum præcedentem, & subsequentem Apostolicum, medium autem Jesum pulchro schemate figurantes. Hunc autem botrum accipiens sibi dicat: *Botrus Cypri dilectus meus mihi*.

§. III.

Triforme vinum (a) est in scypho Dei. *Rubicundum*, in longanimitate sanctorum, quod lætificat Isaac in ægritudine. *Album*, in remuneratione justorum, quo ebriatur Noë. Nigrum & acidum, in damnatione pravorum, quod Jesus gustat sed non vult bibere. Duo sunt emenda ab eo (b) qui ait: *Venite, emite absq; argento & absq; ulla commutatione, vinum & lac*. Non ignoratis fratres, quid lactis dulcedo, quid vini designet austeritas. Quid est autem emere sine argento & sine commutatione? Non talis est emptio apud amatores hujus sæculi, sed apud Auctorem sæculi alia esse non potest. Propheta enim dixit Domino: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Quam igitur commutationem ei dabit homo pro gratia sua, qui nullius eget, & cujus sunt universa? Gratia gratis datur; etiam cùm emitur, gratis emitur: quia quod datur pro ea, nobis melius retinetur. Audite denique (c) quod dicitur in Psalmo: *Ostendisti populo tuo dura*. Quæ dura? *Potasti nos vino compunctionis*, non lacte unctionis. Notandum verò est, quòd quibusdam in Religione viventibus apponitur lac ad bibendum, quibusdam etiam vinum: sed tamen utrumque Divinum. Bibunt illi lac, quibus & vigiliæ breves, & cibi dulces, & labores appetibiles, & panni suaves videntur: quibus etiam parum est illud, quod magnum est in exercitiis sanctæ conversationis. Lac enim suaviter bibitur, dulciter liquatur, sine læsione, sine amaritudine. Ita & isti in sancto proposito suaviter incedunt, dulciter currunt, sine læsione propriæ conscientiæ, sine amaritudine alienæ. Hoc habet proprium qui hujusmodi lac bibit, ut ei peccatum suum displiceat: ut alieno peccato non consentiat: ut propter hæc peccatorem non deserat: ut vitium ejus inquantum in ipso est, non dissimulet: & cùm corripuerit, non insultet. Ecce de potu lactis. (d) Audite de vini potu. Vinum quippe asperum est, & insuave. Vinum bibunt hi qui vias vitæ aggressi & ingressi, tribulationibus corporis & animæ pariter contorquentur, sed non cedunt neque recedunt in tribulatione. Isti sunt quibus ipse Dominus ore proprio prædicat & prædicit: *Vos estis*, inquit, *qui permansistis mecum in tentationibus meis*. Sed quis horum tibi videtur, vel ille qui in suavitate, vel ille qui in asperitate currit viam mandatorum Dei? Primus videtur esse felicior, secundus fortior: uterque tamen justus, uterque pius, habentes proprium donum ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic. Vis nosse quia in utroque beneplacitum est coram Deo?

Gg Bibi.

y Ibidem num. 2. z Ibidem num. 3.

a Lib. sentent. num. 43. b Serm. 2. de Resurrect. Dom. num. 6. c Tract. de Conscientia cap. 3. num. 4. tom. 6. pag. 871. d Ibidem num. 5.

Bibi, inquit, *vinum meum cum lacte meo*. Qui enim primum à tentatione liberat, secundum in tentatione confortat: & sic alter experitur quoniam suavis est Dominus, alter verò quoniam fortis est Dominus. Fortis planè & potens in prælio, in quo servum suum etsi premi, non tamen opprimi patitur in multitudine misericordiæ suæ. *Venite* (ait Propheta Esajas) *emitte absque argento vinum & lac*. Omnis enim timorata conscientia, quę ad Deum venit, vel lac ab ipso vel vinum emit, secundùm quod dictum est & tractatum. Et nota quia utrobique vinum præposuit, pro eo scilicet quòd qui majorem sustinet pro Deo perseveranter tribulationem, majorem habeat & mercedem. Hìc advertendum puto (e) quòd Vitis nostræ boni Jesu fructus & comeditur, & bibitur. Masticatur enim uva, bibitur verò vinum: quod in vino continetur & in utroque usu jucunditas est, sed in vino & jucunditas & utilitas prolixior est, quod ad botri hujus (de quo locuti sumus) fruitionem mihi pertinere videtur. In præsenti enim vita hunc botrum masticamus, cùm suavitatem, jucunditatem, & utilitatem nostræ redemptionis dentibus intellectus nostri discutimus: cùm Resurrectionis potentiam, Ascensionis gloriam, & adventus Spiritus Sancti utilitatem in cordis nostri consideratione versamus tanquam uvas in ore, fitquè de his nonnunquam aliqua lætitia cordi nostro. Erit autem Christus postquam cessaverit tempus, idest mutabilitas temporum, quando hæc jam non comedemus, sed bibemus, inæstimabilem de his perpetuam lætitiam consecuti. In comedendo enim aliquis labor est: quod verò bibitur, sine labore recipitur. Unde per comestionem delectatio quæcunque, vel qualiscunque, vel quantacunque (quæ sine corpore non perficitur, sed semper aggravat animam,) significatur. Per potum verò sine labore acceptum, illius loci & temporis gaudia significantur, ubi & quando jam non erit luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam hæc omnia transierunt. Et ipse ab æterno stabilis, qui pro nobis ne velut umbra transiremus, transiens factus fuit, ministrabit nobis. Ibi etiam tunc jam non cum labore & timore & impedimento corporis mortis hujus comedemus, sed cum magna jucunditate bibemus vinum redemptionis nostræ: & secundùm naturam nobile vinum, quantòplùs biberimus licet saturemur, tantòplùs sitiemus, admirantes & laudantes sine termino & sine intermissione bonitatem admirabilem Redemptoris nostri, quam in fructum redemptionis nostræ circa nos voluit exhibere. Et vide [f] si non ista differentia cibi & potus nobis in verbis Sponsi in Cantico amoris commendatur, cùm ait: *Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi*. Præmonet enim comedere, quod utique ad præsentem vitam pertinet, in qua contemplatio labori actionis admixta est. In futura verò vita quæ omni actione caret, gaudio tanquam poculo perfruemur. Bibemus enim & inebriabimur ab ubertate domûs Dei, & torrente voluptatis ejus potabimur: jam nos tunc esse Regis & Sponsi nostri charissimos liquidò cognoscentes, cùm aqua omnis laboris & actionis terrenæ in vinum divinæ contemplationis commutabitur, implebunturquè omnes hydriæ usque ad summum. Omnes enim implebuntur in bonis domûs Domini, cùm illæ desiderabiles nuptiæ Sponsi, idest Christi, & Sponsæ, idest universalis Ecclesiæ celebrabuntur. Bibeturquè in summa lætitia cordis omnium clamantium Domino & dicentium: *Tu bonum vinum servasti usque adhuc*. Hic est torrens voluptatis tuæ, Domine Deus [g] quâ delicatam illam & gloriosam civitatem Hierusalem quæ sursùm est, jugiter potas, & lætabunda ebrietate facis æstuare, ut tibi jubilent hymnum incessabilem lucida illa & flammea organa in voce exultationis & sono epulantis; cujusquè desiderabilibus guttis refocillari sitibundæ fauces exulis populi tui jugiter à te expectant, Domine. Sinito Pater, ut catelli bibant de stillis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum illum, Domine, quem æstuare fecisti.

CAPUT II.

De mysteriis vestimenti & tunicæ inconsutilis, quibus despoliatus fuit Christus ante crucifixionem suam.

1. *Ostenditur, Christum ideo voluisse despoliari vestimentis suis, ut exterminationem corporis sui purissimi intueri valeamus: ac revestiamur quatuor illis virtutibus, quibus spoliati fuimus in Adam.* 2. *Ostenditur, illam tunicam Christi quæ non fuit scissa, significare Divinam imaginem, idest liberum arbitrium nostrum: necnon imaginem & similitudinem Dei ad quam creati sumus, consistere in triplici libertate, arbitrii, consilii, & complaciti. Item tunica Christi inconsutilis & polymita designat Ecclesiam variis ordinibus ornatam: cujus ornatus est excellentior etiam ornatu cœli.* 3. *Ostenditur, tunicam Christi inconsutilem & non scissam designare firmitatem fidei, & soliditatem Catholicæ unitatis: quam frustra tum à persecutoribus tum ab hæreticis impugnatam esse demonstratur.*

§. I.

Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem, dicit Dominus in Psalmo 21.

COgnosce anima mea [a] cognosce: hic est Dominus noster, Jesus Christus Salvator tuus, unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce [b] nudatur Jesus. Quare? Ut tu corporis purissimi deformationem valeas intueri. Nudatur ergo bonus Jesus. Heu mihi! Qui vestivit cœlos diversis syderibus, ante Crucem expoliatus est: nudus etiam ut erat, lividus Cruci affigitur. Heu! Candor lucis æternæ nigrescit in Carne pro carne salvanda. Nudatur Dominus, qui ante sæcula regnans decorem induit & fortitudinem. Quare nudatur? Magnum sacramentum, fratres mei [c] & diligentiùs perscrutandum, nisi & intellectus mysterio, & ipsi quo-

e *Tract. de vite myst. cap. 46. num. 192.* f *Ibid. num. 193.*

g *Serm. de Passion. Domi. num. 24.* a *Serm. de Passi. Dom. nu. 15.* b *Tract. de vite myst. cap. 5. nu. 24.* c *Ser. 2. in Annunt. B. M. nu. 6.*

quoque intellectui verba deessent. Dico tamen utcunque modicum id quod sentio, si fortè vel occasionem dedisse videar sapienti. Videre mihi videor, dilectissimi, quatuor virtutibus amictū esse primum hominem ab ipso suæ creationis exordio, & ut Propheta Esaias meminit, *vestimento salutis indutum*. Est enim in his quatuor illa salutis integritas, nec sine his omnibus potest constare salus: præsertim cùm nec possint esse Virtutes, si abinvicem separentur. Acceperat ergo primus homo *Misericordiã*, custodem scilicet atque pedissequam: ut ipsa præveniret, ipsa & sequeretur eum, ipsaque protegeret & conservaret ubique. Vides qualem nutritium contulit parvulo suo Deus, qualem dedit pedissequam homini recèns orto. Sed erat illi necessarius etiam eruditor tanquam ingenuę & rationabili creaturæ, ut non sicut jumentum aliquod custodiretur, sed tanquam parvulus educaretur. Cui sanè magisterio nemo poterat aptior inveniri quàm *Veritas* ipsa, quæ eum in agnitionem summæ perduceret aliquando Veritatis. Interim verò ne sapiens inveniretur ut malum faceret, essetque peccatum ei tanquam scienti bonum & minimè facienti, *Justitiam* quoque, quâ regeretur, accepit. Adhuc autem *& Pacem*, quâ foveretur & delectaretur, addidit manus benignissima Creatoris. Pacem utique duplicem, ut nec intùs pugnæ, nec foris timores essent: id est, nec caro concupisceret adversùs spiritum, nec esset ei creatura ulla formidini. Nam & bestiis omnibus liberè imposuit nomina: & serpens ipse, qui violentiâ non præsumpsit, fraude magis eum aggressus est. Quid huic deerat, quem *Misericordia* custodiebat, docebat *Veritas*, regebat *Justitia*, *Pax* fovebat? Sed heu! [d] Homo iste ad multam perniciem & insipientiam sibi, descendit de Hierusalem in Hierico. Siquidem incidit in latrones, à quibus & ante omnia legitur despoliatus. An non despoliatus, qui Domino veniente nudum se esse conqueritur? Nec verò poterat revestiri, vel ablata sibi recipere vestimenta, nisi Christus amitteret sua. Sicut enim vivificari in anima nisi interveniente corporali morte Christi non potuit, ita nec revestiri sine ejus despoliatione. Et vide, si non propter has quatuor partes vestimentorũ quæ amiserat primus & vetus homo, in totidem quoque divisa sunt secundi & novi Hominis vestimenta. Meum proinde meritum [e] est *miseretio* Domini. Non planè sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit. Quod si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominùs ego in meritis sum. Quid enim si multorum sim mihi conscius delictorum? Nempè ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Et si misericordiæ Domini ab æterno & usque in æternum, ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo. Numquid justitias meas? Domine memorabor *justitiæ* tuæ solius. Ipsa est enim & mea. Nempè factus es mihi tu justitia à Deo. Numquid mihi verendum, ne non una ambobus sufficiat? Non est pallium breve, quòd secundùm Prophetam non possit operire duos. Justitia tua justitia in æternum. Quid longius æternitate? Et te pariter & me operiet largiter larga & æterna justitia. Et in me quidem operit multitudinem peccatorum, in te autem Domine quid nisi pietatis thesauros, divitias bonitatis? Denique constat [f] cognitionem *Veritatis* fructum esse humilitatis. Vnde ait Dominus: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ: quia abscondisti hæc* (haud dubium quin Veritatis secreta) *à sapientibus & prudentibus*, idest superbis: *& revelasti ea parvulis*, hoc est humilibus. Et in hoc apparet, quòd Veritas quę superbis absconditur, humilibus revelatur. Humilitatis verò [g] talis potest esse definitio. Humilitas est virtus, quâ homo verissima sui cognitione sibiipsi vilescit. Hæc autem convenit his, qui ascensionibus in corde suo dispositis, de virtute in virtutem proficiunt, donec ad culmen humilitatis perveniant: in quo velut in Sion, idest, in speculatione positi, Veritatem prospiciant. *Etenim* (inquit Propheta) *benedictionem dabit legislator*: quia qui dedit legem, dabit & benedictionem: hoc est, qui jussit humilitatem, perducet ad Veritatem. Illud quoque [h] quod in Scala illa, quæ in typo humilitatis Jacob monstrata est, & Dominus desuper innixus apparuit, quid nobis aliud innuit, nisi quòd in culmine humilitatis constituitur cognitio Veritatis? Dominus quippè de summitate Scalæ prospiciebat super filios hominum tanquã Veritas, ut videret si est intelligens aut requirens Deum. Jam ergo Dominum desuper innixum suspicio, (i) jam ad vocem Veritatis exulto. Vocavit me, & ego respondi illi: *Operi manuum tuarum porriges dexteram*. Tu quidem Domine gressus meos dinumeras; sed ego lentus ascensor, fessus viator diverticula quæro. Heu mihi! (k) quia incolatus meus prolongatus est. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, quibus celeriùs volem ad Veritatem, ut jam requiescam in charitate? Quæ quoniam desunt; deduc me Domine in via tua, & ingrediar in Veritate tua, & Veritas liberabit me. Beati (l) qui habitant in domo tua Dominę. Oculus enim non vidit, auris non audivit, & in cor hominis non ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. *Lux* est enim inaccessabilis, *Pax* est quæ exuperat omnem sensum, *fons* est qui ascensum nescit, sed descensum. Non vidit oculus lucem inaccessibilem, non audivit auris pacem incomprehensibilem. Et quidem pax nunc est etiam in terra hominibus bonæ voluntatis: sed quid ęst pax ista ad illius plenitudinem & supereminentiam pacis? Unde & ipse Dominus ait: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Meam* siquidem pacem quæ exuperat omnem sensum, & est pax super pacem: necdum capaces estis, propterea do vobis patriam pacis, & relinquo interim viam pacis.

§. II.

Milites ergo cùm crucifixissent Jesum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem: & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinvicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleretur dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi: & in vestem meam miserunt sortem. Joan. 19.

Gg 2 An

d *Ibidem num.* 7. e *Serm.* 6. *in Cant. num.* 5.

f *Tract. de grad. humil. cap.* 1. *n.* 1. g *Ibid. n.* 2. h *Ibid. cap.* 2. *n.* 3. i *Ibid. cap.* 9. *n.* 24. k *Ibid. n.* 26. l *Ser.* 4. *in Vig. Nat. Dom. nu.* 8.

An fortè quæris & tunicam inconsutilem (m) quæ non dividitur, sed sorte provenit? Ego divinam arbitror esse imaginem, quæ nimirùm non assuta sed insita atque ipsi impressa naturæ, dividi scindiquè non potest. Ad imaginem nempè & similitudinem Dei factus est homo: in imagine arbitrii libertatem, virtutes habens in similitudine. Et similitudo quidem periit, verumtamen in imagine pertransit homo. Imago siquidem in gehenna ipsa uri poterit, sed non exuri: ardere, sed non deleri. Hæc ergo non scinditur imago, sed sorte provenit. Et quocunq; perveniat anima, simul & ipsa erit. Nam similitudo non sic, sed aut manet in bono: aut si peccaverit anima, mutatur miserabiliter, jumentis insipientibus similiata. Puto autem (n) in tribus libertatibus, arbitrii scilicet & consilii & complaciti, ipsam ad quam conditi sumus, Conditoris imaginem atque similitudinem contineri, & imaginem quidem in libertate arbitrii, in reliquis autem duabus bipartitam quandam consignari similitudinem. Hinc est fortasis quòd solum liberum arbitrium sui omninò defectum seu diminutionem non patitur, quòd in ipso potissimùm æternæ & incõmutabilis Divinitatis substantia quædam impressa videatur. Nam etsi habuerit initium, nescit tamen occasum: nec de justitia vel gloria capit augmentum, nec de peccato sive miseria detrimentum. Quid æternitati similius, quod non sit æternitas? Porrò in aliis duabus libertatibus (quoniam non solùm ex parte minui, sed ex toto amitti possunt) accidentalis quædam magis similitudo sapientiæ atque potentię Divinæ imagini superducta cognoscitur. Præterea, non sum tam hebes (o) ut non agnoscam tunicam Joseph, non illius qui liberavit Ægyptum, sed qui salvavit Mundum, & hoc non à fame corporis, sed à morte simul animæ & corporis. Notissima quippè est, quia polymita, id est, pulcherrima varietate distincta: sed & Sanguine apparet intincta, non quidem hædi qui peccatum significat, sed Agni qui designat innocentiam, hoc est suo ipsius, non alieno. Ipse est profectò Agnus mansuetissimus, qui coram non quidem tondente sed occidente se obmutuit. Miserunt autem qui dicerent ad Jacob: *Hanc invenimus: vide utrum tunica filii tui sit, an non?* Vide & tu Domine Deus, utrum hęc sit tunica dilecti Filii tui? Cognosce Sancte Pater, (p) tunicam veri Filii tui Joseph. Heu fera pessima devoravit eum, conculcavit in furore suo vestimentum ejus, omnem decorem ejus reliquiis Cruoris inquinavit. Hoc est Domine vestimentum, quod in manu Ægyptiæ meretricis innocens puer tuus dereliquit, meliorem æstimans jacturam palii, quàm pudicitiæ: magisquè eligens spoliatus carnis pallio in carcerem mortis descendere, quàm pro Mundi gloria adulterinæ voci acquiescere. Illi, inquam, voci quâ dictum est: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Quod utique esset, si dormiret cum adultera. Recognosce Omnipotens Pater eam tunicam, (q) quam fecisti Christo Filio tuo polymitam, dando quidem quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios Pastores & Doctores, & cætera quæ in ejus ornatu mirifico decenter apposuisti, ad consummationem utique Sanctorum occurrentium in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Dignare etiam Deus preciosissimi purpuram Sanguinis quo aspersa est recognoscere, & in purpura præclarum insigne ac gloriosissimum indicium obedientiæ. *Quare ergo*, inquit, *rubrum est vestimentum tuum? Torcular*, ait, *calcavi solus*, *& de gentibus non est vir mecum*. Itaque [r] quando quidem factus est obediens Patri usque ad torcular Crucis, quod utique solus calcavit: solum quippè brachium suum auxiliatum est ei, juxta illud in alio loco: *Singulariter sum ego donec transeam*. Jam ergo exalta eum Deus, & da ei nomen quod est super omne nomen, *ut in Nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*. Ascendat in altum, captivam ducat captivitatem, & donet dona hominibus. Quæ dona? Relinquat videlicet Sponsę suæ Ecclesię pignus hęreditatis, ipsam tunicam suam: *tunicam* scilicet *polymitam*, eandemquè *inconsutilem & desuper contextam per totum*. Sed *polymitam*, ob multorum Ordinum, qui in ea sunt, multimodam distinctionem: *inconsutilem* verò, propter indissolubilis charitatis individuam unitatem. *Quis me* (inquit Apostolus) *separabit à charitate Christi?* Audi quomodò *polymitam*. *Divisiones* (ait) *gratiarum sunt, idem autem Spiritus*: *& divisiones operationum sunt, idem verò Dominus*. Deinde diversis enumeratis charismatibus, tanquam variis tunicæ coloribus, quibus constet eam esse *polymitam*; ut ostendat etiam *inconsutilem & desuper contextam per totum*, adjungit: *Hæc autem operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*. *Charitas* quippè *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Non ergo dividatur, sed totam & integram hęreditario jure sortiatur Ecclesia, quia & de illa scriptum est: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*: omnis utique ordo, omnis lingua, omnis sexus, omnis ætas, omnis conditio, in omni loco, per omne tempus, à primo homine usque ad novissimum. Nam & propter hoc *talaris* dicta est, quòd ad finem usque pertingat, dicente Propheta: *Non est qui se abscondat à colore ejus*: nimirùm congruens ei cui & facta est, qui perhibente videlicet alia scriptura & ipse *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*. Omnes ergo concurramus pariter in unam *tunicam* (s) & ex omnibus constet una. Ex omnibus, inquam, una: nam etsi ex pluribus & diversis, *una est* tamen *columba mea, formosa mea, perfecta mea*. Alioquin nec ego solus, nec tu sine me, nec ille sine utroque, sed simul omnes sumus illa una, si tamen solliciti sumus servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Quid ornatius cælo? (t) Minimè tamen vel ipsum ullatenùs conferendum gloriæ & decori Sponsæ Ecclesiæ: eo ipso succumbens, quòd præterit & hæc figura ipsius utpote corporea, & corporeis subjacens sensibus. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Sed est rationalis quædam Sponsæ species, spiritualisquè effigies, ipsaquè æterna, quia imago æternitatis. Decor ejus *charitas est*: & *charitas* (sicut

m *Ser. 1. in Annunt. B. M. num. 7.* n *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 9. num. 28.* o *Apolog. de vit. & mor. Relig. cap. 3. num. 7.* p *Ser. de Pass. Dom. n. 16.* q *Apolog. de vit. & mor. Relig. cap. 3. num. 7.*

r *Ibidem num. 8.* s *Ibidem cap. 4. num. 9.* t *Ser. 27. in Cant. num. 2. & 3.*

cut legiſtis) *nunquam excidit*. Eſt certè & *juſtitia*: *Et juſtitia ejus* (inquit David) *manet in ſæculum ſæculi*. Eſt etiā *patientia*: & legitis nihilominus, quia *patientia pauperum non peribit in finem*, Quid voluntaria *paupertas*, quid *humilitas*? Nonne altera regnum æternum, altera æquè exaltationem promeretur æternam? Eò quoque ſpectat & *timor* Domini ſanctus permanens in ſæculū ſæculi. Sic *prudentia*, ſic *temperantia*, ſic *fortitudo*, & ſiquæ ſunt *virtutes* aliæ, quid niſi margaritæ ſunt quædam in Sponſæ ornatu, ſplendore perpetuo coruſcantes? Perpetuo, inquam, quia ſedes & fundamentum perpetuitatis. Neo enim perpetuæ beatæquè vitæ omninò locus in anima eſt, niſi mediis quidem interiectiſquè virtutibus. Unde Propheta Deo noſtro, qui vtiq; vita beata eſt: *Juſtitia*, inquit, *& judicium præparatio ſedis tuæ*. Et Apoſtolus dicit *Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris*. Domino quoque ſeſſuro ſuper aſellum, veſtes ſuas Diſcipuli ſubſtraverunt, ſignificantes Salvatorem ſeu ſalutem nequaquam inſidere nudæ animæ, quam non videlicet veſtitam invenerit doctrinâ & moribus Apoſtolorum. Et ideo Eccleſia promiſſionem habens futuræ fælicitatis, curat interim præparare & præornare ſe in veſtitu deaurato, circumdata varietate gratiarum atque virtutum (qualē quidem ex parte deſcripſimus) quo digna & capax plenitudinis gratiæ inveniatur. Et quia [u] Dominus ait: *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra*. Scindamus itaque corda noſtra, dilectiſſimi, quatenùs integra proinde veſtimenta ſervemus. Veſtes enim noſtræ, virtutes ſunt. Bona veſtis *charitas*, bona veſtis *obedientia* eſt. Beatus qui cuſtodit veſtimenta hæc, ut non ambulet nudus. Denique beati quorum tecta ſunt peccata: etenim charitas operit multitudinem peccatorum. Scindamus corda, ut hæc veſtimenta integra ſervemus, quemadmodùm integra ſervata eſt tunica Salvatoris. Necmodò integram ſervat veſtem ſciſſio cordis, ſed & talarem eam facit & polymitam, qualem à ſancto Patriarcha Jacob accepit ſuus filius Joſeph, qui præ cæteris amabatur. Hinc nempè perſeverantia eſt virtutum, hinc converſationis pulchræ diſcolor unitas. Hinc illa eſt gloria Regis filiæ in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus.

§. III.

Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Joan. 19.

Tunicam Domini [x] quam in tempore paſſionis nec Ethnicus præſumpſit ſcindere nec Judæus, fautore hoc Domino: Schiſmaticus lacerat & diſrumpit. Una eſt fides, unus Dominus, unum baptiſma. Nos neque duos dominos, nec geminam fidem, nec duo baptiſmata novimus. Ut ab antiquis ordiar: Una arca tempore diluvii fuit. In hac octo animæ, cæteris omnibus pereuntibus, evaſerunt: & quotquot extra arcam inventi ſunt, perierunt. Arcam hanc typum tenere Eccleſiæ, nemo eſt qui ambigat. Teſtante Apoſtolo: [y] *Sicut unus Dominus, ita una fides eſſe dignoſcitur*. In qua tanqam in immobili fundamento, præter quod nemo poteſt aliud ponere, firmitas Catholicæ Eccleſiæ inviolata conſiſtit. Inde eſt quòd beatus Petrus Apoſtolorum Princeps pro eximia hujus fidei confeſſione, à Domino ac Salvatore noſtro audire meruit: *Tu es*, inquit, *Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: petram utique firmitatem fidei, & Catholicæ unitatis ſoliditatem manifeſtè deſignans. Hæc ſiquidem eſt inconſutilis tunica Redemptoris noſtri, ſuper quam milites ſortiti ſunt, ſed eam dividere minimè potuerunt. Contra quam in initio fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania: aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum. Verùm Apoſtoli duces Dominici gregis, & eorum ſucceſſores Apoſtolici Viri, ardore charitatis & zelo rectitudinis ſuccenſi, fidem defendere, & eam in cordibus aliorum proprii ſanguinis effuſione plantare non dubitārunt. Pharao ille Ægyptius [z] captans abſentiam Sponſi Eccleſiæ, convocato exercitu: Veni, inquit, perſequar & comprehendā, dividam ſpolia & implebitur anima mea: evaginabo gladium meum & interficiet eos manus mea. Surgenſquè cum omni malitiæ ſuæ nequitia, Eccleſiæ perſecutionem indixit. Moxquè ejus caſtra aggrediens, comprehenſum Petrum fratremquè ejus Andream crucifixit, Paulum decolāvit, Joannem exiliavit, Bartholomæum decoriavit, Stephanum lapidavit, Laurentium & Vincentium uſtulavit: & Sanctorum mortibus, mortiumquè & tormentorum generibus omnia complevit. *Poſuerunt morticinia Servorum Dei eſcas volatilibus cæli, carnes Sanctorum beſtiis terræ. Effuderunt ſanguinem innocentem, tanquam aquam in circuitu Hieruſalem: & non erat qui ſepeliret*. Videns Eccleſia defenſores ſuos poſitos ut oves eſcarum, ingemuit: & facta eſt amaritudo ejus amara. Sed ter ra Eccleſiæ ſanguine Martyrum impinguata, fidelium ſegetes multiplici quodam germine refundebat: & in præciſione unius centum vel mille reddens, unde vinci ſperabatur, vincebat. Demùm [a] ceſſante perſecutorum rabie, imperavit Dominus ventis, & facta eſt in Eccleſia tranquillitas magna. Quod barbara illa inimici nequitia deprehendens [b] infremuit, & ad nova calliditatis ſuæ arma refugiens, à perſecutione interim conquievit, vireſquè contraxit, gladium revocavit, conſilium mutavit. Nam [c] cùm hoſtis humani generis ſemper circuit quærens quem devoret, ad impugnandam ſinceritatem fidei, fraudulentam hæreticorum fallaciam ſubinduxit. Nullus pejor, inquit, (d) quàm domeſticus inimicus. Effundam igitur contentionem ſuper principes eorum, & errare eos faciam in invenio, & non in via. Et cùm dicent: Pax, pax: non erit pax. Sed ſuſcitabo inter eos hæreſes & ſchiſmata, & civili ac inteſtino quodam bello omnia turbabo: & faciliùs ſuo eos gladio faciam interire, quàm meo. Dixit, & mox terribilis illa hactenùs Eccleſiæ acies ordinata, facta eſt non terribilis: quia deordinata. Mutuis quippè ſeſe vulneribus impetentes, ſequè invicem hoſtiliter concidentes, hoſtibus à longè ſtantibus & videntibus riſum & inſultationem præbuerunt: Eccleſiæ verò luctum & intolerabilem incuſſerunt dolorem. Amaritudo enim ejus

u *Ser. 2. in Quadrag. num. 5.* x *Ser. S. Ber. relato in ejus vita lib. 2. cap. 7. num. 45. pag. 72.* y *Epiſt. 194. num. 1.*

z *Parabola de Chriſto & Eccleſia num. 3. tom. 2. par. 2. pag. 541.* a *Epiſt. 194. num. 1.* b *Parabola de Chriſto & Eccleſia n. 4.* c *Epiſt. 194. num. 2.* d *Parab. de Chriſto & Eccleſia num. 4.*

ejus priùs erat amara, nunc facta est amarior, cùm vipereo quodam malo à filiis suis deflebat discerpi viscera sua. Contra quos tamen (e) Viri Ecclesiæ Pastores viriliter insurgentes, eorũ prava dogmata cum ipsorum auctoribus condemnârunt. In magna namque Nicæna Synodo Arius hæreticus est damnatus. Constantinopolitana Synodus Manichæum hæreticum debitâ sententiâ condemnavit. In Ephesina Synodo Nestorius condignam sui erroris damnationem excepit. Chalcedonensis quoque Synodus Nestorianam hæresim & Eutychianam cum Dioscoro & ejus complicibus justissimâ sententiâ confutavit. Præterea (f) egregii curiæ Christianæ milites prævalere videntes astutam inimici malitiam, spiritum resumpserunt, arma fidei arripuerunt: & malum ex semetipsis viriliter auferentes, Alexander Episcopus Alexandrinus cum multis Arium, Augustinus Manichæum, Hieronymus Epicureum Jovinianum, cæterique cęteras hæresum & schismatum pestes pervadentes, vel fortiter trucidaverunt, vel prudenter à castris Ecclesiæ propulerunt, pacemque Ecclesiæ & gaudium restituerunt. Sed heu, heu (g) nec mare fluctibus, nec ista vita carere potest tentationibus: nec potest esse pax firma & solida, nisi in regione sua. Videns enim peccator (*diabolus*) & invidè irascitur, & dentibus fremit & tabescit: & nova parans bella, ad spiritualia militiæ arma se convertit. Convocansquè sui exercitus egregios illos duces, spiritum scilicet *fornicationis*, spiritum *gulæ*, spiritum *avaritiæ*: Videtis, inquit, quia nihil proficimus, & jam totus Mundus post ipsos abiit. Sed adhuc experiri habent vires nostras, qui gloriantur se jam effugisse vel elusisse artes meas. Dixit, & castris eos Ecclesiæ immittens, & dormientes omnes & ebrios nocte inveniens (qui enim dormiunt, & qui ebrii sunt, nocte dormiunt, & nocte ebrii sunt) continuò omnia turbavit. Mox enim omnes seipsos amantes, quæ sua sunt quærentes, non quæ Jesu Christi: hæreditate sibi vendicaverunt Sanctuarium Dei, & polluerunt tabernaculum nominis ejus: non Deo in eo, sed voluntatibus & voluptatibus suis servientes, quæque Deo oblata vel sacrara in suos usus vertentes. Facientes enim sibi de nominibus & officiis religionis, nomina & auctoritates avaritiæ, elationis, & vanitatis: tunicam illam charitatis inconsutilem desuper contextam per totum, purpureumquè illud fidei pallium precioso Sanguine Agni tinctum, quibus nuditatem sponsæ Sponsus operuerat, cæteraquè religionis ornamenta reluctanti & reclamanti Ecclesiæ detraxerunt. Eamquè denudantes, nec se vestientes; quam custodire debuerant, nudam reliquerunt: & de statu quietis eam exturbantes, quantùm in ipsis est, de mundo fugere compulerunt. Sed illa clamans & plorans (h) & nudata turpitudine, & discoopertis natibus, omnia occulta & pudenda sua risui omnium deflens exposita, orat filios uteri sui, nec miserentur: obsecrat, & irridetur. Et utraque manu totis viribus panniculos quosdam Canonicæ vel Monasticæ Religionis (qui vix manus diripientium effugerant) circa cor & vitales illas partes astringens, hos saltem dimitti sibi precatur, nec auditur. Et ipsos enim sui illi non custodes sed latrones diripere conantur, ut vel nuditatem suam non ferens, de hoc mundo fugiat, vel inter eos in frigore malitiæ eorum moriatur. Fingentes tamen nonnunquam se misereri, vestem de simulatione virtutum, & dissimulatione vitiorum, manu hypocrisis utrinque contextam vendere illi conantur. Quam illa detestans & abominans, non suscipit, non recognoscit: novit illam Sapientiæ manibus contextam, tinctam & sacratam Agni Sanguine, à Sponso sibi delatam, à filiis sublatam. Aliam nescit, sed abiicit & respuit. Ideo abiicitur, respuitur, conspuitur, & omnibus opprobrio habetur. Hæc sunt nostra, hæc sunt Ecclesiæ periculosa tempora, in quibus in pace facta est amaritudo ejus amarissima. Veni Domine, veni ad liberandum eam Domine Deus virtutum, qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT III.

De crucifixione Christi, & effusione Sanguinis ex manibus ac pedibus ejus perforatis.

1. *Ostenditur, Christum non solùm corporaliter affixum ligno crucis, sed etiam spiritualiter infixum esse nobis, qui sumus ipsa Crux. Excitamur ad dolendum pro culpa nostra, quâ offendimus nostrum Creatorem, Patrem, & Benefactorem: nec non ad sequendum Jesum ascendentem Crucem, ut in ea mentaliter collocati, deorsùm aspiciamus universa terrena, & despiciamus ea.* 2. *Ostenditur, Christum ideo voluisse crucifigi & vulnerari, ut vulneribus animarum nostrarum medeatur suo Sanguine precioso, quem ex suis manibus & pedibus effudit ob ardorem charitatis erga nos.* 3. *ostenditur, Christum ideo voluisse pendere in Cruce inter duos latrones, ut Scriptura impleretur: & ut fortitudo ejus & sapientia absconderentur in cornibus Crucis. Probatur, ignominiosam crucifixionem humanitatis non minuisse lucem Deitatis in Christo.*

§. I.

Erat autem hora tertia: & crucifixerunt Jesum. Mar. 15. *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.* Psal. 21.

AGnosce ô homo (a) quàm gravia sunt vulnera tua, pro quibus necesse fuit Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius crucifigeretur. Hîc tu ô homo (b) totus contremisce, tremore obrigesce, meritò expalesce, pugnis pectus contunde, fletibus totam animam effunde, compatere patienti. Vide modum mortis, attende qualitatem moriendi: & attende quid debeas morienti. Ecce quomodò moritur justus: in Cruce distenditur, membra distrahuntur. Dorsum adhuc plagosum de recentibus plagis flagellorum recenti adhuc Sanguine stillans, rigi-

e *Epist.194.num.2.* f *Paroh.de.Christ.& Eccles.num.4.* g *Ibidem num.5.* h *Ibidem.num.6.& 7.*

a *Ser.3. in Nat.Dom.num.4.* b *Tract.de 3.pr.ecip.myst.cap.6.nn. 13.& 14.*

rigido patibulo Crucis atteritur, Manus & pedes perfodiuntur, clavi malleis incutiuntur; & quanto altiùs clavi penetrant, tantò ampliùs plagas præ grossitie dilacerant, & passionem aggravant. Nunc ad dexteram (c) nunc sinistram manum rivulos & guttas Sanguinis spargentem propiùs & interiùs accede: undelibet quærenda est devotio, & gratia lachrymosæ compunctionis. Utrinque considera quàm immites fixuræ clavorum, quàm amara venarum ossiumquè perfractio in manibus illius, qui cælum fabricavit & terram, qui operatus est salutem in medio terræ. Sic lustrandi sunt & pedes non minus Sanguinis habentes, non minus quàm manus: perfossi sunt & ipsi & perfracti, sanguineis manantes guttis. Occurrat itaque spiritualiter (d) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, terrebratis palmis, pedibusquè confossis: qui tanquam jugulatori suo alludens, seipsum non reluctans exposuit, & nudum Corpus quasi incudem malleatorum ictibus patienter explicuit: dum pro nobis per hujus vitæ pelagus ad patriam de exilio transferendis, rapacibus piratis naulum propriæ mortis exolvit. In Adam omnes nescientes peccavimus; (e) etsi in alio, nos tamen peccavimus, & nobis justo Dei judicio imputatur, licet occulto. Verumtamen, ut jam non sit quod causeris ô homo, contra inobedientiam Adæ datur tibi obedientia Christi: ut si gratis renundatus es, gratis & redimaris: si nesciens in Adam periisti, nesciens vivificeris in Christo. Nescisti quando ad lignum vetitum vetus Adam tetendit manus noxias: nescisti nihilominùs quando in ligno salutifero innoxias manus Christus extendit. Fortasse Crux ipsa nos sumus (f) cui Christus memoratur infixus. Homo enim formam crucis habet: quam, si manus extenderit, exprimet manifestiùs: Loquitur autem Christus in Psalmo: *Infixus sum in limo profundi*. Limum quidem nos esse manifestum est, quoniam de limo plasmati sumus. Sed tunc quidem limus paradisi fuimus, nunc verò limus profundi. *Infixus sum* (inquit Dominus) *non pertransii, non recessi*. *Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Ipse est enim Emmanuel nobiscum Deus. Voluit infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare (g) & contraxit se Majestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret; & in persona una sibi invicem unirentur Deus & limus, Majestas & infirmitas, tanta vilitas & sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius, nihil vilius limo: & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaquè dignitate limus ascendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur: quidquid limus pertulit, Deus in eo pertulisse dicatur, tam ineffabili quàm incomprehensibili sacramento. Et quia Crux ipsa nos sumus (h) cui Christus memoratur infixus. Proinde non parvum fiduciæ robur præstat mihi (i) quòd magnus ille vir Propheta potens in opere & sermone, de excelso monte Cælorum descendens, visitare dignatus est me (l) cùm sim pulvis & cinis, misereri mortuo, inclinare se jacenti, contrahi & coæquari parvo, cæco partiri lumen oculorum suorum, & os mutum oris proprii osculo solvere, debilesquè manus suarum roborare contactu. Suaviter rumino ista, & replentur viscera mea, & interiora mea saginantur, & omnia ossa mea germinant laudem. Hoc semel contulit Universitati. Hoc quotidie singuli in nobis actitari sentimus, & *cordi* scilicet tribui intelligentiæ lumen, & *ori* ædificationis verbum, & *manibus* opus justitiæ. Dat sentire fideliter, dat proferre utiliter, dat efficaciter adimplere. Et est funiculus triplex (qui difficilè rumpitur ad extrahendas animas de carcere diaboli, & trahendas post se ad regna cœlestia) si rectè sentias, si dignè proloquaris, si vivendo confirmes. Oculis suis tetigit meos, interioris hominis frontem claris luminaribus ornans, fide & intellectu. Ori meo junxit suum, & mortuo signum pacis impressit: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, reconciliavit nos Deo, justitiæ mortuos. Os ori applicuit, iteratò inspirans in faciem meam spiraculum vitæ, sed sanctioris quàm primò. Nam primò quidem in animam viventem creavit me: secundò in spiritum vivificantem reformavit me. Manus suas meis superposuit, exemplum præbens bonorum operum, & formam obedientiæ. O anima Christiana (k) Salvator tuus affixus erat Cruci, ut iniquitates tuas propriis manibus Cruci affigeret. Dole igitur (l) quia *Creatorem* offendisti, cujus legem cœlestia & terrestria præter te indefessa statione conservant. Surgat & acrior dolor, quòd etiam *Patrem* offenderis, & illum Patrem qui tibi ministrat syderum cursus, fæcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Accedat & acerrimus dolor qui pertranseat animam tuam, quòd tantum *Benefactorem* contempseris, qui dolorem Crucis sustinuit, ne dolores inferni ampliùs sustineres. Ascendit Crucem Jesus noster, (m) mundoquè pro mundo expositus est: & revelata faciè ac discooperta fronte purgationem peccatorum faciens, probrosæ & austeræ mortis non tam erubuit ignominiam, quàm nec pœnam exhorruit, ut nos opprobrio sempiterno eriperet, & restitueret gloriæ. Nec mirùm. Quid enim erubesceret qui ita nos lavit à peccatis, non quidem ut aqua diluens & retinens sordes; sed veluti Solis radius desiccans & retinens puritatem? Est quippe Dei Sapientia ubique attingens propter munditiam suam. Sequere & tu ô homo (n) Jesum ascendentem Crucem, exaltatum à terra: ut non solùm super te, sed & super omnem quoque mundum mentis fastigio colloceris, universa quæ in terris sunt, deorsùm aspiciens & despiciens, sicut scriptum est: *Cernent terram de longè*. Nulla te mundi oblectamenta inclinent, nullæ adversitates dejiciant. Absit tibi gloriari nisi in Cruce Domini tui Jesu Christi, per quem tibi mundus crucifixus est: ut quæ mundus appetit, crucem reputes: & tu crucifixus mundo, illis quæ mundus crucem reputat, toto inhæreas amore. Grata ignominia crucis ei (o) qui Crucifixo ingratus non est.

§. II.

Porrò agnosce ô homo [p] quàm gravia sunt vulnera

c *Tract. de vite myst. cap. 44. num. 163.* d *Ser. 2. in Cœna Dom. n. 7.* e *Ser. 2. in Dom. 1. post. Epiph. num. 3.* f *Ser. 4. in vig. Nat. Dom. nu. 7.* g *Ser. 3. in vig. Nat. Dom. num. 8.* h *Ser. 4. in vig. Nat. Dom. nu. 7.* i *Ser. 16. in Cant. num. 2.*

k *Libr. 3. de amor. Dei cap. 19. n. 67.* l *Ser. de S. Nicol. n. 6. tom. 6. pag. 786.* m *Tract. exhort. ad milit. temp. cap. 10.* n *Ser. 4. in Ascens. Dom. n. 13.* o *Ser. 25. in Cant. n. 8.* p *Ser. 3. in Nat. Dom. num. 4.*

nera animæ tuæ, pro quibus necesse fuit Dominum Christum vulnerari. Gravis animæ casus [q] quæ nonnisi Christi cruce potuit reparari. Magna res anima, quæ Christi Sanguine redempta est: Manavit namque Sanguinis ejus [r] ex quatuor partibus, rigantibus undis, ligno manibus pedibusquæ confixis. Nesciebam [s] sanus mihi videbar: & ecce mittitur Virginis filius, Filius Dei Altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis precioso Sanguinis balsamo medeatur. Ecce [t] quasi saccum plenum misericordiâ suâ Deus Pater misit in terram: saccum, inquam, in passione concidendum, ut effundatur quod in eo latet precium nostrum. Fracto autem alabastro mundissimi Corporis virginalis dulcis Jesu [u] effusum est unguentum Sacratissimi Sanguinis. Conscissus est saccus Corporis Domini Jesu, ceciderunt grana sanguinearum guttarum, quę adhuc à fidelibus colligi possunt, & ab accedentibus ad Sanctam Crucem fideliter ac devotè colliguntur. Preciosissimus thesaurus & incomparabilis guttæ sunt Sanguinis Jesu Christi. Quem utique puncturæ veprium [x] fossio manuum & pedum cum clavis, lateris apertio cum lancea militari, fortiùs exprimentes, ad modum torrentis fuderunt extrinsecùs. Eratquè ille Sanguis preciosior cariorquè balsamo, per quem sordium nostrarum facta est mundatio. Accede huc ô fidelis anima [y] & collige tibi reliquias epularum Sponsi tui, micas gratissimas, folia rosarum. Ecce in quanta multitudine distillant de manibus simul & pedibus dulcissimi Crucifixi Christi Jesu. Non est morbus animæ, cui his floribus mederi non possis. Si perfectus es [z] si fortis es: vinum est tibi Sanguis iste, Sanguis meracissimus. Si adhuc infirmus es, & cui opus est lacte: lac est tibi Sanguis iste ad nutriendum te. Bibe ergo Sanguinem hunc meracissimum, fide, memoria, & intuitu spirituali: Effusio Sanguinis [a] in fossione clavorum copiosissima invenitur. Quis enim de fossis, imò & de perfossis manibus pedibusquè innocentis Jesu copiam Sacrati Sanguinis dubitet effluxisse? In torrentibus hujus Sanguinis rosa nostra purpurata est: quia verè hîc ardentissima charitas, hîc rubicundissima passio invenitur. In hac magnitudine passionis, magnitudo consideretur charitatis: ardorem rosæ charitatis, ruborem considera passionis. Quis unquam tam gravia, tam pudenda passus fuit? Deus est qui patitur: nec in aliquo sibi durum torcular passionis alleviat, qui servis suis vel omninò auferre, vel alleviare, vel breviare vires tormentorum consuevit. Non pepercit sibi, qui suis parcere novit. Hujus rei evidentiam vides in Evangelio Joannis, ubi cùm ab his qui ad ipsum venerant capiendum, ei diceretur quòd ipsum quærerent, subjungit: *Ego sum*, inquit, *quem quæritis*: *si* ergo *me quæritis, sinite hos abire*. O ardor verissimæ charitatis! Manifestat & tradit se Charitas ipsa sævientibus inimicis, non parcens sibi: rogatquè pro suis, ut parcatur illis. Captus ergo post plurimas illusiones tàm Judæorum quàm Gentium, post Sanguinis plurimas effusiones, clavis immitibus in manibus simul & pedibus perforatur, & configitur ligno crucis Salvator noster, mitissimus Jesus. Intuere ô homo, & respice rosam passionis sanguineæ, quomodo rubet in judicium ardentissimæ charitatis. Contendunt Passio & Charitas: illa ut plùs ardeat, ista ut plùs rubeat. Sed mirabiliter per ardorem charitatis fit passio rubea, quia si non diligeret, non pateretur: & in passionis rubore maxima & incomparabilis ostenditur charitas. Sicut enim rosa per frigus noctis clausa Solis ardore surgente tota aperitur, & foliis expansis in rubore demonstrat ardorem jucundum. Ita flos cœli deliciosus, optimus Jesus Christus, qui multo tempore à peccato primi hominis quasi in frigore noctis clausus fuit peccatoribus, nondum plenitudinem impendens: tandem plenitudine temporis accedente, radiis scilicet ardentis charitatis in omni Corporis sui parte apertus est, & rosæ charitatis ardor in rubore Sanguinis effusi refulsit. Siquidē Dominus noster elevatus in Cruce [b] largissimas Sanguinis undas à quinque partibus sui Corporis abundantiùs effudit. Clavis enim pedes & manus, & lanceâ latus ejus transverberante, preciosus Sanguis emanavit. Per quod [c] illum planè ad se versiculum traxit: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio*. Prorsùs copiosa: quia non gutta, sed unda Sanguinis largiter per quinque partes Corporis emanavit. Cujus utique Sanguinis aspersione [d] judex transit in patrem, iratus in mitem, in misericordiam virga, captivitas in coronam. Vide ergo [e] quomodo in hoc flore rosæ floruerit optima Vitis nostra, rubicundus Jesus. Vide totum Corpus, sicubi rosæ sanguineæ florem non invenias. Inspice manum unam & alteram, si florem invenias in utraque. Inspice pedem & unum & alterum, numquid non rosei? Inspice lateris aperturam [f] quia nec illa caret rosâ, quamvis ipsa subrubea sit propter mixturam aquæ: quia sicut narrat Evangelista: *Cùm unus militum lanceâ latus ejus perfodisset, exivit sanguis & aqua*. Ipse est enim qui venit per aquam, & non per aquam solùm, sed per aquam & Sanguinem optimus Jesu Christus. O suavissime universorum Domine & Salvator bone Jesu, quales tibi condignas gratiarum referre potero actiones? Qui à principio ortus tui usque ad mortem durissimam, imò & post mortem pro me preciosum Sanguinem effudisti, qui ardorem excellentissimæ charitatis tuæ tam crebris Sanginis tui effusionibus manifestare curasti. O quàm multo numero foliorum multiplicata & exornata est rosa tua! Quis omnia ista enumeret? Numera guttas Sanguinis effusi de dulcissimo Corpore dulcissimi Jesu, & habebis passionis charitativæ folia enumerata. Singulæ enim guttæ Sanguinis sui folia sunt rosæ sanguineæ passionis ipsius. O duri & indurati [g] & obdurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor Christi crucifixi, qui pro vilibus sarcinulis tam preciosas merces expendit! Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, sed precioso Sanguine suo, quem effudit abundè: quia largiter undæ Sanguinis de corpore Jesu per quinque partes emanaverunt.

Et

q *Epist.54.* r *Lament.Virg.Mariæ n.4.tom.6.pag.1056.* s *Ser.3.in Nat.Dom.n.4.* t *Ser.1.in Epiph. Dom.n.2.* u *Tract. de vite myst. cap.43.n.161.* x *Ser.de excell.Sacram. n.4.* y *Tract.de vite myst. cap.43.n.162.* z *Ibidem cap.33.num.140.* a *Ibidem cap.41. num. 147.& 147.*

b *Ser.1.de Nat.Dom.num.9.tom.6.pag.619.* c *Ser.22.in Cant. num.7.* d *Ser.de Nat.Domini nu.9.tom.6.* e *Tract.de vite myst.cap.41. num.148.* f *Ibidem num.149.* g *Ser.2.in die Pent. num.8.*

§. III.

Et crucifixerunt cum eo duos latrones, unum à dextris, & alium à sinistris ejus: medium autem Jesum. Et impleta est Scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Joan. 19.

Cognosce anima mea (h) cognosce: hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce cum sceleratis quomodò reputatus est. Vide nudum & verberibus laceratum (i) in medio latronum Cruci ignominiosæ ferreis clavis affixum, & copiosos Sanguinis rivos ex quatuor vulneribus manuum & pedem effundentem. Adhuc jugi scrutinio [k] & assidua meditatione revolve, qualiter Unigenitus Dei Patris, cùm esset splendor & figura substantiæ ejus, post exinanitionem usque ad formam servi, post famem, post sitim, post lassitudinem, post lachrymas, post vincula, post flagella, post coronam spinem, post clavos, pro salute tua inter duos latrones quomodò pendet in Cruce. Crucis siquidem cornua in manibus ejus, ac de illis pius ille Samaritanus tuis vulneribus oleum & vinum infundit. Porrò *ibi est abscondita fortitudo ejus*, & in amaritudine mortis dulcedo ejus. Descendit de monte *potentiæ* (l) carnis infirmitate circumdatus: descendit de monte *sapientiæ*, quoniam placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quid enim tenello Corpore & infantilibus membris videtur infirmius? Quid indoctius apparet paruulo, qui sola Matris ubera noverit? Quis impotentior eo, cujus omnia membra clavis affixa, cujus omnia dinumerantur ossa? Quis insipientior eo, qui tradebat in mortem Animam suam, & quæ non rapuit tunc exolvebat? Vides quàm multùm descenderit, quantùm à potentia sua, quantùm à sapientia sua exinaniverit semetipsum. Sed non potuit altiùs montem bonitatis ascendere, nec suam cõmendare expressiùs charitatem. Et verè in nullo sic commendat Deus charitatem suam [m] quomodò in mysterio Incarnationis suæ & Passionis: in nullo sic revelatur ejus pietas, in nullo sic apparet benignitas, quomodò in humanitate, Apostolo teste qui ait: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*. Nam *potentia* quidem occultata est, quoniam in infirmitate venit. Unde Abacuc Propheta: *Abscondita est*, inquit, *fortitudo ejus*, haud dubium quin in Cruce, cujus *cornua in manibus ejus*. *Sapientia* quoq; Dei abscondita est & incarnata. Placuit enim ei per stultitiam Verbi salvos facere credentes. Nonne quodammodò stultum se fecerat, qui tradidit in mortem Animam suam, & tulit peccata multorum: & quæ non rapuit tunc exolvebat? Est Filius à Patre (n) Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero. Est utique splendor Paternæ gloriæ. Hinc & Apostolus ait: *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*, haud dubium quin Patris: splendet ergo æquè Filius ut Pater, imò idem splendor Filius qui Pater. Abacuc quoque Propheta [o] intuens hanc lucem ait: *Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus*. Apertè designans, quòd etiam, cùm manus ejus Cruci effixæ fuissent, licet ipse Sol radios suos obumbrasset, ne Christum morientem in cruce viderent: lux Deitatis non minùs in Christo nituit. Unde præmisit: *Splendor ejus ut lux erit*. Constat ergo ex Abacuc testimonio [p] quòd passio humanitatis non minuit lucem Deitatis: imò ipse moriens victor mortis de morte triumphavit, & mors ejus nostram mortem calcavit. *Ibi abscondita est fortitudo ejus*. Corpusculum Christi exanime, torridum & exangue pendet in Cruce, caput deflexa cervice vix collo hæret pendulo: facie livida. Oculi in morte lugentes, & semiclausi: manus distentæ, & clavis ligno compactæ. *Ibi abscondita est fortitudo ejus*. Abscondita est Judæis, qui dicebant: *Conteramus eum de terra viventium, morte turpissima condemnemus eum*. Abscondita est & Discipulis, qui dicebant: *Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israël. Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus*. In Cruce aret, in aëre claret: pendet in patibulo, splendet in altissimo. O Sancte Abacuc, quàm benè splendor hujus lucis luxit, qui tibi tot sæculis illuxit, ante cornua Crucis in manibus ejus: sed & manus ejus in cornibus Crucis. Quod si homini carnali stultitia fortè videtur [q] audiat Apostolum loquentem: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quoniam placuit Deo per stultitiam prædicationis salvare credentes: quippè cùm mundus eum in sapientia minimè cognovisset*. Si vos ò Judæi [r] scandalizat Crux Christi (*Verbũ enim Crucis Judæis quidem scandalum est*, ait Apostolus) excitet vos saltem novitas Resurrectionis. Invenimus nos in Cruce gloriam. Nobis qui salvamur, Dei virtus est. Dei siquidem infirmitas [s] nostra est fortido, & in stultitia ejus facti sumus sapientes. Quia enim mundus non cognovit in sapientiâ Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Facta est igitur res mira [t] & obstupenda. Infirmata est Virtus summa: & ut ita dicam si dici liceat quod tamen reverenter dico, quasi infatuata est Sapientia. Nec erubesco dicere, quod non erubuit Doctor Gentium docere. Sic nempè credidit, sic docuit, sic scriptum reliquit: *Nos*, inquit, *prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei Virtutem & Dei Sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Verumtamen hæc virtus abscondenda erat, & in humilitate perficienda, ut omnium implerentur oracula Prophetarum. Totum ergo nobis de Christo valvit [u] totum salutiferum, totumquè necessarium fuit: nec minùs profuit infirmitas, quàm Majestas: quia etsi ex Deitatis potentia peccati jugum jubendo submovit, ex carnis tamen infirmitate mortis jura moriendo concussit. Unde pulchrè ait Apostolus: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Sed & illa ejus stultitia per quam

h *Ser. de Pass. Dom. num. 15.* i *Ibidem num 13.* k *Lib. 3. de amore Dei cap. 19. num. 66.* l *Ser. 4. de Ascens. Dom. nu. 6.* m *Ser. 29. inter diver. num. 3.* n *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 7. num. 19.*

o *Ibidem num. 22.* p *Ibidem n. 23.* q *Tract. de vit. & mor. Cleric cap. 11. num. 34.* r *Ser. 1. in die Pasch. num. 12.* s *Ser. de verb. sap num. 6. pag. 770.* t *Ser. 57. diver. num. 1. & 2.* u *Tract. exhort. ad milit. templi cap. 11. num. 26.*

ei placuit salvum facere mundum, ut mundi confutaret sapientiam, & confunderet sapientes: quòd videlicet cùm in forma Dei esset, Deo æqualis, semetipsum exinanivit formam servi accipiens: quòd dives cùm esset, propter nos egenus factus est, de magno parvus, de excelso humilis, infirmus de potente: quòd esuriit, quòd sitiit, quòd fatigatus est in itinere, & cæterea quæ passus est voluntate, non necessitate. Hæc inquam ipsius quædam stultitia, nonne fuit nobis via prudentiæ, justitiæ forma, sanctitatis exemplum? Ob hoc idem Apostolus: *Quod stultum est*, inquit, *Dei, sapientius est hominibus*.

CAPUT IV.

De titulo Crucis quatuor dictionibus exarato: quarum singula habent sensum tropologicum.

JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Joan. 19.

1. *Dictio* JESUS *significat salvationem sive redemptionem nostram. Nomen Jesus comparatur triplici qualitati Olei, quod lucet, pascit, & ungit.* 2. *Dictio* NAZARENUS, *interpretatum florens, significat voluptatem sive delectationem. Jesus Crucifixus comparatur flori spiranti odorem, quo totum mundum traxit post se.* 3. *Dictio* REX *significat divitias salutis nostræ. Ostenditur, Jesum Crucifixum esse summum Regem non solùm hujus mundi, sed etiam Regni cælestis.* 4. *Dictio* JUDÆORUM *significat gloriam populi Gentium: qui ideo veri esse Judæi appellantur, quia confitentur Deo peccata sua, & divinam laudem. Inter quos tamen adest differentia magna.*

§. I.

Scripsit autem & titulum causa ejus Pilatus, & posuit super Crucem, super caput ejus. Erat autem superscriptio scripta Hebraicè, Græcè, & Latinè: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Joan. 19.

ANima mea (a) liquefacta est in sermone isto, jucunditatem hanc & exultationem solito vobis desiderio eructare festinans. JESUS interpretatur Salvator. Quid tam necessarium perditis, quid tam optabile miseris, quid tam utile desperatis? *Oleum effusum* (b) *est nomen eius*. Oleum, inquam, effusum, unguentum aromatum, jubilus cordium, JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Sed frangatur alabastrum, perflet Auster hortum aromatum, myrrha det odorem suum, diffluant rivuli balsamorum: Crucifixus sit in memoria, Crucifixi replicetur injuria, Crucifixi ruminentur opprobria, & charitas indefessa. Omnia interiora nostra loquantur de Jesu Nazareno, qui lavit nos à peccatis nostris in Sanguine suo, ut simus potentes opere & sermone. Si verè spirituales apes sumus (c) de floribus nostri paradisi Nazareni, id est horti florentis floridissimi Jesu Christi nobis memoriam componamus tenacem, quæ non qualibet tentatione dissoluatur, sed apta sit illa memoria recipere impressionem sigilli, id est Crucifixi Jesu: ut illum semper in memoria habeamus qui dicit: *Pone me sicut signaculum*. Signaculum enim regium Crux est; quam si in cordis nostri memoria portaverimus, tanti Regis regionem quæ finem non habet, securè poterimus intrare. Habet hoc sigillum imaginem Crucifixi Jesu, in ipso sigillo Crucis multis fossuris effossam & expressam, sicut in sigillis imago Regum exprimitur fodiendo. Habet & superscriptionem, titulum à Pilato conscriptum: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Hujus superscriptionis significationem spiritualem consequetur, si quis hoc sigillum Crucis gestare curaverit tenaci memoriæ impressum: & habebit Jesum, id est salutem; quod primum est in superscriptione. *Prima enim dictio tituli est*, JESUS (d) per quam intelligitur salvatio; quod idem est quod redemptio. JESUS Hebraicè, (e) latinè Salvator interpretatur. Rationem hujus vocabuli Mattheus Evangelista ponit (f) Angelo sic interpretente: *Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*. Duos Jesus lego in typo hujus quem nunc in manibus habemus, præcessisse, & ambos populis præfuisse: quorum unus populum suum de Babylone eduxit, alter suum in terram promissionis introduxit populum. Et illi quidem illos quibus præerant, ab hostibus defendebant, sed numquid salvabant à peccatis eorum? Is autem noster JESUS & à peccatis salvat populum suum, & introducit in terram viventium. Regnum cælorum (g) terra viventium est. Unde David ait: *Credo videre bona in terra viventium*, Item: *Placebo Domino in regione vivorum*. Videamus nunc (h) quare oleo comparetur Nomen Jesu. Oleum lucet, pascit, & ungit. Idem facit Nomen Jesu Christi, & per omnia consonat comparationi. Lucet prædicatũ, pascit recogitatum, invocatũ lenit & ungit. *Primò Nomen Jesu lucet prædicatum*. Vide si non illa duo præclara Luminaria (Petrum & Paulum loquor) lumen Nominis hujus super eloquentiæ candelabrum portaverunt, si non illuxerunt coruscationes Dei orbi terræ, si non in splendore fulgoris hujus commota est & contremuit terra? *In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula*, dicit claudo Princeps Apostolorum. Nonne quasi fulgor exilivit ab ore Petri, cùm nominatum est Nomen quod os Domini nominavit? *Et statim* (inquit Scriptura) *consolidata sunt bases ejus, & plantæ*. Hoc denique Nomen (i) coram Regibus & Gentibus & filiis Israël portare jussus est Paulus Apostolus: & portabat Nomen tanquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat ubique: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit: abyciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus*. Et monstrabat omnibus lucernam super candelabrum, annuncians in omni loco Jesum, & hunc Crucifixum. *Secundò Nomen Jesu pascit recogitatum*. Pascit reverà (k) nec est felicior pastio in loco pascuæ ubi nos Dominus collocavit. Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Nomen Jesu mel in ore, in aure melos, in corde jubilus.

a *Ser. 6. in vig. Nat. Dom. nu. 1.* b *Ser. in fer. 2. Pasch. num. 10. tom. 6. pag. 721.* c *Tract. de vite myst. cap. 44. num. 170.*

d *Ibidem cap. 46. num. 150.* e *Ser. 1. in ... Circu. num. 2.* f *Ser. 2. super missus num. 10. & 11.* g *Ser. 2 de Nat. Dom. num. 4. tom. 6. pag. 616.* h *Ser. 1. de Nat. Dom. num. 3. tom. 6. pag. 512.*

bilus. Omnis cibus qui non conditur hoc sale, infatuatus est. Scriptura quæ non fuerit interliniata oleo tantæ devotionis, insipida est. An non toties confortaris [l] quoties recordaris? Quid ita exercitatos reparat sensus; virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi nisi legero ibi Jesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi nisi sonuerit ibi Jesus. *Tertiò Nomen Jesu invocatum lenit & ungit.* Lenit revera [m] & ungit quia nihil sic recreat nos in tribulatione. Denique & probare licet: *Invoca me*, inquit, *in tribulatione, eruam te, & honorificabis me.* Nihil ita iræ impetum cohibet [n] superbiæ tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cùm nomino Jesum [o] Hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate & sanctitate conspicuum: eundemquè ipsum Deum omnipotentem, qui suo me & exemplo sanet, & roboret adjutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cùm insonuerit Jesus. Sumo itaque mihi exempla de Homine, & auxilium à Potente: illa tanquam pigmentarias species, hoc tanquam unde acuam eas: & facio confectionem, cui similem medicorum nemo facere possit. Hoc tibi electarium habes ô anima mea, reconditum in vasculo vocabuli hujus quod est *Jesus*, salutiferum certè, quodquè nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum & sensus dirigantur & actus. Denique & invitaris: *Pone me*, inquit, *signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo.* Sed hoc aliàs. Nunc verò habes unde & brachio medearis & cordi. Habes inquam in Nomine Jesu unde actus tuos vel pravos corrigas, vel minùs perfectos adimpleas: itemquè unde tuos sensus aut serves ne corrumpantur, aut si corrumpantur, sanes.

§. II.

Secunda dictio Tituli est, Nazarenus. In hac [p] dictione, Nazarenus, quod interpretatur florens, voluptatem sive delectationem intellige: quia florum pulchritudo delectat. Nazareth interpretatur flos [q] in qua is qui natus in Bethleem erat, tanquam fructus in flore coalescens nutritus est Deus infans: ut floris odor fructus saporem præcederet, ac de naribus Prophetarum, faucibus se Apostolorum liquor sanctus infunderet: Judæisquè tenui odore contentis, gustu solido reficeret Christianos. Senserat quidem hunc florem Nathanael, quòd super omnia aromata suave redoleret. Vnde & ajebat: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Sed nequaquam solâ contentus fragrantiâ, respondentem sibi, *Veni & vide*, Philippum secutus est. Imò verò miræ illius suavitatis admodùm repersione delectatus, haustuq; boni odoris factus saporis avidior, odore ipso duce ad fructum usque sine mora pervenire curavit: cupiens pleniùs experiri quod tenuiter præsens erat, præsensquè degustare quod odoraverat absens. Flos itaque est Filius Virginis [r] flos candidus & rubicundus, electus ex millibus. Flos, in quem prospicere desiderant Angeli: Flos, ad cujus odorem reviviscunt mortui. Et sicut ipse testatur, Flos campi est, & non horti. Denique [s] quid mirum si Vitis nostra admirabilem dedit odorem? Et uncta est, & florens. Nazarenus enim florens interpretatur. Vitis utique nostra Jesus Nazarenus, idest salutaris, uncta, & florens, quò non attraheret omnes? Qui salutem, gloriam divitias, vel delicias concupiscunt, veniant omnes ad Vitem hanc. Dabit enim Jesus salutem, quia *salutaris est. Dabit Christus*, & regnum in quo gloria cum divitiis habetur, quia unctus est, quod propriè ad Reges pertinet. Dabi Nazarenus & delicias, quia *florens* est. Quid enim jucundius flore? Multi autem imò omnes, idest omnium virtutum flores in nostro Nazareno sunt, quarum delectabili odore totum mundum traxit post se. Nam qui veniunt ad ipsum propter humilitatem, *Violæ* ejus sequuntur odorem: qui veniunt propter castitatem, *Lilii* sequuntur odorem: qui veniunt propter charitatem, passionis *Rosæ* sequuntur odorem: qui veniunt propter abstinentiam, *Croci* sequuntur odorem. Ex his ergo virtutibus optimi Jesu Christi ubique prædicatores tanquam, ex quodam precioso unguento effuso extraxerunt odorem ejus: & adolescentulæ odore ejus mivifico delectatæ, cucurrerunt post unctum Jesum. Et adhuc nimirùm currunt clamantes in toto corde suo: *Trahe me post te, ut curramus in odore unguentorum tuorum*: scientes quòd neque volentis neque currentis, sed solius Dei miserentis est. Superat autem omnes odores omnium virtutum uncti Jesu odor Crucifixi, ubi perfectio præcipuè efflorebat, & de floribus Vulnerum suorum inæstimabilem odorem effudit. Est denique adhuc alia causa [t] quare tanto Crucifixus odore fragraverit. Modicus quidem vel nullus est odor corporis cujuslibet animalis viventis: sed cùm igni caro apposita fuerit, quàm suavis & quàm delectabilis inde procedat odoris fragrantia, nullus ignorat. Attendamus ergo quis & quantus ignis Corpori Vitis nostræ appositus fuerit. Fragrabat interiùs incendio Charitatis immensæ: exteriùs quoque fragrabat Passionis ardore, verissimum & gratissimum & saluberrimum holocaustum in Ara Crucis crucifixus Jesus. Quòd holocaustum simile isti? Nullum profectò: quia nullum sic totum incensum dicitur. Etsi istud dicebatur verè holocaustum quod totum ardebat, cùm tamen ibi arderet sola caro: quantò veriùs nostra Victima Iesus dicetur holocaustum, quod intùs & foris incomparabiliter ardebat. Ardebat & totus Laurentius, Vincentius, aliiquè quàm plurimi Martyres: sed nihil ad hunc. Quis enim ardori fornacis Crucis aliquod audeat supplicium comparare? De holocausto igitur nostro crucifixo Jesu incomparabiliter ardente inæstimabilis nimis

l *Ser. 15. in in Cant. num. 6.* m *Ser. 1. de Nat. Domini num. 8. tom. 6.* n *Ser. 15. in Cant. num. 6.* o *Ibidem numer. 7.* p *Tract. de vit. myst. cap. 44. num. 170.* q *Tract. exhort. ad milit. templi cap. 7.*

r *Ser. 2. de Adven. Dom. num. 4.* s *Tract. de vite myst. cap. 43. num. 160. & 161.* t *Ibidem num. 163.*

odor processit. Odoratusquè est Dominus Deus Pater odorem suavitatis, & benedixit nobis: avertit iram indignationis suæ longè à nobis, pace integrè reformata, & Sanguine rubicundi Iesu tam nostro, quàm ipsius participe pacis internæ obside existente. Odoraverunt & alii plures ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Meridie occurrentes, & ad hoc dulcissimi odoris Corpus floridum congregati sunt, ut de eo se satiarent: illo tamen integro permanente, implerunt ipsius dulcissimi Jesu verbum dicentis: *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*. Sed jam non cruda Caro ista comeditur, optimè percocta cùm sit duplici igne Charitatis & Passionis. Unde tam delectabili odore inebriati non solùm Viri naturâ fortiores, sed & Virgunculæ tenerrimæ currunt toto cordis affectu & omnibus viribus animi ad delicias Crucis, hausturi delicias cordis sui (quantùm in præsenti vita licet) unguentorum defluentium largiter ab holocausto nostro tam validis ignibus ardente. Non parùm enim [u] delicatum ardentis Corporis adjunxit odorem spiritualium unguentorum odor: idest, gratuitorum collatio, quæ post Passionem à Domino Jesu Apostolis sunt collata. Ante Passionem enim Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Humiliato autem & exaltato pio *Jesu*, defluxit unguentum Spiritus Sancti *à capite*, idest à Christo uncto, *in barbam*, idest, in eos qui viriliter egerunt & confortati sunt, ut sperarent à Domino. Et non solùm *in barbam Aaron*, idest, non solùm Christi Apostolis datum est unguentum hoc, quod liquefactum fuit igne Passionis Christi, ut daret odorem bonæ opinionis per omnem terram: sed *quod descendit in oram vestimenti*, idest, in infima membra Ecclesiæ; quæ est tanquam Christi vestimentum. Quod ita impletum est & adhuc impletur, ut etiam in nationes Spiritus Sancti gratia diffundatur, & sentiant Christi odorem spiritualis unguenti de summo Capite omnium defluente, quo mundæ fiant adolescentulæ: ut attrahant & diligant unctum nostrum Jesum, & currant in odore unguentorum illius. Nec mirum (x) si vehementer delectentur duplici odore Vitis nostræ: uno qui ex unguentis, altero qui ex floribus procedit. Odorantur enim & odoratum sequuntur *Jesum*, imitantes bestiam quandam, quæ odore cocti panis & recentis ita delectatur, ut ubicunque illum senserit, illum sequatur etiam usque ad interitum. Ecce ipso teste, *Panis vivus qui de cælo descendit*, decoctus duplici igne Charitatis & Passionis, odorem suum longè latequè despergit. Quis hunc non sequatur? Sequitur irrationalis bestia odorem panis cocti & consumendi: & non sequitur homo rationalis odorem panis cocti Angelorum? Imò stultior est homo quàm bestia, qui illius odoriferi panis odorem non intelligit & honorem. Sed prætetire non possumus, quòd transituri mare panem bis coctum necessarium habent. Quicunque ergo se in hoc mari magno hujus sæculi esse cognoverit, quod quia *spaciosum* est, citò transire non potest: & propter reptilia quorum non est numerus, *periculosum* est, quia & ventis & tempestatibus sævit. Si autem securus vult esse, habeat hunc panē coctum fortissimum Jesum in navi crucis suæ quem comedat, quem odoret quo, reficiatur quo, consoletur, quo (ut breviter dicam) ab omnibus periculis ervatur. Si enim ut ait Psalmus: *Illicò naves pertransibunt*: idest, homines in crucibus suis Jesum sequentes, quæ navis potiùs pertransibit, quàm navis Crucifixi Jesu? Secundùm verò Pauli sententiam dicentis, *quia Christo confixus sum cruci*, crucifigamur & nos cum Christo, crucem ejus, imò ipsum in cruce indeficienti cordis affectu amplexemur, in vivifico odore delectemur ardentis Jesu, qui dicit: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis*: *cujus spiritus est super mel dulcis*. Ejus inquam odore delectemur, unguentis charismatum ejus foveamur, pane cælesti, idest, Corpore suo purissimo confortemur: ut Corpus ejus edentes, Sanguinemquè pro salute nostra effusum in nostram salutem bibentes, gustare possimus, & videre liceat per speciem & in ænigmate, quia suavissimus est Dominus; ut etiam ipsius promissio perficiatur in nobis (quantùm in præsenti vita fas est) qui dicit: *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient*.

§. III.

Tertia dictio Tituli est, Rex. In hac (y) dictione, *Rex*, divitiæ exprimuntur. Reges enim divites esse solent super omnes quos regunt. Nec dulcius nec amicabilius [z] sed nec arctius omninò Regnum Sacerdotiumquè conjungi seu complantari invicem potuerunt, quàm in persona Domini ambo hæc pariter convenirent, utpote qui factus est nobis ex utraque Tribu secundùm carnem Summus & Sacerdos & Rex. Proinde [a] Magi Hierosolymam venerunt ab Oriente. Meritò sanè ab Oriente venerunt, qui Solis justitiæ novum nobis ortum annunciarent, qui lætis rumoribus totum mundum illuminarent. Nisi quod infelix Judæa, quia lucem oderat, ad fulgorem novæ claritatis obtenebratur, & caligantes oculi ejus coruscante radio Solis æterni multò magis excæcantur. Venientes ergo ab Oriente Magi, quid dixerint audiamus: *Ubi est qui natus est Rex Judæorum*? Quàm certa fides, & nihil penitùs hæsitans? Non quærunt utrum natus sit, sed fiducialiter loquuntur, & interrogant sine dubitatione: *Ubi est qui natus est Rex Judæorum*? Porrò audito nomine Regis, rex Herodes successorem suspicatus expavit. Nec mirum si turbatur Herodes: sed quòd Jerusalem civitas (quæ visio pacis est) cum Herode turbatur, quis non miretur? Cæterùm postea (b) cum ingenti quodam tripudio, & exultatione universæ terræ, Hierosolymam non propriis ut hactenus consueverat pedibus, sed jumento vectus intravit Iesus. Et hæc quidem præparatio ad Passionem fuit, excitata hinc maximè invidia Sacerdotum. Sanè venturas aliquando turbas ut raperent, & eum Regem facerent, fugiens legitur declinasse.

Nunc

u *Ibidem num.* 164. x *Ibidem num.* 245.

y *Ibidem cap.* 44. *num.* 170. z *Epist.* 242. *num.* 1. a *Serm.* 3. *in Epiph. Domin. num.* 3. b *Ser.* 3. *in Dom. Palm. num.* 1.

Nunc verò etiam non quæsitus adfuit, ut tanquam Rex Israël susciperetur & prædicaretur ab eis; quin etiam in hæc ipsa præconia eorum (quod dubium non est) animos excitavit. Sed quid fuit [c] quòd processionem habere voluit, qui mox futuram noverat passionem? Fortè ut amarior esset passio, quam processio præcessisset. Ab eodem enim populo, in eodem loco & ipso tempore, paucissimis diebus interpositis, primò cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus est. O quàm dissimile est, *Tolle, tolle, crucifige eum*: *Et*, *Benedictus qui venit in nomine Domini, Osana in excelsis*! Quàm dissimile, *Rex Israel*: Et, *Non habemus Regem nisi Cæsarem*! *Egredimini filiæ Sion* [d] *& videte Regem Salamonem*: nam ubique Rex est. Licet enim regnum ejus non sit de hoc Mundo, tamen Rex est etiam in hoc Mundo. Interrogatus siquidem, *Ergo Rex es tu? Ego*, inquit, *in hoc natus sum, & in hoc veni in Mundum*. Princeps ergo est Christus [e] & magnus Princeps, cujus ne ipsi quidem dæmones possunt effugere principatum. At illorum regnum in seipsis divisum desolabitur. Hujus verò regnum manet integrum atque perfectum: & regni ejus non erit finis. Porrò hic rector est morum, (f) in judicio discretor erit meritorum, in regno distributor præmiorum. Paveant ergo Judæi qui abnegaverũt(g)qui dixerunt: *Non habemus Regem nisi Cæsarem*. Paveant qui dixerunt: *Nolumus hunc regnare super nos*. Redit siquidem accepto regno, & malos malè perdet.

§. IV.

Quartà dictio Tituli est, Judæorum. In hac dictione, *Judæorum*, (h) gloria accipitur: quia uno modo Judæus glorians interpretatur. *O Juda & Jerusalem nolite timere* (i), *cras egredimini*, *& Dominus erit vobiscum*. Veros alloquimur Judæos, non literâ sed spiritu: semen Abrahæ, cujus multiplicatio sicut promissa legitur, sic videtur impleta. Neque enim filii carnis, sed filii promissionis deputantur in semine. Sed nec illi Jerusalem dicimus, quæ occidit Prophetas. Unde enim illam consolemur super quam Dominus flevit, quæ data est in subversionem? Illi dicimus, quæ de cælo nova descendit: *Nolite timere ô Juda & Jerusalem*. Nolite timere, Viri confessores, qui non solùm ore sed, toti pariter & omni parte Domino confitemini, induti Confessionem sicut vestimentum: imò quorum omnia interiora Domino confitentur, & omnia ossa dicunt: *Domine, quis similis tibi?* non sicut hi qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Vera confessio est, si omnia opera vestra, Fratres, opera ejus sint, & confiteantur ei. Confiteantur autem gemina quadam confessione, ut duplicibus vestiamini, idest, confessione peccatorum vestrorum, & confessione laudis Divinæ. Tunc enim veri Judæi eritis, si omnis vita vestra confiteatur vos esse peccatores, & dignos multò majoribus pœnis: Deum verò summè bonum, qui pro his levibus & transitoriis pœnis æterna condonat supplicia, quæ meruistis. Quisquis enim ardenter non desiderat pœnitentiam, videtur operibus dicere, non indigere se pœnitentiâ; & ita suam non confitetur culpam, aut non posse prodesse ei pœnitentiam: sic & Divinam non confitetur bonitatem. Vos autem estote veri Judæi, sed & Jerusalem vera, ut nihil jam timeatis. Est enim Jerusalem visio pacis. Visio, non possessio, cujus fines Dominus posuit pacem, non initium sanè, nec mediũ. Cùm autem [K] Bethleem *domum panis Juda*, sonat *Confessionem*. Sit proinde Judæa sanctificatio tua: confessionem & decorem induere, quam maximè stolam in mistris suis Christus acceptat. Denique breviter tibi utrumque commendat Apostolus: *Corde*, inquiens, *creditur ad justitiam*, *ore autem confessio fit ad salutem*. Justitia siquidem in corde, panis in domo. Est enim justitia panis. Et: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*, *quoniam ipsi saturabuntur*. Sit ergo in corde justitia, & justitia quæ ex fide est. Hæc enim sola habet gloriam apud Deum. Sit etiam in ore confessio ad salutem, & securus jam suscipe Jesum Christum Filium Dei. Habuit & Judæa quosdam Jesus (l) quorum vacuis gloriatur vocabulis. Illa enim nec lucent, nec pascunt, nec medentur. Idcirco Synagoga in tenebris est usque adhuc, fame & infirmitate laborans. Et non sanabitur nec satiabitur, quosque sciat meum Jesum dominari Jacob & finium terræ, & convertatur ad vesperam: interim famem patiatur, & circumeat Civitatem. At portitor voluntarius sigilli Regis nostri Crucifixi Jesu [m] fructum superscriptionis consequatur, ut sit saluus, scilicet ut voluptatem consequatur sempiternam torrente voluptatis Summi Regis potatus: æternas quoque divitias thsaurizet in optimo Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi: in ipso quoque glorietur sine termino, qui excelsus est super omnes gentes, & cujus gloria super cælos. Amen.

CAPUT V.

De ligno Crucis, cui affixus erat Christus Deus noster.

Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno. Psal. 95.

1. *Ostenditur, Christum in ligno Crucis acquisivisse ius regnandi, & subjugandi sibi mundum & diabolum, atque Cruci suam ornavisse quatuor virtutibus tanquam gemmis. Dæmon Christo de Cruce descensum suadebat, qui priùs suaserat crucifixionem. Christus in opere redemptionis nostræ non tantùm potentiâ, sed & prudentiâ usus est, ut diabolum debellaret. Docemur, Crucem factam esse ex quatuor generibus arborum, Cypressi, Cedri, Olivæ, & Palmæ. Quid autem significent ista quatuor ligna, demonstratur. Quæritur cur Sponsa Sponsum suum Jesum comparat arbori viliori, omissis melioribus.* 3. *Ostenditur, Jesum Crucifixum dulcoravisse Crucem amaram suis amatoribus, ut in eius recordatione possint illis dulcescere omnia amara. Quatuor cornua Crucis mysticè exponuntur, ut*

c *Ser. 2. in Dom. Palm. n. 4.* d *Ser. 2. in Epiph. Dom. num. 8.* e *Ser. 33. inter divers. num. 7.* f *Ser. 2. in Epiph. num. 2.* g *Ser. 1. in die Pasch. num. 9.* h *Tract. de vite myst. cap. 44. num. 170.* i *Ser. 2. in Vig. Nat. Dom. num. 1.* k *Ser. 1. in Vig. Nat. Dom. num. 6.* l *Ser. 25. in Cant. num. 8.* m *Tract. de vite myst. cap. 44. n. 170.*

ut quatuor tela dæmonis conterantur. Proponuntur nobis quatuor virtutes cardinales tanquam quatuor clavi, quibus effigamur Cruci Dominicæ.

§. I.

Hunc ergo Titulum multi Judæorum legerunt, quia prope Civitatem erat locus, ubi Crucifixus est Jesus. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli scribere, Rex Judæorum: sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Joan. 19.

NOli *scribere, Rex Judæorum:* O venenata lingua [a] verbum malitiæ, sermo nequam! O grossum [b] vipereumquè affectum, odire Hominem qui hominum & corpora sanat, & animas salvat. Siccine tibi Judæe [c] excidit quod audisti, *quia Dominus regnavit à ligno*, ut Regem abneges quia manet in ligno? Sed forsitan nec audisti, quia non Judæis, sed Nationibus hæc annunciatio debebatur: *Dicite* (inquit David) *in Nationibus, quia Dominus regnavit à ligno*. Meritò proinde (d) Titulum regni Præses gentilis inscripsit ligno, nec potuit Iudæus ut voluit, corrumpere Tituli inscriptionem, nedum impedire Dominicam Passionem, & nostram Redemptionem. *Descendat de Cruce* (inquiunt Judæi,) *si Rex Israel est*. Imò verò quia Rex Israel est, Titulum regni non deserat, virgam imperii non deponat, cujus nimirùm imperium super humerum ejus, sicut præcinit Esajas: Crucem (e) imperii nomine significans. Cruce etenim totum mundum simul & inferos subjugavit, qui regnavit à ligno fortis Jesus. Item inquiunt Judæi ad Pilatum: [f] *Noli scribere, Rex Judæorum: sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum?* Et Pilatus: *Quod scripsi, scripsi*. Si Pilatus quod scripsit, scripsit: Christus non perficiet quod incæpit? Ipse enim cæpit, & salvabit nos. Sed dicunt Judæi: *Alios salvos fecit, seipsum non potest saluum facere*. Imò verò si descenderit, neminem saluum faciet. Cùm saluus esse non possit, nisi qui perseveravit usque in finem, quantò minùs poterit esse Salvator? Alios ergo salvos fecit: nam salvatione, cùm sit salus ipse, non indiget. Operatur salutem nostram, nec caudam deesse patitur Sacrificio vespertino, Hostiæ salutari. Novit quid cogites inique serpens. Non dabit tibi occasionem surripiendæ nobis perseverantiæ, quæ sola coronatur. Non fecit obmutescere Prædicatorum linguas consolantium pusillanimes, & dicentium singulis: *Tu locum tuum ne deseras*: quod sine dubio sequeretur, si respondere possent, quia Christus suum deseruit. Proni enim sunt sensus hominis & cogitationes in malum. Sine causa maligne serpens parasti sagittas tuas in pharetra, & Discipulorum suspicia cumulas opprobris Judæorum. Illi quippè desperant, isti improperant. Sed Christo neutra tela nocebunt. Aliud tempus elegit confortandis Discipulis, & aliud adversariis confutandis. Interim *patientiam* magis exhibet [g] *humilitatem* commendat, *obedientiam* implet, perficit *charitatem*. His namque virtutum gemmis quatuor cornua Crucis ornantur: & *supereminentior* charitas, *à dextris* obedientia, patientia *à sinistris*, radix virtutum humilitas *in profundo*. His ditavit trophæum Crucis consũmatio Dominicæ passionis, cùm ad Judæorum blasphemias *humilis*, ad vulnera *patiens*, intùs linguis, clavis exteriùs pungeretur. Nam & *charitas* in eo perfecta est, quòd pro amicis Animam posuit: & *obedientia* consummata est, cùm inclinato capite tradidit spiritum, factus obediens usque ad mortem. His spoliare dotibus, hac privare gloriâ Christi satagebant Ecclesiam, qui dicebant: *Si Rex Israël est, descendat de Cruce*. Nimirùm ut non sit jam *obedientia* forma, non incentiuum *amoris*, non *patientia* vel *humilitatis* exemplum: sed deleri habeant ex Evangelio verba Jesu illa suavissima & dulciora super mel & fauum: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Et ad Patrem: *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam*. Itemquè ad Discipulos: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Et: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*. Hoc est enim quod dolet venenata serpentis astutia, videns exaltatum in deserto Serpentem æneum, cujus intuitu sanentur vulnera quæ inflixit. Alioquin quonam alio instigante misisse credimus uxorem Pilati ad ipsum dicentem: *Nihil tibi & justo illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum?* Timebat ergo jam tunc, sed nunc maximè virtute Crucis enarvari se sentiens inimicus diabolus. Serâ ducitur pænitentiâ: & quos instigavit ad crucifigendum Jesum, instigat ad suadendum ut de Cruce descendat. Siccine oblitus es serpens antique (h) quàm confusus abscesseris olim cùm dicere præsumpsisses: *Mitte te deorsùm?* Et: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me?* Qualis via hæc (i) de pinnaculo Templi mittere se deorsùm? Non est via hæc, sed ruina: & si via, tua est, non illius. Frustra in tentationem Capitis intorsisti, quod scriptum est ad corporis consolationem: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Huic enim necessè est custodiri, cui utique timendum est ne offendat ad lapidem pedem suum. Non est quod custodiatur Caput, cui non est quod timeatur. Quid verò taces & illud quod sequitur: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem?* Te enim hæc parabola tangit: monstrosa malignitas, monstrosis appellationibus conculcanda signatur. Nec modò ab ipso Capite conculcanda, sed etiam à corpore universo. Siquidem adversùs Domini post ternam confusionem hanc, non jam serpentina calliditate, sed crudelitate usus est leonina usque ad contumelias, ad flagella, ad alapas, ad mortem, & mortem crucis. Christus Dominus (k) in universali hominum miseria pressiùs & profundiùs se immersit, ne subtilis ille diaboli oculus magnum hoc pietatis deprehenderet sacramentum. Ideo habitu & omni habitu inventus est ut homo: nec in

eo

a *Ser. 1. in die Pasch. n. 1.* b *Ser. 60. in Cant. num. 4.* c *Ser. in die Pasch. num. 1.* d *Ibidem num. 2.* e *Tract. de vite myst. cap. 36.* f *Ser. 1. in die Pasch. num. 2.* g *Ibidem n. 3.*

h *Ibidem num. 1.* i *Ser. 14. super Psalm. 90. num. 8.* K *Ser. 4. in heb. san. num. 10.*

eo, quantùm ad naturæ debitum, signum aliquod singularitatis apparuit. Oportebat autem à principe mundi (l) aliquandiù celari Divini consilii Sacramentum, non quòd Deus si palàm opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret: sed quia ipse, qui non solùm potenter, sed etiam sapienter quæcunque voluit fecit sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit: ita in hoc quoque tam magnifico opere nostræ videlicet reparationis, non tantùm potentiam suam, sed & prudentiam ostendere voluit: quatenùs malitiæ fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi Virtus contereret, diabolo Deus & prudentior appareret, & fortior. Ita quippè decuit Incarnatam Sapientiam spiritualem vincere malitiam, quo non solùm attingeret à fine usque ad finem fortiter, sed & disponeret omnia suaviter.

§. II.

Videamus denique (m) magnitudinem caloris, imò fervoris in patiente pio Jesu. Ardebat incomparabiliter charitatis intrinsecùs & passionis extrinsecùs igne, ut fructum nostræ redemptionis produceret. De quo fructu Sponsus loquitur in Cantico amoris: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus*. Quid est *in palmam*? In Crucem ejus, cujus una pars de arbore palmæ dicitur facta fuisse. De quatuor enim (n) generibus arborum facta fuisse refertur: de Cypresso, de Cedro, de Oliva, de Palmis. *Cypressus* in profundo, *Cedrus* in longo, *Oliva* in alto, *Palma* in lato. Unde dicit Apostolus: *Ut possimus comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum*. *Profundum* quidem in Cruce vocatur illud lignum, quod infixum erat terræ. In quo autẽ stabat lignum erectũ, & cui dorsum Crucifixi Domini applicatum fuerat, est Crucis *longitudo*. Lignum verò ex transverso illi appositum, cui manus erant affixæ, *latitudo* Crucis nominatur. Illud porrò lignum (quod à Pilato fuit appositum) in quo Titulus triumphalis fuit scriptus, *altitudo* nuncupatur. Habent autem horum lignorum singula suas mysticas significationes, secundùm naturas suas. *Cypressus* enim timorem sive *humilitatem* significat, ubi est radix Crucis, per quam non solùm situs humilis, sed & natura ejus exprimitur: quia (ut dicitur) fugat odore serpentes, id est diabolos, quorum proprius character superbia ab humilitatis virtute fugatur. *Cedrus* arbor longitudine præstans aliis arboribus, longitudinem Crucis, id est *perseverantiam* significat sive patientiam. Naturali enim sua virtute approbatur, quia est valdè durabilis, & corrumpi ex natura non potest. *Oliva* verò arbor oleum effundens (per quam misericordiæ opera significantur) *charitatem* significat: quæ arbor benè latitudinem habet Crucis, quia lata est charitas, quæ etiam ad inimicos extendi præcipitur. *Palma* porrò arbor *victoriam* designans, altitudinem Crucis optimè significat, spem in Supernis habendam, non ad infima deprimendam. Hæc arbor habet in se Titulum triumphalem scriptum, in quo invenitur fructus Crucis. Prima enim dictio est *Jesus*, per quam intelligitur salvatio, quæ idem est quod redemptio. Ecce fructus Crucis. Propterea enim Christus crucifixus est, ut redimeret hominem. Quod autem ait, *Ascendam in palmam*, à parte Crucis totam Crucem significavit. Sed benè per palmam, in qua Titulus signum redemptionis, quæ fructus Crucis est, invenitur. Sed dicet (o) aliquis: Dicturus eras de fructu vitis, & dicis de fructu palmæ? Quæ concordia est vitis & palmæ? Ad quod ego respondeo: Palma Crucem, vitis verò significat Crucifixum. Dic igitur: Numquid diversus est fructus Crucis & Crucifixi? Non puto. Ergo & idem est fructus & palmæ & vitis. Ascendit Vitis in palmam, apprehendit fructus palmæ, non quos habuit palma ex se, sed ex Vite in palmam extenta. Quare ergo dicit ipsa Vitis: *Apprehendam fructus ejus*, & non potiùs dicit meos: cùm palma fructum habuerit à vite, non vitis à palma? Christus non habuit hunc fructum sine palma, imò & per palmam, idest, per Crucem: quia si Christus crucifixus non esset, non fuisset secuta redemptio. Apprehendit ergo Christus fructum Crucis, illum profectò quem ipse per Crucem fuerat operatus. Fructum igitur hunc redemptionis nostræ (p) toto desiderio complectamur, & sæpiùs imò sine intermissione ad memoriam revocantes, latentem in ipso dulcedinem linguâ intellectus nostri degustemus, & in vase memoriæ nostræ recondamus: Sanguinem utique rubicundi Jesu, qui factus est nobis redemptio, quia per ipsum salvati & liberati sumus. Hoc fructu, quo redempta est à tyrãnide dæmoniaca, jugiter reficienda est fidelis anima: ne in hoc tædioso deserto deficiat, in quo sine requie, sine intermissione laborat suspirans ad illam terram melle & lacte manentem, & cum Sponsa proclamans: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Non ignorat ipsa, quis & qualis fuerit fructus Vitis ligni vitæ Jesu Christi. Porrò ait: (q) *Sicut malus inter ligna Sylvarum, sic dilectus meus inter filios*. Reddit Sponsa præconii vicem commendanti se Sponso; *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. A quo laudari, est laudabilem fieri: & quem laudare, est intelligere & admirari laudabilem. Et sicut ex eminenti flore figurata à Sponso laus ejus est: ita è regione & ex excellenti ligno, ipsa Sponsa illius singularem gloriam eminentiamquè demonstrat. Movet tamen me de ligno hoc, quòd non tantæ esse excellentiæ videatur, quantæ aliqua cæterorum, & ideo minùs dignè assumi in opus similitudinis potest, utpote quòd non sufficiat laudis vicem implere. *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios*. Denique nec Sponsa magni æstimasse videtur, quæ hoc in lignis sylvarum tantùm afferre curavit, nimirùm sterilibus, nec fructus humano victui aptos ferentibus. Cur ergo omissis melioribus & nobilioribus lignis, hujus mediocritas arboris adducta in medium est ad formandum Sponsi præconium? Itane ad mensuram laudem recipere debuit, qui ad mensuram Spiritum non accepit? Hæc nempè data de illa arbore similitudo facit, ut videatur habere Superiorem qui parem non habet. Quid dicemus ad hæc? Fateor

l *Serm. 2. super missus nu. 13.* m *Tract. de vite myst. cap. 46. num. 178. & 179.* n *Ibid. num. 180.*

o *Ibidem num. 181.* p *Ibidem nu. 184.* q *Serm. 48. in Cantic. num. 3.*

teor parva laus, quoniam parvi laus. Non enim hoc loco prædicatur magnus Dominus & laudabilis nimis, sed parvus Dominus & amabilis nimis: parvulus utique qui natus est nobis. Ergo non Majestas attollitur hîc (r) sed commendatur humilitas: dignè què ac rationabiliter quod infirmum & stultum est Dei, hominum fortitudini & sapientiæ antefertur. Ipsi sunt namque ligna silvestria & infructuosa, quoniam secundùm Prophetam: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios*. Una inter ligna sylvarum Dominus Jesus est arbor, faciens fructum secundùm hominem: sanè etsi prælatus hominibus, sed ab Angelis minoratus. Miro enim modo & Angelis sese factus caro subjecit, & Angelos sibi manens Deus subiectos retinuit. Quia ergo Sponsæ id dulcius quòd se imminuit, sapit: ideo libentiùs attollit gratiam, præfert misericordiam, stupet dignationem. *Sicut malus* (s) *inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios*. Meritò *sicut malus*, qui instar fructiferæ arboris & umbram refrigerii habet, & fert fructum optimum. An non verè fructiferum lignum, cujus flores fructus honoris & honestatis sunt? Deniq; lignum vitæ est apprehendentibus eum. Non comparabuntur huic omnia ligna sylvarum: quia etsi sunt arbores pulchræ & magnæ, quæ opem ferre videantur orando, ministrando, docendo, exemplis juvando: solus tamen Dei Sapientia Christus lignum est vitæ, solus panis vivus qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Ideo (t) Sponsa ait: *Sub umbra ejus quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo*. Meritò ejus desideraverat umbram, de quo & refrigerium esset & refectionem pariter acceptura. Nam cætera quidem sylvarum ligna etsi umbram solatii habent, sed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos salutis. Unus est enim vitæ auctor, unus mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus, qui dicit Sponsæ suæ: *Salus tua ego sum*. Et: *Non Moyses* (inquit) *dedit vobis panem hunc de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum*. Propterea ergo Christi potissimùm desideraverat umbram, quòd solus sit, qui non solùm ab æstu refrigerat vitiorum, sed & replet delectatione virtutum. Proinde (u) ait sponsa: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo*: gustum contemplationis significans, quem obtinuerat per amorem suaviter sublevata,

§. III.

Christus Dominus [x] pro peccatis nostris crucifixus est, & Crucem amaram suis amatoribus dulcoravit. Illuminat quippe [y] domum cordis nostri, & fovet in eo ignem charitatis divinæ. Cera tenacis memoriæ per sigillum intelligitur, ita tamen si sit in eo lignum, idest exercitium spiritualis laboris, quod per lignum intelligitur, sumptum de ligno quod multis laboribus conferi solet, ut ad utilitatem aliquam perducatur. Si ergo [z] in memoria nostra passionis Christi laborem habemus, potest accendi & ardere charitas ejus in nobis, qui illuminat tenebras ignorantiæ nostræ: ut & nos parati simus pati pro illo & cum illo, qui prior pro nobis passus est. In tali cera memoriæ nostræ debet esse mel, idest, delectatio de recordatione Crucis, quæ est mel dulcissimum. Quid tam amarum, quod in recordatione vivificæ Passionis non possit dulcescere? Certè legimus Hebræos cùm exissent de Ægypto, venisse ad aquam amarissimam, quam nullus gustare poterat: cui cùm Moyses lignum iniecisset, dulcorata est, sic ut eam delectabiliter biberent. Quid apertiùs per aquam amaram, quàm cujuslibet adversitatis amaritudo designatur? cui cùm lignum Crucis iniicitur, idest, cùm Passio dulcis Jesu consideratur, necessè est omnem passionem hominis levem videri respectu Passionis Dominicæ, quam pro hominibus voluit sustinere Deus & Homo, mediator Dei & hominum Dominus Jesus. Certè & crux preciosa est [a] & crux amari potest, & crux habet delectationem. Ita est, fratres mei. Si fuerit qui colligat, semper lignum Crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat spiritualium charismatum. Non est silvestris arbor: lignum vitæ est apprehendentibus eam. Arbor fructifera, arbor salutifera est: alioquin quomodo Dominicam occuparet terram? Illam dico preciosissimam glebam, quæ clavorum est infixa radicibus. Si non esset hæc arbor preciosior cunctis, fructuosior universis, nunquam illo plantaretur in horto, nec illam permitteretur vineam occupare. Denique quid mirum si cruci suavitatem dedit, qui dedit & igni? Aut quomodo crux judicatur insipida, ubi dulce sapit & flamma? Quid enim sapiebat Laurentio ignis, cum irrideret carnifices, judices subsannaret? Quid nos ad ista dicemus, fratres, quòd non sapit etiam nobis ea quæ pro Christo est tribulatio, nec gustamus & nos manna absconditum? Ecce enim in Cruce salus nostra [b] tantùm ut ei viriliter inhæreamus. *Verbum Crucis* (ait Apostolus) *pereuntibus quidem stultitia, his autem qui salvi fiunt, idest nobis, virtus Dei est*. Ipsa est scutum quo circumdamur, ut ejus quatuor cornua quadrifaria hostium tela repellant. Sit ergò *inferius cornu* contra *timorem nocturnum*, idest adversùs pusillanimitatem, quæ de carnis afflictione procedit: ut id quod sub nobis est corpus castigare viriliter studeamus, ac subiicere servituti. Si quis verò nobis in faciem maledicit, si quis apertè mala suadere conatur, in die volat *sagitta*, & à sinistris est, *sinistro* nihilominus *cornu* Crucis excipienda. Quod si adulatur, si quasi consulentis animo venenum propinat fraternæ detractionis, & odium seminare conatur, si denique iniquum aliquid tanquam justum persuadere tentat, à dextris est mihi iste: sed Judas est, osculo me prodit, & *dextro cornu Crucis negotium perambulans* in tenebris necessè est propulsari. Sed ecce *dæmonium meridianum adest*, superbiæ scilicet spiritus, qui nimirùm in splendore majori virtutum acriùs insurgere solet. Hæc autem superbia quàm perniciosa sit, sæpiùs vobis intimare curamus: initium quippè omnis peccati & causa totius perditionis superbia est. Propterea quisquis es qui salutem tuam operari studes, adversùs hanc superbiam *super caput tuum cornu* Crucis habere memento, ut non eleveris in superbiam, non exaltetur

cor

r *Ibidem nu.4.* s *Ibidem num.5.* t *ibid. num.8.* u *Ibid. num. 8.* x *Serm. de Paß. Dom. num. 1.* y *Tract. de vite myst. cap.*

a *Serm. 1. de S. Andr. nu. 2.* b *Ser. 2. de S. And. nu.7.*

cor tuum, non ambules in magnis, neque in mirabilibus super te: sed tela ea, quæ de sublimi veniunt, supereminens capiti tuo cornu Crucis excipiat. Sanè hoc solum est, cui salutis pariter & regni Titulus inscribitur: quia solus qui se humiliat, salvari & exaltari meretur. Jam ut breviter repetam [c] quatuor hæc cornua sunt *continentia, patientia, prudentia, & humilitas*. Felix est anima illa, quæ in hac Cruce gloriatur & triumphat, tantùm ut perseveret in ea, & nullis valeat tentationibus deiici. Quisquis in hac Cruce est, oret cum Beato Andrea Dominum & Magistrum suum, ne patiatur eum de Cruce deponi. Quid enim malignus ille diabolus non audeat, quid non præsumat impius attentare? Quod Ægeę manibus de discipulo, hoc Judæorum linguis facere cogitaverat & de Magistro. In utroque tamen serâ pænitentiâ ductus, victus & confusus abscessit. Utinam abeat similiter & à nobis, eo vincente, qui & in se & in discipulo triumphavit. Faciat ipse, ut mereamur & nos in hac nostra qualicunque cruce pænitentiæ, quam pro ipsius nomine portamus, feliciter consumari, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Quatuor sunt in Deo (d) potentia, sapientia, charitas, & veritas vel æternitas: quod unum est. Nihil enim verè est, nisi quod incommutabile est: ad quæ duobus modis respondere nos convenit. *Potentia*, quæ potest nos punire, & *Sapientia* quam nihil potest latere, debemus *timorem* verum, idest, quem non impedit torpor securitatis, vel refugium simulationis. Simulatio est, vel quando fingimus laborem in præcepto, vel quando irrationabilem misericordiam simulamus in Deo. *Charitati & Veritati* debemus *amorem* verum, idest, quem non impedit tepor affectionis, vel scrupulus suspicionis. Charitati enim quid debetur nisi charitas? Veritas verò charitatis, & charitas veritatis omnem removet scrupulum suspicionis. Suspicionem autem dico, ne non amet charitas, ne decipiat veritas, ne defluat æternitas. Unde Paulus ait: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. In sublimitate* nota potentiam, *in profundo* sapientiam, *in latitudine* charitatem, *in longitudine* æternitatem sive veritatem. Et hæc est Crux Christi. Gratias tuæ Cruci Jesu referimus: (e) ipsa enim omnes cruciatus nostros evacuat. Et ideo Domine Redemptor meus (f) te vt verum Deum adoro, in te confido, te spero, & quibus possum desideriis ad te suspiro, adjuva imperfectum meum. Audi vocem meam, & inclina super servum tuum suavem Crucem illam, quæ lignum vitæ est iis qui apprehendunt eam: ut spero, curram alacriter, portabo infatigabiliter eam quæ ab inimicis est Crucem post te. Illam, inquam, divinissimam Crucem humeris meis impone, cujus *latitudo* est *charitas*, cujus *longitudo* est *æternitas*, cujus *sublimitas* est *omnipotentia*, cujus *profundum* est inscrutabilis *sapientia*. Confige illi manus meas & pedes meos, & totum Passioni tuæ conforma servum tuum Domine. Da, obsecro, mihi continere ab operibus carnis quæ odisti, & facere justitiam quam dilexisti, & in utroque tuam quærere gloriam: & *sinistram* quidem manum meam clavo *temperantia*, *dexteram* verò clavo *justitiæ* in illa sublimi Cruce fixas arbitror. Da menti meæ jugiter meditari in lege tua, & omnem cogitatum meum jactare in te: & *dextrum* pedem meum eidem ligno vitæ clavo *prudentiæ* affige. Da, ut sinistram spiritus mei sensualitatem non enervet labentis vitę infelix felicitas, non conturbet præsentis vitæ infelicitas felix, & *sinister* quoque pes meus *fortitudinis* clavo in Cruce tenebitur. Porrò dicendum & hoc (g) quia frustra hujus sæculi sapientes de quatuor virtutibus tam multa disputaverunt quas tamen apprehendere omninò nequiverunt, cùm illum nescierint qui factus est nobis à Deo *sapientia*, docens prudentiam: & *justitia*, delicta donans: & *sanctificatio*, in exemplum temperantiæ continenter vivens: & *redemptio*, in exemplum patientiæ fortiter moriens. Itaque quid vobis cum virtutibus (h) qui Dei Virtutem Christum ignoratis? Ubinam quęso vera *prudentia*, nisi in Christi doctrina? Unde vera *justitia*, nisi de Christi misericordia? Ubi vera *temperantia*, nisi in Christi vita? Ubi vera *fortitudo*, nisi in Christi passione? Soli ergo qui ejus doctrinâ imbuti sunt, prudentes dicendi sunt: Soli justi, qui de ejus misericordia veniam peccatorum consecuti sunt: Soli temperantes, qui ejus vitam imitari student: Soli fortes, qui ejus patientiæ documenta fortiter in adversis tenent. In cassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat quàm à Domino virtutum: cujus doctrina est seminarium prudentiæ: cujus misericordia est opus justitiæ: cujus vita est speculum temperantiæ: cujus mors est insigne fortitudinis. Ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VI.

De mysterio Passionis Dominicæ, in quo tria specialiter sunt consideranda: opus, modus, & causa redemptionis nostræ.

1. In opere redemptionis nostræ commendatur singularis patientia Christi. Excitamur ad excercendam patientiam pro amore Christi. Condimentum patientiæ conficitur ex tribus herbis: scilicet ex justitia, hilaritate, & humilitate. 2. In modo redemptionis nostræ commendatur admirabilis humilitas Christi: qui licet voluntariè minimum sese & perfectè humilem exhibebat, tamen se Summum esse non ignorabat. 3. In causa redemptionis nostræ commendatur inæstimabilis Charitas Christi: qui cùm dilexit nos triplici modo, pariter exigit à nobis triplicem dilectionem. Ostenditur, triplicem nobis provenire fructum ex consideratione triplicis virtutis, patientiæ, humilitatis, & charitatis Christi.

§. I.

Magna opera Domini, ait Propheta David in Psalmo 110.

MAgna quidem omnia opera ejus, Fratres, (a) siquidem magnus & ipse: sed ad nos maximè spectant, quæ in eis maxima esse videntur. Hinc est

c *Ibidem num. 8.* d *lib. 2. de amore Dei cap. 11. nu. 32.* e *Lib. 3. de amore Dei cap. 26. num. 86.* f *Serm. de Pass. Dom. num. 19. & 22.*

g *Serm. 22. in Cant. num. 12.* h *Ibid. nu. 13.* a *Ser. 2. in Nat. Dom. num. 1.*

quod psallit idem Propheta, dicens: *Magnificavit Dominus facere nobiscum*. Denique quàm magnificè nobiscum agat, specialiter tria quædam ejus opera clamant. In passione Jesu Christi (b) tria specialiter convenit intueri, *opus, modum, causam.* Nam in opere quidem *patientia*, in modo *humilitas*, in causa *charitas* commendatur. *Primò quidem in opere patientia Christi commendatur*. Patientia autem singularis, quòd videlicet cùm supra dorsum ejus fabricarent peccatores, cùm sic extēderetur in ligno ut dinumerarentur omnia ossa ejus, cùm fortissimum illud propugnaculum (quod custodit Israel) undiq; foraretur, cùm foderentur manus & pedes ejus, sicut agnus ad occisionem ductus sit, & tanquam ovis coram tondente non aperuit os suum: non adversùs Patrem murmurans, à quo missus fuerat; non adversùs humanum genus, pro quo quæ non rapuit exolvebat; non denique vel contra populum ipsum peculiarem sibi, à quo pro tantis beneficiis tanta mala recipiebat. Plectuntur aliqui pro peccatis suis, & humiliter sustinent: hoc ipsum tamen eis ad patientiam reputatur. Flagellantur alii non tam purgandi quàm probandi coronandiquè, & major in eis patientia comprobatur & commendatur. Quomodò non maxima censeatur in Christo, qui in funiculo hereditatis suæ, ab his quibus specialiter advenerat Salvator, crudelissima morte mulctabatur sicut fur, nullum omninò peccatum, nec actu proprio, nec contractu, sed nec in quo crescere posset, habens? Nimirùm in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, non umbraticè, sed corporaliter: in quo Deus est mundum reconcilians sibi, non figurativè, sed substantialiter: qui denique plenus est gratiæ & veritatis, non cooperativè, sed personaliter, ut faciat opus suum. *Alienum est opus ejus ab eo*, Esajas loquitur: quia & opus suum fuit, quod dedit ei Pater ut faceret: & alienum ab eo, ut talis talia sustineret. Hæc nimirùm hostia sicut sola prodesse potuit (c) sic sola suffecit; nec Christum decuit simul & Petrum aut Jacobum vel Joannem pro salute hominum pati. Crucifixi tamen fuêre cum eo alii duo nequam: de quibus nulla prorsùs suspicio posset haberi, tanquam ex eis minùs efficax Sacrificium suppleretur. Ita ergo (d) habes in opere patientiam. Dominus utiq; (e) in passione patientiam exhibere curavit. In illa enim tanquam ovis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente obmutuit, & non aperuit os suum. Qui cùm percuteretur, non comminabatur, sed magis orabat dicens: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Sustinuit quoque [f] in assumpta carne incomoda nostra sine peccato carnis, portans in carne peccata nostra. Et hoc totum nō propter se, sed propter nos sustinuit: ut redderet nos incolumes de infirmis, cohæredes de extraneis, liberos de servis. Proinde imitemur eum (g) qui tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente obmutuit, & non aperuit os suum: qui pro inimicis mori non dubitavit, & oravit pro crucifixoribus suis: qui peccatum non fecit, & imposita sibi ab aliis patienter audivit: qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tanta sustinuit. Ipse Animam suam posuit: (h) quia ipse voluit, oblatus est: omnis enim ei infirmitas de voluntate fuit, non de necessitate. Unde & quod infirmum Dei erat, fortius erat hominibus: quòd esset tunc quoque etiam inter parvulos magnus, inter infirmos validus, inter mortuos liber. Videtur quidem & in nostris aliquando tribulationibus esse nonnulla libertas, cùm videlicet pro peccatis proximorum libera & liberali charitate laborem pænitentiæ sustinemus, lugentes pro eis, jejunantes pro eis, vapulantes pro eis, & quæ non rapuimus exolventes. Unde & Paulus, *Cùm liber essem*, inquit, *ex omnibus, omnium me servum feci*. Cæterùm nihil hoc ad libertatem illius qui nihil proprii delicti habuit, qui nihil morti debuit, nihil meruit tribulationis. In nostra quoque vita, (i) multa, quantùm in nobis est, videmur agere casu, multa necessitate: sed Christus Dei Virtus & Dei Sapientia neutri potuit subiacere. Quæ enim Dei Virtutem necessitas cogeret? aut quid ageret Dei Sapientia casu? Omnia proinde quæcunque locutus est, quæcunque operatus est, quæcunque passus est, ne dubites fuisse voluntaria, plena Sacramentorum, plena Salutis. Et nota (k) quòd licet mons iste patientiæ est arduus, spinosus, aridus. *Arduus* propter difficultatem imitandi passionem Domini: *spinosus* propter aculeos tentationum, quæ multiplices sunt, damna scilicet rerum, contumeliæ verborum, cruciatus corporum, in quibus Sancti Martyres examinantur: *aridus* propter retributionem præmiorum, quæ non in hoc sæculo speratur, sed in futuro. Verumtamen exerce patientiam (l) quam debes Deo, quia ab eo salvandus es. *Omnes enim qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*, ait scriptura. Et: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Cœlorum*. Vide ergo ne per impatientiam pereas, sed universa pro eo sustine, qui prior majora pro te sustinuit, & apud quem infructuosa patientia non erit, sicut ait Propheta: *Patientia pauperum non peribit in finem*. Quod si multiplex fuerit tribulatio (m) tunc quoque multipliciùs exultandum, non intuentibus quæ videntur incommoda, sed præmia, quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. *Beati* (inquit Dominus) *eritis cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & ejecerint, & dixerint omne malum adversùm vos mentientes propter me. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis*, copiosior longè quàm sit labor in terris. Bonus cibus *Obedientia* (n) de qua nimirùm & ipse Dominus ait: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei*. Et Propheta, *Labores* (ait) *manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit*. Bonus cibus *Patientia* pauperum, quæ non peribit in finem, panis lachrymarum, panis doloris. Verumtamen utrique necessarium est condimentum, sine quo uterque cibus insipidus nonmodò reficiat, sed gustatus afferat mortem. Durissimus equidem cibus uterque, fratres, & nisi aliquod tertium saporabile apponatur, utique mors est in olla. Quid verò tam saporabile quàm *Sapientia*? Nempè *lignum vitæ* est, quod & ipsas aquas

Ma-

b *Ser. in fer. 4. heb. San. n. 2.* c *Serm. 3. in Dom. Palm. n. 3.* d *Ser. in fer. 4. heb. San. n. 3.* e *Ser. 2. in Dom. Palm. n. 3.* f *Ser. 2. in Cœna Domini num. 2.* g *Serm. 4. de Adven. Dom. nu. 7.*

h *Ser. 34. diver. num. 2. & 3.* i *Ser. 4. de Ascens. Domini num. 2.* k *Ser. 61. diver. num. 2.* l *Ser. 2. de Resur. Dom. nu. 10.* m *Ser. 1. de omn. Sanct. num. 15.* n *Ser. 2. inter diver. num. 4. & 5.*

Marath per Moysen dulcoravit. *Farinula* est, quæ pulmentum Prophetarum per Elisæum saporavit. *Ignis* est, qui semper ardere præcipitur in Altari. *Oleum* est, ob cujus inopiam virginibus fatuis ostium clauditur nuptiarum. *Sal* est, quod nulli sacrificio deesse jubetur. Puto tamen ego hanc ipsam Sapientiam (quam obedientiæ & patientiæ tertiam addi volumus) triplicem nihilominùs inveniri, ut nostrum hoc condimentum velut tribus quibusdã herbis conficiatur. Opus est nimirũ ut *justitia* sit in intentione, *hilaritas* in operatione, *humilitas* in reputatione. Insipida namque Deo & insulsa quodammodò nostra obedientia seu etiam *patientia* est, nisi omnium quæ vel agimus vel patimur, ipse sit causa; quia & quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei: & non si quid patimur, sed si quid propter justitiam patimur, beati. Oportet autem pusillanimitatem quoque & tristitiam in omnibus quæ agenda sunt vel toleranda, caveri: quia hilarem datorem diligit Deus. Porrò elationẽ super omnia fugere necessè est. Quisquis enim altum sapit, & opus ejus & patientia vanum sapit: nec gravior ullus sapor, aut magis contrarius est Veritati.

§. II.

Secundò in modo humilitas Christi commendatur. Nam *modum* ipsum si diligenter attendas [o] nonmodò mitem Jesum, sed & humilem corde cognosces. Nempè in *humilitate* judicium ejus sublatum est, cùm nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima quæ sibi obiiciebantur, etiam responderet. *Vidimus* (inquit Esajas) *eum, & non erat ei aspectus*: nec speciosum formâ præ filiis hominum, sed opprobrium hominum, *& tanquam leprosum, novissimum virorum*, planè *virum dolorum, à Deo percussum & humiliatum*: *ita ut nulla esset ei species neque decor*. O novissimum, ô Altissimum! O humilem & sublimem! opprobrium hominum & gloriam Angelorum! Nemo illo sublimior, nemo humilior. Denique sputis illitus est, opprobriis saturatus est, morte turpissima condemnatus est, cum sceleratis deputatus est. Nihilne merebitur vel ista humilitas, quæ hunc habet modum, imò quæ tam est ultra modum? Sicut est patientia singularis, sic & humilitas admirabilis: utraque sine exemplo. Porrò (p) si quæris de humilitate? Dominus omnium servuli formâ indutus est: de paupercula Virgine natus est. Denique cùm liber esset à lege, factus est sub lege, sine querela conversatus est in lege: cum publicanis & peccatoribus cibum sumpsit: Discipulorum quos elegerat, pedes lavit. Hoc ab ortu suo usque ad finem vitæ satagens, ut sicut in Matre specialis & sine exemplo fuit Virginitas, sic in Filio singularis & unica esset humilitas. Hinc est [q] quòd auctor & dator virtutum Christus (in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi, in quo omnis quoque plenitudo Divinitatis habitat corporaliter) de humilitate tanquam summa suæ doctrinæ suarumquè virtutum gloriatus est: *Discite* (ait) *à me*, non quòd sobrius, aut castus, aut prudens, aut aliquid ejusmodi: *sed quia mitis sum & humilis corde, Semetipsum exinanivit* [r] *formam servi accipiens*, & formam humilitatis tradens. Ipse se exinanivit, ipse se humiliavit, non necessitate judicii, sed nostri charitate. Poterat nimirùm vilem se & contemptibilem demonstrare, sed planè non reputare, quoniam sciebat seipsum. Voluntate proinde humilis fuit, & non judicio, qui talem se obtulit qualem esse nescivit: magis autem placuit minimum reputari, qui se summum non ignorabat. Denique ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Corde dixit, cordis affectu, idest voluntate. Itaque necessitatem exclusit, qui voluntatem confessus est. Non enim quomodo ego vel tu invenimus nos in veritate dignos dedecore & contemptu, dignos omni extremitate & inferioritate, dignos etiam suppliciis, dignos plagis. Non inquam ita & ille: quæ tamen omnia expertus est, quia voluit tanquam humilis corde. Humilis videlicet illa humilitate, quam cordis suasit affectio, non quam extorsit discussio veritatis. Sed quid dicam de illo [s] qui dicitur *rex super omnes filios superbiæ? Et ipse* (inquit Dominus) *in veritate non stetit*. Et alibi: *Videbam Satanam de cælo cadentem*. Quare hoc, nisi propter superbiam? Væ mihi, si & me viderit qui alta à longè cognoscit superbientem, & illam in me terribilem intonet vocem: Tu quidem filius Excelsi eras, sed sicut homo morieris, & sicut unus de principibus cades. Quis non ab hujus tonitrui voce formidet? O quàm salubriùs ad tactum Angeli nervus fæmoris Jacob emarcuit, quàm Angeli superbientis intumuit, evanuit, ruit! Utinam & meum neruum Angelus tangat, ut marcescat, si fortè ex hac infirmitate incipiam proficere, qui ex mea firmitate non possum nisi deficere. Lego profectò: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Sic quoque Apostolus de suo nervo cõquestus (quem Angelus non Domini, sed Satanæ colaphizabat) responsum audivit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*. Quæ virtus? Ipse Apostolus respondeat: *Libenter gloriabar in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*. Sed nondum forsitan intelligis de qua specialiter dixerit virtute, quia Christus omnes virtutes habuit. Sed cùm omnes habuerit, præ omnibus tamen unam, idest, humilitatem nobis in se commendavit, cùm ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Libenter igitur [t] & ego Domine Jesu gloriabor (si potero) in mea infirmitate, in mei nervi contractione, ut tua virtus, idest *humiliatas* perficiatur. Nam sufficit mihi gratia tua, cùm defecerit virtus mea. Pedem profectò gratiæ fortiter figens, & meum qui infirmus est pedem leniter trahens, securus ascendam per scalam humilitatis, donec Veritati adhærens ad latitudinem transeam charitatis. Tunc psallam cum gratiarum actione & dicam: *Statuisti in loco spacioso pedes meos*. Vidit scalam Jacob [u] & in scala Angelos, ubi nullus residens apparvit, sed vel ascendere vel descendere videbantur universi: quatenùs palàm daretur intelligi inter profectum & defectum in hoc statu mortalis vitę nihil medium inveniri: sed quomodò ipsum corpus nostrum continuè aut crescere constat aut decrescere, sic necessè sit & spiritum aut proficere semper aut

 defi-

o *Ser. in fer. 4. hebd. San. num. 3.* p *Ser. 2. in Cœna Domini num. 2.* q *Tract. de mor. & Off. Episc. cap. 5. num. 18.*

r *Ser. 42. in Cant. num. 7.* s *Tract. de grad. humil. cap. 9. num. 25.* t *Ibidem num. 26.* u *Epist. 253. num. 5.*

deficere. Intereſt tamen, quòd nequaquam juxta ordinem corporalium viciſſitudinum etiam ſpiritus ſua vel incrementa capit, vel patitur detrimenta. Nam ſemper in rubuſto & vegeto corpore animus mollior atque tepidior jacet: & rurſùm in corpore debili & infirmo fortior viget promptiorquè ſpiritus. Quod ſe utique in ſe expertum conteſtans Apoſtolus: *Quando infirmor*, inquit, *tunc fortior ſum.* Sed & libenter gloriatur in infirmitatibus ſuis: *ut inhabitet in me*, ait, *virtus Chriſti*. Optanda eſt infirmitas (x) quæ Chriſti virtute compenſatur. Quis dabit mihi non ſolùm infirmari, ſed & deſtitui ac deficere penitùs à memetipſo, ut Domini Virtutum virtute ſtabiliar. *Nam virtus in infirmitate perficitur*, dicit Apoſtolus. Denique ait: *Quando infirmor, tunc fortior ſum & potens*. Vides (y) quia carnis infirmitas robur ſpiritui augeat, & ſubminiſtret vires? Ita è contrario noveris carnis fortitudinem debilitatem ſpiritûs operari. Et quid mirum ſi hoſte debilitato tu fortior efficeris? Niſi fortè illam tibi inſaniſſimè ducas amicam, quæ non ceſſat concupiſcere adversùs ſpiritum. Vide quoque, ſi non prudenter ſagittari & impugnari ſalubriter poſtulat ſanctus David, cùm dicit in oratione: *Confige timore tuo carnes meas.* Optima timor iſte ſagitta, qui configit & interficit carnis deſideria ut ſpiritus ſaluus ſit. Vis adhuc videre humilem rectè gloriantem (z) & verè dignum gloriâ Apoſtolicâ? *Libenter* (inquit Apoſtolus) *gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti*. Non dicit patienter ſe ferre infirmitates ſuas, ſed & gloriari, & libenter gloriari in illis, probans etiam ſibi bonum eſſe quòd humiliatur: nec ſufficere omninò ut poſſideat animam ſuam tanquam patienter humiliatus, niſi & gratiā accipiat tanquam ſpontè humiliatus. Generalem verò hinc audi regulā: *Omnis qui ſe humiliat*, ait Dominus, *exaltabitur*. Significans profectò non omnē exaltandam eſſe humilitatem, ſed eam tantùm quæ de voluntate venit, non ex triſtitia, nec ex neceſſitate. Nec enim per contrarium omnis qui exaltatur, humiliandus erit, ſed tantùm qui ſe exaltat humiliabitur, nimirùm ob voluntariam vanitatem. Ita ergo non qui humiliatur, ſed qui ſpontè ſe humiliat, exaltabitur, utique ob meritum voluntatis.

§. III.

Tertiò in cauſa charitas Chriſti commendatur. Patientiam & humilitatem Chriſti (a) magnificè cauſa ipſa commendat: nimirùm *charitas* eſt. Propter nimiam quidem charitatem ſuam quâ dilexit nos Deus, ut ſeruum redimeret, nec Pater Filio, nec ſibi Filius ipſe pepercit. Verè nimiam, quia & menſuram excedit, & modum ſuperat, planè ſupereminens univerſis. *Maiorem* (inquit) *charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*. Tu majorem habuiſti Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cùm enim ad huc inimici eſſemus, per mortem tuam & tibi reconciliati ſumus & Patri. Quænam alia videbitur eſſe, vel fuiſſe, vel fore huic ſimilis charitati? Vix pro juſto quis moritur: tu pro impiis paſſus es, moriens propter delicta noſtra, qui veniſti juſtificare gratis peccatores, ſervos facere fratres, captivos cohæredes, exules reges. Verè Domine nimis exceſſiſti: (b) quia cùm ſis ſplendor paternæ gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus, pati dignatus es tormentum abjectiſſimæ paſſionis. Verè fuit exceſſus, cùm dediſti vellentibus genas tuas: cùm faciem tuam non avertiſti ab increpantibus & conſpuentibus te: quando cum iniquis es deputatus. Nec ſanè aliud aliquid (c) patientiam hanc & humilitatem æquè illuſtrat, quàm quòd tradidit in mortem Animam ſuam, & peccata multorum tulit, etiam pro tranſgreſſoribus rogans, ut non perirent. O quàm indebita miſeratio (d) quàm gratuita & ſic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm ſtupenda dulcedo, quàm invicta manſuetudo, Regem gloriæ pro diſpicatiſſimo vermiculo crucifigi! Quis audivit unquam tale? aut quis vidit huic ſimile? Vix enim pro juſto quis moritur: ipſe pro injuſtis & inimicis mortuus eſt, eligens exulare à Cælis, ut nos reportaret ad Cælos. Valdè omninò mihi amandus es Domine (e) per quem ſum, viuo, & ſapio. Sed eſt quod me plùs movet, plùs urget, plùs accendit. Super omnia inquam reddit amabilem te mihi, Jeſu bone. Calix quem bibiſti, Opus noſtræ redemptionis. Hoc omninò amorem noſtrum facilè vendicat totum ſibi. Hoc inquam eſt, quod noſtram devotionem & blandiùs allicit, & juſtiùs exigit, & arctiùs ſtringit, & afficit vehementiùs. Multùm quippè laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis Auctor aſſumpſit. Illa denique dixit & facta ſunt, mandavit & creata ſunt. At verò hîc (*videlicet in opere redemptionis noſtræ*) & in dictis ſuis ſuſtinuit contradictores, & in factis obſervatores, & in tormentis illuſores, & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit. Addo quòd hanc ipſam dilectionem non reddidit, ſed addidit. Nam quis prior dedit & retribuetur ei? Sed ut Sanctus Joannes Evangeliſta ait: *Non quia nos dilexerimus Deum, ſed quia ipſe prior dilexit nos.* Denique dilexit etiam non exiſtentes. Sed adiecit & reſiſtentes diligere, juxta Pauli teſtimonium dicentis: *Quoniam cùm adhuc inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus*. Alioquin ſi non dilexiſſet inimicos, nondùm poſſediſſet amicos: ſicut necdum quos ſic diligeret, eſſent, ſi non dilexiſſet qui nondum eſſent. Dilexit autem *dulciter* (f) *ſapienter, fortiter*. *Dulce* nempè dixerim, quòd carnem induit: *Cautum*, quòd culpam cavit: *Forte*, quòd mortem ſuſtinuit. Nam quos ſanè in Carne viſitavit, carnaliter tamen nequaquam amavit, ſed in prudentia ſpiritûs. *Spiritus quippè ante faciem noſtram Chriſtus Dominus*, æmulans nos Dei æmulatione non hominis; & certè ſaniori æmulatione, quàm primus Adam Evam ſuam. Itaque quos in carne quæſivit, dilexit in ſpiritu, redemit in virtute. Plenum prorsùs omni ſuavitatis dulcedine eſt, videre Hominem hominis Conditorem. At dum naturam prudenter ſelegit à culpa, etiam potenter mortem propulit à natura. In Carnis aſſumptione condeſcendit mihi, in culpæ vitatione conſulvit ſibi, in mortis ſuſceptione ſatisfecit Patri: ami-

x *Ser. 25. in Cant. num. 7.* y *Ser. 29. in Cant. num. 7.* z *Ser. 34. in Cant. num. 4.* a *Ser. in fer. 4. bab. San. num. 4.*

b *Ser. in fer. 2. Paſch. num. 8. tom. 6. pag. 720.* c *Ser. in fer. 4. hebd. San. num. 4.* d *Ser. 22. inter diver. num. 5.* e *Ser. 20. in Cant. num. 1. & 2.* f *Ibidem num. 3.*

amicus dulcis, consiliarius prudens, adjutor fortis. Huic securus me credo, qui salvare me velit, noverit, possit. Quem quæsivit, hunc & vocavit per gratiam suam: numquid venientem ejiciet foras? Sed nec vim nec fraudem metuo profectò ullam, quòd me videlicet de manu ejus possit eruere, qui & vincentem omnia vicit mortem, & seductorem Universitatis serpentem arte utique sanctiore delusit: isto prudentior, illâ potentior. Carnis quidem assumit veritatem, sed peccati similitudinem: dulcem prorsùs in illa exhibens consolationem infirmo, & in hac prudenter abscondens laqueum deceptionis diabolo. Porrò ut Patri nos reconciliet, mortem fortiter subit & subigit, fundens precium nostræ redemptionis Sanguinem suum. Ergo nisi amâsset dulciter, non me in carcere requisivisset illa Majestas. Sed junxit affectioni Sapientiam, quâ tyrannum deciperet: junxit & patientiam, quâ placaret offensum Deum Patrem. Hi sunt quidem modi quos vobis proposui, sed præmisi eos in Christo, ut commendabiliores haberetis. O homo (g) quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit, sola dilectio ei sufficit. Disce, ô Christiane, à Christo (h) quemadmodùm diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. *Dulciter*, ne illecti: *prudenter*, ne decepti: *fortiter*, ne oppressi ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloriâ seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his *Sapientia* Christus. Ne seducaris spiritu mendacii & erroris, lucescat tibi *Veritas* Christus. Ne adversitatibus fatigeris, confortet te *Virtus* Dei Christus. Zelum tuum inflammet *charitas*, informet *scientia*, firmet *constantia*. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus: nec teporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit. Et vide ne fortè tria ista tibi & in lege tradita fuerint, dicente Deo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua*. Mihi videtur (si alius competentior sensus in hac trina distinctione non occurrit) amor quidem *cordis* ad zelum quendam pertinere affectionis, *animæ* verò amor ad industriam seu judicium rationis, *virtutis* autem dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu: dilige totâ rationis vigilantiâ & circumspectione: dilige & tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimescas, sicut scriptum est in consequentibus: *Quoniam fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*. Sit suavis (i) & dulcis affectui tuo Dominus Jesus, contra malè utique dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodùm clavum clavus expellit. Sed sit nihilominùs intellectui tuo prævia lux, & dux rationi, non solùm ob cavendas hæreticæ fraudis decipulas, & fidei puritatem ab eorum versutiis custodiendam: verùm ut cautus quoque sis nimiam & indiscretam vehementiam in tua conversatione vitare. Sit etiam fortis & constans amor tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus. Ergo amemus affectuosè, circumspectè, & validè: scientes amorem *cordis* quem affectuosum dicimus, absque eo qui dicitur *animæ*, dulcem quidem esse, sed seductibilem: istum verò absque illo qui *virtutis* est, rationabilem esse, sed fragilem. Digna ergo est Christi charitas tam inæstimabilis (k) humilitas tam admirabilis, patientia tam insuperabilis. Digna planè est tam sancta, tam immaculata hostia, tam acceptabilis. Dignus est Agnus qui occisus est, accipere fortitudinem, facere ad quod venit, tollere peccata mundi. Ego autem dico, peccatum triplex quod invalvit super terram. Putatis quòd dicere velim concupiscentiam carnis, & concupiscentiam occulorum, & superbiam vitæ? Funiculus triplex est qui difficilè rumpitur, propterea multi trahuntur hoc funiculo vanitatis: sed prior ille ternarius (videlicet patientia Christi, humilitas, & charitas) non immeritò prævalet in electis. Quomodò enim non illius *patientiæ* recordatio omnem arceat voluptatem? Quomodò non illius *humilitatis* consideratio superbiam vitæ prorsùs extundat? Cùm *charitas* illa planè digna ejùs meditatione sic mentem occupet, sic totam sibi vendicet animam, ut omninò vitium curiositatis exsufflet. Amen.

CAPUT VII.

De immenso dolore Christi, quem sustinuit in Crucis patibulo pendens.

O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.
Jerem. Thren. 1.

1. *Excitamur verbis Domini ad considerandum ejus dolorem immensum, quem sustinuit affixus Cruci. Adducuntur causæ, propter quas voluit pati tantum dolorem.* 2. *Excitamur ad respiciendum faciem Christi, nec non ad considerandum mysterium elevationis Crucis, & extensionis manuum Jesu & corporis in Cruce. Proponitur nobis ad æmulandum humilitas Crucifixi, & insania sancta, quam etiam Sancti æmulabantur.* 3. *Excitamur ad compatiendum doloribus Christi affixi ligno Crucis ferreis clavis. Ostenditur, Christum suo labore & dolore redemisse nos. Agitur de diversis laboribus & doloribus hominum flagitiosorum. Docemur quid à nobis requirat Christus pro suis doloribus & tormentis.*

§. I.

Mitis (a) & innocens Agnus in Cruce pendens, utpote qui coram tondente se obmutuit, non improperat circumstantibus & insanientibus in eum: sed dulciter suggerit transeuntibus per viam, & respicientibus ad eum. Sic enim scriptum est: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus*. Occurrat itaque spiritualiter (b) & ingerat seipsum cordibus nostris Dominus Christus, terebratis palmis, pedibusquè confossis. Videamus vinculum ferreum (c) quo ligatus est Christus in cruce. Fuit hoc vinculum multò ferocius cæteris vinculis: eò quòd non solùm manuum

g *Tract. de 2. præcip. myst. cap. 6. num. 17.* h *Ser. 20. in Cant. num. 4.* i *Ibidem num. 5.*

k *Ser. in fer. 4. hebd. San. num. 5.* a *Epist. 385. num. 8.* b *Ser. 2. in Cæna Dom. num. 7.* c *Tract. de vite myst. cap. 4. num. 16.*

nuum pedumquè sanctissimorum compagem divisit, verumetiam illam purissimam Animam à mundissimo Corporis hospitio separavit. Egredimini filiæ Syon, & videte pacificum nostrum, pugnantem pro libertate nostra & in bello occumbere. Videte vitæ nostræ Auctorem pro nobis vitæ januas introire, ut nos ad vitæ viam revocet. Videte vincula durissima seu clavos ferreos pedes & manus (quæ salutem nostram operabantur in medio terræ) crudeliter penetrare. Videte lignum Crucis missum in panem nostrum, panem candidissimum, panem delicatum, panem Angelorum qui de cælo descendit, ut se nobis daret in cibum, & animas nostras continuò subjectas labori semetipso non alieno cibo reficeret: & se nobis incorporando, non se in nostram carnem, sed nos in suum spiritum reformaret. Videte quomodo justus ligatur, quomodo cum iniquis deputatus est liberrimus & optimus Sponsus noster. Moritur vita nostra, non pro suis necessitatibus, sed pro nostris. Date oculi lachrymarum flumina in tantis vinculis morienti, quia & ipse prior lachrymatus est. Fletus deducite oculi mei [d] & liquesce anima mea igne compassionis super cōtritione amabilis viri hujus Jesu Crucifixi, quem in tanta amaritudine tot vides affectum doloribus. Spectaculum fit [e] & opprobrium mundo & hominibus, fit tanquam prodigium multis, & commotio capitis in populis Caput nostrum, gaudium nostrum, honor noster, bonus Jesus. Sed quid moror? Exaltato in Crucem, perforantur manus & pedes viri optimi benigni Jesu. Elicitur Sanguis si quis supererat. Stat mediator noster in conspectu Patris sui in confractione, ut avertat iram ejus, ne disperdat nos. Verè non cadit mente: stat canstanter etiam perseverantiâ bonæ voluntatis. O qualem te intueor dulcis Jesu! O dulcissime atque amantissime Jesu, quis te usque ad hæc non solùm durissima, sed etiam turpissima vulnera patienda pertraxit? Quis te tam amaræ & tam odiosæ morti addixit? Vulnerum antiquorum nostrorum unica plaga, Salvator. O quàm horrenda [f] & insanabilis est plaga prævaricationis nostræ, pro qua Filium Dei oportebat tot dura opprobria, tot & tam dira vulnera sustinere! Electe puer Dei mei (g) quid tanta amaritudine, quid tanta confusione dignum commiseras? Prorsùs nihil. Ego ego homo perditus, totius perditionis tuæ causa extiti. Ego Domine vuam acerbam comedi, & dentes tui obstupuerunt: quia quæ non rapuisti tunc exolvebas. Proinde considerans quid pro nobis fecisti (h) implorant gemitus nostri, requirunt lachrymæ peccatricis animæ meæ. Illud cùm recolo quod feceris mihi, & quod fecerim tibi, viscera mea inter se colliduntur, spiritus contremiscit, anima conturbatur, vulneror & confodior doloribus multis. Nec mirum. Perpendo enim quid fecerit servus Domino suo, & quantas & quales luerit Dominus pœnas pro servo. Conscientia mihi testis est Domine Jesu, quid fecerim tibi: & Crux tua mihi testimonium perhibet, quid tu feceris mihi. Tu Deus, & ego homo: & tamen pro me tu Deus factus es homo. Tu Creator, & ego creatura: & tamen tu pro me dignatus es fieri creatura. Tu Dominus, nos servi: & tamen pro servis dignatus es fieri servus, peregrinus pro peregrinis, pro exulibus exul, pro pauperibus pauper, pro humilibus humilis, pro mortalibus non tantùm mortalis, sed mortuus: non qualicunque morte, sed durâ nimis, amarâ nimis & turpissima, morte scilicet Crucis. Hæc sunt opera tua Deus. Hæc opera considero, & contremisco: in his te misericordem esse cognosco, & reviviscο: & propter hoc in te confido, te amo, te diligo, te totis visceribus concupisco. Denique considerans [i] quàm dulciter Domine Jesu cum hominibus cōversatus es, quàm abundanter multa & magna bona hominibus largitus es, quàm fortiter tam indigna quàm aspera pro hominibus passus es, ita ut liceat sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo; duro ad verba, duriore ad verbera, durissimo ad Crucis horrenda; quia in omnibus his sicut agnus coram tondente te obmuisti, & non aperuisti os tuum. Mirabilis est Passio tua Domine Jesu [k] quæ passiones omnium nostrûm propulsavit, propitiata est omnibus iniquitatibus nostris, & nulli unquam pesti nostræ invenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non tua morte salvetur? Peccavi peccatum grande [l] turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte salvetur? Si ergo in mentem venerit tam potens, tamquè efficax medicamentum, nulla jam possum morbi malignitate terreri. Sed tibi Domine Jesu fortissime zelotes [m] quid gratiarum retribuam, ut dignè retribuam ego homo pulvis & vile figmentum? Quid enim pro mea salute facere debuisti, & non fecisti? Ab imo pedis usque ad summum verticis te totum in aquas passionum demersisti, ut me totum extraheres de illis, & intraverunt usque ad Animam tuam. Nam & Animam tuam in mortem perdidisti, ut meam perditam mihi redderes. Et ecce me duplici debito obligasti. Nam & pro eo quòd dedisti tuam, debitor tibi sum: & pro mea quidem anima bis à te mihi data, semel in Creatione, & semel in redemptione, quid magis justè tibi reddam quàm ipsam, non habeo. Pro tua autem preciosa Anima ita contribulata, quid ab homine dignè rependi possit, non invenio. Nam etsi cælum & terram & omnem ornatum eorum pro ea possem rependere, certè nec sic usque ad mensuram debiti ullatenùs attingere possem. Ut autem ipsum quod & debeo & possibile mihi est, retribuam; tui Domine muneris est. Diligendus es mihi Domine toto corde, tota anima, tota virtute; & tua mihi sequenda sunt vestigia, qui pro me crucifigi dignatus es. Et quomodo fiet istud in me nisi per te? Adhæreat anima mea post te, quia tota virtus ejus pendet ex te.

§. II.

Agnosce ô homo [n] quàm gravia sunt animæ tuæ vulnera, pro quibus necesse erat Dominum Christum vulnerari. Respice in faciem Christi tui ô anima Christiana [o] & eleva oculos tuos ad tormenta illius

non

d *Ser. de pass. Dom. num. 14.* e *Tract. de vite myst. cap. 5. num. 24.* f *Lib. 3. de amore Dei cap. 26. num. 82.* g *Ser. de Pass. Dom. num. 11.* h *Ser. 13. in ult. Cœna num. 105.*

i *Ser. 2. in die Pent. num. 7.* k *Ser. in fer. 4. heb. San. nu. 1.* l *Ser. 61. in Cant. num. 3.* m *Ser. de Pass. Dom. num. 18. & 19.* n *Ser. 3. in Nat. Dom. num. 4.* o *Tract. de vita myst. cap. 7.*

non ſine lachrymis, & cor contritum non ſine ſingultu: & vide quantam tribulationem & dolorem invenit, dum quæreret te, ut inveniret te. Ille qui lucem inhabitat inacceſſibilem [p] in quem deſiderant Angeli proſpicere, cujus ſolius odor Sanctorum ſic mentes inebriat, ut & mundi præſentis, & ſuiipſorum obliti totis viribus currant poſt ipſum: tanto dolori ſubjicitur, ut in ipſo veraciter noſcatur illud impletum eſſe, quod antea dixerat per Jeremiã Prophetam: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus*. Vacate ergo Fratres, & videte quàm amarâ, quàm turpi morte condemnetur. Suſtinet enim ad huc, & diligenter conſiderat ſi quis ſit qui ſimul contriſtetur: ſi quem inveniat, qui Sanguinis rivos abſtergat, & de Cruce depoſitum munda ſindone non panni ſed cordis involvat, & flens cum beatis mulieribus flentibus ad tumulum proſequatur. Venite quæſo [q] & condolete ei omnes, qui gaudere deſideratis in Domino. Attendite manu fortem noſtrum quomodò contritus eſt: deſiderabilem noſtrum, quomodò miſerabiliter deformatus eſt: pacificum noſtrum, quomodò in bello peremptus eſt. Ecce defecerunt dies noſtræ diei Domini Jeſu, qui ſolus eſt dies ſine tenebris, & oſſa ejus ſicut cremium arverunt. Percuſſus eſt ſicut fænum, & arvit cor ejus: elevatus eſt & alliſus valdè. Sed videamus [r] ſi vera Vitis noſtra Jeſus aliquando elevata fuerit, & diſtenta: & ſi qua tunc ad noſtram protectionem dulcium verborum folia emiſerit, contemplemur. Quòd elevata fuerit Vitis noſtra, ipſa teſtatur de ſe dicens: *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*. Item ait: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis*. Elevatus ergo fuit, quia exaltatus. Manifeſtum eſt autem, quòd hæc exaltatio de Cruce dicta eſt. Et vide quàm aptè lignorum ſtrues (ſuper quam vites ſolent elevari) Crucem ſignat. Cancellantur enim, hoc eſt ex tranſverſo componuntur, & ſic ſuper hæc vitis elevata diſtenditur convenientiùs. Cancellantur ligna crucis, elevatur crux, in illam diſtenditur brachiis & toto Corpore Vitis noſtra bonus Jeſus. Intantùm enim in Cruce diſtenſus fuit, ut numerari poſſent omnia membra ejus. Ita enim dixit per Prophetam: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea*. Quantùm foſſus fuit, ſupradictum eſt: quantùm autem diſtenſus, nunc ſubjungitur: *Dinumeraverunt omnia oſſa mea*. Acſi diceret: Intantùm diſtenſus ſum dextrorsùm & ſiniſtrorsùm & à ſummo deorsùm, ut Corpore nudo in modum tympanicæ pellis diſtenſo, facilè poſſent omnia oſſa mea dinumerari. Laxa igitur oculos tuos ô anima Chriſtiana, ut reſpicias in faciem Chriſti tui. Duo ſunt [s] quæ timet humana frigilitas, pudor & dolor. Utrumque Chriſtus tollere venit, unde & utrumque ſuſcepit, quando morte, & morte turpiſſima condemnatus eſt ab iniquis. Color violæ ſicut apparet abjectus eſt [t] illis præcipuè qui virtutem floſculi ignorant: ſed vim floris agnoſcentibus fit etiam ipſius floris deſpectio commendabilis & dilecta. Hoc in ipſius humilitatis Magiſtro benigno Jeſu facilè agnoſcemus, ſecundùm illud verbum Apoſtoli: *Nos*, inquit, *prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus verò ſtultitiam: ipſis verò vocatis ſanctis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam*. Nimirùm Chriſtus crucifixus viola eſt. In Cruce enim humillimus factus eſt. In hac humilitate ſolum colorem intuentibus Judæis & Gentibus ipſe color vilis apparvit: nobis verò qui virtutem agnoſcimus paſſionis, ipſa etiam humilitas deſpecta, humilitas Chriſti placet, & per humilitatem maximè commendatur. Deſpectui autem coloris adjungatur illa quæ latet virtus floris interior, ut per interiorẽ virtutẽ, hoc quod exteriùs vile videtur non contemnatur, verùm ampliùs diligatur. Facta eſt igitur res mira [u] & obſtupenda, Infirmata eſt Virtus ſumma, & ut dicam (ſi dici liceat, quod tamen reverenter dico) quaſi infatuata eſt Sapientia. Nec erubeſco dicere quod non erubuit Doctor Gentium docere. Sic nempè credidit, ſic docuit, ſic ſcriptum reliquit. *Nos*, inquit, *prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum Gentibus autem ſtultitiam*, &c. Aſcendit Crucẽ caluus noſter [x] verus Eliſæus (*Chriſtus*) mundo pro mundo expoſitus eſt; & ab inſenſatis pueris irriſus riſum ſuis inſinuavit æternum, quibus ait: *Eccce ego & pueri mei quos mihi dedit Deus*. Quis dabit mihi [y] apud homines tantùm de veris dignè humiliari, quantùm vel de falſis datùm eſt indignè exaltari? Illam mihi vocem propheticam jure aſſumerem: *Exaltatus autem, humiliatus ſum & conturbatus*. Et illud: *Ludam, & vilior fiam*. Ludam ſcilicet ut illudar. Bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, ſed Angelis pulcherrimum ſpectaculum præbet. Bonus inquam ludus, quo efficimur opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis. Nam revera quid aliud ſæcularibus quàm ludere videmur, cùm quod ipſi appetunt in hoc ſæculo, nos per contrarium fugimus: & quod ipſi fugiunt, nos appetimus? Hoc caſto & religioſo ludo ludebat qui dicebat: *Spectaculum facti ſumus Angelis & hominibus*. Hoc ludo & nos interim ludamus, ut illudamur, confundamur, humiliemur, donec veniat qui potentes deponit, & exaltat humiles. Porrò [z] audi ſanctam inſaniam: *Sive mente* (inquit Apoſtolus) *excedimus, Deo: ſive ſobrii ſumus, vobis*. Vis adhuc audire inſaniam: *Si dimittis*, (inquit Moyſes) *eis peccatum dimitte: ſin autem, dele me de libro vitæ*. Vis aliam? Ipſum audi Apoſtolum: *Optabam*, inquit, *anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*. Nonne quædam mentis benè affectæ ſana quædam videtur inſania, cùm impoſſibile ſit effectum habere fixum in affectu pro Chriſto anathema velle eſſe à Chriſto? Hæc ad Sancti Spiritus adventum Apoſtolorum fuit ebrietas. Hæc Pauli fuit inſania, cùm diceret ad eum Feſtus: *Inſanis Paule*. Mirumne erat ſi inſanire pronunciabatur, qui in ipſo mortis periculo ipſos judices ſuos, à quibus pro Chriſto judicabatur, ad Chriſtum convertere nitebatur? Non hanc inſaniam multæ literæ in eo faciebant, (ſicut dicebat Rex virtutẽ intelligens, ſed diſſimulans) ſed ut dictũ eſt, Sãcti Spiritus ebrietas, in qua & in parvo & in magno ſimiles eos ſibi facere geſtiebat, qui

eum

p *Ibidem cap.2.num.3.& cap.4.num.16.* q *Ibidem cap.5.num.27.* r *Ibidem cap.7.* s *Ser.4.in vig.Nat.Dom.num.3.* t *Tract.de vite myſt.cap.17.num.65.*

u *Ser.53.div.num.1.* x *Tract. exhortat. ad milit. templi cap.10* y *Epiſt.87.num.12.* z *Lib.de amore Dei cap.3.num.6.*

eum judicabant. Hac insania insani erant Martyres inter tormenta ridentes. Terrentur Martyres (a) & rident: feriuntur, & gaudent: occiduntur, & ecce triumphant. Quare? Quia morte charitatis intùs in corde jam dudum mortui peccatis, mortui mundo, tanquam insensibiles facti, nec minas nec tormenta nec mortem sentire potuerunt.

§. III.

Adhuc autem (b) attentiùs intuere ô anima christiana, quàm grandi admiratione, & tenerrima compassione dignus apparet Jesus crucifixus. Vide nudum & verberibus laceratum, in medio latronum Cruci ignominiosæ ferris clavis affixum. Dignum est enim [c] & tibi multùm expedit, compati passo commori mortuo, & consepeliri sepulto. Ad hoc enim facta sunt huiusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Qui enim tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Duo nobis in hæreditatem relinquerat (d) ille vetustus Adam qui fugit à facie Dei, laborem videlicet & dolorem: *laborem* in actione, *dolorem* in passione. Christus Dominus *laborem & dolorem* consideravit, ut traderet eos in manus suas, imò se magis in manus eorum: infixus in limo profundi, & intraverunt aquæ istæ usque ad Animam ejus. *Vide* (ad Patrem inquit) *humilitatem meam & laborem meum*: *quia pauper ego sum, & in laboribus à juventute mea.* Laboravit sustinens, manus ejus in laboribus servierunt. De dolore videamus quid dixerit: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus. Verè languores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portavit.* Vir dolorum pauper & dolens, tentatus per omnia sine peccato,: & in vita passivam habuit actionem, & in morte passionem activam sustinuit, dum salutem operaretur in medio terræ. Proinde memor ero quamdiu fuero, *laborum* illorum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo. Recordabor etiam *dolorum* ejus, conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumquè similium, quæ per eum & super eum abundantiùs transierunt. Facit quidem mihi *fortitudo*, facit *similitudo*, sed si accesserit etiam *Imitatio*, ut sequar vestigia ejus. Alioquin etiam exquiretur à me Sanguis justus, qui effussus est super terram: nec immunis ero ab illo tam singulari scelere Judæorum, quòd videlicet tantæ Charitati ingratus fuerim, quòd Spiritui gratiæ contumeliam fecerim, quòd Sanguinem testamenti pollutum duxerim, quòd conculcaverim Filium Dei. *Sunt* plerique qui laborem & dolorem patiuntur, sed necessitas in causa est, non voluntas: & hi non sunt conformes imagini Filii Dei. *Sunt* qui ex voluntate sustinent, sed non est eis sors neque pars in sermone isto. Vigilat tota nocte *luxuriosus* non solùm patienter sed & libenter, ut suam expleat voluptatem: vigilat *raptor* vestitus ferro, ut diripiat prædam: vigilat *fur*, ut domum perfodiat alienam. Sed hi omnes & horum similes longè sunt à labore & dolore quem considerat Dominus. Homines autem bonæ voluntatis, qui Christiana voluntate divitias paupertate commutaverunt, vel etiam non habitas tanquam habitas contempserunt, relinquentes omnia propter Christum, sicut & ipse reliquit omnia propter ipsos, sequuntur eum quocunque ierit. Hujusmodi autem *imitatio* validissimum argumentum mihi est, quòd passio Salvatoris & similitudo humanitatis in meam transeunt utilitatem. Hic enim est sapor, hic fructus est & laboris & doloris. Amplexatus est nos Dominus Jesus (e) per laborem & dolorem nostrum. Amplectamur eum nos quoque vicariis quibusdam amplexibus propter justitiam, & ad justitiam suam: actiones ad justitiam dirigendo, pasiones propter justitiam sustinendo. Dicamus quoque cum Sponsa: *Tenui eum nec dimitam.* Dicamus etiam cum Patriarcha Jacob: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Quid enim jam superest nisi benedictio? Quid post amplexum, nisi osculum restat? Si sic adhærerem Deo, quomodò non jam clamarem libenter: *Osculetur me osculo oris suis?* Vide, o humana anima [f] quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti te æstimavit, imò qui tanti te fecit. De latere enim suo te reformavit, quando propter te obdormivit in Cruce, & somnum mortis excepit. Imaginare hæc, ô homo (g) quo, quali, & quanto precio redemptus es non corruptibilibus auro vel argento redemptus es. Ecce Jesus crucifixus amplexus tuos desiderat [h] talis ut complectatur, expectat. Caput floridum multis spinarum aculeis confixum ad te inclinat, ut ad pacis osculum te invitet, & tanquam dicat tibi: Ecce quomodo configuratus sum, quomodo confossus, quomodo mactatus, ut te possim ponere super humeros meos, quæ aberraveras ovis mea, & ad pascua reducere paradisi. Redde vicem, & super vulnera mea misericordiâ commovere; & pone me talem qualem nunc vides, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: ut in omnibus cogitationibus cordis tui, in omnibus operibus brachii tui mihi taliter ut vides signato posis similis inveniri. Conformaveram te imagini Divinitatis meæ, cùm te crearem: conformatus sum imagini tuæ, ut te reformarem. Tu ergo qui non retinuisti formam Divinitatis meæ tibi impressam in tua formatione, retine saltem formam humanitatis tuæ mihi impressam in tua recreatione. Id est: Si non retines qualem te creavi, retine saltem qualem te recreavi: si non capis quantas virtutum divitias tibi dederim te creando, cape saltem quantas in humanitate tua miserias propter te acceperim recreando, & ad potiores quàm ad quas te formaveram delicias reformando. Nam propterea homo visibilis factus sum, ut à te visus amarer, qui in Deitate mea invisibilis non amabar. Da ergo te in præmium Incarnationi & Pasioni meæ: pro quo incarnatus simul

a *Tract. de vite myst. cap. 3. num. 8.* b *Ser. de Pass. Domin num. 14.* c *Ser. 2. in Cæna Dom. num. 6.* d *Ser. infr. 4. heb. san. num. 11. & 12.*

e *Ibidem num. 14.* f *Ser. 2. in Dom. 1° post. Epiph. num. 3.* g *Tract. de 3. precip. myst. cap. 6. num. 14.* h *Tract. de vite myst. cap. 44. num. 169.*

simul & passus dedi me. O dulcissime atque amantissime Jesu, Pater luminum à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, misericorditer respice humiliter tibi confitentes, & verè sentientes, quia sine te nihil possumus facere: & qui dedisti te pro nobis in precium, da (licet tanto precio minùs simus digni) ut tuæ gratiæ tam integri reddamur, ut conformati imagini passionis tuæ, ad eam quoque, quam peccando amisimus, tuæ Divinitatis imaginem reformemur. Amen.

CAPUT VIII.

De sermone Jesu Christi in Cruce pendentis, quo innuit hominibus ingratitudinem beneficiorum suorum.

Popule meus, quid tibi debui facere, & non feci? Esa. 5.

1. *Proponitur ad considerandum mira increpatio ex persona Jesu Crucifixi, tam adversùs ingratos beneficiorum Creationis & redemptionis suæ, quàm adversùs negligentes salutem propriam. Excitamur ad amorem Creatoris & Redemptoris nostri.* 2. *Exhortamur verbis Domini Jesu Crucifixi, ut ad eum convertamur in toto corde, in jejunio, & fletu & planctu: & ut quotidiè aspiremus ad ipsum. Traditur pœnitentibus formula Confessionis privatæ, seu norma orandi ad Crucifixum.* 3. *Excitatur quævis anima christiana ad recolendum beneficia Creationis & redemptionis suæ, nec non ad exhibendam Deo gratitudinem, quæ in sola dilectione Dei consistit.*

§. I.

Popule meus, quid tibi debui facere, & non feci? Scaturire videntur hæc verba teneritudinem amoris (a) & quasi mustum quod dirumpit novas lagunculas, de medullis procedere diligentis. Dedit Dominus voci suæ vocem virtutis, ut essent hæc verba ejus sicut malleus conterens petram, & sicut ignis, testante Jeremia: *Verba ejus sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram*: ut de igne ascendat virgula fumi ex aromatibus & pulvere pigmentarii, & conterat malleus. Unde cogitandi mihi dulcedine hujus increpationis, flere magis libet, quàm aliquid dicere: quia quidam mirifici odoris balsamus perflat aureolam mentis meæ. Disputare cum Deo cupio, non quidem ex æqualitate, sed exponendo fragilitatem humanæ conscientiæ. Domine, quoties passionis tuæ amaritudinem in cordibus nostris ruminamus, toties de nobis expavescimus: quia dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie ejus. Si enim ex hoc mundo transisti ad Patrem cum tantis cruciatibus, quid fiet de nobis peccatoribus? Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? Dum tales in Oratione fundimus querimonias, consolatur nos dulciter increpando illa vera & summa charitas per Scripturarum authoritatem, seu per occultam inspirationem. *Popule meus*, ait Dominus (b) *quid tibi debui facere, & non feci?* Quid causæ est, quòd inimico meo vestroquè libet servire magis quàm mihi? Neque enim ille creavit vos, sed nec pascit quidem, aut tempora vestra disponit. Si parva hæc videntur ingratis: non ille, sed ego redemi vos. Sed quo precio? Non utique corruptibilibus auro & argento, non Sole vel Lunâ, non saltem aliquo Angelorum, sed proprio vos Cruore redemi. Cæterùm si neque tam multiplici jure debitum à vobis elicere est famulatum, omissis his omnibus, mecum saltem ex diurno denario convenite. Nihil vobis ille nocuerit, nihil ipse videar profuisse: ei obtemperate qui plura vobis & potiora pollicetur, apud quem certior copiosiorquè remuneratio est. Ut illud quoque benignissima miseratione dissimulem, quòd bonorum vestrorum non egens, vobis tantumodò velim esse consultum, ne præsentia suscipere detractetis, quæ nunc offero dona gratiæ, futuris gloriæ muneribus eadem coronanda promittens. O homo [c] quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Hæc enim (d) in lege præcipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Id est, diliges *dulciter* sive affectuosè, diliges *prudenter*, diliges *fortiter*. Sanè ad affectuosum illum quem dicimus cordis amorem plurimùm valet Incarnationis Christi cogitatio, & maximè Passionis. Videns enim Deus homines omninò carnales effectos, tantam eis dulcedinem exhibuit in Carne, ut durissimi cordis sit quisquis eum toto affectu non diligat. Volens siquidem nobilem creaturam hominem recuperare: Si, inquit, invitum coegero, asinum habeo, non hominem, quoniam quidem non libens veniet nec spontaneus, ut possit dicere: *Voluntariè sacrificabo tibi*. Numquid asinis dabo regnum meum? Numquid de bobus cura est Deo? Ut ergo habeam voluntarium, terrebo eum si fortè convertatur & vivat. Et comminatus est acerbiora quæ excogitari possunt, tenebras æternas, vermes immortales, ignem inextinguibilem. Cùm autem nec sic homo revocaretur, ait: Non solùm timidus, sed etiam cupidus est. Promittam ergo ei quod potissimùm desiderabile videtur. Desiderant homines aurum & argentum, & similia, & super hæc omnia vitam desiderant. Manifestum est hoc, & valdè manifestum. Si, inquit, tantoperè desiderant miseram hanc laboriosam vitam & momentaneam, quantùm diligent vitam quietam, æternam, beatam? Promisit itaque Christus Deus noster vitam æternam, promisit quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Videns autem [e] quòd nihil proficeret: Unum, inquit, restat adhuc. Inest homini non solùm timor & cupiditas, sed & amor, nec quidquam est eo vehementius ad trahendum. Venit igitur in Carne, & tam amabilem se exhibuit, ut illam nobis impenderet charitatem, quâ majorem nemo habet, ut Animam suam daret pro nobis. Positoquè Corpore suo & Sanguine in manu homi-

a *Ser. in fer. 2. Pasch. num. 18. & 19. tom. 6. pag. 725.*

b *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 16. num. 53.* c *Tract. de 3. precip. myst. cap. 6. num. 17.* d *Serm. 29. div. num. 1. & 2.* e *Ibidem num. 3.*

nis: [f] Hoc, inquit, manduca & bibe, hinc vive. Quisquis sanè nec ob hoc quidem converti voluerit [g] nonne meritò audiet: *Quid debui facere tibi, & non feci?* O duri [h] & indurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor Christi Crucifixi, qui pro vilibus sarcinulis tam preciosas merces expendit? Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, sed precioso Sanguine suo, quem effudit abundè: quia largiter undæ Sanguinis de Corpore Jesu per quinque partes emanaverunt. *Quid ultra debuit facere, & non fecit?* Illuminavit cæcos, reduxit erroneos, reconciliavit reos, justificavit impios: triginta, & tribus annis super terram visus, cum hominibus conversatus, pro hominibus mortuus est. Quid ad hæc [i] conscientia humana respondet? Cùm improperari cœperint hæc in die judicii, quomodò miseri sustinebunt? Quid excusationis poterunt habere de peccato? Quam, inquam, excusationem [K] habebit homo iste de peccato? Nonne ei justè potest dicere Dominus: *Quid debui tibi facere, & non feci?* Non eras, & creavi te. Peccasti, & diaboli servum te feceras: & redemi te. In mundi circuitu cum impiis currebas: & elegi te. Dederam tibi gratiam in conspectu meo, & volebam facere apud te mansionem: tu verò despexisti me. Et non solùm sermones meos, sed meipsum projecisti retrorsùm, & ambulabas post concupiscentias tuas. Vide ô homo (l) quid Deus tibi erogavit, imò quod prærogavit & supererogavit. Creavit, cùm non esses: recreavit, cùm perditus esses. Creauit, ut esses particeps beatitudinis: recreavit, ne post lapsum permaneres exsors patriæ, & exsors fælicitatis æternæ. Intuere ô homo (m) tempus tuæ redemptionis, recordare & respice quomodo redemptus sis. *Empti estis* (ait Apostolus) *precio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro*: non magno tantùm, sed permaximo precio. Venditus eras sub peccato precio vili, & despicabili morsu unius pomi: emptus & redemptus es precio magno & inæstimabili, morte Filii Dei. Quid ergo à te quærit [n] qui tanta sollicitudine te quæsivit, nisi te sollicitum ambulare cum Deo tuo. Ecce quem quæris (o) exaltatus est, & humiliatus. Non enim elevatus est in Crucem, ut se difficilem præberet accedere ad eum volentibus, sed magis ut omnibus posset paratior inveniri. Accede ergo cum fiducia ad hunc Crucifixum (p) & in extensione brachiorum cognosce eum, suscipe affectum paratum ad tuos, & te ad suos invitantis amplexus, & quodammodò miserabiliter misericorditerquè clamantis: *Revertere, revertere, ut intueamur te*. Revertere à mala voluntate, à malis factis, ab obstinatione, à desperatione. *Revertere*, inquam, ad me misera anima, quæ à me aversa fuisti: ut intueamur te intuitu gratiæ, quo mulierem peccatricem, & Petrum, & Latronem respexi. Lege me librum vitæ scriptum intùs & foris, & lectum intellige. Collige tibi flores meos sanguineos, ut paradisi illius possis januam introire, ante cujus fores Cherubim collocatus est cum gladio flammeo & versatili. Valet enim scientia hæc, quam ex me plenariè discere potes, ad amovendum impedimentum Cherubim.

§. II.

Cognosce anima mea [q] cognosce: hic est Dominus Deus, Jesus Christus Salvator tuus, Unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce quomodo vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Hic factus est quidē in holocaustum suavissimi odoris in conspectu Dei Patris, ut averteret indignationem ejus à nobis, & considere nos sibi faceret in cælestibus. Attamen dicit: (r) *Convertimini ad me in toto corde vestro*. Liquet quia sumus aversi, quos ut revertamur hortatur. Liquet quia contrarii sumus, quos revocat ut convertamur. Sed quomodò? *In jejunio*, inquit, *& fletu, & planctu*, Mira res. Itane in jejunio ille versatur, & in fletu degit, & in planctu habitat? Procul ab eo omnia ista sunt, procul ipse ab his vehementer. Nimirùm regnum ejus in Jerusalem, quam satiat adipe frumenti: nec ibi est luctus & clamor, sed nec ullus dolor, magis autem gratiarum actio, & vox laudis. *Justi* (inquit Propheta) *epulentur in conspectu Dei, & delectentur in lætitia & exultatione*. Quomodò ergo in jejunio & fletu & planctu convertemur ad ipsum? An verò justus eum in lætitia & exultatione, qui verò nondum justus est, nonnisi in jejunio & fletu & planctu reperiet? Ita planè, sed justus qui jam conspectum meruerit, non qui adhuc vivat ex fide. Nimirùm quod ait Dominus: *Cum ipso sum in tribulatione*, ad eum pertinet qui per fidem ambulat, non autem qui ad faciem jam pervenit. Et quidem utriusque est Caput unum Christus, sed non uno modo membris omnibus exhibetur. Quibusdam enim ostenditur Caput hirsutum spinis, inclinatum in Cruce, ut humilientur pariter & compungantur. Quibusdam gloriosum apparet, ut ab ipso glorificentur, & in ipso glorientur facta ei similia, quem vident sicuti est. Interim verò non sicut est, sed sicut pro nobis factum est Caput nostrum nobis repræsentatur, non coronatum gloriâ, sed peccatorum nostrorum circumdatum spinis. Agnosce ô homo [s] quàm gravia sunt vulnera animæ tuæ, pro quibus necesse fuit Dominum Christum vulnerari. Revertere ad Dominum Deum tuum: [t] & placabilis erit super malitiam tuam. Revertere ad Dominum eâ viâ, quâ venitur ad ipsum: viâ cordis, viâ oris, viâ operis, viâ timoris, viâ doloris, & viâ amoris. Viâ *cordis* contriti, viâ *confitentis* labii, & viâ *operis* recti. Viâ *timoris*, ne potraharis ad supplicium: viâ *doloris*, quia sic offendisti Christum: viâ *amoris*, ut ipsum jam Christum perfectè diligas, qui tam diu ad pænitentiam te patienter expectat. Geme, dole, plange, plora. Non parcas tibi, ut tibi Dominus parcat. Noli indulgere tibi, ut tibi Dominus indulgere dignetur. Succinge lumbos tuos, induere sacco, pulvesce-

f *Lib. 2. de amore Dei cap. 12. num. 37.* g *Serm. 29. div. num. 3.* h *Serm. 2. in die Pent. num. 8.* i *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 16. n. 54.* K *Scala Claustr. cap. 13. num. 15. tom. 5. pag. 482.* l *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 1. n. 3.* m *Ibidem cap. 6. n. 10.* n *Ser. 2. in die Pent. n. 8.* o *Tract. de vite myst. cap. 44. num. 166.* p *Ibidem num. 167.*

q *Ser. de Pass. Dom. num. 15.* r *Ser. 5. de omn. Sanct. num. 8. & 9.* s *Ser. 2. in Nat. Dom. num. 4.* t *Ser. 12. in ultim. Cœna num. 87. & 88.*

vescere humo, & dic Christo Domino tuo & Deo tuo: O Jesu bone miserere mei. Esto mihi Jesus, esto mihi Salvator meus. Misereri mei, qui pro me pium Cruorem fudisti: non intres in judicium cum servo tuo, quia nullus justificabitur homo, nisi per teipsum ei peccatorum suorum tribuatur remissio. Non me tua judicaria sententia premat, quem tua multa pietas levat. Qui resuscitasti Lazarum jam fœtentem, resuscita & me peccatorem jam confitentem. Qui pepercisti peccatrici Mariæ, parce & peccatrici animæ meæ. Qui lætificasti animam crucifixi Latronis, lætifica & animam mei peccatoris. In unione acerbissimi doloris tui [u] qui causam doloris mei assumpsisti, & emundationem pro peccatis meis suscepisti, Domine Jesu Christe, cum universitate dolentium, verè pænitentium, & te in veritate quærentium, confiteor tibi omnia peccata mea, mala commissa, & bona omissa, vel non purè aut negligenter facta, (sicut tu ea meliùs nosti in numero, pondere, & mensura) & dies perditos vitæ meæ, in quibus te offendi, & laudem tuam minui, & à te Summo bono cecidi, & proximum in casum traxi. Suscipe ergo Domine de mea misera vita residuum annorum meorum: pro his verò quos malè vivendo perdidi, quibus perditè vixi, cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Dies mei declinaverunt, & perierunt sine fructu. Impossibile est ut eos revocem: sed placeat tibi, ut recogitem illos in amaritudine animæ meæ. Domine, abyssus profundissima miseriæ meæ, abyssum invocat altissimæ misericordiæ tuæ. Ne contineas in ira miserationes tuas, & fontem inexhaustum misericordiæ tuæ circa me exsiccari ne permittas propter peccata mea, qui misereris omnium, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pænitentiam. Tuum est Domine remittere peccata: miserere mei, dum tempus est gratiæ & miserationis: & dum tempus est emendationis, da mereri gloriam benedictionis: ne in die consummationis me feriat verbum maledictionis. Fac me quæso Domine assueta mala relinquere (x) & quæ tibi placent peragere: & studium quod hucusque in peccatis exercui, te adjuvante deinceps in tua voluntate da ut exerceam: ut ubi abundavit delictum, tua gratia reabūdet. Rogo te propter temetipsum, & per amorem piissimæ Matris tuę gloriosæ Virginis Mariæ, & per intercessionem omnium Sanctorum tuorum, atq; Electarum virginum tuarum, ignosce omnibus peccatis, negligentiis & ignorantiis meis: & ne perdas me cum omnibus iniquitatibus meis, neque in finem iratus reserves mala mea. Recordare Domine Jesu, quia tuum non est perdere quidquam eorum quæ Pater tuus dedit tibi: quinimò tibi proprium est misereri semper & parcere, neminem perdere, sed salvare. Nam Pater tuus misit te in mundum, non ut judices mundū, sed ut vitam habeamus per te, & ut sis propitiatio nostra, & advocatus noster, non contra nos. Quod enim nos debuimus, tu solvisti: quod nos peccavimus, tu luisti: quod nos neglexímus, tu supplesti. Proficiat ergo nunc Domine, (y) & in extremis meis plenaria imò superflua satisfactio, amarissima mors tua & precium inæstimabile fusi Sanguinis tui, commemoratio satisfactionis tuæ, venerabile mysterium Corporis & Sanguinis tui (quod tibi quotidie offertur in Ecclesia pro salute fidelium servorum tuorum, in qua es tu ipse Sacerdos & Sacrificium, ille qui offert pariter & cui offertur, & hoc ipsum quod offertur) ad promerendam in præsenti gratiam, quā non mereor: & ad obtinendam in futurum requiem & gloriam, quam tua amarissima mors impetravit. Imperfectum meum Domine Jesu oculi tui viderunt, sed tu pie & misericors & præstabilis super malitia, ne quæso imputes mihi ad æternum supplicium, qui omnia ad summum & perfectum bonum optimè & perfectissimè & sapientissimè præordinasti: & ne permittas me deleri de libro vitæ, sed offer mihi portionem quæ me contingit, in subsidium tuæ videlicet preciosæ passionis, pro qua voluisti hominem habere tibi cohæredem in terra viventium. Te igitur Domine (z) moveat & inclinet ad misericordiam humanæ fragilitatis consideratio, qui nosti quæ sit hominis substantia, & quòd non vanè constitueris hominem super terram: & conserva me opus tuæ pietatis, ne in cassum circa ipsum laboraveris, nevè infructuosus sit in me immaculati Cruoris tui effusio. Tu qui es purificationem faciens peccatorum, præsta, ut emundatis per te peccatorum sordibus, illustrataquè mentis acie cognoscam te: tequè agnoscens in directione jugiter ad te tendam, ut felici tandem exitu ad te merear pervenire, Jesu Christe Deus meus, & Dominus meus. Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

§. III.

Adhuc dico, (a) nihil est enim satisdictum, quod semper est dicendum, atque recordatione continua replicandū. Eras anima mea illi gravissimo creditori (Angelum Satanæ loquor) illi quidem immanissimo exactori tot debitis quot peccatis vinculo chirographi obligata, nec solvendo eras. Dei autem Filius non quæ rapuerat, sed quæ tu rapueras, pro te solvit: & quòd dignatio propensior & gratia uberior erat, non delegavit alium debitorem, sed dedit Animam suam in causam tuæ salutis. Cùmque ille Angelus transfuga & emensor, te in detestabilem peteret ancillatū, Christus è contra, te cœlo terręquè præpositam fecit. Postquam diversas productiones testium, legum, oraculorum, Prophetarum, signorum, tandem proprium Sanguinem allegavit: obtinuit allegatio illa tuæ sententiam libertatis. Super calculo sententiali scriptæ sunt literæ in membrana Capitis Crucifixi, & confirmatæ à sæculo misericordiæ & veritatis, pacis & justitiæ obviantium sibi. Denique impressum est sigillum, plaga scilicet lateris, quam in precium redemptionis nostræ, & in placationem continuam jugiter exhibet ante oculos Patris. Adhuc extat titulus chartæ inscriptus (b) in tantæ charitatis memoriam: sciasquè quòd si te ingratam repererit, nec velle uti tanto beneficio, exiget à te districtissimè mortem suam. Vereorquè ne aliquando indignantissimè dicat tibi: *Tolle manum & mitte in latus meum dextrum, mitte digitos tuos*

 in

u *Formula Confess. privatæ seu orat. pænitentis ad Christum nu.1. relat. tom.2. par.2. pag.555.* x *Ibid. num.2.* y *Ibidem nu.3.*

z *Ibidem num.4.* a *Lib.3. de amore Dei cap.20. nu. 68.* b *Ibid. nu.69.*

in fixuras clavorum : & vide quanta prò te passus sum. O ingrata & crudelis impietas, nonne putas Deum de collatis tibi beneficiis pænitere, si ea viderit per ingratitudinem periisse? Porrò si recenseas diligenter effusam (c) & indefessam circa te magnificentiam & munificentiam gratiæ Dei, licet ipse sit generalis omnium dispensator, videbis tamen eum circa commoditates tuas quasi totum & singulariter occupatũ. Quocunq; te vertas anima mea, tibi sollicitus & diligens provisor assistit, in tentationibus, in meditationibus, in verbis, in consiliis, in operibus, in adversis, in prosperis; foris, intus, ejus gratia te subsequitur & præcedit. Tibi exhibet in omni tribulatione remedium, sanat infirmam, reducit erroneam, corrigit delinquentem, consolatur afflictam, erigit lapsam, tristem lætificat, nec diu vacillare sustinet deficientem. Illud, anima mea, tanquam amicæ meæ consulo, ut primitias creationis tuæ attendas, jugi scrutinio & sollicita meditatione revolvas, quòd speciosam te fecit, quòd multiplices gratiæ dotes adjecit: quòd cùm postea per te fœda & fœtida facta esses, pius & misericors Deus gratuita benignitate sua tuæ auersioni compatiens, sicut te non existentem dilexit ut conderet, ita te conditam sed perditam suâ gratiâ reparavit. Recole (d) recole quòd Deus Dei Vnigenitus pro salute tua inclinavit cælos & descendit: & ut te de luto fæcis erueret, quodam artificio ineffabili, manendo quod erat, usque ad livores & vulnera passionis se à sua Majestate deposuit. Moyses quidem Æthiopissam duxit, sed in ea pellis nigredinem non mutavit. Te Filius Dei Christus Jesus reperiens multiplici peccatorũ turpitudine denigratam, lavit lachrymis suis, & baptismo suo: tandem Cruoris undâ te lavit, & te sibi exhibuit gloriosam. Moriebatur Salvator tuus, anima mea, (e) ut te vivificaret: affixus erat Cruci, ut iniquitates tuas propriis manibus Cruci affigeret. Manus elevabat ad Patrem in sacrificium vespertinum, ut te ad amplexus amicabiles invitaret: vitamquè suam, quæ nulli erat obnoxia morti, pro te obtulit ad mortem, ut dum à principe tenebrarum justus iniustè occiditur (quia quod suum non erat, usurpare convictus est) eâ quam habebat in te potestate privaretur. In tam exuberanti beneficio, in tanto cumulo gratiarum, quo te largitio divina quasi obruit & confundit, vide ne ingrata sis. Quid poteris (f) largitori tuo dignè rependere? Dedit te tibi, quando te creavit ut esses: reddidit te tibi, cùm recreavit ut benè esses. Dedit se in viaticum tibi, ne in via deficias, Corpus & Sanguinem suum, se verum Deum & hominem verum. Et tu quid rependes? Si pro eo quod dedit tibi, quando te creavit, vicem nequis rependere: quid denique pro eo rependes, quod se tibi dedit? Certè si te millies posses rependere, quid esses tu in comparatione Dei? Repende tamen quantum potes, repende te totam illi, qui se totum tibi & dedit & reddidit: & his non contentus, se quoque totum tibi dedit. Dilige hunc tantum te diligentem, & singularem dilectum ex tota anima tua, & ex toto corde tuo, & ex omnibus viribus tuis: quia & *cor* bonæ voluntatis, & *animam* rationabilem, & *vires* ad implenda quæ bona sunt, ipse dedit tibi.

Scis nec ambigere debes (g) quantùm Sponso tuo sis inferior genere, specie, dignitate. Unde igitur tibi tantus & tam ineffabilis honor, quòd te Deus sibi in Sponsam dignatus est eligere, per quem omnia facta sunt? Unde hoc tibi, quòd te recipit sociam gloriæ, consortem regni, participem thalami? Quem cùm tetigeris casta es: cùm cognoveris, docta es: cùm videris, beata es: cùm frui poteris, gloriosa es. Fac igitur ut confidat in te cor viri tui, obliviscere populum tuũ: nec mentem tuam declines ab eo vel etiam ad momentum. Alioquin stat Angelus Domini qui secet te mediam, si alium amatorem receperis: si erga eum tepuerit amor tuus: si te in modico indevotam exhibueris vel ingratam. Recole quanta tibi fecerit Deus: attraxit te, ad domum gloriæ suæ te provecturus, quæ non audebas de scabello pedum ejus, aut de venia cogitare. Quàm affectuosè (h) quam sincerè, quàm suaviter, quàm dulciter Deum diligere tenearis, Dominus per Moysem docet dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis*. Hoc Dei præceptum exactissimam observantiæ necessitatem habet implicitam. Potest enim aliquis se excusare, quòd vigilare aut laborare idoneus non sit: sed excusare se nullus potest, quòd amare non possit. De virginitate datur consilium, non præceptum: *Qui potest* (inquit Dominus) *capere capiat*. Et Apostolus: *De virginibus quidem præceptum non habeo, consilium autem do*. Charitas autem à Deo præcipitur fortiter & obnixè, sine interminatione pænali cordibus humanis inducitur. Mandavit equidem hoc mandatum Dominus custodiri nimis, & ut ipsum in cordibus nostris altiùs quàm clavum infigeret, velut crebros ictus sæpiùs inculcavit. Priùs, ut diligeremus *ex toto corde*: postea subjungit, quòd *ex tota anima*: deinde adjecit, quòd *ex totis viribus nostris*. Verè clavus aut stimulus est hoc præceptum. Nam sicut Salamon dicit: *Verba sapientis stimuli sunt, & quasi clavi in altum defixi*. Non plùs quàm stimulus est aut clavus *Sermo Dei, vivus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*. Dilige ergo ô homo (i) dilectorem tuum: dilige eum non tantùm verbo & lingua, sed opere & veritate. Dilige eum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex omni mente tua. Dic: Diligam te Domine fortitudo mea, Domine firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Verè liberator, quia liberasti me pauperem à potente, & inopem cui non erat adiutor, & liberasti animam meam à perditione. Porrò dic: (k) O Salvator meus, veniat obsecro tẽpus quando revelatis oculis inspiciam, quem nunc à longè inclamo, apprehendam quem desidero, & amplectar, in abysso amoris tui totus absorbear. Nihil mihi quæso sine te dulcescat, nil pretiosum arrideat mihi. Sed da mihi bone Jesu in te vivere, & pro amore tuo mori, qui pro me dignatus es amaræ mortis subire tormentum. Amen.

CA-

c *Ibid. cap.* 23. *nu.* 79. d *Ibid. cap.* 24. *nu.* 85. e *Ibid. cap.* 19. *num.* 67. f *Tract. de vite myst. cap.* 30. *nu.* 120.

g *Lib.* 2. *de amor. Dei cap.* 24. *num.* 85. h *Ibid. cap.* 25. *num.* 86. i *Tract. de præcip. myst. cap.* 6. *nu.* 17. k *Lib.* 3. *de amore Dei cap.* 34. *num.* 113.

CAPUT IX.

De mysterio serpentis à Moyse in deserto exaltati, quo præfigurabatur Christus exaltandus in Crucem.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Joan.* 3.

1. *Ostenditur, serpentem exaltatum in deserto fuisse typum Christi exaltandi in Crucem: ut sicut Judæi vulnerati morsu serpentum ob suam incredulitatem, intuendo serpentem æneum sanabantur; ita & nos respiciamus Christum Crucifixum, caveamusq; à vitio incredulitatis, ne morsu serpentis infernalis vulneremur lethaliter.* 2. *Monemur respicere in faciem Crucifixi, ut à suggestionibus diaboli liberemur. Respicere in Crucifixum est credere in ipsum. Fides comparatur vino. Docemur, ut quoties nos sentimus pulsari tentationibus diaboli, vel affici turpibus cogitationibus, toties fugiamus ad Crucifixũ, qui nos adjuvare & liberare dignetur.* 3. *Monemur respicere Christum in cruce nigrescentem, & in morte pallentem: ut mereamur eum videre in Cælis splendentem, & in solio excelso sedentem. Proponitur nobis modus purgandi oculum cordis, quo videndus est Deus.*

§. I.

SOlet gratior esse umbra foliorum vitis (a) cùm ipsa elevata super quendam struem lignorum huc & illuc distenditur. Unde videamus si vera Vitis nostra (*Jesus*) aliquando elevata fuerit & distenta: & si quę tunc ad nostram protectionem folia emiserit, contemplemur. Quòd elevata fuerit Vitis nostra, ipsa testatur de se dicens: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Item: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Elevatus ergo fuit Christus, quia exaltatus. Manifestum est autem quòd hæc exaltatio de Cruce dicta sit. Nunc superest (b) ut dulci Jesu adjuvante dicamus, quid sit quòd per odorem florum vitis omnia venenata animalia prçipuè effugentur. Siquidem hic odor (c) serpentes fugat. Ajunt florescentibus vineis omne reptile venenatum cedere loco, nec ullatenùs novorum ferre odorem florum. Cujus rei ratio citiùs invenitur (d) si quid serpentes significant, agnoscatur. Quod autem de serpentibus dicitur, de aliis quoque venenosis reptibilibus accipiatur. Quid autem melius per serpentes, quàm diabolicas suggestiones accipiamus? Ad similitudinem enim serpentum reptant occultè per mentes hominum, sed subitò nisi agnoscantur, morsus mortales incautis affigunt: quod præfiguratum accipimus in filiis Israël in deserto à serpentibus miserabiliter interemptis. Hujus interemptionis causam ponit Apostolus dicens: *Neque tentemus Deum, sicut quidam eorum tentaverunt, & à serpentibus perierunt.* Quid est autem tentare Deum? Non credere Domino. Incredulitatis namque vitio urgebantur, ideoq; à serpentibus occisi sunt. Quid est autem desertum in quo occisi sunt, nisi hic mundus in quo vagamur, per Baptismum tanquam rubrum transeuntes mare, liberati per nostrum legislatorem Dominum Jesum à servitute Ægyptiaca, quâ ante Baptismi gratiam premebamur. Si autem diligentiùs consideremus (e) cuncta penè vitia ex incrudelitatis vitio inveniemus oriri. Quis enim vanam *mundi gloriam* quæreret, si perfectè crederet aliam esse futuram in cœlis immarcescibilem, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ humilibus conservantur? Putasne huic gloriæ mundanæ tam incertæ quàm transitoriæ animum inclinaret? Nequaquam. Sed quòd tales asserunt se Deo credere, provenit ex quadam consuetudine, quia totum penè mundum tali vident & audiunt fide teneri. Quòd si infidelium numerus excresceret, & nomen Christi non possent sine pœna vel sine timore confiteri, citiùs audires quod corde gerunt: & linguâ propalare eum, quem factis denegare non timent. Simile est de *avaris*, qui cælestes non curant divitias: & de *invidis*, qui charitatis laudem & præmium non attendunt: & de *iracundis*, qui in patientia animas suas non possident: & de *acediosis*, qui pro æterno commodo labores subire refugiunt temporales: & de *luxuriosis*, qui cælestibus voluptatibus mentis oculum non intendunt: & de *gulosis*, qui panem illum delicatissimum Angelorum suis epulis terrenis postponunt: quia si ea quæ futura promittuntur verè crederent, nequaquam terrenis tam ardenter inhiarent. Propter ergo incredulitatem suam dantur non solùm vulnerandi per tentationes, sed ętiam occidendi per veneni sui infusionem serpentibus ignitis: idest, dæmonibus illius maximi & tortuosi serpentis primi perversoris ministris, qui illos secum pervertunt, & incendiis æternis addicunt, quos in hac vita incendio suarum pravarum suggestionum corrumpunt. Sed remedium attendamus (f) per quod vitium incredulitatis subiectum est. Dixt Dominus ad Moysem: *Fac serpentem æneum, & pone in ligno erecto: quem qui intuiti fuerint, à serpentum morsibus sanabuntur.* Cujus serpentis mysterium ipse Dominus Jesus curavit exponere dicens: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in illum, non pereat.* Videsne quorsùm feramur? prorsùs ad exaltatum in Cruce benignum Jesum, qui optimè serpenti æneo & exaltato comparatur. Serpens enim dicitur mortifer, quia per suggestionem serpentis mors intravit in orbem. Missus est coluber tortuosus à diabolo (g) ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posteritatis originem. Æneus verò dicitur (h) quia charitatis simul & passionis ignibus conflatus, passionis Sanguine rubricatus, ad modum æris in resurrectione induratus est, quia ultra non moritor. Exaltatio autem serpentis, exaltationem crucifixi Jesu figurat. Hic est Serpens, quem increduli à malignis spiritibus vulnerati ad crudelitatem conversi (si volunt salvari) respicere commonentur. Est enim serpens iste de virga Moysi transformatus.

Per

a *Tract. de vite myst. cap. 7. num. 42.* b *Ibidem cap. 45. num. 173.* c *Ser. 63. in Cant. num. 6.* d *Tract. de vite myst. cap. 45. nu. 173.* e *Ibid. num. 174.* f *Ibid. num. 175.* g *Ser. 2. in die Pent. num. 3.* h *Tract. de vite myst. cap. 45. nu. 175.*

Per virgam, quæ est insigne regium, Deum intellige: per serpentem verò, cujus suggestione primi parentes mortui sunt, hominem mortalem accipe. Mutata est virga in serpentem, quando *Verbum caro factum est*, assumens quod non erat, idest, humanitatem: manens quod erat, idest, Deus. Sicut ergo factus serpens Magorum Ægyptiorum serpentes devoravit: sic Deus factus homo inimicorum suggerentium peccata & fraudes evacuavit, maximè tamen cùm esset exaltatus in Crucem, cùm Sanguinis sui flores ostenderet, & florum scilicet virtutum suarum odorem per totum mundum effunderet, & corda quibuscunque vitiis vulnerata sanaret. Flagellato autem & percusso diabolo (i) qui est rex super omnes filios superbiæ, levavit Dominus virgam suam super mare, & levavit eam in via Ægypti. Mare est sæculum, virga est Crux, via Ægypti est via illa lata & spaciosa quæ ducit ad mortem. Gratias tibi Domine Jesu, qui exaltasti virgam tuam super mare, prosternens Cruci tuæ superbiam sæculi, & subiiciens ei principatus & potestates. Verè Domine Crux tua premit fluctus sæculi, sedat tempestates persecutionum, & tentationum procellas mitigat. Levasti etiam virgam in via Ægypti, ut obstructâ viâ illâ latâ quæ ducit ad mortem, illam arctam & angustam ostenderes viam quæ ducit ad vitam. An nescitis? An non sentitis? An non experimini? Fervet in carne æstus concupiscentiæ, aliquando in mente ira desævit, indignationis & amaritudinis verba prorumpunt, & ad instar maris (quod vehementer agitat ventus) omnia interiora hominis conturbantur: sed levante super hoc mare Crucem suam Jesu, sedantur omnia, omnia conquiescunt.

§. I I.

Respiciamus igitur in faciem serpentis ænei, (k) in Cruce elevati Christi, si volumus à pravis dæmonum suggestionibus serpentinis liberari. Respicere autem fide in ipsum tendere est, quod utique non infirma, sed forti & perfecta fide completur. Sunt autem qui ore quidẽ confitentur quoniam Christiani sunt, factis autem negant, quos non puto fide tendere in crucifixum pium Jesum. Ut autem hoc per similitudinem aliquo modo ostendamus, videamus. Similis est enim fides vino quod tantùm colorem habet vini, sed à sapore veri vini & viribus est alienum. Hujusmodi vinum non credo esse Deo acceptum, sed quale in Cantico Canticorum laudatur, ubi ipse Sponsus ad Sponsam ait: *Guttur tuum sicut vinum optimum*. Et illa statim respondet: *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisquè & dentibus ejus ad ruminandum*. Et post pauca: *Dabo*, inquit, *tibi vinum conditum, & mustum malorum granatorum meorum*. Ecce quale vinum erit placens dilecto, & quod in amorem nostri illum accendat. Est namque vinum optimum fides perfecta, cordis sententiâ & oris confessione pariter concordante. Et quod subditur, *Dabo tibi vinum conditum*: fides bonis virtutum operibus condita & exercitata intelligitur. Tali fide tenditur & intenditur in pium Deum, non fide ficta, operibusquè carente, sine quibus fides mortua est. Demus ergo dilecto nostro pio Deo vinum optimum fidei perfectæ, & vinum diversis aromatibus virtutum saporosum: & sic intueamur in faciem ejus pro nobis in similitudinem serpentis ænei in Cruce suspensi. Et quoties alicujus serpentinæ tentationis morsu nos cognoverimus vulneratos, ad Crucem curramus, & ad thronum Crucis quandoque ignominiæ nunc summæ gloriæ accedamus: & fide, spe, & charitate liberatorem piissimum intendentes, per mortem nostri Serpentis, qui mortem antiqui serpentis occidit, à serpentum morsibus petamus liberari. Hoc etiam sciendum est (l) quòd cogitatio quantumlibet immunda mentem non polluit, cui ratio non consentit. Quis enim cogitationes suas ita refrænare potest, ut non qualibet immunditiâ titilletur? Sed continuò talium cogitationum insultus sunt reprimendi, ut unde sperabat se hostis vincere, per hoc magis victus abscedat. Quod fit tunc, quoties pravis & immundis cogitationibus attacti statim ad signum Crucis, & ad Passionis Dominicæ recordationem confugimus, suo telo in bello fortes effecti hostem ferimus. Si deinde quandoque suggestionibus diaboli (m) vel importunis carnis nostræ clamoribus ad curam carnis in desideriis peragendam revocemur, anxietates Christi, Crucisquè supplicium ponamus præ oculis, & confestim ipsa nos edocebit experientia, quid senserit Apostolus cùm dixit: *Verbum Crucis his qui salvi fiunt, virtus Dei est*. Et: *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi*. Quare? Quia sicut fluit cera à facie ignis, sic pereunt omnes immundæ cogitationes à facie Crucis. Hæc est dulcissima medicina (n) crux ipsa beata scilicet Passio Christi, quæ morbum omnem expellit, vires atque virtutes non habenti acquirit: quæ non solùm sanat ægrotos, sed etiam vivificat mortuos. Mihi meus auditor credat, imò mihi credat Crucis amator, quòd jam non lædetur à morte secunda, si in hac vita usus fuerit tali medicina. Hoc est illud lignum propheticum, quod est inter juncturas ædificiorum: quia ipsa Crux gloriosa terram conglutinat cœlo, hominem consociat Angelo; & peccatorem sic reconciliat Deo, ut ipse Deus manere dignetur in eo, & ipse manere mereatur in Deo suo. Quod si fortè luxuriæ te pompa concusserit (o) recordare dilectum tuum Jesum positum in doloribus, & universum stratum suum versatum in infirmitate ejus, hæc dicens in corde tuo: *Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* Sicq; invocato nomine Salvatoris Jesu, ingeminando sępè nomen salutis, cessabit tandem Deo succurrente quassatio. Nihil enim proficiet inimicus in eo (p) quem Crux Christi delectat, si carnalem suggesserit delectationem. Quoties autem te sentis turpibus cogitationibus pulsari (q) & ad illicitam delectationem affici: toties pone ante mentis oculos, quomodo Christus in Cruce crucifixus est pro te. Intuere quomodo à Juda Judæis traditur, & quàm viliter pertractatur, blasphematur, colaphizatur, judicatur & condemnatur, expoliatur & flagellatur: ad ultimum verò contumeliis & opprobriis affectus, inter duos latrones

i *Ser. de Adven. Dom. num. 3. tom. 6. pag. 621.* k *Tract. de vite myst. cap. 45. nu. 176.*

l *Ibid. cap. 19. nu. 76.* m *Ser. de verb. Sap. n. 6. to. 6. pag. 770.* n *Ser. 11. in vlt. Cœna nu. 85.* o *Formul. hon. vit. nu. 13. tom. 6. pag. 1225.* p *Ser. 1. de S. Andr. nu. 3.* q *Tract. de inter. dom. cap. 22. n. 47. tom. 5. pag. 427.*

nes suspenditur, clavis Cruci affixus, inclinato Capite emittit spiritum. Ita Redemptor tuus moritur pro te: & tu nescio cujusmodi sordida cogitatione sordidaris in mente. Sufficere quidem posset hæc cogitatio ad excludendas omnes illicitas cogitationes: sed ecce ad alia transeamus. Si tentationum sentis aculeos (r) exaltatum in ligno Serpentem æneum intuere: & suge non tam vulnera, quàm ubera Crucifixi. Ipse erit tibi in matrem, & tu eris ei in filium: nec pariter Crucifixum lædere aliquatenùs poterunt clavi, quin per manus ejus & pedes ad tuos usque pervenient. Aspice itaque in hujus deserto exilii Serpentem æneum (s) super columnam Crucis exaltatum, ut serpentes qui te mordent, moriantur; quia nullus qui credit in eum peribit, sed habebit vitam æternam. Denique (t) nihil sic valet ad extirpandas voluptatum radices, quàm recordatio Vulnerum Domini mei, qui stetit ante iudicem, qui alapas accepit, qui flagellatus & consputus est: qui coronatus est spinis, qui colaphis cæsus, qui suspensus in ligno, cui pendenti insultatum est: qui mortuus est in Cruce, qui etiam lanceâ percussus est. Ubi ille mulctatur morte, (u) cruce turpatur: quis suas delicias seu gloriam sustinere queat, nedum audeat quærere? Cùm ergo (x) tentationis impetum sentimus in cogitatione, statim fugiamus ad Crucifixũ, & humiliter postulemus auxilium. Quòd si fortè præoccupaverit nos (ut aliquando evenit, cùm tardiùs quàm oportet ad eum confugimus) solliciti simus ut suscipiat nos manus Domini. Homines enim aliquando cadere necesse est, dum in hoc seculo detinentur: sed alii colliduntur, alii non, quia Deus supponit manum suam. Hoc refugium qui declinat (y) nihil mirum si effugere non meretur.

§. III.

Respice (z) in faciem Christi tui, ô anima Christiana. Cognosce: (a) hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce (b) splendor & figura substantiæ Dei obnubilatur in forma servi, pro forma servi. Candor vitæ æternæ nigrescit in Carne, pro carne purganda. Speciosus formâ præ filiis hominum, pro filiis hominum illuminandis obscuratur in Passione, turpat in Cruce, pallet in morte: ex toto non est ei species neque decor, ut sibi speciosam atque decorã acquirat Sponsam Ecclesiam sine macula & sine ruga. Nigredo est (c) sed forma, & similitudo Domini. Vade ad Sanctũ Esajam, & describet tibi qualem in spiritu illum viderit. *Vidi*, inquit, (d) *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & plena erat omnis terra majestate ejus*. Sublimis quædam visio prophetico nobis sermone describitur. *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem*. Magnum spectaculum, Fratres: & beati oculi qui viderunt. Quis non toto desiderio concupiscat tantæ Majestatis gloriam contemplari? Sed aliam, Fratres, audio Prophetæ ejusdem, & ejusdem Domini longè dissimilem visionem. Siquidem Esajas iste est, qui in alio loco sic loquitur: *Vidimus eum, & non erat ei species neque decor, & æstimavimus eum tanquam leprosum*. Ubi illud primum considerandum est, quòd *communis* illa visio, hæc propheticæ prerogativæ *propria* videatur. Non sine causa sanè ibi, *Vidimus*, scriptum est, & hîc, *Vidi*: nisi ut illam quidem intelligas esse communem visionem, hanc verò excellentiæ singularis. Siquidem absque specie & decore vidit eum & sprevit Herodes: viderunt quoque ipsi Judæi, qui & dinumeraverunt omnia ossa ejus. Esajas verò (e) in utroque gradu vidit Christum. In primo vidit gloriâ & honore coronatum, quando dixit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*. In secundo gradu vidit Crucifixum, quando dixit: *Vidimus eum, & non erat ei species neque decor*. Et nota quod in primo dixit, *Vidi*; in secundo, *Vidimus*; quia illud paucorum est, & solius Prophetæ; istud multorum est, & peccatorum. Multifariè ergo Dominus (f) multisquè modis, non solùm locutus est in Prophetis, sed & visus est à Prophetis. Agnovit eum *David* minoratum ab Angelis. *Jeremias* etiam vidit eum cum hominibus conversantem. *Esajas* modò super solium excelsum, modò non solùm infrà Angelos aut inter homines, sed tanquam leprosum se vidisse testatur: idest, non in carne tantùm, sed in similitudine carnis peccati. Tu quoque si desideras videre sublimem, humilem priùs Jesum videre curato. Intuere priùs exaltatum in deserto Serpentem, si videre desideras Regem in solio residentem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet humiliatum. Reprimat & sanet ista tumorem tuum, ut illa repleat & satiet desiderium tuum. Exinanitum vides? Non sit ociosa visio, quia exaltatum ociosè videre non poteris, similis eris illi, cùm videris eum sicuti est: esto & nunc similis ei, videns eum sicut propter te factus est. Si enim ne in humilitate quidem similitudinem ejus abnuis, certa tibi sublimitatis quoque similitudo debetur. Nunquam ille socium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri. Quanta autem sollicitudine, Fratres, (g) quanto studio danda est opera, ut mundari possit oculus, quo videndus est Deus? Et ego quidem triplici sorde inquinari me sentio, concupiscentiâ carnis, & concupiscentiâ gloriæ temporalis, & præteritorum conscientiâ delictorum. Sunt enim in anima motus quidam utrorumque desideriorum, quos nec ratione, nec viribus extinguere possum, quamdiu sum in hoc sæculo nequã, & in corpore mortis teneor alligatus. Attamen contra sordes istas primò *Orationis* oppono remedium, & propterea sicut oculi Servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri: qui solus mundus est, & potest facere mundum de immundo conceptum semine. Sic & contra peccati conscientiam remedium *Confessionis* est institutum, & omnia in Confessione lavantur. Ecce hæc sunt quæ mundant oculum cordis, Oratio & Confessio. Porrò (h) quid tam efficax est ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandum mentis aciem, quàm Christi Vulnerum sedula meditatio? Verùm donec purgata & sanata perfectè fuerit, non video qua-

r *Epist.* 33 *num.* 1. s *Ser. de verb. Sap. n.* 5. *tom.* 6. *pag.* 792. t *Ser. de S. Nicol. num.* 7. *tom.* 6. *pag.* 792. u *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap.* 14. *num.* 49. x *Ser.* 2. *super Psal.* 90. *n.* 1. y *Ser.* 9. *super Psal.* 92. *num.* 7. z *Tract. de vit. erg.* 9. *cap.* 7. a *Ser. de Pass. Dom. n.* 15. b *Ser.* 28. *in Cant. num.* 1. c *Ser.* 25. *in Cant. num.* 8. d *Ser.* 1. *de verb. Esa. num.* 2.

e *Ser.* 12. *div. num.* 1. *tom.* 6. *pag.* 865. f *Ser.* 1. *de verb. Esai. num.* 2. g *Ser.* 1. *de om. Sanct. num.* 13. h *Ser.* 62. *in Cant. num.* 7.

qualiter illi aptari possit quod dicitur: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*. Quomodò denique faciem suam ostendere audeat, vel levare vocem suam, cui & latere indicitur? *Abscondere*, inquit, *in fossa homo*. (Fossam humum intelligimus illam quæ ait: *Foderunt manus meas & pedes meos*.) Quare? Quia non est pulchra facie, nec digna quæ videatur. Non erit digna videri, quamdiu non erit videri idonea. Cùm autem per inhabitationem fossæ humi in sanando oculo interiori intantùm profecerit, ut revelata facie speculari gloriam Dei & ipsa possit: tunc demùm quæ videbit, fiducialiter jam loquetur, voce & facie placens. Placeat necesse est facies, quæ in Dei claritatem intendere potest. Neque enim id posset nisi clara ipsa quoque esset & pura, utique transformata in eandem quam conspicit claritatis imaginem. Alioquin ipsa dissimilitudine resiliret insolito reverberata fulgore. Ergo cùm pura puram intueri poterit Veritatem, tunc faciem ipsius Sponsus videre cupiet, consequenter & vocem ejus audire. Utinam ego (i) talis merear esse columba, quæ in foramine petræ (k) transeunte Domino merear saltem *posteriora ejus prospicere*. Nam faciem stantis, idest, incommutabilis claritatem quis videat, nisi qui introduci jam meruit in Sancta, sed in Sancta Sanctorum? Nec vilis tamen aut contemnenda posteriorum contemplatio. Habent etiam aliquid & posteriora Domini quod videre delectet. Quis scit si convertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem? Erit cùm ostendet faciem suam, & salvi erimus. Sed interim præveniat nos in benedictionibus dulcedinis, illis utique quas post se relinquere consuevit. Nunc dignationis suæ posteriora demonstret, aliàs in gloria dignitatis faciem suam demonstraturus. Sublimis in Regno, sed suavis in Cruce. In hac me visione præveniat, in illa adimpleat. *Adimplebis me* (ait Propheta) *lætitiâ cum vultu tuo*. Utraque visio salutaris, utraque suavis: sed illa in sublimitate, ista in humilitate Illa in splendore, hæc in pallore est. Denique (l) inquit idem Propheta: *Et posteriora dorsi ejus in pallore auri*. Quomodò non in morte pallescat? Sed melius est pallens aurum, quàm fulgens aurichalcum: & quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Aurũ est Verbum, aurum est Sapientia Christus. Hoc aurũ semetipsum decoloravit abscondens formam Dei, & formã servi prætendens, Sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT X.

De virtute Crucis Christi, quâ expugnatur peccatum triplex, Originale, Personale, & Singulare.

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: & livore ejus sanati sumus. Esa. 53.

1. *Virtus Crucis expugnat Originale peccatum illud, quod à primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur universi: propter quod patimur multiplices miserias corporis, & cordis. Excitamur ad considerandum mysterium Crucis, & opus redemptionis nostræ in Cruce peractum.* 2. *Virtus Crucis expugnat Personale peccatum illud, quod committunt homines ex propria voluntate. Ostenditur quàm iniqua & crudelis sit in Deum propria voluntas. Probatur, solum Deum posse remittere nobis peccata, donare merita, & præmia redonare. Quæritur unde constat Christum posse & velle dimittere nobis peccata?* 3. *Virtus Crucis expugnat Singulare peccatum illud, quod commissum est in Christum à Judæis & crucifixoribus. Ostenditur, effectum Passionis Dominicæ esse remissionem peccatorum per Sanguinem Christi, quo etiam ipsum Singulare peccatum est deletum.*

§. I.

Cognosce anima mea (a) cognosce: hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, Unigenitus Dei Filius, Verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce hic *vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*. Affixus est Cruci (b) Salvator tuus, o anima mea, ut iniquitates tuas propriis manibus Cruci affigeret. Digna ergo est tam sancta (c) tam immaculata hostia, tam acceptabilis. Dignus est Agnus qui occisus est, accipere fortitudinem, facere ad quod venit, tollere peccata mundi. Ego autem dico, peccatum triplex quod invaluit super terram, concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Sed aliud ego triplex æquè peccatum (d) quemadmodùm virtus Crucis expugnat, dicere cogitavi: & id fortè utilius audiatur. Primum quidem *Originale*, secundum *Personale* dixerim, tertium *Singulare*. *Primò autem virtus Crucis expugnat peccatum Originale*. Originale quidem maximum illud delictum vocatur, quod à primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur universi. Maximum planè delictum est, quod sic totum nonmodò genus humanum, sed & quemlibet ipsius generis occupat, ut non sit qui evadat, non sit usque ad unum. A primo homine usque ad novissimum protenditur: & in singulis quoque à planta pedis usque ad verticem diffunditur hoc venenum. Sed & aliter nihilominùs in universam dilatatur ætatem, ab illa scilicet die, quâ sua quemque concipit mater, usque ad eam, quâ communis eum recipit mater. Alioquin unde grave jugum super omnes & totos filios Adam, idquè à die exitûs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium? In sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur. Ante exitum miseras oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus: mirum quòd non ipsi pariter laceramur. Primam vocem plorationis edimus, meritò quidem, utpote vallem plorationis ingressi, ut nobis illud Sancti Job ex omni parte possit aptari: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*. Quàm verum verbum hoc sit, non nos verba docuêre, sed verbera. *Homo* (inquit) natus

i *Ser. 7. super Psal. 90. nu. 15.* k *Ser. 61. in Cant. num. 6.* l *Ibidem num. 7. & 8.*

a *Ser. de Paß. Dom. n. 15.* b *Lib. 3 de amor. Dei cap. 19. n. 65.* c *Ser. in fer. 4. hebd. San. num. 5.* d *Ibidem num. 6.*

natus de muliere, nihil abjectius. Et ne fortè ex ipsa sibi voluptate corporeorum sensuum (quam de sensibilibus hauriat) blandiatur, in ipso statim introitu de exitu quoque terribiliter admonetur, cùm dicitur: *brevi vivens tempore*. Ac ne spatiolum illud, quod inter ingressum & egressum relinquitur, sibi liberum putet, *repletur*, ait, *multis miseriis*. Multis & multiplicibus (inquam) miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis cùm dormit, miseriis cùm vigilat, miseriis quaquaversùm se vertat. Nimirùm ipse quoque Jesus natus ex Virgine, imò filius ex muliere (sed benedicta in mulieribus) qui loquitur ad Matrem, *Mulier, ecce filius tuus*: etiam brevi vivens tempore super terram, & nihilominùs multis est repletus miseriis: in illa brevitate appetitus est insidiis, interrogatus contumeliis, pulsatus injuriis, vexatus suppliciis, convitiis lacessitus. Tune hanc sufficere dubites obedientiam (e) quæ reatum omnem primæ prævaricationis absolvat? imò verò non sicut delictum, ita & donum. Nam peccatum ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. Et grave quidem omninò delictum illud Originale, quod non solùm personam infecit, sed & naturam. Etsi in Adam omnes nescientes peccavimus (f) nos tamen peccavimus, & nobis justo Dei judicio imputatur, licet occulto. Verumtamen, ut jam non sit quod causeris ô homo, contra inobedientiam Adæ datur tibi obedientia Christi, ut si gratis venundatus es, gratis & redimaris. Si nesciens in Adam periisti, nesciens vivificeris in Christo. Nescisti quando ad lignum vetitum vetus Adam tetendit manus noxias: nescisti nihilominùs quando in ligno salutifero innoxias manus Christus extendit. Qui etiã peccata nostra (g) affixit Cruci cum suis manibus. Nos igitur qui quærimus Crucifixũ (h) Crucis attendamus mysterium. Ipsa est statera corporis Christi, quam desiderabat Job cùm dicebat: *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera*. Crux facta est statera corporis Christi, quod est Ecclesia. Cùm enim ipse crucifigeretur, appensa sunt cum eo peccata quæ commisimus, calamitas quam incurrimus: ipse erat innocens, impolutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis conversatio ejus: non enim peccatum fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Et quoniam talis ac tantus tam indigna dignatus est in Cruce pati, præponderare cœpit calamitas, & crimina levigari. Cùm adhuc tamen in Cruce erectus staret, vacillare videbatur statera, nec plenè cognoscebatur quò cadere debebat: cùm inclinato Capite emisit spiritum ut calamitas præponderando caderet, & quasi arena maris gravior appareret, Gentes quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Nam in statera ceciderunt: quia partes adversæ (*dæmones*) damnationis nostræ chirographum amiserunt. Trituratus est Moab sub Domino, expandit manus suas super eum sicut natans ad natandum, ne demergeretur in profundum: & ut ipse sublevaret nos in excelsum, expandit alas suas, nos assumpsit & portavit in humeris suis, sicut aquila provocans ad volandum pullos suos. Hinc dormias necesse est (i) inter medios cleros, id est, inter Passionem & Resurrectionem, hinc stipatus fructibus, hinc fulcitus floribus. Fructus ad Passionem, flores ad Resurrectionem pertinent. *Quæ seminaverit homo* (ait Apostolus) *hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem*. Seminavit vetus homo in carne, messuit postmodùm corruptionem. Quam? Passionem Christi. Nisi enim vetus homo transgrederetur, nouus non pateretur. O profundum & inscrutabile redemptionis nostræ consilium! Verè *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Domine Jesu Christe, si inobedientia Adæ cooperata est nobis in bonum, & tantum tamquè mirificum bonum, ut tu fieres corruptibilis: tua obedientia in quod bonum nobis cooperabitur? Profectò, ut homo fiat incorruptibilis. Si seminantes in carne, tuam messuimus corruptionem: seminantes in spiritu, nostram metemus incorruptionem.

§. II.

Secundò virtus Crucis expugnat Personale peccatum. Grave est omninò (k) primi hominis delictum illud Originale, quod non solùm personam infecit, sed & naturam. *Personale* tamen cuique gravius est, cùm jam laxatis habenis exhibemus undique membra nostra arma iniquitatis peccato, nonmodò jam alieno sed & proprio crimine compediti. Scitis Fratres (l) quòd in Baptismate abrenunciantes diabolo Pater cælestis adoptet, & in regnum Filii claritatis suæ de potestate transferat tenebrarum. Nimirum ipsa est stola prima, quam verè citò proferre ministros paternus jubet affectus, non oris petitionem, non desiderium cordis expectans, sed & ipsum intellectum præveniens in benedictionibus dulcedinis. *Quotquot enim* (ait Apostolus) *baptizati sumus in Christo Jesu, Christum induimus*. De quo & alius clamat testis & ipse fidelis: *Quia quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Nec verò inanis est aut infirma potestas, quia nimirùm certi sumus continuò & nos quoniam neque mors, neque vita neque virtutes, neque Angeli, neque altitudo, neque profundum poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu. Sed attende quanta enumeravit Apostolus (ejus enim verba sunt) minimè tamen adiiciens, *nec nos ipsi*. Nimirùm hæc est libertas quâ Christus nos liberavit, ut nulla penitùs creatura avellere nos, aut vim aliquam facere possit. Soli nos id facere possumus propria voluntate abstracti, & illecti à propria concupiscentia. Præter hanc utique nihil est quod timeamus. Quid enim odit (m) aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim gehennalis ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatẽ? Porrò voluntas propria quo furore Dominum majestatis impugnet, audiant & timeant servi propriæ voluntatis. *Primò* namque seipsam & *subtrahit* & subducit ejus dominatui, cui tanquam Auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed numquid contenta erit hac injuria? Addit *secundò* & quod in se est, omnia quo-

e *Ibidem num.7.* f *Ser.1.in Dom.1.post.Oct.Epiph.num.3.* g *Ser.38.in Cant.num.1.* h *Ser.in fer.2 Pasch.num.12.tom.6.pag.722.*

i *Ser.de verb.Sap.num.7.tom.6.pag.771.* k *Ser. in fer.4. heb. San. num.7.* l *Ser.11.diver.num.1.* m *Ser.3.de Resur. Dom.num.3.*

quæ Dei sunt, *tollit*, & diripit. Quem enim modum ponit humana cupiditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari conaret universum, si non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter: Nemini qui sit in propria voluntate, posset universus mundus sufficere. Sed utinam vel rebus istis esset contenta, ne in ipsum (horribile dictu) desæviret Rectorem. Nunc autem *tertiò* & ipsum (quantùm in ipsa est) Deum *perimit* propria voluntas. Omninò enim vellet Deum peccata sua aut vendicare non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ (quantum in ipsa est) vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis planè & execranda malitia est, quæ Dei Potentiam, Justitiam, Sapientiam perire desiderat. Porrò ipsa est propria voluntas [n] quæ in potestatem tenebrarum denuò rediit, quæ nos iterùm subdidit mortis imperio. Veni Domine Jesu etiam nunc. Jesu bone eiice iterùm fortiter, quem nos insipienter admisimus. Tunc enim verè liberi erimus etiam nunc, si nos liberaveris. Irritum fecimus fœdus primum, tibi peccavimus Domine, Satanæ & operibus ejus obligantes denuò nosmetipsos, jugo iniquitatis colla ultronea submittentes, & subiicientes nos miseræ servituti. Itaque, Fratres mei, rebaptizari nos convenit, secundum fœdus inire necessè est, opus est professione secunda; nec jam sufficit abrenunciare diabolo & operibus ejus, mundo pariter abrenunciandum est & propriæ voluntati. Ille enim seduxit, ille tradidit nos. In priori nimirùm Baptismate, quando nihil nobis adhuc voluntas nostra nocuerat, satis fuerat obrenunciare diabolo, cujus profectò invidiâ peccatum pariter & mors per unum ingrediens, in omnes homines pertransivit. Cæterùm postquam mundi fallentis illecebras, & infidelitatem propriæ voluntatis manifestè sumus experti, de cætero jam in secundo ut ita dixerim, conversionis nostræ baptismate (meritò prorsùs, & non ad insipientiam nobis) non resarcire tantummodò fœdus primum, sed etiam roborare solliciti, ipsis quoque affectibus pariter abrenunciamus, Conversi autē ad Deum [o] necessè est ut compungantur pro præteritis delictis, in quorum remissione dicitur Deus, cujus tantùm est peccata remittere. Si credis peccata tua non posse deleri [p] nisi ab eo cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, benefacis; sed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium quod perhibet in corde nostro Spiritus Sanctus, dicens: *Dimissa sunt peccata tua*. Sic enim arbitratur Paulus Apostolus, *gratis justificari hominem per fidem*. Ita de meritis quoque si credis non posse haberi nisi per ipsum, non sufficit, donec tibi perhibeat testimonium Spiritus veritatis, quia habes ea per illum. Sic & de vita æterna habeas necessè est testimonium Spiritûs, quòd ad eam divino sis munere præventus. Ipse enim peccata condonat, ipse donat merita, & præmia nihilominùs ipse redonat. Porrò [q] testimonia ista credibilia facta sunt nimis. Nam de *remissione* quidem *peccatorum* validissimum teneo argumentum, *Dominicam Passionem*. Vox siquidem Sanguinis Christi invaluit multò plùs quàm vox sanguinis Abel, clamans in cordibus Electorum, remissionem omnium peccatorum. *Traditus est enim propter peccata nostra*: nec dubium quin potentior & efficacior sit mors illius in bonum, quàm peccata nostra in malum. Denique peccatum simul cum Christo [r] Cruci ipsius non dubitatur esse affixum. De *bonis* autem *operibus* [s] argumentum nihilominùs efficax mihi est *Resurrectio* ejus, quia resurrexit propter justificationem nostram. Porrò de *spe præmiorum* testimonium ejus est *Ascensio*, quia ascendit propter glorificationem nostram. Cæterùm unde scimus [t] quòd Christus possit peccata dimittere? Hinc proculdubio, quia Deus est: & quidquid vult, potest. Unde autem scimus & quòd Deus sit? Miracula probant. Facit quoque opera quæ nemo alius facere possit, ut taceam oracula Prophetarum, nec non & Paternæ vocis testimonium elapsæ cælitùs ad ipsum à magnifica gloria. Quod si Deus pro nobis, quis contra nos? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Si ipse est & non alius cui quotidie confitemur dicentes, *Tibi soli peccavi*; quis meliùs, imò quis alius remittere potest quod in eum peccatum est? Denique ego quod in me delinquitur valeo si volo donare, & Deus non queat in se commissa remittere? Si ergo peccata remittere & possit Omnipotens, & solus possit cui soli peccatur: beatus profectò cui non imputabit ipse peccatum. Itaque cognovimus quòd peccata Christus divinitatis suæ potentiâ valeat relaxare. Porrò [u] jam de voluntate quis dubitet? Quis enim nostram & induit carnem, & subiit mortem: putas suam nobis negabit justitiam? Voluntariè incarnatus, voluntariè passus, voluntariè crucifixus est; solam à nobis retinebit justitiam? Quod ergo & Deitate constat illum potuisse, ex Humanitate innotuit & voluisse.

§. III.

Tertiò virtus Crucis expugnat Singulare peccatum. Grave quidem est omninò delictum Originale: [x] Personale tamen cuique est gravius. *Singulare* verò est illud delictum gravissimum, quod commissum est in Dominum majestatis, cùm viri impii Virum justum injustè occiderunt: & sacrilegas manus in ipsum Dei Filium injecerunt crudelissimi homicidæ, imò si fas est dicere, etiam deicidæ. Quid duo præcedentia ad tertium? Ad hoc expalluit & expavit tota machina mundialis, & penè in antiquum chaos sunt omnia revoluta. Ponamus aliquem de regni Principibus terram regiam populasse in vastitate hostili; ponamus alium, cùm esset de convivio & consilio Regis, unicum ejus filium proditoriis manibus suffocasse: numquid non primus respectu secundi innocens videbitur & immunis? Sic est omne peccatum quantùm ad hoc *Singulare* peccatum: & tamen hoc peccatum in se pertulit, qui seipsum fecit peccatum, ut de peccato damnaret peccatum. Per hoc enim omne peccatum tam Originale quàm Personale deletum est, & ipsum quoque Singulare peccatum eliminatum est per seipsum. Argumen-

n *Ser. 1. diver. num. 2. & 3.* o *Ser. 53. diver. num. 1.* p *Ser. 1. in Annunt. B. M. num. 3.* q *Ibidem num. 4.*

r *Ser. de S. Malach. num. 4.* s *Ser. 1. in Annunt. B. M. n. 4.* t *Tract. de exhort. ad milit. templ. cap. 11. n. 21.* u *Ibidem. num. 22.* x *Ser. in fer. 4. heb. San. num. 7.*

mentum mihi est à maximo peccato (y) quòd duo minora sunt explosa. Et ecce argumentum. Peccatum multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit, ut non perirent. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Cæterùm si non licet perscrutari Divinæ Sacramentum voluntatis (z) licet tamen sentire effectum operis, & fructum utilitatis percipere. Et quod licet scire, non licet tacere: quia gloria Regum est celare verbum, & gloria Dei est investigare sermonem. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Ubi reconciliatio est, ibi remissio peccatorum. Nam si dicente Scriptura, *Peccata nostra separant inter nos & Deum*; manente peccato non est reconciliatio. In quo ergo remissio peccatorum? *Hic calix* (inquit Dominus) *novi testamenti in meo Sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum*. Itaque ubi reconciliatio, ibi remissio peccatorum. Et quid ipsa nisi justificatio? Sive igitur reconciliatio, sive remissio peccatorum, sive justificatio sit, sive etiam redemptio vel liberatio de vinculis diaboli, à quo captivi tenebamur ad ipsius voluntatem: intercedente morte Unigeniti obtinemus, justificati gratis in Sanguine ipsius, *in quo* (sicut Apostolus dicit) *habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus*. Divitiæ utique salutis & gloriæ [a] sunt Sanguis preciosus quo redempti sumus, & Crux Dominica, in qua cum Apostolo gloriamur: *Mihi*, inquit, *absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi. Sed forsan quæret aliquis cum illo Abailardo, cujus errores sunt damnati in Synodo Senonensi*: Cur, inquis [b] per Sanguinem Christi facta est remissio peccatorum, quod potuit facere per sermonem? Ipsum interroga. Mihi scire licet quòd ita. Cur ita? Non licet. Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: *Quid me finxisti sic*? Sed hæc stultitia eidem Abailardo videntur, (c) non potest tenere risum. Audite cachinnos: Quomodò (ait ille) justificari nos vel reconciliari Deo per mortem Filii ejus dicit Apostolus, qui tantò ampliùs adversùs hominem irasci debuit, quantò ampliùs homines in crucifigendo Filium suum deliquerunt, quàm in transgrediendo primum ejus præceptum unius pomi gustu? Quasi non potuerit Deo in uno eodemquè facto & displicere iniquitas malignantium, & placere pietas patientis. Et ait idem Abailardus: Quod si tantum fuerat illud Adæ peccatum ut expiari non posset nisi morte Christi, quam expiationem habebit ipsum homicidium, quod in Christum commissum est? Breviter respondemus, ipsum Sanguinem quem fuderunt, & interpellationem ipsius quem occiderunt. Addit etiam idem Abailardus: Numquid mors innocentis Filii intantùm Deo Patri placuit, ut per ipsam reconciliaretur nobis, qui hoc peccando commisimus, propter quod innocens Dominus est occisus: nec nisi hoc maximum fieret peccatum, illud multò leviùs potuit ignoscere? Respondemus: Non mors, sed voluntas placuit spontè morientis: & illa morte expungentis mortem, operantis salutem, restituentis innocentiam, triumphantis principatus & potestates, spoliantis inferos, ditantis superos, pacificantis quæ in cælo sunt & quæ in terra, omnia restaurantis. Et quoniam hęc tā preciosa mors voluntariè suscipienda erat adversùs peccatū, non tamē poterat fieri nisi per peccatum: non delectatus quidem, sed tamen benè usus malitiâ sceleratorum, & mortem de morte, & de peccato damnavit peccatū. Et quantò illorum major est iniquitas, tantò hujus voluntas sanctior, & eò potentior ad salvandū: quatenùs tanta mediante potentia antiquū illud quamvis grande peccatum, necessariò tamen huic quod in Christum commissum est, cederet, tanquam minus majori. Nec peccato sive peccantibus adscribitur hęc victoria, sed benè utenti peccato, & peccantes fortiter perferenti, & convertenti in usum pietatis quidquid in ipsum ausa est crudelitas impiorum. Fuit verò Sanguis qui effusus est (d) tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est ut effunderetur, deleret; ac per hoc de antiqui illius utpote levioris deletione nullam omninò dubietatem relinqueret. Deinde inquit Abailardus: Cui verò non crudele & iniquum videtur, ut Sanguinem innocentis in precium aliquod quis requisierit? aut ullo modo ei placuerit innocentem interfici, nedum Deus tam acceptam Filii mortem habuerit, ut per ipsam universo reconciliatus sit mundo? Respondemus: Non requisivit Deus Pater Sanguinem Filii, sed tamen acceptavit oblatum; non Sanguinem sitiens, sed salutem, quia salus erat in Sanguine. O homo redempte, (e) ecce qualis Hostia victimatur pro tua culpa, pro prævaricatione tua. Sed qua necessitate, inquis, ista pertulit? quâ indigentiâ toties Sanguinem suum fudit? Legitur enim quinquies perfusus Sanguinis effusione, quod hîc breviloquio exprimendum judicavi non inutile.

Quinq; vices, & quinq; modi te Christe cruentant:
Circuncisio, sanguineus sudor, flagra, spina,
Fixura quinq; Lateris, Manuumquè, Pedumquè.

Cur tam mira pro redemptione hominum pertulit, qui solius Majestatis imperio potentissimè redimere potuit? Audi ô homo necessitatem tuam, & non suam. Protoplastus piaculare facinus commisit prævaricando, quod expiari sine Hostiæ oblatione non potuit. Purus homo puram Hostiam offerre non valuit, quem peccati contagio penitùs immundum esse constituit. Nec simplex Deus, nec Angelus immolari debuit, quoniam & hunc natura, & illum gratia impassibilem exhibuit. Irrationabilis creatura non sufficiebat tantæ rei magnitudini. Unde oportuit, ut Deus & Homo fieret hostia: Deus pro potentia liberandi, Homo pro sufficientia immolandi, homo peccator pro indigentia. Oblatus est ergo, quia *apud ipsum propitiatio est, & copiosa apud eum redemptio*. Oblatus est, quia sic decrevit ipsius erga hominem inæstimabilis dilectio. Oblatus est, quia sic homo indiguit. Oblatus est, quia ipse volvit. Patet igitur (f) quia Christi passio potentissima est ad exhauriunda omnium genera peccatorum. Ipse autem (g) det vobis ea quæ dicuntur, non solùm tenere memoriter, sed & ardenter diligere, & efficaciter adimplere, Sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

y *Ibidem num.8.* z *Tract. de error. Abailar. cap 8. n. 20.* a *Ser. 4. in vig. Nat. Dom. num.7.* b *Tract. de error. Abailar. cap.8. num.20.* c *Ibidem num.21.*

d *Ibidem num.22.* e *Tract. de 3. præcip. myst. cap.7. num.15. & 16.* f *Ser. in fer. 4. heb. San. num.10.* g *Ser.77. in Cant. num.8.*

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Octava,

De gestis in Cruce, in qua pendens Christus protulit septem verba, & mortuus est pro salute nostra.

Christus in diebus carnis suæ preces & supplicationes ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, offerens cum clamore valido & lachrymis, exauditus est pro sua reverentia. S.Paul.Hebr.5.

PROEMIUM.

Ego sum Vitis vera, dicit Jesus. Joan. 15.

FOLIA vitis (a) penè omnium arborum foliis præstantiora sunt. Quid autem in foliis, nisi veræ Vitis nostræ benignissimi Jesu verba commendantur? Præeminet in foliis vitis: præeminet in verbis Dominus Jesus. Senserant hoc Judæorum ministri qui erant missi ut adducerent Jesum, reversi & culpati dixerunt: *Nunquam locutus fuit homo sic.* Non accusaverunt defectum trunci vitis, pulchritudinem foliorum videntes: imò per folia aliquid aliud quàm quod videbatur, in Corpore debili latere senserunt. Senserat etiam Petrus, qui multis à Domino Jesu recedentibus, & interrogatis ab ipso duodecim Apostolis: *Numquid & vos vultis abire?* Respondit: *Domine quò ibimus? Verba vitæ æternæ habes: & nos ad quem ibimus?* Ac si diceret: Folia pulcherrima habes, quæ nos ab omni æstu protegant. Da nobis ergo alium pulchriorem, idest meliorem te, & ibimus ad illum abs te. Quem quia dare non potes, qui omnia potes, ad quem ibimus relinquentes te? Senserat quoque horum foliorum, idest, verborum benigni Jesu virtutem illa mulier, quæ loquente ipso ad turbas, in foliorum pulchritudine singulari læta non cogitabat, nec tacitè quidem, sed extollens vocem dixit: *Beatus venter qui te portavit: & ubera quæ suxisti.* Verè beata imò beatissima terra quæ talem tulerat Vitem, Virgo Maria Mater Jesu. Verè & tu beata mulier, quæ foliorum pulchritudine considerata inter tot calumniantium insidias, sola Veritati testimonium audacter præbuisti. Porrò viderunt virorem foliorum veræ Vitis Petrus & Joannes, & Matthæus, qui ad unam vocantis vocem illi retia, iste telonium reliquerunt. Quis virtutem verborum benigni Jesu enumerare sufficiat? Quæ virtus est verborum, quæ verbis illius non commendentur? Nulla profectò. Attamen (b) ecce Vitis nostræ desuper extensæ folia septem vestræ ostendimus charitati, quæ non satis est tantùm intueri, sed potiùs est accedendum, & sub umbra illorum sedendum, ut possimus cum Sponsa veraciter dicere: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi.* Cujus? Illius Sponsi utique, cujus folia umbram tantò habent latiorem, quantò ipse Sponsus Verbum summi Patris verba habet virtutibus amabiliora, viciniora què saluti, magis accommodata pietati, & omnium intellectui promptiora. Quamvis enim in omnibus Prophetis & Apostolis locutus est ille bonus Jesus, nullius tamen verba reperies omninò quæ ita & fortibus & infirmis, idest doctis & indoctis, sapientibus conveniant & insipientibus, ut verba doctissimi Verbi Domini Jesu. Nam sicut ait quidam: *Dulciùs ex ipso fonte bibuntur aqua.* Sciendum est autem quòd in umbra foliorum istorum, id est in verbis Domini meditandum est die ac nocte: quorum umbrâ tunc profectò protegimur, cùm, quoties à vitiis aut diabolo tentamur, aliquod verbum de Scripturis Evangelicis nobis adducimus, cujus monitis & auctoritate irruentibus in nos vitiis resistamus. Septem sunt verbula (c) quæ quasi septem folia semper virentia Vitis nostra cùm in Crucem

S. *Bernard. Abb. juxta ejus libror. edit. authore Horstio in VI. Tom. impr. Parisiis ann.* 1667. a *Tract. de vit. myst. cap.6. num.* 28.

b *Ibidem cap. 15. num. 61.* c *Ibidem cap. 8. num. 41.*

cem elevata fuit, emisit. Cithara tibi o anima Christiana, factus est Sponsus in Cruce habente formam ligni: Corpore autem suo vicem supplente chordarum per ligni planitiem extensarum. Nam nisi ligno affigeretur expansus, neutiquam verborum sonum ederet tanquam citharizans quibus amplius delectareris. Observa diligentiùs: Septem chordas habet Cithara: cantat tibi, ludit tibi, te ad audiendum invitat, quæ illam ad loquendum potiùs debueras invitare. Vide ergo folia Vitis tuæ, & indelebiliter ea memorię cõmendare memento. Hæc autem septem verba diversis modis ordinantur, quorum ordo non facilè potest inveniri, cùm non ab uno Evangelista fuerint ordinata. Nos tamen ea secundùm quod potuimus investigare, ordinamus: Igitur vana verba & non sonantia Christum [d] nec religionis tenentia pondus, in omni loco æternâ clausurâ damnantes; ad dulcia eloquia à Verbo Patris eructata, cithara nostra suas chordas extendat, & plectrum mentis linguâ vocis magistrâ tuba insonet Saluatori, quæ de ore mellifluo Christi profluxère dulcia eloquia vitæ. Sed utinam quod vobis proponitur, nulla vilitatis vel contemptus offuscaret obductio: sed arctiùs charitate obnexum carum fieret vobis super lapidem preciosum, & dulciùs saperet in vestri cordis palato super omnia mella, & super quemlibet favum.

CAPUT I.

De primo verbo Christi, quo exorabat Deum Patrem pro suis inimicis pendens in Cruce:

Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Luc. 23.

1. *Ostenditur, Christum pendentem in Cruce fuisse opprobrium populo & principibus Judæorum, qui eum subsannationibus & falsis pollicitationibus exagitabant ex persuasione diaboli, qui invidendo operi salutis humanæ, optabat descensum Christi de Cruce.* 2. *Ostenditur, Christum Cruci affixum flagrasse mira charitate & misericordia erga impios Judæos, & crucifixores suos, quando orabat Deum Patrem, ut ignosceret eis ne perirent.* 3. *Docemur exemplo Christi orare pro inimicis nostris. Ostenditur, Judæos ideo per ignorantiam crucifixisse Jesum, ut sub aliqua iustitiæ umbra ignorantibus posset ignosci. Probatur tamen dari peccatum per ignorantiam contra assertores contrariæ opinionis. Excitamur pluribus rationibus ad orandum pro inimicis nostris.*

§. I.

Et stabat populus spectans, & deridebant Jesum principes cum eis dicentes: Alios salvos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus. Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus readificas illud: salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de Cruce. Similiter & summi Sacerdotes illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Rex Israël est, descendat nunc de Cruce, & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc si vult. Dixit enim: Quia Filius Dei sum. Christus Israël descendat nunc de Cruce, ut videamus, & credamus. Illudebant autem ei & milites accedentes & acetum offerentes ei, & dicentes: Si tu es Rex Judæorum, saluum te fac. Luc. 23. Matt. 27. & Mar. 15.

Cognosce anima mea (a) cognosce: hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, Unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce (b) spectaculum fit & opprobrium mundo & hominibus: fit tanquam prodigium multis, & commotio capitis in populis Caput nostrum, gaudium nostrum, honor noster, bonus Jesus. Denique si Christus Judaicis consideretur oculis (c) non erat ei species neque decor. Quid nisi deforme (d) & nigrum oculis spectantium occurrebat, cùm expansis in Cruce manibus medius duorum nequam visum malignantibus daret, fletum fidelibus. Et solus erat risui, qui solus poterat esse terrori, solus honori debuerat. Ille qui lucem inhabitat inaccessibilem (e) in quem desiderant Angeli prospicere: foras (f) extra civitatem eductus est, extra castra passus est, in ligno elevatus est, spectandus hominibus, subsannandus ab omnibus. Agitant ministri dæmonis capita (g) insultantes dolori patientis Jesu: *Si Filius Dei est*, inquiunt, *descendat nunc de Cruce, & credimus ei.* Ac si dicant: Non adiiciet ut resurgat, tanta eum turpitudo ligat & pœna. Quid tu Judæe (h) ante Crucem agitas caput sacrilegum, quid sacrum hominis Christi Caput exagitas opprobriis? *Christus* (inquit Judæus) *Rex Israël descendat de Cruce.* O venenata lingua, verbum malitiæ, sermo nequam! Non est hoc, Caipha, quod paulò ante dicebas: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* At illud, quia mendacium non erat, non loquebaris de proprio, non à temetipso dicebas: *Si Rex Israël est, descendat de Cruce*: hoc planè tuum est, magis autem ejus qui mendax est ab initio. Quid enim consequentiæ videtur habere, ut descendat, si Rex Israël est, & non magis ascendat? Siccine tibi Judæe excidit quod audisti, *quia Dominus regnavit à ligno*, ut Regem abneges, quia manet in ligno? Sed forsitan nec audisti, quia non Judæis, sed nationibus hæc annunciatio debebatur. *Dicite* (inquit David) *in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno.* Denique (i) inquiunt Judæi: *Si Rex Israël est, descendat de Cruce, & credimus ei.* Hæc planè serpentis antiqui astutia est: hæc adinventio nequitiæ spiritualis est. Audierat impius Salvatoris vocem dicentis: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domûs Israël*: & noverat, quantum pro salute illius populi zelum gerere videretur

d *Ser. 14. in ult. Cœna num. 107.*

a *Ser. de Pass. Domin. nu. 5.* b *Tract. de vite myst. cap. 5. num. 24.* c *Tract. de vite & mor. Cleric. cap. 18. num. 60.* d *Ser. 25. in Cant. num. 4.* e *Tract. de vit. myst. cap. 2. n. 3.* f *Ser. 47. in Cant. n. 5.* g *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. n. 16.* h *Ser. 1. de Resurr. num. 1.* i *Ibidem num. 3.*

retur. Propterea malitiosè nimis linguas erudiens blasphemorum, suggerebat ut dicerent: *Descendat, & credimus ei*: quasi jam nihil posset obstare quin descenderet, qui eorum crudelitatem tantoperè desideraret. Sed quid machinatur [k] aut cui parat insidias versipellis? Nempe ei in quo nihil proficiet inimicus, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Non movetur vana pollicitatione, qui novit omnium corda: sicut nec exprobratione blasphemâ mitissimus omnium movebatur. Eò quippè tendebat malitiosa diaboli suasio, non ut Judæi crederent, sed ut nostra quoque si qua erat fides in eum omnimodis deperiret. Legentes enim: *Dei perfecta sunt opera*: quandò fateremur Deum, si salutis opus reliquisset imperfectum? Sed audiamus quid ad hæc Christus respondeat per Prophetam: Quæris signa Judæe? *Expecta me in die resurrectionis meæ*. Si vis credere, majora jam tibi opera demonstravi. Multiplicavi signa, sanitates perfeci heri & pridie, hodie magis habeo consummari. An non majus erat quod vidisti è corporibus obsessis spiritus exire malignos, & de grabatis suis exilire paralyticos, quàm è manibus meis vel pedibus clavos resilire quos infixisti? Sed patiendi tempus est, non faciendi signum: & Passionis horam sicut prævenire frustrà conatus es, sic nec poteris impedire. Sed si adhuc generatio prava & adultera signum quærit, non ei dabitur nisi signum Jonæ Prophetæ: non signum descensionis, sed Resurrectionis. O quàm horrenda (l) & insatiabilis est plaga prævaricationis nostræ, pro qua Filium Dei oportebat tot dura opprobria, tot & tam dira vulnera sustinere! Judæi non immemores odii (m) quo aderant Patrem, exercent illud in Filium. Unde & ipse ait: *Quia oderunt me, & Patrem meum*. Quid ergo fecerunt impii, quibus gravis erat etiam ad videndum? *Hic est* (inquiunt) *hæres: venite, occidamus eum*. Proinde Stephanus ad homicidas (n) ad legis adulteros, ad crucifixores Filii Dei Patris meritò loquitur: *Dura*, inquit, *cervice & incircumcisis cordibus & auribus vos semper Spiritui Sancto restitistis*. Denique dicunt Judæi: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere*. O venenata lingua (o) verbum malitiæ, sermo nequam! Numquid (p) non vipera est lingua ista? Ferocissima planè, nimirùm quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? Profectò, & acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. *Lingua* (inquit Propheta) *eorum gladius acutus*. Gladius equidem anceps, imò triceps est lingua detractoris. Nec verò ejusmodi linguam ipso etiam mucrone, (q) quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, nec jam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est *spinis*, quas illi tam sublimi Capiti furor militaris imposuit: seu etiam *clavis* ferreis, quos Sanctissimis manibus illis & pedibus consummatio Judaicæ iniquitatis infixit. Parum erat sacrilegis illis [r] crucifigere Jesum, nisi adhuc & ipsis illusionibus replevissent Animam ejus.

§. II.

Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Luc. 23.

Vide anima mea (s) qualiter Vir iste per omnia conturbatur, & spernitur. Ad locum deductus supplicii, myrrhâ potatur & felle, in Cruce sublevatur, & dicit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Qualis est hic, qui in omnibus pressuris suis nec semel aperuit os suum, ut aut querelæ, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis verbum adversùs maledictos canes illos proferret? Sed novissimè verbum benedictionis super inimicos suos, quale à sæculo non est auditum, effudit. Quid hoc Viro mansuetius, quid benignius anima mea vidisti? Peccatum multorum tulit (t) & pro transgressoribus rogavit ut non perirent: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Volat irrevocabile verbum tuum Domine, nec reverteretur ad te vacuum: sed faciet ad quod misisti. Vide nunc anima mea, opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Flagellis cæsus est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor: *Ignosce*, ait, *illis*. Hinc multæ miseriæ Corporis, hinc multæ misericordiæ Cordis: hinc dolores, hinc miserationes: hinc oleum exultationis, hinc Sanguinis guttæ decurrentis in terram. Misericordiæ Domini multæ, sed & miseriæ Domini multæ. Vincentne miseriæ misericordias? an misericordiæ miserias superabunt? Vincant misericordiæ tuæ antiquæ Domine, vincat Sapientia malitiam. Magna enim illorum iniquitas, sed numquid non maior pietas tua Domine? Multùm per omnem modum. *Numquid redditur pro bono malum* (ait Jeremias Propheta) *quoniam foderunt foveam animæ tuæ*? Planè foderunt impatientiæ foveam, occasiones indignationis plurimas & quàm maximas ministrantes. Sed quid horum fovea ad abyssum mansuetudinis tuæ? Retribuentes mala pro bonis foveam foderunt: sed charitas non irritatur, non præcipitatur, nunquam excidit, non in foveam ruit, & pro retributis malis cumulat bona. Absit ut muscæ morituræ exterminent suavitatem unguenti, quod de tuo Corpore fluit: quia apud sinum tuū est misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Prorsùs copiosa [u] quia non gutta, sed unda Sanguinis largiter per quinque partes tui Corporis emanavit. Muscæ morituræ (x) miseriæ sunt: muscæ morituræ blasphemiæ sunt: muscæ morituræ insultationes sunt, quas tibi reddit generatio prava & exasperans. Tu autem quid? [y] In ipsa elevatione manuum tuarum, cùm jam Sacrificium matutinum in holocaustum vespertinum transiret: in ipsa inquam virtute incensi (quod cælos abscendebat, terram operiebat, inferos respergebat) exaudiendus pro reverentia tua clamas: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. O quàm multus es ad ignoscendum! O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine! O quàm lon-

k *Ibidem n.4. & 5.* l *Lib.3. de amor. Dei cap 26. n.88.* m *Ser.3. de Circumcis. Dom n.4.* n *Ser. de S. Steph. n.2. tom. 6. pag. 627.* o *Ser. 1. de Resur. Dom. n.1.* p *Ser. 17. diver. n.4.* q *Ibidem n.5.* r *Ser. de Pass. Dom. n.12.*

s *Ibidem n.13.* t *Ser. in fer. 4. hebd. San. num. 8.* u *Ser. 22. in Cant n.7.* x *Ser. in fer. 4. hebd. San. num. 8.* y *Ibidem n.9.*

longè cogitationes tuæ à cogitationibus nostris! O quàm firmata est etiam super impios misericordia tua! Mira res. Ille clamat, *Ignosce*: Judæi clamant, *Crucifige*. Molliti sunt sermones ejus super oleum: & isti sunt jacula. O charitas patiens, sed & compatiens! Charitas patiens est, sufficit. Charitas benigna est, cumulus est. Noli vinci à malo, charitas abundans est: sed vince in bono malum, superabundans est. Non enim sola patientia, sed & benignitas Dei ad pœnitentiam Judæos adducit: quia benigna charitas etiam quos tolerat amat, & amat tam ardenter. Patiens charitas dissimulat, expectat, sustinet delinquentem. Sed benigna charitas impios trahit, adducit, converti facit ab errore viæ suæ: denique cooperit multitudinem peccatorum. O Judæi, lapides estis, sed lapidem percutitis molliorem, de quo resonat tinnitus pietatis, & abullit oleum charitatis. Quomodò potabis Domine desiderantes te torrente voluptatis tuæ, qui sic perfundis crucifigentes te oleo misericordiæ tuæ? O fons misericordiæ Jesu [z] quem ad te diligendum non moveat, quòd inter opprobria exprobrantium, inter mortis angustias tuarum miseriarum oblitus, sed tuarum misericordiarum memor, tam piè, tam opportunè ad Patrem pro tuis crucifixoribus interpellas? Nam in extensione & transfixione corporis tui, cum jam figura tua in occasu verteretur; in ipsa hora incensi, cùm jam virtus holocausti cœlos aperiret, terram concuteret, & inferos spoliaret: Tu Sũmus Pontifex introjens cum Sanguine in Sancta Sanctorum exaudiendus pro tua reverentia clamabas: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Doleo super te Domine mi Rex [a] magister & pater, imò & frater, Domine mi Jesu Christe, amabilis valdè super amorem mulierum. Hasta orationum tuarum non est aversa, quia etiam pro transgressoribus orasti ut non perirent: quantò magis pro amatis? Quàm dulcis eris diligentibus te [b] qui odientes & occidentes te, tantâ & tam indebitâ, tam gratuitâ & tam stupendâ benignitate prævenisti! Christus Jesus mediator fidelis [c] sicut in persona una Dei hominisquè substantiam copulavit ineffabili Sacramento, sic & in ipsa reconciliatione est usus consilio altissimo, mediam non deservit æquitatem; utrisque tribuens quæ oportebat, honorem Deo, homini miserationem. Hæc enim est optima inter offensum Dominum & reum seruum forma compositionis, ut nec honorandi Domini zelo seruus opprimatur austeriori sententia, nec rursùm dum huic immoderatiùs condescenditur, ille debito fraudetur honore. In ligno enim Christus spinis coronatus [d] cruci affixus dissimulat illum unicũ dolorem, & obliuiscitur mortis vicinæ: nouum introducturus exemplum, aperit latitudinem charitatis, & apertiori campo terminos traditæ legis amplificat, jam non solùm amicus amicis, sed velint nolint amicus pariter inicis. *Pater* (inquit) *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Non potuit esse inefficax Oratio morientis: unde & inimicorum numerositas ad numerum amicorum transivit. Addo [e] quòd hanc ipsam dilectionem non reddidit, sed addidit. Nam quis prior dedit, & retribuetur ei? Denique dilexit etiam non existentes. Sed adjecit & resistentes diligere, juxta Pauli testimonium dicentis: *Quoniam cùm adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius*. Alioquin si non dilexisset inimicos, nondum possedisset amicos: sicut necdum quos sic diligeret essent, sic non dilexisset qui nondum essent.

§. III.

Luca referente cognovimus [f] quòd cùm crucifixus esset Jesus dixit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. O verbum summi Patris Verbo conveniens! Facit bonus Doctor quod jusserat. Orat non solùm pro persequentibus & calumniantibus, sed etiam pro occidentibus se. Reconde, ô anima Christiana, in thesauro cordis tui hoc verbum, ut quotiescunque fæviunt inimici, memoriam abundantiæ suavitatis Jesu valeas eructare, hoc verbum semper tanquam clypeum contra inimicorum insultus opponens. Orat Christus pro suis occisoribus, tu non orabis pro detractoribus? Quid fles (g) quid suspiras ô homo, dum sustines verborum injurias? Non audis quanta adversùs Dominum Deum tuum ceciderunt opprobria propter te? Sed & ipsam ejus orationem (h) diligentiùs videamus. *Pater*, inquit Jesus. Quare nomen Patris ponit? Solent pueri aliquid affectuosiùs petere volentes nomen paternum nominare, ut naturalem dilectionem ipsis ad memoriam reducant, per quam faciliùs petitionis suæ consequantur effectum. Sic & Redemptor noster miserator & misericors, patiens & multùm misericors, & suavis in universis, quamvis se à Patre sciret semper audiri; tamen nobis commendans cum quanto affectu sit pro inimicis orandum, nomen posuit charitatis. Tanquam si diceret: Per dilectionem paternam quâ unum sumus, supplico tibi, ut exaudias me pro his occisoribus meis, ignoscendo illis; agnosce Filii tui amicitiam, ut inimicis ignoscas. Et idem quare sit ignoscendum, subjungit: *Quia nesciunt quid faciunt*. Quid hìc dicemus? Numquid ignorabant se crucifigere eum, quem crucifigebant? Nequaquam: sed quis esset ille quem occidebant, ignorabant. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Nescierunt utique quid facerent: quia quantùm deliquerunt, nescierunt. Judæi (i) qui Dominum crucifixerunt, magni quidem peccatores, sed pusilli æstimatores, etsi ex uno iram, numquid non tamen ex altero veniam meruerunt? Beati siquidem fuissent, si juxta verbum Domini in ipso scandalizati non essent. Nunc verò quid nisi miseri? Sed tamen & miserandi. Probat hoc illa pia in Cruce patientis Jesu, sed nihililominùs compatientis supplicatio: *Pater*, inquit, *ignosce illis*. Et quasi quæreretur indulgentiæ ratio in tam horrendo facinore, sequitur: *Quia nesciunt quid faciunt*. Ac si diceret: Eò digni veniâ, quò & pusilli scientiâ sunt. Ideo ignosco illis, quia non agnoscor ab illis. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Christus Dominus (k) in universali hominum miseria

z *Lib. 3. de amor. Dei cap. 26. num. 90.* a *tract. de vite myst. cap. 5. num. 26.* b *Lib. 3. de amor. Dei cap. 26. num. 90.* c *Ser. 2. in Annun. B. M. num. 2.* d *Ser. de S. Steph. num. 6. tom. 6. pag. 629.* e *Ser. 20. in Cant. num. 2.*

f *Tract. de vite myst. cap. 8. num. 42.* g *Ser. de Pass. Dom. num. 6.* h *Tract. de vite myst. cap. 8. num. 43.* i *Tract. de præcep. & dispensat. cap. 9. num. 20.* k *Ser. in fer. 4. hebd. san. num. 10.*

seria pressiùs & profundiùs sese immersit, ne subtilis etiam ille diaboli oculus magnum hoc pietatis deprehenderet Sacramentum. Ideò habitu & omni habitu inventus est ut homo: nec in eo quantum ad naturæ debitum, signum aliquod singularitatis apparuit. Quia enim inventus est, ideò crucifixus est. Paucis autem revelavit seipsum, ut essent qui crederent: reliquis verò absconditus est, *quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Ad hoc etiam illi Singulari peccato ignorantiam copulavit, ut sub aliqua justitiæ umbra ignorantibus posset ignosci. Cæterùm is forsitan (l) qui asserit non posse peccari per ignorantiam, nunquam pro suis ignorantiis deprecatur, sed potiùs Prophetam David irrideat deprecantem & dicentem: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*. Forsitan & reprehendet Deum exigentem pro peccato ignorantiæ satisfactionem. Loquitur enim in Levitico ad Moysen dicens: *Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritquè unum ex his quæ lege Domini prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, juxta mensuram æstimationemquè peccati*. Et rursùm ait: *Qui orabit pro eo quod nesciens fecerit, & dimitteretur ei, quia per errorem deliquit in Domino*. Porrò si ignorantia nunquã peccatum est (m) cur dictum est in Epistola ad Hebræos, quia in secundo tabernaculo semel in anno solus Pontifex intraret non sine sanguine, quẽ offerret pro sui & populi ignorantia? Si peccatum ignorantiæ nullum est, non ergo peccavit Saulus quod persecutus est Ecclesiam Dei, quoniam quidem ignorans hoc fecit manens in incredulitate? Benè itaque faciebat quòd erat blasphemus & persecutor & contumeliosus, quòd erat spirans minarum & cædis in Discipulos Domini, in hoc ipso quippè abundanter æmulator existens paternarũ suarum traditionum? Non ergo debuit dicere: *Misericordiam consecutus sum*, sed mercedem recipi, quippè quem ignorantia à peccato reddebat immunem, insuper & æmulatio remunerabilem judicabat? Si, inquam ignorantiâ nunquã peccatur, quid ergo causamur adversùs occisores Apostolorum, quóniam quidẽ non solùm malum esse nescierunt interficere illos, sed insuper quoq; id faciendo arbitrati sunt obsequiũ se præstare Deo? Sed & frustra in cruce Salvator pro suis orabat crucifixoribus, quippè nescientibus (ipso teste) quid facerent, & ita nequaquam peccantibus? Neque enim fas est ullatenùs suspicari mentitum fuisse Dominum Jesum apertè perhibentem eos ignorare quid facerent. Et si fortè de Apostolo Paulo dubitet quis quòd carnem suam æmulans, sicut homo mentiri potuerit ubi ait: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Numquid non ex his satis apparet, in quantis jaceat ignorantiæ tenebris homo ille, qui ignorat peccari posse interdum per ignorantiam? Imitemur ergò Jesum (n) qui pro inimicis suis mori non dubitavit, & oravit pro crucifixoribus suis: qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tanta sustinuit. Sic autem orandum est tibi ò anima Christiana (o) quæ sponsa Domini nuncupari desideras. Cùm in te sæviunt inimici, cùm obloquuntur, minantur, damna ingerunt, & cùm in faciem cædunt, imò & cùm occidunt: memento folii Vitis tuæ, sonum citharæ tuæ recordare, sequere, idest imitare sponsum tuum Jesum, & dic ex toto corde: O Sponse Jesu *ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*: id est, quantum delinquant, ignorant. Si enim scirent quantam beatitudinem amittant, quantam infelicitatem peccando incurrant, utique non peccarent. Quid enim est quod omnes homines ad peccandum instigat, nisi ignorantia boni, quod perditur: mali, quod peccando incurritur? Amittitur optimus Deus, acquiritur pœna gehennalis: quorum commutationem nullus appetit, nisi prorsùs insanus. Et verè quicunque cæli delicias omittentes scienter peccando pœnas infernales invadunt, insani sunt, nesciunt quid faciunt. Talibus ergo & pro nostra salute & pro illorum ignorantia est ignoscendũ: & pro ipsis orandũ est cum grandi fiducia, quia tales preces aures Domini violẽter irrumpunt. Nimirùm exaudit ipse alios, in quo se volvit exaudiri: & exauditus fuit, cùm ad prædicationem Petri uno die tria millia, alio die quatuor millia eorum qui ad necem Domini acclamaverunt, sunt conversi. Quanta in cælestibus jucunditas erit cùm occisus occisorem, & quilibet læsus se lædentem orationibus suis perducit ad Cælum? O quanta fuerit exultatio Stephani super conversione Pauli? qui suis orationibus ad fidem conversus, postea pro fide Christi sicut ipsũ lapidaverat lapidatus est, & multa mala quę ante Sanctis discipulis Christi ingesserat, propter Christum sustinuit. Sequamur igitur & nos pro inimicis orando, ut illis simul & nobis æternam mereamur obtinere salutem. Videamus autem (p) quàm recto cursu Stephanus & si non æquat, sequitur tamen Redemptorem. Volat saxorum imber, & fortissimis invidorum manibus loca vulnerum duplicantur: sed patienter patitur coronatus noster de corona nominis ad coronam regiminis transferendus. Nescit affectum carnis, & mortis horam ignorat. Et videamus quod deliberat faciendum: *Positis* (ait Scriptura) *genibus exclamavit voce magna dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum*. Clamat *voce magna*, quia magna utique charitate. *Positis genibus*, quia vera & humili simplicitate pro se orans stat & erigitur: pro lapidantibus flectit genua. Quis audivit unquam talem? & quis vidit huic similem? Plùs dolet persequentium peccatum, quam sua vulnera: plùs dolet illorum iniquitatem, quàm suam mortem. *Et cùm hoc dixisset, obdormivit in Domino*. Felix somnus cum requie, requies cum voluptate, voluptas cum satietate, satietas cum securitate, securitas cum æternitate. *Obdormivit*, inquit, *in Domino*, absorptus in claritatis abyssum, & inter Dei sui brachia requiescens. Fortassis etiam suggeret de vobis Domino suo, Judici vestro, ne statuas illis aliquid ad peccatum. Qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

CA-

l *Tract. ad Hug. de quæst. cap. 4. num. 16.* m *Ibid num. 17.* n *Serm. 4. de Advent. Dom. num. 7.* o *Tract. de vite myst. cap. 8. num. 44.*

p *Ser. de S. Steph. num. 7. tom. 6. pag. 629.*

CAPUT II.

De secundo verbo Christi, promittentis paradisum Latroni confitenti & supplicanti.

Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23.

1. *Expenditur allegoria Josephi cum duobus incarcerati, & Christi cum duobus latronibus reputati. Docemur ut exemplo patientiæ Christi, & Latronis confitentis sustineamus omnem tribulationē, si volumus obtinere paradisum. Ostenditur, Christum nobis certantibus esse & exemplum & præmium.* 2. *Laudatur fides Latronis, confitentis innocentiam Christi, & ejus maiestatem regiam. Exponuntur singula verba Christi prolata ad Latronem, uno die pœnitentem & beatum.* 3. *Ostenditur, Latronem ob consortium & compassionem tormentorum Christi meruisse paradisum, in quem simul cum Christo intravit per portam misericordiæ ejus. Agitur de triplici misericordia Dei, parva, mediocri, & magna. Monemur ut non parvipendamus peccata venialia, & non differamus agere pœnitentiam in articulum mortis.*

§. I.

Unus autem de his qui pendebant latronibus blasphemabat Jesum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es. Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23.

SEcundum Vitis nostræ folium (a) & secunda citharæ nostræ chorda est secundum verbum Domini Jesu Crucifixi, quod ait ad Latronem confitentem & Crucifixi consortium expetentem: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso*. Tres in carcere quondam fuisse legimus (b) tres in Cruce. Joseph siquidem cum pincerna & pistore Regis Ægypti carcerali custodiæ mancipatus, Christus verus Joseph cum sceleratis duobus utique reputatus est. Et illi quidem in carcere vidêre somnia, & audière interpretationem: isti in Cruce verba locuti sunt, & unus accepit promissionem. Priorum siquidem alter propinabat Regi, & audivit: *Restitueris in gradum pristinum*. Alter pascebat porcos, & responsum accepit mortis. Ipsi quippe sunt porci, quos pavit ille prodigus adolescens. Spurci siquidem & elati meritò porcorum & auium nomine designantur. Porrò eorum qui crucifixi sunt cum Salvatore, alteri utique confitenti dictum est: *Hodie mecum eris in paradiso*: alteri quoque blasphemanti non quidem à Domino (neque enim tunc ille judicabat quenquam) sed à socio responsum est: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es?* Quid ergo putamus, quid duobus illis quorum alteri dictum est, *Restitueris post tres dies*: alteri, *Hodie mecum eris in paradiso*: præter ipsam sanè dilationem interim potuit esse molestum? Quid verò illum potuit delectare cui dictum est: *Truncato capite post triduum suspenderis, auium esca futurus?* Sanè in hac dilatione positi sumus omnes, & nemo nisi in carcere, sine cruce interim nemo. Quippè ubi nec innocens invenitur immunis, quandò peccator requiem sperat? Cæterùm si quis volens sustinet dicens, *Nos quidem justè*, mercedem habebit: sin autem invitus & blasphemans & negans Deum factis, duplex ei contritio est. Ante omnia igitur quære patientiam quam debes Deo (c) quia ab eo saluandus es. *Omnes enim qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Cælorum*. Nunquam Christus (d) socium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri. Denique usque adeò non dedignatur passionis consortem & in regnum mittere secum, ut in cruce confitens Latro eadem die cum eo fuerit in paradiso. Hinc est quod ait etiam ad Apostolos: *Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus meis, & ego dispono vobis regnum.* Vide autem (e) ne per impatientiam pereas, sed universa pro eo sustine, qui prior majora pro te sustinuit, & apud quem infructuosa patientia non erit, sicut ait Propheta: *Patientia pauperum non peribit in finem*. Porrò (f) vobis charissimi tanquam spiritualibus spiritualia comparantes, in *processione* quidem cælestis patriæ repræsentamus gloriam, in *passione* monstramus viam. Nam si in processione considerasti quò properandum sit, disce in passione quâ sit eundum. Hæc est enim via vitæ, tribulatio præsens, via gloriæ, via civitatis habitaculi, via regni, secundùm quod clamat Latro de cruce: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum*. Euntem in regnum vidit, quò cùm pervenisset, sui memorem esse rogavit. Pervenit ergo & ipse. Sed si vis nosse quàm compendiosâ viâ: eadem die meruit cum Domino esse in paradiso. Tolerabilem proinde reddidit passionis laborem gloria processionis: quoniam amanti nihil difficile est. Quia ergo si compatimur (g) & conregnabimus, sit interim meditatio nostra Christus, & hic Crucifixus. Siquidem & ipse [h] propter nos tribulationem & dolorem invenit, quando proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta. Clamat Latro de Cruce: (i) *Domine, memento mei, cùm veneris in regnū tuum*. Ergone per supplicium ille vadit in regnum? Quis indicavit tibi quoniam oportebat pati Christum, & sic intrare in gloriam suam? Christus utique (k) de morte meruit Resurrectionem, de Cruce judicii potestatem: ut quoniam in illa injustè judicatus est, de illa justam obtineret judicis censuram, ipso post Resurrectionem dicente: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra*. Ipsam verò servi formam, id est Carnem in qua passus & mortuus est, resuscitatam evexit

Mm super

a Tract· de vite myst. cap. 9. num. 44. b tract. de vit. & mor. Cleric cap. 19. num. 63.

c Ser. 2. de resur. num. 10. d Ser. 1. de verb. Esai num. 2. e Ser 2. de Resur. num. 10. f Ser. 1. in Dom. Palm. num. 2. g Ser. 1. de verb. Esa. num. 2. h Ser. 16. super Psal. 90. num. 2. i Serm. 2. in Epiph. Dom. num. 3. k Ser. 60. diver. num. 2.

super omnes cælos, & super omnes Angelorum choros, usque ad dexteram Patris. Quæritur (l) quænam fuit causa quòd Sponsus cælestis se *campi florem* maluerit appellare? Profectò ut Sponsam ad tolerantiam animaret, cui noverat imminere (siquidem vellet piè vivere in Christo) persecutionem pati. Id se ergo libentiùs profitetur, ad quod potissimùm vult habere sequacem: atque hoc est quod aliàs dixi, quoniam semper & illa appetit quietem, & ille incitat ad laborem, denuncians ei quòd per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum. Unde cùm nova in terris Ecclesia noviter desponsata sibi redire ad Patrem disponeret, dicebat ei: *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Item: *Si me,* ait *persecuti sunt, & vos persequentur Ego flos campi* (m) *& lilium convallium.* Sponsa ergo monstrante lectulum, Sponsus vocat ad campum, ad exercitium provocat. Nec putat quidquam persuasibilius fore illi ad ineundum certamen, quàm si seipsum certantis aut exemplum proponat aut præmium. *Ego flos campi.* Sanè utrumvis in hoc sermone intelligi datur, vel quòd sit videlicet pugnantis forma, vel quòd sit gloria triumphantis. Utrumque es mihi Domine Jesu, & speculum patiendi, & præmium patientis. Utrumque fortiter provocat, ac vehementer accendit. Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ: tu caput meum post victoriam tuæ coronas præsentiâ Majestatis, sive quia pugnantem te specto, sive quia te expecto non solùm coronantem, sed & coronam. In utroque mirabiliter tibi me allicis: uterque funis violentissimus est ad trahendum. Trahe me post te, libenter te sequor; libentiùs fruor. Si sic bonus es Domine sequentibus te, qualis futurus es consequentibus? *Ego flos campi.* Qui diligit me, veniat in campum, non refugiat mecum & pro me inire certamen, ut possit dicere: *Bonum certamen certavi.*

§. II.

Clamat Latro de cruce: (n) *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Quis indicavit tibi quoniam oportebat pati Christũ, & sic intrare in gloriam suã? Mira res, & omni admiratione digna! Propterea rogo vos, intuemini & videte quàm oculata sit Fides: quàm lynceos oculos habeat, diligentiùs considerate. Cognoscit Dei Filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem. Siquidem Latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt: ille clavis infixum, isti pannis involutum. Centurio verò vitam agnovit in morte. Videns enim quòd sic clamans expirasset, *Verè*, inquit, *hic homo Filius Dei erat.* Magi agnoverunt Dei Virtutem in teneri corporis infirmitate, Centurio summum Spiritũ in expiratione. Magi Dei Verbum in infantia cognovère: siquidem quidquid illi sermonibus, isti muneribus confitentur. Latro Regem, Centurio Dei Filium simul & hominem pronunciant. Non cognovit Synagoga (o) quæ nigredinem illi passionis & infirmitatis improperans: *Alios* (ait) *salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: Christus Rex Israël descendat de Cruce, & credimus ei.* Sed cognovit Latro de cruce, licet in cruce, qui & innocentiæ puritatem confessus est: *Hic autem* (inquiens) *quid mali fecit?* Et gloriam regiæ majestati simul est protestatus: *Memento mei*, dicens, *dum veneris in regnum tuum.* O quanta (p) Latronis fiducia! Omnis mali, nullius boni conscius sibi, transgressor legis, vitæ simul & substantiæ raptor alienæ, positus in januis mortis in fine vitæ, desperatus de vita præsenti, spem vitæ futuræ) quam toties demeruerat, nunquamquè meruerat concipere) requirere non formidat. Quis hîc desperet Latrone sperante? Sed operæ precium est diligenter intueri qualis fuerit Latro iste, ne, si causam spei nesciamus, præsumptionis vitium incidamus. Omnes amici & proximi & noti; fratres quoque imò & ipsi Discipuli unanimes & electi de mundo, à Domino Jesu Christo recesserunt in tantarum pressurarum molestia: in tanta confusione, & tantis opprobriis (percusso pastore) velut erraticæ oves sunt dispersi. Et nunc Latro inter tot improperia & miserias, imò & inter tot tormenta crucis & mortis priùs non cognitum confitetur, & ab eo fiducialiter petit auxilium, qui auxilio videbatur indigere. Quemnam Discipulorum tanta audacia inflãmavit? Fugerunt omnes eum, quem hactenùs fuerant confessi dum adhuc viveret, Latro verò quem viventem negaverat, confitetur morientẽ. Quod ait Apostolus: (q) *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: in illo Latrone declaratum est. Oravit namque in *fide* [r] & *spe*, & *charitate*, dicens: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Credit profectò in eum, quem Dominum & Regem appellat. Quis autem petit hoc, quod non sperat? Amat verò eum, cui conjungi desiderat. Quid tali oratori ille bonus Jesus negaret, qui eum incitaverat ut rogaret, præsertim dum in sede sponsali & in die nuptiali sederet? Sedes sponsalis Crux erat, in qua verus Sponsus Jesus Sponsam suã Ecclesiam sibi copulavit, ipsam sibi proprii Sacrati Sanguinis effusione subarrhans. Exaudivit ergo Christus animam non jam latronis, sed Confessoris sui, sponsam suam, & orantem digna responsione confortavit: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. Amen*, Hebræum est vocabulum, [s] & in se continet quasdam significationes diversas. *Amen* dicitur adverbium optandi, ut hîc cùm dicitur, Hoc bonum tibi contingat: respondetur, *Amen*. Adverbium affirmandi, ut hîc cùm dicitur: *Amen dico tibi*, idest, in veritate dico tibi. Verè dico tibi: [t] *Hodie mecum eris in paradiso.* Cui tibi? Tibi qui me confessus es in cruce tormentorum: *mecum eris in paradiso* deliciarum. *Mecum*, inquit, mira benignitas. Non dicit simpliciter; *Eris* in paradiso, vel cum Angelis eris: sed *mecum eris*, Satiaberis eo, quem desideras: videbis eum in Majestate, quem confiteris positum in infirmitate. Nec differo quod promitto: quia *hodie mecum eris*. Bonus verò & dulcis Jesus citò exaudit, citò dat. Quis de tam pio exauditore, veloci promissore, prompto reddito-

re

l *Ser. 17. in Cant. num. 5.* m *Ibidem num. 6.* n *Ser. 2. in Epiph. Dom. num. 3. & 4.* o *Ser. 28. in Cant. num. 10.*

p *Tract. de vite myst. cap. 9. num. 44.* q *Tract. ad Hugon. de quæst. cap. 2. num. 7.* r *Tract. de vite myst. cap. 9. num. 45.* s *Ser. 7. in ult. Cœna num. 47.* t *Tract. de vite myst. cap. 9. num. 45.*

re desperet? Speravimus in te, qui novimus dulce Nomen tuum: quoniam non derelinques quærentes te. Accedimus ergo ad te, ô bone Jesu, mente quâ possumus, sedentem in throno Majestatis; orantes ut illuc à te, & ad te meramur introduci, quò ingressus est tuus Latro te confessus in throno Crucis. Utinam & mihi (u) suam Deus acceleret gratiam, & multiplicet misericordiam: & sit ad restituendam innocentiam efficacior velox clementia quàm diuturna pænitentia. Beatus siquidem est, cui non imputabit Dominus peccatum. Nam quis accusabit adversùs electum Dei? Si Deus justificat, quis est qui condemnet? Hoc salutis compendium sanctus ille Latro consecutus est, qui uno eodemquè die simul & confessus latrocinia, & introductus est ad gloriam; brevi quodam contentus ponte Crucis ad transigendum de regione dissimilitudinis in terram viventium, & de luto fæcis in paradisum voluptatis. Hinc suam mentem exerceant optimi quique [x] quòd nesciunt utrum amore an odio sint digni. Et verè nesciunt & ignorant, quid superventura pariat dies, imò nec hora: quantò minùs sciunt, qualis eorum finis futurus sit, vel eorum qui modò mali sunt? Si Judam proditorem vidisses, cùm adhuc erat Discipulus & inter summos, eiicientem in nomine benigni Jesu dæmonia: vidissesquè Latronem postea cum Christo crucifixum, qui eatenùs institisset latrociniis & homicidiis, non dubito quin Latroni Discipulum prætulisses: et tamen omnes scimus, quòd uni alter in fine prælatus sit. Felicem Latronem intueor se accusantem (y) Christumq; excusantem, & Dominum promittentem: *Hodie mecum eris in paradiso*. O quàm sublimis ista confessio, per quam de patibulo ad regnum, de terra ad Cælum, de cruce Latro damnatus ac crucifixus ad paradisum ascendit. O quàm longum cursum felix iste Latro complevit (z) qui consummatus in brevi explevit tempora multa. Istud modicum tempus quàm felix (a) quàm jucundum, quàm gloriosum fuit illi Latroni, qui in illo modico meruit à Domino suo audire: *Hodie mecum eris in paradiso*. O Vox dulcis, ô vox delectabilis, *Hodie mecum erit in paradiso*. O Domine Jesu, quid dulcius, quid delectabilius, quid jucundius, quàm esse tecum in paradiso? Nihil prorsùs, penitùs nihil. Quid ergo dicam, quid faciam, qui adhuc in hujus peregrinationis ærumna constitutus tam longè exulo à deliciis paradisi Dei mei? O Jesu bone, esto mihi Jesus. Recole Salvator, quid & propter quid passus es, & miserere mei. Ipsa te cogat pietas, ut mala nostra superes parcendo, & voti compete nos tuo vultu saties. Tu esto meum gaudium, qui es futurus præmium. Sit mea in te gloria in sæculum sæculi. Amen.

§. III.

Amen dico tibi, [b] *hodie mecum eris in paradiso*. O quantam dulcedinem resonat verbum istud? Quàm subitò ex hoste factus est amicus, ex alieno familiaris, de extraneo proximus, de latrone Confessor. Pincerna Pharaonis in gradum pristinum restitutus [c] statim oblitus est Joseph Sancti, qui in carcere tenebatur. Non enim erant unius Capitis membra, nec aliqua pars fideli cum infideli, aut ulla societas Israelitæ ad Ægyptium, non plùs quàm luci ad tenebras. Interpretatur enim Ægyptus tenebræ, Israel verò videns Deum: atque ideo ubicunque Israel erat, lux erat. Non sic noster Jesus crucifixi secum Latronis potuit oblivisci: Factum est utique quod promissum est: ipsa die quâ compassus est, & conregnavit. Sciendum autem est [d] quòd per portam misericordiæ ingressus est Latro ille Evangelicus, qui cũ de profundo iniquitatis & ignorantiæ solâ Dei bonitate eductus esset, in ipso mortis articulo ab ore putei gehennæ in deliciosam paradisi amænitatem est reductus. Per hanc portam ingrediuntur forsitan & illi, qui per totam vitam suam flagitiis & inquitatibus servientes, cùm morti pro suis sceleribus addicuntur, si plenam satisfactionem de malorum suorum perpetratione per veram cordis contritionem offerunt Deo: in cælestem Jerusalem per portam misericordiæ quandoque intraturi sunt. Scriptum est enim: *Quacunque hora peccator ingemuerit, saluus erit*.. Et alibi: *Ubi te invenero, ibi te judicabo*. Iterùm: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. *Miserere mei Deus* [e] *secundùm magnam misericordiam tuam*. Sicut sunt peccata minima: sunt mediocria, sunt & magna: sic est misericordia parva, mediocris, & magna. Magnus ergo peccator magnâ misericordiâ opus habet: ut ubi abundavit delictum, superabundet & gratia. *Parvam* misericordiam dico expectationem illam, quâ non statim punit Deus peccantem, sed expectat ad pænitentiam: parvam autem non in se, sed ad comparationem aliarum. Alioquin magna planè, magna omninò misericordia est expectatio Domini. Nam peccantem Angelum omninò non expectavit, sed præcipitavit: hominem quoque peccantem non distulit, sed protinùs expulit de paradiso. Nunc jam expectat, dissimulat, sustinet decem annis, viginti, & usque ad senectutem & senium. Sed hæc est gratia Crucis Christi & virtus: *Vivo ego* (dicit Dominus) *nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat*. Quantùm verò mihi videtur, vox Christi resurgentis est ista. Ac si dicat: Velit nolit Judæus, vivo ego. Nolo mortem peccatoris, qui mori volui pro peccatoribus. Volo ut fructuosa sit mors mea, & copiosa per eam redemptio. Hanc ergo misericordiam Domini (f) quâ tardat ferire, paratus ignoscere, *parvam* non quidem in seipsa, sed in aliarum comparatione nominavi: quia hæc si sola quidem fuerit, nullatenùs sufficit ad salutem, imò verò judicium damnationis accumulat, ut dicat: *Hæc fecisti, & tacui*. Apostolum proinde audiamus more suo terribiliter intonantem: *An divitias bonitatis ejus* (haud dubium quia Dei) *& longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundùm duritiam tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ*. Thesaurizas, inquit,

u *Epist. 8. num. 1.* x *Tract. de vit. myst. cap. 29. num. 115.* y *Ser. 40. diver. num. 2.* z *Ser. 41. diver. num. 10.* a *Ser. 4. in c.h. Cæna num. 30.* b *Tract. de vit. myst. cap. 9. n. 44.*

c *Ser. 5. de omn. San. n. 11.* d *Ser. de 12. partis Jerusalem n. 3. tom. 6. pag. 850.* e *Ser. 13. diver. num. 1.* f *Ibid. n. 2.*

tibi thesauros iræ pro prærogatis thesauris misericordiæ quos contemnis, & evacuas in te misericordiam Dei. Sed secundùm quid? *Secundùm duritiam tuam*, ait, *& cor impœnitens*. Quis autem scindet duritiam istam, nisi qui Passione sua petras scindit? Quis dabit cor pænitens, nisi à quo est omne datum optimum? Hæc est *secunda misericordia* omninò major priore (g) quæ facit ne prima sit infructuosa, & convertatur in damnationem mortis, dando scilicet pænitentiam, sine qua expectatio nonmodò non prodest, sed abest plurimùm. Et hæc quidem in levibus peccatis potest sufficere, quoniam in his à quibus abstinere non possumus dum gestamus corpus peccati, ad salutem sufficere potest *pænitentia quotidiana*. Veruntamē (h) nemo contemnat aut parvi pendat. Impossibile est enim cum eis salvari, impossibile ea dilui, nisi per Christum Jesum, & à Christo. Nemo, inquam, perniciosa securitate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam (ut audivit Petrus ab ipso) nisi laverit ea Christus non habemus partem cum eo. Nec ideo tamen pro eis (idest pro peccatis venialibus) necesse est nimis esse sollicitos: ignoscet facilè, imò & libenter, si tantummodò nos agnoscamus. In hujusmodi namque quasi inevitabilibus & negligentia culpabilis est, & timor immoderatus. Hinc est quòd in oratione, quam ipse Dominus constituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare. At in gravioribus quidem (i) & quæ peccata ad mortem sunt, opus est non modò pænitentiâ, verùm etiam *continentiâ*. Difficilis prorsùs res, & soli Divinæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati jugum à cervicibus excutere: quoniam qui facit peccatum, servus est peccati, nec est jam liberari nisi in manu forti. Hæc est *magna misericordia* magnis necessaria peccatoribus, de qua dicitur: *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Quid dissimulant homines (k) in vita sua agere pænitentiam, & extrema de Confessione præsumunt? Quomodò sub unius horæ articulo revocari posse æstimant omnia animæ membra, cujus concupiscentiæ & desideria per totum mundum sparsa sunt, & ubique terrarum velut quodam visco tenentur? Non dico (ait Dominus) quin & talium salvem aliquos, potens sum enim in momento omnia revocare: sed *non congregabo conventicula eorum de sanguinibus*: idest, qui in sanguine perseverant, donec multiplicatis infirmitatibus deserantur à peccatis antequam deserant ea, non magna talium conventicula congregabo. Si benè memini, in toto Canone Scripturarum unum Latronem inveniens sic salvatum. Noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temetipsum. Et quidem Spiritus non modò ubi vult, sed quando vult, spirat; nec ei difficile est de subito perfectam dare contritionem cordis, quam vix multo tempore alii consequuntur: sed unde scis quòd tunc tibi ita subvenire velit, quem tu interim sic repellis? Benignus quidem est Spiritus Sapientiæ, sed non liberabit maledictum à labiis suis. Audi quis ille sit: *Maledictus qui peccat in spe*. Quod ipse avertat à servis suis [l] Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT III.

De tertio Verbo, Christi quod in Cruce, locutus est ad Matrem suam pariter & ad Joannem Discipulum suum.

Mulier, ecce filius tuus. Ecce mater tua. Joan. 19.

1. *Ostenditur, Matrem Jesu ubique locorum vidisse ea quæ passus est Jesus tam in Jerusalem, quàm dum sibi bajularet Crucem & dum crucifigeretur, dum penderet in Cruce: & ubique ploravisse compatiendo Filio suo patienti.* 2. *Proponitur nobis ad considerandum, quantus fuerit in Christo affectus charitatis & compassionis erga suam Matrem stantem juxta Crucem ejus, & sustinentem dolorem morte crudeliorem:* 3. *Ostenditur, gladium juxta prophetiam Simeonis tunc pertransisse animam Matris dolorosæ, cùm in ea nimirùm corporea sensum passionis excesserit compassionis affectus. Gladius item fuit sermo ille:* Mulier, ecce filius tuus. *Et ideo plusquam Martyr non immeritò creditur esse. Commendatur nobis charitas mutua in illis verbis Christi, quæ locutus est ad Matrem suam, & Joannem.*

§. I.

Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, & soror matris ejus Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo Jesus Matrem, & Discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Joan. 19.

PRæparemus nunc visum [a] pariter & auditum cordis nostri, advidendum tertium folium Vitis nostræ. *Mulier* (inquit) *ecce filius tuus. Ecce mater tua.* Cogitare nunc libet [b] quantus dolor tunc infuit Matri Jesu, cùm etiam dolebant quæ insensibilia erant. Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ. Nunc solvis Virgo cum usura, quod in partu non habuisti à natura. Dolorem pariendo Filium non sensisti, quem millies replicatum Filio moriente passa fuisti. Putasne Domina mundi (c) Domina mea, Mater dilecti ejusdem Christi, est ne verum quod dico? En obsecro ut dicas servulo tuo veritatem hujus rei. Obliviscere tamen causam doloris (rogo) quem tunc passam te fuisse non dubito. Utinam dolor ille sic quotidiè inhæreat viscentibus meis, sicut inhæsit tunc tuis. Utinam die illa, quâ assumpta fuisti in cælum ut in æternum gauderes cum Filio tuo, mihi indicasses lachrymas tuas

g *Ibidem num.* 3. h *Ser.* 1. *in Cœna Dom. n.* 5. i *Serm.* 13. *diver. num.* 3. & 4. k *Ser.* 75. *diver.*

l *Ser.* 34. *in Cant. n.* 4. a *Tract. de vit. myst. cap.* 10. *num.* 40. b *Ser. de lament. B. M. V. num.* 8. *tom.* 6. *pag.* 1059. c *Ibidem num.* 2.

tuas, ut per illas cognoscerem quantum tibi amaritudinis fuit, cùm Jesum dilectum tibi (heu, heu, & parùm dilectum mihi) clavis in ligno confixum, capite inclinato suum sanctissimum exhalare videres spiritum. Sed peto Domina mea, nec te moveant verba mea quæ dico, cùm tamen saxa deberent scindi ad illa. Quis unquam regnans in cælo sursùm, aut peregrinans in terra deorsùm, audiens vel mente pertractans quomodò factus est opprobrium hominum ipse Dominus Angelorum, poterit lachrymas continere etiam in cælo, ubi est impossibile flere? Quare ergo miser non ploro, cùm abjectio plebis factus est Filius Dei Patris? Verumtamen tu Domina gaude gaudio magno valdè, ab ipso nunc glorificata es in cælis, quæ in mente tantis clavis amarissimis fuisti confixa suæ piissimæ mortis. Mihi tamen, obsecro, lachrymas illas infunde, quas ipsa habuisti in sua Passione: & ut his affluam largiùs, de Passione Filii tui Dei mei & Domini mei verba adinvicem conferamus. Enarra mihi seriem veritatis, te flagito quæ Mater es & Virgo, & templum totius Trinitatis? Ad quem illa: [d] Illud quod quæris, compungitiuum est magni doloris. Sed quia glorificata sum; ultrà jam flere non possum: tu cum lachrymis scribe ea, quæ cum magnis doloribus ego persensi. Cui inquam: flere peropto, quia & mihi nihil aliud libet, sed ego miser cor lapideum habens flere non possum. Regina cæli, Mater crucifixi, da quod jubes, & præbe quod cupio: loquere, quia audit servus tuus. Dic Domina mea, si in Jerusalem eras tunc quando Filius tuus captus fuit & vinctus, & in Annæ atrium tractus & ductus? Cui illa respondit; Fui itaque in Jerusalem quando hæc audivi, & gressu qualicunque potui, sed vix potui, ad Dominum meum veni plorans. Cùmquè ipsum fuissem intuita pugnis percuti, alapis cædi, in faciem conspui, spinis coronari, & opprobrium fieri: commota sunt viscera mea, & defecit spiritus meus, & non erat mihi ferè sensus, neque vox, neque sonus. Cùmquè Christus Deus (præcone clamante, Pilato imperante) sibi bajulans Crucem ad supplicium traheretur, factus est concursus populorum post eum euntium: alii super eum plangentes, alii illudentes: & proiicientes lutum & fimum & immunditias super Caput ejus. Sequebar ego eum prout poteram ejus mæstissima Mater cum mulieribus illis, quæ eum secutæ fuerant à Galilæa ministrantes ei: à quibus velut emortua tenebar & sustentabar, quousque perventum est ad locum passionis ubi crucifixerunt eum ante me. Et ipse me videns fuit in Cruce elevatus, & ligno durissimis clavis affixus, Stabam & ego videns eum: & ipse videns me, plùs dolebat de me quàm de se. Aspiciebam ego misera Mater (e) Deum meum & Filium meum in Cruce pendentem, & morte turpissima morientem. Tantoquè dolore & tristitiâ vexabar in mente, ut non posset explicari sermone. Nec mirum. Manebat namque Sanguis ejus ex quatuor partibus rigantibus undis, ligno manibus pedibusquè confixis. De vultu illius pulchritudo effluxerat omnis, & qui erat præ filiis hominum speciosus formâ, videbatur omnium indecorus. Videbam quòd complebatur illud verbum Propheticum in eo: *Vidimus eum, & non erat ei species, neque decor*. Vultum enim illius iniquorum Judæorum fœdaverat livor. Iste erat dolor meus maximus, quia videbam me deseri ab eo quem genueram, nec super erat alius, quia mihi erat unicus. Vox mea ferè perierat omnis, sed dabam gemitus spaciaquè doloris. Volebam loqui, sed dolor verba rumpebat: quia verbum jam me ante conceptũ, dum ad formationem procederet oris, ad se imperfectum revocabat dolor intimus cordis. Vox triste sonabat foris, vulnus denuncians mentis. Verba donabat amor, sed raucè sonabant, quia lingua magistra vocis usum perdiderat loquendi. Videbam morientem, quem diligebat anima mea, & tota liquefiebam præ doloris angustia. Aspiciebat & ipse benignissimo vultu me matrem plorantem, verbis paucis voluit me consolari, sed ego nullo modo consolari potui. Flebam dicendo, & dicebam flendo: *Fili mi, Fili mi: Væ mihi, væ mihi. Quis dabit mihi ut ego moriar pro te Fili mi?* O misera quid faciam? Moritur Filius meus. Cur secum non moritur hæc mæstissima mater ejus? *Mi Fili, Fili mi. Amor unice, fili dulcissime noli me derelinquere post te: trahe me ad teipsum, ut & ego moriar tecum*. Malè solus moreris. Moriatur tecum ista tua genitrix. O mors misera noli mihi parcere, tu mihi sola præcunctis places, exaggera vires, trucida matrem, matrem cum filio perime simul. Fili dulcor unice, singulare gaudium, vita animæ meæ, & omne solatium, fac ut ego ipsa nunc tecum moriar, quæ te ad mortem genui: sine matre noli mori. O fili, recognosce miseram, & exaudi precem meam. Decet enim filium exaudire matrem desolatam. Exaudi me obsecro, in tuo me suscipe patibulo, ut qui una carne vivunt, & uno amore se diligunt, una morte pereant. O Judæi impii (f) ò Judæi miseri, nolite mihi parcere. Ex quo natum meum crucifixistis, & me crucifigite, aut alia quacunque morte sæva me perimite, dummodò cum meo filio simul moriar. Malè solus moritur. Orbas orbem radio, me Judæa filio, gaudio & dulcore. Vita mea moritur, & salus perimitur, atque de terra tollitur tota spes mea Cur ergo vivit mater post filium in dolore? Tollite, suspendite matrem cum pignore? Non parcitis proli, non parcatis & mihi. Tu mihi soli mors esto sæva: nunc summè gauderem, si mori cum filio simul possem. Dulce est mihi miseræ mori, sed mors optata recedit. Væ mihi & tibi fili, mors ipsa præcipitata venit. Morte mori meliùs est mihi. quàm vitam ducere mortis. Sed fugit à me misera, & infelicem me relinquit cui ipsa mors multùm optata nunc esset. O Fili charissime, ò benignissime nate, miserere matri tuæ, & suscipe preces ejus. Desine nunc mihi esse durus, qui cunctis semper fuisti benignus. Suscipe matrem tuam in Cruce, ut vivam tecum post mortem semper. Nihil mihi dulcius est.quàm te amplexato in Cruce tecum mori: & nihil certè amarius quàm vivere post tuam mortem. O vere Dei Nate, tu mihi pater, tu mihi filius, tu mihi

d *Ibidem num. 3.* e *Ibidem num. 4.*

f *Ibidem num. 5.*

mihi sponsus, tu mihi anima eras. Nunc orbor patre, viduor sponso, desolor filio, omnia perdo. O Filii, ultrà quid faciam? Væ mihi, væ mihi. Quò vadam charissime? Vbi me vertam dulcissime? Quis mihi de cætero consilium & subsidium præstabit? Fili dulcissime omnia tibi possibilia sunt: sed & si non vis ut moriar tecum, mihi saltem relinque aliquod benignum consilium.

§. II.

Tunc jam Dominus Jesus anxius in cruce (g) annuens oculis & vultu de Joanne ait: *Mulier, ecce filius tuus*. (Erat enim Joannes, præsens, vultu tristis, & corde mæstissimus, lachrymis semper plorans.) Ac si diceret: O Mater dulcissima, mollis ad flendum & dolendum, tu scis quia ad hoc veni, & ad hoc de te carnem assumpsi, ut per crucis patibulum salvarem genus humanum. Quomodò ergo implebuntur Scripturæ? Sic enim oportet me pati pro salute generis humani. Die namque tertia resurgam, tibi & discipulis meis patenter apparens: desine flere, & dolorem depone, quia ad Patrem vado, & ad gloriam paternæ majestatis percipiendam ascendo. Congratulare mihi, quia nunc inveni ovem errantem, quam tam longo tempore perdideram. Moritur unus, ut totus inde reviviscat mundus. Unius ob meritum cuncti periêre homines, & nunc salvantur unius ob meritum. Quod placet Deo Patri, quomodò displicet tibi? Mater dulcissima, calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? Noli flere mulier, noli flere Mater speciosissima: non te desero, non te derelinquo Tecum sum, & tecum ero omni tempore sæculi. Secundùm carnem subjaceo imperio mortis: Secundùm Divinitatem sum & ero semper immortalis & impassibilis. Benè scis unde processi, & unde veni: Quare ergo tristaris, si illuc ascendo unde descendi? Tempus est ut revertar ad eum qui me misit. Et quò ego vado, tu non potes venire modò, venies autem postea. Interim Joannes qui est nepos tuus, reputabitur tibi filius, curam habebit tui, & erit solatium fidelissimum tibi. Inde Dominus intuitus Joannem, ait: *Ecce mater tua*. Ei servies, curam illius habebis: eam tibi commendo, suscipe matrem tuam, imo magis suscipe matrem meam. *Mulier*, inquit (h) *ecce filius tuus*. *Ecce mater tua*. Verbum bonum & suave, verbum mirabile, magnum continens piæ charitatis affectum. Certè nos legimus Dominum Jesum maximè cùm ad ætatem provectam accessetat, charissimè Matri tuæ familiariùs adhæsisse, & cum ipsa frequentiùs convivatum esse, & præ cæteris mitiùs allocutum. Sed quantus in ipso fuerat circa Matrem charitatis affectus jam corporaliter recessuro, brevibus intimavit verbis. Et ut crucis suæ taceam passionem, quanta circa beatam Matrem compassione mutua credis affectum fuisse, cujus cor mitissimum tam valido doloris sui gladio transverberatum perfectè sciebat: adhæsit vulnerum passionem materna compassio, quam contritissimo corde, manibus complosis, oculis lachrymarum torrente fluentibus, vultu contracto, voce querula, & totis viribus cordis destitutam, viriliter cùm vidit sibi astare pendenti. Quoties ipsam ad illa immitia vulnera verecundos putas oculos elevasse: si tamen eos aliquando inde deflexit, vel si præ nimio fluxu lachrymarum potuit intueri. Quoties ipsam propter verecundiam virginalem pariter & immensitatem doloris stantem (ut æstimo) capite cooperto ingemuisse putas lugendo filium, & dicendo: *Fili mi Jesu, Jesu Fili mi. Quis mihi det ut tecum & propter te moriar, Fili mi dulcis Jesu?* Quoties ipsam præ immensitate doloris credis potuisse deficere? imò ipsam summè miror etiam mortuam non fuisse. Moriebatur vivens, vivendo ferens dolorem morte crudeliorem. Sed ne moriendo deficeret, à Filio pro ipsa mortalitate confortata est. Confortata est intrinsecùs, exteriùs verò & verbis & factis piè consolata. Quomodò *Stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus?* Verè juxta Crucem stabat, quia crucem Filii præ cæteris Mater majore cum dolore ferebat. Stabant & aliæ mulieres, sed proxima stabat mater dolorosa. Ipsa inquã juxta crucem Christi stabat emortua mater (i) quæ ipsum ex Spiritu Sancto concepit, Vox illi non erat, quia dolore attrita stans pallebat. Quasi mortua vivens vivebat moriens moriebatur vivens, nec mori poterat quæ vivens mortua erat. In illius anima dolor sævè sæviebat. Optabat mori magis quam vivere post mortem Christi, quæ malè vivens mortua erat. Ibi stabat dolens, sævo dolore confecta. O verum eloquium justi Simeonis, quem promisit gladium sentiebat doloris. Stabat juxta crucem Maria, intuens vultu benigno Christum pendentem in patibulo: pedumque summitatibus innitens manus levabat in altum, amplectens rubricatam Crucem, ac in oscula ejus ruens ea parte, quâ unda preciosissimi Sanguinis defluebat. Sursùm manus nisu quo poterat extendebat, unicum suum Filium amplecti desiderans, nec valebat. Superat enim amor multa, quæ nunquam vel rarò fieri possunt: impatiens siquidem amor credit, quòd sibi debeant cedere universa. Volebat amplecti Christum in alto pendentem, sed manus frustra protensæ in se complosæ complexæ redibant. Levabatur à terra sursùm, ut dilectum suum Jesum contingeret: ipsumque tangere nequiens, durissimè recollidebatur ad terram. Ibi doloris immensitate oppressa prostrata jacebat: Sed maxima vis amoris quâ incensa mens ejus ardebat, eam erigere compellebat. Et amoris impetu surgens, reextensis manibus suum attrectare Filium affectabat: & rursùm magno cruciata dolore, terram repetere cogebatur. O quàm malè tunc illi erat! Gravius illi erat vitâ vivere tali, quàm diro gladio sævè necari ab impiis. Tanquam mortis pallor ejus vultum perfuderat, genis & ore tantùm cruore Christi rubentibus: cadentes guttas Sanguinis ore Sacro tangebat, terram deosculans sæpissimè quam cruoris unda rigabat. O grave martyrium! O frequens suspirium! O languens pectus virgineum! Anima ejus tota liquefacta est, facies pallet rosea, sed precioso Filii Sanguine rubet respersa, vul-

g *Ibidem num. 6.* h *Tract. de vit. myst. cap. 10. num. 46.*

i *Ser. de lament. B. V. M. num. 8.*

vulnera Christi morientis [k] erant vulnera matris dolentis. Dolores sævi, fuerunt tortores in anima matris. Mater erat laniata morte charipignoris. Mente mater erat percussa cuspide teli, quo membra Christi foderunt servi iniqui. Ipsa enim erat quam dolor tenebat. In mente ejus creverant immensi dolores, nec poterant extra refundi. Intùs atrociùs sævientes dolores Nati, matris animam gladiabant. In carne Christus solvebat debitum mortis quod gravius erat, quàm mori in anima Matris.

§. III.

Cùm ergo vidisset Jesus matrem (l) *& discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.* Ac si diceret: Tu me filio corporaliter privaris, unde tibi amicum præ cunctis dilectum in filium do, cujus præsentiâ interim dum absum consoleris. Tu verò me patre spoliaris, unde hanc Matrem mihi charissimam tibi in matrem do. Dum hæc pauca diceret (m) illi duo dilecti lachrymas fundere non cessabant. Tacebant ambo illi Martyres, & præ nimio dolore loqui non poterant. Isti duo Virgines audiebant Christum voce rauca & semiviva loquentem, ipsum videbant paulatim morientem: nec ei poterant respondere verbum, quia illum videbant quasi jam mortuum. Erant enim illi duo quasi jam mortui, unde spiritus illorum voces exhalare nequibant. Defecerunt spiritus illorum, & virtutem loquendi amiserant. Audiebant & tacebant, quia præ angustia loqui non poterant. Solus illis dolor luctusquè remansit amicus. Amabant flere, & flebant amarè. Amarè flebant, quia amarè dolebant. Nam gladius mortis Christi animas utrorumque transibat. Transibat sævus, sævus perimebat utrumque. Quò magis amabat, eò sævior fiebat in Matre. Proinde (n) speciali quodam splendore in Maria Virgine coruscat *martyrium cordis*. Martyrium sanè Virginis Mariæ tam in Simeonis prophetia, quam in ipsa Dominicæ Passionis historia commendatur. *Positus est hic* (ait Sanctus Senex de parvulo Jesu) *in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam* (ad Mariam autem dicebat) *pertransibit gladius*. Vere tuam, o beata Mater, animam gladius pertransivit. Alioquin non nisi eam pertransiens, carnem Filii tui penetraret. Et quidem postquàm emisit spiritum tuus ille Jesus (omnium quidem) sed specialiter tuus ipsius planè non attigit Animam crudelis lancea, quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus: sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirùm Anima jam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat avelli. Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquam Martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirùm corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi (o) plusquàm gladius fuit sermo ille revera pertransiens animam, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs: *Mulier, ecce filius tuus?* O commutationem! Joannes tibi pro Jesu traditur, servus pro Domino, Discipulus pro Magistro, filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodò non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra licet saxea, licet ferrea pectora sola recordatio scindit? Non miremini fratres, quòd de Maria Martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit se audisse Paulum inter maxima Gentium crimina memorantem, quòd *sine affectione* fuissent. Longe id fuit à Mariæ visceribus, longè sit à servulis ejus. Alioquin væ nobis à duritia cordis nostri (p) væ à peccato Gentium, quas Apostolus memorat *sine affectione*. Sed fortè quis dicat: (q) Numquid non præscierat moriturum suum filium Virgo mater? Et indubitanter. Nũquid non sperabat continuò resurrecturum? Et fidenter. Super hæc doluit Crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu frater, aut unde tibi hæc sapientia, ut mireris plùs Mariam compatientem, quàm Mariæ filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas, quâ majorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit. Utinam Domina mea (r) Mater dilecta ejusdem Christi, dolor ille sic quotidie inhæreat visceri meis, sicut inhæsit tunc tuis. O Domine Jesu (s) in illo modico tempore Domina mea, Mater tua, imò Martyr tua, Martyr non ferro carnificis sed acerbo dolore cordis, quàm amarè flebat, quàm amarè dolebat? Nec mirum, cum te videret Unicum suum Filium, totum desiderium suum in Cruce extensum, morti vicinum, imò inclinato Capite tradere spiritum. Istud modicum Domine Jesu amarum tibi & amarum dulcissimæ Matri tuæ, utinam amarum sic esset mihi, ut in isto modico fuissem juxta Crucem Domini mei, ut quem adhuc videre non possum cum Patre manentem, saltem in Cruce positum morientem videre meruissem. Sed movet me (t) quòd cũ dixisset, *Jesus Mulier ecce filius tuus*: subjunxit, *Ecce mater tua*: cùm utique etiamsi hoc non subjunxisset, necessarium fuisset eam esse matrem illius, cui in filium sibi datus erat. Sed hoc mutuæ charitatis affectum mihi commendare videtur. Sunt enim nonnulli qui ab omnibus amari volunt, sed nullos affectu mutuo complectuntur. Volunt ut eorum labores & dolores allevientur: & cùm ferantur à pluribus, ipsi nullius onera volunt portare. Non hoc enim Christus docuit, aut fecit. Portavit enim onera tua invitus te, ò homo ut & tu onera portes illius; idest, ut tu passiones illius imiteris. Christus enim passus est relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Hoc & docuit cùm Matrem discipulo, & Matri discipulum mutuò commendavit: nimirùm nolens ut charitas spiritualis ex una parte frigida remaneret, sed ut simul dormientes, idest in vera & pura charitate simul quiescentes mutuò calefiant: idest, alter ab altero ad charitatis exercitia mutuò accendantur. Hoc enim est efficax signum veræ & puræ charitatis, quòd hi qui spirituali dilectione connectuntur per puram charitatem, ad

k *Ibidem n. 7.* l *Tract. de vit. myst. cap. 10. n. 47.* m *Ser. de lament. B. M. V. num. 7.* n *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 7. & 14.* o *Ibidem num. 15.*

p *Ser. 5. de omn. san. num. 6.* q *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 15.* r *Ser. de lament. B. V. M. num. 2.* s *Ser. 4. in ult. Cœnæ n. 30.* t *Tract. de vit. myst. cap. 10. num. 48.*

ad exercitia spiritualia alterutrum accendunt, ut devotiùs orare, sæpiùs genu flectere, frequentiùs disciplinam corporalem sumere libeat: præcipuè cùm nec invideat, imò congaudeat amans quisque, si tertius vel quartus vel plures ad charitatem illius quem ament, se adjungant: dummodò tales sint quorum familiaritas non sit suspecta, sed in his omnibus & in his similibus charitatis fervore perseverantiã conservant. Non enim bonum videtur habuisse fontem rivus charitatis aliquando decrescens. Amemus ergo & nos invicem, & amoris efficaciam operibus approbemus: quia talis charitas ex Deo est, quæ finis est præcepti, & legem implet. O felix & beate Joannes (u) cui talem thesaurum Dominus dignatus est commendare! O Christi dilecte præ omnibus, & prudens quem constituit Dominus privatum Camerarium Aulæ suæ speciosissimæ. Retribuat tibi Dominus vicissitudinem amoris mercedemquè dilectionis, quam in ejus acua Matre taliter desolata usque ad finem vitæ suæ exhibere curasti. Benedictus quidem tu es à Domino. Quia [x] supta pectus Domini in cæna recubuisti: cui Christus in Cruce Matrem Virginem virgini commendavit, cui nihilominùs adhuc in mortali carne constituto revelata sunt secreta cælestia. Benedictus es tu & à Matre Domini [y] quam dilexisti, & cui servivisti puro corde, & mundo corpore. Benedicti sint omnes, qui diligunt Virginem Matrem. Et super omnia sit benedictus fructus ventris sui Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in æternum, & in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT IV.

De quarto verbo Christi, quod in Cruce protulit ad Deum Patrem voce magna.

Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? *Matt.* 27.

1. *Ostenditur, Christum ex Patre nascentem, in Patre cubantem, cum Patre sedentem, à Patre ambulantem, pro Patre stantem, sub Patre pendendentem, sine Patre morientem in Cruce. Docemur, Christum sibi conjunxisse duas naturas in una persona, scilicet humanitatem & Divinitatem: in quarum singulis operatus est salutem nostram.* 2. *Ostenditur, Christum per suam vocem magnam indicavisse acerbissimam magnitudinem doloris. non autem impatientiam. Docemur ut in patiendo triplex malum, adhibeamus pariter triplicem providentiam, revocantes etiam in memoriam patientiam Martyrum.* 3. *Ostenditur, Christum in Cruce exclamavisse ex persona hominis assumpti, & oravisse pro tota Ecclesia sua ut ista patiendo persecutiones non deficiat in amore Christi & patientia Docemur qualis sit intelligenda derelictio Christi. Ostenditur, bonum esse tribulari in hoc mundo propter amorem Christi Dei nostri.*

u *Cer. de lament. B.M.V. num.* 14. x *Tract. de 3. pracip. myst cap.* 10. *num.* 30. y *Ser. de lament. B.M.V. num.* 14.

§. I.

Circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna dicens: Eloi, Eloi, lammasabacthani? Quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem de circumstantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat iste. Matt. 27. & Mar. 15.

Cognosce anima mea [a] cognosce: hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, Unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce [b] positus est hic in immiti lectulo mortis suæ, Crucem dico. Ausculta auribus erectis, & in dolore tanto quod proferat verbum semel auditum, pro preciosissimo reconde thesauro in cubiculo cordis tui. David meus [c] imò Jesus meus, & Dominus meus ante portam civitatis in tympano suæ Carnis tympanizabat & psallebat, dicens: *Eloi, Eloi, lammasabacthani? Hoc est: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Commendant nobis Sacræ Literæ [d] Christum Dominum & ex Patre, & in Patre, & cum Patre, & à Patre, & pro Patre, & etiam sub Patre. Quod dicitur *ex Patre*, ineffabilis est Nativitas: quod *in Patre*, consubstantialis Unitas: quod *cum Patre*, æqualitas majestatis. Sanè tria hæc ab æterno. Cæterùm si ex Patre nascens, quid in Patre, aut cum Patre? Non incongruè forsitan in Patre cubans, cum Patre sedens dicatur. Et audite confessus & hujus accubitus rationem. Sicut enim sessio Majestatem, sic confessio æqualem exprimit Majestatem: præsertim cùm sit ei sedes à dextris Patris, non sanè sub pedibus, vel quasi à tergo. Et sedere quidem jam quiescere est, sed jacere magis. Quid autem delectabilius & quodammodò dulcius esse videbitur Filio, quòd in Patre est, an quòd cum Patre omnibus præest? In quo putas horum summa illa pax Dei quæ exuperat omnem sensum, & singularis requies Domini competentiùs assignetur? Etsi dignè ore id exprimi nequeat, corde tamen forsitan piè concipitur: ut salva quidem in omnibus illius indivisibili simplicitate essentiæ, inter gloriæ æqualitatem & substantiæ unitatem, velut similis quædam ei, quæ inter confessum & accubitum est, cogitari posse distinctio videatur. Jam verò quod dicitur *à Patre* [e] ambulantem significat, & ad incarnationis Christi adventum spectat. Hinc nimirùm & ipse ait: *Ego enim a Deo processi, & veni.* In terris denique visus, & cum hominibus conversatus medius nostrum quem nesciebamus stetit, verus quidem Emmanuel nobiscum Deus, nobiscum stans, sed *pro Patre*. Quòd enim nobiscum stetit, *adjutorium*: quòd pro Patre stetit, *zelum* designat. Paternam namque quærebat in omnibus gloriam cujus & venerat facere voluntatem. Unde [f] & vitæ quoque ipse Salvator prætulit virtutem obedientiæ, eligens magis Animam ponere, quàm obedientiam non adimplere. Cæterum si pendentem [g] consideres, si

a *Ser. de Pass. Dom. num.* 15. b *Tract. de vit. myst. cap.* 7. c *Ser. 4. in ult. Cæna num.* 20. d *Ser. 5. de Verb. Esa. num.* 2. e *Ibidem num.* 3. f *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap.* 1. *num.* 1. g *Ser. 5. de verb. Esa. num.* 3.

si Christum & hunc crucifixum attendas, ibi maximè euidentissimequè eum *sub Patre* reperies. Hoc enim propriè ac specialiter ad humanæ pertinuit naturæ humilitatem, secundùm quam ipse ait: *Pater major me est*. Dicerene audebimus,quòd aliquando fuerit etiam *sine Patre*? Nemo id præsumeret, si non prior ipse dixisset: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quasi quædam enim ibi derelictio fuit, ubi nulla fuit in tanta necessitate Virtutis exhibitio, nulla ostensio Majestatis. Habemus itaq; [h] Christum ex Patre *nascentem*, in Patre *cubantem*, cum Patre *sedentem*, à Patre *ambulantem*, pro Patre *stantem*, sub Patre *pendentem*, sine Patre quodammodò *morientem*. Quis impotentior eo (i) cujus omnia membra clavis affixa, cujus omnia dinumerantur ossa? Quis insipientior eo, qui tradebat in mortem Animam suam, & quæ non rapuit tunc exolvebat? Hoc igitur est (K) propter quod exinanivit se formam servi accipiens, qui in forma Dei Patris æqualis erat: sed exinanivit majestate & potentia, non bonitate & misericordiâ. Sicut autem Mediator noster duas naturas (l) Humanitatem videlicet & Divinitatem conjunxit in una persona: ita singula ejus opera ad hanc, sive illam necesse est pertinere naturam. Ad hanc siquidem miseria, sed ad illam pertinet potentia. Quidquid enim miseriæ passus est, ex homine contraxit. Quidquid potenter operatus est, à Patre habuit. In Arca testamenti (m) thuribulum, manna & virga erant recondita. *Thuribulum* sacrosanctam Carnem significat Salvatoris: quæ aurea dicitur, quia nullius passa est detrimentum pudoris. *Carbones* thuribuli,sunt opera Jesu Christi. Carbones isti aliquando mortui, quandoque verò erant ignei: quia in Salvatore nostro nunc propria tolerabat Humanitas, nunc propria faciebat Divinitas. Ignis in carbone, divinitas est ignescens in opere. Ignis in prunis, evidens est indicium Divinitatis. Carbo mortuus, in præsepio jacens: igneus, dæmonia expellens. Carbo mortuus, in Ægyptum fugiens: igneus, vendentes & ementes columbas de templo eiiciens. Carbo mortuus, dormiens in navi: igneus, imperans ventis & mari. Carbo mortuus, subditus parentibus: igneus, quatuor satians hominum millia de septem panibus. Carbo mortuus, ad puteum Jacob rogans potum: igneus, circa Hierico illuminans cæcum, & sanans leprosum. Carbo erat mortuus,dum à diabolo tentaretur: igneus, dum ei ab Angelis ministraretur. Carbo erat mortuus in proditione discipuli: igneus in filio Reguli. Carbo erat sopitus ante Præsidem: igneus circa Tyberiadem. Carbo erat sopitus, dum ei Herodes illuderet:igneus,dū mortuorum suscitator magnificus fieret. Carbo erat sopitus, dum ei acetum cum felle mixtum propinaretur: igneus, dum ab eo decem leprosi mundarentur. Carbo erat sopitus, dum à Judæis se absconderet: sopitus, dum cum publicanis & peccatoribus ederet. Carbo erat sopitus, dum ambularet super undas: igneus, dum ex aqua facto vino lætificaret convivas. Carbo erat sopitus, jacens in cunabulis: igneus, fulgens in miraculis. Carbo erat sopitus ante tribunal Præsidis: igneus in filia Chananitidis. Carbo erat sopitus in Cruce: igneus in monte Thabor. Prunæ ergo mortuæ erant Humanitatis opera: prunæ ignitæ erant Divinitatis miracula.

§. II.

Sed jam (n) ad videndum quartum folium Vitis nostræ & quartam chordam audiendam oculum simul & aurem cordis adaptemus. Acutos petit hoc folium oculos, & aures benè purgatas requirit hæc chorda: imò & ipse Dominus Jesus purgare & acuere potest aures & oculos,quia jam nō simpliciter hoc verbum ut cætera dixit, sed ut testatur Evangelista: *Circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna: Eloi, Eloi, lamma sabacthani? quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Qui oculi hoc folium non videant? quæ aures hanc chordam non audiant? Quare ergo clamavit, nisi ut fortiùs audiatur? Quāti fuit doloris putas acerbissima hæc magnitudo,cùm hoc Dominus Jesus toto corpore distentus clamabat? Sed cave nè propter clamorem putes ad impatientiam dilapsum esse Dominum Jesum. Cùm enim in summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de ejus corde,nisi dulcedo. Patientiam enim (sicut in sequenti verbo quinto ostendemus) in amarissima passione retinuit, & sui doloris magnitudinem ostendit. Quod & in beato Job (qui interpretatur dolens) in verbis & factis ejus priùs ostensum fuit: qui auditis nunciorum verbis, amaritudinem animi foris ostendit in verbis. *Scissis enim vestibus, & tonso crine capitis, corruit in terram.* Ecce magnitudo doloris. Post hoc ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Ecce virtus patientiæ. Si patienter Job miserias suas, quantò patientiùs putas Dominum Jesum sustinuisse crucem suam, pro qua sustinenda venerat? Agnosce ô homo (o) quàm gravia sunt vulnera animæ tuæ, pro quibus necesse fuit Dominum Christum vulnerari. Pro hujusmodi autem (p) patientiam debes Deo, quia ab eo salvandus es. Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum. Sed in patiendo malum (q) quoniam triplex est, triplicem providentiam adhibere te oportet. Est enim quod *à te* pateris, quod *à proximo*, quod *à Deo*. *Primum* est austeritas pænitentiæ: *secundum* est vexatio alienæ malitiæ: *tertium* est flagellum correctionis Divinæ. In eo quod *à te* pateris, debes voluntariè sacrificare: quod *à proximo* pateris, debes patienter ferre: quod *à Deo* pateris, debes sine murmure, & cum gratiarum actione sustinere. Quod namq; malū pati non possis [r] cùm videas Martyres juvenes, pueros, virgines, anus, senes, decrepitos, diversa pro Christo non solùm excepisse, sed exquisivisse tormenta? Considera puerorum ætatem, juvenum ignem, virginum teneritudinem, annuum fragilitatem, senum infirmitatem, impossibilitatem decrepitorum; & ubicunque reflexeris

h *Ibidem n. 4.* i *Ser. 4. in Ascens. Dom n. 6.* K *Ser. 1. in nat. Dom. n. 2.* l *Ser. de verb. Sap. n. 7. tom. 6. pag. 771.* m *Ser. de B. M. Deip. num. 11. tom. 6. pag. 760.*

n *Tract. de vite myst. cap. 12. n. 50.* o *Ser. 3. in Circumc. Dom. num. 4.* p *Ser. 2. de Resur. Dom. n. 10.* q *Ser. 1. de SS. Petro & Paulo num. 5.* r *Ser. 40. de div. num. 9.*

oculos, invenies in his ætatibus multitudinem exemplorum ad palmam martyrii viriliter cucurrisse. Numquid de eodem luto formatus es tu, & eodem spiritu inspiratus? Et forsitan non ingruit persecutio ut martyrium patiaris, nec damnaris si Christo servis, imò laudaris, & ab omnibus prædicaris. Quodsi & persecutio imminet, contemnenda est propter brevitatem. Benè enim natura providit, quòd nullum dolorem vel longum vel magnum esse demonstrat. Si autem magnus est, longus esse non potest. Conjunctio enim corporis & animæ exquisita diu tormenta non sustinet, sed stuporis magnitudine tremefacta, summa velocitate dissolvitur. Magni ergo animi est magna tormenta contemnere, quòd in brevi tantam pariunt mutationem, ut de labore ad requiem, de miseria ad gloriam patientem faciant evolare. Considerand a est etiam fragilitas corporis, quam sæpè aut aliquis levissimus casus, aut incandentis febriculæ cumulata congereris, brevi possunt suffocare momento. Tribue ergo virtuti, si necessitas fuerit, quod quandoque debes necessitati, pro brevi periculo sempiternum præmium adepturus. Vide ergo ne per impatentiam pereas (s) sed universa pro Christo sustine: quia ipse prior majora pro te sustinuit, & apud quem infructuosa patientia non erit, sicut ait Propheta: *Patientia pauperum non peribit in finem*. Patientes possident animam suam [t] quibus dicitur: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Denique (u) Propheta ait: *Urbs fortitudinis nostra Sion, Salvator ponetur in ea murus & antemurale*. Murus est *continentia*, antemurale est *patientia*. Bonus continentiæ murus, qui sic undique circumdat & circumcingit, ut nec per oculorum fenestras, nec per cæteros sensus detur ingressus morti. Bonum antemurale est patientiæ, quod primos hostium sustinet impetus, ut inter plurima tentamenta stemus viriliter, & perseveremus jugiter inconcussi. Unicum quippè remedium est dum continentia quatitur & quodammodò nutat, obiicere patientiam, & quantumcunque ferveat sensus peccati, negare omnimodè consensum: *In patientia vestra* (inquit) *possidebitis animas vestras*. Ponitur ergo in Civitate Salvator ipse murus & antemurale, factus nobis à Deo Patre justitia, & Prophetæ patientia, sicut idem ait: *Quoniam tu es patientia mea Domine*. Murus inquam ponitur in conversatione, antemurale in passione, ab omnibus carnis & sæculi præsentis illecebris abstinens, & adversa sustinens fortiter universa. Imitemur ergo eum (x) qui pro inimicis mori non dubitavit, & oravit pro crucifixoribus: qui peccatum non fecit, & imposita sibi ab aliis patienter audivit: qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tanta sustinuit. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi (y) ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Qui enim tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.

s Ser. 2. de Resur. Dom. num. 10. t Ser. 98. diver. u Ser. 3. in dedicat. Eccl. num. 1. x Ser. 4. de Aduen. Dom. num. 7. y Ser. 4. in Cæna Dom. num. 6.

§. III.

Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Matt. 27.

Quòd autem Christus (z) hæc verba loqueretur ex persona hominis assumpti, qui cum ipso Dei Filio una persona fuit, patet per hoc quod ait: *Deus meus, Deus meus*: quod utique non diceret ipse qui unus est Deus cum Patre, nisi hominem assumpsisset. Quid est autem hoc quod ait: *Ut quid dereliquisti me?* Numquid Pater unicum suum Filium poterat derelinquere? Absit. Sed pro toto corpore, idest pro se, & pro tota Ecclesia loquitur ista. Caput enim nostrum Dominus Jesus volens unitatem commendare & charitatem suam, quam habet ad Ecclesiam Sponsam suam, se quoque in omnibus membris suis passurum ostendit: quia nunc in Capite sustinuit passionem, hoc est, in proprio corpore, quod assumpsit de Virgine. Clamat autem se derelictum, qui derelinqui non poterat: quia multa membrorum suorum ad tantam tribulationem erant ventura, ut à Deo derelicta penitùs viderentur. Quorum personam gestabat ille qui dicebat: *Qui custodiebant animam meam, concilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est qui liberet eum.* Quod & ipsi benigno Jesu in tormento crucis improperatum est: *Si filius Dei es, salvum te fac*. Solet vitis fructifera præcidi [a] quod figurativè accipi potest. Vide nunc [b] quantum præcisa fuerit Vitis nostra Jesus. Omnes amici & proximi cultro timoris amputati sunt ab eo, ut non esset qui consolaretur eum ex omnibus charis ejus. *Torcular enim calcavit solus, & de gentibus non erat vir cum eo*. Et cùm sustineret cor eius improperium & miseriam, expectavit qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, etiam non invenit. Quæ vitis unquam tantum præcisa fuit? Sed quæ est consolatio hujus præcisionis? Multus fructus. Multam enim & incomparabilem præcisionem sustinuit. Videtur tamen signanter dictum esse: *Et de gentibus non est vir mecum*: tanquam intelligendum sit solas mulieres cum illo remansisse. Viris enim fortioris naturæ fugientibus præ timore, non fugit muliebris infirmitas, quæ etiam in Cruce morientem Jesum non dereliquerunt, sicut in persona Christi conquerentis loquitur Beatus Job: *Derelicta sunt tantummodò labia mea circa dentes meos*. Per labia quippè, quæ cæteris membris sunt molliora, muliebris sexus mollis & infirmus (qui solus Christo, discipulis fugientibus, adhæsit) intelligitur & figuratur. Si verò fugam mentalem intelligimus, nec vir nec mulier relicti sunt cum eo, præter illam quæ sola benedicta est in mulieribus, quæ sola per illud triste Sabbathum stetit in fide, & salvata fuit Ecclesia in ipsa sola. Verè & singulariter benedictus palmes erat, qui à sua Vite nullo potuit timore præcidi. Abscissi sunt viri qui dicunt: *Nos autem sperabamus, quòd ipse redempturus esset Israel*. Abscissæ sunt

z Tract. de vite myst. cap. 12. num. 51. a Ibidem cap. 2. num. 2. b Ibidem num. 4.

mulieres, quæ quamvis piè præveniunt mortuo Jesu humanitatis servitium exhibere, tamen illum resurrecturum nequaquam credebant. Et fortassè propterea illa Mater quæ plùs habuit pietatis, cum aliis mulieribus non venit ad ungendum Corpus Christi sepultum, quia frustrà putabat eum ungi, quem resurrecturum sciebat. Verè fortis est hæc Mulier, & præ cunctis post Filium honoranda. Verè & virago dici potest, quæ à Viro Christo per animi fortitudinem separata non est, sed eum quem morientem & mortuum vidit, credidit immortalitatis gloriâ sublimatum. Potest & ita accipi [c] quòd Dominus Jesus prævidens aliquos imò plurimos in Corpore suo, qui ab unitate Ecclesiæ suæ per hæreses sive per alia criminalia peccata erant recessuri, illorum personam in se transfigurando, clamat: *Ut quid dereliquisti me?* Ac si diceret: Quare aliqui eorum abiit retrorsùm, ut pereat ab unitate corporis mei, qui tanto cruciatu mihi sunt uniti? Unde ex persona Martyrum dicitur in Psalmo: *Adhæsit in terra venter noster*. Per ventrem, qui est mollior & infirmior pars hominis, signantur illi qui carentes patientiâ & firmitate perseverantiæ, & propter hoc in acerbitate tormentorum suorum deficientes adhæserunt in terra, id est, terrenis consiliis & actionibus consenserunt. Videtur quidem fortè nonnullis (d) præsentem Sanctorũ communionem facultatum pariter & voluntatum centupli nomine designari: sed non adeo est generalis hæc ipsa consolatio, ut possit universaliter omnibus convenire. Quantos enim Sanctorum, aut voluntariè eam deservisse, ut Anachoretas; aut violentiâ persecutionis, ut Martyres exilio relegatos, humana consolatione novimus caruisse? Nos autem qui adhuc in tribulationibus quotidianis versamur (e) qui spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus, & tanquam purgamenta hujus mundi, & peripsema omnium usque adhuc, inenarrabilem spiritûs fiduciam concipiamus ex hoc præcipuè, quòd ipse Dominus consualator omniũ pressurarum tanta unitate spiritûs & charitatis nobis conjunctus est, ut etiam personam nostræ infirmitatis in se tam manifestis verbis trasfigurare dignatus sit: qui adhuc etiam apud Patrem ostensione Vulnerum suorum interpellat pro nobis, orans ne derelinquatur in inferioribus membris suis, qui in se Capite nequaquam potuit derelinqui. Et quomodò membra deperirent, quæ involuntate Capitis sui suam sciunt constare salutem? Numquid aliquod membrorum est in mortali corpore nostro, cui non condoleat caput nostrum? Si affligitur pes vel manus, statim clamat caput per linguam: Cur affligor? Clamabat Dominus ad Saulũ in membra sua sævientem: *Cur me persequeris?* cùm ipse tamen securus remaneret in cœlo. Benedictus sit Dominus Jesus, qui primo in se pro nobis, nunc verò etiam nobiscum in nobis pati dignatur tribulationẽ, quam exigente justitia patimur, suam reputans & clamans: *Cum ipso sum in tribulatione*, ut securiùs confidamus. *Cum ipso sum*, ait (f) *in tribulatione*. Quando hoc, nisi in die tribulationis nostræ, in die crucis nostræ? Et hoc impletur quod ipse ait: *In mundo quidem pressuram habebitis*: & quod Apostolus ejus inquit: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*. Bonum mihi Domine tribulari (g) dummodò ipse sis mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te vel in cœlo. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volvi super terram? Aurum probat fornax, & viros justos tentatio tribulationis. Ibi ibi cum eis es Domine, ibi in nomine tuo congregatis medius astas, sicut olim cum tribus pueris es dignatus etiam Ethnico apparere, ut diceret, quia *species quarti similis Filio Dei*. Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum? Sævit ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione. Si Deus nobiscum, quis contra nos? Nihilominus quoque si ille eripit, quis est qui rapiat de manu ejus? Quis est qui de manu ejus possit ervere? Postremò si ille glorificat, quisnam alius inglorium faciet? Si ille glorificat, quis humiliabit? Amen.

CAPUT V.

De quinto verbo Christi, pleno mysteriorum, licet breviter prolatum sit in Cruce.
Sitio. *Joan. 19.*

1. *Ostenditur, Christum sitivisse non solùm ut impleret Scripturam, sed etiam ut immensitatem charitatis suæ commendaret nobis. Divinæ charitatis longitudo, latitudo, sublimitas, & profundũ exponitur. Docemur quomodo ipsius charitati correspondere debeat dilectio nostra. Probatur quòd vitæ præsenti potiùs congruit fides & desiderium, quàm cognitio & dilectio.* 2. *Ostenditur, Christum in Cruce non aliud sitivisse, quàm salutem animarum nostrarum: quo docemur, ut prior sit nobis sollicitudo reficiendi animam quàm corpus. Adducitur sermocinatio ad corpus, ut cooperetur saluti animæ suæ. Ostenditur, Christum ideò noluisse bibere potum sibi oblatum, quia nimiam acerbitatem nequitiæ crucifixorum indicabat: voluisse tamen gustare, ut sibi applicaret amaritudinem peccatorum animæ nostræ. Monemur, ut consideratis animæ nostræ multis miseriis, misereamur ei, exercitando bona opera, & declinando à malis.*

§. I.

Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum, & continuò currens unus ex eis spongiam acceptam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Cæteri verò dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. Joan. 19. Matt. 27. Mar. 15.

QVintum folium Vitis nostræ (a) sive quinta chorda breuis quidem videtur, sed si discutiatur, si diligentiùs consideretur, ad amoris indicium effi-

c *Ibidem cap. 12. num. 52.* d *Tract. de vit. & mo. Cleric. cap. 22. n. 62.* e *Tract. de vite myst. cap. 12. num. 52.* f *Ser. 16. super Psal. 90. num. 2.*

g *Ser. 17. super Psal. 90. num. 14.* a *Tract. de vite myst. cap. 13. n. 53.*

efficacissima poterit inveniri. Ait enim Euangelista: *Sciens Jesus quia omnia consummata essent, ut impleretur Scriptura.* Quæ Scriptura implenda erat? Illa utique quæ dicit: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Subjungit enim Evangelista: *Vas ergo positum erat aceto plenum, & currens unus implevit spongiam aceto, & circumponens hyssopo, dabat ei bibere.* Alter verò Euangelista pleniùs exponens quomodò Scriptura sit impleta, etiam fellis facit mentionem, ita dicens: *Et dabant ei vinum myrrhatum bibere cum felle mixtum.* Fractus membris omnibus dulcis Jesus voluit puniri & linguam. Dedit ergo ei illa vitis aliena (*plebs Judæorum*) conversa in amaritudinem de fructu suo potum amarum, potum non potandum, sed potiùs degustandum, quia ad pœnam linguæ sufficit acetum gustasse. Sed licet hæc [b] ad impletionem Scripturæ in veritate patrata sunt, tamen hoc verbo, *Sitio*, aliquid aliud significari videtur. Puto enim quòd hoc liquidò immensitatem nobis ardentissimæ charitatis voluit commendare: quia ab homine sitiente multò ardentiùs desideratur potus, quàm cibus ab esuriente. In se ergo ostendens Dominus Jesus desiderium illius rei quæ ardentissimè concupiscitur, per illam figurari ardorem suæ charitatis ostendit. Charitatis tamen illius ardorem [c] humanus comprehendere non sufficit intellectus, nisi quantum ex passione ipsius quæ cunctis apparuit, comprehendit. Ardorem autem charitatis suæ perpendemus [d] si diligenter videamus, quis, qualis, quantum, & quare nos amaverit amator misericors & mirabilis. Amator noster est ille, quo nihil majus, nihil ditius, nihil fortius est, cui omnis spiritus confitetur: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* In hoc brevi versu comprehenditur, quis amator noster sit, quis Deus, & quare amaverit. Ex verbo sequenti elicitur videlicet quòd non ideo amavit nos, ut aliquid nostri acciperet qui bonorum nostrorum non eget, sed gratuitâ gratiâ suâ. Quod si etiam in nobis esset aliquid boni quod ille appeteret, non hoc à nobis sed ab illo haberemus. Qualiter autem amaverit nos amator noster, exponit Apostolus dicens: *Cùm adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo.* Justus enim injustos, solus bonus & pius peccatores & impios adamavit. O quanta dignatio! O quàm [e] indebita miseratio! quàm gratuita & sic probata dilectio! quàm inopinata dignatio! quàm stupenda dulcedo! quam invicta mansuetudo, Regem gloriæ pro despicatissimo vernaculo imò vermiculo crucifigi! Quis audivit unquam tale? aut quis vidit huic simile? Vix enim pro justo quis moritur: ipse pro injustis & inimicis mortuus est, eligens exulare à cælis, ut nos reportaret ad cælos. Licet autem in amore Dei erga nos [f] sint teste Apostolo, *longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum*: charitati tamen Divinæ humana dilectio pro suæ insufficientiæ modulo non se coaptat. Deus equidem non superficialiter diligit nos, non simulatoriè, non mediocriter, sed plenè, sed sincerè, sed medullitùs: ut & nos comprehendere possimus cum omnibus Sanctis, quæ sint tantæ charitatis longitudo, altitudo, latitudo, & profundum. *Altitudo* ejus est excellentia gloriæ, quam præparavit Deus diligentibus se, cujus æstimatio in cor hominis non ascendit. *Profunditas* ejus est inclinatio majestatis à Patris coæqualitate, & exinanitio Filii usque ad formam servi, & usque ad mortem & ignominiam crucis. *Longitudo ejus* est sine initio, & sine fine. Dilectio enim ejus nec incipit nec desinit, qui ante mundi constitutionem elegit nos in dilecto Filio suo. Et sicut scriptum est: *Misericordia ejus ab æterno, & usque in æternum super timentes eum.* *Latitudo* ejus est ampla & extensa, & diffusa in omnem benevolentiæ modum. Ipse enim vult omnes homines salvos fieri per ipsam. Proprio enim Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum: ipsumquè nobis donans (teste Apostolo) *nobis donavit omnia in eo.* Sic etiam pari vicissitudine [g] charitas hominis se Divinæ charitati conformi divisione coaptat. *Alta est*, dum æterna & cælestia contemplatur. *Profunda est*, dum ab homine propter Deum vilitas & abjectio affectatur. *Longa est*, dum finaliter perseverat: Fides enim & spes atque scientia & cætera evacuabuntur, charitas autem nunquam excidit. *Lata* est, quia læta est, quando in delectatione justitiæ cor hominis dilatatur. *Lata* est, cùm extenderit se non solùm ad Deum & proximum, sed etiam amore pio amplectitur inimicum. *Lata* est, cujus mandatum latum est, dicente Propheta: *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.* O lata & dilatans charitas, quàm magna est domus tua, & ingens locus possessionis tuæ! Cujus latitudinem & longitudinem, & altitudinem & profundum comprehendunt Sancti, ut & nos in eadem sagena charitatis possimus pariter comprehendi. Sed quia necdum possumus contemplari per speciem [h] vel plenè amplecti per amorem; ideo Christus Deus noster dedit interim nobis & sapere per fidem, & quærere per desiderium: per quæ utique duo ad esse de non esse secundò reducti, fieri incipiamus initium aliquod creaturæ ejus, transituri quandoque in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quod proculdubio erit, cùm justitia convertetur in judicium, hoc est, fides in intellectum; justitia videlicet quæ ex fide est, in judiciū plenæ cognitionis, & item desiderium peregrinationis in plenitudinem commutabitur dilectionis. Si enim adhuc absentes initiat fides & desideriū, præsentes profectò consummat intellectus & amor. Sicut autem fides ducit ad plenam cognitionem, sic desiderium ad perfectam dilectionem. Et sicut dicitur: *Nisi credideritis, non intelligetis*; sic dici æquè non absurdè potest: *Si non desideraveritis, non perfectè amabitis.* Intellectus igitur est fructus fidei, perfecta charitas desiderii. Interim justus ex fide vivit: nam beatus ex intellectu vivit. Interim justus desiderat ad Deum, sicut ceruus ad fontes aquarum: nam beatus haurit jam in gaudio de fontibus Salvatoris, hoc est, delectatur in plenitudine charitatis. His ergo fortassis quasi duobus animæ brachiis [i] intellectu videlicet & amore, id est cognitione & dilectione veritatis, amplectitur & comprehenditur cum omnibus Sanctis *longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum*: hoc

b *Ibidem num.* 54. c *Ibidem cap.* 33. *num* 140. d *Ibidem cap.* 34. e *Ser.* 22. *divers. num.* 5. f *lib.* 3. *de amore Dei cap.* 33. *num.* 106. g *Ibidem num.* 107. h *Epist.* 18. *num.* 2. i *Ibidem. num.* 3.

hoc est; *Æternitas*, *Charitas*, *Virtus*, & *Sapientia*. Et hæc omnia Christus. *Æternitas* est, quia hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. *Charitas* est, quia Deus est: Deus enim charitas est, & Dei *Virtus*, & Dei *Sapientia*. Sed quando hæc erunt? Quando videbimus eum sicuti est: quando amabimus eum prout est. Nam expectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei expectat.

§. II.

Sciens Jesus quia consummata sunt omnia, dixit: *Sitio*. Joan. 19.

Licet veraciter possumus accipere quòd Christus sitiverit (k) qui per totum Corpus Sacrati Sanguinis effusione siccatus, ossa habuit sicut cremium arefacta; sed non satis credibile est, ipsum de siti corporali dixisse, ut potum peteret carnalem, qui in instanti se sciebat carnaliter moriturum: sed potiùs desiderium ardentissimum salutis nostræ ipsum credimus sitivisse. Sed est quod moveat nos: quia cùm instaret hora passionis extremæ, procedens ad orationem Dominus Jesus procidit in faciem suam, orans & dicens: *Pater mi, si possibile est, transfer hunc calicem à me*. Et hoc non tantùm semel, sed secundò & tertiò fecit. Per calicem quem bibiturus erat, proculdubio passionem significans, quam erat passurus. Nunc verò eodem calice passionis jam ebibito, dicit: *Sitio*. Quid est hoc? antequam gustes ô bone Jesu, petis calicem omninò auferri; & postquam ebibisti, sitis? Et ideò mirabilis potator es tu. Numquid vino jucunditatis, & non potiùs vino compunctionis & summæ amaritudinis repletus fuit calix tuus? Imò verò compunctionis amarissimæ plenus est, qui non sitim sed potiùs potandi fastidium generare deberet. Sed ut existimo (l) ante passionem calicem ipsius Patris à te transferri orasti, non ut passionem declinares pro qua veneras patienda, & sine qua salus humano generi non adesset: sed ne putaret quis te verum hominem amaritudinem non sensisse propter claritatis unionem, verbis patentibus calicem à te transferri semel & bis & tertiò summam acerbitatem passionis tuæ dubitantibus indicasti. Quando autem passionis calicem, quem antea rogaveras auferri, jam exhausisti, dixisti: *Sitio*: dilectionis erga nos tuæ magnitudinem commendasti. Tanquam diceres: Quamvis passio mea tam acerba fuerit, ut quantùm ad humanitatis sensum illam declinare potuerim, tamen tua ô homo me charitate vincente, & ipsa tormenta Crucis superante, adhuc plura & majora si necessè sit sitio subire tormenta. Nihil enim est quod detractem pro te pati, pro cujus precio Animam meam pono. Imitetur ergo quælibet fidelis anima Sponsum suum dulcem Jesum tantæ amaritudinis poculum sitientem, pro ipsa pariter & bibentem: & sitiens ipsa, etiam pro ipso ebibat pariter adversa præsentia. Sitiat quoque & ipsum dulcissimum Sponsum suum, cujus dulcedinem ex amaritudinibus præsentibus meliùs poterit considerare, malisquè exhaustis propter eum, confidentiùs ipsum sitire poterit & dicere cum Propheta: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Verè anima tua Deum sitit (m) si eum super omnia diligit. Verè anima tua Deum sitit, si pro amore illius despicit omnia terrena. Verè anima tua Deum sitit, si eum in dextera Patris regnantē videre concupiscit. Pius & dulcis Jesus (n) qui mortuus est pro delictis nostris, qui resurrexit propter justificationem nostram, qui est ad dexteram Patris, ubi etiam interpellat pro nobis: militans in terra, regnans & in cœlo, nihil sitit nisi nostram salutem. Imitemur ergo eum [o] qui in Cruce nihil aliud, quàm justitiam sitiebat animarum nostrarum. Si Christi membra volumus inveniri [p] sequendum nobis est sine dubio Caput nostrum: ut videlicet prima nobis reparandarum sit sollicitudo animarum, pro quibus ipse venit, & quarum priùs mederi studuit corruptioni. Corporis verò curam illi tempori magis reservemus, & differamus in illum diem, quo reformandi nostri corporis gratiâ est venturus. Infelix ego homo (q) & miserabilis casus meus, cui non una sufficit, cui duplex est necessaria regeneratio. Nimirùm ex corpore & anima constitutus cecidi totus simul, simul totus omninò resurgere non possum. An verò dignum non est, ut ea quæ videtur potior priorquè portio reparetur? At ipsam sanè animam esse nemo sanæ mentis ignorat. Prior ergo reficiatur, quæ prior corruit: præsertim quòd ab ejus culpa alterius pœna prodierit, & ipsius corruptio corporeæ quoque fuerit causa corruptionis. Hinc est quòd animabus primùm Salvator advenit, tollere utique peccata mundi, non molestias carnis. Quod sanè manifestiùs docuit in seipso, pœnis omnibus Corpus exponens, Animam autem immunem, prorsùs custodiens à peccato. Animabus itaque hoc tempus est (r) non corporibus assignatum, quòd videlicet longè dignor anima corpore, priorem sibi sollicitudinem naturali vendicet dignitate. Sed & prior reparanda est, quam constat corruisse priorem. Anima siquidem corrupta in culpam, fecit ut corpus quoque corrumperetur in pœnam. Non sic hodie filii hominum (s) non sic, sed animæ curam negligunt, curam autem carnis perficiunt in omni desiderio. Neque enim peccare metuunt, sed puniri: nec virtuti cordis opera datur, sed valetudini corporis, imò etiam voluptati. De schola Hippocratis & Epicuri didicerunt hæc. Neque enim suis Christus discipulis horum quidpiam tradidit: sed, *Discite*, inquit, *à me*, *quia mitis sum & humilis corde*. *Filii hominum usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem*, *& quæritis mendacium?* Tempus hoc animabus, non corporibus est assignatum: dies salutis utique, non voluptatis. *Omnia tempus habent*: animabus nunc operam dare necessè est. Nam *in carne qui seminat, solâ exinde metet corruptionem*. At, *Nemo* (inquiunt) *carnem suam odio habuit?* Verum est: sed zelum habens absque scientia, dum prodesse festinat, invenitur obesse. Cùm judicium carnis ex anima pendeat, carni nihil potest utilius, quàm salus animæ provideri: ut videlicet in tempore sit respectus illius; & socia passionis, felicitatis

k *Tract. de vite myst. cap.* 13. *num.* 54. l *Ibidem num.* 55.

m *Tract. de modo bene viven. cap.* 20. *num.* 58. n *Epist.* 385. *num.* 8. o *Ser.* 4. *de Adven. Domini num.* 7. p *Ser.* 6. *de Adven. Dom. num.* 1. q *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap.* 12. *num.* 37. r *Ser.* 6. *de Adven. Dom. num.* 1. s *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap.* 12. *num.* 38.

tis quoque consortium mereatur. Habes ad quid venerit Christus [t] & cui intendere debeat Christianus. Propterea noli ô corpus, noli præripere tempora: potes enim impedire animæ tuæ salutem, tuam ipsius operari non potes. *Omnia tempus habent.* Patere corpus ut nunc anima pro se laboret, magis autem etiam collabora ei: quoniam si compateris, & conregnabis. Quantùm ejus impedis reparationem, tantùm impedis tuam: quòd nimirùm ante reparari non poteris, donec suam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hospitem habes ô caro, nobilem valdè, & tota salus tua pendet de ejus salute. Da honorem hospiti tuo. Tu quidem habitas in regione tua, anima verò peregrina & exul apud te est hospitata. Iniurias vel molestias tuas ne reputaveris, tantùm ut hospes tuus honorificè possit apud te demorari. Honor tibi est, ut pro eo te exhibeas inhonorum. Ac ne fortè despicias aut parvipendas hospitem tuum, pro eo quòd peregrinus tibi videtur & advena: diligenter attende quid hospitis hujus tibi præsentia largiatur. Ipse enim est qui tribuit oculis visum, auditum auribus præstat: ipse est qui linguæ vocem, palato gustum, motum membris omnibus subministrat. Si quid vitæ, si quid sensûs, si quid in te decoris est, hujus hospitis beneficium recognosce. Denique discessus ejus probat, quid præsentia conferebat. Protinùs enim animâ discendente, lingua silebit, oculi non videbunt, obsurdescent aures, corpus omne rigebit, facies expalescet: in brevi quoque totum cadaver putidum simul & putridum fiet, & decor omnis in saniem convertetur. Ad quid ergo pro temporali qualibet delectatione contristas & lædis hospitem istum, quam nec sentire quidem ullo modo poteras nisi per ipsum? Ad hæc, si tantum tibi confert exul, licet inimicitiarum causâ à facie Domini sui ejectus: quantum tibi præstabit reconciliatus? Noli ô corpus, noli impedire reconciliationem illam, quoniam grandis tibi exinde gloria paratur. Patienter imò & libenter temetipsum expone ad omnia, nihil dissimules quod huic videatur reconciliationi posse prodesse. Dic hospiti tuo: Quando recordabitur Dominus tui, & restituet te in gradum pristinum: & tu memento mei. Omninò enim memor erit tui in bonum [u] si benè servieris illi: & cùm pervenerit ad Dominum suum, suggeret ei de te, & loquetur bonum pro bono hospite, dicens: Cùm in ultionem culpæ suæ exularet seruus tuus, pauper quidam apud quem hospitatus sum, fecit mecum misericordiam: & utinam retribuat pro me Dominus meus. Primò siquidem omnia sua, dehinc etiam semetipsum exposuit utilitatibus meis, non parcens sibi propter me, in jejuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, in fame & siti, etiam in frigore & nuditate. Quid igitur? Profectò non mentitur Scriptura quæ dicit: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.*

§. III.

Christus (x) Matre sua commendata Joanni, dicit: *Sitio.* Et dederunt illi qui crucifixerunt eum, acetum cum felle mixtum: quod cùm gustasset noluit bibere. Quia (y) nimiam acerbitatem invidiæ & nequitiæ crucifixorum suorum indicabat. O Vitis dulcissima, bone Jesu (z) hunccine fructum reddit tibi vinea tua, quam de Ægypto transtulisti? Expectaveras patienter usque ad hunc diem nuptiarum tuarum, ut faceret vuas, fecit autem labruscas. Ecce in quantam amaritudinem conversa est vitis non jam tua, sed aliena. Omnibus enim consummatis (a) ecce crucifixus es. Nec sufficit vulneratum esse, quin & super dolorem vulnerum tuorum addunt crucifixores, dantes tibi sitienti vinum myrrhatum bibere cum felle mixtum. Et quia sitienti ori tuo (b) fel aceto mixtũ infunditur, & vinum myrrhatum additur. Fac me igitur [c] charissime Domine Jesu Christe, recordari amaritudinis aceti & fellis, quod tu æterna dulcedo pro me gustasti in morte. Libet (d) ut spongiam per arundinem ori meo porrigas, & aceti amaritudinem gustvi meo adhibeas. Libet ut per Scripturas tuas rationi meæ conferas gustare, & videre quoniam florens hic mundus tanquam spongia inanis est, & omnis concupiscentia ejus aceto amarior. Ita in me fiat calix iste Babylonis amarus in omnem terram, ut non inani flore seducat, non falsa dulcedine inebriet, quemadmodùm eos qui tenebras lucem, amarum dulce, & dulce amarum arbitrantur. Sed nec prætermittam myrrham, quâ in Cruce potatus est Christus (e) in qua sibi applicuit amaritudinem peccatorum animæ meæ. Magna res anima (f) quæ Christi Sanguine redempta est. Gravis animæ casus, quæ non nisi Christi cruce potuit reparari. Si rursùm corruerit peccato duntaxat ad mortem, unde jam reparabitur? Numquid aut alter Christus, aut idem iterùm crucifigi habet pro illa? Super hoc vellem vos nunquam oblivisci illud Sapientis consilium: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Nec dubium [g] quin ea quæ Deo placet miseria, facilè possit eius misericordiam obtinere. Et ne dixerimus unde miserandum sit animabus nostris? Nisi enim insipienter dissimulaverimus, multa in eius miseratione digna poterunt inveniri. Non sum homo profundi sensus [h] non possum vobis quod non gustaverim, eructare. Dicam tamen quid interdum in me sentiam agitari, ut si quis fortè sibi utile judicauerit, imitetur. Quia enim olim persuasum est mihi, ut miserear animæ meæ placiturus exinde Deo meo, frequenter de ea recogito: utinam autem magis semper liceret. Erat quando id agitari minimè libebat, nempè quòd minùs (si tamen minùs, & non magis minimè) diligerem eam. Quomodò enim amat quis, cujus mortem amat? Quod si, ut verum est & indubitale, mors animæ iniquitas est: absolutã proinde liquet esse sententiam, quòd *iniquitatem qui diligit, odit animam suam.* Oderam ergo eam, & odissem adhuc, nisi hoc mihi quodcunque amoris ejus initium is qui prior eam dilexerat, contulisset. Ipsius proinde beneficio [i] nonnunquam de ea cogitans, videor mihi in ea (fateor) velut duo quædam contraria invenire.

t *Ser. 6. de Aduen. Dom. num. 3. & 4.* u *Ibidem num. 5.* x *Ser. de lament. B.V.M. num. 7.*

y *Ser. de Pass. Dom. num. 21.* z *Tract. de vite myst. cap. 5. num. 24.* a *Ibidem num. 25.* b *Tract. de 3. precip. myst. cap. 6. num. 14.* c *Libr. 3. de Amor. Dei cap. 34. num. 111.* d *Ser. de Pass. Dom. num. 21.* e *Ser. 2. in Cœna Domini. num. 7.* f *Epist. 54.* g *Ser. 39. diuer num. 1.* h *Ser. 5. in dedicat. Eccl. num. 2.* i *Ibidem num. 3. & 4.*

re. Si animam prout *in se* est & *ex se*, juxta rei veritatem intueor, nihil de ea veriùs sentire possum, quàm ad nihilum esse redactam. Quid modò necessè est singulas ejus miserias numerare, quàm sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremò totius confusionis & ignominiæ impleta? Nimiùm si ipsæ quoque justitiæ nostræ omnes ad lumen veritatis inspectæ velut pannus menstruatæ inveniuntur, injustitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen quod in nobis est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantę erunt? Facile est unicuique nostrûm, si sua meliùs universa & sine dissimulatione vestiget, & judicet sine acceptione personæ, attestari per omnia Apostolicæ veritati, & liberè proclamare: *Qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit. Quid est homo quia magnificas eum* (ait fidelis & devota confessio beati Job) *aut apponis erga eum cor tuum?* Quid? Sine dubio vanitati similis factus est homo, ad nihilum redactus est homo, nihil est homo. Quomodò tamen penitùs nihil est, quem magnificat Deus? Quomodò nihil, erga quem appositum est cor divinum? Respiremus, Fratres charissimi, etsi nihil sumus in cordibus nostris, fortè in corde Dei potest aliud latere de nobis. Docuimus omnem animam licèt oneratam vitiis, (k) peccatis irretitam, captam illecebris, exilio captivam, corpore carceratam, luto hærentem, infixam limo, affixam membris, confixam curis, distentam negotiis, contractam timoribus, afflictam doloribus, erroribus vagam, solicitudinibus anxiam, suspicionibus inquietam; & postremò advenam in terra inimicorum (juxta Prophetæ Baruch vocem) coinquinatam cum mortuis, deputatam cum his qui inferno sunt: licet inquam sic damnatam & sic desperatam, docuimus tamen hanc in sese posse advertere nonmodò unde respirare in spē veniæ, & in spem misericordiæ queat, sed etiam unde audeat aspirare ad nuptias Verbi, cum Deo inire fœdus societatis non trepidet, suave amoris jugum cum Rege ducere Angelorū non vereatur. Quid enim non tutè audeat apud eum, cujus se insignē cernit imagine, illustrem similitudine novit? Quid, inquam, vereatur de majestate, cui de origine fiducia datur? Tantum est, ut curet naturæ ingenuitatem vitæ honestate servare, imò cæleste decus quod sibi originaliter inest, dignis quibusdam studeat morum affectuumquè venustare & decorare coloribus. Jam verò sic facienti (l) congruè respondebitur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiā consequentur.* Miserere ergo animæ tuæ, qui Deum tibi vis misereri. Lava per singulas noctes lectum tuum, lachrymis tuis stratum tuum rigare memento. Si compateris tibiipsi, si laboras in gemitu pœnitentiæ, misericordiam utique consequeris. Quod si fortè magnus & multus peccator es, ac magnam quæris misericordiam multitudinemquè miserationum, tu quoque misericordiam tuam magnificare & multiplicare labora, reconciliatus esto tibiipsi: nam & tibi gravis factus eras, quòd positus esses contrarius Deo. Nec sanè dixerim (m) ut vel ipsam odio habeas carnem tuam. Dilige eam tanquam tibi datam in adjutorium, & ad æternæ beatitudinis consortium præparatam. Cæterùm sic amet anima carnem, ut non ipsa in carnem transisse putetur, dicaturquè ei à Domino: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est.* Diligat anima carnem suam, sed multò magis suam ipsius animam servet. Amet Adam Evam suam, sed non sic amet, ut voci ejus plùs obediat quàm Divinæ. Denique ne ipsi quidem expedit sic amari, ut videlicet cui interim caves à flagello paternæ correptionis, thesaurizes iram æternæ damnationis. Porrò (n) talis misericordia crudelitate plena est, quâ videlicet ita corpori servitur, ut anima juguletur. Quæ enim charitas est, carnem diligere, & spiritum negligere? Quævè discretio est, totum dare corpori, & animæ nihil? Qualis verò misericordia est, ancillam reficere, & dominam interficere? Nemo pro hujusmodi speret se consequi misericordiam, quæ misericordibus promittitur in Evangelio, Veritatis ore dicentis: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Sed certissimè potiùs pœnam expectet, quam tali (ut ita dicam) impio misericordi Sanctus Jacob magis prophetizando quàm affectando imprecatur: *Non sit*, inquiens, *in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.* Dignæ planè retributionis causam mox subinfert satis idoneam, dicens: *Pavit enim sterilem, quæ non parit, & viduæ non benefacit.* Inordinata profectò (o) atque irrationalis misericordia est, sterilis & infructuosæ carnis (quæ juxta Domini verbum, *non prodest quidquam*: & secundùm Apostolum, *regnum Dei non possidebit*) adimplendis invigilare desideriis, & de animæ cura Sapientis saluberrimum non curare consilium, admonentis & dicentis: *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Bona misericordia misereri animæ tuæ, nec potest non mereri misericordiam, quâ fit ut placeas Deo. Aliàs autem non est misericordia (sicut jam dixi) sed crudelitas: non est charitas, sed iniquitas: non est discretio, sed confusio, sterilem quæ non parit pascere, idest, inutilis carnis concupiscentiis inservire; & viduæ nil boni facere, animæ videlicet excolendis virtutibus nullam operam dare. Avertat hoc à servulis suis (p) Unigenitus Dei Patris, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT VI.

De sexto verbo Christi, quo indicavit se perfecisse omnia, quæ dicta sunt de se per Prophetas in Scripturis.

Consummatum est. *Joan. 19.*

1. *Ostenditur, Christum in hoc verbo non solùm indicavisse consummationem Scripturarum, sed etiam completionem malitiæ Judæorum, qui propterea grossis ficuum comparantur. Describitur ruditas & incredulitas Judæorum.* 2. *Ostenditur, Christum in hoc verbo commendavisse nobis virtutem perseverantiæ, ut eam conservemus usque ad mortem.*

k *Ser. 83. in Cant. num. 1.* l *Tract. de Conver. ad Cleric. cap. 16. num. 29.*

m *Ser. 10. Super psal. 90. num. 3.* n *Tract. de vit. & mor. Relig. cap. 8. num. 20.* o *Ibidem num. 2.* p *Ser. 3. in Vig. Nat. Dom. nu. 6.*

tem. Adducuntur plura exempla de illis, qui ob defectum perseverantiæ perierunt damnabiliter. Excitamur ad conservandam perseverantiæ virtutem, cujus etiam elogia afferuntur. 3. Ostenditur, neminem posse salvari, nisi perseveraverit in observantia mandatorum Dei. Docemur, quomodo proficiendum sit de virtute in virtutem usque ad ultimum vitæ nostræ terminum.

§. I.

Cùm ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Joan. 19.

IN sexto folio Vitis nostræ [a] sive in sexta chorda citharæ nostræ, nobis virtus perseverantiæ commendatur. Ait enim Evangelista, quòd cùm accepisset dulcis Jesus amaritudinem aceti, dixit: *Consummatum est*. Quid est hoc? Supra dictum est, quòd sciens Dominus quia consummata sunt omnia, ut implerentur Scripturæ ait: *Sitio*. Et cùm gustasset acetum sibi porrectum, subjunxit: *Consummatum est*? Consummatum quippè est, id est, perfectum fuit testimonium Scripturæ, quæ in Psalmo dicit: *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*. Et per hoc omnis Scriptura quæ de ipso erat, consummationem accepit. Unde [b] meritò ait Sponsa: *Ficus protulit grossos suos*. Ego hoc loco non quemvis populum interpretari liberum puto, unus signanter exprimitur. Neque enim, protulerunt, dicit, quasi de pluribus; sed quasi de una, *protulit*, inquit, *ficus grossos suos*: &. ut sentio ego, quæ est plebs Judæorum. Sed dicit aliquis: Cùm istjusmodi grossos non aliquando proferre gens illa cessaverit, ergo non aliquando tempus putationis non extitit, quia unum vtrique rei tempus existere perhibetur? Non ita est. Dicimus mulieres filios procreâsse, non cùm parturiunt, sed cùm jam pepererunt. Dicimus & arbores edidisse flores suos, non cùm cæperiunt florere, sed potiùs cùm desierint. Ita hîc quoque dictum est quia *ficus protulit grossos suos*, non cùm aliquos edidit, sed cùm totos, idest, cùm ad finem pervenit editio. Quæris, quo tempore istiusmodi complementum illi populo accidit? Cùm Christum occidit, tunc completa est malitia ejus, juxta quod ipse Christus ejs prædixerat: *Implete mensuram patrum vestrorum*. Unde in patibulo traditurus jam spiritum, *Consummatum est*, inquit. O qualem consummationem dedit grossis suis ficus hæc maledicta, & subinde æterna ariditate damnata! O quàm sunt nouissimi peiores prioribus! Incipiens ab inutilibus, ad perniciosos peruenit & venenatos. Quanta in hanc ficum [c] Saluator parabolicè in Euangelio loqui videtur? vt est illud: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, &c.* Item: *Videte ficulneam & omnes arbores*. Et Nathaëli dictum est: *Cùm esses sub ficu, vidi te*. Et rursùm maledicit ficulneæ, pro eo quòd non inuenit in ea fructum. Benè ficus, quæ bona licet Patriarcharum radice prodierit, nunquam tamen in altum proficere, nunquam se humo attollere volvit, nunquam respondere radici proceritate ramorum, generositate florum, fæcunditate fructuum. Malè prorsùs tibi cum tua radice conuenit arbor pusilla, tortuosa, nodosa. Radix enim sancta est. Quid eâ dignum tuis apparet in ramis? *Ficus* (inquit) *protulit grossos suos*. Non hos à nobili radice traxisti semen nequam. Quod in ea est, de Spiritu Sancto est, ac per hoc subtile totum est ac suaue. Tibi vnde hi grossi? Et verè quid non grossum in gente illa Judæorum? Nec actus profectò, nec affectus, nec intellectus, sed nec ritus quem in colendo Deum habuit. Nam actus in bellis, affectus in lucris totus erat, intellectus in crassitudine literæ, cultus in sanguine pecudum & armentorum. Videntur tamen mihi quoddam semen fuisse Diuinæ cogitationis (d) tanquam è cælo jactatum in terras, allocutiones & promissiones factæ cælitùs ad Patres, Abraham scilicet, Isaac, & Jacob. De quo semine scriptum est: *Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus*. Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quæ ostensa sunt in exitu Jsraël de Ægypto: floruit in figuris & ænigmatibus per totum iter in deserto usque in terram promissionis, & deinceps in visionibus & vaticiniis Prophetarum, in ordinatione quoque Regni ac Sacerdotii usque ad Christum. Christus autem hujus seminis & horum florum non immeritò fructus esse intelligitur, dicente David: *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*. Et iterum: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*. In Nazareth quoque nunciatur Christus nasciturus, quia in flore speratur fructus processurus. Sed prodeunte fructu flos decidit, quia Veritate apparente in carne, figura pertransiit. Unde & Nazareth civitas Galilææ dicitur, id est, transmigrationis; quia nascente Christo, omnia illa transierunt quæ superiùs enumeravi, quæ (ut ait Apostolus) *in figura contingebant illis*. Hos ergo flores & nos qui jam fructum tenemus, pertransisse videmus: & dum adhuc florere videbantur, transituri prævidebantur. Unde David: *Manè sicut herba transeat, manè floreat & transeat: vesperè decidat, induret & arescat*. Vespere etenim, id est, quando venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Unigenitum suum factum ex muliere, factum sub lege, dicente ipso: *Ecce nova facio omnia*: vetera transierunt & disparuerunt, quomodo in novitate succrescentis fructus flores decidunt & arescunt. Unde rursùs scriptum est: *Fænum arvit, & flos decidit: verbum autem Domini manet in æternum*. Credo non ambigis quia verbum fructus sit: Verbum autem Christus est. Bonus itaque fructus Christus (e) qui manet in æternum. Sed ubi est fænum quod arvit? vbi est flos qui decidit? Propheta Isajas respondeat: *Omnis caro fænum: & omnis gloria ejus tanquam flos fæni*. Si omnis caro fænum: ergo carnalis ille populus Judæorum ut fænum arvit. An non fænum arvit, dùm idem populus ab omni spiritûs pinguedine vacuus, siccæ literæ adhæsit? An non etiam flos decidit, quando gloriatio quam habebant in

a *Tract. de vite myst. cap. 14. num. 56.* b *Ser. 63. in Cant. num. 3. & 4.* c *Ibidem num. 3.*

d *Ser. 1. super missus num. 3.* e *Ibidem nu. 4.*

in lege non remansit? Si flos non decidit, ubi ergo est Regnum, ubi Sacerdotium, ubi Prophetæ, ubi Templum? Ubi denique sunt magnalia illa, de quibus gloriari solebant, & dicere: *Quanta audivimus & cognovimus ea, & patres nostri narraverunt nobis*? Frustra denique, ô Judæi (f) Christum esse in vestro comitatu præsumitis, cùm jam secundùm Jeremiam vestrum reliquerit domum suam, dimiserit hæditatem suam: quoniam facta est hæreditas ejus quasi spelunca leænæ. Quibus indiciis, quibus mysteriis, quibus sacramentis in vestro est comitatu? Ubi est templum, ubi juge sacrificium, ubi Sacerdotium, ubi Altare illud quod solum vobis in sola Hierosolyma concessum est? Ubi est ignis ille perpetuus, quo extincto omnia pariter holocaustomata perierunt, quæ non possunt alieno igne consumi? Ergo aut nihil horum habetis: aut si forrè vos ea habere præsumitis, non secundùm Dei præceptum habetis, ac proinde nec Christum habetis. In his enim omnibus secundùm prophetica mysteria Christum aliquando habebatis, sed apparente eo quem prænunciabant, ipsa prænuncia sublasunt: de quibus frustra post ejus adventum præsumitis. O mira perversitas! ô mira cæcitas!

§. II.

Consummatum est, dicit Jesus. Fidelis sermo (g) & omni acceptione dignus. Quia enim voluit, oblatus est. Nonmodò voluit & oblatus, sed quia voluit. Solus nimirùm potestatem habuit ponendi Animam suam: nemo eam abstulit ab eo. Ultrò, *cùm accepisset acetum, dixit: Consummatum est*. Ac si diceret: Nihil restat implendum, jam non est quod expectem. In hoc verbo (h) nobis virtus perseverantiæ commendatur. Ait enim Evangelista, quòd cùm accepisset dulcis Jesus amaritudinem aceti, dixit: *Consummatum est*. Sicut ergo Caput nostrũ Christus pro peccatis nostris acerbitatem sustinens passionis usque ad consummationẽ, id est usque ad perfectionem omniũ Scripturarum quæ de ipso erant perseveravit patienter: Ita & nos, si hujus Capitis membra esse volumus, in omnibus adversitatibus nostris virtutem perseverantiæ conservemus, ut ad finem omnium passionum nostrarum ipso benigno Jesu duce venientes, cum ipso confidenter possimus dicere: *Consummatum est*. Hoc est: Tuo adiutorio, non mea virtute bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Redde ergo mihi, quod legitimè certantibus in agone te promittente repositũ est, scilicet illam coronam justitiæ, quam tu justus judex reddes in tua illa die, quæ nubilũ non habet: in illa die, quæ in atriis tuis melior erit super millia dierum: in qua tu solus, id est, singulariter Sol eris. O Sol justitiæ, benigne Jesu Christe, lucens in virtute tua, reddens temetipsum in præmium sempiternum omnibus qui perseveraverunt in agone certaminis. Recipient enim à te splendorem sempiternum, in quo sine fine felices lætantur. Hunc autem splendorem nullus poterit adipisci [i] nisi qui perseveraverit usque in finem. Quia nimirùm virtus boni operis perseverantia est: ideò huic soli redditur corona justitiæ. Quid enim prodest esse bonum, esse sapientem, esse potentem, si non perseveraverit usque in finem? Bonus erat Saül & optimus: quia docet Scriptura, quòd non erat vir melior eo in populo Israël. Sed ad quid devenit? Cecidit, cecidit & reprobus factus est, ita ut non obediret voci Domini, Prophetam contemneret, à spiritu maligno vexaretur, virum innocentem persequeretur usque ad mortem: tandem verò consuleret Pythonissam, & ab alienigena miserabiliter interiret. Quis porrò sapientior Salamone? Sed deficiens à præceptis Domini, & coniunctus mulieribus gentilibus, fabricavit Diis imò dæmonibus illarum templa, ita ut ipse cum illis idola adoraret; tantò magis in stultitia desipiens & abjectus, quantò priùs in sapientia fuerat elevatus. De quantis etiã legimus in Vitis Patrũ, viris potentibus in vigiliis & in jejuniis, in laboribus supra modum humanum, imò & in miraculis coruscantibus qui ceciderunt, quia non perseveraverunt usque in finem. *Qui perseveraverit usque in finem* (Dominus inquit) *hic salvus erit*. Finis non pugna coronat. Lauda navigantis felicitatem, sed cùm pervenerit ad portum. O quantum humilitatis tibi iure incutiet & timoris, cùm adverteris summum Angelorum cum magna multitudine sequacium suorum in cælo cecidisse; hominem Protoplastum cum uxore sua à Paradise ejectos fuisse; tot bonos, sapientes, potentes in terra nostra periisse: quia ad bonorũ operum consummationem non pervenerunt. Est quidem alius alio justior, sed nescit utrũ amore vel odio dignus sit. Quare? Quia ignorat si perseveraturus sit, si coronandus sit. Et ideo (k) nos in vita sua laudare hominem prohibemur. Quomodò namque secura laudatio, ubi nec ipsa vita est secura? *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*, ait tuba illa cælestis. Et legem certaminis ab ore ipsius legislatoris ausculta: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Nescis omninò quis sit perseveraturus, nescis quis sit legitimè certaturus, nescis quis coronam sit accepturus. Est tamen efficax medicamentum (l) quod huic timori apponamus: videlicet fiduciam, spem & fortitudinem nostram ponamus in eo, cui canit Psalmus: *Adjutor meus tibi psallam: quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea*. Et de quo Esajas: *Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam & non timebo: quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem*. Quicunque enim ceciderunt, ideo profectò ceciderunt, quia magis de se, quàm de Deo præsumpserunt. Ædificaverunt quippè domum intentionis suæ super arenam. Imminente ergo tempestate tentationum fluxerunt flumina, id est concupiscentiæ trasitoriæ persuadentes appetitum; & flaverunt venti superbiæ & vanæ gloriæ, & cecidit domus illorum, & omnia facta eorum destructa sunt: quia super arenam, id est semetipsos ædificaverunt, de propriis nimirùm viribus confidentes. Nos autem multò melius fundamentum ponentes, illud scilicet de quo dicit Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter istud quod positum est, quod est Christus Jesus*. Securi ædificemus super illud bona opera, quæ quamdiu illi inhæserint fundamento, corruere non poterunt, donec ipso adjuvante qui cæpit, ad con-

Oo summa-

f *Tract. de Jesu puero duoden. num. 14. tom. 6. pag. 637.* g *Ser. in fer. 4. hebd. San. num. 4.* h *Tract. de vite myst. cap. 14. num. 56.* i *Ibidem num. 57.*

k *Ser. 5. de omn. San. num. 2.* l *Tract. de vite myst. cap. 14. num. 58.*

summationem debitam perducantur. Et nunc quid ſtreat(m)niſi ut admoneamini de perſeverantia ſervanda,quę ſola meretur viribus gloriā, coronā virtutibus? Prorsùs abſque perſeverantia nec qui pugnat victoriam, nec palvam victor conſequitur. Vigor virium, virtutum conſummatio eſt,nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror eſt patientiæ,conſtantiæ filia, amica pacis,amicitiarū nodus, unanimitatis vinculū,propunaculum ſanctitatis.Tolle perſeverantiam:nec obſequiū mercedem habet,nec beneficium gratiam, nec laudē fortitudo.Denique non qui cœperit,ſed *qui perſeveraverit uſq; in finem, hic ſalvus erit.* Saül cùm eſſet paruulus in oculis ſuis, Rex eſt ſuper Iſraël conſtitutus: non perſeverans in humilitate, & regnum amiſit & vitam.Si cautela Samſonis, ſi Salamonis devotio perſeverantiā retinuiſſent,nec is profectò privaretur ſapientiā,nec ille viribus. Hoc ſummæ honeſtatis inſigne,hanc totius probitatis unicā fidamquè cuſtodem,cuſtodiri à vobis firmiter hortor & precor. Mementote;Fratres, ſolam ex omnibus perſeverantiam coronari, (n) nec eam facilè poſſe inter tot diſcrimina vendicari, niſi multiplicem obtineatis in tam multiplici colluctatione virtutem. Inchoantibus præmium promittitur (o) ſed perſeverantibus datur, ſicut ſcriptum eſt: *Qui perſeveraverit uſque finem, hic ſaluuserit.* Tunc enim placet Deo noſtra converſio, quando bonum quod inchoamus, uſque in finem perducimus. Sic enim ſcriptum eſt: *Væ his qui ſuſtinentiam perdiderunt*, id eſt, bonum opus non conſummaverunt.

§. III.

Præterea (p) unuſquiſque noſtrum conſiderare non ceſſet, qualiter in ſtadio mandatorum Dei currat, qualiter in agone Chriſtiano contra leonem rugientem contendat. Neminem veſtrûm credo latere, non aliquem poſſe ſalvari,niſi qui Domino Jeſu fidelis perſeveraverit uſque ad egreſſū de habitaculo corporis; nec ad braviū æternæ dulcedinis pervenire,qui antequam ad metam veniat, in curſu deficiat. Stadium noſtrum eſt obſervantia mandatorum Dei. Finis ſtadii noſtri eſt charitas juxta illud Apoſtoli: *Finis legis eſt charitas*. Charitas ſtadii noſtri eſt ipſa charitas, non quâ diligimus Deum, ſed quâ poſſidemus Deum: non ea quâ diligitur Deus, ſed ea quæ eſt ipſe Deus.In ſtadio mandatorū Dei alius *benè* currere incipit, & antequam ad metā veniat,deficit. Alius *pigrè* incipit,& poſtea ad metā velociter currit. Alius & *velociter* incipit, & velociter proficit. Alius *pigrè* incipit, & in pigritia ſua ſemper perſiſtit. Duobus iſtorum bravium debetur,ſcilicet pigrè incipienti, & poſtea velociter pervenienti: alteri & agiliter incipienti,& velociter pervenienti.Indefeſſum proficiendi ſtudium (q) & jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur. Quod ſi ſtudere perfectioni eſſe perfectum eſt, profectò nolle proficere, deficere eſt. Ubi ergo ſunt qui dicere ſolent: Sufficit nobis, nolumus eſſe meliores,quàm Patres noſtri? O homo, non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, & maneré in quo perveni,nec peior fieri patior,nec melior eſſe cupio. Hoc ergo vis, quod eſſe non poteſt. Quid enim ſtat in hoc ſæculo? Et certè de homine ſpecialiter dictum eſt: *Fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet*. Ipſius denique hominis ſæculiquè Auctor quamdiu in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, numquid ſtetit? Et quidem (teſte ſcriptura) *pertranſiit beneficiendo & ſanando omnes*. Pertranſiit ergo ſicut non infructuosè, ita non remiſsè, non pigrè, non lento paſſu; ſed,quemadmodùm item de eo ſcriptum eſt: *Exultavit ut gigas ad currendam viam*. Poſtea currentem non apprehendit, qui & ipſe pariter non currit. Et quid prodeſt Chriſtum ſequi,ſi non contingat conſequi? Ideo Paulus ajebat: *Sic currite ut comprehendatis*. Ibi tu chriſtiane fige tui curſus profectuſquè metam, ubi Chriſtus poſuit ſuam. *Factus eſt* (inquit Apoſtolus) *obediens uſque ad mortem*. Quantumlibet ergo cucurreris, ſi uſque ad mortem non perſeveraveris, bravium non apprehendis. Bravium Chriſtus eſt. Quod ſi illo currente tu gradum ſiſtis: non Chriſto appropias, ſed te magis elongas: timendumquè tibi eſt quod ait David: *Ecce qui elongat ſe à te Domine,peribunt*. Itaque ſi proficere currere eſt: ubi proficere, ibi & currere definis. Ubi verò non currere, ibi & deficere incipis. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, non niſi deficere eſt. Vidit Scalam Jacob, (r) & in ſcala Angelos, ubi nullus reſidens, nullus ſubſiſtens apparvit; ſed vel aſcendere, vel deſcendere videbantur univerſi: quatenùs palàm daretur intelligi inter profectum & defectum in hoc ſtatu mortalis vitæ nihil mediū inveniri: ſed quomodo ipſum corpus noſtrum continuò aut creſcere conſtat aut decreſcere, ita neceſsè ſit & ſpiritum aut proficere ſemper, aut deficere. Nemo repentè fit ſummus: (s) aſcendendo non volando apprehenditur ſummitas ſcalæ. Aſcendamus igitur velut duobus quibusdam pedibus, meditatione & oratione. Meditatio ſiquidem docet quid deſit, oratio ne deſit obtinet.Illa viam oſtendit,iſta deducit. In quibus omnibus ſi quis forſitan proficere diſimulat (t) & proficiſci de virtute in virtutem; noverit quiſquis hujuſmodi eſt, in ſtatione non in proceſſione ſe eſſe, imò verò in regreſſione: quoniam in via vitæ non progredi, regredi eſt,cùm nihil adhuc in eodem ſtatu permaneat. Porrò profectus noſter in eo conſiſtit, ut nunquam arbitremur nos apprehendiſſe,ſed extendamur ad interiora, inceſſanter conemur in melius:aut imperfectum noſtrum Divinæ miſericordiæ obtutibus jugiter exponamus.Ab omnibus quidē vobis perfectio exigitur(u)licet non uniformis. Sed ſi incipis,incipe perfectè. Si jam in profectu es, & hoc ipſum jam perfectè age. Si autem perfectionis aliquid attigiſti, teipſum in temetipſo metire, & dic cum Apoſtolo: *Non quod jam apprehenderim, aut perfectus ſum: ſequor autem, ſi fortè comprehendam, in quo & comprehenſus ſum. Unum autem,quæ quidem retrò ſunt obliviſcens, & ad ea quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum proſequor bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu*. Deinde addit:*Quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſapimus*. In quo

m *Epiſt.129.num.2.* n *Ser.4.in dedicat.Eccl.num.4.* o *Tract.de modo bene viven.cap.6.num.15.* p *Ser.12.in ult. Cæna num.96.* q *Epiſt.253.num.3.& 4.*

r *Ibidem num.5.* s *Ser.1.de San. Andr.num.10.* t *Ser.2.in Purificat. B. M. num.3.* u *Tract. de vita.ſolit. cap.4.num.12. tom.5. pag.238.*

quo manifestè Apostolo docente declaratur, quia perfecta eorum quæ retrò sunt obliuio, & perfecta in anteriora extensio, ipsa est hominis iusti in hac vita perfectio: & perfectio huius perfectionis ibi erit, vbi erit brauij supernæ vocationis perfecta apprehensio. Ita, quæso, (x) ita facite dilectissimi. Discipulus quippè proficiens, gloria est Magistri. Quisquis in schola Christi non proficit, eius indignus est magisterio, præsertim tamen vbi sumus, vbi nihil in eodem statu permanet: & non proficere, sine dubio deficere est. Nemo proinde dicat: Satis est, sic volo manere, sufficit mihi esse sicut heri & nudiustertius, In via residet, qui eiusmodi est: in scala subsistit, vbi neminem Patriarcha vidit nisi ascendentem, aut descendentem. Dico etiam: Qui se existimat stare, videat ne cadat. Ardua & angusta est via: & non hîc, sed in domo Patris mansiones sunt multæ. Itaque, qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. *Jesus enim* (ut ait Euangelista) *crescebat & proficiebat sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines*. Ille non restitit ergo, sed *exultauit ut gigas ad currendam viam*: & nos quoque si non desipimus, curremus post eum, trahemur in odore vnguentorum ipsius. Alioquin si elongari contigerit, erit pigritanti animæ & laboriosior & periculosior via, dum nec odore recreari, nec certa possit agnoscere vestigia longiùs abeuntis. Sic ergo currite Fratres, ut comprehendatis. Quòd sanè ita fiet, si nequaquam arbitramini comprehendisse: sed obliti quæ retrò sunt, extenditis vos in anteriora. Denique audite [y] quid loquatur Sponsus: *Capite*, inquit, *nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit*. Vulpes, tentationes sunt. Necessè est vt veniant tentationes. Quis enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit? Aut quomodò certabunt, si desit qui impugnet? Tu ergo accedens ad seruitutem Dei sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem, certus *omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem passuros*. Proficientium sanctioribus studiis minimè quidem sese opponere contrariæ virtutes apertè audent, sed solent ex occulto insidiari quasi quædam fraudulentæ vulpeculæ: specie quidem virtutes, re autem sunt vitia. Quantos (verbi gratiâ) ingressos vias vitæ, progressos ad meliora, super semitas iustitiæ benè securèquè proficiscentes & proficientes, fraude (proh dolor) vulpium harum turpiter supplantatos expertus sum, & serò in se virtutum suffocatos plangere fructus? Avertat hoc à seruulis suis [z] pro quorum salute induere dignatus est formã serui, Vnigenitus Dei Patris, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT VII.

De septimo verbo Christi, quod in articulo mortis suæ protulit ad Deum Patrem.

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23.

1. *Ostenditur, Christum ideo commendavisse Deo Patri Animam suam, vt erudiret nos, quòd debeamus Creatori nostro commendare animas nostras in articulo mortis. Proponuntur nobis ad imitandum sex verba Christi prolata in Cruce: in quorum tribus commendatur nobis triplex charitas* 2. *Monemur, vt preparemus nos ad mortem, considerantes ea quæ traduntur: & vt frequenter suspiremus ad Iesum Crucifixum, sperantes in eum. Ostenditur tria esse fundamẽta, in quibus tota spes nostra consistit.* 3. *Probatur Christum in cõmendando Patri animã suam, docuisse nos, vt in hora mortis nostræ inuocemus Deum Patrem, & in eius Filio totã spem habeamus, quæ consistit in triplici fundamento. Ostenditur, securè morituros esse illos, qui sunt mortui peccato & mundo. Agitur de differentia mortis iustorum, & peccatorum. Excitamur ad considerationem mortis nostræ.*

§. I.

Jesus autem iterùm clamans voce magna, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Matt. 27 Luc. 23.

NVnc iam vltimum folium Vitis nostræ (a) vel vltimam chordam citharæ nostræ consideremus: vt indelebili memoriæ commendemus, imò & ore indefesso ruminemus. *Pater* (ait ille bonus Iesus) *in manus tuas commendo spiritum meum*. Scaturire videntur hæc verba (b) teneritudinem amoris, & quasi mustum quod dirumpit nouas lagunculas, de medullis procedere diligentis. Deus Pater diligit Filiũ (c) & singulari dilectione amplectitur, summus æqualem, æternus coæternũ, vnus Vnicum. Sed enim non minori ipse à Filio affectione astringitur: quippè pro cuius amore & moritur, cùm ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritũ meũ*. Quis mihi (d) dignè horum verborum reserabit sacramentum? Plena quippè [e] sunt omnia supernis mysterijs, ac cælesti singula dulcedine redundantia. Sed cui (f) similabo ea? Vni interim epularum, quæ triplici quadam emineat gratiâ, deliciosa ad saporem, solida ad nutrimentum, efficax ad medicinam. Sic, inquam, sic singula Jesu morientis verba, & ex eo quòd suauiter sonant, affectum mulcent: & de sensuum vbertate mentem impinguant & nutriunt: & de altitudine mysteriorum, dum intellectũm quò plùs exercent eò plùs terrent, miro modo tumorem sanant inflantis scientiæ. Si tamen diligentem habeant inspectorem (g) qui noverit sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo. Quid est autem (h) quòd ille coæternus & consubstantialis Patri Filius Animam suam ita manifestè in manus Patris commendabat, cui non minùs commendata etiam esset, si hoc non dixisset? In Euangelio Ioannis habemus, quòd cùm Dominus Jesus suscitaturus esset Lazarum, dixit: *Gratias tibi Pater ago, quia me semper audisti: sed propter astantes dixi, ut ipsi credant quia tu me misisti. Hæc autem cùm dixisset* (i) *clamauit voce magna: Lazare veni foras*.

x. *Epist. 341. num. 1. & 2.* y. *Serm. 64. in Cant. num. 1.* z. *Ser. 3. in Nat. Dom. n. 6.*

a *Tract. de vite myst. cap. 15. nu. 59.* b. *Ser. in fer. 2. Pasch. n. 18.* c. *Ser. 8. in Cant. nu. 1.* d. *Ser. 1. super sal. Reg. nu. 2.* e. *Ser. 1. super missus nu. 1.* f. *Ser. 67. in Cant. nu. 1.* g. *Ser. 1. super missus nu. 1.* h *Tract. de vite myst. cap. 15. num. 59.*

Magna vtique voce, non tam sono clamosa, quàm pietate, & virtute magnifica. Ita profectò (K) & nunc. Quamvis enim sciret Animam suam Sanctissimam Patris esse manibus commendatam, qui paulò ante dixerat: *Venit princeps huius mundi* (idest Satanas) *& in me non habet quidquam*. Tamen ut erudiret nos qui terra sumus & cinis, ut spiritum nostrum disceremus Patris æterni manibus commendare, ne ab huius mundi principe, cùm à corpore egressus fuerit, comprehendatur, qui in nobis (heu) non pauca quæ ad ipsum pertineant, inveniet: cùm ipse qui peccato nil debebat, imò etiam qui tollere peccata aduenerat, spiritum suum purissimum à purissimo corpore egressurum non vtique necessitatis, sed exempli gratiâ, Patris sui manibus commendauit. Quod & nos sub spe gratiæ & misericordiæ poterimus facere (l) si sub vmbra septem foliorum præmissorum latuerimus, si sonos chordarum citharæ nostræ auribus cordis audierimus. *Primò* scilicet, si oremus pro inimicis. *Secundò*, si pænitentibus qui in nos peccaverũt, ex toto corde remiserimus. *Tertiò*, si proximis nostris mutuam rependerimus charitatem. *Quartò*, si in omnibus tribulationibus nostris speraverimus in eo, qui propter nos Homo factus est, ut vnitus nostræ naturæ esset nobiscum. *Quintò*, si ardenti desiderio proximorum salutem desiderauerimus. *Sextò*, si in bonis operibus ad consummationẽ vitæ perstiterimus. Inquantum hæc egerimus, fiducialiter poterimus dicere æterno Patri cũ Domino Jesu: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*. Semper orantes dum vivimus, ut in his verbis, quibus ipse Jesus spiritum emisit, præstare dignetur nos etiam spiritum nostrum emittere, & suis efficaciter manibus commendare. O quàm magnificus (m) factus es in nuptijs tuis Rex & Sponse, bone Jesu! Quàm largè quæ habuisti, omnia tradidisti! Ecce ipsis crucifixoribus tuis orationis affectum, Latroni paradisum, Matri filium, filio Matrem, mortuis vitam, manibus Patris Animam tuam, toti Mundo signa potentiæ tuæ contulisti: pro redimendo seruo non ex parte, sed totum Sanguinem ex multis & largis foraminibus effudisti. Porrò in tribus verbis priùs pertractatis (n) tres charitatis species mihi commendari videntur. *Vna*, quæ habetur ad inimicos etiam reconciliari nolentes, de qua dicit Joannes: *Diligamus Dominum, qui dilexit nos cùm adhuc essemus inimici*: & hæc est summa & magis admiranda dilectio. Diligere enim inimicos magis Diuinum est quam humanum. *Secunda*, quæ habetur ad eos qui aliquando fuerunt inimici, sed petita reconciliatione, in gratiam sunt recepti. Vnde Paulus ait: *Reconciliati sumus Deo per Sanguinem ipsius*. *Tertia*, quæ habetur erga eos qui nunquam fuerunt inimici, de qua idem ait: *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*. Prima autem charitatis species nobis commendatur in primo verbo, vbi Dominus Jesus orat pro inimicis. Secunda, vbi Latroni petenti paradisum promittit. Tertia, vbi amicos præcipuos committit. Tegamur ergo horum vmbrâ foliorum. Audiamus & exaudiamus hos nostræ citharæ sonus dulcissimè modulantes: & à feruore omnis invidię, odij, iræ, & ab omni amaritudine detractionis, adulationis, simulationis, adiuuante Domino qui est vera charitas, temperemus; ipsum in omnibus charitatis speciebus, animo simul & operibus imitantes. Ecce secundùm quod potuimus [o] non quod debuimus, nec secundùm quod voluimus, Vitis nostræ desuper extensæ folia septem vestræ ostendimus charitati: quæ non satis est tantùm intueri, sed potiùs est accedendum, & sub vmbra illorum sedendum, ut possimus cum Sponsa veraciter dicere: *Sub vmbra illius quem desideraveram, sedi*. Cuius? Illius Sponsi vtique, cujus folia vmbram tantò habent latiorem, quantò ipse Sponsus Verbum summi Patris verba habet virtutibus amabiliora, viciniora què saluti, magis accommodata pietati, & omnium intellectui promptiora. Meritò flebat Joannes [p] non inueniri qui aperiret Librum, & solueret signacula ejus: dum enim clausus staret, nemo ex nobis Diuinam illam attingere Sapientiam præualeret. Aperi tu librum Agne Dei, vera mansuetudo. Fodiendas expone Iudæo manus tuas & pedes tuos, ut qui in ejs latet procedat thesaurus salutis, & copiosa redemptio. Frange denique asurientibus panem tuum. Solus enim frangere potes, qui solus ut confracta solides, stare potes: & in ipsa confractione solus potestatem habes ponendi Animã, & eam cùm volueris, resumendi. Tua igitur miseratione soluatur aliquatenùs hoc Templum, sed non penitùs dissoluatur. Separetur ab Anima caro, sed Verbum sanè & carnis seruet incorruptionem, & Animæ plenam conferat libertatem: ut sola inter mortuos liberè agat, educat vinctos de domo carceris, sedentes in tenebris & in vmbra mortis. Ponat Anima Sancta Carnem immaculatam, sed resumendam tertia die: ut moriens mortem perimat, & vita omnium cum resurgente resurgat.

§. II.

Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. Luc. 23.

Cognosce anima mea [q] cognosce: hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, Vnigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inuentus est. Et ecce [r] moritur Saluator tuus, anima mea, ut te viuificet. Tu ergo ingere te vigiliis [s] per lachrymarum violentiam vince Dominum maiestatis, & dic: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est iam dies*. Hanc clausulam multipliciter possumus intelligere, & in ea multas delicias inuenire. *Mane nobiscum, quoniam aduesperascit*. Cum properamus in virtutum successibus, in die sumus: cùm nos obnubilant tribulationum angustiæ, incipit nobis aduesperascere: cùm tristitia nos confundit, nobis aduesperascit. Et quia ad te confugimus, qui solus laborem & dolorem consideras: *mane nobiscum, quoniam advesperascit*. Iam veniunt aquæ vsque ad animam, iam deuotionis delicię vertuntur in miseriã, iam omnes angulos mentis nostræ ventus tẽtationis concutit: *Mane nobiscum, quoniam aduesperascit*.

Tu

i *Ser. 4. in Assumpt. B. M. num. 4.* K *Tract. de vite myst. cap. 15. num. 59.* l *ibidem num. 60.* m *ibidem cap. 10. num. 47.* n *ibidem cap. 11.*

o *ibidem cap. 15. num. 61.* p *Ser. 2 in Nat. Dom. num. 5.* q *Ser. de Pass. Dom. num. 15.* r *Lib. 3. de amore Dei cap. 19. num. 67.* s *Ser. in fer. 2. Pasch. num. 21.*

Tu tribulatis cordibus es refrigerium, tu refugium, tu solatium: tua est potentia, tuum est imperium. Intenti sunt ad te oculi omnium, te solum sitiens anima concupiscit: ***mane nobiscum, quoniam advesperascit***. Sine te nihil possumus facere. Tu solus carmina das in nocte: tu turris es fortitudinis à facie tribulantis: tuæ pietatis oculus omnia quæ sub cælo sunt respicit: ***mane nobiscum, quoniam advesperascit***. Per te consurgit nobis ad vesperum fulgor meridianus: & orimur ut lucifer, cùm nos consumptos putamus. Non confunditur omnis qui in te confidit: ***mane nobiscum, quoniam advesperascit***. Inclinata est jam dies, facti sunt vesperi longiores: quia appropinquante mundi termino, superexcrescit iniquitas, & charitas refrigescit. Ne extinguatur in nocte lucerna nostra, ***mane nobiscum, quoniam advesperascit***. Vergente mundi vespere, Sole justitiæ, frigus iniquitatis genus humanum opprimit. Omnes occupat nox perfidiæ, lux veritatis deficit. Ne deficiamus cum deficientibus, ***mane nobiscum, quoniam advesperascit***. Vitæ meæ jam instat vespera, corpus consumit ægritudo pervalida: jam mors minatur aspera. Timor & tremor totam conscientiam concutit, terribilem sententiam Judicii pertimescit. Paveo gehennam: (t) paveo Judicis vultum ipsis quoque tremendum Angelicis potestatibus. Contremisco ab ira potentis, à facie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempestate valida, à voce Archangeli, & à verbo aspero. Contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam. Horreo vermem rodentem & ignem torrentem, fumum & vaporem, & sulphur procellarum: horreo tenebras exteriores. Sed tu Domine Jesu (u) cui Pater omne judicium dedit, ***mane nobiscum, quoniam advesperascit. In manus tuas commendo spiritum meum.*** Ne tradas animam confitentem tibi potestatibus tenebrarum. In te solo est salus nostra, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. De multitudine miserationis tuæ mens fiduciam concipit: ***mane nobiscum, quoniam advesperascit***. Hoc est votum meum (x) hoc propositum meum, hæc est intentio cordis mei. Reposita est namque hæc spes mea in sinu meo. & in hac perseverabo. Sperabo in Jesum crucifixum. Nec desperabo, nec frustra sperabo: quia maledictus qui peccat in spe, & nihilominus qui peccat in desperatione. Sed nec esse volo de his, qui non sperant in Domino: ***sperabo in eum***. Quo fructu, qua mercede, quo lucro? ***Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aspero***. Viriliter interim sustineat (y) in hoc sæculo pietas colluctationem, & persecutionem quamlibet æquanimiter patiatur. Quidni tolleret omnia, quæ ad omnia valet pietas. Repugnet fortiter impugnanti, quia & repugnanti propugnator aderit indefessus, & triumphanti non deerit largissimus remunerator. *Scuto* (inquit Propheta) ***circumdabit te veritas ejus***. Necessaria planè insuperabilis protectio Veritatis, non modò interim in carne degenti, sed post modum exeunti: & nunc quidem ob periculosos conflictus, tunc verò ob monstruosos occursus spirituum malignorum. Nempè & Sanctissimam illam gloriosi Martini animam voluit pars inimica nocere, & cruenta bestia sciens quòd modicum jam tempus haberet, totâ profectò insaniâ malitiæ infatigabilis non est verita propè assistere ei quoquè, in quo nihil habebat. Imoverò ad ipsum etiam Regem gloriæ accedere impudentissima temeritas illa præsumpsit, sicut ipse testatur: ***Venit enim princeps mundi hujus, & in me non invenit quidquam***. Felix anima, quæ sic interim tentationum jacula scuto veritatis repulerit, ut nil prorsùs venenatum in se coalescere passa, omninò non confundatur cùm loquetur inimicis suis in porta: ***Nihil in me funesti reperies***. Felix, quem sic circumdat clypeus veritatis, ut introitum quoque & exitum ejus custodiat; exitum utique ab hac vita, & introitum in futuram: quo videlicet nec moliatur à tergo, nec à facie mali quidpiam inimicus attentet. Siquidem omninò opus erit illic custode, opus erit duce fideli, opus erit consolatore magno propter horribiles illas visiones, non minùs quàm hîc adjutore & propugnatore contra invisibiles tentationes. Hæc autem utraque (z) breviùs quidem in alio Psalmo Propheta commendans: ***In te*** (inquit) ***eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum***: quòd ipso nimirùm duce, nec hîc gradiens offendiculum, nec egrediens hinc obstaculum pateretur. In altero crebra ereptio, in altero plena jam & secura liberatio designatur. Nam in hoc sanè tertio quod adjungit, ***Verumtamen oculis tuis considerabis***, etiam fælicitatis non modicæ promissionem arbitror contineri. ***Cadent***, inquit, ***à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit***. Ita, oro Domine Jesu, ita fiat. Cadant illi, & non cadam ego: paveant illi, & non paveam ego: confundantur illi, & non confundar ego. Tria sunt (a) quæ sic roborant & confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla consideratio propriæ vilitatis, nulla æstimatio cælestis beatitudinis, ab altitudine spei deiicere possit in ea firmiter radicatum. Tria namque considero, in quibus tota spes mea cōsistit, ***charitatem*** adoptionis, ***veritatem*** promissionis, ***potestatem*** redditionis. Murmuret jam quantùm voluerit insipiens cogitatio mea dicens: Quis enim es tu, aut quanta est gloria illa, quibusvè meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi, & certus sum, quia ***in charitate*** nimia adoptavit me, quia ***verax*** in promissione, quia ***potens*** in exibitione: licet enim ei facere quod voluerit. Quidquid autem agendum sit (b) quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine spes mea. Hæc una mihi est omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei & æstus, jejunare bis in Sabbatho dicat, postremò non esse sicut cæteros hominum glorietur: mihi autem adhære Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant adversùm me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversùs spiritum concupiscat: in te Domine ego sperabo.

Pa-

t *Ser. 16. in cant. num. 7.* u *Ser. in fer. 2. Pascò. num. 21.* x *Ser. 2. super Psal. 90. n. 3.* y *Ser. 7. super Psal. 90. num. 1. & 2.* z *Ser. 8. super. Psal. 90. nu. 1.* a *Ser. 3. in Dom. 6. post Pent. nu. 7.* b *Ser. 9. super. Psal. 90. num. 5.*

§. III.

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Luc. 23.

Dominus Jesus docuit (c) quid tu Christiane in omnibus periculis mortis debeas dicere, ad quem confugere, quem invocare, in quem sperare. In Patrē Deum, qui non potest despicere sperantes in se, debes sperare cum attestatione bonorū operum. Bonorum dico: quia sine meritis aliquid sperare, non spes, sed præsumptio debet dici. Tu itaque talia fac opera tua, ut Domino in hora mortis tuę in veritate dicere possis: *In manus tuas Domine commendo spiritū meum.* Et iterùm: *In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Spes triplex est (d) & procedit de triplici fide. Nam de fide promissorum, oritur *spes veniæ*: de fide signorum, *spes gratiæ*: de fide promissorum, *spes gloriæ*. Fratres, Hoc sapere (e) ex fide vivere est. Nec alius ex sententia dicere potest: *Quoniam tu es Domine spes mea*: nisi cui intus sit persuasum à spiritu, ut (quemadmodùm monet Propheta) *jactet cogitatum suum in Domino*, sciens quòd enutriendus sit ab eo. Juxta illud quoque Petri Apostoli: *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum: ipsi enim cura est de vobis.* Crede ergo te Deo (f) committe te ei, jacta in eum cogitatum tuum, & ipse te enutriet; ut fiducialiter & fideliter dicas: *Dominus sollicitus est mei.* Neque enim hoc sapiunt homines amantes seipsos, homines scioli, & solliciti pro seipsis, curam carnis perficientes in desideriis, surdi ad vocem dicentis: *Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum: ipsi enim cura est de vobis.* Ut quid ergo si hæc sapimus (g) ut quid cunctamur abiicere omninò spes miseras, vanas, inutiles, seductorias: & huic uni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei, tota devotione animi, toto fervore spiritûs inhærere? Si quid illi impossimile, si quid difficile est, quære aliud in quo speres? Sed verbo omnia potest. Quid facilius dictu? Attamen hujusmodi dictum intelligas volo. Si decreverit salvare nos, continuò liberabimur: si vivificare placuerit ei, vita in voluntate ejus est: si præmia æterna largiri, licet ei quod vult facere. An verò de facilitate jam non dubitas, sed ipsa tibi est suspecta voluntas? Planè & voluntatis testimonia credibilia facta sunt nimis. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Denique quando in se speranti desit illa Majestas, quæ tam studiosè monet in se sperari? Planè non derelinquit sperantes in se. *Adjuvabit eos* (ait Propheta) *& ervet eos à peccatoribus, & salvabit eos.* Quare? Quibus meritis? Audi ô Christiane quod sequitur: *Quia speraverunt in eo.* Dulcis causa, attamen efficax, attamen irrefragabilis. Nimirùm hæc est Justitia, sed quæ ex fide est, non ex lege. Porrò (h) Dominus Jesus dicit in Evangelio: *Nolite desperare, sed habete fidem Dei in vobis.* Spes quæ videtur, non est spes. Nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Unde Salamon ait: *Expectatio justorum lætitia, spes autem impiorum peribit.* Ergo & tu Christiane expecta Dominum, & custodi viam ejus, & exaltabit te, ut hæreditate capias regnum Dei. Expecta Dominum, & recede à malo: & exaltabit te in die visitationis, id est, in die mortis tuæ, sive in die judicii. Qui male agere non cessant, in vanum misericordiam Dei expectant: quàm rectè expectarent, si à malo recederent. Unde Beatus Isidorus ait: Timere debemus, ne per spem, quam Deus promittit nobis, perseveranter peccemus. Nec rursùs quia justè peccata distringit, de Dei misericordia desperemus; sed quod melius est, utrumque periculum fugiamus: ut à malo declinemus, & de pietate Dei veniam speremus. Omnis quippè justus spe & formidine nititur: quia nunc spes ad gaudium erigit, nunc ad formidinem terror gehennæ reducit. Qui enim de peccati venia desperat, plùs se de desperatione quàm de peccato damnat. Igitur, ô homo Christiane, spes tua sit in Jesu Christo Redemptore tuo firma, quia *sperantes in Domino misericordia circumdabit.* Spera firmiter in Domino, & fac bonitatem: inhabita terram, & in cœlesti regno pasceris in divitiis ejus. Depone injustitiam, & spera in Dei misericordiam: aufer à te iniquitatem, & spera in salutem. Emenda teipsum, & spera in Dei clementiam. Expelle à te pravitatem, & spera indulgentiam: corrige vitam tuam, & spera vitam æternam. Sed volo te quoque mortem (i) etsi non effugere, certè vel non timere. *Justus* quippè mortem etsi non cavet, tamen non pavet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidem & justus, sed securè: quippè cujus mors ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris. Bona est mors, si peccato moriaris, ut justitiæ vivas. Hæc mors necessè est ut præcurrat, ut sequatur illa secura. In hac vita quàmdiu duras, compara tibi illam quæ semper durat. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis Deo vivere incipias. Quid enim si conciderit mors saccum corporis tui, dum te subinde circumdet lætitia? O quàm beati mortui qui in Domino moriuntur, audientes à spiritu, ut requiescant jam à laboribus suis. Non solùm autem, sed & succedit jucunditas de novitate, ac de æternitate securitas. Siquidem (k) nec humana malitia jam tunc habebit quid faciat: nec dæmonum millia plùs verebimur, quàm totidem vermium agmina vel muscarum. Denique bona est mors justi propter requiem (l) melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contra verò, *mors peccatorum pessima.* Et audi unde pessima. *Mala* siquidem est in mundi amissione, *pejor* in carnis separatione, *pessima* in vermis ignisquè duplici contritione. Quod si etiam justus trepidat sollicitus prævenire eum (m) qui ipsas quoque paratus est justitias judicare: quid agimus nos, quorum interim judicata non fuerint & tecta peccata? Timendum valdè est, ne fortè manifesta inveniantur præcedentia ad judicium. Manet justos horror in exitu (n) dolor in transitu, pudor in conspectu gloriæ magni Dei. Unde autem nobis ista dissimulatio est,

Fra-

c *Ser. 1. in ult. Cæna n. 2. tom. 2. pag. 651.* d *Ser. 45. diuer. num. 5.* e *Ser. 9. super Psal. 90. num. 6.* f *Ser. 5. in vig. nat. Dom. n. 5.* g *Ser. 9. super. Psal. 90. num. 6.*

h *Tract. de modo bene uiuen. cap. 2.* i *Epist. 105. num. 1.* k *Ser. 7. super. Psal. 90. num. 16.* l *Epist. 105. num. 2.* m *Ser. in vig. S. Andr. num. 1.* n *Ser. 21. diuer. num. 5. & 6.*

Fratres mei? Unde hæc tam perniciosa tepiditas? Unde hæc securitas maledicta? Quid seducimus miseri nosmetipsos? Forsitan jam divites facti sumus, forsitan jam regnamus. Nonne ostium domus nostræ horribiles spiritus illi obsident? Nonne exitum nostrum larvales illæ facies præstolantur? Quis ille pavor erit, ô anima mea, cùm dimissis omnibus (quorum tibi est tam jucunda præsentia, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris) sola ingrediens incognitam penitùs regionem, occursantia tibi catervatim ruere teterrima illa monstra videbis? Quis tibi in die tantæ necessitatis occurret? Quis tuebitur à rugientibus præparatis ad escam? Quis consolabitur? Quis deducet? Fratres mei, memoremur hæc novissima nostra, ne peccemus. Nam & per ignem nobis transeundum est, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Ibi enim aurum nostrum vertetur in scoriam, ibi revelabitur universa impuritas: ibi Veritas ipsa accepto tempore, quod nobis interim datum contemnimus, justitias judicabit. Quid verò illic omnes justitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ reputabuntur? Quidquid nunc parvipendendo transimus, palpando tangimus, dissimulando negligimus: quanto illic cruciatu vindex flamma consumet? Utinam magis nunc daret quis capiti meo aquas, & oculis meis fontem lachrymarum: fortè enim non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lachryma dilvisset. Unum est tamen (o) si nosmetipsos dijudicaverimus, non utique judicabimur. Bonum judicium est, quod me illi districto divinoquè judicio subducit & abscondit. Prorsùs horreo incidere in manus Dei viventis. Volo vultui iræ judicatus præsentari, non judicandus. Spiritualis homo omnia dijudicat, & ipse à nemine judicatur. Judicabo proinde mala mea, judicabo & bona. *Mala* melioribus curabo corrigere actibus, diluere lachrymis, punire jejuniis, cæterisquè sanctæ laboribus disciplinæ. *In bonis* de me humiliter sentiam, & juxta præceptum Domini servum me inutilem reputabo, qui quod facere debui, tantum feci. Dabo operam nec folia pro granis, nec paleas cum granis offerre. Scrutabor ego vias meas, & studia mea: quo is qui scrutaturus est Jerusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me sive indiscussum inveniat. Neque enim judicaturus est bis in idipsum. *Felix* cujus anima (p) fiducialiter inimicis suis loquetur in porta: *Quid hic stas cruenta bestia? nihil in me funesti reperies*. *Felicior*, cujus opus non arserit: quem superædificasse aurum, argentum, lapides preciosos, examen illud inveniet. *Felicissimus*, qui sine ulla nube confusionis relevata penitùs facie gloriam Domini speculando, in eandem imaginem transformabitur, & similis erit illi, videns eum sicuti est, utique super omnia Deus benedictus & laudabilis, & gloriosus in sæcula sæculorum. Amen.

o Ser. 55. in Cant. num. 3. p Ser. 28. diver. num. 7.

CAPUT VIII.

De morte Christi preciosa, & præ omnibus Sacramentis affectuosa.

1. *Ostenditur, mortem Christi Jesu fuisse spontaneam, & ex mera charitate susceptam. Docemur, Christum mortuum esse & secundùm tempus pro inimicis, & secundùm prædestinationem pro amicis. Patres ante adventum Christi, credentes Verbum Divinum incarnandum, salvati sunt. Christus moriens in Cruce, fuit victima & sacrificium. De differentia sacrificiorum antiquæ legis, & novæ.* 2. *Ostenditur, mortem Christi esse holocaustum spirans odorem: quem odoratus Deus Pater, avertit iram indignationis suæ à nobis Collatio oblationis Christi in templo necnon oblationis in Cruce proponitur. Excitamur ad plangendum super mortem Christi.* 3. *Ostenditur, quantùm obligatur homo bonitati Christi, quam exibuit moriendo pro eo. Tria referuntur ad mortem Christi, pro qua gratiæ agendæ sunt Deo. Mors Christi exigit à nobis, ut ei offeramus corpus & animam in sacrificium laudis: nec non totam vitam nostram, ut vivamus ei, qui pro ea præbuit vitam suam moriendo.*

§. I.

Jesus clamans voce magna, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, inclinato capite tradidit spiritum. Luc. 23. Joan. 19.

Fidelis sermo (a) & omni acceptione dignus. Quia enim voluit, oblatus est. Nonmodò voluit & oblatus est, sed quia volvit. Solus nimirùm potestatem habuit ponendi Animam suam: nemo eam abstulit ab eo. Ultrò, cùm accepisset acetum, dixit: *Consummatum est*. Ac si diceret: Nihil restat implendum, jam non est quod expectem. *Et inclinato capite*, factus obediens usque ad mortem, *tradidit spiritum*. Quis tam facilè quando vult, dormit? Magna quidem est infirmitas mori: sed planè sic mori virtus immensa est, Nempè quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Potest humana vesania sibiipsi in mortem sceleratas iniicere manus, sed non est hoc ponere animam suam, urgere eam magis & violenter abrumpere quàm ad nutum ponere est. Tibi, ô impie Juda, misera planè facultas fuit non ponendi animam, sed pendendi: nec tradente te, sed trahente laqueo nequissimus ille spiritus tuus exiuit, non emissus à te, sed amissus. Solus Christus in mortem tradidit Animam suam, qui solus virtute propria regressus est ad vitam. Solus potestatem habuit ponendi Animam suam, qui solus facultatem æquè habuit liberam resumendi, imperium habens vitæ & mortis. Immisit Dominus soporem in Adam: (b) immisit & in seipsum factus nimirùm secundus Adam. Sed est distantia fortè non parva. Ille enim soporatus videtur præ excessu contemplationis, Christus miserationis affectu: ut in illum soporem immiserit *Veritas*, in hunc *Charitas*, cùm utraque sit Dominus. Ait enim

a Ser. in fer. 4. heb. san. num. 4. b Ser. 2. in Septuag. num. 1.

enim Joannes Evangelista: *Deus Charitas est*. Et ipse Dominus: *Ego sum via, Veritas, & vita*. Sanè soporem Christi solius charitatis fuisse nemo dubitat vel nominetenùs Christianus. Siquidem accubuit ut leo, non victus planè, sed victor, potestate propria ponens Animam, somnum mortis excipiens propria voluntate. Solus Dominus meus Jesus (c) non debito conditionis gustavit mortem, sed suæ beneplacito voluntatis: sanè non ob propriam utilitatem, bonorum enim nostrorum non eget: sed nec tanquam retribuens nobis gratiam pro gratia, qui non aliter pro amicis mortuus est, nisi pro acquirendis, videlicet ut amicos faceret ex inimicis. Cùm enim adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per Sanguinem Filii sui. Aut potiùs pro jam amicis, etsi nondum quidem amantibus, sed tamen jam amatis. In hoc est enim gratia, non quasi non dilexerimus Deum, sed prior ipse dilexit nos. Vis nosse quàm longè prior? *Benedictus Deus & Pater Domini mi Jesu Christi* (ait Apostolus) *qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo Jesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Et post pauca: *Gratificavit*, inquit, *nos in dilecto Filio suo*. Quomodò ergo non dilecti jam tunc in illo, quandò electi sumus in illo? Quomodò non ei grati, in quo gratificari sumus? Sic ergo Christus secundùm tempus quidem pro impiis mortuus est, secundùm prædestinationem autẽ pro fratribus & amicis. Unde (d) legitur in Apocalipsi: *Agnus occisus est ab initio sæculi*, his videlicet qui fuerunt ab initio: ita ut per hoc quod dicitur, *ab initio*, determines non tempus occisionis, sed salutis. Priùs enim mors ejus profuit, quàm fuit: priùs promissio fuit, ac deinde exhibitio. Ab initio ergo sæculi occisus est. Propterea jam tunc (e) Sanguis Christi rorabat etiam Lazaro, ne flammas sentiret, quòd & ipse credidisset in eum qui erat passurus. Sic & de omnibus Electis illius temporis sentiendum est, natos quidem & ipsos æquè ut nos sub potestate tenebrarum propter originale peccatum, sed erutos antequam morerentur, & non nisi in Sanguine Christi. Scriptum est enim: *Turba autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Osanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini*. Ergo Christo in carne venienti, & antequam veniret & post, benedictum est à turbis benedictorum; quamvis præeuntes plenam minimè tunc consecuti sunt benedictionem, servatâ nimirùm hac prærogativâ tempori gratiæ. Tempus reconciliationis extunc cæpit [f] & statum habuit, quousque patratum est mysterium nostræ redemptionis: quando immolata hostia illa salutaris nos reconciliavit. De quo verè scriptum est: *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus: & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, non est inventus similis illi*. De quo Apostolus: *Legatione fungimur pro Christo, rogamus reconciliamini Deo*. Et verè ab effectu cæpit hoc nomen reconciliationis. Christus enim (g) pro salute mundi semel factus est hostia salutaris, reconciliatio generalis, omnibus Sacramentis tam præcedentibus quàm subsequentibus virtutem dedit & efficaciam, ut tanta & tali hostia sanctificarentur omnes liberandi per illam. Multùm quidem acceptum fuit munus Abel (h) sed non ita. Multùm placuit sacrificium Abrahæ Patriarchæ, sed non adeò. Multũ approbata fuit oblatio Melchisedech, sed multò minus isto. Denique audiamus quid ait Propheta: *Sacrificium & oblationem noluisti, holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi: Ecce venio*. Dixit ille, qui non per Sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa. Omnia in figura contingebant antiquis, hîc veritas, ibi figura: ibi umbra, hîc lux: ibi nubes, hîc claritas: ibi agnus legalis, hîc Agnus innocens, qui tollit peccata mundi. Ille dies Judæorum festus erat umbra [i] quo Patres eorum transierunt de Ægypto; sed ille fuit veritas, quo Christus transivit de hoc mundo: & sic nos fecit transire de vitiis ad virtutes, de morte ad vitam, de mundo ad cælum, pro nobis victima factus & sacrificium, seipsum Deo Patri in ara Crucis offerens holocaustum. Ita ergo Christus (K) Carnem obtulit Deo Patri pro salute generis humani: & in ara Crucis Sacrificium quasi Pontifex in templo suum peregit Sacerdotium.

§. II.

Jesus clamans voce magna, emisit Spiritum.
Matt. 27.

Attendamus (l) quis & quantus ignis corpori Vitis nostræ appositus fuerit. Flagrabat interiùs incendio charitatis immensæ, exteriùs passionis ardore, verissimum & gratissimum & saluberrimum holocaustum in ara Crucis crucifixus Jesus. Quod holocaustum simile isti? Nullum profectò: quia nullum sic totum incensum dicitur. Etsi illud in veteri lege dicebatur verè holocaustum quod totum ardebat, cùm tamen ibi arderet sola caro animalium: quantò veriùs nostra victima dicetur holocaustum, quod intùs & foris incomparabiliter ardebat? Ardebat & totus Laurentius, Vincentius, aliique quàm plurimi, martyres, sed nihil ad hunc. Quis enim ardori fornacis Crucis aliquod audeat supplicium comparare? De holocausto igitur nostro Crucifixo Jesu incomparabiliter ardente inæstimabilis nimis odor processit. Odoratusquè est Dominus Deus Pater odorem suavitatis: & benedixit nobis, auertitquè iram indignationis suæ longè a nobis, pace integrè reformata & Sanguine rubicunda, *Jesu Christo* tam nostro, quàm ipsius participe pacis æternæ obside existente. Siquidem (m) occisus justus injustè pro justitia novã de inimico obtinuit justitiã mortis, scilicet injustè sibi illatæ. Quam quasi sibi necessariam, quia absque peccato erat, ipse homini peccatori cõmunicans, reũ absoluit per pænam innocentiæ suæ. Positoquè Corpore suo & Sanguine in manu ejus: *Hoc*, inquit, *manduca, & bibe, hinc vive*. Patriquè eum repræsentans, *En*, inquit, *Pater mei Sanguinis precium: si de peccato hujus hominis requiris, en pro eo meus* San-

c *Serm. 9. super Psal. 90. num. 2.* d *Serm. de excell. SS. Sacram. num. 4. & 6. pag. 733 & Tract. de error. Abaial. cap. 7. n. 18.* f *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 4.* g *Serm. de excell. SS. Sacram. n. 4.*

h *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 8. n. 25.* i *Serm. 1. in ult. cœna Dom. n. 1.* K *Ser. de B. M. Deip.* l *Tract. de vite myst. c. 34. n. 163.* m *Lib. 2 de amore Dei cap. 12. n. 37.*

Sanguis. Agnosce ô homo (n) quàm nobilis est anima tua, & quàm gravia fuerunt ejus vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Agnosce ô homo redempte (o) pretium redemptionis tuæ: ecce qualis Hostia victimatur pro tua culpa, pro prævaricatione tua. O homo (p) quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Quare diligentem te non diligas? Diligamus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Vis audire modum dilectionis ejus, vis nosse effectum? *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret. Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Audi & ipsum Filium: *Majorem*, inquit, *hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pr amicis suis*. Dilige ergo ô homo dilectorem tuum, dilige eum non tantùm verbo & lingua, sed opere & veritate. Dilige eum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex omni mente tua. Dic: *Diligam te Domine fortitudo mea, Domine firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus*. Verè liberator, quia liberasti pauperem à potente, & inopem cui non erat adjutor, & liberasti animam meam à perditione. Quod si autem diligis eum (q) hoc facis ex debito: si te diligit, facit hoc ipse gratuitò. Attende celsitudinem cæli, & magnitudinem firmamenti, & modicum in locis palustribus lutum: talis est adhuc inæstimabiliter dispar comparatio tui ad Deum, sicut luti ad cælum. Quæ autem collatio tui ad ineffabilem, ad incomprehensibilem? Nihil ei ad mensuram meriti retribuere posses, si in retributionem eorum quæ pro te sustinuit, te millies mille annis etiam gehennali incendio cruciares. Obtulit in templo Filium suum Virgo sacrata (r) & benedictum fructum ventris sui Domino repræsentavit. Obtulit ad nostram omnium reconciliationem Hostiã sanctam, Deo placentem. Omninò acceptavit Deus Pater novam & pretiosissimã Hostiam, de qua ipse ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Sed oblatio ista, Fratres, satis delicata videtur, ubi tantùm sistitur Domino, redimitur avibus, & illicò reportatur. Venit tempus quando non in templo offertur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Venit tempus quando non redimitur alieno, sed alios redemit Sanguine proprio, quia in redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erat Sacrificium matutinum, istud est vespertinum. Illud quidem jucundius, istud plenius. Illud enim tempore Nativitatis, istud jam in plenitudine ætatis. De utroque tamen potes accipere quod Propheta prædixit: *Oblatus est, quia ipse voluit*. Nam & in templo oblatus est, non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia voluit. Et in Cruce ni hilominùs oblatus est, non quia meruit, non quia Judæus prævaluit, sed quia ipse voluit. Ipse Animam suam posuit (s) quia ipse voluit oblatus est: omnis enim ei infirmitas de voluntate fuit, non de necessitate. O quàm indebita miseratio! (t) quàm gratuita & sic probata dilectio! quàm inopinata dignatio! quàm stupenda dulcedo? quàm invicta mansuetudo, Regem gloriæ pro despicacissimo vernaculo, imò verniculo crucifigi! Quis audivit unquam tale, aut quis vidit huic simile? Vix enim pro justo quis moritur: ipse pro injustis & inimicis mortuus est. Mors Christi est opus sine exemplo (u) humilitas sine modo, donum sine precio, & gratia sine merito. Hanc propter nos subire voluit mortẽ qui peccata nostra super lignũ sustinuit in cruce sua, scilicet pœnam peccatorum: cujus livore sanati sumus. Quid facis ô homo indigne? Quid facis homo ingrate? Adora devotiùs, recole frequentiùs in Sacramento altaris Salutem mundi pro te passam, Vitam pro te mortuam, Fortitudinem infirmatam. Si membrum Christi es, compatere Capiti tuo. Si frater Christi es, commorere Fratri tuo. Plange, dole cum gemitu & lachrymis super mortem preciosam Unigeniti Dei Patris. Alioquin si non doles, si non compateris: deliras, degeneras, belluam sapis, lethargum pateris, hominem diffiteris. Sciasquè quòd si te ingratum repererit [x] nec velle uti tanto beneficio, exiget à te districtissimè mortem suam. Vereorquè, ne aliquando indignantissimè dicat tibi: *Tolle manum tuam & mitte in latus meum dextrum, mitte digitos tuos in fixuras clavorum, & vide quanta pro te passus sum?* O ingrata & crudelis impietas! nonne putas Deum de collatis tibi beneficiis pœnitere, si ea viderit per ingratitudinem periisse? Dignũ est, & tibi multùm expedit [y] compati, commori, consepeliri: passo, mortuo, & sepulto. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Alioquin etiam exquiretur à te Sanguis justus (z) qui effusus est super terram: nec immunis eris ab illo tam Singulari scelere Judæorum, quòd videlicet tantæ charitati ingratus fueris, quòd spiritui gratiæ contumeliam feceris, quòd Sanguinem testamenti pollutum duxeris, quòd conculcaveris Filium Dei.

§. III.

Jesus emissa voce magna, & inclinato Capite expiravit. Mar. 15. *Joan.* 19.

Cognosce anima mea [a] cognosce: hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, Unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce (b) moriebatur Salvator tuus, anima mea, ut te vivificaret. Affixus erat Cruci, ut iniquitates tuas propriis manibus Cruci affigeret. Manus elevabat ad Patrem in Sacrificium vespertinum, ut te ad amplexus amicabiles invitaret: vitamquè suam, quæ nulli erat obnoxia morti, pro te obtulit ad mortem, ut, dum à principe tenebrarum justus injustè occiditur (quia quod suum non erat, usurpare convictus est (eâ quam habebat in te potestate privaretur. In

Pp tam

n *Tract. de cogn. human. condit. cap.* 3. *num.* 9. *tom.* 5. *pag.* 385. o *Tract. de* 3. *precip. myst. cap.* 6. *num.* 15. p *Ibidem num.* 17. q *Lib.* 3. *de amor. Dei cap.* 10 *num.* 72. r *Ser.* 3. *in Purificat. B. M. num.* 2. s *Ser.* 34. *diver. num.* 2.

t *Ser.* 22. *diu. num.* 5 u *Ser. de excell. SS. Sacram. nu.* 6. *t.* 6. *p.* 735. x *lib.* 3. *de amor. Dei cap.* 20. *n.* 69. y *Ser.* 2. *in Cœna Dom. num.* 6. z *Ser. in fer.* 4. *heb. san. num.* 11. a *Ser. de pass. Dom. num.* 15. b *lib.* 3. *de amor. Dei cap.* 19. *n.* 67.

et exuberanti beneficio, in tanto cumulo gratiarū, quo te largitio divina quasi obruit & cōfundit, vide ne ingrata sis. Stat ecce expāsis manibus, nudo corpore (c) manibus simul & pedibus perforatis, capite inclinato. Cōfortare nunc & elevare anima mea misera & infirma, & alis fidei & spei ad hunc Jesum Crucifixum enitere. Non enim elevatus est in Crucem, ut se difficilem præberet accedere ad eum volentibus, sed magis ut omnibus posset paratior inveniri. Ipse Jesus amplexus tuos desiderat (d) talis ut complectatur, expectat. Caput floridum multis spinarum aculeis confixum ad te inclinat, ut ad pacis osculum te invitet, tanquam dicat tibi: Ecce quomodò configuratus sum, quomodò confossus sū, quomodò mactatus sum, ut te possim ponere super humeros meos, quæ aberraveras ovis mea, & ad pascua reducere paradisi: redde vicem, & super vulnera mea misericordiâ commovere. Intuere manus meas (e) propter obedientiam Cruci affixas: considera pedes expositos fixuris clavorum, & latus lanceâ perforatum. Attende quòd propter obedientiam mortuus sum: & si propter fragilitatem humanam obedientia tua sit minùs aliquid perfectum habens, volo ut plenitudo meæ obedientiæ sit tuæ minùs sufficientis obedientiæ supplementum. O mira & inexhausta bonitas! (f) O inaudita & inæstimabilis pietas Salvatoris nostri! Quis unquam, Fratres mei, poterit explicare sermone, aut stylo exarare & graphio, quanta pietate Auctor pietatis redundet, quanta largitate bonitatis ipse Auctor exuberet? Mihi credite, Fratres, Si omnes homines niterentur & Angeli, fontis tantæ pietatis non possent haurire vobis etiam minimam guttam, habito respectu ad ipsam abundantiam pietatis. Hæc est, inquam, maximæ immensitas pietatis, ingens eminentia bonitatis, quòd Creator omnium Deus seipsum exinanivit, formam servi suscepit, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: manens Deus in homine, ut homo maneret in Deo: Vita mortem assumens, ut sibi mors assumeret vitam. Proinde est mors Christi reverenda (g) & præ omnibus Sacramentis affectuosa. In hoc enim Sacramento pietas magis enituit, gratia plùs refulsit, charitas ampliùs radiavit. Ad mortem Christi tria præcipuè respiciunt, non sine timore, non sine lachrymis & gemitu prosequenda: injuriarum multiformium illatio, manuum ac pedum in cruce confixio, sepulchri ac sepulti sub militum excubiis observatio. O anima mea (h) quid agis? quis dabit aquam capiti tuo, & fontem lachrymarum oculis tuis, ut satis plangere, & satis flere possis interfectum Redemptorem populi sui? Fletus deducite oculi mei (i) & liquesce anima mea igne compassionis super contritione amabilis Viri hujus. Ecce (K) defecerunt dies nostræ diei Domini *Jesu*, qui solus est Dies sine tenebris: & ossa ejus sicut cremium aruerunt. Percussus est sicut fœnum, & aruit cor ejus, elevatus est & allisus valdè; sed in dedecore extrinseco decorem simul verè & decus intrinsecùs retinebat. Quantus autem fuerit amor [l] quem circa nos Christus moriendo exhibuit, enarrare non sufficit aliquis vivens. Ergo lachrymæ dicant, quia voces explicare nequeunt. Doleo super te Domine mi Rex (m) Magister & pater, imò & frater Domine mi Jesu Christe crucifixe, amabilis valdè? super amorem mulierum. Nec immeritò. [n] Ipse enim Jesus crucifixus dulcis est in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere. Verè dulcis est in voce, de cujus ore lac & mel procedit. *Diffusa est enim gratia in labiis suis*. Verè dulcis est in *facie*. *speciosus enim est* non solùm *præ filiis hominum*, sed etiam præ millibus Angelorum. Verè dulcis est in *nomine*. Dulce enim est nomen & suave Jesus, consecratum ab æterno, nunciatum ab Angelo, prophetatum Salamonis oraculo, qui ait: *Oleum effusum nomen tuum.* Verè dulcis est in *opere*, in celebratis miraculis, in peccatoribus conversis, in Sacramento preciosæ mortis, quod humanæ blanditur infirmitati. In hoc enim Sacramento charitas ampliùs radiavit, pietas magis enituit, gratia plùs radiavit. O summè pia & verè suavis memoria, annunciare mortem Domini donec veniat. Christe Jesu crucifixe, mortis tuæ memoria est tanquam opus pigmentarii, quasi thus redolens in diebus, quasi regio aromatum quam purgat æstus Solis, & quasi flores rosarum in diebus verni, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ. Sed tibi Domine Jesu [o] fortissime Zelotes, quid gratiarum retribuam, ut dignè retribuam ego homo pulvis & vile figmentum? Quid enim pro mea salute facere debuisti, & non fecisti? Ab imo pedis usque ad summum verticis te totum in aquas passionum demersisti, ut me totum extraheres de illis: & intraverunt usque ad Animam tuam. Nam & Animam tuam in mortem perdidisti, ut meam perditam mihi redderes. Et ecce me duplici debito obligasti. Nam & pro eo quòd dedisti tuam, debitor tibi sum: & pro mea quidem anima bis à te mihi data, semel in creatione, & semel in redemptione, quid magis justè tibi reddam quàm ipsam, non habeo? Pro tua autem preciosa Anima ita contribulata quid ab homine dignè rependi possit, non invenio. Nam etsi cælum & terram & omnem ornatum eorum pro ea possem rependere, certè nec sic usque ad mensuram debiti ullatenus attingere possem. Ut autem ipsum quod & debeo, & possibile, mihi est retribuam: tui Domine muneris est. Diligendus es mihi Domine, toto corde, totâ animâ, tota virtute: & tua mihi sequenda sunt vestigia, qui pro me mori dignatus es. Et quomodò fiet istud in me nisi per te? Adhæreat anima mea post te, quia tota virtus ejus pendet ex te. Duo minuta habeo Domine (p) corpus & animam dico. Utinam hęc tibi perfectè possim in Sacrificium laudis offerre! Bonum enim mihi longèque gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar, quàm deserar mihi ipsi. Nam ad meipsum anima mea conturbatur, in te verò exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. Fratres, Morituro Domino Judæus mortuas hostias offerebat: Sed jam nunc, *Vivo ego*, dicit Dominus, *nolo mortem peccatoris, sed magis*

c *Tract. de vite myst. cap. 4. n.* 166. d *Ibidem num.* 169. e *Ser. in fer. 2. Pasch. num.* 26. f *Ser.* 11. *in ult. Cœna num.* 84. g *Ser.* 2. *in Cœna Dom. n.* 4. h *Tract. de 3 præcip. myst. cap.* 6. *num.* 15. i *Ser. de pass. Dom. num.* 14 K *Tract. de vite myst. cap.* 5. *num.* 27. l *Ser.* 12. *in ult. Cœna num.* 100.

m *Tract. de vite myst. cap.* 5. *num.* 26. n *Ser. de excell. SS. Sacram. num.* 7. o *Ser. de Pass. Dom. num.* 18. & 19. p *Serm.* 3. *in Purificat. B. M. num.* 3.

gis ut convertatur & vivat. Ac si dicatur: [q] Velit nolit Judæus, Vivo ego, nolo mortem peccatoris, qui mori volui pro peccatoribus. Volo ut fructuosa sit mors mea, & copiosa per eam redemptio. Non vult Dominus mortem meam [r] & non libenter offeram illi vitam meam? Hæc est enim hostia placabilis, Deo placens hostia, hostia viva. Alioquin si illam retinuero [s] qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericordiæ Dei nostri, & audeo perfodere illud fortissimum propugnaculum quod custodit Israël, & illius Sanguinis non guttas, sed undas à quinque partibus Corporis in meum precium detorquere? Nam & si cætera taceam [t] hoc solo certè non immeritò vitam vendicat sibi nostram, quòd pro ea præbuit suam. Nemo igitur sibi vivat, sed ei qui pro se mortuus est. Cui enim justiùs vivam, quàm ei qui si non moreretur, ego non viverem? Cui commodiùs, quàm promittenti vitam æternam? Cui magis ex necessitate, quàm flammas perpetuas minitanti? Sed servio voluntariè, quia charitas libertatem donat. Charitas inquam illa quæ timorem expellit, laborem non sentit, meritum non intuetur, præmium non requirit: & tamen plùs omnibus urget. Nullus terror sic sollicitat, nulla præmia sic invitant, nulla justitia sic exigit. O Salvator meus [u] veniat obsecro tempus, quando revelatis oculis inspiciam quem nunc à longe inclamo, apprehendam quem desidero, & amplectar ut in abysso amoris tui totus absorbear. Nihil mihi quæso sine te dulcescat, nihil pretiosum arrideat mihi. Sed da mihi bone Jesu in te vivere, & pro amore tuo mori, qui pro me dignatus es amaræ mortis subire tormentum. Amen.

CAPUT IX.

Solvuntur quæstiones, quæ tangunt & mysterium Passionis Dominicæ, & pungunt Opus redemptionis nostræ.

1. *Quæritur, cur per hominem qui erat Deus, & non per simplicem hominem redempti sumus?* 2. *Cur Deus per se, & non per aliam creaturam voluit nos redimere?* 3. *Quanam necessitate tam mirum & durum laborem pertulit pro redemptione nostra?* 4. *Quanam necessitas aut ratio fuit, quòd Filius Dei mortem crucis sustinuit, qui solo jussu poterat nos redimere?* 5. *Ad quid mortuus est Christus in Cruce?* 6. *Quæritur quomodonam mors à Christo debellata fuerit, cùm adhuc sæviat in homines universos?*

§. I.

P*Rimò quæritur*: Quare [a] per hominem qui erat Deus, & non per simplicem hominem liberatum est genus humanum? Satis manifestum est: quia omnes homines peccato erant obnoxii, & non poterat quisquam aliorum solvere vincula, qui seipsum solvere non valebat. Christus autem fortis, qui originali peccato nihil debebat, eò quòd singulari privilegio nascendi sine omni carnali concupiscentia conceptus erat, qui solus est inter mortuos liber: solus à morte poterat mortuos liberare, sicut ait Apostolus: *Non habebat necesse pro se offerre Sacrificium, quemadmodum alii Sacerdotes, tam pro sua, quàm pro populi ignorantia*. Verùm (b) quomodò mori potuit qui Deus erat. Quoniam nimirùm & homo erat. Propterea sanè Unigenitus Dei Patris (c) passione sua hominem redempturus, sicut carnem in qua pateretur (qui pati non poterat in Divinitate) suscepit: sic etiam in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, ut humiliaret semetipsum in loco afflictionis. Voluit infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare [d] & contraxit se Majestas, ut quod melius habebat (videlicet seipsum) limo nostro conjungeret: & in persona una sibi invicem unirentur Deus & limus, Majestas & infirmitas, tanta vilitas & Sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius est, nihil vilius limo: & tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaquè dignitate limus ascendit ad Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus fecisse credatur: & quidquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur, tam ineffabili quàm incomprehensibili Sacramento. Ergone credendum est (e) quòd iste Deus sit, qui ponitur in præsepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium necessitatum injurias patitur, qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in sepulchro, & inter duos lapides concluditur, excelsus & immensus? Quomodò potuit hoc persuaderi generi humano, & universo orbi terrarum? Et tamen tam facilè & tam potenter persuasum est, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Juvenes & Virgines, Senes cum junioribus elegerunt potius mille mortibus mori, quàm vel ad momentum ab ista fide deficere. Passus est quidem (f) in cruce impassibilis Deus, & in carne nostra mortali mortuus ac sepultus est immortalis Dei Filius. Sed ecce tertia die resurrexit à mortuis: & qui Agnus extiterat in Passione, leo factus est in Resurrectione. Surrexit, & vicit leo de tribu Juda: quia mortem, quam ex infirmitate nostra pertulit, ex Virtute sua resurgendo calcavit. Ipse enim verus est Moyses (g) qui verè per aquam venit, & non in aqua tantùm, sed in aqua & Sanguine. Ait utique in Psalmo sanctus David Propheta: *Dixit ut disperderet eo* (Patrem siquidem loquebatur) *si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus ne disperderet eos*. Quonam-modò quæso, Moyses stetit in confractione? Quemadmodùm, inquam, aut stetit, si confractus est aut si stetit, quomodò confractus est? At ego tibi ostendo si vis qui verè stetit in confractione. Ego alium novi neminem qui hoc potuerit, nisi Dominum meum Jesum, qui certè in morte vivebat, qui Corpore fractus in cruce, Divinitate stabat cum Patre: in uno nobiscum supplicans, in altero cum Patre propitians. Sicut autē Mediator noster Jesus duas naturas (h) Humanitatem videlicet & Divinitatem conjunxit in una persona: ita singula ejus opera ad hanc, sive illam necessè est pertinere naturam. Ad

 hanc

q Ser. 13. diver. n. 1. r Ser. 3. in Purificat. B. M. num. 3. s Ser. 22 diver. num. 6. t Epistol. 143. num. 3. u lib. 3. de amore Dei cap. 32. num. 113. a Tract. de vita myst. cap. 46. num. 182.

b Tract. de exhort. milit. temp. cap. 11. num. 22. c Ser. 34. diver. num. 2. d Ser. 3. in Vig. Nat. Domini num. 8. e Ibidem num. 9. f Ser. 57. diver. num. 2. g Ser. 56. in Cant. num. 2. h Serm. de verb. Sap. num. 7. tom. 6. pag. 771.

hanc siquidem miseria, sed ad illam pertinet potentia. Quidquid ergo miseriæ passus est, ex homine contraxit: quidquid potenter operatus est, à Patre habuit.

§. II.

Secundò quæritur: Quare Deus potiùs per se [i] quàm per aliquam aliam creaturam hominem voluerit liberare? Possumus hoc quidem charitati ejus imputare, quam ut nobis comendaret, non solùm incarnatus est, sed & mortuus est pro nobis. Videns enim Deus homines omninò carnales effectos esse [k] tantā eis dulcedinē exibuit in Carne sua, ut durissimi cordis sit quisquis eum toto affectu non diligat. Volens siquidem nobilem creaturam hominem recupere: Si, inquit, invitum coëgero, asinum habeo, non hominem, quoniam quidem non libens veniet nec spontaneus ut possit dicere: *Voluntariè sacrificabo tibi*. Nunquid asinis dabo regnum meum? Numquid de bobus cura est Deo? Ut ergo habeam voluntarium, terrebo eum, si fortè convertatur & vivat. Et comminatus est acerbiora quæ excogitari possunt, tenebras æternas, vermes immortales, ignem inextinguibilem. Cùm autem nec sic homo revocaretur, ait: Non solùm timidus, sed etiam cupidus est: promittam ergo ei quod potissimùm desiderabile videatur. Desiderant homines aurū & argentum & similia & super hæc omnia vitam desiderant. Manifestum est hoc, & valdè manifestum. Si, inquit, tantoperè desiderant miseram hanc laboriosam vitam & momentaneam, quantùm diligent vitam quietam, æternam, beatam? Promisit itaque vitam æternam, promisit quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Videns autem quòd nihil proficeret, [l] Unum, inquit, restat adhuc. Inest homini non solùm timor & cupiditas, sed & amor, nec quidquam est omninò eo vehementius ad trahendum. Venit igitur in Carne, & tam amabilem se exhibuit, ut illam nobis impenderet charitatem, quâ majorem nemo habet, ut Animam suam daret pro nobis. Et verè in nullo sic commendat Deus charitasuam, quomodo in mysterio Incarnationis ejus & Passionis: in nullo sic revelatur ejus pietas, in nullo sic apparet benignitas, quommodo in humanitate, Apostolo teste qui ait: *Apparvit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*. Nam potentia quidem occultata est, quoniā in infirmitate venit. Unde Abacuch Propheta: *Abscondita est*, inquit, *fortitudo ejus*, haud dubium quin in Cruce, *cujus cornua in manibus ejus*. *Sapientia* quoque abscondita est & incarnata. Placuit enim ei per stulticiam verbi salvos facere credentes. Nonne quodammodò stultum se fecerat, qui tradidit in mortem Animam suam, & tulit peccata multorum, & quæ non rapuit tunc exolvebat? Tradidit nihilominùs per hoc formam charitatis [m] ut parati simus, cùm necessitas exigerit, pro fratribus nostris animas nostras ponere, cùm Regem nostrum pro nobis Animam posuisse videmus. Est adhuc & alia rationabilis causa, quare per Dominum redempti sumus: scilicet, quia nequaquam decuit nos per alium reformari, quàm per eum, per quem formati eramus. Plùs enim excitat nos ad charitatem reformatio, quàm formatio. Si enim per alium quàm per ipsum per quem sumus formati, reformati essemus, plùs reformatori nostro quàm formatori deberemus: & sic plùs diligeremus creaturam quàm Creatorem, quod esset inconveniens. Ut ergo incitaret nos ad diligendum seipsum ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus nostris: impendit nobis quidquid debuit, creando & recreando nos optimus Deus, cujus beneficiis non communicat alienus.

§. III.

Tertiò quæritur: Quanam necessitate Christus passionem pertulit? [n] Quâ indigentiâ toties Sanguinem fudit? Cur tam mira pro redemptione hominum sustinuit, qui solius Majestatis imperio potentissimè redimere potuit? Audi ô homo necessitatem tuam, & non suam. Protoplastus piaculare facinus commisit prævaricando, quod expiari sine hostiæ oblatione non potuit. Purus homo puram hostiam offere non valvit, quem peccati contagio penitùs immundum esse constituit. Nec simplex Deus, nec Angelus immolari debuit: quoniam & illum natura, & hunc gratia impassibilem exhibuit. Irrationabilis creatura non sufficiebat tantæ rei magnitudini. Unde oportuit, ut Deus & homo fieret hostia: Deus pro potentia liberandi, homo pro sufficientia immolandi: homo peccator pro indigentia. Oblatus est ergo Deus homo, quia apud ipsū propitiatio est, & copiosa apud eū redemptio. Oblatus est, quia sic decrevit ipsius erga hominem inæstimabilis dilectio. Oblatus est, quia sic homo indiguit. Oblatus est, quia ipse volvit. Oblatus est [o] ut omnium implerentur oracula Prophetarum. De impletione Scripturæ [p] ipse Dominus testimonium perhibet dicens Petro: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? Quomodò ergo implebuntur Scripturæ? Quia sic oportet fieri*: Et in alio loco dicit: *Nonne oportuit adimpleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & in Prophetis, & in Psalmis de me?* Victoria de diabolo etsi alio modo fieri potuit, tamen alio modo impleri non debuit. Multùm enim desipit, qui Sapientiam Dei & Domini aliud aliquid putat, nisi id quod præstantissimum fuit, ordinâsse. Necessarium fuit eundem diabolum per Hominem Deum vinci & per lignum, qui hominē vicerat per lignū: *ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*. Quis dignè penset [q] quantæ, fuerit, humilitatis, mansuetudinis, dignationis, Dominum Majestatis carne indui, mulctari morte, turpari cruce? Sed dicit aliquis: Non valvit opus suum reparare Creator absque ista difficultate? Valvit, sed malvit cum injuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis occasionem ultrà reperiret in homine. Sanè multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minùs esse devotum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus? Gratis quidem conditus sum, sed nullo Auctoris grava-

l *Tract. de vite myst. cap. 46. num. 183.* k *Ser. 29. diver. num. 2.* *Ibidem num. 3.* m *Tract. de vite myst. cap. 26. num. 183.*

n *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. n. 16.* o *Ser. 57. div. n. 2.* p *Tract. de vite myst. cap. 46. num. 181.* q *Ser. 11. in Cant num. 7.*

gravamine vel labore. Siquidem dixit, & factus sum, quemadmodùm & universa. Quid magnum est, quamlibet magna in verbi facilitate donaveris? Sic beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde sumebat, unde amoris causam habere debuerat, idquè ad excusationes in peccatis. Sed obstructum est [r] os loquentium iniqua. Luce clariùs patet, quantum modò pro te ô homo dispendium fecit: de Domino servus, de divite pauper, caro de Verbo, & de Dei Filio hominis filius fieri non despexit. Memento jam te etsi de nihilo factū esse, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At verò per totos triginta & tres annos operatus est salutē tuam in medio terræ. O quantū laboravit! sustinens carnis necessitates, hostis tentationes, nonne sibi Crucis aggravavit ignominia, mortis cumulavit horrore? Necessariè quidem. Sedebas ô homo [s] in tenebrosis & umbra mortis per ignorantiam Veritatis, sedebas vinctus catenis delictorum. Christus descendit ad te in carcerem non ut torqueret, sed ut erueret de potestate tenebrarum. Et primò quidem Veritatis Doctor depulit umbram ignorantiæ tuæ, luce *sapientiæ* suæ. Per *justitiam* deinde quæ ex fide est, solvit funes peccatorum, gratis justificans peccatorem. Quo gemino beneficio implevit sermonem illum Sancti David: *Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Addidit quoque *sanctè* inter peccatores vivere, & sic tradere formam vitæ tanquam viæ, quâ redires ad patriam. Ad cumulū postremò pietatis tradidit in mortem Animam suam, & de proprio latere protulit precium *satisfactionis*, quo placaret Patrem: per quod illum planè ad se versiculum traxit: *Apud Dominū misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Prorsùs copiosa: quia non gutta, sed nuda Sanguinis largiter per quinque partes Corporis emanavit.

§. IIII.

Quartò quæritur: Quænam necessitas [t] aut quæ ratio, aut quod opus fuit (cùm sola jussione sua Divina miseratio liberare hominem à peccato posset) propter redemptionem nostram Filium Dei carne suscepta, tot & tantas inedias, opprobria, flagella, sputa, denique ipsam crucis ignominiosam & asperrimam mortem suscipere, ut cum iniquis patibulum sustineret? Respondemus: Necessitas nostra fuit, & necessitas dura sedentium in tenebris & umbra mortis. Opus æquè nostrum, & Dei ipsius, & Sanctorum Angelorum fuit. *Nostrum*, ut auferret jugum captivitatis nostræ. *Suum*, ut impleret propositum voluntatis ejus. *Angelorum*, ut numerus impleretur eorum. Porrò ratio hujus facti fuit dignatio facientis. Quis negat Omnipotenti ad manuum fuisse alios & alios modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis? Verùm hoc non præjudicat hujus quem è multis elegit efficaciæ. Et fortassè is modus præstat, quem in terra oblivionis, gravedinis, lapsus nostri, tot & tantis gravaminibus Reparatoris fortiùs & vivacius admoneremur. Aliàs autem nemo hominum novit, nec noscere ad plenum potest quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad Sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad salutem; penes seipsam contineat hujus venerandi misterii inscrutabilis altitudo: quam Propheta Abacuch considerans expavit, non penetravit: & Præcursor Domini indignum se judicavit qui penetraret. Cæterùm [u] si non licet perscrutari Divinæ Sacramentum Voluntatis, licet tamen sentire effectum operis, fructum utilitatis percipere. Et quod licet scire, non licet tacere: quia gloria est Regum celare verbum, & gloria Dei investigare sermonem. Fidelis sermo & omni acceptione dignus: *Quoniam cùm adhuc peccatores essemus, reconcialiati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Ubi reconciliatio est, ibi remissio peccatorum. Nam si dicente scriptura: *Peccata nostra separant inter nos & Deum*: manente peccato non est reconciliatio. In quo autem remissio est peccatorum? *Hic calix* (inquit Dominus) *novi testamenti in meo Sanguine, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Itaque ubi reconciliatio est, ibi remissio peccatorum. Et quid ipsa nisi justificatio? Sive igitur reconciliatio, sive remissio peccatorum, siue justificatio sit, sive etiam redemptio, vel liberatio de vinculis diaboli, à quo captivi tenebamur ad ipsius voluntatem: intercedente morte Unigeniti filii Dei obtinemus, justificati gratis in Sanguine ipsi*us*: *in quo* (sicut Apostolus dicit) *habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus.* Cur, inquis, per Sanguinem, quod potuit facere per sermonem? Ipsum interroga. Mihi scire licet quòd ita. Cur ita? Non licet scire. Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: *Quid me finxisti sic?* Fuit verò Sanguis qui effusus est [x] tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum quo factum est ut effunderetur, deleret, ac per hoc de antiqui illius peccati originalis utpotè levioris deletione nullam omninò dubietatem relinqueret.

§. V.

Quintò quæritur: Ad quid mortuus est Christus? Propter hoc mortuus est [y] & resurrexit, ut vivorum dominaretur & mortuorum. Porrò mortuus est [z] & mortem necavit, ut viveremus per illum. Peccatum præcessit [a] ut sequeretur mors: quod sanè si cavisset primus homo, mortem non gustasset in æternum. Peccando utique vitam amisit [b] & mortem invenit: quoniam quidem & Deus ita prædixerat, & justum profectò erat, ut si peccaret homo, moreretur. Quid namque justius poterat esse, quàm recipere talionem? Vita siquidem Deus animæ est, ipsa corporis. Peccando voluntariè volens perdidit vivere, nolens perdat & vivificare. Spontè repulit vitam cùm vivere noluit, non valeat eam dare cui vel quatenùs voluerit. Noluit anima regi à Deo, non queat regere corpus. Si non paret Superiori, inferiori cur imperet? Invenit Conditor suam sibi rebellem creaturam: inveniat anima suam sibi rebellem pedissequam carnem. Transgressor inventus est homo Divinæ legis: inveniat ipse aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ, & captivantem se in le-

r *Ibidem num.* 8. s *Ser.* 22. *in Cant. num.* 7. t *Tract. de error Abailardi cap.* 8. *num.* 19.

u *Ibidem num.* 20. x *Ibidem num.* 22. y *Ser.* 66. *in Cant. num.* 10. z *Ser. de Pass. Domini num.* 2. a *Tract. de exhort. ad milites templi cap.* 11. *num.* 18. b *Ibidem num.* 19.

in legem peccati. Porrò *peccatum* [ut scriptum est] *separat inter nos & Deum*: separet proinde etiam mors inter corpus nostrum & nos. Non potuit dividi à Deo anima nisi peccando, nec corpus ab ipsa nisi moriendo. Quid itaque austerius pertulit in ultione? Id solum passa est à subdito, quod præsumpserat in Auctorem. Nil profectò congruentius erat, quàm ut mors operata sit mortē, spiritualis corporalem, culpabilis pœnalem, voluntaria necessariam. Cùm ergo hac gemina morte (c) secundùm utramque naturam homo damnatus fuisset, altera quidem spirituali & voluntaria, altera corporali & necessaria: utrique Deus Homo una sua corporali ac voluntaria morte benignè & potenter occurrit, illaquè una sua morte nostram utramque mortem damnavit. Meritò quidem. Nam ex duabus mortibus nostris, cùm altera nobis in culpæ meritum, altera in pœnæ debitum reputaretur; Christus suscipiens pœnam & nesciens culpam, dum spontè & tantùm in Corpore moritur, & vitam nobis & justitiam promeretur. Alioquin si corporaliter non pateretur, debitum non solvisset: si non voluntariè moreretur, meritum mors illa non habuisset. Nunc autem si [ut dictum est] mortis meritum est peccatum, & peccati debitum est mors: Christo remittente peccatum, & moriente pro peccatoribus, profectò jam nullum est meritum, & solutum est debitum. Cæterùm unde scimus (d) quòd Christus possit peccata dimittere? Hinc proculdubio, quia Deus est, & quidquid vult, potest. Unde autem scimus & quòd Deus sit? Miracula probant. Facit quippè opera quæ nemo alius facere possit, ut taceam oracula Prophetarum, necnon & Paternæ vocis testimonium elapsæ cælitùs ad ipsum à magnifica gloria. Quod si Deus pro nobis est quis contra nos? Deus qui justificat, quis est qui condemnet? Si ipse est & non alius cui quotidiè confitemur dicentes, *Tibi soli peccavi*: quis meliùs, imò quis alius remittere potest quod in eum peccatum est? Itaque cognovimus quòd peccata Christus Divinitatis suæ potentiâ valuit relaxare. Sed unde rursùm confidimus (e) quòd mortem abstulit? Hinc planè, quòd eam ipse qui non meruit, pertulit. Qua enim ratione iterùm exigeretur à nobis, quod pro nobis ille jam solvit? Qui peccati meritum tulit, suam nobis donando justitiam: ipse mortis debitum solvit, & reddidit vitam. Sic namque mortua morte revertitur vita, quemadmodùm ablato peccato redit justitia. Quid tamen causamur (f) quòd Sanctum. Malachiam [*Episcopum Hyberniæ*] mors ausa est attentare, fidele equidem membrum Christi, quando & ipsum Malachiæ pariter & omnium electorum Caput Christum furibunda pervasit? Peruasit utique immunem, sed non immunis evasit. Impegit in Vitam mors, & inclusit intrà se Vita mortem, & absorpta est mors à Vita: hamum sibi devorans inde teneri capit, unde visa est tenuisse.

§. VI.

Sextò quæritur: Quomodò (g) mors à Capite Christo scilicet superata esse videtur, quæ tanta adhuc libertate sævit in membra? Si mors mortua est, quomodò Malachiam occidit? Si victa est, quomodò adhuc prævalet universis, & non est homo qui vivat & non videat mortem? Respondemus: Victa planè est *mors* opus diaboli, & peccati pœna: victum est *peccatum* causa mortis: victus est & malignus ipse *diabolus* peccati author & mortis. Necmodò victa sunt hæc tria, sed & judicata jam & damnata. Diffinita quidem, sed nondum promulgata sententia est. Denique jam diabolo ignis paratus est, etsi nondum ille præcipitatus est in ignem, modico adhuc tamen tempore finitur malignari. Tanquam malleus cælestis opificis factus est, maleus universæ terræ: terit electos ad eorum utilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem. Qualis ergo paterfamilias, tales & domestici ejus, peccatum scilicet & mors. Nam & peccatū licet simul cum Christo Cruci ipsius non dubitetur affixum esse, adhuc tamen interim non regnare quidem, sed habitare etiam in ipso dum viveret Apostolo permittebatur. Mentior si non ipse ait: *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. Sic & *mors* ipsa minimè quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur non obesse. Erit autem cùm dicetur: *Ubi est mors victoria tua?* Et ipsa siquidem inimica novissima destruetur. Nunc verò moderante eo qui imperium habet vitæ & mortis, & mare ipsum certis littorum coërcet metis, mors ipsa dilectis Domini somnus refrigerii est, Propheta attestante qui ait: *Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*. Pessima quidem est mors peccatorum, quorum & nativitas mala, & vita pejor: sed *preciosa est mors Sanctorum*. Preciosa planè tanquam finis laborum, tanquam victorię consummatio, tanquam vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus. Proinde (h) Senex ille Simeon tam plenus virtutum quàm dierum, morte jam propinqua Vitam bajulans in manibus, ajebat: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum*. Ac si diceret: Securus descendo in carcerem, qui tam præstò meam sentio redemptionem. Justus mortem etsi non cavet (i) tamen non pavet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Moritur quidem & justus, sed securè: quippè cujus mors ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus est melioris. Preciosam in conspectu Domini mortem Sanctorum ejus (k) facit aliquando *vita*, aliquando *causa*, aliquando *vita simul cum causa*. *In Confessoribus*, qui in Domino moriuntur, facit preciosam mortem vita. In *Martyribus*, qui pro Domino moriuntur, facit mortem preciosam aliquando sola causa, aliquando causa pariter & vita. Et illa quidem mors preciosa est, quam commendat vita: preciosior verò est mors, quam facit causa: preciosissima autem est mors, quam prævevit vita simul cum causa. Porrò tria sunt (l) quæ mortem Sanctorum faciunt preciosam, *quies* à labore, *gaudium* de novitate, *securitas* de æternitate. Bona est mors (m) & nequaquam abhorrenda est, quæ vitam etsi adimit, non tamen perimit. Adimit quidem vitam, sed ad tempus, restituendam in tempore, duraturam sine tempore. Denique, *Mortui estis* [inquit Apostolus] *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm*

autem

c *Ibidem num.* 20. d *Ibidem num.* 21. e *Ibidem num.* 22. f *Ser. de S. Malach. num.* 3. *tom.* 2. *par.* 2. *pag.* 40. g *Ibidem. num.* 4.

h *Epist.* 98. *num.* 6. i *Epist.* 105. *num.* 1. k *Ser.* 64. *diver. n.* 1. l *Ibidem num.* 2. m *Tract. de vit. & mor. Episc. cap.* 3. *num.* 12.

autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Nec verò Resurrectionem distulit ultra tertiam diem (n) ut Propheta Oseas fidelis inveniatur, qui dixit: *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos*. Decet nimirùm, ut quemadmodùm Caput Christus præcessit, sequantur membra. In patibulo sextâ feriâ redemit hominem, ipsa die quâ fecerat hominem initio: sequenti die sabbatizavit in monumento, consummato opere quod susceperat. Tertia verò die quæ prima dierum est, primitiæ dormientium apparvit mortis victor novus Homo. Ita & nos quicunque sequimur Caput nostrum, tota die hac quâ psalmati & redempti sumus, non cessemus agere pœnitentiam, non cessemus tollere crucem nostram, perseverantes in ea sicut & ipse Christus perseveravit, & donec dicat spiritus ut requiescamus à laboribus nostris. Neminem audiamus, Fratres, non carnem & sanguinem, non spiritum quemlibet, descensum de cruce suadentem. Persistamus in cruce, moriamur in cruce: deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. Caput nostrum deposuêre viri justi: nos verò dignatione sua Angeli Sancti deponant, ut consummatâ viriliter die crucis, secundâ die quæ post mortem est, quiescamus suaviter & dormiamus feliciter in sepulchris, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, qui resuscitabit corpora nostra tertiâ demùm die, configurata corpori claritatis suæ. Cùm igitur supersit dies aspirans in resurrectionis gloria, (o) claret profectò aliquando adimpletim iri in corpore quod præcessit in Capite, magnum utique pietatis sacramentum, & Prophetæ Oseæ testimonium, qui ait: *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos & vivemus in conspectu ejus, sciemus sequemurque, ut cognoscamus Dominum*. Ipse est in quem Angeli prospicere concupiscunt, Sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT X.

Confutatur impium dogma Petri Abailardi, negantis Filium Dei suscepisse carnem & subiisse mortem Crucis, propter liberandos homines à potestate diaboli.

I. *Ostenditur authoritate Prophetarum, ideò Christum incarnatum & mortuum esse, ut redimeret genus humanum de potestate diaboli, qui dominium in universos homines nequiter sibi usurpaverat.* 2. *Ostenditur authoritate Apostolorum, malos homines à diabolo captivos teneri ad ejus voluntatem. Probatur, quòd sola voluntas propria subdit imperio diaboli hominem peccantem mortaliter.* 3. *Ostenditur authoritate Christi Domini, diabolum habere potestatem in homines. Docemur, Christum in opere liberationis nostræ de potestate diaboli, non solùm misericordiâ, sed & justitiâ usum esse.*

§. I.

Petrus Abailardus (a) Christianæ fidei meritum evacuare nititur, dum totum quod Deus est, humana ratione arbitratur se posse comprehendere. Ascendit usque ad cælos, & descendit usque ad abyssos. Nihil est quod lateat eum, sive in profundum inferni, sive in excelsum suprà. Homo est magnus in oculis suis, de fide contra fidem disputans; ambulans in magnis, & in mirabilibus super se, scrutator Majestatis, hæresum fabricator. Etenim (b) mysterium nostræ redemptionis (sicut in libro quodam Sententiarum ipsius, & item in quadã ejus expositione Epistolæ ad Rõanos legitur) temerarius scrutator Majestatis aggrediens, in ipso statim disputationis exordio Ecclesiasticorum Doctorum unã omnium de hac re dicit esse sententiam, & ipsam ponit ac spernit, & gloriatur se habere meliorem: non veritus contra præceptum Sapientis transgredi terminos antiquos, quos posuerunt Patres nostri. *Sciendum est* (ait ille) *quòd omnes Doctores nostri post Apostolos in hoc conveniunt, quòd diabolus dominium & potestatem habebat super hominem, & jure eum possidebat: ideo scilicet quòd homo ex libertate arbitrii quam habebat, spontè diabolo consensit. Aiunt namque quòd si quis aliquem vicerit, victus jure victoris servus constituitur. Ideo* (inquit) *sicut dicunt Doctores, hac necessitate incarnatus est Filius Dei, ut homo qui aliter liberari non poterat, per mortem innocentis jure liberaretur à jugo diaboli. Sed, ut nobis videtur* (ait) *nec diabolus unquam jus aliquod in hominem habuit, nisi forte (Deo permittente) ut carcerarius: nec Filius Dei ut hominem liberaret, carnem assumpsit*. Quid in his verbis intolerabilius, judicem, blasphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius judicem, temeritatem, an impietatem? An non justiùs os loquens talia fustibus tunderetur, quàm rationibus refelleretur? Nonne omnium meritò in se provocat manus, cujus manus contra omnes? *Omnes*, inquit, *sic, sed non ego sic*. Quid ergo tu? Quid melius affers? Quid subtilius invenis? Quid secretius tibi revelatum jactas, quod tot præterierit Sanctos, effugerit Sapientes? Aquas furtivas & panes absconditos puto apponet nobis iste Abailardus. Dic tamen (c) dic quidquid illud est, quod tibi videtur, & nulli alteri: An quòd Filius Dei non ut hominem liberaret, hominem induit? Hoc planè nemini, te excepto, videtur: tu videris ubi videris. Non enim hoc à Sapiente, non à Propheta, non ab Apostolo, non denique ab ipso Domino accepisti. Magister Gentium Paulus accepit à Domino quod & tradidit nobis. Magister omnium Christus suam doctrinam fatetur non esse suam: *Non enim*, ait, *à me ipso loquor*. Tu verò de tuo nobis tradis, & quod à nemine accepisti. Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Tibi proinde sint, quæ tua sunt. Ego Prophetas & Apostolos audio, obedio Evangelio, sed non Evangelio secundùm Petrum Abailardum. Tu nobis novum condis Evangelium? Quintum Ecclesia Evangelistam non recipit. Quid lex, quid Prophetæ, quid Apostoli, quid Apostolici Viri nobis aliud evangelizant, quàm quod solùs tu negas, Deum

n Serm. in die Pascha, num. 8. o Ser. 72. in Cant. num. 11.

a *Epist.* 191. *num.* 1. b *Tract. de error. Abailardi. cap.* 5. *num.* 11. c *Ibidem num.* 12.

Deum videlicet factum Hominem ut hominem liberaret? Etsi Angelus de cælo aliud nobis evangelizaverit, anathema sit. Sed qui venerunt post Apostolos (d), Doctores non recipis, homo qui super omnes docentes te intellexisti. Denique non erubescis dicere, quod adversùm te omnes sentiant, cùm abinvicem non dissentiant. Frustra proinde illorum tibi fidem doctrinamquè proponerem, quos jam proscripsisti. Ad *Prophetas* te ducam. Loquitur sub typo Jerusalem ad populum acquisitionis, non Propheta Sophonias, sed in Propheta Dominus dicens: *Salvabo te, & liberabo te, noli timere*. Quæris à qua potestate? Non enim vis ut diabolus in hominem habeat, vel habuerit potestatem. Fateor nec ego. Non tamen idcirco non habet, quia ego & tu hoc nolimus. Si non confiteris tu, nec cognoscis: cognoscunt & dicunt qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici. Quod minimè negares & tu, si non esses sub manu inimici. Non potes gratias agere cum redemptis, qui redemptus non es. Nam si redemptus esses, Redemptorem agnosceres, & non negares redemptionem. Nec quærit redimi, qui se nescit captivum. Qui autem sciverunt, clamaverunt ad Dominum, & Dominus exaudivit eos, & redemit eos de manu inimici. Et ut intelligas hunc inimicum qui sit: *Quos redemit*, (ait Propheta Dauid) *de manu inimici, & de regionibus congregavit eos*. Sed primùm quidem agnosce hunc Congregatorem, de quo Caiphas prophetat in Evangelio, quia *Jesus moreretur pro gente*. Et qui narrat, sequitur dicens: *Non tantùm pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum*. Quò erant dispersi? In omnes regiones. Ergo quos redemit, de regionibus congregavit eos. Non congregaret, nisi redimeret. Erant enim non solùm dispersi, sed & captivi. Redemit & congregavit: redemit autem de manu inimici. Non dicit inimicorum, sed *inimici*. Inimicus unus, regiones multæ. Siquidem non de regione, sed *de regionibus congregavit eos*, à Solis ortu & occasu, ab Aquilone & Mari. Quis iste unus tam potens dominus, (*diabolus*) qui non uni præfuit regioni, sed omnibus? Non alius, ut arbitror, quàm ille qui ab alio Propheta dicitur *absorbere fluvium*, idest, genus humanum. *Et non mirari: habet autem fiduciam quòd & Jordanis, hoc est*, electio ipsa *influat in os ejus*. Beati qui sic influunt ut effluant, qui sic intrant ut exeant.

§. I I.

Sed quid? (e) nondùm fortè credis Ptophetis sic sibi concinentibus de diaboli potestate in hominem. Veni mecum & ad *Apostolos*. Dixisti nempè te non sentire cum illis qui post Apostolos venerunt: assentias vel Apostolis, si fortè & tibi contingat quod unus eorum loquitur de quibusdam: *Nequando* (inquiens) *det illis Deus pænitentiam ad cognoscendam veritatem, ut resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem*. Paulus est iste, qui homines à diabolo captivos teneri asserit ad ejus voluntatem. Audis, *ad ejus voluntatem*, & negas potestatem? Quis verò illum admisit (f) nisi propria voluntas? Ipsa est, quæ in potestatem tenebrarum denuò rediit, quæ nos iterùm subdidit mortis imperio. Nam & qui voluerunt sui esse (g) utique sicut dii, scientes bonum & malum, facti sunt non tantùm jam sui, sed & diaboli. Dum ergo per malam voluntatem sumus diaboli, quodammodò interim non sumus Dei: sicut cùm per bonam voluntatem efficimur Dei, desinimus jam esse diaboli. *Nemo* siquidem *potest duobus dominis servire*. Cæterùm sive Dei sumus, sive diaboli, non tamen similiter desinimus esse & nostri. Manet quippè utrobique libertas arbitrii, per quam maneat & causa meriti: quatenùs meritò vel puniamur mali, quòd tanquam liberi ex propria voluntate efficimur: vel glorificemur boni, quòd nisi æquè voluntarii esse non possumus. Sanè diabolo nostra nos mancipat voluntas, non ipsius potestas. Denique (h) primos parentes non ursus aut leo, sed potiùs serpens, callidior utique non fortior cæteris animantibus supplantavit. Nec mulierem vir, sed mulier virum seduxit. Serpens, ô Eva, decepit te: decepit profectò, non impulit, aut coëgit. Mulier tibi, ô Adam, de ligno dedit, sed offerendo utique, non violentiam inferendo. Neque enim potestate illius, sed tua factum est voluntate, ut ejus voci plùs obedieris quàm Divinæ. Cæterùm si ille sibi non præcavit ignarus, nos saltem nobis tot exemplis præmoniti caveamus. Imò verò quoniam periclitati sumus & nos miserabiliter in hac parte, de cætero jam remedium aliquod tantis providere malis sollicitè studeamus adhibere. Quandò enim fortis ille armatus (quem fortior superveniens alligavit) atrium illud olim suum valuit violentiâ aliquâ obtinere? Sed vacuum sibiquè insipienter expositum domicilium reperit, & cum aliis septem nequioribus non fortioribus ingrediens, non irruens, liberè habitavit. Veni [i] Domine Jesu etiam nunc: Jesu bone eiice iterùm fortiter, quem nos insipienter admisimus. Tunc enim verè liberi erimus etiam nunc, si nos liberaveris. Irritum fecimus fœdus primum, tibi peccavimus Domine: Satanæ & operibus ejus obligantes denuò nosmetipsos, jugo iniquitatis colla ultronea submittentes, & subjicientes nos miseræ servituti. Quis autem audeat gloriari contritum esse loqueum (k) liberatos pedes à lapsu, reclamante nimirùm Apostolo & dicente: *Qui stat, videat ne cadat*? Putasne stare per se possit ille (l) qui surgere per se non potuit? Non opinor. Quid enim? Verbo Domini cæli firmati sunt, & terra stabit sine verbo? Cur ergo si stare per se poterat, orabat homo (*David*) de terra: *Confirma me*, inquiens, *in verbis tuis*? Denique & probârat. Ejus ipsius illa vox fuit: *Impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me*. Quæris quis ille impulsor? Non est unus. Impulsor *diabolus* est, impulsor *mundus*, impulsor *homo*. Quis iste homo sit quæris? Quisque sui. Noli mirari usquè adeò homo impulsor sibi est, & suimet præcipitator, ut non sit quod ab altero impulsore formides, si ipse à te proprias contineas manus. *Quis enim* (inquit Pe-

d *Ibidem num. 13.* e *Ibidem num. 14.*

f *Ser. 11. diuer. num. 1.* g *Tract. de grat & lib. arb. cap. 6. n. 18.* h *Ser. 11. diuer. num. 2.* i *Ibidem num. 3.* k *Ser. 2. de omni Sanct. num. 2.* l *Ser. 85. in Cant. num. 3.*

Petrus) vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis? Manus tua est consensus tuus. Si diabolo suggerente vel sæculo suadente quod non oportet, assensum tuum tenueris, & non dederis membra arma iniquitati, nec permiseris regnare peccatum in tuo mortali corpore: bonum te æmulatorem probasti, cui malitia omninò nil nocuit, vide ne magis profuerit. Scriptum est enim: *Bonum fac, & habebis laudem ex illo.* Confusi sunt qui quærebant animam tuam, tu verò cantabis: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.* Boni planè æmulatoris insigne dedisti, si juxta consilium Sapientis *miseris animæ tuæ*, si omni custodia servas cor tuum, si juxta Apostolum teipsum castum custodis. Alioquin etsi universum mundum lucreris, animæ autem tuæ detrimentum patieris, non planè bonum te censemus æmulatorem, quoniam quidem nec Salvator. Cùm igitur tres sint stanti imminentes strатores (m) horum *diabolus* livore malitiæ, *mundus* vento vanitatis, *homo* semetipsum pondere suæ corruptionis impellit. Impellit diabolus, sed non evertit, siquidem tuum illi negaveris assensum. Denique verba Jacobi Apostoli habes: *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.* Iste est qui stantes in paradiso impulit invidus & evertit, sed consentientes, non resistentes. Iste est qui seipsum de cælo superbus nullo impellente præcipitavit: ut scias multò magis hominem suo ipsius casui imminere, quem propriæ substantiæ pondus gravat. Est & mundus impulsor, quia in maligno positus est: impellit omnes, sed solos evertit amicos suos, id est consentaneos sibi. Nolo esse amicus mundi, ne cedam. Nam qui vult esse hujus mundi amicus, inimicus Dei constituitur, quo utique nullus gravior casus. Ex quibus satis claret quàm sit homo præcipuus impulsor sui, qui suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo cadere non potest. Cuinam horum præcipuè resistendum est? Nempè huic, qui eò molestior quò interior solus deiicere sufficit, cùm sine ipso alii possint facere nihil. Non sine causa Sapiens expugnatori prætulit urbium virum qui animo dominatur. Multum hoc ad te, opus virtute habes, & non quacunque, sed qua induaris ex alto. Ipsa enim si perfecta sit, facilè sic animum victorem sui, & sic invictum reddit ad omnia. Est quippè vigor animi cedere nescius pro tuenda ratione. Aut si magis probas, vigor animi immobiliter stantis cum ratione vel pro ratione. Vel sic: Vigor animi quod in se est, omnia ad rationem cogens vel dirigens.

§. III.

Porrò (n) si & Paulo Apostolo non credis *Petre Abailarde*, veni jam ad ipsum Dominũ Jesũ, si fortè audias & quiescas. Nempè ab ipso diabolus appellatus est *princeps huius mundi, & fortis armatus custodiens atrium suum, possessorque vasorum*: & tu dicis diabolum non habere potestatẽ in homines? Nisi tu aliud putas hoc loco intelligi *atrium* quàm mundum, *vasa* quàm homines. Quod si atrium diaboli mundus erat, & homines vasa ejus: quomodò non dominabatur in hominibus? Ait item Dominus capientibus se: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Potestas ista non latuit Paulum qui dicebat: *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii claritatis suæ.* Hanc utique Dominus Jesus nec in se quidem negavit diaboli potestatem, sicut nec Pilati, qui membrum erat diaboli. Ait siquidem: *Non haberes potestatem in me ullam, nisi data tibi fuisset desuper.* Quodsi in viride lignum intantùm grassata est ista desuper data potestas, aridum quomodò non fuit ausa contingere? Nec injustam puto iste causabitur potestatem datam desuper. Discat ergo diabolum non solùm potestatem, sed & justam potestatem habuisse in homines: ut consequenter & hoc videat, venisse utique in Carne Dei Filium propter liberandos homines. Cæterùm etsi justam dicimus diaboli potestatem, non tamen & voluntatem. Unde non diabolus qui invasit, non homo qui meruit, sed justus Dominus qui exposuit. Non enim à potestate, sed à voluntate justus injustusvè quis dicitur. Hoc autem diaboli quoddam in hominem jus, etsi non jure acquisitum sed nequiter usurpatum, justè tamen permissum. Sic itaque homo justè captiuus tenebatur, ut tamen nec in homine nec in diabolo illa esset justitia, sed in Deo. Justè igitur homo est addictus (o) sed & misericorditer liberatus. Sic tamen misericorditer, ut non desuerit justitia quædam & in ipsa liberatione: quoniam hoc quoque fuit de misericordia liberantis, ut quod congruebat remediis liberandi, justitiâ magis contra inuasorem quàm potentiâ vteretur. Quid namque ex se agere poterat, ut semel amissam justitiam recuperaret homo servus peccati, vinctus diaboli? Assignata est ei proinde aliena justitia, qui caruit suâ, & ipsa sic est: Venit princeps hujus mundi, & in Salvatore non invenit quidquam: & cùm nihilominùs innocenti manus injecit, justissimè quos tenebat amisit: quando is qui morti nihil debebat, acceptâ mortis injuriâ, jure illum qui obnoxius erat, & mortis debito & diaboli solvit dominio. Quâ enim justitiâ id secundò exigeretur? Homo siquidem qui debuit, homo qui soluit. Nam *si unus* (inquit Apostolus) *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*: ut videlicet satisfactio unius omnibus imputetur, sicut omnium peccata unus ille portavit: nec alter jam inveniatur qui forefecit, alter qui satisfecit: quia Caput & corpus unus est Christus. Satisfecit ergo Caput pro membris, Christus pro visceribus suis, quando juxta Evangelium Pauli (quo convincitur mendacium Petri Abailardi) *mortuus pro nobis convivificavit nos sibi, donans nobis omnia delicta, delens quod adversùm nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci, & expolians principatus & potestates.* Utinam ego inveniar in his spoliis (p) quibus spoliatæ sunt contrariæ potestates, traductus & ipse in possessionẽ Domini. Si me insecutus Laban arguerit quòd recessrim clam ab eo, audiat clàm me accessisse ad eum, & ob hoc clàm recessisse. Subjecit me illi causa secretior peccati, subduxit me illi ratio occultioris justitiæ. Aut si gratis venundatus sum, gratis non redimar? Si Assur sine causa calumniatus est mihi, sine cau-

Qq

m *Ibidem num.* 4. n *Tract. de error. Abailar. ca.* 5. *num.* 14.

o *Ibidem cap.* 6. *num.* 15. p *Ibidem num.* 16.

causa causam exigit evasionis. Quod si dixerit: *Pater tuus addixit te.* Respondebo: *Frater meus redemit me.* Cur non aliunde justitia, cùm aliunde reatus? Alius qui peccatorem constituit, alius qui justificat à peccato. Alter in semine, alter in Sanguine. An peccatum in semine peccatoris, & non justitia in Christi Sanguine? Sed justitia (inquiet) sit cujus est: quid ad te? Esto: Sed sit etiam culpa cujus est: quid ad me? An justitia justi super eum erit, & impietas non erit super eum? Non convenit filium portare iniquitatem patris, & fraternæ fieri exortem justitiæ. Nunc verò per hominem mors, & per hominem vita. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo vivificabuntur*: quoniam non sic illi attineo ut non & isti. Si illi per carnem: & per fidem huic. Et si infectus ex illo originali concupiscentia, etiam & in Christo gratia spirituali perfusus sum. Quid mihi plus imputatur de prævaricatione? Si generatio, regenerationem appono: nisi quòd spiritualis est ista, illa carnalis. Nec patitur ratio æquitatis ut ex æquo contendant, sed vincat necessè est spiritus carnem, & sit efficacior causa, cujus est & potior natura: quo plùs videlicet prosit generatio secunda, quàm prima nocuerit. Sanè pervenit delictum ad me, sed pervenit & gratia. *Et non sicut delictum, ita & donum: nam judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem.* A primo homine manavit delictum, à summo cælo egressio gratiæ. Utrumque à Parente, illud à primo, ista à Summo. Terrena nativitas perdit me, & non multò magis generatio cælestis conservat me? Nec vereor sic erutus de potestate tenebrarum repelli à Patre luminum, justificatus gratis in Sanguine Filii ejus. Nempè ipse est qui justificat, quis est qui condemnet? Non condemnabit justum; qui misertus est peccatori. Justum me dixerim, sed illius justitiâ. Quænam ipsa? Finis legis Christus ad justitiam omni credenti. Denique *qui factus est nobis* (inquit Apostolus) *justitia à Patre.* Quæ ergo mihi justitia facta est, mea non est? Si mea traducta culpa, cur non & mea indulta justitia? Et sanè mihi tutior donata quàm innata. Nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum. Illa autem cùm sit salutis efficax, materiam non habet gloriandi nisi Domino. Nam & *si justus fuero* (inquit Job) *non levabo caput*, ne videlicet responsum accipiat: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Hæc est justitia hominis in Sanguine Redemptoris (q) quam homo perditionis (*Petrus Abailardus*) exsufflans & subsannans, intantùm evacuare conatus est, ut totum quòd Dominus gloriæ semetipsum exinanivit, quòd minoratus est ab Angelis, quòd natus de fœmina, quòd conversatus in mundo, quòd expertus infirma, quòd passus indigna, quòd demùm per mortem Crucis in sua reversus, ad id solum putet & disputet redigendum, ut traderet hominibus formam vitæ vivendo & docendo, patiendo autem & moriendo charitatis metam præfigeret. *Ergo docuit justitiam* (ait) *& non dedit, ostendit charitatem, sed non infudit, & sic rediit in sua.* Itane hoc totum est *magnum illud pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria?* Incomparabilis doctor Abailardus, qui etiam profunda Dei sibi aperiens, & ea quibus vult lucida & pervia faciens, altissimum sacramentum & mysterium absconditum à sæculis, sic nobis suo mendacio planum & apertum reddit, ut transire leviter possit per illud quivis, etiam incircumcisus & immundus: quasi Dei Sapientia cavere nescierit, aut neglexerit quod ipsa prohibuit, sed dederit & ipsa Sanctum canibus & margaritas porcis. Sed non est ita. Nam etsi manifestatum est in Carne, sed tamen justificatum est in spiritu, ut & spiritualibus spiritualia conferantur, & animalis homo non percipiat quæ sunt spiritus Dei, nec fides nostra sit in sapientia verbi, sed in Virtute Dei. Unde Salvator ait: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Neque hoc secretum (r) revelat caro & sanguis, sed is qui scrutatur profunda Dei Spiritus Sanctus: qui à Patre Filioquè procedens, cum ipsis pariter vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

DEO GRATIARUM ACTIO, ET BEATO BERNARDO, Servo ejus dulci & fideli.

S. Bonavent. Conclus. tract. medit. de vita Christi.

q *Ibidem cap. 7. num. 17.* r *Ser. 7. in Cant. num. 8.*

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Nona,

De gestis post mortem Christi, ac de Corporis ejus depositione & sepultura.

Et erit in die illa radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur: & erit Sepulchrum ejus gloriosum. *Esa.* 11.

CAPUT I.

De prodigiis in morte Christi successis.

1. *Ostenditur, Solem præter naturam defecisse ea die, quâ Christus Deus noster moriebatur in Cruce.* 2. *Velum Templi scissum est in duas partes.* 3. *Terra mota est & tremuit.* 4. *Petra durissima scissa sunt.* 5. *Monumenta sepulchralia aperta sunt, & corpora sanctorum surrexerunt, ut faterentur Christum esse Deum verum.*

§. I.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. Et obscuratus est Sol. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23.

IAM quidem (a) infirma Jesu Christi crucifixi vidisti anima mea, & miserta es: nunc Majestatem ejus attende, & miraberis. Quid enim ait Scriptura? *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. Et obscuratus est Sol: & velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsùm: & terra mota est: & petræ scissæ sunt: & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt.* Qualis est hic, quia & cælum & terra compatiuntur ei, cujus & mors mortuos vivificat? Cognosce anima mea, cognosce: hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, Unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce Agnus in Cruce levatus immolatus stipite (b) opprobriũ hominum factus est & abjectio plebis: & præ dolore Sol obscuratur, petræ scinduntur, & tota contremiscit orbita mundi. Vide itaque totius mundi machinam (c) Fabricatori suo compatientem tetra caligine involutam. *Circa horam nonam (d) clamavit Jesus voce magna, dicens: Deus meus, Deus meus, ut quod dereliquisti me? Et hæc dicens, expiravit.* Hanc horam præscivit (e) hanc horam elegit: ut in ea per mortem de hoc mundo transiret ad Patrem secundùm humanitatem, à quo nunquam recessit per Divinitatem. Tunc terra tremuit (f) & Sol sua luminaria clausit: mærebantquè poli, mærebant sydera cuncta. Omne suum jubar amisit Luna dolendo, recessitquè omnis ab alto æthere fulgor. Fiduntur duri lapides: scinduntur fastigia Templi: petræ durissimæ scissæ sunt: & monumenta aperta sunt: & surrexerunt multi apertis tumulis, fatentes voce magna Christum esse Deum. Graue quidem omninò est delictum illud *Originale* (g) quod non solùm personam infecit, sed & naturam. *Personale* tamen cuique grauius est, cùm jam laxatis habenis exhibemus vndique membra nostra arma iniquitatis peccato, nonmodò jam alieno, sed & proprio crimine compediti. *Singulare* verò delictum est grauissimum, quod commissum est in Dominum majestatis, cùm viri impii virum justum iniustè occiderunt, & sacrilegas manus in ipsum Dei Filium iniecerunt crudelissimi homicidæ, imò(si fas est dicere) etiam deicidæ. Quid duo præcedentia sunt ad tertium? Ad hoc expalluit & expauit tota machina mundialis, & penè in antiquum chaos sunt omnia revoluta. Meritò quidem: [h] quia Christus per potentiam divinitatis Princeps est omnium creaturarum. Verè Domine Jesu nimis ex-

S. Bernar. Abb. juxta eius libros. edit. authore Horstio in VI. Tom. impress. Parisiis an. 1667. a Ser. de Pass. Dom. num. 15.

b Ser. 1. in vitim. Cœna num. 1. c Tract. de vite myst. cap. 49. num. 187. d Ser. de Lament. V. M. num. 7. e Ser. 1. in ult. Cœna. num. 2. f Ser. de lament. V. M. num. 7. g Ser. in fer. 4. heb. San. num. 7. h Tract. de modo bene vivendi. cap. 16. n. 45.

ex cessisti: (i) quia cùm sis splendor paternæ gloriæ, & figura substantiæ ejus, & cùm sis Dominus majestatis, tamẽ trementibus elementis, cæli luminaribus obscuratis, stupentibus Angelis, pati dignatus es tormentum abjectissimæ passionis. Abacuch Propheta (k) intuens hanc lucem, ait: *Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus. Ibi abscondita est fortitudo ejus: ante faciem ejus ibit mors.* Apertè designans, quòd etiam cùm manus ejus Cruci affixæ fuissent (licet ipse Sol radios suos obumbrasset, ne Christum morientẽ in Cruce viderent) lux Deitatis non minùs in Christo nituit. Unde præmisit: *Splendor ejus ut lux erit.* Tu quidẽ Judæe insultãs dicebas: *Vidimus eum non habentem speciem neque decorem*: oculo lippo vidisti, imò oculo cæcutienti penitùs, quia tunc cæcitas cecidit in Israël. Ast Abacuch claros habebat oculos: & populus Gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, in regione umbræ mortis lux orta est eis. Tunc quippè (l) tenebrosis Gentilium cordibus lux cælestis infulsit: decussaque pristinæ infidelitatis tetra caligine, splendor fidei mentibus perditorum radios suæ claritatis invexit. Sed infelix Judæa (m) quia lucem oderat, ad fulgorem veræ claritatis obtenebratur: & caligantes oculi ejus coruscante radio Solis æterni multò magis exæcantur.

§. II.

Et velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsùm. Matt. 27.

Ego quemadmodùm accepi à Domino (n) in profundo sacri eloquii gremio spiritum mihi scrutabor, & vitam: & pars mea est hæc, qui in Christum credo. Quidni eruam dulce ac salutare epulum spiritûs de sterili & inspida litera tanquam granum de palea, de testa nucleum de osse medullam? Nihil mihi & literæ huic, quæ gustata carnem sapit, gustita mortem affert. Sed enim quod in ea tectum est, de Spiritu Sancto est. Spiritus quidem loquitur mysteria, teste Apostolo: sed Israël pro velato mysterio ipsum mysterii velamen tenet. Quare? Quia adhuc velamen est positum super cor ejus. Ita quod sonat litera, illius est: quod designat, meum est: ac per hoc illi ministratio mortis in litera, mihi vita in spiritu. Nam spiritus est qui vivificat, dat quippè intellectum. An non vita est intellectus? *Intellectum da mihi, & vivam*, ait Propheta Domino. Intellectus non remanet extra, non hæret in superficie, non instar cæci palpat forinseca: sed profunda rimatur, preciosissimas solitus exinde Veritatis exuvias tota aviditate diripere ac tollere sibi, & cum Propheta dicere Domino: *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.* Nempè ita regnum Veritatis vim patitur, & violenti rapiunt illud. Verùm ille senior frater, qui de agro veniens formam tenuit populi veteris & terreni, qui pro terrena hæreditate doctus diligere trituram, attrita fronte gemit anxiùs sub gravi iugo legis, portatque pondus diei & æstûs. Is inquam senior frater (*populus Iudæorum*) quia intellectum non habuit, foris stat etiam nunc, & non vult nec inuitatus à patre intrare domum convivii, semetipsum fraudans vsque adhuc participio symphoniæ & chori & vituli saginati. Miser qui renuit experiri quàm bonum sit, & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Si indignatur frater meus senior ille (o) qui hædum comedere mavult cum amicis suis foris, quàm mecum in paterna domo vitulum saginatum, respondebitur illi: *Epulari & gaudere oportet, quia hic filius meus mortuus fuerat & revixit, perierat & inuentus est.* Adhuc Synagoga foris epulatur cum amicis suis dæmonibus, quibus satis placet, quòd hædum peccati insipiens deuorat transglutiens & reponens, atque quodammodò occultans sibi illud in ventre secordiæ & insipientiæ suæ: dùm contemnens Dei iustitiam, & suam volens constituere, dicit se non habere peccatum, nec morte egere Vituli saginati, mundam siquidem iustamquè ex legis operibus se reputans. At verò Ecclesia scisso velo occidentis literæ in morte Verbi Crucifixi, audacter ad eius penetralia præeunte spiritu libertatis irrumpit, agnoscitur, placet, fortitur æmulæ Synagæ locum, fit Sponsa, fruitur præreptis amplexibus: & in calore spiritûs Christo Domino cui confricatur inhærens, stillante ac fundente vndique sui oleum exultationis, hoc illa præ particibus suis excipiens, ait: *Oleum effusum nomen tuum.* Quid mirum si vngitur, quæ vnctum amplectitur? O fatuam sponsam Synagogam (p) quæ contemnens Dei iustitiam, idest gratiam Sponsi sui, & suam volens constituere, justitiæ Dei non est subjecta! Ob hoc misera repudiata est, & jam non est sponsa, sed Ecclesia, cui dicitur: *Desponsavi te mihi in fide: desponsavi te mihi in judicio, & in justitia: desponsavi te mihi in misericordia, & in miserationibus.* Non tu me elegisti, sed ego elegi te: nec ut te eligerem, tua inveni merita, sed præveni. Ita ergo in fide desponsavi te mihi, & non in operibus legis: desponsavique in justitia, sed in justia quæ ex fide est, non ex lege. Lex dura duris & lapideis est promulgata (q) parata percutere, nesciens misereri. Lex excludens pænitentiæ locum, veniam negans, emendationis ignara. Lex est vinum durum & acidum de botris amarissimis eliquatum, consecratum feritati, derivatum Israëli, Salvatori propinatum. Vinum de quo dentes bibentium obstupescunt: non de genimine vitis illius quod Salvator bibit nouum in regno Patris sui. Et hæc dicta sint (r) pro distinctione partis Ecclesiæ, partisquè Synagogæ, quo & cæcitas hujus, ex illius prudentia manifestior fiat: & felicitas illius, ex hujus miseranda fatuitate præemineat.

§. III.

Et terra mota est. Matt. 27.

Postquam Jesus expiravit, (s) tunc terra tremuit: ut Christo patienti (t) quodamodò compati videatur. Quis ergo tam irreligiosus qui non compungatur? quis tam insolens ut non humilietur? quis tam iracundus ut non indulgeat? quis tam flagitiosus ut non

i Ser. in fer. 2. Paschæ num. 8. k Tract. de 3. præcip. myst. cap. 7. num. ... l Ser. in Dom. in fra oct. Epiph. de Jesu puer duoden. num. 16. m Ser. 3. in Epiph. Dom. num. 3. n Ser. 73. in Cant. num. 2.

o Ser. 14. in Cant. num. 4. p Ser. 67. in Cant. n. 11. q Ser. de M. Magdalena num. 1. r Ser. 73. in Cant. num. 2. s Ser. de lament. B. M. V. num. 7. t Ser. in fer. 4. hebd. San. num. 1.

non contineat? quis tam malitiosus ut non pæniteat? Meritò quidem. Nempè adest Passio Domini utique terram movens, petras scindens, aperiens monumenta. Unde (u) Psalmista dicit: ***Dominus respexit, & commota est & contremuit terra***. Tunc terra contremiscit, quando peccator ad lachrymas commovetur. Recognosce nunc ô homo miser [x] recognosce temetipsum. Recogita quia nihil fueris: attende quòd vilis & malus es: considera quid futurus es. Plange homo miser, & plange incessanter peccata tua. Dele lachrymis malitias & miserias tuas, quia voluntate propria peccasti. Displiceat tibi super omnia, quòd Dominum immensæ majestatis habentem potestatem mittere corpus & animam in gehennam, ausus fuisti offendere. Amarescat tibi amarissimè cor tuum, quòd Deum summum Patrem incomprehensibilis bonitatis (qui benignus & misericors est super ingratos & malos (voluntariè, libenter, & delectabiliter offendisti. Totus displiceas tibi, ut totus possis placere ei qui summus est, verus & solus Deus: cui nemo placet, nisi qui sibimetipsi displicet: & nemo ei displicet, nisi qui sibimetipsi placet. Dissipat namque Deus ossa eorum qui hominibus placent. Et quod altum & pulchrum est apud homines, abominabile est apud Deum. Vide miser homo (y) quia totum est vanitas, totum stultitia, totum dementia, quidquid facis in hoc mundo: præter id solum, quod in Deum, & propter Deum, & ad honorem Dei facis. Quidquid fine Deo facis, totum est malitia & vanitas: quia nihil est bonum sine Summo bono. Et magna miseria hominis est cum illo non esse, sine quo non potest esse. Vide homo miser, qui ad similitudinem & imaginem Dei creatus es, & propter nimiam charitatem Domini nostri Jesu Christi à morte æterna ac turpissima redemptus es, & liberatus es: & ad videndum claritatem summi Dei sola inæstimabili misericordia sua vocatus es: & plurimis beneficiis, ex quo esse cæpisti, ab Altissimo Patre totius bonitatis ad vitam æternam habendam per Unicum Filium suum invitatus es. Miser homo recognosce hunc honorem, intellige dignitatem tuam, qui à tanta Majestate honoratus es. Æternus enim Deus & immensus creavit te, formavit te, redemit te, & invitavit te. Maximus honor & amplus amor. Cognosce ô homo honorem tuum, & curre, gratias agens, ad invitatorem tuum, ne fortè si ingratus ire nolueris, iratus Dominus jubeat te succidi, & tibi ostium vitæ æternæ in perpetuum claudat. Cognosce ô homo honorem tuum, & honora Creatorem tuum. Cognosce te esse meliorem avibus (z) meliorem cunctis animantibus. Noli esse similis jumentis insipientibus, quæ solam vitam præsentem cogitant, quæ tantùm carnalia & temporalia cogitant, quia nec alia sciunt. Homo non te subiicias carni, non sis amator mundi: non te sustineas esse filium diaboli, propter honorem potentissimi & sapientissimi & incomprehensibilis Patris tui Altissimi Dei æterni: propter nomen Dei admirabile non te constituas adversarium & homicidam tui: propter Unigenitum & dilectum Filium ejus Jesum Christum non te facias socium dæmoniorum, & combustionis ignis æterni. Qui redemptus es preciosissimo Sanguine Agni immaculati, noli tantum pretium vilipendere, quod pro te Dei Filius dignatus est exolvere, ne sempiternis involuaris incendiis. Tunc enim pænam maximam habebis sine remedio, tunc dolorem inopinabilem patieris sine fine, & tormento plenus eris, nunquam tamen alleviaberis: quia qui non flevit quando erat tempus flendi, æterno luctu lugebit, sed sine fructu. Proinde dignum est [a] & tibi multùm expedit, compati Christo passo, commori mortuo, consepeliri sepulto. Si membrum Christi es [b] cōpatere Capiti tuo: si frater Christi es, commorere Fratri tuo. Plange, dole cum gemitu & lachrymis super mortem preciosam Unigeniti Dei Patris. Alioquin si non doles, si non plangis, si non compateris: deliras, degeneras, belluam sapis, lethargum pateris, hominem diffiteris.

§. IV.

Et petræ scissæ sunt. Matt. 27.

Postquam Jesus expiravit [c] tunc petræ durissimæ scissæ sunt. Nemo duri cordis salutem unquam adeptus est (d) nisi quem fortè miserans Deus ***abstulit ab eo*** (juxta Prophetam Ezechielem) ***cor lapideum, & dedit cor carneum***. Quid est cor durum? Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus: minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sæuum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens. Ipsum est cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omninò non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla nisi fortè ad ulciscendum prospectio seu præparatio est. Et ut in brevi sermone cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. Quis autem scindet duritiam istam (e) nisi qui in Passione sua petras scindit? Quis dabit cor pænitens, nisi à quo est omne datum optimum? Ipse digito suo inscribit legem suā (f) non jam in lapide, sed in tabulis cordis carnalibus, propheticam implens promissionē, quâ se pollicitus est ablaturum cor lapideum, & carneum cor esse daturum: id est, non durum, non obstinatum, non Judaicum; sed pium sed mansuetum, sed tractabile, sed devotum. Nihilominùs tamen ait Dominus omnipotens: [g] ***Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra***. Quibus verbis manifestè prior ille populus Judæorum & duritiæ cordis & vanæ superstitionis arguitur. Crebra siquidem apud eos scissio vestium, sed non cordium esse solebat. Quandò enim scinderentur corda lapidea, quæ non poterant nec circumcidi? ***Scindite***, inquit, ***corda vestra, & non vestimenta vestra***. Si quis in vobis est, cujus voluntas circa unum aliquid solet obstinatior inveniri, scindat cor suum gladio spiritûs, quod est verbum

Dei

u *Tract. de modo bene viven. cap. 20. num. 28.* x *Ser. de miseria hum. num. 2. tom. 6. pag. 843.* y *Ibidem num. 4.* z *Ibidem num. 5.*

a *Ser. 2. in Cœna Dom. num. 6.* b *Ser. de Sanctiss. Sacram. num. 6. tom. 6. pag. 735.* c *Ser. de lament. V. M. num. 7.* d *lib. 1. de consid. ad Eugen. cap. 2. num. 3* e *Ser. 13. diver. num. 2.* f *Ser. 1. in dedicat. Eccl. num. 4.* g *Ser. 2. in Quadrag. num. 5.*

Dei: ſcindat illud, & in multas minutias feſtinet diſpartiri. Alioquin non eſt converti ad Dominum in toto corde, niſi ſciſſo corde. Donec enim illam un am accipias Jeruſalem, cujus eſt participatio in idipſum, multa interim tibi præcipiuntur, & ſi in uno offenderis, factus es omnium reus. *Spiritus Domini multiplex*, ait Sapiens: nec potes ſequi multiplicem ſine multiplici ſciſſione. Audi denique hominem quem ſecundùm cor ſuum invenerat Deus; *Paratum*, inquit, *cor meum Deus, paratum cor meum*. Paratum ad adverſa, paratum ad proſpera: paratum ad humilia, paratum ad ſublimia: paratum ad univerſa, quæcunque præceperis. Vis paſtorem ovium facere? Vis conſtituere Regem populorum? *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*. Quis ut David fidelis ingrediens, & egrediens, & pergens ad imperium Regis? Et dicebat de peccatoribus: *Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum, ego verò legem tuam meditatus ſum*. Inde enim cordis duritia, inde mentis obſtinatio, quia meditatur quis non legem Domini, ſed propriam voluntatem. Poteſt tamen & aliter hæc ſciſcio cordis intelligi [h] ut ſi prauum fuerit, ſcindatur ad confeſſionem: ſi durum, ad compaſſionem. Quidni ſcindatur cor, ut viſceribus affluat pietatis? Quidni ſcindatur ulcus ut ſanies effluat? Utilis prorſùs utraque ſciſſio, ut nec clauſum lateat peccati virus in corde, nec indigenti proximo claudamus viſcera miſericordiæ. Denique cor noſtrum nihil digniùs perficere poteſt [i] quàm ut ei ſe reſtituat à quo factum eſt. Et hoc à nobis Dominus expetit, dicens: *Fili, da mihi cor tuum*. Tunc ſiquidem cor hominum Deo datur, quando omnis cogitatio terminatur in eum, gyrat & circumflectitur ſuper eum, & nihil vult poſſidere penitùs præter eum, ſicquè colligato ſibi animo eum diligit, ut ſine ipſo amarus ſit omnis amor. Nec aliud dixerim cor Domino dare, quàm ipſum captivare in omne obſequium ejus, & ita voluntati ejus ex toto ſupponere, ut nihil aliud velit, quàm quod noverit eum velle. Itaque cor Domino datum, ipſum in omnibus & de omnibus adorabit, & gratias aget, etiamſi multa noſtris ſenſibus moleſta videantur. Nihil turbationis ex rerum novitate ſuſcipiet. Tentatus à Domino per tribulationes & aſperas qualitates non movebitur. Quidquid illatum fuerit, etiamſi habeat aſperũ ſenſum, velut impellens ad ſuperna, ſuſcipiet. Qui cor ſuum dedit Deo, cantabit melodicè & dicet cum Propheta David: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & pſallam in gloria mea*. Eſt ſiquidem gloria prima, & ſecunda: prima *virtutis*, ſecunda *beatitudinis*: vna in via, alia in patria. Proinde omnibus qui cor ſuum Deo tradiderunt, factum eſt in argumentum & ſignum quod cantant, & in virtutum gloria pſallunt in tribulationibus, in preſſuris, in anguſtiis, in fame & ſiti, in nuditate & dejectione, in maledictis, in convitiis & deriſionibus, in flagellis: ac etiam morte intenta, in cordibus plùs exultant. Nec reaccipiunt ampliùs poteſtatem in eo quod Domino tradiderunt: nullum ſacrilegii crimen reperitur deterius, quàm in voluntate ſemel oblata Deo reaccipere poteſtatem. Non debent ſibi vivere, qui cor ſuum Deo dicarunt, ſed ei qui pro omnibus Animam ſuam poſuit. Nihil dignius cogitari poteſt quàm cor ad eum referre, qui ut viveres mori voluit: nam & *juſtus cor ſuum tradidit ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit illum*. Vigilatio cordis juſta & cogitatio ejus juſta eſt, ut meditetur aſſiduè quid accepit in bonis naturæ, quid in bonis gratiæ, quid in Dei Filio pro nobis incarnato, paſſo, mortuo, & ſepulto.

§. V.

Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam Civitatem, & apparverunt multis. Matt. 27.

Poſt quam Jeſus expiravit [k] tunc monumenta aperta ſunt, & reſurrexerunt multi apertis tumulis, fatentes voce magna Chriſtũ eſſe Deũ. Quæris (l) quando hoc fuit? Quando putas, niſi cùm reflorvit caro Chriſti in reſurrectione? Et hic primus & maximus flos qui apparvit in terra noſtra, nam primitiæ dormientium Chriſtus. Ipſe inquam eſt flos campi & lilium convallium Jeſus, ut putabatur filius Joſeph à Nazareth, quod interpretatur flos. Is ergo flos apparvit primus, ſed non ſolus. Nam & *multa corpora ſanctorum qui dormierant, pariter ſurrexerunt*, qui veluti quidam luciditſimi flores ſimul apparverunt in terra noſtra. Denique *venerunt in ſanctam Civitatem, & apparverunt multis.* Quid ergo mirum [m] ſi Vitis noſtra admirabilem dedit odorem, & uncta eſt & florens: Nazarenus enim florens interpretatur. Quid jucundius flore? Multi enim imò omnes, id eſt, omnium virtutum flores in noſtro Nazareno ſunt. Superat tamen omnes odores omnium virtutum uncti Jeſu odor Crucifixi, ubi perfectio præcipuè efflorebat, & de floribus Vulnerum ſuorum inæſtimabilem odorem effudit. Fracto enim alabaſtro mundiſſimi Corporis virginalis dulcis Jeſu, effuſſum eſt unguentum Sacratiſſimi Sanguinis. Ipſâ quoque Animâ (in qua ſine dubio redolebat unguentum Spiritus ſeptiformis) emiſâ, dilatatus & diſperſus eſt odor Vitis noſtræ florentis non per terras ſolùm, ſed & per inferos, & ſuſcitati ſunt mortui, qui tam ad vitam corporis quidem, quàm ad vitam animæ quotidie ſuſcitantur. Ad huc autem ad monumentũ properat Vita noſtra Jeſus [n] ut quatriduanũ educat à monumẽto: & Lazarũ quærit (peccatorẽ converſum) ut quæratur, & inveniatur à Lazaro. In hoc enim eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deũ, ſed quia ipſe prior dilexit nos. Age igitur Dñe, quære quẽ amas, ut & amantem facias & quærentẽ. Quære ubi poſuerunt eum, jacet enim clauſus, ligatus, oneratus. Jacet in ergaſtulo conſcientiæ, tenetur vinculis diſciplinæ, & tanquam lapide ſuperpoſito premitur, & opprimitur onere pænitentiæ, maximè quòd deſit interim fortis ut mors dilectio, & charitas omnia ſuſtinens: & in his omnibus jam fætet Domine,

h *Ibidem num. 6.* i *Epiſt. de doctrina vitæ agendæ num. 1. tom. 1. pag. 1543.*

K *Ser. de Lament. V. M. num. 7.* l *Ser. 58. in Cant. num. 8.* m *Tract. de vite myſt. cap. 43. num. 162. & 161.* n *Ser. 4. in Aſſumpt. B. M. num. 2.*

ne: quadriduanus est enim. Credo jam multorum ingenia prævolant, ut intelligant quem velim dicere Lazarum. Eum sine dubio, qui nuper peccato mortuus fodit sibi parietem, ut videat abominationes multas & malas pravi & inscrutabilis cordis sui: & juxta Prophetam Jeremiam, ingressus est in petram, absconditus fossa humo à facie furoris Domini. Sed quid est [o] Domine jam fœtet, quadriduanus est enim? Fortè enim fœtorem istum, & quatuor dies istas non continuò quivis intelligat. Ego *primam* arbitror timoris diem, qua nimirùm irradiante cordibus nostris peccato morimur, & quodammodò sepelimur in conscientiis nostris. *Secunda* dies agitur in labore certaminis: solet nempè inter primordia conversionis acriùs insurgere tentatio pravæ consuetudinis, & vix extingui possunt jacula ignita diaboli. *Tertia* nihilominus dies doloris etiam videtur esse, dum recogitat quis annos suos in amaritudine animæ suæ, & nec tam laborat declinando futura, quàm præterita plangendo deplorat. Miraris quòd has dixerim dies? Sed sepulturæ debentur dies nebulæ & caliginis, dies luctus & amaritudinis. Sequitur *quarta* dies pudoris non dissimilis tribus, quando jam horribili confusione operitur anima miseranda, dum nimis considerat quæ & quanta deliquerit, & in oculis cordis tetras versat imagines peccatorum. Animus hujusmodi nihil dissimulat, sed dijudicat, sed aggravat, sed exaggerat universa: non sibi parcit durus judex in semetipsum. Utilis quidem exacerbatio, & digna miseratione crudelitas, facilè sibi Divinam concilians gratiam, dum pro eo mens æmulatur etiam contra seipsam. Veruntamen *Lazare veni foras*, ne in tanto fœtore diutiùs immoreris. Caro putrida putredini proxima est: & qui confunditur vehementiùs & tabescit, propè est ut desperet. Propterea *Lazare veni foras*. Abyssus abyssum invocat: abyssus luminis & misericordiæ, abyssum miseriæ & tenebrarum. Major illius bonitas est, quàm iniquitas tua: & ubi peccatum abundat, superabundare gratiam facit. *Lazare*, inquit, *veni foras*. Ac si manifestiùs dicat: Quousque conscientiæ tuæ caligo te detinet? quamdiu in cubiculo tuo gravi corde compungeris? *Veni foras*, procede, respira in lucem miserationum mearum. Hoc enim est quod in Propheta Isaja legisti: *Infrenabo os tuum laude mea, ne pereas*. Evidentiùs quoque Propheta David de seipso: *Ad meipsum*, inquit, *anima mea turbata est, propterea ero memor tui*. Jam verò [p] quid sibi vult quod ait: *Tollite lapidem*, & post pauca: *Solvite eum*? Numquid post visitationem gratiæ consolantis cessabit agere pœnitentiam, quoniam appropinquavit regnum cœlorum? aut abiiciet disciplinam, ne fortè irascatur Dominus, & pereat de via justa? Absit hoc. Tollatur lapis, sed pœnitentia maneat, non jam premens & oneras, sed vividam & robustam mentem roborans atque confirmans: nimirùm cujus cibus sit (quem antea nesciebat) Domini facere voluntatem. Sic & disciplina non jam constringit liberum, secundùm illud: *Justis non est lex posita*: sed voluntarium regit & dirigit in viam pacis. Super hac Lazari suscitatione manifestiùs psallit Propheta: *Non derelinques animam meam in inferno* quia infernus quidam & carcer animæ est rea conscientia. *Nec dabis sanctum tuum* (non suum ipsius, sed tuum utique, quem ipse sanctificas) *videre corruptionem*. Corruptioni siquidem proximus erat quadriduanus qui cœperat jam fœtere. Propè erat ut penitùs dissolveretur, & veniens in profundum malorum contemneret impius: sed præventus voce Virtutis, & ab ea vivificatus gratias agit dicens: *Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo*. Ad ipsius siquidem contemplationem evocasti & eduxisti ab inferno animam meam, dum anxiaretur super me spiritus meus, intuens conscientiæ propriæ faciem nimis abominandam. Amen.

o Hirdem [illegible] p Hirdem [illegible]

CAPUT II.

De conversione & fide Centurionis, confitentis Jesum crucifixum esse Filium Dei.

Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirâsset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat. *Mar.* 15.

1 *Ostenditur, fidem habere oculos lynceos ad cognoscendam Christi Divinitatem, ab oculis tamen corporeis absconditam. Laudatur fides Centurionis, qui Christum morientem ex voce agnovit esse Filium Dei, non autem ex facie. Ostenditur, quod sicut per aures Evæ irrepsit venenum in ipsius mentem, ita etiam per aures nostras intrat antidotum ad credendum mysteria fidei* 2. *Ostenditur, oculum mentis nostræ oportere mundari fide & auditu præceptorum Dei, ut videamus eum. Auditus in rebus fidei potior est quàm visus. Auditus est meritum visionis, visio autem est præmium auditionis.* 3 *Ostenditur M. Magdalenam ideo prohibitam esse ne tangeret Christum redivivum, quia plus tribuebat oculis corporeis, quam fidei, quæ sola dignè tangit Christum jam glorificatum. Proponitur nobis doctrina ad imitandum prudentiâ Ecclesiæ Sponsæ, agnoscentis Majestatem Sponsi sui Crucifixi sub nigredine passionis.*

§. I.

INtuemini [a] & videte quàm oculata sit fides: quàm lynceos oculos habeat, diligentiùs considerate. Cognoscit Dei Filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem. Siquidem Latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt: ille clavis infixum, isti pannis involutum. Centurio verò Vitam agnovit in morte: Magi Dei Virtutem in teneri corporis infirmitate: Centurio summum spiritum in expiratione, Magi Dei Verbum in infantia cognovêre. Siquidem quidquid Latro & Centurio sermonibus, Magi muneribus confitentur. Latro Regem, Centurio Dei Filium simul & hominem pronunciant. Non cognovit Herodes, [b] idcirco despexit. Non cognovit Synagoga, quæ nigredinem illi passionis & infirmitatis improperans: *Alios*, ait, *salvos fecit, seipsum non potest salvum facere* Et: *Christus*

a Serm. [illegible] Epiph. Domini [illegible] 4. b Serm. [illegible] Cant. [illegible] 10.

quòd intellectum reddat observatio mandatorum, quem tulit transgressio. Adverte adhuc in sancto Isaac, quomodò præ cæteris sensibus auditus in jam sene viguerit. Caligant oculi Patriarchæ, palatum seducitur, fallitur manus, non fallitur auris. Quid mirum si auris percipit Veritatem, cùm fides ex auditu, auditus per verbum Dei, verbum Dei Veritas sit? *Vox* (inquit Isaac) *vox Jacob est*: nihil verius. *Manus autem, manus sunt Esau*: nihil falsius. Falleris, manûs similitudo decepit te. Nec in gustu Veritas est, & si suavitas est. Nam quomodò habet Veritatem, qui se putat edere venationem, cùm domesticis vescatur hædorum carnibus? multò minùs oculus qui nihil videt. Non est Veritas in oculo, non sapientia. *Væ qui sapientes estis* (ait Esajas) *in oculis vestris*. Num bona sapientia cui maledicitur? Mundi est, ac per hoc stultitia apud Deum. Bona [m] & vera sapientia trahitur de occultis, ut sapit beatus Job. Quid foris eam quæris in corporis sensu? Sapor in palato, in corde sapientia est. Ne quæras sapientiam in *oculis carnis*, quia caro & sanguis non revelat eam, sed spiritus. Non in *gustu oris*: nec enim invenitur in terra suaviter viventium. Non in *tactu manus*: cùm sanctus Job dicat, *Si osculatus sum manum meam ore meo, quod est iniquitas maxima, & negatio in Deum*. Quod tunc fieri arbitror, cùm donum Dei quod est sapientia, non Deo, sed meritis adscribitur actionum. Sapiens fuit Isaac, sed tamen erravit in sensibus. Solus habet *auditus* verum, qui percipit verbum. Nimirùm vocem illius [n] qui in Propheta loquitur: *Ego qui loquor justitiam*. Vox ejus est inspiratio ejus, ac justi timoris incussio. Ideo Sponsa ejus compertâ hac voce (o) gaudens & exultans: *Vox*, inquit, *dilecti mei*. Amica est, & gaudio gaudet propter vocem Sponsi. Et addit: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*. Compertâ ex auditu vocis dilecti præsentiâ, incunctanter intendit benè curiosos oculos ad videndum quem audierat. Auditus ducit ad visum: *quia fides ex auditu*, quâ corda mundantur, ut possit videri Deus. Sic enim habes: *Fide mundans corda*. Videt itaque venientem quem loquentem audierat, observante etiam hîc ordinem illum Spiritu Sancto, qui apud Prophetam descriptus est ita: *Audi filia & vide*. Et ut certiùs advertas, non casu neque fortuito, sed de studio magis & industria, ob illam scilicet rationem quam præmisimus, auditum hoc loco præmissum esse visui: Vide si non hic ordo verborum à sancto quoque Job observatus invenitur, ubi sic loquitur Deo: *Auditu auris audivi te, & nunc oculus meus videt te*. Sed & ubi Spiritus Sanctus super Apostolos in die Pentecostes descendisse memoratur, nonne auditus visum prævenisse describitur. Ait enim Scriptura: *Factus est repentè de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis*. Et infra: *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis*. Et hîc ergo Spiritus Sancti adventum primò auditus, dehinc visus percepisse refertur. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis (p) dum visus voci, auri oculus attestatur. Audita visa confirmant, ubi duorum testimonium (auris loquor & oculi) ratum sit. Propterea Dominus ajebat: *Ite, renunciate Joanni* (ejus nempe discipulis loquebatur) *quæ audistis, & vidistis*. Nec breviùs illis, nec planiùs intimari fidei valuit certitudo. Eadem sanè in brevi etiam universæ terræ persuasio facta est, & eodem argumenti compendio. *Quæ audistis* (inquit) *& vidistis*. O verbum abbreviatum, attamen viuum & efficax. Haud dubius profectò assero quod auribus oculisquè percepi. Intonat tuba salutaris, coruscant miracula, & mundus credit. Citò persuadetur quod dicitur, dum quod stupetur, ostenditur. Habes autem, quia *profecti Apostoli prædicaverunt ubique Domino cooperante & sermonē confirmante, sequentibus signis*. Habes in monte Thabor stupēda claritate transfiguratū, & nihilominùs superna testificatum voce. Habes in Jordane similiter & columbam designantem, & vocem testificantem. Proinde hæc duo ubique pariter vox & signum ad introducendam fidem ex divina largitate concurrunt, ut latus ad animam per utrasque fenestras ingressus pateat veritati. Itaque [q] auditus est meritum videndi, visio præmium audiendi. Et prius est audire, videre posterius, sicut scriptum est: *Audi filia & vide*. Quisquis autem in futuro Deum videre desiderat, profectò necesse est ut in præsenti priùs Deum audiat, & in auditu auris obediat. Audiebat Paulus vocem Domini (r) sed faciem Domini non videbat, quoniam erudiebatur ad fidem, prout & ipse postea docuit: *Fides ex auditu est*.

§. III.

Meritò Carnē redivivam Christi (s) tangere prohibetur mulier (*Maria Magdalena*) carnaliter sapiens, plùs quippè tribuens oculo quàm oraculo, idest, carnis sensui, quàm verbo Dei. Quem enim mortuum vidit resurrecturum non credidit, cum tamen hoc promiserit ipse. Denique non quievit oculus usque dum satiatus est visus, quoniam non erat consolatio fidei, nec Dei rata promissio. Nonne cælum & terra & quidquid omninò carnis oculus attingere potest, ante habent transire & perire, quàm jota unum aut unus apex ex omnibus quæ locutus est Deus? Et tamen cessavit à fletu in visu oculi, quæ noluit consolari in verbo Domini, pluris habens experimentum quàm fidem. At experimentum fallax est. Mittitur ergo ad certiorem, fidei cognitionem (t) quæ utique apprehendit quod sensus nescit, experimentum non invenit: *Noli me tangere*, inquit Dominus. Ac si diceret: Dissuesce huic seducibili sensui, innitere verbo, fidei assuesce, fides nescia falli, fides invisibilia comprehendens, sensûs penuriam non sentit: denique transgreditur fines etiam rationis humanæ, naturæ vsum, experientiæ terminos. Quid interrogas oculum ad quod non sufficit? Et manus quid explorare conatur quod supra ipsam est? Minus est quidquid ille vel illa renunciet. Sanè fides pronunciet de me, quæ majestati nihil minuat. Disce id habere certiùs, id tutiùs sequi quod illa suaserit. *Noli me tangere, nondum*

Rr enim

m *Ibidem num. 6.* n *Ser. 53. in Cant. num. 2.* o *Ibidem num. 2.* p *Ser. 59. in Cant. num. 8.*

q *Ser. 77. divers. num. 2.* r *Ser. 1. in Convers. S. Pauli num. 5* s *Ser. 28. in Cant. num. 9.* t *Ibidem num. 8.*

enim ascendi ad Patrem. Quasi verò cùm jam ascenderit, tunc tangi ab ea velit aut possit. Et utique poterit, sed affectu non manu, voto non oculo, fide non sensibus. Quid tu me (ait) modò tangere quæris, quæ sensu corporis gloriam æstimas resurrectionis? Non recordaris quomodò tempore adhuc meæ mortalitatis transfigurati ad horam morituri Corporis gloriam oculi Discipulorum sustinere nequiverunt? Adhuc quidem tuis sensibus gero morem, formam ingerendo servilem, quam de consuetudine recognoscas. Cæterùm mirabilis facta est gloria mea ex te, confortata est, & non poteris ad eam. Differ ergo judicium, suspende sententiam, & tantæ rei diffinitionem ne credas sensui, sed fidei reservato. Illa digniùs, illa diffiniet certiùs, quæ pleniùs cōprehendet. Deniq; cōprehendit illo suo mystico ac profundo sinu quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, illa in se quasi quodam involucro clausum portat, servatquè signatum. Illa igitur dignè me tanget (u) quæ Patri consedentem suscipiet, non jam in humili habitu, sed in cælesti Carne ipsa, sed altera specie. Quid deformem vis tangere? Expecta ut formosum tangas. Nam qui deformis modò, tunc formosus. Deformis tactui, deformis aspectui. Deformis denique deformi tibi, quæ sensibus plùs inhæres, fidei minùs. Esto formosa, & tange me. Esto fidelis, & formosa es. Formosa formosum & digniùs tanges & feliciùs. Tanges manu fidei, desiderii digito, devotionis amplexu. Tanges oculo mentis. At numquid adhuc nigrum? Absit. Dilectus tuus candidus est & rubicundus. Formosus planè, quem circumdant flores rosarum, & lilia convallium, hoc est, Martyrum Virginumquè chori. Et qui medius resideo, utrique non dissideo choro, Virgo & Martyr. Quomodò denique candidis non congruo Virginum choris, Virgo Virginis Filius, Virginum Sponsus? Quomodò non roseis Martyrum congruo choris, causa & virtus, fructus & forma martyrii? Talem talis taliterquè tange, & dic: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus*. Millia millium cum dilecto, & decies centena millia circa dilectum, & nemo ad dilectum. Num tibi verendum erit, ne fortè in quempiam de multitudine errore incidas quærendo quem diligis? Non prorsùs ambiges quemnam eligas, facilè occurret electus è millibus, cunctis insignior, & dices: *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ*. Non ergo in pelle occurret nigra, quæ hactenùs sanè ingerenda fuit oculis persequentium, ut contemnerent occidendum: aut etiam amicorum, ut recognoscerent rediviuum. Non, inquam, jam in pelle occurret nigra, sed in veste alba, speciosus formâ nonmodò præ filiis hominum, sed etiam præ vultibus Angelorum. Quid me vis tangere in humili habitu, servili forma, specie contemptibili? Tange cælesti decorum specie, gloriâ & honore coronatum: divina quidem majestate tremendum, sed ingenita serenitate gratum ac placidum. Inter hæc advertenda est prudentia Sponsæ [x] & profunditas sermonum ejus, quæ sub figura pellium Salamonis, scilicet in Carne rimata est est Deum, in morte Vitam, Summam gloriæ & honoris inter opprobria, & sub nigro denique habitu Crucifixi candorem innocentiæ, splendoremquè virtutum: sicut illæ utique pelles cùm essent nigræ atque despectæ, preciosa & prædicanda prædivitis Regis in se ornamenta servabant. Meritò Sponsa nigredinem non contemnit in pellibus, decorem qui sub pellibus est advertens. Et ideo quidam illam contempserunt, qui hunc minimè cognoverunt. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Non cognovit Herodes, & idcircò despexit. Non cognovit Synagoga, quæ nigredinem illi passionis & infirmitatis improperavit. Sed cognovit Centurio, qui Filium Dei clamat. Cognoscit Ecclesia, quæ & æmulatur nigredinem, ut decorem participet. Non confunditur nigra videri, nigra dici, ut dicat dilecto: *Opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me*. At sanè nigra instar pellium Salamonis, foris scilicet, & non intùs. Neque enim intùs nigredinem meus Salamon habet. Denique non ait: *Nigra sum* sicut Salamon, sed *sicut pelles Salamonis*: quòd in superficie tantùm sit veri nigredo pacifici. Peccati nigredo intùs est, & priùs interiora culpa commaculet, quàm ad oculos prodeat. Denique de corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, adulteria, blasphemiæ: & hæc sunt quæ coinquinant hominem, sed absit ut Salamonem. Minimè prorsùs apud verum pacificum istiusmodi inquinamenta reperies. Oportet namque esse sine peccato eum, qui tollit peccata mundi: qui ad reconciliandos peccatores inventus est idoneus, jure sibi nomen vendicet Salamonis. Amen.

CAPUT III.

De timore militum crucifixorum, quem senserunt ex terræ motu & aliis prodigiis, quæ evenerunt in morte Jesu Crucifixi.

1. *Ostenditur, timorem esse initium conversionis ad Deum. Docemur quantùm timendus sit Deus Creator & Dominus noster. Explicantur timores quatuor, humanus, servilis, initialis, & castus.* 2. *Ostenditur, justum Jesum ideo voluisse injustè occidi, ut obtineret de diabolo justitiam mortis, eamquè nobis communicaret. Probatur, mortem Christi valuisse ad justitiam & vitam restituendam multis: peccatumquè Adæ non fuisse potentius ad malum, quàm Christi justitiam ad bonum.* 3. *Ostenditur, Christi passionem & infirmitatem non minùs nobis profuisse quàm Majestatem. Docemur quomodò Christus in odore sapientiæ & justitiæ attrahit nos ad se, & quomodò donavit nobis totam vitam suam. Quæritur, cur lege mortis & peccati adhuc gravemur? Proponuntur nobis quatuor virtutes cardinales ad considerandum, simul & exercitandum eas.*

§. I.

u Ibidem num. 9.

x Ibidem num. 10.

§. I.

Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè. Matt. 27.

MEritò quidem timuerunt. (a) Nempè aderat Passio Domini utique terram movens, petras scindens, aperiens monumenta. Unde(b) Psalmista dicit: Respexit Dñus, & commota est & contremuit terra. Tunc terra contremiscit, quando peccator ad lachrymas commovetur. Domine (c) quoties Passionis tuæ amaritudinem in cordibus nostris ruminamus, toties de nobis expavescimus: quia dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie ejus. Hìc nempe (d) timeri dicitur Deus: hìc sanctum & terribile nomen ejus, & tanquam ingressus gloriæ. Initium planè sapientiæ est timor Domini. Et benè initium sapientiæ (e) est timor Domini: quia tunc primùm Deus animæ sapit, cùm eam afficit ad timendum, non cùm instruit ad sciendum. Times Dei justitiam, times potentiam, & sapit tibi justus & potens Deus: quia timor sapor est. Quid tam timendum quàm potestas (f) cui non potes resistere? Quid tam timendum quàm Sapientia, cui abscondi non potes. Poterat minùs timeri Deus, alterutro carens. Nunc autem perfectè oportet timeas illum, cui nec oculus deest omnia videns, nec manus potens omnia. Pensa cujus sit formidinis & horroris (g) tuum atque omnium contempsisse Factorem, offendisse Dominum majestatis. Majestatis est timeri, Domini est timeri, & maximè hujus Majestatis, hujusquè Domini. Nam si reum regiæ majestatis quamvis humanæ, humanis legibus plecti capite sancitum sit: quis finis contemnentium Divinam Omnipotentiam erit? Tangit montes, & fumigant: & tam tremendam Majestatem audet irritare vilis pulviculus, uno levi flatu mox dispergendus, & minimè recolligendus? Ille ille timendus est, qui postquam occiderit corpus, potestatem habet mittere in gehennam. Audi, ô homo, quæ dico (h) audi quæ moneo, ausculta quæ loquor: Deum time super omnia, & mandata ejus semper observa: quia ecce *Oculi Domini* (ait Propheta) *super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus.* Et Salamon ait: *Time Dominum, & recedere à malo. Qui timet Dominum, nihil negligit.* Etiã Sapiens in libro Ecclesiastici ait: *Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor, & dabit gaudium & lætitiam in longitudine dierum: nam qui sine timore est, non poterit justificari. Timor Domini est sapientia & disciplina. Non sis incredulus in timore Dei, & ne accesseris ad illum duplici corde. Timentes Dominum sustinete ejus misericordiam, & non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite in illum, ut in oblectatione veniat vobis misericordia. Qui timetis Dominum, credite in illum, & non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. Qui timent Dominum, non erunt increduli verbo ejus: & qui diligunt illum, conservabunt vias illius. Qui timent Dominum, inquirunt quæ beneplacita sunt illi: & qui diligunt illum, replebuntur lege ipsius. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt usque ad inspectionem ipsius. Oculi Domini super timentes se, & ipse cognoscit omnia opera eorum. Consummatio timoris Dei est sapientia. Timenti Dominum non occurrunt mala, sed in tentatione Deus liberabit illum à malo. Spiritus timentium Deum requiretur, & in respectione illius benedicetur. Timor Domini est sicut paradisus, benedictio & omnis gloria operiet illum. Beatus vir, cui donatum est timorē Domini habere. Timor Domini est initium dilectionis ejus.* Denique (i) nulla res nos sic ab omni peccato custodit immunes, sicut timor inferni, & amor Dei. Deum timere est nulla mala facere, & nulla bona quæ facienda sunt præterire. Timor Domini est fons Sapientiæ. *Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die mortis suæ benedicetur.* Bonum est nobis timere Deum, quia timor Domini expellit peccatum. Timor Domini semper emendat. Timor Domini cautum facit hominem atque sollicitum: ubi verò timor non est, ibi perditio est animæ. Ubi timor non est, ibi dissolutio vitæ est. Ubi timor non est, ibi est abundantia peccatorum. Igitur timor & spes semper sint in corde tuo: pariter sint in te timor & fiducia. Spes & metus pariter perseverent in te. Sic spera in misericordia Domini, ut timeas ejus justitiã. Sed tamen (k) volo te scire quatuor esse timores, videlicet humanum, servilem, initialem, & castum. *Primus timor est humanus*, quando timemus pati pericula carnis, vel perdere bona mundi, propter quod peccamus. Hic mundanus timor malus est, & in primo gradu cum mundo deseritur, quem Dominus prohibet in Evangelio, dicens: Nolite timere eos qui occidunt corpus, *&c. Secundus timor est servilis*, cùm timore gehennæ homo recedit à peccato, & omnia bona quæ facit, non propter Dei sed propter timorem inferni facit. Ille quasi servus timet, qui bonum quod facit, non timore amittendi bonum quod non amat, sed timore patiendi malum quod formidat, facit. Ille non timet perdere amplexus pulcherrimi Sponsi Jesu, sed timet ne mittatur in pænas inferni. De hoc servili timore ait Paulus: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterũ in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*: id est, spiritum filialem. Bonus est iste servilis timor & utilis, licet insufficiens & imperfectus, per quem crescit paulatim consuetudo justitiæ. Cùm incipit homo credere diem Judicii, incipit timere. Si cæpit credere, cæpit & timere: sed qui adhuc timet, non habet perfectam fiduciam in die Judicii. Nondum est in illo perfecta charitas qui adhuc timet, quia si perfecta in illo esset charitas, non timeret. Perfecta charitas faceret in homine perfectam justitiam, ut homo non haberet unde timeret: sed haberet unde desideraret, ut transeat iniquitas, & veniat regnum Dei. *Tertius timor est initia-*

a *Ser. infer. 4. heb. san. num. 1.* b *Tract. de modo bene viven. cap* 10. *num.* 28. c *Ser. infer. 2. Paschæ num* 19. *tom.* 6. *pag.* 726. d *Ser.* 23. *in Cant. num.* 15. e *Ibidem. num.* 16. f *lib.* 5. *de Consider.* c. 14. n. 30. g *Ser.* 16. *in Cant. n.* 7. h *Tract. de modo bene viv. c.* 4. n. 7. i *Ibidem num.* 8. k *Ibidem num.* 9.

lis [l] quando homo incipit facere bonum propter dilectionem Dei, quod antea faciebat propter timorem inferni. De hoc initiali timore ait David Propheta: *Initium sapientiæ est timor Domini*. Initialis timor est, quando homo incipit amare Deum quem ante timebat, & sic excluditur à corde servilis timor. *Quartus timor est castus*, per quem timemus ne Sponsus Christus Jesus tardet, ne discedat à nobis, ne eum offendamus, ne in eum peccemus, & ne eum perdamus. Timor iste scilicet castus, de amore descendit: timor iste de amore nascitur. De hoc timore legitur in Psalmo: *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi*. In corde hominis priùs venit timor. Et quare venit? Ut locum charitati præparet. Quantò autem magis charitas cœperit habitare in corde hominis, tantò magis timor decrescit. Quantò major est charitas in corde hominis, tantò minor est ibi timor. Quare? Quia charitas foras mittit timorem. Timor iste sanctus est: quia in mente hominis generat sanctitatem. Timor iste sanctus est: quia introducit in mentē hominum perperfectam charitatem. Perfecta etenim charitas, perfecta est sanctitas. Timor iste castus est: quia non recipit adulterum amorem, scilicet quia Deum super omnia diligit, & nihil amori ejus præponit. Etiam timor iste dicitur filialis, quia non timet Deum quasi servus crudelem dominum, sed quasi filius Patrem dulcissimum. Hic timor ideo dicitur filialis, quia non timet quasi servus, sed quasi filius.

§. II.

Et glorificaverunt Deum, dicentes: Verè hic homo justus erat. Luc. 23. Matt. 27.

Cognosce anima mea [m] cognosce: hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, Unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce [n] quomodo moritur justus, in Cruce distenditur, membra distrahuntur. Vide quomodo occisus justus injustè pro justitia [o] novam de inimico obtinuit justitiā mortis, scilicet injustè sibi illatæ. Quam quasi sibi necessariam, quia absque peccato erat, ipse homini peccatori communicans reum absolvit per pœnam innocentiæ suæ. Porrò [p] mors in Christi morte fugatur, & Christi nobis justitia imputatur. Verùm inquis: Quomodò mori potuit qui Deus erat? Quoniam nimirùm & homo erat. Sed quo pacto mors Hominis illius pro altero valvit? Quia & justus erat. Profectò namque cùm Homo esset, potuit mori: cùm justus esset, non debuit gratis. Non quidem peccator mortis sufficit solvere debitum pro altero peccatore, cùm quisque moriatur pro se. Qui autem mori pro se non habet, numquid pro alio frustra debet? Quantò sanè indigniùs moritur qui mortem non meruit, tantò is justus pro quo moritur, vivit. Sed quæ, inquis, justitia est [q] ut innocens moriatur pro impio? Non est justitia, sed misericordia. Si justitia esset, jam non gratis, sed ex debito moreretur. Si ex debito: ipse quidem moreretur, sed is pro quo moreretur, non viveret. At verò si justitia non est, non tamen contra justitiam est. Alioquin & justus & misericors simul esse non posset. Sed etsi justus non injustè pro peccatore satisfacere valeat, quo tamen pacto etiam unus pro pluribus? Etenim satis esse videretur ad justitiam, si unus uni moriens vitam restituat? Hinc jam respondeat Apostolus: *Sicut enim* (inquit) *per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius hominis obedientiam justi constituuntur multi*. Sed fortè unus pluribus (inquis) justitiam quidem restituere potuit, vitam non potuit? *Per unum* (respondet Apostolus) *hominem mors, & per unum hominem vita. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*. Quid enim? Unus peccavit, & omnes tenentur rei: & unius innocentia soli reputabitur uni? Unius peccatum omnibus operatum est mortem, & unius justitia uni vitam restituet? Itane Dei justitia magis ad condemnandum quàm ad restaurandum valvit? Aut plùs potuit Adam in malo, quàm Christus in bono? Adæ peccatum imputabitur mihi, & Christi justitia non pertinebit ad me? Illius me inobedientia perdidit, & hujus obedientia non proderit mihi? Sed Adæ, inquis, delictum meritò omnes contrahimus [r] in quo quippè omnes peccavimus: quoniam cùm peccavit in ipso eramus, & ex ejus carne per carnis concupiscentiam geniti sumus? Atqui ex Deo multò germaniùs secundum spiritum nascimur, quàm secundùm carnem ex Adam: secundùm quem etiā spiritum longè ante fuimus in Christo, quàm secundùm carnem in Adam, si tamen & nos inter illos numerari confidimus, de quibus Apostolus: *Qui eligit nos*, inquit, *in ipso* (haud dubium quin Pater in Filio) *ante mundi constitutionem*. Quod autem etiam ex Deo nati sunt, testatur Evangelista Joannes ubi ait: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri sed ex Deo nati sunt*. Item ipse in Epistola ait: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, quia generatio cælestis conservat eum*. At carnis traducem, ais, carnalis testatur concupiscentia: & peccatum quod in carne sentimus, manifestè probat quòd secundùm carnem de carne peccatores descendimus? Sed enim nihilominùs spiritualis illa generatio non quidē in carne sentitur, sed in corde, ab his duntaxat qui cum Paulo dicere possunt: *Nos autem sensum Christi habemus*. In quo & eatenùs profecisse se sentiunt, ut & ipsi cum omni fiducia dicant: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei. Et illud: Nos autē non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis*. Per Spiritum ergo qui ex Deo est, charitas diffusa est in cordibus nostris, sicut & per carnem quæ est ex Adam, manat concupiscentia nostris insita membris. Et quomodo ista quæ à progenitore corporum descendit, nunquam in hac vita mortali à carne recedit: sic ille procedens ex Patre spirituum, ab intentione filiorum duntaxat perfectorum nunquam excidit. Si

l *Ibidem num. 12.* m *Ser. de Pass. Dom. nu. 15.* n *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 14.* o *Lib. 2. de amore Dei cap. 12. num. 37.* p *Tract. de exhort. ad milites templi cap. 11. num. 22.* q *Ibidem num. 23.*

r *Ibidem num. 24.*

Si ergo in Deo nati [s] & in Christo electi sumus, quænam justitia est, ut plùs noceat humana atque terrena, quàm valeat divina cælestisquè generatio: Dei electionem vincat carnalis successio, & æterno ejus proposito carnis præscribat temporaliter traducta concupiscentia? Quinimò si per unum hominē mors, cur non multò magis per unum & illum hominem vita? Etsi in Adam omnes morimur, cur non longè potentiùs in Christo vivificabimur? Denique (Paulus Apostolus ait) *non sicut delictum, ita & donum. Nam judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem*. Christus igitur & peccata dimittere potuit, cùm sit Deus: & mori potuit, cùm sit Homo: & mortis moriendo solvere debitum potuit, quia justus: & omnibus unus ad justitiam vitamquè sufficere potuit, quandoquidem & peccatum & mors ex uno in omnes processerit. Sed hoc quoque necessariè omninò provisum est, quòd dilata morte Deus Homo inter homines dignatus est aliquandiu conversari: quatenùs crebris & veris locutionibus ad invisibilia excitaret, miris operibus astrueret fidem, rectis moribus instrueret. Itaque in oculis hominum Deus Homo sobriè & piè conversatus, vera locutus, mira operatus, indigna passus, in quo jam defuit nobis ad salutem? Accedat & gratia remissionis peccatorum, hoc est ut gratis peccata dimittat: & opus profectò nostræ salutis consummatum est. Non autem metuendum est quòd donandis peccatis aut potestas Deo, aut voluntas passo & tanta passo pro peccatoribus desit: si tamen soliciti inveniamur dignè, ut oportet, & imitari exempla, & venerari miracula, doctrinæ quoque non existamus increduli, & passionibus non ingrati. Dignum est quippè [t] & nobis multùm expedit, compati passo, commori mortuo, & consepeliri sepulto. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Qui enim tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.

§. III.

Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Verè hic homo justus erat. Luc. 23.

Jesum Nazarenum [u] à Judæis innocenter condemnatum, à Gentibus crucifixum, nos Christiani divinis honoremus obsequiis. Cujus tanta [x] ubique fragrantia justitiæ spargitur, ut non solùm justus, sed etiam ipsa dicatur justitia, & justitia justificans. Quis vel sceleratissimus [y] justi non probet opinionem, quamvis non amet opus? Quis tam irreligiosus [z] qui non compungatur? Quis tam insolens ut non humilietur? Quis tam malitiosus, ut non pæniteat his diebus? Meritò quidem. Nempe adest Passio Domini utique terram movens, petras scindens, aperiens monumenta. Salvatoris infirma [a] nos qui Christiani sumus, reverenter venerari, amanter amplecti, fortiter imitari dignum est, salubre & honorificum. Totū siquidem nobis de Christo valuit [b] totum salutiferum, totumquè necessarium fuit. Nec minùs profuit infirmitas quàm Majestas: quia etsi ex Deitatis potentia peccati jugum jubendo submovit, ex carnis tamen infirmitate mortis jura moriendo concussit. Unde pulchrè ait Apostolus: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Sed & illa ejus stultitia per quam ei placuit saluum facere mundum, ut mundi confutaret sapientiam, confunderet sapientes; quòd videlicet cùm in forma Dei esset & Deo æqualis, semetipsum exinanivit formam servi accipiens; quòd dives cùm esset, propter nos egenus factus est, de magno paruus, de celso humilis, infirmus de potente; quòd sitiit, esuriit, quòd fatigatus est in intinere, & cætera quæ passus est voluntate, non necessitate: hæc, inquā, ipsius quædam stultitia nonne fuit nobis via prudentiæ, justitiæ forma, sanctitatis exemplum? Ob hoc idem Apostolus, *Quod stultum est*, inquit, *Dei sapientius est hominibus*. Mors Christi à morte, vita ab errore, à peccato gratia liberavit nos. Et quidem *mors* per justitiam suam peregit victoriam: quia justus exolvendo quæ non rapuit, iure omninò quod amiserat accepit. *Vita* verò quod ad se pertinuit, per sapientiam adimplevit, quæ nobis vitæ & disciplinæ documentum ac speculum extitit. Porrò *gratia* ex illa (ut dictum est) potestate peccata dimisit, quâ omnia quæcunque volvit fecit. Mors itaque Christi, mors est meæ mortis, quia ille mortuus est, ut ego viverem. Quopacto enim jā non vivat homo, pro quo moritur *Vita*? Aut quis jam in via morum seu rerum notitia errare timebit duce *Sapientia*? Aut unde jam reus tenebitur, quem absolvit *Justitia*? Vitam quidem se ipse perhibet in Evangelio: *Ego sum*, inquiens, *Vita*. Porrò duo sequentia testatur Apostolus dicens: *Qui factus est nobis Justitia & Sapientia à Deo Patre*. Putamus nos [c] de singulis posse reperire exempla? Currebant in odore *Sapientiæ* qui missi fuerant à Pharisæis, cùm reversi dicerent: *Nunquam homo sic locutus est*. Utique admirantes doctrinam, & confitentes sapientiam. Currebat in hoc ipso odore sanctus Nicodemus, qui venit ad Jesum nocte, in splendore multo sapientiæ: de multis quippè instructus edoctusquè recessit. Verùm in odore *Justitiæ* cucurrit Maria Magdalena, *cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multùm*. Justa profectò & sancta, & non jam peccatrix quemadmodùm Pharisæus exprobrabat, nesciens justiam seu sanctitatē Dei esse munus, non opus hominis: & quia nonmodò justus, sed & beatus cui non imputabit Dominus peccatum. An oblitus erat quomodò vel suam ipsius vel alterius corporalem tangendo lepram fugârat, non contraxerat? Sic tactus à peccatrice justus justitiam impertit, non perdit: nec sorde peccati quâ illam mundat, se inquinat. Cucurrit & Publicanus, qui cùm propitiationem peccatis suis humiliter imploraret, *descendit justificatus*, teste ipsa Justitia. Cucurrit Petrus, qui lapsus *flevit amarè*, quatenùs culpam dilueret, recuperaret justitiam. Placebitne tibi Domine Jesu [d] ut dones mihi vitam tuam, sicut dedisti conceptionem? quia non solùm conceptio mea immunda, sed vita perversa, mors periculosa,

s *Ibidem num.* 25. t *Ser. 2. in Cœna Domini num.* 6. u *Ser. de Pass. Dom. n.* 1. x *Ser. 22. in Cant. num.* 8. y *Ser.* 70. *in Cant. num.* 6. z *Ser. in fer. 4. heb. San. num.* 1. a *Ser. de Pass. Dom. num.* 1. b *Tract. de ex hort. ad milites templi Cap.* 11. *num.* 26.

c *Ser. 22. in Cant. num.* 10. d *Ser. 2. in die Pent. num.* 5.

riculosa, & post mortem restat mors gravior, mors secunda. Non solùm, ait, conceptionem meam, sed & vitam meam, & hoc per singulos ætatum gradus infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, juventutis, tibi donabo: adjiciens mortem, resurrectionem, ascensionem, & missionem Spiritus Sancti. Hoc autem ideo, ut *conceptio* mea emundet tuam, *vita* mea instruat tuam, *mors* mea destruat tuam, *resurrectio* mea præcedat tuam, *ascensio* mea præparet tuam, porrò *Spiritus* adjuvet infirmitatem tuam. Sic enim planè videbis & viam per quam ambules, & cautelam quâ ambules, & ad quam ambules mansionem. In *vita* mea cognosces vitam tuam, ut sicut ego paupertatis & obedientiæ, humilitatis & patientiæ, charitatis & misericordiæ indeclinabiles semitas tenui: sic & tu eisdem vestigiis incedas, non declinans ad dexteram neque ad sinistram. In *morte* autem mea dabo tibi justitiam meam, dirumpens jugum captivitatis tuæ, & expugnans hostes qui sunt in via vel juxta viam, ut non apponant ampliùs nocere tibi. Sed dicet aliquis: (e) Si autem lex spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit nos à lege peccati & mortis, ut quid adhuc morimur, & non statim immortalitate vestimur? Savè ut Dei veritas impleatur. Quia enim misericordiam & veritatem diligit Deus, necessè est mori quidem hominem, quippè quod prædixerat Deus; sed à morte tamen resurgere, ne obliviscatur misereri Deus. Ita ergo mors etsi non perpetuò dominatur, manet tamen propter veritatem Dei vel ad tempus in nobis: quemadmodùm peccatum etsi jam non regnat in nostro mortali corpore, non tamen deest penitùs nobis. Proinde Paulus ex parte quidem liberatum se à lege peccati & mortis gloriatur, sed rursùm se utraque nihilomninùs lege aliqua gravari ex parte conqueritur, sive cùm adversùs peccatum miserabiliter clamat: *Invenio aliam legem in membris meis, &c.* Sive cùm ingemiscit gravatus (haud dubium quin lege mortis) redemptionem expectans corporis sui. Et quia adhuc interim mors posita est (f) nonmodò secùs iniquitatem, sterilitatem, vanitatem, sed & secùs introitum ipsius etiam voluptatis. Quocirca *primò* opus est *fortitudine* adversùs tentamenta peccati, ut rugienti leoni resistamus fortes in fide, & ignita ipsius jacula hoc ipso clypeo viriliter repellamus. *Secundò* opus est *justitiâ*, ut operemur bonum. *Tertiò* opus est *prudentiâ*, ne cùm fatuis virginibus reprobemur. *Quartò* denique opus est *temperantiâ*, ne voluptatibus indulgentes, audiamus aliquando quod miser dives ille epularum pariter & vestiū splendore finito, dum misericordiam precaretur audivit: *Memento fili, quòd recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Planè terribilis Deus in consiliis super filios hominum: sed si terribilis est, etiam misericors invenitur, dum futuri formam judicii non occultat. *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et palmes qui fructum non fecerit, excidetur. Virgo cui defuerit oleum, à nuptiis excludetur. Et qui bona receperit in hac vita, cruciabitur in futura. Quod si fortè contingat in uno quolibet simul hæc quatuor inveniri, ea planè extrema desperatio est. Quod ipse avertat à servis suis (g) Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT IV.

De compunctione & pœnitentia plebis Judæorum, qui visis in morte Christi prodigiis, percutiebant pectora sua.

Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Luc. 23.

1. *Excitamur compunctione plebis Judæorum, ut compungamur pœnitentiâ triplici: quia innocentiam amisimus, amissam non requisivimus, & neglexímus patientiam Dei. Innuitur quàm sit periculosum differre pœnitentiam in finem vitæ.* 2. *Ostenditur, tria esse necessaria ad agendam pœnitentiam, scilicet tempus, corpus, & locus.* Tempus *dividitur in præteritum, præsens, & futurum. In* corpore *possumus mala pati pro commissis delictis, & bona operari pro adipiscendis æternis præmiis. Per* locum *intelligitur Ecclesia militans, in qua rectè agenda est pœnitentia.* 3. *Docemur, ut agendo pœnitentiam mortificemus carnem nostram. Mortificatione carnis configuramur passioni Christi. Ostenditur, pœnitentiam esse cibum hominis pœnitentis simul & Christi Dei nostri. Exhortamur ad compunctionem pariter & ad opera pœnitentiæ. Tria requiruntur ad pœnitentiam, scilicet abstinentia, lectio, & Oratio.*

§. I.

Percutientes pectora sua revertebantur. Luc. 23.

Meritò quidem. (a) Nempè aderat Passio Domini utique terram movens, petras scindens, aperiens monumenta. Proinde (b) & tu ô homo, totus contremisce, tremore obrigesce, meritò expallesce, pugnis pectus contunde, fletibus totam animam effunde, compatere passo & mortuo Jesu Christo. Quis enim tam irreligiosus (c) qui non compungatur? quis tam insolens ut non humilietur? quis tam iracundus ut non indulgeat? quis tam deliciosus ut non abstineat? quis tam flagitiosus ut non contineat? quis tam malitiosus, ut non pœniteat diebus Passionis Dominicæ? Hi sunt dies (d) quos observare debemus: dies pleni pietate & gratiâ, quibus etiam sceleratorum hominum mentes ad pœnitentiam provocantur. Tanta siquidem est vis sacramentorum eorum quæ diebus Passionis Dominicæ recoluntur, ut possint ipsa quoque lapidea scindere corda, & pectus omne licet ferreum emollire sufficiant. Denique videmus usque hodie ad Passionem Christi nonmodò cælestia compati, sed etiam terram moveri, & petras scindi, & in

con-

e *Tract. de exhort. ad milites templ. cap. 11. num. 27.* f *Tract. de Convers. ad Cleric. cap. 10. num. 21.*

g *Ser. 30. in Cant. num. 5.* a *Ser. in 4. hebd. sanct. num. 1.* b *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 13.* c *Ser. in fer. 4. hebd. sanct. num. 1.* d *Ser. 1. in Cœna Dom. num. 1.*

confessionem peccatorum aperiri monumenta. Decet quippe (e) ut quemadmodùm Caput Christus præcessit, sequantur membra. In patibulo feriâ sextâ redemit hominem ipsa die, quâ fecerat hominem ab initio. Ita & nos quicunque sequimur Caput nostrum, tota die hac quâ plasmati & redempti sumus, non cessemus agere pœnitentiam. O bone Christiane (f) hac die recogita annos tuos pravos in amaritudine animæ tuæ. Statue Christum Crucifixum ab uno latere tuo, & tua peccata ab altero, & inter hæc positus vide quid agas. Contemplare Agnum, centemplare Christum Dominum tuum in cruce extensum, & pro te tam impiè passum. Considera turpitudines carnis tuæ, pravas affectiones animæ tuæ, funde lachrymas ad Crucifixum, qui te salvare paratus est, qui pro te talia passus est. Clamat clavus (g) clamat Vulnus, quòd verè Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi. O homo (h) in Carne tibi exhibetur Sapientia illa quondam occulta, ecce jam trahitur de occultis, & ipsis sese ingerit sensibus carnis tuæ. Carnaliter prædicatur tibi: Fuge voluptatem, quia posita est mors secùs introitum delectationis. Age pœnitentiam nunc, quia per hanc appropinquat regnum Dei. Pœniteas autem anima Christiana (i) compunctionis iaculo vulnerata, pœnitentia triplici: quia innocentiam amisisti, amissam non requisivisti, & neglexisti patientiã Dei. Alioquin non erit iam (k) quo lateas misera anima. Frustra *dices montibus*, *Cadite super nos*: *& collibus*, *Operite nos*: quoniam nudam & opertam oportebit te stare ante Tribunal Christi, ut audias vocem judicii, quæ vocem consilii contempsisti. Ecce enim loquitur Dominus: *Agite pœnitentiam*: & dissimulant multi. Et continent aures suas, & dicunt: *Durus est hic sermo*. Non sic impii, non sic dissimulare poteritis, cùm sonabit asperum illud verbum, & auditio mala: *Ite maledicti in ignem æternum*. Quid excusationis (l) poterunt miseri habere de peccato? Numquid tunc dicere incipient: *Modò, ecce modò, sine paululùm?* Sic enim nunc dissimulant infelices, &, *Modò*, & *Modò* non habet modum: &, *Sine paululùm*, in longum vadit. *Bonus est*, inquiunt, *Deus qui in proximo iuuat, quid accelerare necessè est ut miseria prolongetur?* Misera prorsùs & seducta cogitatio. Noua siquidem hæc querela est, nec prolixiorem vitam filii hominum hactenùs causabantur. Breues dies hominis sunt, donec conscientia stimulante, de pœnitentia & conuersione vel intùs à spiritu vel foris commoueantur ab homine. Extunc sanè nouum concipitur tædium longioris vitæ, differendæ mortis oritur fiducia noua. Sed esto, multa tibi annorum curricula restant, adolescens es usque ad senectutem victurus & senium: quid necesse habes amittere tempora tanta, perdere tanta lucra? Quid dissimulant homines (m) in vita sua agere pœnitentiam, & extrema de confessione præsumunt? Quomodò sub vnius horæ articulo reuocari posse æstimant omnia animæ membra, cujus concupiscentiæ & desideria per totum mundum sparsa sunt, & ubique terrarum velut quodam visco tenentur? Non dico (ait Dominus) quin & talium saluem aliquos, potens sum enim in momento reuocare: sed *non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus*, id est, qui in sanguine perseuerant, donec multiplicatis infirmitatibus deserantur à peccatis antequam deserant ea: non magna talium conuenticula congregabo. Si benè memini, in toto canone Sacræ scripturæ unum Latronem inuenies sic saluatum. Noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temetipsum. Et quidem Spiritus non modò ubi uult, sed quando uult, spirat; nec ei difficile est de subito perfectam dare contritionem, quam uix multo tempore alii consequuntur: sed vnde scis quòd tunc tibi ita subuenire velit, quem tu interim sic repellis? Benignus quidem est Spiritus sapientiæ, sed non liberabit maledictum à labiis suis. Audi quis ille sit: *Maledictus qui peccat in spe*. Multi quidem (n) pœnitentiâ ducti sunt, sed infructuosâ, quoniam pœnitentia eorum reprobata est, sicut & prior culpa. Qui malè viuit (o) & in morte pœnitentiam agit, sicut damnatio illius est incerta, ita & remissio illius est dubia. Qui verò securus cupit esse in morte de indulgentia, in sanitate pœnitentiam agat, & in sanitate peccata sua lugeat.

§. II.

Ad agendam pœnitentiam (p) tria sunt necessaria, tempus, corpus, & locus. *Primò tempus* quòd sit necessarium, dicit Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc salutis*. Porrò tempus in tria dividitur, in præteritum, in præsens, in futurum. Horum nullum perdit quisquis rectè pœnitentiam agit. Nam *præteritum* quidem quod perdiderat restaurat, dum in amaritudine animæ suæ omnes annos suos recogitat. *Præsens* autem tenet jam per exercitium operis: *futurum* verò per constantiam boni propositi. De *præterito* loquitur Apostolus, cùm dicit: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*. Ad *præsentis* verò temporis operationem hortatur nos, cùm dicit: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei*. *Futuri* temporis nos admonet Dominus, cùm dicit: *Qui perseveravit usque in finem, hic saluus erit*. Nihil preciosius est tempore: (q) sed heu nihil hodie vilius æstimatur? Transeunt dies salutis, & nemo recogitat, nemo sibi non reditura momenta periisse causatur. An putas ô homo biennii tantùm aut triennii opus ab Omnipotenti posse recompensari? Siccine abbreviata est manus Domini, ut centum annorum non possit remunerare laborem? Sede, computa quid diebus singulis acquirere valeas, certus equidem apud Deum nullũ omninò opus bonum irremuneratum fore, & sicut nec capillum de corpore, sic nec momentum de tempore periturum. Proinde omne tempus (r) in quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdidisse. Omnis siquidem res aliena est à nobis, tempus autem tantùm nostrum est. Quod si de omni verbo ocioso (s) quodcunque locuti fuerint homines, Deo sunt reddituri rationem in die judicii: quantò districtiùs de verbo mendaci, mordaci, inju

e *Ser. 1. in die Pasco. n. 8.* f *Ser. 4. in ult. Cœna. n. 27.* g *Serm. 61. in Cant. num. 4.* h *Ser. 3. in Nat. Dom. num. 3* i *Ser. 42. diver. num. 4.* K *Ser. 5. diver. n. 2.* l *Tract. de vita & mor. Cler. cap. 16. n. 54. & 55.* m *Ser. 75. diu.*

n *Ser. 2. in Dom. 6. post. Pent. num. 3.* o *Tract. de modo bene viven. cap. 27. num. 79.* p *Ser. 106. diu. n. 1.* q *Tract. de vita & mor. Cleric. cap. 16. n. 55.* r *Tract. de cognit. hum. con[illegible]. cap. 6. n. 19.* s *Ser. 17. diver. num. 2.*

injurioso, de elato vel lascivo, de adulatorio aut detractorio judicabuntur? Quàm vera est sententia[t] in multiloquio non effugiendum peccatum Ut enim prætereaın cætera, si propterea est ociosum verbum, quòd nullam rationabilem causam habeat: quã ratione de eo verbo reddere poterimus, quod est præter rationem? Nemo vestrûm, fratres, parvi æstimet tempus quod in verbis consumitur ociosis. Siquidem tempus acceptabile est, & dies salutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit homo insipiens quid amittat. Libet confabulari (ajunt) donec hora prætereat. O donec prætereat hora! ô donec pertranseat tempus! Donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio Conditoris indulget. Donec pertranseat tempus, quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem. Cogita homo[u] de tempore quod sic perdis, quòd illi qui in inferno sunt, darent totum mundum (si haberent) pro eo. *Secundò*, quòd ad agendam pœnitentiam sit necessarium *corpus* (x) scribit Apostolus: *Omnes nos oportet manifestari ante Tribunal Christi, ut referat quisque propria corporis prout gessit*. Corpus itaque necessarium est ad agendam pœnitentiam. In corpore quippè possumus mala pati, & bona operari: pati scilicet pro commissis delictis, operari pro adipiscendis æternis præmiis. Qui autem corpore caret, dignos pœnitentiæ fructus facere quomodò valet? Et notandum est, quòd pœnitentia quæ per corpus geritur, brevis est & levis. *Brevis*, quia corporis morte terminatur. *Levis*, quia per societatem corporis fertur faciliùs. Gravis siquidem esset, si eam solus animus portaret. Cùm verò & ipsi corpori ejus partitur pondus, quantò magis inde corpus oneratur, tantò ampliùs animus exoneratur. Vas figuli probat fornax: (y) & tribulatio verè pœnitentes discernit. Qui enim veraciter pœnitet, laborem pœnitentiæ non abhorret: sed quidquid sibi pro culpa quam odit injungitur, tacita conscientia patienter amplectitur. Verumtamen(z) respondent homines seculares cùm eis suadetur agere pœnitentiam, & dicunt: *Durus est hic sermo*. Nempè hoc est quod in Evangelio legitur. Loquebatur de pœnitentia ipsa Dominus, sed in figura, tanquam his quibus non erat datum nosse mysterium regni Dei. Cùm audirent dicentem, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem*, dixerunt: *Durus est hic sermo, & abierunt retrorsùm*. Ergone durum est momentaneum hoc & leve tribulationis, quod supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis? Durum est brevissimo & levissimo labore cruciatus illos & tormenta redimere, quæ nullus terminus finiat, nullus animus sufficiat cogitare? Durum vobis videtur cùm dicitur: *Agite pœnitentiam*? Erratis, sed audiri estis aliquando verbum asperum, sermonem durum, auditionem malam: *Ite maledicti in ignem æternum*. *Tertiò*, quòd ad agendam pœnitentiã sit necessarius *locus*(a) loquitur Scriptura dicens: *Si ascenderit in te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne deseras*. Locus itaq; videtur necessarius esse & utilis, Ecclesia scilicet vitæ præsentis: in qua quisquis dum in corpore vivit, pœnitentiam rectè agere negligit, nullum in futuro salutis remedium obtinere poterit. Porrò [b] duo loca sunt animæ rationalis, inferior quem regit, & superior in quo requiescit. *Inferior* quem regit, est corpus: *superior* in quo requiescit, est Deus. De utroque potest rectè intelligi quod scriptum est: *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne dimiseris*, vel inferiorem scilicet regendo, vel superiorem quiescendo. Sed hoc quod priùs dixi, convenit rudibus adhuc & imperfectis, quibus loquitur Apostolus: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem*. Habet quippè anima tria facere in corpore, vivificare, sensificare, regere. Sed sive auferatur vita, sive sensus perturbetur, de neutro condemnatur: sin verò tentatori victa succumbit, hoc illi in peccatum reputatur. Dicitur ei ergo ne *ascendente super eam spiritu locum suum deserat*: hoc est, ne ingruente tentatione membra sua iniquitatis peccato exhibeat. Cæterùm de superiori loco intelligitur hoc, ne quietem mentis quam à Deo habet, tentante diabolo deserat, sed undecunque ille tentaverit, ipsa mens in Deo fixa constanter in tranquillitate pemaneat.

§. III.

Nec sanè dixerim[c] ut vel ipsam odio habeas carnem tuam. Dilige eam tanquam tibi datam in adiutorium, & ad æternæ beatitudinis consortium præparatam. Cæterùm sic amet anima carnem, ut non ipsa in carnem transisse putetur: diligat anima carnem suam, sed multò magis suam ipsius animam servet. Denique ne ipsi quidem expedit sic amari, ut videlicet cui interim caves à flagello paternæ correptionis, thesaurizes iram æternæ damnationis. *Genimina viperarum* (ait Joannes) *quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? Facite dignos fructus pœnitentiæ*. Ac si evidentiùs loqueretur: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus: sustinete virgam corripientem, ne sentiatis malleum conterentem. Omnium temporum [d] quæ sub conversatione veteris hominis transegimus, fructus noster est Passio Christi, cui debemus configurari, mortificationem ejus circumferentes in carne nostra mortali. Unde sicut ab initio conversationis, ita ab initio prædicationis suæ proposuit nobis pœnitentiam: *Agite*, inquit, *pœnitentiam, quoniam appropinquavit regnum cælorum*. Magnam refectionem senserat Propheta David, cùm de fructu pœnitentiæ dicebat: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte*. Et alibi: *Cibabis nos pane lacbrymarum, & potum dabis nobis in lacbrymis in mensura*. Bonus

pater

t *Ibidem num.* 3. u *Ser de variis document. piè viven. n.* 2. *tom.*6.*pag.* 1021. x *Ser.* 106. *diver. num.* 1 & 2. y *Tract. de grad humil. cap.*18.*num.* 47. z *Ser.* 3. *super Psalm.* 90. *num.* 3.

a *Ser.* 106. *div. num.* 1. & 2. b *Ser.* 86. *diver. num.* 1. & 2 c *Ser.* 10.*sup. Psalm.* 99. *n.* 3. d *Ser. de verb. sap. n.* 8. *tom.*6 *p.*771

paterfamilias (e) qui suorum domesticorum curam gerit, maximè in diebus malis, ut alat eos in fame, cibans illos pane lachrymarum, & sic nutriens ad vitam æternam. At pascens ita puto nihilominùs pascitur ipse, & quidem escis quibus libenter vescitur, profectibus nostris. Etenim gaudium Domini est fortitudo nostra. Ita ergo (f) & cùm pascit pascitur, & cùm pascitur pascit, simul nos suo gaudio spirituali reficiens, & de nostro æquè spirituali profectu gaudens. Cibus ejus pænitentia mea, & cibus ejus salus mea, cibus ejus ego ipse. An non cinerem tanquam panem manducat? Ego autem quia peccator sum, cinis sum ut manducer ab eo. Mandor cùm arguor, glutior cùm instituor, decoquor cùm immutor, digeror cùm transformor, unior cùm conformor. Sed (g) quare non dixerim pænitentiam fructum, quæ panis vocatur & vinum? Fructus iste amarus est, sed salubris: quia pænitentia amara est quidem ad tolerandum, saluberrima autem ad convalescendum. Accedit medicus ad vulneratum (h) spiritus ad animam. Quam enim non reperiat gladio diaboli vulneratam etiam post sanatum vulnus antiqui delicti medicamento Baptismatis? Ergo ad illam animam quæ dicit, *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*: cùm accedit spiritus, quid primò opus est? Ut tumor vel ulcus quod fortè supercrevit in vulnere, & potest impedire sanitatem, ante omnia amputetur. Abscindatur itaque ferro acutæ compunctionis ulcus inveteratæ consuetudinis. Sed est acerbus dolor: leniatur proinde unguento devotionis, quod non est aliud nisi concepta de spe indulgentiæ exultatio. Hanc continendi parit facultas, & victoria de peccato. Jam gratias agit, & dicit: *Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*. Deinde apponitur medicamentum pænitentiæ, malagma jejuniorum, vigiliarum, orationum, & si qua sunt alia pænitentium exercitia. In labore pænitentiæ cibandus est cibo boni operis, ne deficiat. Quod opus sit cibus, inde doceris. *Meus est cibus* (inquit Dominus) *ut faciam voluntatem Patris mei*. Itaque comitentur pænitentiæ labores pietatis opera quæ confortent. *Magnam* (ait Tobias) *fiduciam præstat apud Altissimum eleemosyna*. Cibus sitim excitat, potandus est. Accedat cibo boni operis orationis potus, componens in stomacho conscientiæ quod benè gestum est, & commendans Deo. Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum spiritûs quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit oblivionem. Hoc certè vinum lætificat cor hominis: (i) hoc constat & Angelos bibere cum lætitia. Denique gaudent in conversione & pænitentia peccatorum, salutem hominum sitientes. Lachrymæ pænitentium vinum est eorum, quòd in illis odor vitæ, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, sanitas redeuntis innocentiæ, serenatæ suavitas conscientiæ. Porrò (k) dum manibus pectora, genibus pavimenta Ecclesiarum tunduntur, votis & devotis precibus Altaria cumulantur; dum sordent genæ lachrymis, gemitibus atque suspiriis mugiunt diversoria, & canticis spiritualibus sacra tecta resultant: nil supernis Civibus magis spectare libet, nil Regi summo jucundius exhibetur. Et quia (l) duplex malum ligno paratur infructoso, securis & ignis. Proinde paveo (m) quod Judex intentat arbori non facienti fructum bonum. Fateor pro hujusmodi non sum omninò contentus priori gratia, quâ jam malorum sum pænitens, nisi & secundam accepero, ut videlicet dignos faciam pænitentiæ fructus: & deinceps non revertar ad vomitum. Exigunt à me (n) præterita peccata mea futuram vitam meam, ut faciam fructus dignos pænitentiæ, & recogitem omnes annos in amaritudine animæ. Et ad hæc quis idoneus? Peccavi super numerum arenæ maris, & multiplicata sunt peccata mea, & non sum dignus videre altitudinem cæli præ multitudine iniquitatis meæ: quoniam irritavi iram tuam Domine, & malum coram te feci: *circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem*. Quod ergo sine numero est, quommodò numerabo? quommodò satisfaciam, cùm cogar reddere debitum usque ad novissimum quadrantem? Sed & delicta quis intelligit? Ait illa cælestis fistula Ambrosius: *Faciliùs inveni eos qui innocentiam servaverunt, quàm qui congruam egerunt pænitentiam*. Sed & quantumlibet pæniteat, quantumlibet se afflictet & maceret, *propter nomen tuum*, non propter meum meritum, *propitiaberis peccato meo Domine*) ait justus David) *multum est enim*. Cùm ergo quidquid vivis, quidquis sapis, quidquid habes, quidquid potes, huic uni rei dedicaveris, numquid aliquid est vel inter aliqua computandum? Paulò ante vitam tuam pro vita sua Christo reddideras: & nunc iterùm eam totam præcedentium exigit recordatio peccatorum. Quisquis ardenter non desiderat pænitentiam (o) videtur operibus dicere, non indigere se penitentiâ: & ita suam non confitetur culpam, aut non posse prodesse ei pænitentiam. Vera confessio (p) & vera pænitentia tunc est, quando sic pænitet hominem peccasse, ut crimen suum non repetat. Nihil pejus est quàm culpam cognoscere, nec deflere. Et quia miseratio Dei occulta est, (q) ideo sine intermissione flere necesse est. Audi beati Isidori verba: Non oportet pænitentem de peccatis suis habere securitatem. Quare? Quia securitas negligentiam parit, negligentia verò sepè hominem incautum ad priora peccata reducit. Nec tibi blandiaris (r) si graviter peccanti levior pænitentia vel à nesciente vel à dissimulante dictatur, cùm purgatorius ignis perficere debeat, quidquid hîc minus feceris: quia dignos fructus pænitentiæ requirit Altissimus. Hinc considerandum est (s) quàm gravis sit pæna gehennæ, quàm lunga, quàm infructuosa è contrario autē pænitentia præsens sit levis, brevis, & fructuosa. Penitenti (t) necessaria sunt tria hæc: *Abstinentia*, per quam carnis superbia edomatur: *Lectio*, cujus fructu reformandus in vigorem animus saginatur: *Oratio*, cujus munimine ac tutela proteguntur virtutum examina. Præstante Domino

Ss nostro

e *Ser. 71. in Cant. n. 4.* f *Ibidem num. 5.* g *Ser. de verb. Sap. num. 8.* h *Ser. 18. in Cant. num. 6.* i *Ser. 30. in Cant. num. 3.* k *Epist. 78. num. 6.*

l *Ser. 26. in Cant. num. 5.* m *Ser. 3. in Cant. num. 3.* n *Ser. 22. diver. num. 7.* o *Ser. 2 in Vig. Nat. Dom. num. 1.* p *Tract. de inter. domo cap. 28. num. 65. tom. 5. pag. 434.* q *Tract. de modo bene vivendo cap. 27. num. 79.* r *Ser. de S. Andr. num. 5. tom. 6. pag. 785.* s *Ibidem num. 10.* t *Lib. senten. num. 22. tom. 6. pag. 997.*

nostro Jesu Christo (u) cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT V.

De mysterio crurum Christi non confractorum, & de latere ejus lanceâ perforato.

1. Ostenditur, caput Christi pertinere ad Divinitatem, pedes ad humanitatem: quorũ unus vocatur misericordia, alter judicium. Crura ejus comparantur columnis marmoreis. Docemur, alta Dei & profunda esse abscondita diabolo: nec non Caput Christi significare Divinitatem, pedes inscrutabilia judicia ejus. Agitur de cute, carne, & ossibus animæ nostræ. 2. Ostenditur, ideo perforatum esse latus Christi, ut per vulnus visibile videamus invisibile vulnus amoris in corde ejus, quod vulneratum est potiùs amore, quàm mucrone lanceæ. 3. Ostenditur, ideo perforatum esse latus Christi, ut nobis pateat ingressus ad cor ejus in quo habitemus, contemplando voluntatem ejus & charitatem. 4. Ostenditur, ideo perforatum esse latus & cor ejus, ut in utroque habitare, vigilare, & quiescere valeamus, gustando delicias spirituales quæ ibi continentur. 5. Ostenditur, in vulneribus Christi securam esse habitationem & requiem mentis nostræ. Excitamur, ut in eis tota devotione & jugi meditatione demoremur. Meditatio & intuitio vulnerum Christi est Martyrum confortatio & fortitudo. 6. Ostenditur, quanta fuerit vis amoris in Martyribus erga Jesum Crucifixum.

§. I.

Judæi ergo (quoniam parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem latronis fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Joan. 19. & Exod. 12.

SI rectè Apostolo visum est (a) caput Christi referre ad Deitatem, puto & nobis non incongruè videri pedes ad Hominem pertinere: quorũ alterum *misericordiam*, alterum *judicium* nominemus. Nota sunt vobis duo ista vocabula: & de plerisque Scripturæ locis ambo pariter si cogitatis occurrunt. Quia verò *misericordiam* pedem Deus in carne cui se univit assumpsit, docet Epistola ad Hebræos, *tentatum perhibens per omnia Christum pro similitudine absque peccato, ut misericors fieret*. Quid illum alterum pedem qui *judicium* nuncupatus est, nonne ad Hominem æque assumptum & ipsum pertinere ipse Deus Homo apertè significat, ubi datam sibi perhibet à Patre *potestatem judicium facere, quia filius hominis est*. His duobus ergo pedibus aptè sub uno Divinitatis capite concurrentibus natus ex muliere, factus sub lege, invisibilis Emmanuel in terris visus est, & cum hominibus conversatus est. His certè pertransit & nunc, benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, sed spiritualiter, sed invisibiliter. His inquam pedibus devotas perambulat mentes, incessanter lustrans scrutansque corda & renes Fidelium. Vide autem (b) ne fortè hæc illa sint Sponsi Jesu *crura*, quæ sponsa tam magnificè commendat in consequentibus, comparans ea *columnis marmoreis fundatis super bases aureas*. Pulchrè omninò, quoniam quidem incarnatâ Dei Sapientiâ (quæ auro designatur) *misericordia & veritas* obviaverunt sibi: deniq; universæ viæ Domini sunt *misericordia & veritas*. Felix mens cui semel Dominus Jesus utrumque infixerit pedem. A duobus signis cognoscite eam quæ hujusmodi est, quæ secum necesse est referat divinis impressa vestigiis. Ipsa sunt *timor & spes*: ille *judicii*, ista *misericordiæ* repræsentans imaginem. Videte Mariam Magdalenam (c) *judicii* pedem fortiter attendentem, dum nobilis & lasciva mulier convivantium faciem non attendit, sed extenso corpore provolvitur pedibus Majestatis doloris plena, timoris impatiens, compunctionis jaculo vulnerata. Sed & *misericordiæ* pedem labiis impressioribus osculatur, in cujus spe firmiter inhæret vestigiis Redemptoris, donec audiat: *Remittuntur tibi peccata tua*. En secùs corporales pedes jacens (d) ac pœnitens audit peccatrix: *Remittuntur tibi peccata tua.* Et recognoscit eum, de quo ex multis retrò temporibus scriptum legerat: *Egredietur diabolus ante pedes ejus*. Ubi nempè peccatum remittitur, ibi procul dubio diabolus de corde peccatoris expellitur. Hinc universaliter de cunctis pœnitentibus dicit: *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*: quòd scilicet humiliter confitenti remittat Deus peccatum, & diabolus eum quem in hominis corde invaserat, amittat principatum. Denique ambulat super undas carnalibus pedibus, cui necdum carne vestito jam Psalmista præcinerat: *In mari via tua, & semita tua in aquis multis*. Quod est, conculcas corda tumentia superborum, & fluxa desideria carnalium comprimis, justificans impios, & superbos humilians. Quod tamen quia invisibiliter fit, homo carnalis non sentit à quo fit. Unde & subdit: *Et vestigia tua non cognoscentur*. Hinc rursus Pater ad Filium: *Sede*, inquit, *à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: hoc est, donec omnes qui te contemnunt, tuæ voluntati subjiciam, sive invitos & miseros, sive voluntarios & beatos. Porrò (e) Esajas inquit: *Seraphim duabus alis velabant caput ejus, & duabus pedes*: ut nec alta Dei, nec profunda ejus iniquus ille (*diabolus*) valeat contemplari. Erit cùm revelabitur gloria Domini, sed non erit hoc nisi factum fuerit ante quod scriptum est: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei*. Interim sanè velatur Caput Domini, velantur Pedes, & medium quidem aliquid eidem impio diabolo videndum, sed ad invidendum utique relinquatur. Et velantur alis, quæ nimirùm sic illum arceant, ut istos sustineant & sustollant. Non est corporalis Divina substantia (f) nec in formam hominum membris distincta

u Ser. 19. in Cant. num. 9. a Ser. 6. in Cant. num. 4.

b Ibidem. num. 6. c Ser. de M. Magd. n. 6. d Ser. 6. in Cant. n. 3. e Ser. 5. de verb. Esai. num. 7. f Ibidem num. 9.

stincta corporeis. Spiritus est Deus, & quæ de eo dicuntur, spiritualiter vestiganda sunt. Alioquin quis nobis revalabit hoc Caput,& Pedes istos quos geminis alis Seraphim velant,nisi Spiritus ipse qui novit omnia quæ in eo sunt,& scrutatur etiam alta Dei? Ego enim opinor ipsa esse quæ in hoc loco Capitis nomine designantur. Itaque secundùm hunc sensum *Caput* ejus,est Majestas ejus,potestas ejus,sempiterna Virtus atque Divinitas. *Caput* ejus juxta illud propheticum, *Justitia tua sicut montes Dei*. Nempè quod sequitur, *Justitia tua abyssus multa*, non incongruè fortè videbitur *pedum* posse appellatione signari. Sunt enim velut quidam pedes ejus, investigabiles viæ ejus, inscrutabilia judicia ejus, profundum sapientiæ, & irreprehensibilis quædam sed incomprehensibilis dispositio ejus. Ad hos *pedes* ipsum quoque Dominicæ Incarnationis mysterium specialiter cognoscitur pertinere, & omnis pariter operatio nostræ salutis. Beatus David in Psalmo (g) de justis loquitur dicens: *Multa tribulationes justorum, sed ex omnibus his liberabit eos Dominus: custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur*. Quod nemo dictum esse de corporeis ossibus arbitretur, præsertim cùm tot beatorum Martyrum ossa confracta sint manibus hominum impiorum, & contrita dentibus bestiarum. Sed miranda prorsùs & miseranda humanarum conditio animarum, quæ licet tam multa foris ingenii vivacitate percipiant, nulla tamen perspicacitate semetipsas,sicut sunt, nosse aut cogitare sufficiant: sed egeant omninò figuris & ænigmatibus quibusdam corporearum similitudinum, ut ex visibilibus & exterioribus possint vel aliquatenùs invisibilia atque interna coniicere. Ponamus itaque velut quandã animæ *cutem* cogitationem, *carnem* affectionem, ut consequenter *os* ejus intentionem possimus accipere. Sic enim erit in *ossis* integrite animæ vita, in *carnis* incorruptione sanitas, in *cutis* specie pulchritudo. Quæ sunt autẽ tribulationes justorum, nisi quod interdum decolaratur *cutis*, cùm videlicet inutilis cogitatio in corde versatur? Nonnunquam verò etiam *caro* vulneratur, quando scilicet ad hoc usque cogitatio perniciosa procedit, ut delectatione corrumpatur affectio. Nam *ossa* quidem justorum omninò integra atque illæsa custodiuntur à Domino, ut nunquam frangatur propositum cordis eorum, nunquam salubris intentio conteratur, ut videlicet concupiscentiæ titillanti etiam detur assensus. Sicut enim peccati cogitatio decolorat, affectio vulnerat, sic consensus omninò animam necat. Caveamus ergo, dilectissimi, (h) cogitationes inutiles, ut animarum nostrarum facies decora permaneat: ut obliti quæ retrò sunt, id est populum nostrum & domum patris nostri, concupiscat Rex speciem nostram. Quòd si fortè aliquando per incuriam & negligentiam nostram transierit cogitatio inutilis in affectum cordis, scientes quoniam non macula est jam, sed plaga, tota festinatione ad auxilium Spiritus Sancti qui adjuvat infirmitatem nostram, recurramus, clamantes illud de Psalmo & dicentes: *Domimine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi*. Intentionem verò (i) & propositum mentis ea sollicitudine custodiamus,qui vitam animarum nostrarum volumus custodire: quoniam illud omninò est peccatum ad mortem, cùm ex consensu & deliberatione delinquimus,proprio judicio condemnati. Noverit enim excidisse se à justitia, quicunque ejusmodi est. Cujus os confractum est & comminutum, noverit præcisum se à corpore Christi, de quo nimirùm legitur: *Os non comminuetis ex eo*. Unde & in Passione sua licet plagis virgarum in livorem decolorata sit *cutis*, ut livore ejus nos sanaremur; licet clavis vulnerata sit *caro*,& lanceâ latus ejus apertum,utSanguine ejus redimeremur: *Os* tamen non est comminutũ ex eo. Propterea & sanctus David: *Non est*,inquit, *occultatũ os meum à te quod fecisti in occulto*. Et in alio Psalmo, *Ossa* ait, *mea ut cremiũ aruerunt*. Quod tunc fit,cùm omnem delectationem boni prorsùs amisisse videtur anima, solamquè sibi aridæ intentionis fortitudinem reservâsse. Et vide ne fortè tale aliquid etiam beatus Job pateretur cùm diceret: *Pelli mea consumptis carnibus adhæsit os meum*: ut videlicet corrupta affectione, vix solam sibi intentionem spiritualis cogitatio vendicaret.

§. I. I.

Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit. Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur quæ dicit: Videbunt in quem transfixerunt. Joan: 19.& Zach: 12.

Cognosce anima mea (k) cognosce: hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus saluator tuus, Vnigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inuentus est. Et ecce (l) ferrum pertransiit Animam ejus, & appropinquauit Cor illius, ut non jam non sciat compati infirmitatibus tuis. Nihilominùs & propterea quoque vulneratum est Cor ejus (m) ut per vulnus visibile vulnus amoris inuisibile videas. Quomodò hic amor meliùs ostendi potest, nisi quòd non solùm Corpus, verumetiam ipsum Cor lanceâ vulnerari permisit? Patet arcanum Cordis (n) per foramina Corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clariùs quàm in vulneribus tuis eluxisset, quòd tu Domine suavis & mitis sis, & multæ misericordiæ? Maiorem enim miserationem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro addictis morti & damnatis. Foderunt & perfodeunt (o) non solùm manus & pedes tuos, latus quoque & sanctissimi Cordis intima sororis lanceâ perforauerunt, quod jam dudum amoris lanceâ fuerat vulneratum. *Vulnerasti*, (inquit in Canticis amoris Sponsus) *cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum*. Vulneravit Cor tuum Domine Jesu sponsa tua, amica tua, soror tua: quid necessarium fuit illud ab inimicis vltra vulnerari? Quid agitis ô inimici? Si vulneratum est,

g Ser.6.di ver.num.1. h Ibidem num.2.

i Ibidem nu. 3. k Ser. de Pass. Dom. num. 15. l Ser. 61. in Cant. num.4. m Tract.de vite myst.cap 3. num.10. n Ser. 61. in Cant. num.4. o Tract.de vite myst.cap. 3. num.7.

imò quia vulneratum est cor dulcis Jesu, quid secundum vulnus apponitis? An ignoratis, quòd vno vulnere tactum cor emoritur, & fit insensibile? Mortuum Cor Domini Jesu, quia vulneratum possedit vulnus amoris, possedit mors amoris Domini cor Sponsi Jesu: quomodò mors altera introibit? Fortis est ut mors, imò verò etiam fortior quàm mors dilectio. Non enim potest prima mors expelli, id est, dilectio malarum mortium mortificatrix à domo cordis, quam sibi inviolabili iure, suo vulnere acquisiuit. Si duo æquè fortes concurrunt, quorum unus sit in domo, alter verò deforis: quis dubitet eum qui deintùs est, obtinere victoriam? Et vide quanta sit vis amoris domum cordis obtinentis, & per vulnus dvlcissimi occidentis in Domino Jesu. Carnale ergo vulnus (p) vulnus spirituale ostēdit. Et hoc fortassè innuit ipsa auctoritas prælibata, in qua bis positum est, *vulnerasti*. Utriusque enim vulneris ipsa soror & sponsa causa est. Ac si Sponsus apertè diceret: Quia zelo amoris tui vulnerasti me: lanceâ quoque militis vulneratus sum. Quis enim cor suum palo vulnerari permitteret, nisi priùs amoris illius vulnus percepisset? Dicit ergo: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum*. Sed quare soror & sponsa? an non poterat sufficientem Sponsi amantis affectum ostendere solius sororis vel solius sponsæ positio? Vel quare sponsa & non uxor, cùm quotidiè vel Ecclesia, sive quælibet fidelis anima Sponso suo Christo bonorum operum sobolem debeat generare? Paucis dico: Solent sponsæ nondum alligatæ conjugali vinculo amari ardentiùs, quàm postea. Tempore enim procedente amor ipse componitur. Sponsus ergo noster Jesus, ut magnitudinē insinuaret sui amoris qui tempore non decrescit, amicam suam sponsam appellat, eò quòd illius amor semper nouus sit. Sed quia sponsæ etiam carnaliter diliguntur (q) ut in amore Sponsi nostri nil carnale sapias, ipsam sponsam suam sororem appellat, quia sorores jam nequaquam carnaliter adamantur. Dicit ergo: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*. Tanquam dicat: Quia summè te diligo ut sponsam, castè ut sororem, vulneratum est cor meum propter te. Quis illud cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amantem non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Diligit profectò vulneratum illa anima, quæ nimio illius amore vulnerata proclamat: *Vulnerata charitate ego sum*. Numquid non redamat Sponsum amantem, quæ dicit: *Nunciate dilecto, quia amore langueo*? Fraterno se amantem amore complectitur, quæ dicit: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & complectar & deosculer, & jam me nemo despiciat*? Quis autem est foris? Æstimo quod extra corpus. Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Quis hanc peregrinationem patienter ferat, quæ est plena dolore præteritorum, labore præsentium, timore futurorum? In qua etsi Sponsus se aliquando gratiâ consolationis exhibeat, stat tamen longè quasi post parietem, corpore hoc peccati separante inter nos & ipsum: nec facilè præbet se tangendum & osculandum, nisi illi animæ quæ in tantam altitudinem meritorum processit, ut dicat ei: *Surge amica mea, columba mea, formosa mea*: quæ solà licet rarò aliquo modo arbitrans se comprehendisse proclamat: *Inveni quem diligit anima mea, inveni illum, nec dimittam*. Sed ad hunc gradum non facilè quis ascendit. Nos igitur adhuc intùs, id est, in corpore manentes, quantùm possumus, amemus, redamemus, amplectamur vulneratum Jesum nostrum, cujus impii agricolæ foderunt manus & pedes, latus & cor: stemusquè ut cor nostrum durum adhuc & impænitens amoris sui vinculo constringere & jaculo vulnerare dignetur. O quàm bonum (r) & quàm jucundum est, tecum, ô dulcissime Jesu, habitare in unum, tecum colloqui, tibi revelare causam animæ nostræ, tuæquè consolationis responso perfrui! O quàm bonum est, ad te inhabitantem lucem inaccessibilem duce charitate accedere, cui, si tantùm dux nostra fuerit, nihil manere poterit inaccessum! Novit Cor tuum, ô dulcis Iesu, charitatis lanceâ vulneratū viam facere charitati, cui perpetuò non claudetur. Accedite ergo ad eum per eum, gressibus charitatis, & illuminamini. Gustate quoniam suavis est Dominus. Foderunt manus ejus & pedes [s] latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet vobis sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo: idest, gustare & videre quoniam suavis est Dominus.

§. III.

Vnus militum lanceâ latus ejus aperuit. Joan. 19.

Ad hoc perforatum est latus Jesu Christi (t) ut nobis patefcat introitus. Nec verendum est (u) quòd patiamur repulsam, qui & vocamur ut intremus: *Ingredere* (inquit Isajas) *in petram, abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria majestatis ejus*. Fossam humum intelligimus illam quæ ait: *Foderunt manus meas & pedes meos*. Et quidem Dominus meus Jesus (x) post cætera inæstimabilis suæ erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi: quòd videlicet non nisi in dextera mihi locum parare refugii vellet. Utinam ego talis merear esse columba, quæ in foramine petræ habitet, & in foramine lateris dextri. In hujus quippè ostio paradisi [y] Divini susurrii vox auditur, & sacratissimum secretissimumquè consilium, quod absconditum est à sapientibus & prudentibus, parvulis revelatur. Cujus sanè vocis auditum non sola jam ratio capit, sed gratanter eum communicat & voluntati. Paradisus noster (z) Christus Dominus est. Ideo ipsum desidero videre (a) & tangere sicut Thomas ille vir desideriorum: & non solùm videre & tangere, sed accedere ad sacrosanctum lateris ejùs Vulnus, ostium Arcæ, quod factum est in latere: ut non tantùm mittam digitum vel totam manum, sed totus intrem usque ad ipsum cor Jesu, in Sancta Sanctorum, in Arcam testamenti, ad unam auream, naturam nostræ humanitatis, continentem intra se manna Divinitatis. Ibo mihi (b) ad illa sic referta cellaria, atque ad admonitionem Prophetæ Jeremiæ relinquam civitates, & habitabo

p *Ibidem num. 10.* q *Ibidem num. 11.*

r *Ibid. cap. 27. n. 103. & 104.* s *Ser. 61. in Cant n. 4.* t *Tract. de vite myst. cap. 3. n. 10.* u *Ser. 62. in Cant. n. 6. & 7.* x *Ser. 7. super Psal. 90. n. 15.* y *Tract. de Conver. ad Cleric. cap. 14. n. 26.* z *Ser. 1 in N O n. 6.* a *lib. 1. de amore Dei cap. 1. n. 1.* b *Ser. 61. in Cant. n.*

bo in petra: ero quasi columba nidificans in summo ore foraminis, ut cum Moyse positus in foramine petræ, transeunte Domino, merear saltem *posteriora ejus prospicere*. Nam faciem stantis, idest, incommutabilis claritatem quis videat, nisi qui introduci jam meruit non in sancta, sed in Sancta Sanctorum? Dominus Deus [c] ad Moysem ait: *Non videbit me homo super terram & vivet*. Ac si diceret: Tantæ sum in natura divina claritatis, ut homo constitutus in mortali carne videre me nequaquam poterit absque sui consumptione. Inde est quòd cùm Moyses in multa constantia Domino supplicaret, dicens: *Domine ostende teipsum mihi*, ait: *Sta in foramine petrâ, & cùm pertransiero, videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris*. Hoc ait, per faciem designans divinitatem, per posteriora Humanitatem: quam tamen Moyses corporali intuitu non vidit, sed posteris videndam reliquit. Nec vilis tamen (d) aut contemnenda posteriorum contemplatio: Habent etiam aliquid & posteriora Domini quod videre delectet. *Foderunt manus ejus & pedes* (e) *latusquè lanceâ foraverint*: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est, gustare & videre quoniam suavis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? At clavis reserans, clavus penetrans factus est mihi, ut videam voluntatem Domini. Quidni ibi (f) videatur cor Dei? Quidni ibi probetur quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta? Bona in se, placens in effectibus, beneplacens fruentibus, perfecta perfectis, & nihil ultra quærentibus. Patent viscera misericordiæ, patent cogitationes pacis, divitiæ salutis, mysteria bonæ voluntatis, benignitatis arcana, quæ clausa mortalibus, etiam electis suspecta sunt. Id quidem salubriter, ne desinant timere, dum necdum dignè amore idonei inveniuntur. Cæterùm (g) quia semel venimus ad cor dulcissimum Jesu, & bonum est nos hîc esse; ne sinamus nos facilè avelli ab eo, de quo scriptum est: *Recedentes à te in terra scribentur*. Quid autem accedentes? Tu ipse doce nos. Tu dixisti accedentibus ad te: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis*. Concordemus hæc, quia si sic hi qui in cælis scripti sunt, quid ergo illi qui in terra scribentur? Lugebunt utique. Sed quis nolit gaudere? Accedamus ergo ad te, & exultabimus & læta bimur in te memores cordis tui. Ad hoc templum [h] ad hæc Sancta Sanctorum, ad hanc Arcam testamenti adorabo & laudabo nomen Domini dicens cum David: *Inveni cor meum*, inquit, *ut orem Deum meum*. Et ego dicam: Inveni cor Regis, fratris & amici benigni Jesu. Et numquid non adorabo? Orabo utique. Cor enim illius mecum est. Audacter dicam: Si caput meum Christus est, quomodò quod Capitis mei est, non meum est? Sicut enim corporalis capitis mei oculi, mei oculi verè sunt: ita & spirituale Cor, cor meum est. Benè ergo mihi. Ego verò cum Jesu cor meum habeo. Et quid mirum? Cùm multitudinis credentium fuerit cor unum. Hoc igitur corde tuo, & te in eo dulcissime Jesu invento, orabo te Deum meum. Admitte tantum in Sacrarium exauditionis tuæ preces meas: imò me totum trahe in Cor tuum. Licet enim tortuositas peccatorum meorum impediat me, tamen quia Cor illud incomprehensibili charitate dilatatum est & ampliatum; & tu qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, ut depositâ gibbi sarcinâ per foramen acus possim transire. O omnium pulchritudinum speciosissime Jesu, ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: ut purificatus per te, ad te purissimum possim accedere, & in Corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare, & ut videre simul semper & facere tuam valeam voluntatē. Audi quæso vocem meam, (i) & tuæ vivificæ morti tuum servum Domine Jesu configura, faciens quidem in me ut moriar secundùm carnem, vivam autem secundùm spiritum justitiæ. Ut autem integram Crucifixi imaginem me portare glorier; illud quoque quod post mortem tuam insatiabilis malitia impiorum in te exercuit, hanc in me similitudinem exprime. Vulneret cor meum vivus & efficax sermo tuus, penetrabilior omni lancea acutissima, pertingens usque ad divisionem animæ meæ, & producens ex ea tanquam de dextero latere meo vice sanguinis & aquæ amorem tuum Domine, & fratrum tuorum.

§. IV.

Videbunt in quem transfixerunt. Zach. 12.

Ad hoc vulneratum est Jesu Christi (k) ut in illo ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Utinam ego talis merear esse columba [l] quæ in foramine lateris dextri habitet. Considera, ô homo christiane, hoc vulnus Jesum penitùs non sensisse. Neque enim illud excipere voluit, nisi jam soporatus in morte: ut moneret te quamdiu vivis, non solùm in hujus semper lateris vigilare custodia, sed & mortuam censeri eam animam oportere, quæ quidem perniciosa insensibilitate dissimulet in dextera tibi vulnus infligi. O quàm bonum (m) & quàm jucundum habitare in corde Iesu! Bonus thesaurus, bona margarita cor tuum bone Iesu, quam fosso agro tui Corporis inveniemus. Quis hanc margaritam abiiciat? Quin potiùs dabo omnia, omnes cogitationes & affectus mentis commutabo, & comparabo illam mihi, jactans omnem cogitatum meum in cor Domini Jesu, & sine fallacia illud me enutriet. Quoniam (n) in ipso sunt omnia. Ibi remedium vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum, ibi profectuum copiæ sunt repositæ. Ibi deniq; quidquid accipere vel habere hominibus expedit, quidquid decet, quidquid oportet, reperitur. Proinde accedendum est (o) ad cor humillimum Altissimi Jesu per januam lateris lanceati: ibi proculdubio thesaurus ineffabilis desiderabil is charitatis latet: ibi nova devotio invenitur: inde lachrymarum gratia extrahitur: ibi discitur mansuetudo, patientia in adversis, compassio in afflictis.

Præ-

c *Tract. de 3. aecip. myst. cap. 7. n. 20.* d *Ser. 61. in Cant. n. 6.* e *Ibidem n. 4.* f *lib. 5. de consid. cap. 4. n. 9.* g *Tract. de vite myst. cap. 3. n. 8.* h *Ibidem num. 9.*

i *Ser. de Pass. Dom. n. 20. 21. & 22.* K *Tract. de vite myst. cap. 3 n. 10* l *Ser. 7. sup. Psalm. 90. n. 15.* m *Tract. de vite myst. cap. 3 n. 8* *Ser. 86. in Cant. n. 3.* o *Tract. de vite myst. cap. 44. n. 169.*

Præcipuè autem cor contritum & humiliatum ibi invenitur. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ (p) & volabo & requiescam. Ibi requiem invenit mansuetus & simplex. Ex hoc sanè suspiciat per foramen (q) prospiciat per cancellos, prædulcem radium prosequatur obtutu; & Magorum sedulus imitator, lumen lumine quærat. Inveniet enim locum tabernaculi admirabilis, ubi panem Angelorum manducet homo: inveniet paradisum voluptatis plantatum à Domino: inveniet hortum floridum & amœnissimum: inveniet refrigerii sedem, & dicet: O si audiat vocem meam misera illa voluntas, ut ingrediens videat bona, & visitet locum istum: hîc nimirùm inveniet requiem ampliorem, & me quoque eò minùs inquietabit, quò minùs inquietabitur ipsa. Nec verò locum reputes corporalem paradisum hunc voluptatis internæ. Non pedibus in hunc hortum, sed affectibus introitur. Nec terrenarum tibi commendatur arborum copia, sed virtutum utique spiritualium jucunda decoraquè plantatio. Hortus cõclususest, ubi fons signatus in quatuor capita derivatur, & ex una Sapientiæ vena virtus quadripartita procedit. Splendidissima quoque inibi lilia vernant: & cùm flores apparent, etiam vox turturis auditur. Illic nardus Sponsæ fragrantissimum præstat odorem, & cætera quoque aromata fluunt, Austro spirante, Aquilone fugato. Ibi media est arbor vitæ, malus illa de Cantico cunctis preciosior lignis sylvarum, cujus & umbra Sponsam refrigerat, & fructus dulcis gutturi ejus. Ibi continentiæ nitor & sinceræ veritatis intuitus oculos cordis irradiat. Auditui quoque dat gaudium & lætitiam dulcissima vox Consolatoris interni. Ibi quibusdam spei naribus influit jucundissimus odor agri pleni, cui Dominus benedixit. Ibi avidissimè prælibantur incomparabiles deliciæ charitatis: & succisis spinis ac vepribus quibus antea pungebatur, unctione misericordiæ perfusus animus in conscientia bona fœliciter requiescit. Quæ quidem non inter vitæ æternæ præmia, sed inter temporalis militiæ stipendia deputantur: nec ad futuram pertinent, sed ad eam magis quæ nunc est Ecclesiæ promissionem. Hoc enim Centuplum est, quod, in hoc sæculo sæculi contemptoribus exhibetur. Nec tibi illud nostro speraveris eloquio commendandum, solus Spiritus est qui revelat. Sine causa paginam consulis, experientiam magis require. Sapientis est cujus precium nescit homo, de occultis trahitur, nec in terra suaviter viventium invenitur ista savitas: nimirùm suavitas Domini est, nisi gustaveris, non videbis. *Gustate* (inquit Propheta) *& videte quoniam suavis est Dominus*. Nec desunt foramina (r) per quæ effluat ista suavitas. Foderunt manus ejus & pedes, latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est, gustare & videre quoniam suavis est Dominus. O quàm felix eris homo christiane (s) si postquam intra vulnera Iesu Crucifixi fueris intromissus, ab hujus mundi strepitu & tentationum incursibus per dimidiam saltem horam omninò valeas liberari, & soli ei ad quem introisti vacans, gustare & intelligere possis quàm dulcis est Dominus. Profectò hoc solum (t) beata illa anima dicere delectetur: *Introduxit me Rex in cubiculum suum*. Digna certè quæ de schola humilitatis, duce Spiritu Sancto in cellaria charitatis (quæ nimirùm proximorum pectora intelligenda sunt) per affectionem introduceretur, unde suffulta floribus ac stipata malis, bonis scilicet moribus & virtutibus sanctis, ad Regis demùm cubiculum, cujus amore languet, admitteretur. Ibi modicùm, horâ videlicet quasi dimidiâ, silentio facto in cælo, inter desideratos amplexus suaviter quiescens, ipsa quidem dormit, sed cor ejus vigilat, quo utique interim veritatis arcana rimatur: quorum postmodùm memoriâ statim ad se reditura pascatur. Ibi videt invisibilia, audit ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Excedunt quippè omnem illam quam nox nocti indicat scientiam. O veræ quietis locus (u) & quem non immeritò cubiculi appellatione censuerim, in quo Deus non quasi turbatus irâ, nec velut distentus curâ prospicitur, sed probatur voluntas ejus in eo bona & beneplacens & perfecta. Visio ista non terret, sed mulcet: inquietam curiositatem non excitat, sed sedat: nec fatigat sensus, sed tranquillat. Hîc verè quiescitur. Tranquillus Deus tranquillat omnia: & quietum aspicere, quiescere est. In hoc arcanum, & in hoc Sanctuariũ Dei si quem fortè vestrûm aliquâ horâ sic abscondi contigerit, ut minimè evocet aut perturbet, vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certè quæ difficiliùs amoventur irruentia imaginum corporearum phantasmata: poterit quidem hic cùm ad nos redierit, gloriari & dicere: *Introduxit me Rex in cubiculum suum*.

§. IV.

Columba mea in foraminibus petræ. Cant. 2.

Dominus meus Jesus (x) post cætera inæstimabilis suæ erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi: quòd videlicet non nisi in dextera locum parare refugii vellet. Utinam ego talis merear esse columba, quæ in foramine petræ habitet, idest, in foramine lateris dextri. Ipse enim ait: (y) *Columba mea in foraminibus petræ*. Columbam blandiendo vocat, suam dicit, & sibi asserit propriam. Agit ut Sponsus: sed ut verecundus, publicum erubescit, decernitquè frui deliciis suis in loco sequestri, utique in foraminibus petræ. Foramina petræ vulnera Christi interpretantur. Rectè omnino, nam petra Christuseft. Bona foramina, quæ fidem astruunt Resurrectionis, & Christi Divinitatem. *Dominus meus* (inquit Thomas) *& Deus meus*. Unde hoc reportatum est oraculum, nisi ex foraminibus petræ? In his passer invenit sibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos suos. In his se columba tutatur, & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem. Et ideo Sponsus ait: *Columba mea in foraminibus petræ*. Vox columbæ: *In petra exaltavit me*. Et item: *Statuit*, inquit, *supra petram pedes meos*. Petra est refugium herinaciis. E revera

p *Ser.62.in Cant.n.4.* q *Tract. de convers.ad Cleric.cap.12.& 13.* r *Ser.61.in Cant.num.4.* s *Tract.de vite myst.cap.44.n.165.*

t *Tract.de grad. humil. cap.7.n.21.* u *Ser.23.in Cant. num. 18.* x *Ser.7.super Psal.90.n.3.* y *Ser.61.in Cant.2.& 3.*

ra ubi tuta firmaquè infirmis securitas & requies, nisi in Vulneribus Salvatoris? Tantò illic securior habito, quantò ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum supra firmā petram. Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam Vulnerum Domini Jesu recordabor. Oratio & meditatio (z) ut turtur & columba querimonias dulces submurmurant in foramine petræ, condolentes de Domini Passione. O anima Christiana (a) *esto columba in foraminibus petræ*; pervola manus, pervola pedes, invola lateri: nihil horū inscrutatum relinquas, sed singula membra compassionis amaritudine perfundas. Suge non tam vulnera (b) quàm ubera Jesu crucifixi. Ipse erit tibi in matrem, & tu eris ei in filium: nec pariter Jesum Crucifixū lædere aliquatenùs poterunt clavi, quin per manus & pedes ad tuos usque pervenient. Si enim fidem & fiduciam tuam jactes in livores & vulnera Jesu Crucifixi (c) & in tuæ salutis usū convertas momoriam Dominicæ Passionis, erit Sanguis ipsius pretium tuæ redemptionis: mors ejus tibi convertetur ad vitam, suus dolor in gaudium tuum, suæ angustiæ in tuas delicias, in tuum honorem sua opprobria: & ut multiplicato fervore gratiæ tuæ obtineas salutem, quam operatus est in medio terræ, tibi cedet in jucunditates æternas ipsius supplicium temporale. Idcirco (d) Ecclesia audit: *Columba mea in foraminibus petræ*: eòquòd in Christi vulneribus tota devotione versetur, & jugi meditatione demoretur in illis. Inde Martyris tolerantia, inde illi magna fiducia apud Deum Altissimum. Non est quòd vereatur Martyr exanguem lividamquè faciem lavare ad Jesum crucifixum, cujus livore sanatus est, & gloriosam repræsentare similitudinē mortis ejus. Quid vereatur Martyr, cui etiā à Domino dicitur: *Ostende mihi faciem tuam*? Ad quid? Ut mihi videtur, se magis ostendere vult. Ita est, videri vult, non videre. Quid enim ille non videt? Non est ei opus ut quis se ostendat, à quo nil non videtur, nec si se abscondat. Uult ergo videri, vult benignus Dux devoti militis vultum & oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem. Enimverò non sentiet sua (e) dū Jesu crucifixi vulnera intuebitur. Stat Martyr tripudians & triumphans toto licet lacerto corpore, & rimante latera ferro, nonmodò fortiter, sed & alacriter sacrū è carne sua circumspicit ebullire cruorē. Ubi ergo tunc anima Martyris? Nempè in tuto, nempè in petra, nempè in visceribus Jesu crucifixi, vulneribus nimirùm patentibus ad introeundum. Si in suis Martyr esset visceribus scrutans ea, ferrum profectò sentiret, dolorem non ferret; succumberet, & negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petræ durverit? Sed neque hoc mirum, si exul à corpore, dolorem non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor. Submittitur enim sensus, non amittitur. Nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur. Ergo ex petra Martyris fortitudo, inde planè potens ad bibendum calicem Domini. Et calix hic inebrians quàm præclarus est! Præclarus, inquàm, atque jucundus non minùs Christo Imperatori spectanti, quàm militi triumphanti. *Gaudium etenim Domini fortitudo nostra.* Quidni gaudeat ad vocem fortissimæ confessionis? Denique & requirit eam cum desiderio: *Sonet*, inquiens, *vox tua in auribus meis*. Nec cunctabitur rependere vicem secundùm suam promissionē continuò, ut qui se confessus fuerit corā hominibus, confiteatur & ipse eum coram Patre suo. Magna vis prorsùs amori (f) Martyrum animas introrsùm rapuerat, qui ita sua corpora foris exponere, & tormenta contemnere valverunt. Terrentur licet Martyres, & rident: (g) feriuntur, & gaudent: occiduntur, & ecce triumphant. Quare? Quia morte charitatis intùs in corde jam dundum mortui peccatis, mortui mundo, tanquam insensibiles facti, nec tormenta, nec mortem sentire potuerunt. Denique (h) in quibus sana erat voluntas, occidi poterant, flecti nequibant. Hoc est, quod dictum est de Joanne: *Fecerunt ei quæcunque voluerunt*. Numquid quod volvit ille? Ita & in reliquos Martyres fecerunt: non quod Martyres volverunt, sed quod ipsi. Fecerunt, inquam, in eos quæ volverunt, sed in membra, non in corda. Membra cruciaverunt, sed voluntatem non mutaverunt. Sævierunt in carnem, animæ autem non habuerunt quid fecerent. Sit licet patientis corpus in potestate torquentis, sed voluntas est libera. Infirma si fuerit, sæviendo cognoscent: non esse cogent, si non fuerit. Sanè infirmitas ejus à seipsa est: sanitas verò non à se, sed à Domini Spiritu. Sanatur autem cum renovatur. Quod & nobis conferre dignetur ipse (i) qui constitutus est Rex vivorum & mortuorum. Amen.

CAPUT VI.

De mysterio Sanguinis & Aquæ Christi, quæ ex ejus latere perforato emanàrunt.

Unus militum lanceâ latus ejus apervit, & continuò exivit Sanguis & aqua. *Joan.* 19.

1. *Ostenditur, Sanguinem & aquam lateris Christi designare Sacramentum Baptismatis. Moyses qui in aqua venit, fuit typus Christi Redemptoris nostri, qui venit in aqua & Sanguine. Proponitur triplex esse testimonium, Spiritûs Aquæ, & Sanguinis. Spiritus designat charitatem: Aqua baptismum quotidianum, consistentem in compunctione cordis: Sanguis martyrium quotidianum, consistens in quotidiana corporis afflictione. Agitur de sex hydriis mysticis, quæ apponuntur in purificationem nostram.* 2. *Ostenditur, Spiritum & Aquam & Sanguinem operari in nobis tria. Sanguis operatur continentiam à peccatis: Aqua ablutionem à culpis: Spiritus adiuvat infirmitatem nostram. Apponitur nobis triplex aqua Christi, ut eâ utamur in salutem nostram.* 3. *Ostenditur, sex hydrias significare sex observantias institutas ad purifica-*

z *Ser. in fer. 2. Paschæ num. 19.* a *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 15.* b *Epist. 351. num. 1.* c *Lib. 3. de amore Dei cap. 26. num. 89.* d *Ser. 61. in Cant. num. 7.* e *Ibidem num. 7.*

f *Tract. de diligen. Deo cap. 10. num. 29.* g *Tract. de vite myst. cap. 3. num. 8.* h *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 12. num. 40.* i *Ser. 24. di ver. num. 4.*

ficandum corda nostra. Quarum vocabula sunt hæc: silentium, psalmodia, vigilia, jejunium, opus manuum, & carnis munditia.

§. I.

COgnosce anima mea (a) cognosce: hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, Unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce (b) lanistæ impiissimi adhuc latus ejus lanceâ perforarunt, & laceratione Sanguinem quo redimimur, cum inundatione aquæ manare coëgerunt. Parum erat illis sacrilegis, crucifigere Jesum (c) nisi priùs & ipsis illusionibus replevissent Animam ejus. Quid enim ait de illis Scriptura? *Et congregaverunt ad eum universam cohortem. Et exuentes eum vestimentis suis, induerunt tunicam purpuream, & chlamydem coccineam circumdederunt ei. Et plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genu flexo illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum. Et dabant ei alapas, & expuentes in eum, accipiebant arundinem & percutiebant caput ejus. Et postquam illuserunt ei, induerunt eum vestimentis suis ut crucifigerent bajulantem sibi cruce. Et perduxerunt eum in Golgotha, & vinum myrrhatũ dabant ei bibere cum felle mixtum: & cùm gustasset, noluit bibere. Tunc crucifixerunt eum, & cum eo duos latrones hinc & hinc, medium autem Jesum. Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Postea sciens Jesus quia consummata erant omnia, ut Scriptura impleretur, dixit: Sitio. Et currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cùm ergo accepisset acetum, dixit: Consummatum est. Et clamans voce magna, dixit: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite emisit spiritum. Tunc unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua* in redemptionem nostræ salutis. Expergisce nunc anima mea, excutere de pulvere, & contemplare Virum hunc memorabilem, quem in speculo Evangelici sermonis quasi præsentem intueris. Ad cumulum pietatis (d) tradidit in mortem Animam suam, & de proprio latere protulit precium satisfactionis, quo placeret Patrem. Inspice lateris aperturam (e) quia nec illa caret rosâ, quamvis ipsa subrubea sit propter mixturam aquæ, quia, sicut narrat Joannes Evangelista, *cùm unus militum lanceâ latus ejus perforasset, exivit sanguis, & aqua.* Ipse est enim Jesus Christus qui venit per aquam, & non per aquam solùm, sed per aquam & Sanguinem. Exivit Sanguis & aqua, per quæ Baptismatis accepimus Sacramentum. Inde est (f) quod hic quoque Evangelista cùm dixisset: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quia Jesus est Dei Filius?* Ut autem planiùs faceret eam commendari fidem, per quam Christus in cordibus nostris habitat, addit continuò de ipsius adventu dicens: *Hic est qui venit per aquam & sanguinem Jesus Christus.* Adhuc autem supereminentiorem viam ostendens: *Et spiritus est*, inquit, *qui testificatur quoniam Jesus est Filius Dei.* Sanè quod interponit, signanter repetens: *Non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine*, ad Moysi differentiam arbitror accipiendum. Moyses quidem in aqua venit, à qua & nomen accepit ut Moyses vocaretur. Recolant [g] quibus nota est historia veteris testamenti, quemadmodùm in Ægypto dum parvuli omnes Israëlitici germinis necarentur, expositum in aquis Moysen tulerit filia Pharaonis. Et vide si non manifestè Christi & in hoc ipso videtur præcessisse figura. Simili nempè cum Pharaone etiam Herodes suspicione laborans, ad eadem conversus est crudelitatis argumenta, sed eodem modo est ipse delusus. Utrobique pro unius suspecta persona trucidatur numerositas puerorum: utrobique qui quærebatur, evadit. Et quomodo Moysen filia Pharaonis, ita Christum quoque Ægyptus (quæ non immeritò Pharaonis intelligitur filia) suscepit conservandum. Manifestè tamen plusquam Moyses hic, utpote qui venerit non in aqua tantum, sed in aqua & Sanguine. *Aqua* enim *multa, populi multi.* Venit ergo Moyses in aqua tantùm, qui congregavit quidem populum, sed populum non redemit. Nam & ipsa quoque de servitute Ægyptiaca liberatio, non Moysi, sed Agni Sanguine facta est, liberandos nos præfigurans à vana nostra conversatione hujus seculi, Sanguine Agni immaculati Christi Jesu. Hic est verus Legifer noster, apud quem copiosa est redemptio: mortuus est enim non tantùm pro gente, sed ut filios Dei qui dispersi erant, congregaret in unum. Memento sanè hunc esse Ioannem Evangelistam, qui vidit & testimonium perhibuit (& scimus quia verum est testimonium ejus) exiisse de latere Domini dormientis in cruce Sanguinem Jesu Christi simul & aquam: quo videlicet dormienti novo Adæ nova de latere suo proferretur pariter & redimeretur Ecclesia. Sic ergo ad nos per aquam & Sanguinem venit (h) ut sit *Aqua & Sanguis* testimonium adventûs ejus, fideique victricis. Non solùm autem, sed testimonium est majus his quod perhibet *Spiritus veritatis*. Horum trium testimonium verum certumquè est, & felix anima quæ meretur illud accipere. *Tres enim sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, Aqua, & Sanguis.* In aqua quidem *Baptismum* intellige, in Sanguine *martyrium*, in Spiritu charitatem. Spiritus enim est qui vivificat, & fidei vita est dilectio. Denique si quæris quid Spiritui & charitati? Respondeat Paulus: *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Necessariò quoque Spiritus additur Aquæ & Sanguini, cùm (eodem Apostolo teste) sine charitate quidquid habeas, nihil prosit. Jam verò (i) quia Baptismum *aquâ*, martyrium diximus *Sanguine* designari: ideo memento & unicum & quotidianum esse Baptismum, similiter & Martyrium. Est enim & martyrii genus quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Est Baptismus aliquis in compunctione cordis, & lachrymarum assiduitate. Sic quippè infirmis & pusillis corde necessè est, ut quem semel pro Christo ponere non sufficiunt, saltem mitiori

a *Ser. de Pass. Dom. n. 15.* b *Tract. de 3. præcip. myst. c. 6. n. 15.* c *Ser. de Pass. Dom. n. 12. & 13.* d *Ser. 22. in Cant. n. 7.* e *Tract. de vite myst. cap. 41. n. 149.* f *Ser. 1. in octava Pasch. n. 4.*

g *Ibidem num. 5.* h *Ibidem num. 6.* i *Ibidem num. 7.*

tipri quodam sed diuturniori martyrio sanguinem fundant. *Sic* & Baptismi Sacramentum quoniam iterari non licet, his qui sæpiùs in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri. Unde & Propheta: *Lavabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*. Sex hydriæ sunt positæ his (k) qui post Baptismum in peccata labuntur: de his enim loquimur, quia de his sumus. Exuimus quidem tunicam veterem; sed heu peiùs reinduimus eam. Lavimus pedes nostros: sed peiùs inquinavimus eos. Sicut ergo quod alius inquinaverat, lavit alius: sic inquinatos à nobis, lavari opus est à nobis. Aliena lavit aqua, quos culpa inquinaverat aliena. Nec tamen sic alienam dixerim, ut negem nostram, alioquin nec inquinaret. Sed *aliena* est, quia in Adam omnes nescientes peccavimus: *nostra*, quia etsi in alio, nos tamen peccavimus, & nobis justo Dei judicio imputatur, licet occulto. Verumtamen, ut jam non sit quod causeris, ô homo, contra inobedientiam Adæ datur tibi obedientia Christi, ut si gratis quidem venundatus es, gratis & redimaris. Si nesciens in Adam periisti, nesciens vivificeris in Christo. A primo homine in te manavit macula, quâ inquinatis es: à Christi latere manavit aqua, quâ mundatus es. Nunc jam inquinatus propriâ culpâ, propriâ nihilominùs aquâ mundaberis, ab illo tamen & per illum, qui solus est purgationem faciens peccatorum. Christus utique lavat nos in confessione (l) lavat nos lachrymarum imbre, lavat sudore penitentiæ: magis autem lavat nos aquâ illâ pretiosâ, quæ de fonte pietatis, id est ab ejus latere emanavit. *Prima* ergo hydria (m) & prima purgatio *in compunctione* est, de qua legimus: *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. *Secunda* hydria & purgatio est *confessio*. Omnia siquidem in confessione lavantur. *Tertia* hydria & purgatio est *eleemosynarum* largitio. Hinc enim habes in Evangolio: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. *Quarta* hydria & purgatio est *remissio* injuriarum, secundùm quod orantes dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. *Quinta* hydria & purgatio est *afflictio corporis*: unde & oramus, ut mundi per abstinentiam Deo canamus gloriam. *Sexta* hydria & purgatio est *obedientia* præceptorum, sicut audierunt Discipuli: *Vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis*. Nimirùm quia non erant sicut hi quibus dicitur: *Sermo meus non capit in vobis*: sed in auditu verbi obedierant ei. Hæ sunt sex hydriæ positæ in purificationem nostram, quæ vacuæ sunt & plenæ vento, si pro inani gloria observantur. Aquâ repleantur, timore Dei custodiantur, quoniam timor Domini est fons vitæ. Aqua, inquam, timor Domini est, etsi minùs sapida, sed optimè refrigerans animam noxiis desideriis æstuantē. Aqua est, quæ jacula inimici ignita possit extinguere. Nam nec illud dissonat, quòd aqua semper ima petit, & timor ad ima cogitationem deducit, & in inferioribus immoratur, atque loca horrenda pavidâ mente collustrat, juxta illud *Esaia*: *Vadam ad portas inferi*. Sed divina virtute aqua mutatur in vinum, quando perfecta charitas foras mittit timorem. Quid est perfecta charitas (n) nisi perfecta sanctitas? Qui perfectè vivit, non habet unde in inferno damnetur, sed unde in cælo coronetur. Qui perfectam habet in se charitatem, non timet in inferno puniri, sed sperat in cælo cum Deo gloriari. Unde dicitur in Psalmo: *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum*. Ergo timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Timor priùs venit in corde hominis, ut præparetur locus charitati.

§. I I.

Ex epistola Beati Joannis (o) discimus testimonium dari triplex in cælo, triplex in terra. Et quidem pro meo sapere, illud stabilitatis, hoc reparationis est signum. Illud Angelos, istud homines: illud beatos à miseriis, istud justos discernit ab impiis. Angelis siquidem, qui in prima illa prævaricatione superbiente lucifero, in veritate steterunt, meritò testimonium perhibet visio Trinitatis, Patris, Verbi, & Spiritus: hominibus verò, quos divina miseratio salvat, spiritus, aqua, & sanguis. Quidni perhibeat testimoniū Pater, à quibus honoratus est, ut pater? *Tres sunt* [p] *qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis*. Scitis Fratres, quia in primo homine peccavimus omnes, in ipso etiam cecidimus universi. Cecidimus sanè in carcerem luto pariter & lapidibus plenum. Exinde jacebamus captivi, inquinati, conquassati, donec venit desideratus gentibus, qui nos redimeret, ablueret, adjuvaret. Hic est enim Jesus Christus crucifixus, qui *Sanguine* proprium dedit in redemptionem, *Aquam* simul produxit de latere suo in ablutionem: emisit deinde de excelso *Spiritum* suum, qui adjuvaret infirmitatem nostram. Vis nosse ô homo, an hæc aliquid operentur in te, ne fortè reus sis *Sanguinis* Domini, quem euacuas quantùm in te est: sed & *Aqua* ipsa, quæ debuerat mundare, in sordibus permanenti judicium damnationis accumulet: *Spiritus* quoque cui resistis, non liberet maledictum à labiis suis? Cavendum enim ne sint tibi hæc infructuosa, quæ necessariò essent pariter & damnosa. Quis autem est (q) qui testimonium habet effusi non sine causa *Sanguinis* Christi, nisi qui continet à peccatis? Servus enim peccati est, qui peccatum facit: ut si deinceps continere potuerit, & jugum abiicere miseræ servitutis, certissimum sit testimonium redemptionis, quam operatur sine dubio Sanguis Christi. Verùm non sufficit peccatori continentia, si non etiam adsit pænitentia. Habet ergo & ab *Aqua* testimonium, qui laborat in gemitu suo, lavans per singulas noctes lectum suum. Sicut enim *Sanguis* ille redemit, ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore: sic *Aqua* illa abluit ab his peccatis quæ commisimus ante. Sed quid erit quòd longo catenarum usu & carceris habitatione crudeli confracti sumus, atque collisi defecimus in via vitæ? Invocemus *Spiritum* vivificatorem & adjutorem, confidentes quia dabit Pater, qui in cælis est, spiritum bonum

k *Ser. 1. in Dom. 1. post. oct. Epiph. n. 3.* l *Ser. 4. in dedicat. Eccl.* ... m *Ser. 1. in Dom. 1. post. oct. Epiph. num. 4.*

n *Tract. de modo bene viven. cap. 4 num. 9.* o *Ser. 1. in oct. Paschæ num. 1.* p *Ibidem num. ...* q *Ibidem num. 5.*

num petentibus ſe. Sanè novum ſuperveniſſe Spiritum certiſſimè converſatio nova teſtatur. Jam ut breviter repetam, à Sanguine & aqua & ſpiritu habere eſt teſtimonium, ſi contines à peccatis, ſi dignos agis pænitentiæ fructus, ſi facis opera vitæ. Omnes certè ad nuptias Agni vocati ſumus [r] & in conſpectu ejus vacuos apparere non licet. Diligenter ergo conſideremus quæ apponuntur nobis, quoniam talia oportet nos præparare. Conſideravit beatus Clemens vinum tibi appoſitum eſſe à Domino, & ipſe quoque quoniam dives fuit, ad nuptias illas vinum nihilominùs proprii ſanguinis effuſione portavit. Sed nos pauperes ſumus, & vinum, Domine Jeſu, non habemus. At ille, *Implete*, inquit, *hydrias aquâ*. Ergone & ipſa ſuſcipietur aqua ſi attulerimus eam? Utique ſuſcipietur. Nam & ipſam cum vino nobis appoſitam inveniet, qui ſecundùm monita Sapientis diligenter conſideravit quæ ſibi apponuntur, ab eo nimirùm qui venit non in aqua ſolùm, ſed in aqua & Sanguine. Teſtimonium enim perhibuit qui vidit, quòd aperto latere Domini dormientis in cruce exierit Sanguis & aqua. Et nos ergo, fratres [s] ut vel fideles nos probemus Deo noſtro, ſi martyrium ſanguinis non habemus [martyrium enim teſtimonium eſt] quæramus vel teſtimonium aquæ, & ne ipſum quidem deſpiciet Deus. *Tres ſunt enim qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis*. Beati quibus trinum ſuppetit teſtimonium, quoniam funiculus triplex difficilè rumpitur. Nos ſi Sanguinis teſtimonium non habemus, habeamus Spiritum & Aquam: quoniam ſine Spiritu nec Sanguis nec Aqua ſufficiet; imò verò ſi Spiritus ipſe ſine Aqua aut Sanguine invenitur, ſufficit teſtimonium ejus: quoniam Spiritus veritatis eſt, nec Sanguis nec Aqua quidquam proderunt à ſeipſis, ſed Spiritus eſt qui teſtificatur in illis. Sanè tamen aut vix aut nunquam ſine Aqua, aut Sanguine Spiritum arbitror inveniri. Propterea, chariſſimi, quæramus vel Aquam, qui Sanguinem non habemus. Et quoniam hydriarum ſupra fecimus mentionem, quæramus menſuras binas vel ternas, quas hydriæ capiebant. Nam & Chriſtus triplicem nobis apponit Aquam, & perfectus omnis qui fuerit in nobis ſicut ipſe, qui videlicet tres metretas habere potuerit. Propter hoc enim ſub diſtinctione dicitur, *binas vel ternas*, ut duas adminùs conſtet neceſſarias eſſe, tertiam non ab omnibus exigendam. Accipe igitur triplicem Aquam [t] quam tibi Salvator apponit. Plorat ſuper Lazarum & ſuper Civitatem Jeruſalem, & hæc eſt *aqua prima*. Sudavit imminente jam Paſſionis hora, & hæc eſt *aqua ſecunda*, non ab oculis tantùm, ſed à toto Corpore manans. Jam verò *tertia* eſt *aqua*, quam & prædiximus de latere ejus unà cum Sanguine emanâſſe. Et tu ergo *primam* quidem aquam habes, ſi rigas lachrymis tuis conſcientiæ tuæ ſtratum, & dolore compunctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. *Secundam* aquam habes, ſi in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, & labore pænitentiæ corpus tuum caſtigas, ac reſtinguis concupiſcentiæ flammam. Jam verò ſi proficere potes uſque ad devotionis gratiam, potaberis *aquâ Sapientiæ* ſalutaris: & Spiritus Chriſti qui ſuper mel dulcis eſt, fiet in te fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et memento hanc eſſe Aquam, quæ proceſſit de latere dormientis, & ſine omni moleſtia fluxit. Oportet enim jam mortuum eſſe mundo, qui in hac voluerit gratia delectari. Jam ut breviter repetam: *prima* quidem aqua à præteritis delictis abluit conſcientiam: *ſecunda* aqua ut futura caveas, extinguit concupiſcientiam: *tertia* aqua ſi ad eam pervenire merueris, potat animam ſitientem. Aquarum uſus eſt irrigatio [u] quam profectò maximè neceſſariam habent novæ plantationes. Alioquin aut minùs proficient, aut ex toto peribunt præ ſiccitate. Quærat ergo devotionis aquas, quiſquis ſeminaverit bonorum operum ſemina, ut irrigatus fonte gratiæ, bonæ converſationis hortus non areſcat, ſed in perpetua viriditate proficiat.

§. III.

Præterea [x] videamus adhuc quod ſequitur. *Erant* [ait Evangeliſta] *hydriæ ſex poſitæ ſecundùm purificationem Judæorum*. Vel ex hoc potes maniſeſtiùs advertere non plenitudinem, ſed præparationem nuptiarum eſſe, ubi nimirùm adhuc opus eſt purificatione. Deſponſationis itaque nuptiæ iſtæ ſunt, non copulationis. Abſit enim illis in nuptiis fore vaſa purificationis, quando glorioſam ſibi Chriſtus Eccleſiam exhibebit, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid hujuſmodi. Ubi autem non erit macula, quæ purificatio erit neceſſaria? Nunc utique lavandi tempus eſt, nunc purificationem patet eſſe neceſſariam: quoniam nemo mundus à ſorde, nec infans cujus eſt unius diei vita ſuper terram. Nunc abluitur ſponſa, nunc purificatur, ut in cæleſtibus illis nuptiis Sponſo ſuo ſine omni macula præſentetur. Quæramus ergo hydrias ſex, in quibus hæc ablutio Iudæorum, id eſt, confitentium purificatio fiat. Ego quidem has ſex hydrias poſitas [y] intelligo eſſe ſex obſervantias Servis Dei propoſitas, in quibus tanquam Judæi purificari debeant. Sunt autem iſtæ: Silentium, Pſalmodia, Vigiliæ, Jejunium, Opus manuum, Carnis munditia. *Primò*, in hydria *Silentii* purificamur à peccatis quæ verboſitate contrahimus. Cujus vitii ſunt octo ſpecies. Eſt enim verbum ſtultum, vanum, mendax, ocioſum, doloſum, maledicum, impudicum, excuſatorium. Quæ nimirùm peſtis de loquacitate naſcitur, & per ſilentii cenſuram aut evertitur funditùs, aut certè ne multùm noceat, reprimitur. *Secundò*, in *Pſalmodia* fit duplex confeſſio, ubi & peccator de culpis compungitur, & Deo laudes ſuper judicia juſtitiæ ſuæ dicuntur. In hac ergo hydria Judæus quiſquè qui ſcilicet rectè confitetur, purificatur ab immundo ſpiritu blaſphemiæ, cui ante converſionem ſubjacebat. Dum enim ſeipſum laudaret, ac Deum accuſaret, quid aliud quàm blaſphemus erat? An non ſunt blaſphemi qui dicunt: *Non eſt æqua via Domini*? An non inſipiens eſt ille blaſphemus, qui dicit in corde ſuo: *Non eſt Deus*? Jam verò converſus & confeſſus, canticiſquè divinis inſtructus, correctâ vitâ corrigit & verba; ſequè ipſum

r *Ser. de S. Clement. n. 4.* s *Ibidem, n. 5.* t *Ibidem n. 6.*

u *Ser. 1. in Nat. Dom. n. 6.* x *Ser. 2. in dom. 1. poſt. oct. Epiph. num. 4.* y *Ser. 55. divers. n. 1.*

ipsum accusans, mala sibi computat; Deum autem laudans, bonum quod in se videt, non sibi, sed illi applicat: & hoc totum agitur in Psalmodia. Per Psalmodiam accipe quidquid Deo canitur cum mentis melodia, sive sint Psalmi, sive Hymni, sive etiam quæcunque Cantica. *Tertiam* hydriam diximus esse *Vigilias* [z] quas semper debet comitari orationum instantia. Unde & Dominus in Evangelio legitur *in oratione pernoctasse*: & discipulos suos exhortans, utrumque simul conjunxit dicens: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*. Tales Vigiliæ abluunt nos à sordibus quas contraximus per somnolentiam resoluti, dum oblivione quadam à via salutis intepuimus ac torpuimus. *Quarta* hydria est *Jejunium*, de quo quis dubitet an & ipsum purificet? Vera est illa sententia: *Contrariis curantur contraria*. Si ergo per gulam peccavimus & ingluviem, quid restat nisi ut per abstinentiam reparemur? Nec solùm hujus vitii fit per jejunium purificatio, insuper & virtus ad expellendos dæmones comparatur, dicente Domino: *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio*. *Quinta* hydria [a] dicitur *Opus manuum*. In quo si quæratur an sit aliqua purificatio, facilè potest inveniri per multa. Nam ut plurima præteream, hoc solum quanti sit præconii, quantæ gratiæ, quis dignè æstimet suo se quemque labore transigere, ac nullius aliquid desiderare? Ac ne me quisquam putet hæc magis declamatoriè quàm ex veritate proferre, audiat ipsum Doctorem nostrum in fide & veritate Apostolum Paulum scribentem ad Thessalonicenses, hæc ipsa docentem ac præcipientem: *Rogamus vos*, inquit, *fratres, ut abundetis magis, & operam detis ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris sicut præcepimus vobis: & ut honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis*. Denique audiat eundem ipsum facientem quæ docebat: *Ipsi enim scitis*, inquit, *quemadmodùm oporteat vos imitari nos: quoniã non inquieti fuimus inter vos. Neque panem gratis manducavimus ab aliquo, sed in labore & in fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrûm gravaremus*. Item audiat docentem quæ faciebat: *Cùm essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet*. Vides quàm sollicitè observandum præcepit Doctor Gentium opus manuum? Cur hoc tantopere curavit, nisi quia sicut bonus & diligens pastor hoc ovium saluti plurimùm expedire providit? *Sexta* hydria (b) est *Carnis munditia*. In hac fit purificatio ab illa quinquepartita corporis illecebra, visûs, auditûs, gustûs, odoratûs, tactûs. Et cætera quidem prædicta, id est, Silentium, Psalmodia, Vigiliæ, Jejunium, Opus manuum, exerceri sine ista possunt: sed si lumbi præcincti non sint, id est, si desit carnis munditia, lucernæ ardentes quid proderunt? Hinc ergo colligendum est, quàm sit necessaria hujus hydriæ purificatio, quæ sola omnibus supradictis æquipollentem obtinet vim salutis. Et notandum est, quòd in his omnibus observantiis quatuor primas debemus nobis, quintam proximo, sextam Deo. Nam silentium, psalmodiam, vigilias, & jejunium debet quisque exercere propter seipsum, hoc est propter suam disciplinam: opus manuum propter proximum, ne quem gravet, sed magis habeat unde tribuat necessitatem patienti: carnis munditiam propter Deum, ut illi placeat, & ejus voluntatem faciat. Unde scriptum est in Epistola Pauli ad Thessalonicenses: *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione: ut sciat unusquisque vestrûm suum vas possidere in sanctificatione & honore*. Quòd autem illæ hydriæ *lapideæ* dicuntur, significat quòd sine aliqua difficultate observari non possunt, & quòd dura & aspera via est quæ ducit ad vitam. Vel certè *lapideæ* dicuntur propter fortitudinem, ne facilè frangantur aut dissoluantur, & effundatur liquor gratiæ qui in eis continetur: quod utique citò contingere posset, si vel fictiles essent, vel ligneæ, seu cujuslibet alterius fragilis materiæ. Vel etiam *lapideæ* dicuntur, id est Christianæ, à lapide Christo: ut scilicet in fide Christi fiant. Ipse autem det vobis ea quæ dicuntur (c) non solùm tenere memoriter, sed & ardenter diligere, & efficaciter adimplere Sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT VII.

De quatuor fontibus Jesu Christi crucifixi, qui procedunt de pectore ejus ad irrigandum Ecclesiam suam.

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. *Esa.* 12.

1. *Ostenditur, quatuor fontes procedere de pectore Christi, Veritatem, Sapientiam, Virtutem, & Charitatem. Ex fonte Veritatis hauriuntur aquæ judiciorum, in quibus cognoscimus quid liceat, vel quid non liceat. Ex fonte Sapientiæ hauriuntur aquæ consiliorum, in quibus discernimus quid expediat, vel quid non expediat.* 2. *Ex fonte Virtutis hauriuntur aquæ præsidiorum, quæ abluant electos à culpis, vel refrigerent in tormentis. Ex fonte Charitatis hauriuntur aquæ desideriorum, quorũ aliud est quo Deus propter seipsum diligitur, aliud quo proximus diligitur in Deo. Ad dilectionem Dei excitatur mens humana tribus affectionibus.* 3. *Ostenditur, Jesum Crucifixum esse paradisum nostrum, in quo inveniuntur quinque fontes, misericordiæ, sapientiæ, gratiæ, charitatis, & vitæ. Ex quibus totidem hauriuntur aquæ, remissionis, discretionis, devotionis, æmulationis, & vitæ æternæ.*

§. I.

Unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua. Joan. 19.

Dominus meus Jesus (a) post cætera inæstimabilis suæ erga me beneficia pietatis etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi: quòd videlicet non nisi in dextera mihi propinare vellet. Neque enim his tantùm profuit (b) quos tunc præsens

z *Ibidem num.* 2. a *Ibidem num.* 3. b *Ibidem num.* 4.

c *Ser.* 77. *in Cant. num.* 8. a *Ser.* 7. *super Psal.* 90. *num.* 15. b *Ser.* 1. *in Nat. Dom. num.* 5.

ſens invenit: ſed fons eſt qui nunquam poterit exhauriri. Fons nobis eſt Chriſtus Dominus unde levemur, ſicut ſcriptum eſt: *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris*. Verumtamen non iſte ſolus aquarum eſt uſus, nec tantùm ſordes abluunt, ſed & ſitim extingunt. *Beatus verò* (ait Sapiens) *qui in ſapienoia morabitur, & qui in juſtitia meditabitur*. Et poſt pauca: *Aqua*, inquit, *ſapientiæ ſalutaris potabit illum*. Eſaias quoque ait: (c) *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Pro paradiſo quem perdidimus, reſtitutus eſt nobis Chriſtus Salvator. Sicut enim de uno fonte paradiſi derivantur quatuor flumina ad irrigandum paradiſum: ita de pectoris Chriſti arcano procedunt quatuor fontes, ex quibus hauriuntur quatuor aquarum genera, unde tota per univerſum mundum rigatur Eccleſia. Sunt autem quatuor fontes, Veritas, Sapientia, Virtus, & Charitas. Ex his ergo fontibus hauriuntur aquæ, ex ſingulis ſcilicet ſingulæ. Nam de fonte *Veritatis*, ſumuntur aquæ *judiciorum*: de fonte *ſapientiæ*, aquæ *conſiliorum*: de fonte *Virtutis*, aquæ *præſidiorum*: de fonte *Charitatis*, aquæ *deſideriorum*. In aquis *judiciorum* cognoſcimus quid liceat, vel quid non liceat. In aquis *conſiliorum* diſcernimus quid expediat, vel quid non expediat. Sed quia electis viris rectè per hæc gradientibus non deſunt tentationes: tentantur enim de duobus, aut terroribus ut concutiantur, aut blandimentis ut ſeducantur. Idcircò armandi ſunt contra terrores præſidiis divinæ Virtutis, contra blandimenta deſideriis ſupernæ Charitatis. Deſideriis enim meliorum ſuperantur (ut ait quidam Sanctus) deſideria deteriorum. Vel ſic poſſumus procedere. Quid prodeſt noſſe quid liceat & expediat (quod utique docent judicia atque conſilia) ſi poſſe perfici minimè contingat? Ideo poſt aquas judiciorum & conſiliorum, quærendæ ſunt aquæ *præſidiorum*. Rursùm & poſſe quid valeat, ſi horum omnium non ſit finis charitas? Rectè itaque poſt judicia, poſt conſilia, poſt præſidia hauriuntur de fontibus charitatis *deſideria*: ut videlicet quidquid ſapimus aut loquimur, quidquid operamur aut patimur, æternæ vitæ finis concludat. Sed ut hæc (d) quæ dicta ſunt de fontibus & aquis, clariùs eluceſcant, Scripturarum teſtimoniis reor eſſe comprobanda, auriquè ſimilitudines quas protulimus vermiculandas argento. Ac primum quod dictum eſt quatuor illos fontes de pectore Jeſu manare, nullum arbitror ambigere. Quomodo autem ex eiſdem fontibus hauriantur prædictæ aquæ, id elaborandum eſt. Veniat ergo David, & dicat quæ ex fonte *Veritatis* procedant *judicia*. Hoc certè videtur ſenſiſſe cùm diceret: *De vultu tuo judicium meum prodeat*. Neque enim Vir ſanctus judicium ſuum diceret, quod de vultu Dei, id eſt, de Veritate non prodiret. Noverat enim electos Dei Veritatis judiciis tanquam virgâ ferreâ regi. Et quia ſub eorum regimine ſe eſſe ſentiebat, ideo exultans pſallebat: *Judicia Dei vera, juſtificata in ſemetipſa: deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſũ multùm, & dulciora ſuper mel & faum*. A quibus ne fortè per incuriam devient, audiant vocem Dei Patris per eundem Prophetam comminantis: *Si in judiciis*, inquit, *meis non ambulaverint, & mandata mea non cuſtodierint: viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*. Hæc myſteria divini judicii reſerabat cæleſtis regni Clavicularius Sanctus Petrus, cùm diceret: *Tempus eſt, ut incipiat judicium de domo Dei. Si autem primùm à nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?* Et hoc de Electis dictum eſt. Ceterùm eſt aliud de reprobis judicium, quod nihilominùs ab ipſa Veritate procedit. Unde & per Paulum dicitur: *Scimus enim quoniam judicium eſt ſecundùm veritatem in eos qui talia agunt*. Et utrumque quidem judicium complectitur ipſa Veritas Chriſtus, dicens: *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant*. Utrumque autem diſcernit cùm item dicit: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*. Quis hoc facit? (e) Rectus Dominus Deus noſter, qui & cum perverſo pervertitur. Neque enim dicitur: (f) omnes viæ ejus ſola miſericordia, *ſed miſericordia & veritas*. Non minùs juſtus quàm miſericors eſt, cui miſericordia & judicium decantatur. Verũ id quidem; cui vult miſeretur, & quem vult indurat: ſed quod miſeretur proprium eſt illi, ex ſe enim ſumit materiam, & velut quoddam ſeminarium miſerendi. Nam quòd judicat & condemnat, nos eum quodammodò cogimus, ut longè aliter de corde ipſius miſeratio, quàm animadverſio procedere videatur. Ipſum audiamus dicentem: *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii* (dicit Dominus) *& non magis ut convertatur & vivat?* Porrò (g) ſi vidimus quomodo de fonte Veritatis hauriuntur judicia, videamus quomodo de fonte *Sapientiæ* propinentur *Conſilia*. Quis dubitet Apoſtolũ Paulum eſſe ſapientem, cùm & Petrus ejus Coapoſtolus ſapientiam eidatam eſſe aſtruat, & ejuſdem Pauli Apoſtoli tota verborum ſeries nihil aliud quàm ſapientiam redoleat? Proferat igitur conſilia, & per ipſa nos doceat quid peregrinantibus & ad cæleſtem patriam feſtinantibus expediat. *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe*: hoc eſt, in virginitate manere. Si de virginibus præceptum haberet, nil aliud quàm quod præciperetur liceret. Nunc verò cùm utrumque liceat, vel nubere, vel non nubere: quid compendioſiùs dici potuit, quàm *bonum eſt homini ſic eſſe*: præſertim cùm & neceſſitatis inſtantia frequenter obrepere ſoleat, & citò mori ipſa temporis brevitas urgeat, totiuſquè mundi figura prætereat? Item cùm de vidua loqueretur: *Beatior*, inquit, *erit ſi ſic* (id eſt, innupta) *permanſerit ſecundùm conſilium meum*. Ac ne de proprio corde, & non potiùs de fonte Sapientiæ videretur hoc ipſum conſilium depromſiſſe, ſubjecit dicens: *Puto quòd & ego Spiritum Dei habeam*. Hauſit utique Paulus de ſinu Unigeniti (h) quod de paterno hauſerat ille. Hauſit, inquam, Paulus, cujus Evangelium non eſt ab homine, neque ab homine illud accepit, ſed per revelationem Jeſu Chriſti. Sed cur ego paucis immoror exemplis, (i) cùm in ejus verbis omnis ſexus, om-

c *Ser. 96. diver. num. 1.* d *Ibidem num. 2.*

e *Lib. 5. de conſiderat. cap. 12. nu. 25.* f *Ser. 5. in Nat. Domini n. 3.* g *Ser. 96. diver. n. 3.* h *Ser. 8. in Cant. n. 7.* i *Ser. 96. di. n. 3.*

omnis conditio consilium inveniat (si diligenter quærat) salutis? Quod si quis curiosiùs velit perspicere, utrum verum sit quod dictum est, de Sapientia consilia manare, legat Libros qui inscribuntur *Sapientia*, ubi totius orationis contextus consilia parare videtur. Si verò consultiùs & utiliùs studet vitam inde eligere, audiet ipsam salubriter invitantem Sapientiam: *Si vis*, inquit, *ad vitam venire, serva mandata*. Quæris cujus? *Deum*, inquit, *time, & mandata ejus observa*. Audiat eam ipsam Sapientiam materno affectu inclamantem: *Da mihi cor tuum*. O quantùm vellem & ego cor meum in ejus verbum suspendere, de cujus ore mirifico tam dulcia vitæ consilia audio personare. Utinam autem & linguæ meæ calamum in ejus fonte possem intingere, quo idoneus essem ea quoque quæ restant de duobus fontibus, id est Virtutis & Charitatis, utiliter exarare.

§. II.

Et quoniam quatuor isti fontes (k) ita sibi invicem saporem transfundunt, ut qui de uno biberit, quadam ineffabili dilectionis dulcedine inuitetur ad alium: libet jam de Sapientia ad *Virtutem* transire, & qualiter illinc hauriantur aquæ *præsidiorum*, quantùm ab ipsa Virtute adjuvor, ostendere. Sicut autem superiùs dixi gemina esse Veritatis judicia, quia scilicet determinant quid liceat, vel quid non liceat: itidem Sapientiæ duo esse, hoc est quid expediat, vel quid non expediat. Ita & hîc agnoscamus de fonte *Virtutis* hauriendas duplices *præsidiorum* aquas, quæ vel abluant electos à culpis, vel refrigerent in tormentis. De utrisque sumamus exemplum. Refert Lucas Evangelista, quòd quædam mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, erogotâ in medicos totâ substantiâ, cùm minimè curari potuisset, accesserit retrò & tetigerit fimbriam vestimenti Domini, & confestim steterit fluxus sanguinis: Jesum verò dixisse: *Quis me tetigit?* Cùmquè Discipuli responderent: *Turba te comprimunt & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?* Rursùm repetiisse: *Tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me exiisse*. Ecce quas aquas præsidii hauserit mulier de fonte Virtutis, quibus abluta est à profluvio sanguinis, quæ nulla medicorum arte potêrat sanari. Quod si quis obiiciat prolatum testimonium nihil ad rem præsentis operis pertinere, eò quòd illa mulier nequaquam abluta esse videatur à culpis, sed tantùm ab ægritudine carnis: noverit moris esse divinæ Virtutis, priùs cordi mederi quàm corpori. Unde & alibi cùm quidam ei paralyticus offerretur curandus, tanquam bonus & pius medicus volens sanare priùs quod erat potius, id est mentem quàm carnem, ait eidem paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Itaque sanatâ conscientiâ, consequenter sanatur corpus, cùm dicitur: *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*. Sic ergo & hujus cor mulieris priùs abluit intùs per donum fidei, sicut scriptum est: *Fide mundans corda eorum*, per quam meruit exteriùs impetrare salutem corporis. Hoc enim innuit ipse Dominus cùm dicit: *Filia, fides tua te saluam fecit, vade in pace*. Quòd autem de hoc ipso fonte *Virtutis* hauriantur aquæ *præsidii* in tormentis, ostendunt & illi tres pueri in fornacis incendio æstuentis positi, quibus ipsa flamma refriguit. Et præcipuè inclytus ille Martyr Vincentius, qui cùm graviter torqueretur, non solùm tolerâsse, sed etiam tortorem suum constanter provocâsse fertur his verbis: *Insurge*, inquit, *& toto malignitatis spiritu debacchare, videbis me Dei Virtute plus posse dum torqueor, quàm possis ipse qui torques*. Possent plura de hoc fonte Virtutis copiosiùs dici, sed eum succinctè prætereo: quia de fonte *Charitatis* bibere potiùs quàm scribere desidero. Ad hunc fontem *Charitatis* (l) invitamur Redemptoris nostri voce dicentis: *Si quis sitit, veniat & bibat, & de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Et secutus Evangelista Ioannes exposuit ad quem fontem nos invitaret dicens: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Quem? Spiritum Charitatis, quem mundus non potest accipere, sed soli accipiunt qui verè credunt in eum. Ex hoc ergo fonte *Charitatis* hauriamus nobis aquas *desideriorum*, ipsasquè partiamur in geminos riuulos, ut sicut ejusdem charitatis duo sunt præcepta, ita sint & desideria gemina, quibus impleantur ipsa præcepta. Aliud enim est desideriũ, quo Deus diligitur propter seipsũ; aliud est desiderium, quo proximus diligitur in Deo, vel propter Deum. In illo nullus modus præscribitur: sed *ex toto corde, ex tota anima, ex tota uirtute diligitur Deus*: in hoc autem præcepto præscribitur quidam modus, cùm dicitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Illo desiderio flagrabat Propheta cùm diceret: *Sicut ceruus desiderat ad fontes aquam, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Et item: *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*. Hoc exhibebat Apostolus Romanis, quibus scribebat: *Desiderio enim videre vos, ut aliquid gratiæ spiritualis impertiar vobis*. Et Dominus in Evangelio discipulis suis dicebat: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar*. Et notandum est (m) quòd ad illud desiderium excitatur mens humana specialiter tribus affectionibus ac provehitur: unde & Deum diligere toto corde, totâ animâ, tota virtute jubetur. Prima quidem affectio est dulcis, secunda prudens, tertia fortis est. Primam habuit Petrus cùm Domino mori dissuaderet: ex corde enim dulciter diligebat, cujus passionem expauescebat. Sed cùm audiret: *vade retrò satana, non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominis*: his verbis eruditus Petrus & intelligens quid boni haberet mors Christi, cæpit totâ animâ prudenter diligere, quem priùs tantùm diligebat dulciter toto corde, necdum verò diligebat tota Virtute. Quod si faceret, nec propter mortis discrimen eum negaret. At verò post Resurrectionem & Ascensionem dato desuper Spiritu, tunc demùm tota Virtute dilexit, pro quo etiam horrendũ crucis supplicium postmodùm subire non expavit. Erga charitatem quoque proximi exercemus tripliciter, vel ut ædificetur ipsa charitas ubi non est, vel certè ne pereat, vel minuatur ubi est. Quisquis autem hanc puro affectu erga proximum operatur, illam proculdubio Charitatem quæ

k *Ibidem num. 4.*

l *Ibidem num. 5.* m *Ibidem num. 6.*

quæ Deus est, ulteriùs promeretur. Illa denique vera & sincera est charitas, [n] & omninò de corde puro, & conscientia bona, & non ficta judicanda procedere, quâ proximi bonum æquè ut nostrum diligimus. Nam qui magis aut certè solùm diligit suum, convincitur non castè diligere bonum, quod utique propter se diligit, non propter ipsum. Et hic talis non potest obedire Prophetæ David, qui ait: *Confitemini Domino quoniam bonus*. Amemus ergo, & amemur [o] in altero nobis, in altero nostris consulentes. Nam quos amamus, in ipsis profectò requiescimus. A quibus autem amamur, ipsis nos in nobis requiem paramus. Porrò amare in Deo, charitatem habere est: studere verò propter Deum amari, charitati servire est. Utramque dilectionem [p] Dei videlicet & proximi teneo, cùm te amo Domine Jesu Christe, qui meus proximus es, quoniam homo es, & fecisti mecum misericordiàm, & nihilominiùs es super omnia Deus benedictus in sæcula.

§. III.

Præterea [q] ut de exhibitione præsentium firma sit expectatio futurorum, paradisum habemus multò meliorem & longè delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt: & paradisus noster & Christus Dominus. In quo tres quidem fontes jam invenimus, quartum quæremus. Habemus de fonte *misericordiæ* ad diluendas culpas, aquas *remissionis*: habemus de fonte *sapientiæ* ad potandam sitim nostram, aquas *discretionis*; habemus de fonte *gratiæ* ad irrigandas plantas bonorum operum, aquas *devotionis*. Quæramus etiam ad decoquendos cibos aquas ferventes, aquas *æmulationis*. Hæ nimirùm condiunt & decoquunt affectiones nostras, & ebulliunt de fonte *charitatis*. Unde ait Propheta: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*. Alibi quoque idem: *Zelus*, inquit, *domus tuæ comedit me*. Siquidem ex dulcedine devotionis diligens justitiam, ex fervore æmulatinis odio habet iniquitatem. Et vide ne de fontibus istis prædixerit Esaias: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Quatuor itaque fontes istos [r] adhuc in carne viventibus nobis in semetipso Christus exhibet: quintum, qui est *fons vitæ*, post hoc sæculum repromittens, ad quem sitiebat Propheta David cùm diceret: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*. Fortassis etiam propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc vivens in cruce: propter quintum cùm jam tradidisset spiritum, transforatus est in latere. Vivebat ad huc quando foderunt ei manus & pedes, ut nobis adhuc viventibus quatuor fontes ex seipso proferret. Quintum pertulit vulnus cùm jam expirasset, ut in se nihilominùs quintum nobis fontem post obitum aperiret. Unde ait Apostolus: *Hebetis fructum vestrum in sanctificationem* [s] *finem verò vitam æternam*. Vita æterna est fons indeficiens, qui universam irrigat superficiem paradisi cælestis. Necmodò irrigat, sed inebriat, fons hortorum, puteus aquarum viventium quæ fluunt impetu de Libano, & fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Quis verò fons vitæ, nisi Christus Dominus? *Cùm Christus* (inquit Apostolus) *apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria*. Ipse est fons vitæ [t] qui ex ore Altissimi prodiit, de medio ventris Virginalis exilivit, atque inde in quatuor capita sese dispergens, ad irrigandam faciem arentis mundi emanavit, lætificans civitatem Dei. Omnis enim qui biberit ex eo, non sitiet in æternum: & erit plusquam paradisus, hic, de cujus aqua si quis biberit, sitiet iterùm. Denique (u) audiamus Scripturam quæ ait: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandam universam superficiem terræ, qui inde dividitur in quatuor capita*. Fluvius iste est Deus meus Jesus, qui de duobus locis voluptatis egreditur, ex utero Patris, & ex utero Virginis. Unde Propheta ait: *Dominus Deus noster fluvius gloriosus, exiliens in terram sitientem*. Sed ineffabilibus differentiis longè aliter à Patre quàm à Matre egreditur: quia etsi hæc temporalis nativitas gloriosa est, multò gloriosior est æterna. Egreditur fluvius de loco voluptatis (x) quia gignitur de utero Patris, Deus de Deo, lumen de lumine, de Domino Dominus. Egreditur autem *identitate*: quia idem est cum Patre, idem dico secundùm substantiam, non secundùm personam. Egreditur & *æqualitate*: quia Patris omnipotentiam recipit, cùm omnia quæ possit Pater, possit hæc & Filius, sicut ipse testatur: *Omnia quæ facit Pater, facit & Filius*: *nec potest Filius facere quidquam nisi quod viderit Patrem facientem*. Egreditur & *æternitate*: quia licet generetur, non tamen est posterior generante, sed ambo unius antiquitatis sunt, si tamen vocabuli novitatem non exhorretis, quod licet quoquo modo significet quæ dicuntur, longè tamen est à sententiæ majestate. Egreditur *similitudine*: quia similis est Patri, Patris imago, splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus. Egreditur *alternitate*: quia alius est ab illo, alius dico, non aliud. *Ego*, inquit, *& Pater unum sumus*. *Unum* dixit, non unus; quia *unum* significat substantiæ unitatem, *unus* verò personarum proprietatem. Sic igitur & longè excellentiori modo de Patre Filius egrediens, innudat Angelicas stationes: quia juxta Salamonem, *Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis*. Citharædus puer de hoc fonte pleno ore potaverat, cùm diceret: *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*. Apud te, inquit, est fons vitæ, quia tu solus es vita, sed & Filius tuus fons vitæ est. Et ut patenter quod sentiebat ostenderet, subjunxit: *In lumine tuo videbimus lumen*, scilicet ad irrigandam universam superficiem terræ. Quænam terra est in illa cælorum summitate reposita, quam superfluat & irriget fluvius gloriosus? Regnum cælorum, terra viventium est. Unde Propheta ait: *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Item: *Placebo Domino in regione vivorum*. Irrigatio hæc indicibilis est. Inebriantur quippe Angeli ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ejus potantur. Sequitur: (y) *Qui inde dividitur in quatuor capita*. In quæ quatuor capita? *Primò* dividitur in *admirationem*:

nam

n *Epist. 11. num. 3.* o *Epist. 92. num. 1.* p *Ser. 60. in. Cant. num. 9.* q *Ser. 1. in nat. Dom. num. 6.* r *Ibidem num. 8.* s *Ser. 2. de Virg. Deip. num. 3.*

t *Ser. 3. de Virg. deip. num. 4.* u *Ser. 2. de nat. Dom. num. 2. tom. 6. pag. 615.* x *Ibidem num. 4.* y *Ibidem num. 6.*

niam de fragilitate complexionis humanæ, de torrente voluptatis bibens tota obstupet illa dignior creatura de Creatoris gloria, & de gloriæ ratione. *Secundò* dividitur in *puritatem*: quia non in vase testeo sed remoto velamine hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Tertiò* dividitur in *satietatem*: quia etsi desiderant in eum prospicere, non tamen desiderium necessitatem, vel necessitas miseriam inducit, sed mirabiliori modo & semper desiderant, ut semper satientur: & semper satiantur, ut semper desiderent. *Quartò* diuiditur in *securitatem*: quia de sua stabilitate certi, perennibus gaudiis immerguntur, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, quando fiet unū ouile & unus pastor, & superna illa Jerusalē consummabitur in idipsum. Sic influit fluvius iste per Angelicas officinas. Sed hæc omnia fides capit, nescit ratio, intellectus ignorat humanus. Hæc sunt fortassis illa quatuor, quæ Vas electionis felici quaternario in Epistola ad Hebræos vidit, dicens: *Non accessistis*, inquit, *ad montem fumantem, sed accessistis ad montem Sion, ad Jerusalem ciuitatem Dei uiuentis, ad multorum millium Angelorum frequentiam, ad Ecclesiam primitiuorum conscriptam in cælis*. Porrò diuiditur, & in patientiam (z) quâ peccatores sustinet. Diuiditur in *misericordiam*, quâ peccatores fouet. Dividitur in *largitatem*, quâ proficientes exaltat. Diuiditur in *fortitudinem*, quâ perficientes conseruat. Habeo denique quatuor flumina dulciora prioribus, quæ fortassis vestris cordibus dulciùs complacebunt. Dominus enim noster elevatus in Cruce largissimas Sanguinis vndas à quatuor partibus sui Corporis abundantiùs effudit. Spinis enim pungentibus Sanctissimum Caput niuea ceruice reflexum, & clauis pedes & manus terebrantibus, & lanceâ latus ejus transuerberante, preciosus Sanguis emanauit. Cuius aspersione iudex transit in patrem, iratus in mitem, in misericordiam virga, captiuitas in coronam. Christus ergo est fons latens & occultus in Cælis, fons patens & apertus in terris. Illic de utero Patris, hìc egreditur de vtero Virginis. Illic viuens, terram irrigat viuentium: hìc moriens, terram irrigat morientium. Illic diuiditur in quaternarium *fontem admirabilem*, hìc in *dulcem*, dulcis Dominus, qui est Deus benedictus in secula. Amen.

CAPUT VIII.

De depositione Corporis Christi de cruce.

1. *Ostenditur, quanto dolore afficiebatur Mater Jesu, dum videbat corpus ejus deponi de Cruce, ac depositum deosculabatur. Plangebant & Angeli condolentes morti Domini Dei sui, & compatientes doloribus Domina sua* 2. *Excitamur ad dolendū super mortuum Redemptorem nostrum. Traditur nobis doctrina adorandi Jesum crucifixum, & osculandi pedes & manus & os ipsius. Tria oscula pedum & manuum & oris, designant pænitentiam, continentiā, & unionem cum Christo Deo nostro.* 3. *Docemur, per osculum pedum intelligi satisfactionem humilem & verecundam, per osculum manuum designari dona Dei, per osculum oris significari scientiam Dei. Ostenditur, spirituales pedes Dei esse misericordiam & judicium. Utrumque pedem osculandum esse pariter & amplectendum docemur.* 4. *ostenditur, duas manus Dei esse latitudinem & fortitudinem. Docemur, per osculum oris Dei intelligi Spiritum Sanctum, quem sponsa anima petit sibi dari ad notitiam Sancta Trinitatis, & per quem accipiat simul & scientia gustum & gratia condimentum. Duo labia Dei, sunt Virtus & Sapientia. Duo labia anima, sunt ratio & voluntas.*

§. I.

Cùm autem sero factum esset; quia erat parasceue quod est ante sabbatum, & ecce venit quidam homo diues ab Arimathæa ciuitate Judaa, nomine Joseph, qui erat nobilis Decurio, vir bonus & justus: qui & ipse discipulus erat Jesu, occultus tamen propter metum Judaorum. Hic non consenserat consilio & actibus eorum, qui & ipse erat expectans regnum Dei. Hic audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito Centurione, interrogauit eum si jam mortuus esset: & cùm cognouisset à Centurione, tunc Pilatus jussit reddi Corpus Jesu. Joseph autem mercatus sindonem mundam, venit & tulit Corpus Jesu, & depositum inuoluit in sindone munda. Matt. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

COgitare nunc libet (a) quantus dolor tunc infuit Matri Jesu, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ. Expectans corpus Christi deponi, plorabat dicens: Heu me, heu me! Reddite vel saltem nunc mæstissimæ Matri extinctum Filium. Vel certè si magis libet, me morte illi conjungite, ut cum doloribus suis pereant & dolores mei. Deponite illum, quæso, deponite mihi, ut mecum habeam Corpus exanime, sitquè meus Unicus mihi solatium vel defunctus. Interim Vir quidam nobilis nomine Joseph (b) qui erat discipulus Jesu, occultus tamen, ad Pilatum accessit, postulans sibi donari Corpus Domini Jesu Christi. Quo sibi concesso, accersivit quendam Virum sapientem & legis perirum nomine Nicodemum, discipulum Christi occultum similiter: & venerunt ad locum ubi erat Dominus crucifixus, secum instrumenta ferentes quibus clavos extraherent, & ut eum de Cruce deponerent. Quos cùm benignissima & mæstissima Mater aspiceret, & sciret eos Vnicum suum velle deponere de Cruce, quasi de morte consurgens paululùm revixit anima ejus, & de terra festina exiliens (ubi jacebat doloris violentiâ prostrata) quod poterat adjutorium Mater debilissima illis ministrabat. Unus duros illos ac diros clavos trahebat è manibus, alius ne corpus exanime caderet sustentabat. Stabat & Maria Mater Jesu brachia levans in altum, vulnera contemplans, manus perforatas sacroquè Sanguine respersas intuens, vix sustinere se potuit. Jamquè manus, brachia sancta, & caput supra triste pectus suscepit, ut hoc ultimo & miserando solatio pos-

z Ibidem num. 8. & 9.

a Ser. de lament. V. M. num. 8. tom. 6. pag. 1050. b Ibidem num. 9. & 10.

poſſet conſolari. Quem ut attingere valuit, amore materno ruens in dulciſſimos amplexus & oſcula, de ſuo ſic malè tractato Filio non poterat ſatiari. Sed cùm de cruce Corpus ejus fuiſſet totaliter depoſitum, præ doloris vehementia & amoris immenſitate quaſi exanimis facta fuit. Stabat ad Caput extincti Filii mæſtiſſima Mater, & ejus regalem faciem mortis obfuſcatam palloribus, magnâ rigabat affluentiâ lachrymarum, Aſpiciebat illud reverendiſſimum Caput coronæ ſpineæ diris aculeis perforatum, manus illas & pedes ſacros clavis ferreis crudeliſſimè perforatos, latuſquè perfoſſum lanceâ, cum cæteris membris laceratis. Et amariſſimè ſuſpirans ac flens, dicebat: O Fili mi dulciſſime quid feciſti? Quare crudeliſſimi Judæi te crucifixerut? Quæ cauſa mortis tuæ? Commiſiſtine ſcelus ut tali morte damnareris? Non Fili, non Fili: ſed ſic tuos redimere dignatus es, ut poſteris exempla relinqueres. In gremio meo nunc te mortuum teneo. Quid ego tua Mater Fili mi dilectiſſime faciam? Væ mihi Fili mi, dulcedo mea, conſolatio mea, vita mea. Ubi eſt illud gaudium indicibile, quod in tua admirabili Nativitate habui? Væ mihi Fili mi! in quantum dolorem & triſtitiam verſum eſt illud tam magnificum gaudium? Sucurre mihi Fili mi, & Spiritum Sanctum mihi interim infunde, quia jam gaudii illius, quod in obũbratione & Angelica ſalutatione percepi, ferè præ dolore immemor deficio. Interim autẽ frontem et genas, naſum & oculos, oſquè ſimul frequentiùs oſculabatur, tantâ perfluens affluentiâ lachrymarum, ut carnem cum ſpiritu reſolvi putares in lachrymas. Rigabat felicibus lachrymis Corpus exanime Filii, & cogitabat mirabilia facta Unici ſui, & duriſſima opprobria & tormenta: quæ viderat oculis ſuis & auribus audierat, revolvebat in mente, quis videlicet, qualis & quantus fuerat, quem ipſa Virgo concepit illæſo pudore, & peperit ſine dolore: quem etiam cum ſumma diligentia lactaverat, cuſtodierat & educaverat: qui erat ei vita & dulcedo, gaudium & ſolatium, conſilium & refugium, & auxilium vitæ ſuæ. Videbat, inquam, Dominum & Deum ſuum, Unicum ſuum Filium ſic viliter & crudeliter pertractatum. Unde dicebat: Dic Fili dilectiſſime, dic amor unice, vitæ meæ ſingulare gaudium, unicum ſolatium, quare ſic me dolore perimi permittis? Cur tam longè factus es à me? Deus meus conſolare animam meam, miſerere mei, & reſpice in me. Dicat qui poteſt [c] cogitet quantùm poteſt, meditetur ſi poteſt, quæ doloris immenſitas tunc Maternam animam cruciabat? Non credo plenè enarrari vel meditari poſſe dolorem Virginis, niſi tantum fuiſſe credamus, quantum unquam dolere potuit de tali Filio talis Mater. Verumtamen rectum erat amoris, & mæroris continens modum. Non deſperabat, ſed piè & juſtè dolebat, ſperans tamen firmiter, fortiterquè tenens ipſum ſecundùm promiſſũ ſuũ tertia die reſurgere à mortuis In ipſa enim ſola in triduo illo fides Eccleſiæ ſtabat: & dum unuſquiſque hæſitabat, hæc quæ fide concepit, fidem quam à Deo ſemel ſuſcepit, nunquam perdidit, ſpequè certiſſima Domini reſurgentis gloriam expectavit. Aderant ſecum quædam ſanctæ & paucæ mulieres paruuſquè virorum numerus, qui Chriſtum Dominum cum Matre flente amariſſimè flebant. Erant ſimiliter & Angeli dolentibus condolentes. Dolebant quidem pio juſtoquè dolore, morti compatientes Dei & Domini ſui, ſi tamen dolere quomodolibet poterant. Sed credo quòd gaudentes erant, eò quòd genus humanum miſerum & captiuum miſericorditer redimebatur. Flebant tamen & ipſi Angeli (ut arbitror) amariſſimè mente turbati, videntes Dominã ſuam, Matrem utiq; Dei ſui tam vehementi dolore repletam, tot riuulis lachrymarum perfuſam. O quis tunc Angelorum Archangelorumq; etiam contra naturam ſuam non fleret, ubi Auctor naturæ, Deus immortalis Homo mortuus jacebat? Videbant Chriſti corpus ſic malè tractatum ab impiis, ſic laceratum à peſſimis jacere exanime, ſuo Sanguine cruentatum. Videbant etiam illam piiſſimam, illam Sanctiſſimam ac Beatiſſimam Virginem Matrem ejus tantis cruciari ſingultibus, tam amaris repleri doloribus, tam abundantibus lachrymis madidari, & ſic amariſſimè flere, ut nullo modo potuerit ſuas lachrymas refrenare. Et quis poterat tunc à lachrymis abſtinere? Fiebat proinde mæror & luctus ab Angelis ibidem præſentibus, qualis decebat Spiritus almos: imò mirarer ſi omnes Angeli in illa beatitudine ubi flere eſt impoſſibile, non fleviſſent? Credo, propter quod & loquor, quia dolebant ſi dolere valebant. Sicut enim fuit poſſibile Deum per aſſumptum hominem mori, ita poſſibile erat Angelos bonos dolere de morte Domini ſui. Sic enim legimus [d] juxta Iſajæ vaticinium: *Angeli pacis amarè flebant*.

§. I.I.

Agnoſce ô homo (e) quàm grauia ſunt vulnera animæ tuæ, pro quibus neceſſe erat Dominum Chriſtum vulnerari. Si non eſſent hæc ad mortem, & mortem ſempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Quid ergo facis homo ingrate? (f) Adora deuotiùs, & recole frequentiùs Salutem mundi pro te paſſam, Vitam pro te mortuam, Fortitudinem infirmatam. Si membrum Chriſti es, compatere Capiti tuo. Si frater Chriſti es, commorere Fratri tuo. Plange, dole cum gemitu & lachrymis ſuper mortem precioſam Vnigeniti Dei Patris. Venite quæſo & condolete ei omnes (g) qui gaudere deſideratis in Domino. Attendite manu fortem noſtrum, quomodo contritus eſt: deſiderabilem noſtrum, quomodo miſerabiliter deformatus eſt: pacificum noſtrum, quomòdo in bello peremptus eſt. Quis hìc gemitus (h) lachrymaſquè contineat? Quis hìc non doleat? Quia ſi eſt pium gaudere pio Jeſu, ita eſt pium flere pium Jeſum. Vacate & videte quàm amarâ, quàm turpi morte condemnatus eſt. Suſtinet enim adhuc, & diligenter conſiderat, ſi quis ſit qui ſimul contriſtetur: ſi quem inueniat, qui Sanguinis riuos abſtergat, & de Cruce depoſitum Corpus ſuum munda ſindone non panni, ſed cordis inuoluat, & flens cum beatis mulieribus flentibus ad

tumulum

c Ibidem num. 11.

d Ser. 2. in Cã. n. 5. e Ser. 3. in Nat. D. n. . f Ser. de exc. SS. Sacr. n. 6. g Tract. de vite myſt. cap. 5. num. 27. h Ibid. Cap. 4. num. 15. & 16

tumulum prosequatur. Legimus in libro experientiæ: (i) Conuertimini ad vos ipsos, et attendat vnusquisque conscientiam suam super his quæ dicenda sunt. Explorare velim, si cui vnquam vestrûm ex sententia dicere datum sit: *Osculetur me osculo oris sui*. Non est enim cujusvis hominum ex affectu hoc dicere: sed si quis ex Ore Christi spirituale osculum vel semel accepit, hunc proprium experimentum profectò solicitat, & repetit libens. Ego arbitror neminem vel scire posse quid sit, nisi qui accipit. Est quippe manna absconditum: & solus qui edit, adhuc esuriet. Est fons signatus, cui non communicat alienus: sed solus qui bibit, adhuc sitiet. Audi expertum quomodo requirit: *Redde mihi*, inquit, *lætitiam salutaris tui*. Minimè ergo id sibi arroget mei similis anima onerata peccatis, suæquè adhuc carnis obnoxia passionibus, quæ suavitatē Spiritus Sancti necdum senserit, internorum ignara planè atque inexperta penitùs gaudiorum. Ostendo tamen eidem animæ suæ quæ hujusmodi est, locum in Salutari sibi congruentem. Non temerè assurgat ad Os Serenissimi Sponsi, sed ad *Pedes* severissimi Domini Jesu Christi crucifixi mecum pavida jaceat, & cum Publicano terram tremens non cælum aspiciat: ne confusa in luminaribus cæli facies assueta tenebris opprimatur à gloria, atque insolitis reverberata splendoribus Majestatis, densioris rursùm cæcitate caliginis obuoluatur. Non tibi, ô quæcunque es talis anima, non tibi ille locus vilis aut despicabilis videatur, ubi sancta peccatrix peccata deposuit, induit sanctitatem. Ibi Æthiopissa (*Maria Magdalena*) mutavit pellem, & in nouum restituta candorem, jam tunc fiducialiter veraciterquè respondebat exprobrantibus sibi verbum: *Nigra sum, sed formosa, filia Jerusalem*. Miraris quanam id arte potuerit, vel quibus obtinuerit meritis? Paucis accipe, Fleuit amarè, & de intimis visceribus longa suspiria trahens, salutaribus intra se succussa singultibus felleos humores evomuit. Cælestis medicus celerrimè subuenit: quia velociter currit sermo ejus. Numquid non potio est sermo Dei? Est utique fortis & vehemens, & scrutans corda & renes. Hujus ergo beatæ pænitentis exemplo prosternere & tu, ô misera anima, ut desinas esse misera: prosternere & tu in terram, amplectere *Pedes* Domini Jesu Christi crucifixi, placa osculis, riga lachrymis, quibus tamen non illum laves, sed te, & fias una de grege tonsarum quæ ascendunt de lavacro. Ita sanè, ut suffusum pudore ac mærore vultum non ante sostollere audeas, quàm audias & ipsa, *Dimittuntur tibi peccata tua*: quàm audias, *Consurge, consurge captiva filia Sion, consurge, excutere de pulvere*. Sumpto itaque ad *Pedes* primo osculo, nec sic quidem præsumes ad osculum *Oris* assurgere: sed erit tibi gradus ad ipsum medium quoddam aliud osculum, quod secundo loco ad *Manum* accipias. Si dixerit mihi Jesus crucifixus: *Dimittuntur tibi peccata tua*: nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exvi tunicam meam: si reinduero eam, quantum profeci? Si rursùs pedes meos quos lavêram inquinavero, numquid aliquid lavisse valebit? Sordens omni genere vitiorum jacui diu in luto fæcis: sed erit sine dubio recidenti, quàm jacenti deterius. Denique qui me sanum fecit, ipsum mihi dixisse recordor: *Ecce sanus factus es, vade, jam ampliùs noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*. Qui autem dedit voluntatam pænitendi, opus est ut addat & continendi virtutem: ne iterem pænitendo, faciamquè novissima mea pejora prioribus. Væ enim mihi etiam pænitenti, si ille statim subtraxerit Manum, sine quo nihil possum facere. Nihil inquam: quia nec pænitere, nec continere. Audio proinde quod consulit Sapiens: *Verbum* (inquit) *in oratione ne iteres*. Paveo & illud quod judex intentat arbori non facienti fructum bonum. Fateor pro huiusmodi non sum omninò contentus priori gratia, qua jam malorum sum pænitens, nisi & secundam gratiam accepero: ut videlicet dignos faciam pænitentiæ fructus, & deinceps non revertar ad vomitum. Hoc ergo restat mihi priùs petendum & accipiendum (k) quàm præsumam altiora & sacratiora contingere. Nolo repentè fieri summus; paulatim proficere volo. Quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum pænitentis verecundia placet. Citiùs placas eum, si mensuram tuam servaveris, & altiora te non quæsieris. Longus saltus & arduus est de Pede ad Os, sed nec accessus conveniens. Quid enim? Recenti adhuc respersus pulvete, Ora sacra continges? Heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præsentaris? Per Manum tibi transitus sit. Illa priùs te tergat, illa te erigat. Quommodò erigat? Dando ut præsumas. Quid istud? Decor continentiæ, & digni pænitentiæ fructus, quæ sunt opera pietatis. Hæc te de stercore erigent in spem audendi potiora. Sanè accipiendo donum, osculare Manum: hoc est, non tibi, sed Nomini ejus da gloriam. Da semel, & da iterùm, tum pro donatis criminibus, tum pro collatis virtutibus. Jam tandem in osculis duobus (l) geminum habens Divinæ dignationis experimentum, forsan non confunderis præsumere sanctiora. Quantùm quippè crescis in gratia, tantùm & in fiducia dilataris. Inde fit, ut & ames ardentiùs, & pulses fidentiùs pro eo quod tibi deesse sentis. Porrò pulsanti aperietur. Jam summum illud quodcunque est summæ dignationis & miræ suavitatis osculum credo non nagabitur sic affecto. Hæc via, hic ordo est. *Primò* ad *Pedes* procidimus, & ploramus coram Domino qui fecit nos, ea quæ fecimus nos. *Secundò* quærimus *Manum* sublevantis, & roborantis genua dissoluta. *Tertiò* cùm ista multis precibus & lachrymis obtinemus, tum demùm audemus forsitan ad ipsum *Os* gloriæ caput attollere (pavens & tremens dico) non solùm speculandum, sed etiam osculandum, quia spiritus ante faciem nostram Christus Dominus: cui adhærentes in osculo sancto, unus spiritus ipsius dignatione efficimur. Tibi Domine Jesu crucifixe [m] tibi meritò dixit cor meum: *Exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*. Nempè auditam fecisti mihi manè misericordiam tuam, cùm jacenti primùm in pulvere, tuaquè deosculanti reverenda *Pedum* vestigia, quod malè vixeram remisisti. Porrò in

Vv

i *Ser. 3. in Cant. n. 1. 2. & 3.*

k *Ibidem num. 4.* l *Ibidem num. 5.* m *Ibidem num. 6.*

in progressu diei lætificasti animam servi tui, cùm deinde in osculo *Manus* etiam benè vivendi gratiam indulsisti. Et nunc quid restat, ô bone Domine, nisi ut jam in plenitudine lucis, in fervore spiritûs ad *Oris* quoque osculum dignanter admittens adimpleas me lætitiâ cum vultu tuo.

§. III.

Triplicem quendam animæ profectum (n) sub nomine trium osculorum sermo superior complexus est. Is mihi sermo nunc hac disputatione prosequendus erit. Diximus illa oscula sumi ad Pedes, ad Manum, ad Os Jesu crucifixi, singula singulis referentes. In *primo* sanè osculo primordia dedicantur nostræ conversionis. *Secundum* autem osculum proficientibus indulgetur. Porrò *tertium* osculum sola experitur & rara perfectio. Sunt autem hi tres animarum affectus sive profectus (o) expertis duntaxat satis noti & manifesti: cùm homo pænitens aut de actis malis indulgentiam, aut de bonis agendis gratiam, aut ipsius etiam indultoris & benefactoris sui præsentiam, eo quidem modo quo in corpore fragili possibile est, obtinet intueri. Cæterùm primum & secundum qua ratione oscula nominaverim, manifestiùs accipite. Osculum, pacis indicium esse omnes novimus. Porrò autem si (ut Scriptura loquitur) *peccata nostra separant inter nos & Deum*, tollatur de medio quod interest, & pax est. Cùm ergo satisfacimus ut ablato quod separat peccato reconciliemur, indulgentiam quam recipimus, quid nisi quoddam osculum dixerim pacis? Idquè interim non alibi, quàm ad *Pedes* Crucifixi sumendum. Humilis quippè & verecunda debet esse satisfactio, qua emendatur superba transgressio. At cùm etiam ad vivendum emendatiùs, Deoquè digniùs conversandum, placida quadam amplioris gratiæ familiaritate donamur, cum ampliori fiducia caput jam levamus de pulvere, Largitoris nostri Jesu crucifixi *Manum* osculaturi, si tamen de accepto munere non nostram, sed Auctoris gloriam quærimus, eiquè sua dona & non nobis adscribimus. Alioquin si in te & non magis in Domino gloriaris, propriam profectò & non Domini manum osculari convinceris, quod juxta Beati Job sententiam est *iniquitas maxima, & negatio in Deum*. Si ergo ad Scripturæ testimonium propriam gloriam quærere, propriam est osculari manum, profectò qui dat gloriam Deo, Dei dicitur non incongruè Manum osculari. Et in hominibus quidem ita esse videmus, servos videlicet offensorum dominorum osculari solere pedes, cùm ab ipsis veniam petunt; & pauperes divitum manus, cùm ab eis munus accipiunt. Verùm quia spiritus est Deus (p) & nullis simplex illa substantia membris distincta corporeis; erit forsan qui nullatenùs de illo recipiat tale aliquid, sed à me sibi Dei Manus & Pedes flagitet demonstrari, sicquè probari quod de osculo Pedum Manusuè diffinio. Sed quid si & ego vicissim ab ipso meo sciscitare de *Ore* quoque Dei requisiero, quatenùs quod de Oris osculo Scriptura loquitur, ad Deum pertinere demonstret? Nempè aut cum isto simul & illa habet, aut cum illis pariter & isto caret. Sed enim & Os habet Deus, quo docet hominem scientiam: & *Manum* habet, qua dat escam omni carni: & *Pedes* habet, quorum terra scabellum est, ad quos nimirùm peccatores terræ conversi atque humiliati satisfaciunt. Hæc, inquam, habet Deus omnia per effectum, non per naturam. Invenit profectò apud Deum & verecunda confessio, quò se humiliando deiiciat; & prompta devotio, ubi se innovando reficiat; & jucunda contemplatio, ubi excedendo quiescat. Verùm illos spirituales Pedes Dei [q] quos primo loco spiritualiter osculari pænitentem oportet, præterire me non oportet. Novi ego curiositatem vestram, quæ nil sua voluntate inscrutatum omninò prætereat. Nec verò ducendum contemptui, nosse quibus Scriptura Pedibus tam frequenter Deum commemorat, nunc quidem *stare*, ut ibi: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*: Nunc verò *ambulare*, ut ibi: Et *habitabo in illis, & deambulabo in eis*: Nunc etiam *currere*, juxta illud: *Exultavit ut gigas ad currendam viam*. Si rectè Paulo Apostolo visum est Caput Christi referre ad Deitatem, puto & nobis non incongruè videri Pedes ad hominem pertinere: quorum alterum *Misericordiam*, alterum *Judicium* nominemus. Felix mens (r) cui semel Dñus Jesus crucifixus utrũq: infixerit pedem. A duobus signis cognoscite eam quæ hujusmodi est, quæ secum necesse est referat Divinis impressa vestigiis. Ipsa sunt *timor* & *spes*: illa *judicii*, ista *misericordiæ* repræsentans imaginem. Meritò *beneplacitum est Deo super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus*: cùm sapientiæ timor initium sit, spes profectus. Nam consummationem sibi charitas vendicat. Quæ cùm ita sint [s] non parvus fructus est in primo hoc osculo quod ad *Pedes* accipitur, tantùm curato, ut neutro frauderis illorum. Porrò enim si jam dolore peccati & judicii timore compungeris, veritatis judiciiquè vestigio labia impressisti. Quod si timorem doloremquè Divinæ intuitu bonitatis, & spe consequendæ indulgentiæ temperas, etiam misericordiæ Pedem amplecti te noveris. Alioquin alterum sine altero osculari non expedit, quia & recordatio solius Judicii in barathrum desperationis præcipitat, & Misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem. Datum est & mihi misero nonnunquã sedere secùs Pedes Domini Iesu crucifixi, & modò hunc, modò illum tota devotione amplecti, inquantùm me sua benignitas dignabatur admittere. At si quando miserationis oblitus stimulante conscientia, Judicio paulò diutiùs inhærerem; mox metu incredibili ac miserabili confusione dejectus, & tenebroso circumfusus horrore, hoc solum palpitans de profundis clamabam: *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Quòd si eo relicto Pedem, Misericordiæ plùs tenere contingeret, tanta è contrario incuriâ & negligentiâ dissolvebar, ut confestim & oratio tepidior, & actio pigrior, & risus promptior, & sermo incautior, & omnis denique utriusque hominis status inconstantior appareret. Proinde magistrâ instructus

expe-

n Ser. 4. in Cant. num. 1. o Ibidem num. 2. p Ibidem num. 3.

q Ser. 6. in Cant. num. 4. r Ibidem num. 5. s Ibidem n. 6.

experientiâ, non Judicium jam solum aut solam Misericordiam, sed Misericordiam pariter & Judicium cantabo tibi Domine. In æternum non obliviscar justificationes istas. Cantabiles mihi erunt ambæ pariter in loco peregrinationis meæ; quousque Misericordia superexaltata Judicio, miseria conticescat, ac sola cantet tibi de cætero gloria mea, & non compungar.

§. IIII.

Osculetur me osculo oris sui. Cant. 1.

Ipse mihi laborem suscito libèns [t] qui vos spontè provoco ad quærendum. Quia enim ego primi osculi occasione spirituales Dei *Pedes* propriis diffinitionibus ac nominibus equidem ex abundanti demonstrare curavi, vos pergitis inquirere & de *Manu* Iesu crucifixi, quæ secundo loco osculanda proponitur. Annuo, gero vobis morem, insuper non manū sed *manus* ostendo, propriisquè destinguo vocabulis: *Latitudo* una, altera *fortitudo* dicatur: quòd & tribuat affluenter, & defendat potenter quod dederit. Utramque profectò *Manum* osculabitur qui ingratus non fuerit: Deum utique bonorum omnium sicut largitorem, ita & conservatorem recognoscens & confitens. Satis de duobus osculis dictum esse reor [u] videamus & de tertio quid dicatur. *Osculetur*, inquit, *me oculo oris sui*. Quis dicit? Sponsa. Quænam ipsa? Anima sitiens Deum. Sed pono diversas affectiones, ut ea affectio quæ propriè Sponsæ cogrvit, distinctiùs elucescat. Si seruus est, timet à facie Domini. Si mercenarius est, sperat de manu domini. Si discipulus est, aurem parat magistro. Si filius est, honorat patrem. Quæ verò osculum postulat, àmat. Excellit; in naturæ donis affectio hæc amoris: præsertim cùm ad suum recurrit principium, quod est Deus. Nec sunt inventa æquè dulcia nomina, quibus Verbi Animæquè dulces adinvicem exprimerentur affectus, quemadmodùm Sponsus & Sponsa: quippè quibus omnia communia sunt, nil proprium, nil à se divisum habentibus. Una utriusque est hæreditas, una domus, una mensa, unus thorus, una etiam caro. Denique propter hanc relinquet ille patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Hæc quoque jubetur nihilominùs oblivisci populum suum, & domum patris sui, ut concupiscat ille decorem ejus. Si ergo amare specialiter sponsis principaliterquè convenit [x] non immeritò *Sponsæ* nomine censetur anima quæ amat. Amat autem quæ osculum petit. Non petit libertatem, non mercedem, non hæreditem, non denique vel doctrinam, sed oculum: more planè castissimæ Sponsæ sacrum spirantis amorē, nec omninò volentis flammam dissimulare quam patitur. Vide enim quale præripiat sermonis exordium. Magnum quid à magno petitura, nullo tamen (ut assolet) utitur blanditiarum fuco, nullis circūvolutionbus adid quod desiderat ambit. Nō facit proœmiū, non captat benevolentiā: sed ex abundantia cordis repentè prorūpens, nudè frontoseq; satis, *Osculetur me*, ait, *osculo oris sui*. An non tibi quasi dicere manifestè videtur: Quid mihi est in cælo, & à te quid volvi super terram? Amat profectò *castè*: quia ipsum quem amat, quærit, non aliud quidquam ipsius. Amat *sanctè*: quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritûs quærit. Amat *ardenter*: quia ita proprio inebriatur amore, ut majestatē non cogitet. Quid enim? Respicit terram, & facit eam tremere: & ista se ab eo postulat osculari? Ebriane est? Ebria prorsùs. Et fortè tunc cùm ad ista prorupit, exierat de cella vinaria, quò se nimirùm introductā postmodùm gloriatur. Nam & David de quibusdam dicebat Deo: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tua potabis eos*. O quanta amoris vis! quanta in spiritu libertatis fiducia! Quid manifestius, quàm quòd perfecta charitas foras mittit timorem? Vecundè tamen non ad ipsum Sponsum sermonem dirigit [y] sed ad alios tanquam de absente: *Osculetur me*, inquiens, *osculo oris sui*. Grandis quippè res petitur, & opus est verecundiâ comitari precem, commendare petentem. Itaque per domesticos & intimos accessus ad intima quæritur, ambitur ad desideratum. Quinam illi? Credimus Angelos Sanctos astare orantibus, offerre Deo preces & vota hominum. Hos itaque puto inter orandum alloqui Sponsam [z] & ipsis tanquam Sponsi domesticis ac soladibus desiderium cordis sui aperire cùm ait: *Osculetur me oculo oris sui*. Et videte familiare amicumquè colloquium Animæ in carne suspirantis cum cælestibus Potestatibus. Gestit in oscula, petit quod cupit, non tamen nominat quem amat: quia illos nosse non dubitat, utpote de quo sibi frequens cum illis soleat esse confabulatio. Propterea non dicit: Osculetur me ille vel ille, sed osculetur me tantùm. Denique audite attentiùs, [a] quod sapit suaviùs, & gustatur rariùs, & intelligitur difficiliùs. Mihi videtur (ut paulò altiùs inchoem) ineffabile quoddam atque inexpertum omni creaturæ osculum Oris designasse, qui ait: *Nemo novit Filiū nisi Pater, & nemo novit Patrem nisi Filius, aut cui voluerit Filius revelare*. Itaque sufficit sponsæ si osculetur ab osculo Sponsi, etiāsi non osculetur ab Ore. Nec enim exiguum quid aut vile putat osculari ab osculo: quod nō est aliud nisi infūdi Spiritu Sancto. Nempè [b] si rectè Pater osculans, Filius osculatus accipitur: non erit abs re osculū Spiritum Sanctum intelligi, utpotè qui Patris Filiiquè imperturbabilis pax sit, gluten firmum, individuus amor, indivisibilis unitas. De ipso igitur audet Sponsa, ipsumquè infundi sibi fidenter sub osculi nomine petit. Tenet quippè aliquid unde non desit occasio præsumendi. Dicens enim Filius: *Nemo novit Filium nisi Pater, & nemo novit Patrem nisi Filius*: adiecit, *aut cui voluerit Filius revelare*. Non autē diffidit Sponsa, quin sibi velit, si cui volverit. Petit ergo audenter dari sibi osculum, hoc est, Spiritum illum in quo sibi & Filius reveletur & Pater. Alter enim sine altero nequaquam innotescit. Unde est illud: *Qui videt me, videt & Patrem meum*. Et illud Joannis: *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet. Qui autem confitetur Filium, & Patrem habet*. Ex quibus liquidò constat quia nec Pater sine Filio, nec Filius sine Patre

t Ser. 3. in Cant. num. 1. u Ibidem num. 2. x Ibidem num. 3. y Ibidem num. 4. z Ibidem num. 8. a Ser. 8. in Cant. num. 1. b Ibidem num. 2.

Patre agnoscitur. Meritò proinde non in alterius tantùm, sed in utriusque cognitione constituit summam beatitudinē qui dicit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Sed dicit aliquis: [c] Ergo & Spiritus Sancti agnitio non est necessaria, eò quòd, cùm dixerit esse vitam æternam nosse & Patrem & Filium, de Spiritu Sancto tacuerit? Est utique: sed ubi Pater & Filius per fectè agnoscitur, utriusque bonitas, quæ Spiritus Sanctus est, quomodò ignoratur? Neque enim integrè homo homini innotescit, quamdiu latet utrumnam bonæ an malæ sit voluntatis. Quanquam & cùm dictum est: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*; profectò si missio illa beneplacitum tam Patris benignè mittentis, quàm Filii voluntariè obedientis demonstrat, non omninò tacitum est de Spiritu Sancto, ubi tantæ utriusque gratiæ mentio facta est. Utriusque siquidem amor & benignitas Spiritus Sanctus est. Trinæ ergo hujus agnitionis infundi sibi gratiam (d) quantum quidem capi in carne mortali potest, Sponsa petit cùm osculum petit. Petit autem à Filio, quia Filii est cui voluerit revelare. Revelat ergo Filius seipsum cui vult, revelat & Patrem. Revelat autem sine dubio per osculum, hoc est per Spiritum Sanctū, Paulo Apostolo teste qui ait: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* At verò dando Spiritum per quem revelat, etiam ipsum revelat. Dando revelat, & revelando dat. Porrò revelat io, quæ per Spiritum Sanctum fit, non solùm illustrat ad *agnitionem*, sed etiam accendit ad *amorem*, dicente Paulo: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.* Et quia doctrina Spiritûs non curiositatem acuit (e) sed charitatem accendit: proinde meritò Sponsa quem diligit anima sua inquirens, non se suæ carnis sensibus credit, non curiositatis humanæ inanibus ratiociniis acquiescit, sed petit osculum, id est Spiritum Sanctum invocat, per quem accipiat simul & scientiæ gustum, & gratiæ condimentum. Et benè scientia quæ in osculo datur, cum amore recipitur: quia amoris indiciū osculum est. Scientia verò quæ inflat, cùm sine charitate fit, non procedit ex osculo. Sed nec qui zelum Dei habent, & non secundùm scientiā, sibi ullatenùs arrogent illud. Utrumque enim munus simul fert osculi gratia, & agnitionis lucem, & devotionis pinguedinem. Est quippè Spiritus sapientiæ & intellectus, qui instar apis ceram portantis & mel, habet omninò & unde accendat lumen scientiæ, & unde infundat saporem gratiæ. Neuter ergo se osculum percepisse putet, sive qui veritatem intelligit, nec diligit: sive qui diligit, nec intelligit. Sanè in osculo isto nec error locum habet, nec tepor. Quamobrem geminæ gratiæ sacrosancti osculi suscipiendæ paret è regione duo labia sua quæ Sponsa est, intelligentiæ rationem, sapientiæ voluntatem: ut de pleno osculo glorians mereatur audire: *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Hoc osculum pollicebatur & ipse Salvator [f] cùm ad instantiam orationis exhortabatur discipulos: *Si vos, inquit, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona, id est Spiritum bonum petentibus se?* Ex hujus osculi impressione suscipit anima rationalis ab ipso Sponso suo Jesu Christo Dei cognitionem, & amorem veritatis, quæ duo quasi labia imprimit ei ipsa Dei Virtus & Dei Sapientia. Siquidem Sapientia cognitionem, Virtus confert amorem. Habet & ipsa anima similiter duo labia, quibus osculatur Sponsum suum Jesum, id est rationē & voluntatem. Rationis est percipere Sapientiam, voluntatis Virtutem. Si sola ratio percipiat Sapientiæ cognitionem, & voluntas non habet Virtutis amorem, non est plenum osculum. Aut si sola voluntas obtineat amorem, & ratio minimè percipiat cognitionē, nihilominùs est semiplenū osculum. Tunc verò plenum & perfectum est osculum, quando & Sapientia illustrat rationem animæ, & Virtus afficit voluntatem. Felix osculum (g) per quod non solùm agnoscitur Deus, sed & diligitur Pater: qui nequaquā plenè cognoscitur, nisi cùm perfectè diligitur. Quæ in vobis anima sensit aliquando in secreto conscientiæ suæ Spiritum Filii clamantem, *Abba Pater*? ipsa paterno se diligi præsumat affectu, quæ eodem se Spiritu quo & Filius, affectam sentit. Confide quæcunque es illa anima, confide nihil hæsitans. In Spiritu Filii, filiam cognosce te Patris, sponsam Filii & sororem. O sancta anima, reverentiam habe, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & fortasè non osculandus, sed adorandus cum Patre & Spiritu Sancto in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT IX.

De sepultura Corporis Jesu christi mortui.

1. *Ostenditur Christum non indiguisse, ut corpus suum exanime liniretur glutinosa aromatum unctione: quia corruptioni minimè erat obnoxium propter unionem hypostaticam, quæ in Corpore simul & in Anima licet abinvicem separatis perseveravit.* 2. *Ostenditur, Angelos convenisse ad Christi sepulchrum, & ibi devotas exequias decantâsse: sed Matrem Jesu gemuiße & doluisse super mortem ejus tam ante quàm post sepulturam, necnon amaro corde opprobriosam Passionem ejus recogitasse.* 3. *Ostenditur, tres illas mulieres, quæ emerunt aromata ut venientes ungerent corpus Jesu, tropologicè significare mentem, manum, & linguam: quibus curatur salus proximi. Proponitur nobis ratio mystica, cur Christus noluit ungi corpus suum exanime in sepulchro positum.*

§. I.

Rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa, ut tolleret Corpus Iesu: & permisit Pilatus. Venit autem & Nicodemus ferens mixturam myrrhæ & aloes, quasi libras centum. Acceperunt autem Corpus Jesu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. Joan. 19.

COgnosce anima mea (a) cognosce: hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator

c Ibidem num. 3. d Ibidem num 4. e Ibidem num. 5. f Ser. 89. divers. num. 2.

g Ser. 8 in Cant. num. 9. a Ser. de Pass. Dom. num. 15.

tor tuus, Vnigenitus Dei Filius, verus Deus, verus Homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce (b) glutinosa aromatum unctione linitur: non quòd opus haberet corpus illud hujusmodi aromatibus solidari, quod dissolvi omninò non poterat, aut videre corruptionem: sed qui propter nos Judæorum sputa sustinuit, propter nos quoque fidelium non est dedignatus unguenta. Propter vitium [c] *Omnis caro fœnum* (ait Isajas) *& omnis gloria ejus tanquam flos fœni: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* Sed non ille flos, qui de virga & radice Jesse ascendit: eò quòd requievit super eum Spiritus Domini. Nec illud fænum, quod Verbum caro factũ est, pro eo quòd sequitur in eodem Propheta, qui dicit: *Verbum autẽ Domini manet in æternum.* Si enim fænum Verbum, & Verbum in æternum manet, fænum quoque necessè est maneat in æternum? Alioquin quomodò vitam præbet æternam, si ipsum minimè manet in æternum? Ait enim: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et quem panem dicat, aperit cùm subjungit: *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quomodò ergo æternum non est, quo æternaliter vivitur? Sed recole nunc mecum (d) vocem Filii ad Patrem loquentis in Psalmo: *Non dabis*, inquit, *Sanctum tuum videre corruptionem.* Haud dubium quin de Corpore dicat, quod in sepulchro jacebat exanime. Hoc enim Sanctum & Angelus Gabriel, qui nunciavit Virgini Mariæ, locutus est dicens: *Et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Attende quæso [e] quàm reverentur dixerit: *Quod nascetur ex te Sanctum.* Ad quid enim ita simpliciter Sanctum & absque additamento? Credo quia non habuit quid propriè dignevè nominaret illud eximium, illud magnificum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis carne cum sua anima Unico Patris Filio erat vniendum. Si diceret: Sancta caro, vel Sanctus homo, vel Sanctus infans, quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinitè, *Sanctum*: quia quidquid illud sit quod Virgo genuit, Sanctum proculdubio ac singulariter Sanctum fuit, & per Spiritûs sanctificationem, & per Verbi assumptionẽ. Quo ergo pacto Sanctũ fænũ poterat videre corruptionẽ (f) quod de incorrupti uteri perpetuo virore vernantibus pascuis ortum, etiã avidos Angelorum in se figere possit obtutus insatiabiliter oblectandos? Perdat sanè fænum viriditatem, si Maria Virginitatem amiserit. Pulchrè (g) autem & convenientissimè *flos campi sum*, ait, qui absque humana industria prodiit, & semel prodeunti nulla est deinceps dominata corruptio, ut sermo impleatur quem dixit: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Ferculum itaque imputribile fecit sibi pacificus noster (h) Corpus incorruptibile aptans sibi, in quo salutis epulas ministret. *Non dabis*, inquit, *Sanctum tuum videre corruptionem.* Illud utique de quo Gabriel ad Mariam, *Quod nascetur*, ait, *ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* O verè Sanctum! (i) Non dabis Dñe Sanctum tuum videre corruptionem, quod nec Matri quidem abstulit incorruptionem. Tua Domine miseratione (k) solvitur aliquatenùs hoc templum, sed penitùs non dissolvitur. Separatur ab Anima Caro, sed Verbum sanè & carnis servat incorruptionem, & animæ plenam confert libertatem: ut sola inter mortuos liberè agat, educat vinctos de domo carceris, sedentes in tenebris & umbra mortis. Ponit Anima sancta Carnem immaculatam, sed resumendam tertia die: ut moriens mortem perimat, & vita omnium cum resurgente resurgat. Quid Divinitate [l] potentius? Inde est quòd nec morte incidente ullatenùs intercidi personalis Unitas potuit, etsi Carne & Anima abinvicem separatis. Et fortasis hoc sensit Joannes, qui se indignum professus est solvere corrigiam calceamenti hujus. Porrò attende homo [m] quia sicut in illa singulari Divinitate Trinitas est in personis, Unitas in substantia: sic in ista speciali commixtione trinitas est in substantiis, in personis Unitas. Et sicut ibi personæ non scindunt Unitatem, Unitas non minuit Trinitatem: ita & hìc persona non confundit substantiam, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant Unitatem. Verbum enim & Anima & Caro in unam convenêre personam, & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confusione substantiæ sed Unitate personæ. Sed & alia tria sata de Evangelio mixta & fermentata in panem unum, (n) si quis ad hæc tria dixerit pertinere, non incongruè id mihi facere videbitur. Quàm benè ea Mulier fermentavit, ut nec divisione quidem facta Carnis & Animæ, à Carne vel Anima Verbum divideretur? Mansit & in separatione inseparabilis Unitas. Nec enim quæ ex parte contigit separatio potuit Unitati præscribere, permanenti in totis tribus. Sive conjunctis, sive disiunctis duobus, nihilominùs perseveravit in tribus Unitas personalis. Æquè unus Christus, unaquè persona, Verbum & Anima & Caro, etiam mortuo homine perduravit. In utero Virginis (ut sentio ego) commixtio hæc & fermentatio facta est: & ipsa Mulier quæ miscuit, & fermentavit: nam fermentum non immeritò fortasè dixerim fidem Mariæ. Planè beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei à Domino. Perfecta autem non essent, si quominùs juxta verbum Domini esset fermentatum totum, & perpetuò fermentatum; servans nobis tam in morte quàm in vita pariter unum atque integrum Mediatorem Dei & hominum cum sua Deitate Hominem Jesum Christum. Sed nec prætermittam myrrham (o) quâ in Cruce potatus est: sed neque illam, quâ unctus est in sepulturam. Quarum in prima sibi applicuit meorum amaritudinem peccatorum, in secunda futuram mei corporis incorruptionem dedicavit. Denique securus expecto promissam mihi gloriam incorruptionis in carne mea (p) quando quidem conservata per eum est incorruptio etiam in Matre sua. Facilè erit ei, per quem Mater ipsa incorruptionem non perdidit pariendo, ut & corruptibile hoc incorruptionem induat resurgendo.

§. II.

Erat autem in loco, ubi crucifixus est Iesus, hortus, & in horto monumentum novum, quod exciderat Joseph in pe-

b Ser.4. divers. num.5. c Ser.35. in Cant. num.4. d Ibidem num.5. e Ser.4. Super. missus num.5. f Ser.35. in Cant. num.5. g Ser.47. in Cant. num.3. h Ser.5. in Vigil. Nat. Dom. num.3. i Ser.4. in Vigil. Nat. Dom. num.6. k Ser.2. in Nat. Dom. num.5.

l Lib.5. de consideras. ad Eugen. cap 9. num.21. m Ser.3. in Vigil. Nat. Dom. num.8. n Lib.5. de consider. ad Eugen. cap. 10. num. 22. o Ser.2. in Cæna Dom. num.7. p Ser.4. in Vigil. Nat. Dom. num.4.

in petra, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum. Et advolvit Joseph saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. Joan. 19. Luc. 23. Matt. 27. Mar. 15.

Joseph ab Arimathæa vir sanctus & justus [q] qui corpus Christi cum Nicodemo deposuerat de cruce, & [sicut Evangelista testatur] mercatus sindonem involvit illud, preciosis conditum aromatibus, & in monumento novo quod sibi exciderat, sepelivit. Tunc Angelorum millia millium, qui ad Christi sepulchrum convenerant, dulces ei ac devotas exequias & victoriam decantabant. Illi quidem Domino laudes canebant, sed Maria Virgo gemitus & suspiria emittebat. Dum ergo Joseph & Nicodemus Dominum ponerent in sepulchro, volebat simul cum illo Mater mæstissima sepeliri. Erat enim innixa super dilectum suum Filium, quem amplectens, suaviterquè deosculans sic dicebat: Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei. Illum adhuc paululùm mihi relinquite, ut faciem ipsius sublato velamine valeam contemplari, & præ amore ipsius aliquantulùm videndo consolari. Nolite quæso eum tam citò tradere sepulturæ, sed ipsum reddite mihi miseræ Matri suæ, ut illum mecum habeam saltem vel defunctũ: aut si illud in sepulchro reconditis, ibidem me miseram Matrem cum ipso sepelite, quia malè post ipsum superero. Ut quid post ipsum vivam? Illi ponebant Dominum in sepulchro, & illa nisu quo poterat, illum ad se trahere conabatur. Illa volebat eum sibi cum totis viribus retinere & ipsi volebant eum tradere sepulturæ. Sicquè pialis, tunc erat & contentio miseranda inter ipsos. Omnes tamen virgineo compatientes dolori, pio desiderio coacti sic amarissimè flebant, ut nullus eorum posset ad plenum verba formare. Videbant etenim piam Matrem omni quidem solatio destitutam, & super ipsam potiùs quàm super Dominum suum extinctum plangebant: major illis inerat dolor de dolore Matris, quàm de morte Domini sui. Flebant igitur omnes miserabili dolore gementes, cùm Christum Jesum vitæ Dominum & mortis traderent sepulturæ. Denique sepulto Domino [r] Mater ejus sepulchrum amplectitur, & voce qua poterat, suum benedicebat Filium jam sepultum, ingemiscensquè vocabat. O singularis Virgo & Mater, jam dicere poteras: Anima mea lique facta est ut dilectus locutus est in Cruce, quando dixit: *Mulier ecce Filius tuus*. Nunc dicere potes: *Quæsivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi*, scilicet ad sepulchrum. Ibi sedens innixo capite manus extendebat desuper illud osculans, amarissimisquè singultibus suum Filium deplorabat: & monumentũ [s] in quo posuerunt eum, modo mirabili madidabat lachrymis; ubi & ejus lachrymæ adhuc apparere dicũtur, indicativę doloris intimi, qui Animã ejus tanquã gladius acutus pertransivit. Accessit autem nouus filius ejus Joannes [t] cui de cruce Christus eam commendaverat diligenter, lugens & ipse inconsolabiliter, ipsam lugentem ac gementem levavit. Nam cruciata gemitibus, fatigata doloribus, afflicta ploratibus, pedibus se sustinere nequibat: tamen sicut potuit à mulieribus honestis ac sanctis adiuta, cunctis simul plorantibus Jerusalem ingreditur. Multæ autem fæminæ videntes eam, commotæ pietate super illius doloribus, amarum convertebantur in luctum: quædam verò post ipsam euntes lamentabantur & ipsæ. Dolor etenim ejus cunctos intuentes dolere compellebat, vixquè lachrymas continere valebant, qui eam plorantem conspicerent. Tam piè plorabat, tam amarè dolebat, ut sui ploratus pietate multos etiam invitos ad lachrymas provocarent. Fiebat planctus quacunque Maria transibat. Omnesquè plorabant qui obuiabant ei. Sic igitur [u] perducitur à plorantibus, ipsa plorans & gemens, quousq: pervenerunt ad domũ Joannis. Ibi resedit, ibi permansit, ibi eam in sua domo Joannes retinuit, & sicut propriã Matrem in omni charitate dilexit. Erat enim sibi datus in filium; sed ipse se fecerat seruulum ejus, in omnibus & per omnia sibi familiariter serviendo. Sepulto itaque Domino [x] interim Maria in domo Joannis manebat, ibiquè die noctuquè plorans gemebat, nec erat qui consolari eam posset ex omnibus charis ejus, nec suæ sorores, nec etiam ipse Joannes. Ibi amaro corde opprobriosam passionẽ dilecti Filii sui revolvebat, modò sputa, modò ludibria, modò colaphos, alapas & flagella, modò crucis angariam, modò dira clavorum vulnera, modò lanceam, modò coronam spineam, modo aceti & fellis pocula, verbera & improperia, modò mortem, mortem autem crucis. Hæc autem cogitando plorabat, atque plorando clamabat: *Fili mi Jesu, Jesu fili mi, bone ac benigne, ac Creator omnium Deus, qui factus homo morte turpissima es peremptus: quem terra, pontus, æthera capere nequeunt, modò arcto clausus es sepulchro. Jacet Filius meus extinctus, & sub lapidibus clausa est Vita mea.* Sumens enim corpus fragilitatis humanæ, dignatus est ad terram descendere, & sui eum non receperunt, sed malum semper machinati sunt contra eum. In illum sæviebat Herodes ille tyrannus iniquus cum turba crudelissima Judæorum: quando scilicet ad Magorum verba turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo, paruulumquè & tenellum ad ubera materna pendentẽ morte crudelissima perdere nitebatur. Dehinc proficiens ætate & sapientia coram Deo & hominibus, factus est Vir discurrens per civitates & castella, prædicans & annuncians regnum Dei, elementis & dæmonibus imperabat, infirmos sanabat, & mortuos suscitabat. Et cùm talia faceret, sustinebat insidias, sustinebat calumnias, sustinebat blasphemias, quas Principes Sacerdotum & Scribæ & Pharisæi, & omnis populus contra, ejus innocentiam inuehebant. Sed cùm eorum perfida & perversa nequitia unici Filii mei bonitatem superexcellentem sustinere non posset, ipsum auferre de terra nefariè cogitantes, ligaverunt, flagellaverunt, deturbaverunt, crucifixerunt, dilaniaverunt, & morte turpissima occiderunt: sicut præsens dies liquidò manifestat. Ergo vos omnes fideles Christi

q *Ser. de lament. Virg. M. num.* 12. *tom.* 6. *pag.* 1062. r *Ibidem num.*13. s *Ibidem num.*10. t *Ibidem num.*13. u *Ibidem num.*14. x *Ibidem num.*15.

Christi, recolite de morte & passione Domini nostri Jesu Christi, & per totum istum venerabilem diem lachrymas fundere non cessetis, ut in die Resurrectionis Domini ad laudem & honorem illius resurgere valeatis. Qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

§. III.

Erant autem ibi Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome, sedentes contra Sepulchrum: & reuertentes emerunt aromata, & paraverunt vnguenta, ut venientes vngerent Jesum. Matt. 27. Mar. 26. Luc. 23.

Quid est [y] quòd post mortem Christi tres illæ sanctæ mulieres emerunt aromata, ut in monumento positum ungerent Jesum? Quid in sua actione nobis reliquerunt imitandum? Res enim gesta (ut ait Beatus Gregorius) aliquid in Sancta Ecclesia signat gerendum. Et nos ergo si Christum mortuum, id est, Christi fidem mortuam esse in corde cujuspiam hominis senserimus, danda nobis opera est, vt ad vngendum corpus mortuum emptis aromatibus accedamus. Quis magis mortuus eo (z) qui fouet ignem in sinu, peccatum in conscientia, nec sentit, nec excutit? Ecce igitur Christus in sepulchro (a) fides mortua est in animo. Quid faciemus ei? Quid fecerunt sanctæ mulieres, quæ solæ ex omnibus suis ampliori tenebantur affectu? *Emerunt aromata, ut venientes vngerent Jesum.* Numquid ut suscitarent? Et nos scimus, Fratres, quia suscitare nostrûm non est, sed vngere nobis incumbit. Cur hoc? Nempè, ne fœteat qui hujusmodi est, ne sit cæteris odor mortis, ne pereffluat & penitùs dissoluatur. Significant autem tres illæ mulieres [b] tres in nobis efficientias, quæ sibi congrua comparant aromata. Quæ sunt illæ? Mens, lingua, & manus. Emant proinde [c] aromata sua tres mulieres, mens, lingua, manus. De his enim (ut arbitror) Petrus mandatum accepit tertiò pascere gregem Domini. *Pasce*, inquit, *mente*, pasce *ore*, pasce *opere*: pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. Quærat igitur *Mens* aromata sua tria, ante omnia *compassionis* affectum, dehinc *rectitudinis* zelū, & inter hæc *discretionis* spiritum non omittat. *Lingua* quoq; aromata (d) tria nihilominùs sunt, *modestia* in increpando, *copia* sermonis in exhortādo, *efficacia* in persuadendo. Pro huiusmodi (e) habeat necesse est etiam *Manus* aromata sua tria, *continentiam* in carne, *misericordiam* in fratre, *patientiam* in pietate. Unde Apostolus ait: *Sobriè, & justè, & piè vivamus.* Hæc enim tria sunt conversationi nostræ maximè necessaria, quorum primum debemus *nobis*, secundum *proximo*, tertium *Deo*. Nam qui fornicatur, in corpus suum peccat, magno illud privans honore, & pavendo addicens pudendoquè dedecori, tollens membrum Christi, & faciens membrum meretricis. Ego autem non ab ea tantùm quæ tam abominabilis est, sed ab omni voluptate carnis continendum dico. Ante omnia igitur perfectam hanc *continentiam* quære, quam debes tibi ipsi. Nemo enim tibi propinquior est. Dehinc adde *misericordiam* quam debes proximo, quia cum eo salvandus es. Deinde *patientiam* adde quam debes Deo, quia ab eo salvandus es. *Omnes enim qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Et: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Vide ergo ne per impatientiam pereas, sed universa pro Christo sustine, qui prior majora pro te sustinuit, & apud quem infructuosa patientia non erit, sicut ait Propheta: *Patientia pauperum non peribit in finem.* Porrò hæc aromata (f) nummo subjectionis emuntur. Hæc est enim quæ dirigit gressus nostros, & sanctæ conversationis gratiam promeretur. Nam si contraria lex inventa est in membris nostris per inobedientiam, quis nesciat per obedientiam *continentiam* dari? Ipsa quoque est, quæ *misericordiam* ordinare novit. Ipsa est, quæ *patientiam* & docet & donat. Cum his igitur aromatibus accede ad eum hominem, in quo fides mortua est. Verùm si consideremus quàm magnum sit ad nos, suscitare eum qui hujusmodi est, quàm difficile sit vel accedere ad cor ejus, quod lapidea quædam obstinatio & impudentia clausit, puto quod dicere habeamus & nos: *Quis revolvet lapidem ab ostio monumenti?* Attamen dum sic trepidi veremur accedere cunctantes ad tam gaude miraculum, fit nonnunquam ut solita pietate præparationem cordis nostri audiat auris Divina, & ad vocem virtutis ejus resurgat qui erat mortuus. Præterea tria sunt unguenta: (g) *Compuntio* de memoria peccatorum, quæ infundit *pedes* Jesu: *Devotio* ex recordatione beneficiorum, qua perungitur *caput* Jesu: *Pietas* ex consideratione miserorum, quæ ad ungendum *corpus* Jesu à mulieribus præparatur. Sed recurramus ad Evangelium (h) atque aliquid quod fortè spectet ad hæc unguenta, inquiramus. *Maria Magdalene & Maria Jacobi & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Quænam ista unguenta tam preciosa, ut Christi Corpori parentur & comparentur? tam copiosa, ut toti sufficiant? Neutrum quippè duorum præcedentium aut emptum ac factum specialiter ad opus Domini, aut toto in Corpore legitur fuisse diffusum: sed de subito introducitur mulier uno quidem in loco osculans pedes & unguento ungens, in altero verò vel ipsa vel altera habens alabastrum unguenti, & illud mittens in caput Jesu. Cæterùm nunc *emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum.* Emunt non unguenta, sed aromata: & unctio in obsequium Domini non facta assumitur, sed nova conficitur: nec ad ungendam tantùm aliquam corporis partem, verbi gratiâ pedes aut caput, sed sicut scriptum est, *ut venientes ungerent Jesum*, quod est totius complexio, non partis distinctio. Videsne quòd non una vel duæ (i) sed tres vix sufficiunt ad emendum tantæ compositionis unguentum? intelligisne quia non pedes aut caput, sed totum Crucifixi corpus sibi vendicat ista confectio? Confectio sine dubio preciosa, quæ toti sufficiat corpori Creatoris. Et attende quia unguentum pedibus infusum adeo dignantissima lenitate suscepit, ut Pharisæum murmurantem parabolica proxi-

y Ser. 58. diuer. num. 1. z Ser. 2. de Resurect. Dom. num. 1. a Ibidem. num. 2. b Ser. 58. diu. num. 1. c Ser. 2. de Resur. Dom. num. 2. & 3. d Ibidem num. 8. e Ibidem num. 10.

f Ibidem num. 11. g Lib. sent. num. 52. tom. 6. pag. 1009. h Ser. 12. in Cant. num. 6. i Ser. de S. Mar. Magd. num. 9.

lixitate convinceret, & retorto fugillaret exemplo. Sed & de refuso super caput ejus unguento discipulos indignantes coarguit, bonum mulieris opus esse protestans: & tumidam eorum animositatem verbis compescuit moderatis. Hoc verò tam salubre tamquè mirificum unguentum pietatis, in mortuo suo Corpore noluit expendi, quod vivo utique reservabat. Duo enim corpora habet Christus, unum quod suscepit ex Virgine, ulterum Ecclesiæ, quod charius habet benignitas redimentis, Denique illud pro isto morti exposuit & tormentis, addictus cruci, junctus sceleratis, morte turpissima condemnatus. Tu quoque ô homo, (k) si te induas viscera misericordiæ, liberalem benignumquè exhibeas non tantùm parentibus sive cognatis tuis, aut quos tibi vel benefactores tenes, vel benefacturos speras (nam & Ethnici hoc faciunt) sed juxta Pauli consilium studeas operari bonum ad omnes, ita ut propter Deum neç inimico officium humanitatis corporale seu spirituale negandum subtrahendumquè existimes: constat te quoque abundare unguentis optimis, nec Caput aut Pedes Domini tantùm, sed passim quantùm in te est ungere suscepisse totum corpus quod est Ecclesia. Et fortè proinde ob hoc Dominus Jesus paratam sibi confectionam expendi noluit in suo Corpore mortuo, ut servaret vivo. Vivit enim Ecclesia, quæ manducat panem vivum qui de cælo descendit. Ipsa est charius corpus Christi, quod ne mortem gustaret, morti illud alterum traditum fuisse nullus Christianus ignorat. Ipsā Ecclesiā ungi, ipsam foveri desiderat, ipsius infirma membra cupit fomentis accuratioribus relevari. Ipsi ergo Ecclesiæ preciosa ungnenta retinuit, cùm anticipans horam, & accelerans gloriam, mulierum devotionem non elusit, sed instruxit. Renuit ungi, sed parcens, non spernens: non recusans obsequium, sed reservans proficuum. Proficuum dico non hujus materialis atque corporalis unguenti, sed planè spiritualis, quod in isto designatum est. In isto ergo pepercit Magister pietatis unguentis optimis pietatis, quæ membris suis indigentibus tam corporaliter quàm spiritualiter omninò cuperet exhiberi. Bonum quidem est *contritionis* unguentum (l) quod de recordatione peccatorum conficitur, mittiturquè in Pedes Domini: quia *cor contritum & humiliatum Deus non despiciet*. Cæterùm longè melius esse arbitror id unguentū quod dicitur *devotionis*, factum de recordatione beneficiorum, quippè quod & Capiti idoneum reputatur, ita ut perhibeat de ipso Deus: *Sacrificium laudis honorificabit me*. Porrò utrumque vincit unctio *pietatis*, quæ de respectu miserorum fit, & per universum Christi corpus diffunditur. Corpus dico non illud crucifixum, sed quod illius acquisitum est Passione. Optimum revera unguentum est, in cujus comparatione cætera nec respicere se ostendit qui ait; *Misericordiam volo, & non sacrificium*. Poterimusne tam salubrem (m) conficere confectionem? Universæ miseriæ tam animarum quàm corporum oculo pietatis inspectæ species ejus sunt. Istæ igitur in mortariolo largitatis dulcedinis pistillo confractæ, & delinitæ charitatis oleo, succenso compassionis igne, & in aheno perseverantiæ despumatæ, unguentum faciunt ipsis etiam Angelis admirandum. Quod ipse nobis Christus Crucifixus largiri dignetur [n] qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

k Ser. 12. in Cant. num. 7. l Ibidem num. 10. m Ser. de S. Mar. Magd. num. 9.

CAPUT X.

De custodia Sepulchri, in quo positum Corpus Christi exanime requievit.

Principes Sacerdotum & Pharisæi abeuntes munierunt Sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus. *Matt.* 27.

1. *Ostenditur, librum signatum sigillis septem designare Christum, & ejus operimenta septem, quibus celebratur Virtus Diuinitatis ne agnosceretur.* 2. *Ex occasione Sepulchri Christi, suggeruntur nobis varii & pii conceptus de morte ejus, & de requie in Sepulchro. Excitamur ut Christo passo, mortuo & sepulto conformemur vitâ nostrâ.* 3. *Ostenditur, Animā Christi ideo descendisse ad inferos, ut animas justorum liberaret ex carcere tenebroso, easquè collocaret sub Altari Dei, per quod intelligitur Corpus Christi gloriosum.* 4. *Ostenditur, animas mortuorum pro diversis meritis sortiri tria loca, infernum purgatorium, cælum. Excitamur ad exercenda pia opera & pietatem erga animas in purgatorio detentas. Assignatur duplex causa, ob quam animæ fidelium merentur pati ignem purgatorium.*

§. I.

Altera autem die, quæ est post Parasceuen, convenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium, ne fortè veniant discipuli eius & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus. Matt. 27.

Discant qui non legerunt [a] recolant qui nouerunt. *Vidi* (inquit Joannes in sua Apocalipsi) *in dextera sedentis super thronum, librum signatum sigillis septem, & non erat qui legeret vel aperiret. Ego* (ait) *flebam multùm, quòd nemo aperire librum dignus inveniretur. Et unus de senioribus dixit mihi: Ne fleveris: ecce vicit leo de tribu Juda, radix Dauid, aperire librum & soluere septem signacula ejus. Et vidi, & ecce in medio throni Agnum stantem tanquam occisum. Et veniens accepit librum de dextera sedentis in throno, & aperuit librum: factaquè est lætitia magna, & gratiarum actio.* Leonem Joannes audierat, & Agnum vidit. Agnus occisus est: Agnus accepit librum: Agnus aperuit, & apparuit leo. Denique, *Dignus est* (aiunt Seniores) *Agnus qui occisus est, accipere fortitudinem*: non mansuetudinem amittere, sed accipere fortitudinem, ut & Agnus maneat, & leo fit. Plus dico, ut mihi videtur: Idem Agnus etiā liber

n Ser. 7. in vit. Cana. num. 50. a Ser. 1 in die Pasch. num. 12.

Liber est, qui non poterat aperiri. Quis enim dignus inveniretur aperire hunc Librum? Indignum se profitetur & ipse Baptista Joannes, quo inter natos mulierum major nemo surrexit: *Non sum*, inquit, *dignus soluere corrigiam calceamenti ejus*. Venerat enim ad nos calceata Majestas, Diuinitas incarnata: venerat Dei Sapientia, sed in libro clauso vtique & signato. Quod ligabat corrigia calceamenti, hoc claudebant septem signacula Libri. Sed quid dicimus (b) super his septē signaculis? An fortè triplex animæ virtus, Ratio, Memoria, & Voluntas; & quadrifaria corporis compositio, ex elementis videlicet quatuor, in his septem est intelligenda, ut nihil de veritate humanitatis defuisse nouerimus Saluatori? An magis humanitas ejus ipse est Liber, & quærenda sunt signacula septem? Septem enim quædam arbitror inueniri, quibus maximè celabatur in carne præsentia Majestatis, ut non posset aperiri Liber, & Sapientia quæ latebat agnosci. Sunt autem quæ occurrunt interim, septem. *Primum* signaculum est *Matris desponsatio*, qua partus Virginis & conceptionis puritas velabatur, ita ut hominis fabri filius, Fabricator hominis putaretur. *Secundum* signaculū est *infirmitas corporis*, qua nimirùm plorans, vagiens, lactens, & dormiens, & cæteris subiacens necessitatibus carnis, latebat inter hæc Virtus divinitatis. *Tertium* signaculum est *Circumcisionis signum*, quo suscepit peccati remedium, ægritudinis medicinam, qui morbum omnem tollere venerat & peccatum. *Quartum* signaculum *est*, dum in *Ægyptum fugiens* à facie Herodis reguli, nec Dei Filius agnosci poterat, nec Rex cæli. *Quintum* signaculum est *trina illa tentatio* inimici, in *deserto*, in *pinnaculo*, supra *montem*. *Si Filius Dei* (inquit diabolus) *es*: *dic ut lapides isti panes fiant*. Et item: *Mitte te deorsum*. Neutrum Christus fecit: ut signaretur Liber: ut falleretur astutus. Denique eousque seductus est, ut haberet jam pro constanti hominem esse purum: & in tantam vesaniam superbia cæca proruperat, ut non diceret ultra, *Si Filius Dei es*: sed, *Omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me*. *Sextum* est signaculum *Crucis*, ubi pependit inter latrones, & cum iniquis deputatus est Dominus majestatis. *Septimum* est signaculum, dum clausit *sepultura* Librum hunc: nec ullum signaculum omnino sic obstruxit, sic occultavit magnum pietatis sacramentum. Sepulto nimirùm Domino, sola restare desperatio videbatur, adeo ut Discipuli dicerent: *Quia nos sperabamus, quòd ipse esset redempturus Jsraël*. Quis non fleret in illo tempore clausum arctiùs Librū, & non esse qui aperiret? Sed ne fleveris ultra Sancte Joannes, procul sit luctus, tristitiæ nebula dissipetur. *Ecce vicit leo de tribu Juda*, (c) *radix David aperire librum, & soluere septem signacula ejus*. Septē signacula sunt, temporalis Natiuitas, legalis Circumcisio, Matris purgatio, fuga in Ægyptum, carnis necessitudo, Baptismus, Passio. Hæc siquidem sunt veræ quædam humanitatis insignia, quibus se tenere ac ligari voluit Incarnata Dei Sapientia. Ipsa quippè est secunda in Trinitate persona. Et licet eandem Incarnationem simul fecerint Pater & Filius & Spiritus Sanctus, non tamen Pater aut Spiritus Sanctus est incarnatus, sed solus Filius: & quod ipse erat, id est, Sapientia, occultauit per illa prædicta signacula. Facta est igitur res mira & obstupenda. Infirmata est Virtus summa, & ut ita dicam, si dici liceat, quod tamen reuerenter dico: quasi infatuata est Sapientia. Nec erubesco dicere quod non erubuit Doctor Gentium docere. Sic nempè credidit, sic docuit, sic scriptum reliquit: *Nos*, inquit, *prædicamus Christum crucifixū, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autē vocatis Judæis atq; Græcis, Christum Dei Virtutem, & Dei Sapientiam, &c.* Meritò flebat Joannes non inueniri qui aperiret librum (d) & solueret signacula ejus: dum enim clausus staret, nemo ex nobis Diuinam illam attingere Sapientiam prævaleret. Sed ne fleueris vltra Joannes Sancte: (e) etiam tu noli flere Maria. Procul sit luctus, tristitiæ nebula dissipetur. *Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde*. Dignus est Agnus qui occisus est, leo qui resurrexit: postremò Liber ipse dignus est aperire seipsū. Resurgens nimirùm à mortuis, resurgens autem virtute propria, & post tres dies sicut prædixerat, testimonium perhibentibus inimicis: & resurgens in tanta majestate & gloria, indicat manifestè quæcunque prædiximus signacula vel operimenta, voluntaria non necessaria, nec conditionis fuisse, sed dignationis. Quid tu nuper Judæe signabas lapidem monumenti? *Quia seductor ille dixerat adhuc viuens: Post tres dies resurgam*. Uerè seductor, sed pius, non malitiosus. Denique *seduxisti me Domine, & seductus sum* (ait Propheta vester in persona vestra) *fortior me fuisti, & invaluisti*. Seduxit vos, ô Judæi, in Passione: nam in Resurrectione inualuit & præualuit vincens leo de tribu Juda. *Etenim si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Quid ergo facturus es Judæe? Et prædixit, & jam reuixit. Diligenter explora signaculum sepulturæ, apertum est enim. Datur tibi signum Jonæ Prophetæ: quia & hoc prædixit ipse. Egreditur Jonas de ventre ceti: Christus de corde terræ tertia die procedit. Nisi quòd manifestè plusquam Jonas hic, qui semetipsum viriliter & ab ipso vtero mortis eduxit. Propterea viri Niniuitæ consurgent contra vos, ô Judæi, in judicio: propterea ipsi judices vestri erunt: quia Prophetæ obtemperaverunt, vos nec Domino prophetarum obtemperastis.

§. II.

Cognosce anima mea (f) cognosce: hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, Unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus homo: qui solus sub Sole sine macula inventus est. Et ecce passus est in cruce impassibilis Deus (g) & in carne nostra mortali mortuus ac sepultus est immortalis Dei Filius. Incomprehensibilis erat & inaccessibilis (h) invisibilis & inexcogitabilis omninò: nunc verò comprehendi voluit, videri voluit. Quonam modo? inquis. Nimirùm (i) quem terra, pontus, æthera capere nequeunt, modò arcto clausus est sepulchro. Jacet Dei Filius extinctus, & sub lapide clausa est Vita nostra. Sepulto Domino, à Judæis signatum est monu-

Xx men-

b *Ibidem num. 10, & 11.* c *Ser. 57. diuer. num. 1.*

d *Ser. 2. in nat. Dom. num. 5.* e *Ser. 1. in die Pasch. num. 11.* f *Ser. de Pass. Dom. num. 15* g *Ser. 57. diuer. num. 2.* h *Ser. 2. de Virg. Deip. num. 11.* i *Ser. de lament. V. M num. 15.*

mentum, & traditum est militibus ut custodirent illud. Inter sancta ac desiderabilia loca (k) Sepulchrum Christi tenet quodammodò principatum: & devotionis plus nescio quid sentitur, ubi mortuus requievit, quàm ubi vivens conversatus est. Atque ampliùs movet ad pietatem mortis quàm vitæ recordatio, puto quòd illa austerior, hæc dulcior videatur: magisquè infirmitati blandiatur humanæ quies dormitionis, quàm labor conversationis; mortis securitas, quàm vitæ rectitudo. Vita Christi, vivendi mihi regula extitit, mors à morte redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit. Vita quidem laboriosa, sed mors preciosa: utraque verò admodùm necessaria. Quid enim Christi prodesse poterat sive mors nequiter viventi, sive vita damnabiliter morienti? Numquid denique aut mors Christi etiā nunc malè usq; ad mortem viventes à morte æterna liberat, aut mortuos ante Christum sanctos Patres vitæ sanctitas liberavit? sicut scriptum est: *Quis est homo qui vivet & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?* Nunc ergo quia utrumq; nobis pariter necessarium erat, & piè vivere, & sanctè mori: & vivendo vivere docuit, & mortem moriendo securam reddidit, quoniam quidem resurrecturus occubuit, & spem fecit morientibus resurgendi. Sed addidit & tertium beneficium, cùm etiam peccata donavit, sine quo utique cætera non valebant. Sive autem hæc (l) sive alia quæcunque in hunc modum (prout in talibus in suo quisque abundat sensu) ex occasione Sepulchri Dominici Christianis sensibus suggerantur, puto quòd non mediocris dulcedo devotionis infundatur cominùs intuenti, nec parùm proficitur cernendo etiam corporalibus oculis corporalem locum Dominicæ quietis: etsi quippè jam vacuum sacris membris, plenum tamen nostris & jucundis admodùm sacramentis. Nostris, inquam, nostris, si tamen tam ardenter amplectimur, quàm indubitanter tenemus quod Apostolus ait: *Consepulti enim per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* Quàm dulce est peregrinis post multam longi itineris fatigationem, post plurima terræ marisquè pericula, ibi tandem quiescere, ubi & agnoscitur suum Dominum Jesum crucifixum quievisse. Puto jam præ gaudio non sentiunt viæ laborem, nec gravamen reputant expensarum: sed tanquam laboris præmium cursusquè bravium affecuti (juxta Scripturæ sententiā *Job. 3.*) *gaudent vehementer cùm invenerint Sepulchrum.* Nec casu vel subito. aut veluti lubrica popularis favoris opinione id tam celebre nomen Sepulchrum nactum esse putetur, cùm hoc ipsum tantis retrò temporibus Esaias tam apertè prædixit: *Et erit* (inquit) *in die illa Radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur: & erit Sepulchrum ejus gloriosum.* Revera ergo impletum cernimus quod legimus prophetatum; novum quidem intuenti, sed legenti antiquum: ut sic adsit de novitate jucunditas, ut de vetustate non desit auctoritas. Et de Sepulchro ista sufficiant. Præterea audiamus quæ sequuntur: (m) *Sedisti ad mensam divitis? diligenter attende quæ apponuntur tibi, & scito quoniam talia oportet te præparare.* In verbis istis loquitur Spiritus consilii voce suavi, sed & terribili. Vox suavis est, sed obedientibus: vox terroris contemnentibus. Recipientibus debentur præmia: reiicientibus intentantur supplicia. Vivent qui recipiunt, damnabuntur qui reiiciunt. *Sedisti*, inquit. Ecce principium hujusmodi verborum quantæ suavitatis præfert insigne! Verba præcedentia suaviter sonant, affectum mulcent, & de sensuum ubertate mentem impinguant. Quæ autem sequuntur, id est, *Scito, quoniam talia oportet te præparare*: dum intellectum quò plùs exercent, plùs terrent, & de altitudine mysteriorum miro modo nos humiliant, sive propter indignitatem nostram, sive propter incapacitatem. Sed quid est illud quod homines terribile judicant? Hoc est, *quoniam talia oportet te præparare.* Nota, *quoniam*, compatiendo, commoriendo, & consepeliendo teipsum, & cætera. Dignum est enim & tibi multùm expedit, compati, commori, consepeliri: passo, mortuo, & sepulto Jesu Christo. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Qui enim tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Nam proptet *crucem* piis dictum est: *Qui sunt Christi Jesu, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Propter *sepulturam* dictum est: *Consepulti sumus cum Christo, &c.* Decet nimirùm (n) ut quemadmodùm Caput præcessit, sequantur membra. In patibulo feriâ sextâ redemit hominem, ipsa die quâ fecerat hominem initio: sequenti die sabbatizavit in monumento, consummato opere quod susceperat. Tertia verò die quæ prima dierum est, primitiæ dormientium apparuit mortis Victor novus homo. Ita & nos quicunque sequimur Caput nostrum Jesum Christum, tota die hac quâ plasmati & redempti sumus, non cessemus agere pænitentiam, non cessemus tollere crucem nostram, perseverantes in ea sicut & ipse perseveravit, & donec dicat spiritus ut requiescamus à laboribus nostris. Neminem audiamus, Fratres, non carnem & sanguinem, non spiritum quemlibet descensum de cruce suadentem: persistamus in cruce, moriamur in cruce: deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. Caput nostrum Christum deposuêre viri justi: nos verò dignatione sua Angeli Sancti deponant: ut consummata viriliter die crucis, secunda die quæ post mortem est, quiescamus suaviter, dormiamus fæliciter in sepulchris, expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, qui resuscitabit corpora nostra tertiâ demùm die configurata Corpori claritatis suæ. Porrò quia quæ de ipso erant, (o) finem habuêre, finem utique celerrimum & celeberrimū: primò quidem *requiem*, deinde *resurrectionem.* Nos quoq; si festinamus in illam ingredi requiē, per multas tribulationes nobis transeundum est. Et priùs quidem donec sumus in tribulatione, magnum nobis videretur aspirare ad requiem, tanquam nihil

k *Tract. de exhort. ad milit. templi cap. 11. num. 18.* l *Ibidem num. 28.*

m *Ser. 2. in Cœna Domini num. 1. & 6.* n *Ser. 1. in die Pasch num. 8.* o *Ser. 3. in Dom. Palm. num. 5.*

hil simus amplius desideraturi. Verùm non erit nobis requies, ne in requie quidem ipsa, à desiderio gloriæ, à desiderio resurrectionis. *Amodò* (inquit Scriptura) *jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis*. A labore ergo requiescunt, qui in Domino moriuntur: sed non requiescunt interim à clamore. Denique sub throno Dei clamant animæ occisorum: quia etsi nihil habeant quod molestet; nondum tamen totum habent quod delectet, donec requiem resurrectio, donec sabbatum Pascha sequatur.

§. III.

Constat quidem (p) clauso exiisse tumulo redivivum Christi Corpus, quod clauso Virginis utero natum processit in vitam, & ad Discipulos clausis introivit januis in conclavi. Sed est locus unde clausis noluit procedere januis: carcer utique gehennalis. Confregit siquidem ferreos vectes, repagula universa contrivit, ut liberè suos educeret, quos redemerat de manu inimici: & planis egrederentur portis agmina Sanctorum dealbatorum, qui lavèrunt Stolas suas, & candidas fecerunt in Sanguine Agni. Candidas prorsùs in Sanguine Agni, quia exivit cum eo Sanguine & in eo etiam aqua dealbans, sicut testimonium perhibet ipse qui vidit. Verumtamen non descendit ad inferos Sanguis (q) qui effusus est super terram. Biberunt omnes peccatores terræ, non est quòd sibi ex eo vendicent dæmones ad restinguendos focos suos, sed neque homines socii dæmoniorum. Semel illò descendit non Sanguis, sed Anima Christi: & hæc portio eorum qui in carcere erant, una illa visitatio fuit, quæ tunc facta est per præsentiam Animæ Christi, cùm Corpus penderet exanime super terram. Sanguis aridam rigavit, Sanguis infudit terram, & inebriavit eam. Sanguis quæ in terra & quæ in cælis sunt, pacificavit, non autem & quæ apud inferos: nisi quòd semel eò (ut dixi) Anima ejus excucurrit, & fecit ex parte redemptionem, ne vel eo momenti vacarent opera charitatis, sed ultra non adiiciet. Ardebat incomparabiliter (r) charitatis intrinsecùs & passionis extrinsecùs igne, ut fructum nostræ redemptionis sine mora produceret. Productus est ergo botrus ille optabilis cunctis Patriarchis & Prophetis aliisquè justis, scilicet redemptio nostra. Quem fructum Ecclesia non solùm ex his qui sunt sub tempore gratiæ, sed à mundi principio justè congregata dulcem sibi fore gratulatur, dicens de Sponso in Cantico amoris: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo*. Quod mirum (s) si redemptio justorum à diabolica tyrannide, à tenebris & umbra mortis, à carcere infernali quò inclusi tenebantur, reductio in paradisum Angelorum custodiæ deputatur? Quid mirum, præsentiam Christi fuisse delectabilem atque votivam tanto tempore expectati ac desiderati? In afflictis enim rebus constitutis tantò solet esse gratior Liberatoris adventus, quantò fuerit diuturnior afflictio. Quanto enim tempore primus Abel justus, primus martyr qui sua passione primus Liberatorem Christum præfiguravit, expectaverat? Quandiu ipse Adam & Eva parentes nostri adhuc etiam in inferno Paradisi gaudia ad memoriam invicem revocantes, istam redemptionem sitiverant cum aliis sanctis & justis, qui se liberandos sperabant? Quanto putas eos exultâsse tripudio, cùm Christus Crucifixus adveniret, Angelis præcedentibus & clamantibus: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ*. Quanta putas eos alacritate concinisse, & consonis jubilis in communem lætitiam prosiluisse ac dixisse: *Advenisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris: ut educeres vinctos de claustris. Te nostra vocabant suspiria, te larga requirebant lamenta. Tu factus es spes desideratis, magna consolatio in tormentis*. O quàm dulcis fructus reductionis fuit his, qui in tanta & tam amara servitute fuerant constituti! In cornibus Crucis (t) abscondita est fortitudo Christi, sed non apud inferos: ibi vectes ferreos contrivit, ibi portas æreas confregit, ibi fortitudinem manifestavit, ibi fortem fortior ipse alligavit, & vasa ejus diripuit, qui ante atrium suum in pace custodivit. Ibi clamabatur: *Quis est iste Rex gloriæ?* Ibi audiebatur: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Ante faciem ejus ibit mors. O mors ero mors tua: morsus tuus ero inferne. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* Absorpta est mors in victoria: Victor ab inferis pompâ regreditur nobili. Itaque Christus in spiritu fortitudinis (u) tanquam potens crapulatus à vino descendit ad inferos, contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit, alligavit fortem, & vasa captivitatis eripuit. Donec enim veniret desideratus ille (x) qui Sanguine suo deleret chirographum damnationis nostræ, & flammeum accingens gladium aperiret credentibus regna cælorum; nullus omninò cuiquam Sanctorum ad ea patebat accessus, sed providerat eis Dominus in inferno ipso locum quietis & refrigerii, chaos magnum firmans inter Sanctas illas Animas, & animas impiorum. Quamvis enim utræque in tenebris essent, non tamen utræque erant in pœnis, sed cruciebantur impii, justi verò consolabantur. Quòd autem in tenebris essent, beati Job testimonio didicimus, qui se quoque in locum tenebrosum & opertum mortis caligine perhibebat iturum. Hunc locum obscurum quidem (y) sed quietum, sinum Abrahæ Dominus vocat: pro eo (ut arbitror) quòd in fide & expectatione quiesceret Salvatoris. Abrahæ enim fides tam manifestè probata est & approbata, ut primus ipse futuræ Incarnationis Christi meruisset accipere promissionem. In hunc ergo locum Salvator descendens contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit: eductosquè vinctos de domo carceris, sedentes quidem, hoc est quiescentes, sed in tenebris & umbra mortis, jam tunc quidem sub Altari Dei collocavit, abscondens eos in tabernaculo suo in die malorum, & protegens eos in abscondito tabernaculi sui, donec veniat tempus, in quo procedant completo jam numero fratrum, & percipiant regnum quod eis paratum est ab origine mundi. Jam verò sicubi fortè præsens quoque Sanctorum requies *Abrahæ sinus* vocatur,

p Ser. 1. in die Paschæ num. 5. q Ser. 75. in Cant. num. 5. r Tract. de vite myst. cap. 46. num. 178. s Ibidem num. 179.

t Tract. de 3. præcip. myst. cap. 7. num. 23. u Ser. 16. in Cant. num. 13. x Ser. 4. de omn. San. num. 1. y Ibidem. num. 2.

tur, certum est de Evangelio hanc inolevisse consuetudinem: licet neminem oporteat dubitare longè alium hunc Sinum esse, quàm illum, quippè cùm ille in tenebris, hic in luce multa; in inferno ille fuerit, iste in cælo. Non incongruè tamen etiam nunc dictum videtur Patriarcharum filios paternum in sinum recipi, cùm ad eorum consortium ab hoc sæculo transire meruerint. Porrò [z] Altare ipsum ego pro meo sapere nihil aliud arbitror esse, quàm Corpus ipsum Domini Salvatoris. Credo autem quòd & ego super hoc sensum ejus habeam, præsertim cùm audiam eum in Evangelio promittentem: *Ubicunque fuerit Corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. Interim ergo sub Christi Humanitate fæliciter Sancti quiescunt (in quam nimirùm desiderant etiam Angeli ipsi prospicere) donec veniat tempus quando jam non sub Altari collocentur, sed exaltentur super Altare. Sed quid dixi? Numquid Humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel Angelorum assequi poterit quis, nedum superare? Quonam igitur modo super Altare dixerim exaltandos eos, qui nunc sub Altari quiescunt? Visione utique & contemplatione, non prælatione. Ostendet enim nobis Filius (ut pollicitus est) semetipsum, non in forma servi, sed in forma Dei. Ostendet etiam nobis Patrem & Spiritum sanctum, sine qua nimirùm visione nihil sufficeret nobis; quoniam hæc est vita æterna, ut cognoscamus Patrem verum Deum, & quem misit Jesum Christum, & in eis (quod non est dubium) etiam Spiritum utriusque,

§. IV.

Porrò tria sunt loca [a] quæ mortuorum animæ pro diversis meritis sortiuntur, infernus, purgatorium, cælum. In inferno impii, in purgatorio purgandi, in cælo perfecti. Qui in *inferno* sunt, redimi non possunt: quia in inferno nulla est redemptio. Qui in *purgatorio* sunt, expectant redemptionem, priùs cruciandi aut calore ignis, aut rigore frigoris, aut alicujus grauitate doloris. Qui in *cælo* sunt, gaudio gaudent ad visionem Dei, Christi fratres in natura, cohæredes in gloria, similes in æternitate jucunda. Ad *cælum* illi statim evolant [b] qui domicilio corporis usi sunt tanquam carcere, qui defæcatam puramquè substantiam utriusque hominis servaverunt. E contrario verò, qui fecerunt usq; ad mortem quæ digna sunt morte, locis *gehennalibus* sine misericordia deputantur. Qui autem neutrum sunt, sed sunt inter utrumque: qui mortalia quidem peccata cõmiserunt, sed circa mortem pænituerunt, pænitentiam non explentes, indigni sunt ut statim gaudeant, nec digni sunt ut semper ardeant; *loca purgatoria* sortiuntur: in quibus flagellantur, sed non ad insipientiam sibi, ut extorti transferantur ad regnum. Pro his qui in cælo sunt, non est orandum: quia eos, non pro ejs orare debemus. Pro his qui in inferno sunt, suspendendæ sunt preces; quibus clausa est janua misericordiæ, & totius spes interclusa salutis. Pro illis tantùm vigilandum est in orationibus, & subueniendum Sacrificio singulari, qui locis purgatoriis emundantur: ut benignus Pater pænitentiam eorum in satisfactionem, & hanc in glorificationem citò conuertat. Quia igitur primi redimi non possunt [c] tertii redemptione non indigent, restat, ut ad medios transeamus per compassionem, quibus juncti fuimus per humanitatem. Vadam in istam regionem expiationis, & videbo visionem hanc grandem, quomodò pius Pater cælestis glorificando filios in manu tentatoris (*diaboli*) relinquat, non ad occisionem, sed ad purgationem: non ad iram, sed ad misericordiam: non ad destructionem, sed ad instructionem: ut jam non sint vasa iræ apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum. His profectò qui non peractâ pænitentiâ exierunt [d] compassionem debemus & orationem, propter similis naturæ consortium: ut pius Pater auferat scoriam eorum, & in beneficia flagella commutet, & sic tandem reconsignet ad beatæ gaudia Ciuitatis. Si enim tauri cùm taurum mortuum invenerint, plorant, mugiunt, & quasi quibusdam debitis humanitatis obsequiis fraterna funera prosequuntur: quid debet homo homini, quem & ratio docet, & trahit affectio? Surgam ergo in adiutorium illis [e] interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisfaciam Sacrificio singulari; si fortè videat Dominus Deus, & judicet, ut laborem conuertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. His enim & hujusmodi officiis potest eorum pænitentia resecari, finiri labor, destrui pœna. Confitemur quoque nonmodò compassionem *mortuis* & orationem [f] sed in spe etiam congratulationem adhibendam esse: quia etsi contristandum est, quòd in locis purgatoriis patiuntur, multò ampliùs collætandum est, quòd propè est ut abstergat Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & jam non sit neque luctus neque clamor, sed nec vllus dolor, quia prima abierunt. Ex hoc autem discite Fratres (g) justum judicem Deum, nonmodò quid fiat, sed quo animo fiat, considerate: & cauete deinceps ne quis parua reputet, quamlibet parua scienter delinquere conuincatur. Nemo dicat in corde suo: Leuia sunt ista peccata, non curo corrigere: non est magnum si in his maneam venialibus minimisquè peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impænitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, blasphemia irremissibilis. Illud etiam scitote (h) quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hîc neglecta, redduntur usque ad novissimum quadrantem. Fratres mei, [i] memoremur nouissima nostra, ne peccemus. Nam per ignem transeundum nobis est, & uniuscujusque hominis opus quale sit, ignis probabit. Ibi enim aurum nostrum vertetur in scoriam: ibi revelabitur universa impuritas nostra: ibi Veritas ipsa accepto tempore, quod nobis interim datum contemnimus, justitias nostras judicabit. Quid verò illic omnes justitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ reputabuntur? Quidquid nunc paruipendendo transigimus, palpando tegimus, dissimulando negligimus, quanto illic cruciatu vindex flamma consumet? Utinam magis daret quis capiti meo aquas, & oculis meis fontem lachrymarum: fortè enim non reperiret

ignis

z *Ibidem num.* 3. a *Ser.* 42. *diuer. num* 5. b *Ser. de San Nicol. Episc. num.* 6. *tom.* 6. *pag.* 792.

c *Ser.* 42. *diver. num.* 5. d *Ser.* 16. *diuer. num.* 3. e *Ser.* 42. *diuer. num.* 5. f *Ser.* 16. *diuer. num.* 5. g *Ser.* 1. *de Conuers. S. Pauli. num.* 5. h *Ser. in obitu domni Humberti num.* 9. i *Ser.* 28. *diuer. num.* 6.

ignis exurens, quod interim fluens lachryma diluisset, Quis denique dabit capiti meo aquam, (k) & oculis meis fontem lachrymarum, ut præueniam fletibus fletum & stridorem dentium, & manuum pedumquè dura vincula, & pondus catenarum prementium, stringentium, vrentium, nec consumentium? Heu me mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis & plorationis? Cur exceptus genibus, cur lactatus vberibus, natus in combustionem, & cibus ignis? O homo cogita omnes mundi cruciatus (l) & compara eos gehennæ, totum leue erit. Ignis etiam purgatorius, qui licet non sit gehennæ, ad modicum tempus crucians, transcendit tamē omnia mundana tormēta. Vnde Augustinus super Psalmum sextum ait: *Domine ne infurore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*; id est, non sim inter illos quibus dicturus es in judicio, *Ite maledicti in ignem æternum*: neque in indignatione tua emendes me; id est, non sit mihi opus igne emendatorio, qui & purgatorius dicitur: qui cùm grauior sit omni eo quod pati potest in hac vita, cùm multi facinorosi per diversissimos cruciatus luant sua crimina, multiquè per immania & exquisita tormenta migrauerunt ad Dominum. Non blandiaris tibi, ô homo, (m) si graviter peccanti leuior pænitentia uel à nesciente vel à dissimulante dictatur, cùm purgatorius ignis perficere debeat, quidquid hîc minus feceris: quia dignos fructus pænitentiæ requirit Altissimus. Sed uideamus detractores (n) videamus canes, scilicet hæreticos. Irrident nos quòd oramus pro mortuis, quòd Sanctorum suffragia postulamus: Non credunt ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire, uel ad damnationem. Quærant ergo à Christo, qui in Euangelio secundùm Matthæum capite duodecimo dixit *peccatum esse, quod neque in hoc seculo, neque in futuro remittetur*. Cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatiovè peccati. Viuentium itaque preces & hostias [o] mortui, qui opus habebunt & digni erunt, mediantibus percipient Angelis: & eorum qui jam peruenerunt ad cælum, viventibus adhuc nequaquam solatia deerunt per Deum qui ubique est, & in Deo nusquam affectu charitatis absentium. Nam & Christus propter hoc mortuus est & resurrexit, uc vivorum dominaretur & mortuorum.

Sed jam huic sermoni terminum imponimus: [p] paratiquè sumus emendare, demere, & mutare, sicubi contra fidem & contra Sacras Scripturas aliquid diximus. In omnibus autem gratias humiliter agimus ei, qui gratuitâ gratiâ suâ nos edocuit, qui aperit os mutorum, & linguas infantium disertas facit. Totumquè hoc Opusculū consecramus optimo & dulcissimo Jesu Christo Crucifixo. Benedic anima mea Deum Saluatorem tuum [q] & magnifica Nomen ejus. Sanctum est enim, & sanctissimis deliciis plenum. O quàm bonus & suavis es Domine Jesu animæ quærenti te! Jesu Redemptor perditorum, Saluator redemptorum, spes exulum, fortitudo laborantium, anxiati spiritus latitudo, animæ lachrymosæ & post te currentis in sudore solatium & suaue refrigerium, corona triumphantium, unica merces & lætitia supernorum Ciuium, vberrimus fons omnium gratiarum, unica proles Summi Dei, & Deus Summus, benedicant te omnia quæ in cælo sunt sursùm, & quæ in terra deorsùm. Benedic anima mea Domino [r] & omnia quæ intra me sunt, Nomini Sancto ejus. Benedic, & dic: *Gloria, laus, & honor sit tibi Rex Christe Redemptor*. Da anima mea gloriam Deo (s) qui gratis te præuenit, excitavit, initiauit: & viue dignè de cætero, quo te probes & perceptis beneficiis non ingratam, & percipendis idoneam. Quiquid sapientiæ (t) quidquid te virtutis habere confidis, Dei Virtuti & Dei Sapientiæ deputa Christo Jesu Crucifixo. Hic tibi sit cibus & potus (u) dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua. Ipse enim est (x) qui replet in bonis desiderium tuum. Replet in bonis, excitat ad bonum, tenet in bono: præuenit, sustinet, implet. Ipse facit ut desideres, ipse est quod desideras. O Saluator meus, & Deus meus! (y) Veniat, veniat oro tempus, ut quod nunc credo, oculis tandem reuelatis aspiciam: quod spero nunc & à longe saluto, apprehendam: quod pro viribus meis desidero, ulnis animæ meæ amplectar & deosculer, & in amoris tui abyssum absorbear, ô Salvator meus & Deus meus. Magnus es tu (z) & magnum Nomen tuum. O immarcescibilis decor Dei excelsi, & purissima claritas lucis æternæ, Vita omnem vitam vivificans, Lux omne lumen illuminans, & conseruans in æterno splendore! Inclytam sponsam Ecclesiam populi tui illo quæso igneo stillicidio purga & innoua, illumina & inflamma, exhilara & confirma: & uni cor credentium tibi, ut unum sint, unum sapiant, unum vnanimiter requirant, ut apprehendant & videant, & benedicant te Deum deorum Sion, dicentes: *Sit individua Trinitati gloria, gratiarum actio, honor, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.*

DEO GRATIARUM ACTIO,
ET BEATO BERNARDO,
Servo ejus dulci & fideli.

S. Bonavent. Concluss. tract. medit. de vita Christi.

PHI-

k *Ser. 26. in Cant. num. 9.* l *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 23. num. 38.* m *Ser. de S. Andr. num. 5. tom. 6. pag. 785.* n *Ser. 66. in Cant. num. 9. & 11.* o *Ibidem num. 10.* p *Tract. de vite myst. cap. 45. num. 265.*

q *Ser. de Pass. Dom. num. 23.* r *Tract. de inter. domo. cap. 37. num. 83.* s *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 1. num. 1.* t *Ser. 12. in Cant. num. 1.* u *Ser. de form. hon. vitæ. num. 2.* x *Tract. de diligen. Deo. cap. 7. num. 21.* y *Ser. de Pass. Dom. num. 22.* z *Ibidem. num. 23. & 24.*

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Decima,

De fructu passionis Christi, quem & sibi & nobis comparavit pretio Sanguinis sui.

Cùm servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ: nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. S. Paul. in Epist. 6. ad Rom.

PROEMIUM.

Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus: *ait Sponsus Christus*. *Cant.* 7.

OMNIUM temporum (a) quæ sub conversatione veteris hominis Adam transegimus, fructus noster est Passio Christi. Hic est fructus [b] de quo Sponsus loquitur in Cantico amoris: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus*. Quid est, in palmam? In Crucem ejus, cujus una pars de arbore palmæ dicitur facta fuisse. Palma arbor victoriam significans [c] altitudinem Crucis optimè designat, spem in supernis habendam, & ad infima deprimendam. Hæc arbor habet in se titulum triumphalem scriptum, in quo invenitur fructus Crucis. Prima enim dictio est Jesus, per quam intelligitur salvatio generis humani, quæ idem est quod redemptio. Ecce fructus Crucis. Propterea enim Iesus Christus crucifixus est, ut redimeret genus humanum. Palma Crucem (d) vitis verò significat Crucifixum. Ascendit Vitis Iesus in palmam, apprehendit fructus palmæ, non quos palma habuit ex se, sed ex Vite in palmam extenta. Quare autem dicit ipsa Vitis, *Apprehendam fructus ejus*, & non potiùs dicit meos, cùm palma fructum habuerit à Vite, non Vitis à palma? Christus non habuit hunc fructum sine palma, imò & per palmam, id est per Crucem: quia si Christus crucifixus non esset, non fuisset secuta redemptio hominum. Fructus ad Passionem (e) flores ad Resurrectionem pertinent. *Quæ seminaverit homo* (ait Apostolus) *hæc & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem*. Seminavit vetus homo in carne, messuit postmodùm corruptionem. Quam? Passionem Christi. Nisi enim vetus homo transgrederetur, nouus non pateretur. O profundum & inscrutabile redemptionis nostræ consilium! *Verè diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Domine Iesu Christe, si inobedientia Adæ cooperata est nobis in bonum, & tantum tamquè mirificum bonum, ut tu fieres corruptibilis: tua obedientia in quod bonum nobis cooperabitur? Profectò, ut homo fiat incorruptibilis. Si seminantes in carne, tuam messuimus corruptionem: seminantes in spiritu, nostram metemus incorruptionem. Hæc est autem (f) gratia Crucis Christi & virtus. *Vivo ego* (dicit Dominus) *nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat*. Quantum verò mihi videtur, vox Christi resurgentis est ista. Ac si dicat: Velit nolit Iudæus, vivo ego. Nolo mortem peccatoris, qui mori volui pro peccatoribus. Volo ut fructuosa sit mors mea, & copiosa per eam redemptio. Fidelis sermo & omni acceptione dignus (g) quoniam cùm adhuc peccatores essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Ubi reconciliatio est, ibi & remissio peccatorum. Et quid ipsa

nisi

S. Bernard. Abb. juxta ejus librorum edit. authore Horstio in VI. Tom. imp. Parisiis an. 1667. a Ser. de Verb. Sap. n. 8. tom. 6. pag. 771. b Tract. de vite myst. cap. 46. n. 179. c Ibidem n. 180. d Ibidem num. 181.

e Ser. de verb. Sap. n. 7. f Ser. 13. diver. n. 1. g Tract. de error. Abailar. cap. 8. n. 20.

nisi justificatio? Sive igitur reconciliatio, sive remissio peccatorum, sive justificatio sit, sive etiam redemptio, vel liberatio de vinculis diaboli, à quo captivi tenebamur ad ipsius voluntatem: intercedente morte Unigeniti Filii Dei obtinemus, justificati gratis in Sanguine ipsius. *In quo* (sicut ait Apostolus) *habemus redemptionem per Sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus*. Hæ sunt divitiæ salutis & gloriæ (h) Sanguis preciosus quo redempti sumus, & Crux Dominica, in qua cum Apostolo gloriamur: *Mihi*, inquit, *absit gloriari nisi in cruce Domini mei Jesu Chisti.* Apprehendit utique Christus (i) fructum Crucis illum profectò, quem ipse per Crucem operatus est. Quem quidem fructum Ecclesia [k] non solùm ex his qui sunt sub tempore gratiæ, sed à mundi principio justè congregata dulcem sibi fore gratulatur, dicens de Sponso in Cantico amoris: *Sub umbra illius quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo*. Meritò ejus desideraverat umbram [l] de quo & refrigerium esset, & refectionem pariter acceptura. Nam cætera quidem sylvarum ligna etsi umbram solatii habent, sed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos salutis. Unus est enim vitæ auctor, unus Mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus, qui dicit sponsæ suæ: *Salus tua ego sum*. Propterea ergo Christi potissimùm desideraverat umbram, quòd solus sit, qui non solùm ab æstu refrigerat vitiorum, sed & replet delectatione virtutum Ait enim:(m) *Et fructus ejus dulcis gutturi meo*: gustum contemplationis significans, quem obtinuerat per amorem suaviter sublevata. Christus non immeritò fructus esse intelligitur [n] dicente David: *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*. Et iterum: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuã.* Benedictus ergo fructus ventris tui:(o) benedictus in *odore*, benedictus in *sapore*, benedictus in *specie*. Hujus odoriferi fructus *fragrantiam* sentiebat qui dicebat: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* An non verè benedictus, cui benedixit Dominus? De *sapore* hujus fructus quidam quod gustaverat taliter eructabat, dicens: *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*. Et alibi: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te?* Et alius quidam, *Si tamen*, inquit, *gustastis quoniam dulcis est Dominus.* Et ipse fructus Jesus de se invitans nos ad se, *Qui edit me*, ait, *adhuc esuriet: & qui bibit me, adhuc sitiet*. Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium & sitientium justitiam, & esca & potus est. Audisti de odore, audisti de sapore, audi nunc de *specie*. Si enim fructus ille mortis non solùm suavis fuit ad vescendum, sed etiam (teste scriptura) delectabilis aspectu: quantò magis hujus vitalis fructus vivificum *decorem* debemus inquirere, in quem desiderant etiam Angeli prospicere? Cujus *pulchritudinem* in spiritu videbat, & in corpore videre cupiebat Propheta David, cùm dicebat: *Ex Syon species decoris ejus*. Et ne mediocriter tibi videatur commendasse decorem, recole quod in alio Psalmo legitur: *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis ejus: propterea benedixit te Deus in æternum*. Præter hæc omnia [p] dulce pigmentarium apponitur invitatis ad lætificandum de Cyprio vino, & de preciosis & peregrinis speciebus conditum *Botrus* (inquit Sponsa) *Cypri, dilectus meus mihi*. Præmissum erat in proximiori versiculo sequens verbum: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, scilicet Christus secundùm carnem: botrus verò Cypri, est Christus secundùm Deitatem. Fasciculus myrrhæ, Christus in passione: botrus Cypri, Christus in resurrectione. Fasciculus myrrhæ, grando & tonitrua Judaicæ tempestatis: botrus Cypri, destructio totius adversæ potestatis. Fasciculus myrrhæ, multitudo afflictionum: botrus Cypri, abundantia gaudiorum: illic amaricans, isthinc inebrians. Si dilectus in myrrha (q) multò magis in botri suavitate. Ergo Dominus meus Jesus myrrha mihi in morte, botrus in resurrectione, seipsum mihi saluberrimum temperavit in potum, in lachrymis in mensura. Mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus. Habet autem hic botrus grana multa (r) scilicet impletionem Scripturarum, victoriam de diabolo, Resurrectionis gloriam, Ascensionis mirabilem elevationem, donorum Spiritus Sancti missionem. Fructum igitur redemptionis nostræ (s) toto desiderio complectamur, & sæpiùs imò sine intermissione ad memoriam revocantes eum, latentem in ipso dulcedinẽ linguâ intellectus nostri degustemus, & in vase memoriæ nostræ recondamus sanguinem hujus uvæ meracissimum, Sanguinem, inquam, rubicundi Jesu, qui factus est nobis redemptio: quia per ipsũ salvati & liberati sumus. His ergo floribus, hoc fructu [quo redempti sumus à tyrannide dæmoniaca] jugiter reficienda est anima nostra: ne in hoc tædioso deserto deficiat, in quo sine requie & sine intermissione laborat, suspirans ad illam terram lacte & melle manantem, & cum Sponsa proclamans inquit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Non ignorat planè Sponsa, quis & qualis sit fructus ligni vitæ Jesu Christi. Hæc sunt quippè mala punica [t] quæ in hortũ introducta dilecti sui Sponsi carpit ex ligno vitæ, à cælesti Sponso proprium mutuata saporem, colorem à Sanguine Christi. Videt deinde mortem mortuam, & mortis auctorem triumphatum. Videt de inferis ad terras, & de terris ad Superos captivam duci captivitatem: *ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.* Advertit terram illam, quæ spinas & tribulos sub antiquo maledicto produxerat, ad novæ benedictionis gratiã innovatã refloruisse. Et in his omnibus illius recordata versiculi: *Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei*: Passionis malis, quæ de arbore tulerat crucis, cupit jungere & de floribus Resurrectionis, quorũ præsertim fragrantiâ Sponsum Jesum ad se crebriùs revisendam invitet. Gaudet Sponsus cælestis talibus odoramentis, & cor-

h *Ser. 4 in Vig. Nat. Dom. n. 7.* i *Tract. de vite myst. cap. 46. n. 181.* k *Ibid. n. 178.* l *Ser. 48. in Cant. n. 6.* m *Ibidem n. 8.* n *Ser. 1. sup. missus num. 3.* o *Ser. 3. sup. missus num. 6.*

p *Ser. 2. in Cœna Domin. n. 8.* q *Ser. 44. in Cant. n. 1.* r *Tract. de vite myst. cap. 46. n. 182.* s *Ibidem n. 184.* t *Tract. de diligen. Deo cap. 3. num. 7.*

[u] & cordis thalamum frequenter libenterquè ingreditur, eò quòd, istius modi refertum fructibus floribusquè respersum invenerit. Ubi suæ videlicet aut Passionis gratiam, aut Resurrectionis gloriam sedula inspicit cogitatione versari, ibi profectò adest sedulus, adest libens. Monimenta siquidem *Passionis* fructus agnosce quasi anni præteriti, omnium utique retrò temporum sub peccati mortisquè imperio decursorũ, tandẽ in plenitudine temporis apparentes. *Resurrectionis* autem insignia, novos adverte flores sequentis temporis in novam sub gratia reviviscentis æstatem, quorum fructum generalis futura resurrectio in fine parturiet sine fine mansurum. *Jam*, inquit, *hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra*: æstiuum tempus advenisse cum Christo redivivo significans, qui de mortis gelu in vernalem quandam novæ vitæ temperiem resolutus, *Ecce*, ait, *nova facio omnia*. Cujus caro seminata est in morte, refloruit in Resurrectione. Ad cujus mox odorem in campo convallis nostræ revirescunt arida, recalescunt frigida, mortua reviviscunt. Horum ergo novitate florum ac fructuum (x) & plenitudine agri suauissimum spirantis odorem, ipse quoque Pater in Filio innovante omnia delectatur, ita ut dicat: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Benè pleni, de cujus plenitudine omnes accepimus. Sponsa tamen familiariùs ex eo sibi, cùm vult, flores legit, & carpit poma, quibus propriæ aspergat intima conscientiæ, & intranti Sponso Jesu cordis lectulus suaveredoleat. Oportet enim nos, si crebrum volumus habere hospitem Christum, corda nostra semper habere munita fidelibus testimoniis, tam de misericordia scilicet morientis, quàm de potentia resurgentis Christi, quomodo David ajebat: *Duo hæc audivi, quia potestas Dei est: & tibi Domine misericordia*. Siquidem utriusque rei testimonia credibilia facta sunt nimis; Christo utique moriente propter delicta nostra, & resurgente propter justificationem nostram;, & ascendente ad protectionem nostram, & mittente Spiritum ad consolationem nostram, & quandoque redituro ad consummationem nostram. Nempè in morte misericordiam, potentiam in Resurrectione, utramque in singulis exhibuit reliquorum. Hæc sunt mala punica (y) hi sunt flores, quibus sponsa se interim stipari postulat & fulciri, credo sentiens facilè vim in se amoris posse tepescere & languescere quodammodò, si non talibus jugiter foveatur incentivis, donec introducta quandoque in cubiculum, diu concupitis excipiatur amplexibus, & dicat: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexata est me*. Hæc itaque & vos Fratres meditamini (z) in his versamini. Talibus odoramentis refovete viscera vestra, quæ diu torsit odor molestior peccatorum, ut abundetis his fructibus & floribus. non minùs Suavibus quàm salutaribus. Quæ autem dicta sunt, tenete memoriâ, probate vitâ, & iuuate me precibus vestris, ut dignè loqui possim quod & dignum sit tantis sponsæ deliciis, & vestras animas ad amorem ædificet Sponsi Jesu Christi Domini nostri. Amen.

u *Ibidem num. 8.* x *Ibidem num. 9.* y *Ibidem num. 10.* z *Ser. 11. in Cant. num. 8.*

CAPUT I.

De Resurrectione Domini Nostri Jesu Christi Redemptoris nostri.

Resurrexit sicut dixit. *Alleluia. Matt. 28.*

1. *Fructus passionis Christi, est Resurrectio ejus gloriosa: in qua duplex gloria innotuit, scilicet quòd resurgens à mortuis, jam non moritur, & quòd ipse solus propria virtute se excitavit à morte.* 2. *Resurgens ex mortuis, debellavit diabolum, peccatum, & mortem.* 3. *Agitur de septẽ apparitionibus Christi redivivi, per quas designantur septem dona Spiritus Sancti.* 4. *Ostenditur, Christum solere quidẽ apparere frequenter devotis animabus in præsenti vita, sed non sub una specie.* 5. *Excitamur occasione Resurrectionis Dominicæ, ad renovandam vetustatem cordis nostri, oris, & corporis. Docemur, quantam nobis solemnitas Resurrectionis Dominicæ conferat doctrinam, tam ad renovandos mores, quàm ad sectandam resurrectionem spiritualem.*

§. I.

JAM quidem infirma Jesu crucifixi vidisti, anima mea, (a) & miserta es: nunc majestatem ejus attende, & miraberis. *Magna Opera Domini.* ait Sanctus Propheta David. (b) Magna quidẽ omnia opera ejus, Fratres, siquidem magnus & ipse: sed ad nos maximè spectant, quæ in eis maxima esse videntur. Dominus & Salvator noster (c) Jesus Christus de morte meruit Resurrectionem. Ipse enim (d) cùm per naturam Divinitatis non haberet quo cresceret vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est; per descensum quomodo cresceret, invenit, veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum: propter quod Deus exaltavit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexterã Dei. Ipse, inquam, tanquam pius & laudabilis medicus (e) priùs bibit potionẽ quã parabat suis, id est passionẽ & mortẽ sustinuit, & sic sanitatẽ immortalitatis accepit & impossibilitatis docens suos ut confidenter biberẽt potionẽ, quæ generat sanitatẽ & vitam: qui post passionem vitâ æternâ vivit, spem dat nobis, ut idem speremus ab eo securi. Ipse quidem propter nos tribulationem & dolorem invenit (f) quandò proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Verumtamen quæ de ipso erant: sicut ante mortem prædixerat, finem habuerunt: & sicut in morte dixit, consummata sunt: extunc sabbatizavit. Nec dilata est gloria resurrectionis: die enim tertia summo diluculo Sol justitiæ de tumulo ortus est nobis. Ita ergo fructus pariter tribulationis & veritas ereptionis in manifestatione glorificationis apparuit. Quæris (g) quandò hoc fuit? Quandò putas, nisi cùm refloruit caro Christi in resurrectione? Et hic est primus & maximus flos, qui apparuit in terra nostra. Nam primitiæ dormentium Christus est. Passus est quidem

in

a *Ser. de Pass. Dom. n. 15.* b *Ser. 2. in Nat. Dom. num. 1.* c *Ser. 60 diuer. num. 1. & 2.* d *Ser. de Ascens. Dom. num. 6.* e *Ser. 54. diuer.* f *Ser. 16. super Psalm. 90. n. 2.* g *Ser. 58. in Cant. num. 8.*

cruce impassibilis Deus (h) & in carne nostra mortali mortuus & sepultus est immortalis Dei Filius; sed ecce tertia die resurrexit à mortuis: & qui Agnus extiterat in Passione, leo factus est in Resurrectione. Surrexit, & *vicit leo de tribu Juda*: quia mortem, quam ex infirmitate nostra pertulit, ex virtute sua resurgendo calcavit. *Vicit*, inquam, *leo de tribu Juda* (i) suscitatus est paterna voce leonis catulus: clauso prodiit tumulo, qui de patibulo non descendit. An verò id majus sit signum? inimici nostri sint judices, qui tam curiosè munierant monumentum, signantes lapidem cum custodibus. Hunc enim lapidem magnum valdè (de quo mulieres illæ devotæ invicem querebantur) facta jam Resurrectione Dominica, *revoluit Angelus, & resedit*, sicut scriptum est, *super eum*. Constat proinde clauso exiisse tumulo redivivum Corpus Christi, quod clauso Virginis utero natum processit in vitam, & ad Discipulos clausis introiuit januis in conclavi. Jam si confutandis Judæorum calumniis sufficere videtur hoc ipsum, quòd clauso egressus est monumento, cui insultantes dicebant: *Si Rex Israel est, descendat de Cruce*: (curiosiùs namque monumentum claudere & signare studuerant, quàm infigere clavos) si igitur vicit leo de tribu Juda in hoc ipso processu, & majus demonstravit opus quàm peterent: ipsum jam Resurrectionis miraculum cui poterit comparari? Legimus nonnullorum præcessisse resurrectiones, aut magis certè suscitationes, sed istius præambulas, quibus & duplici privilegio noscitur præeminere. Nam cæteri quidem resurrexerant mortui, iterùm morituri: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*. Illi mortui denuò opus habent iterùm resuscitari: Christus quòd mortuus est peccato, mortuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo, vivit in æternitate. Meritò proinde resurgentium primitiæ Christus est, qui ita resurrexit, ut cadere non adiiciat, quia solus attigit immortalitatem. Est aliud miraculum, in quo Resurrectionis hujus innotescat gloria singularis. Quis enim in cæteris omnibus suscitavit aliquando semetipsum? Ineffabile istud est, ut à morte se excitet ipse qui dormit: singulare est, non est qui faciat, non est usque ad unum. Helisæus Propheta mortuum suscitavit, sed alterum, non seipsum. Ecce enim quot annis jacet in monumento, quod à se non potest, sperans ab alio suscitari: ab eo utique qui triumphavit mortis imperium in seipso. Inde est quòd cæteros quidem dicimus suscitatos, Christum verò resurrexisse, qui solus virtute propria victor prodiit de sepulchro. Siquidem & in hoc vicit leo de tribu Juda. Solus nimirùm in mortem tradidit animam suam, [K] qui solus virtute propria regressus est ad vitam. Solus potestatem habuit ponendi Animam suam, qui solus facultatem æquè habuit liberam resumendi, imperium habens vitæ & mortis. Solus ille etiam inter mortuos penitùs liber fuit [l] qui peccatum non fecit, cujus justitia sicut montes Dei. Cæterùm jam nec inter mortuos est, sed assumptus ab eis, mutatus corpore, mutatus corde, ingressus in potentias Domini, & omni infirmitate privatus: exutus nimirùm sordidas illas vestes, quibus sanè apud Zachariam Prophetam primò vestitus apparuit, & indutus splendidis, sicut loquitur in Psalmo: *Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitiâ*. Quia enim veram humanæ carnis & animæ substantiam suscepit, veram utriusque naturam: nec corporis illi defuerunt nec animæ passiones, sed ex hoc jam glorificatus est in utroque. Puto autem quòd utriusque glorificationem brevi uno versiculo Propheta David comprehendit, dicens: *Dominus regnavit decorem induit, induit Dominus fortitudinem*. Decorem sanè in corpore claritatis, fortitudinem verò in imperturbabili statu mentis. Agnosco certè (m) agnosco Jesum magnum Sacerdotem sordidis opertum vestibus, dum altercaretur cum diabolo. Scientibus Scripturas loquor, & quibus non ignota est prophetica visio Zachariæ. Ubi verò exaltatum est Caput nostrum super inimicos nostros, ex hoc planè mutavit vestem, decorem induit, amictus lumine sicut vestimento. Erat aurora [n] & ipsa subobscura satis tota illa Christi conversatio super terram, usque dum occumbens & rursùm exoriens, solaris suæ præsentiæ lumine clarior i fugavit auroram, & mane facto absorpta est nox in victoria. Denique habes: *Et valdè mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam Sole*. An non mane fuit quando ortus est Sol? Attulit autem nouum de Resurrectione decorem, & sereniorem solito lucem: quoniam etsi noveramus eum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus. Est scriptum in Propheta: *Decorem induit, induit fortitudinem, & præcinxit se*: quòd carnis infirma tanquam nubila quædam excusserit, stolam gloriæ induens. Sanè extunc elevatus est Sol, & sensim demùm diffundens suos radios super terram, cœpit paulatim ubique clarior apparere, fervidiorque sentiri.

§. II.

Vicit leo de tribu Juda. Apoc. 5.

Vicit planè malitiam Sapientia (o) attingens à fine usque ad finem fortiter, & suaviter universa disponens: sed pro me fortiter, suaviter mihi. *Sapientia vincit malitiam* (p) dum Satanam conterit Dei Virtus, & Dei Sapientia Christus Jesus. *Attingit verò à fine usque ad finem fortiter*: in cælo quidem deiiciendo superbum, in mundo superando malignum, in inferno spoliando avarum. *Et disponit omnia suauitater*: in cælo stantes Angelos confirmando, in mundo venundatos redimendo, in inferno captivos liberando. Ita quippe (q) decuit Incarnatam Sapientiam spiritualem vincere malitiam, quo non solùm attingeret à fine usque ad finem fortiter, sed & disponeret omnia suaviter. Attingit autem à fine usque ad finem, idest, à cælo usque ad infernum. *Si ascendero* (inquit Psalmista) *in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades*. Utrobique verò fortiter, quando & de supernis expulit superbum, & apud inferos spoliavit ava-

h *Ser. 57. diver n. 2.* i *Ser. 1. in die Pasch. num. 5. 6. & 7.* K *Ser. in fer. 4. in hebd. san. n. 4.* l *Ser. 34. diver. num. 4.*

m *Ser. 4. in Nat. Dom. num. 1.* n *Ser. 33. in Cant. n. 6.* o *Ser. 1. in die Pasch. n. 1.* p *Ser. 14. diver. n. 1.* q *Ser. 2. super miss. num. 13.*

rum. Con veniens ergo erat, ut ſuaviter quoque omnia cæleſtia ſcilicet & terrena diſponeret, quatenus & illinc deiiciens inquietum, reliquos in pace firmaret: et hîc debellaturus invidum, nobis priùs ſuæ humilitatis & manſuetudinis valdè neceſſarium exemplum relinqueret: ſicquè mirabili fieret moderamine Sapientiæ, ut & ſuis ſuavis, & hoſtibus fortis appareret. Victoria de diabolo (r) & ſi alio modo fieri potuit, tamen alio modo impleri non debuit. Multum enim deſipit, qui Sapientiam Dei & Domini aliud aliquod putat, niſi id quod præſtantiſſimum fuit, ordinaſſe. Neceſſarium fuit eum per Hominem vinci & per lignum, qui hominem vicerat per lignum: *ut unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*. Vicit Judæorum blaſphemias in patibulo [s] fortem armatum alligavit in atrio, & de ipſo mortis imperio triumphavit. Ubi enim ſunt opprobria tua, Judæe? ubi ſunt fabulæ vaſa captivitatis? ubi eſt mors victoria tua? Confuſus eſt calumniator: raptor ſpoliatus eſt: nouum genus potentiæ, hactenus victorioſa mors obſtupeſcit. Pervaſit quidem immunem (t) ſed non immunis evaſit. Impegit in Vitam mors, & incluſit intra ſe Vita mortem, & abſorpta eſt mors à Vita: hamum ſibi devorans inde teneri cæpit, unde viſa eſt tenuiſſe, Conſtat enim [u] quòd Chriſtus moriens victor mortis de morte triumphavit, & mors ejus noſtram mortem calcavit. At fortaſsè (x) quis dicet: Quomodo mors à Capite omnium electorum ſuperata videtur, quæ tantâ adhuc libertate ſævit in membra? Si mors mortua eſt, quomodò S. Malachiam Epiſcopum occidit? Si victa eſt mors, quomodò adhuc prævalet univerſis, & non eſt homo qui vivat & non videat mortem? Victa planè eſt *mors* opus diaboli, & peccati pæna: victum eſt *peccatum* cauſa mortis: victus eſt & malignus ipſe *diabolus* peccati author & mortis. Nec modò victa ſunt hæc, ſed & judicata jam & damnata. Diffinita quidem, ſed nondum promulgata ſententia eſt. Denique jam diabolo ignis paratus eſt, & ſi nondum ille præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore ſinitur malignari. Tanquam malleus cæleſtis Opificis factus eſt, malleus univerſæ terræ. Terit Electos ad eorum utilitatem, reprobos conterit in eorumdamnationem. Abſorbuit fluvios ſapientium (y) & torrentes potentium: & habet fiduciam ut Jordanis influat in os ejus, id eſt, ſimplices & humiles qui ſunt in Eccleſia. Ipſe enim eſt Antichriſtus, qui ſe non ſolùm diem ſed & meridiem mentietur, & extolletur ſupra id quod dicitur aut quod colitur Deus: quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui, utpote verus & æternus meridies Sponſus & Advocatus Eccleſiæ. Qualis verò paterfamilias [z] tales & domeſtici ejus, peccatum ſcilicet & mors. Nam & peccatum licet ſimul cum Chriſto Cruci ipſius non dubitetur affixum, adhuc tamen interim non regnare quidem, ſed habitare etiam in ipſo dum viveret Apoſtolo permittebatur. Mentior ſi non ipſe ait: *Jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*. Sic & mors ipſa minimè quidem adhuc abeſſe cogitur, ſed cogitur non obeſſe. Erit autem cùm dicetur: *Ubi eſt mors victoria tua*? Et ipſa ſiquidem inimica noviſſima deſtruetur. Porrò dicet quis: (a) Si lex ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu liberavit nos à lege peccati & mortis, utquid adhuc morimur, & non ſtatim immortalitate veſtimur? Sanè ut Dei veritas impleatur. Quia enim miſericordiam & veritatem diligit Deus, neceſse eſt mori quidem hominem, quippè quod prædixerat Deus; ſed à morte tamen reſurgere, ne obliviſcatur miſereri Deus. Ita ergo mors etſi non perpetuò dominatur, manet tamen propter veritatem Dei, vel ad tempus in nobis: quemadmodùm & peccatum, & ſi jam non regnat in noſtro mortali corpore, non tamen deeſt penitùs nobis. Proinde Paulus ex parte quidē liberatum ſe à lege peccati & mortis gloriatur, ſed rursùm ſe utraq; nihilominùs lege aliqua gravari ex parte conqueritur, ſive cùm adversùs peccatū miſerabiliter clamat: *Invenio aliam legem in membris meis, &c.* Sive cùm ingemiſcit gravatus (haud dubium quin in lege mortis) redemptionem expectans corporis ſui. O quàm verum loquutus eſt idem Apoſtolus [b] qui dixit, *diligentibus Deum omnia cooperari in bonum*! Valet Deum diligenti animæ, corpus ſuum infirmum, valet & mortuum, valet & reſuſcitatū. *Primò* quidē valet ad fructum pænitentiæ, *ſecundò* ad requiem, *tertiò* ad conſummationem. Meritò ſine illo perfici non vult, quod in omni ſtatu in bonum ſibi ſubſervire perſentit. Bonus planè fidusq; comes caro ſpiritui bono [c] quæ ipſum aut ſi onerat, juvat: aut ſi non juvat, exonerat: aut certè juvat, & minimè onerat. *Primus* ſtatus eſt quidem laborioſus, ſed fructuoſus: *ſecundus* eſt ocioſus, ſed minimè faſtidioſus: *tertius* ſtatus eſt glorioſus. Adverte ex his quæ ſunt dicta [d] tres eſſe ſanctarum ſtatus Animarum: *primum* videlicet in corpore corruptibili, *ſecundum* ſine corpore, *tertium* in beatitudine conſummata. Primum denique in *tabernaculis*, ſecundum in *atriis*, tertium *in domo Dei*. Unde dicit Propheta: *Quā dilecta tabernacula tua Domine virtutum*! Multò magis tamen atria concupiſcibilia, ſecundùm quod addit: *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini*. Sed quoniam in ipſisquoque atriis nonnullus defectus eſt, proinde ait: *Beati qui habitant in domo tua Domine*. Lætatus ſum planè in his quæ dicta ſunt mihi, Fratres, quoniam in domum Domini ibimus. Quod ſi quæritis unde id tam fiducialiter præſumam? Inde ſine dubio, quòd jam multi ex nobis in atriis ſtent expectantes donec recipiant corpora ſua, donec impleatur numerus fratrum. In illam enim beatiſſimam domum nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis: id eſt, nec Sancti ſine plebe, nec ſpiritus ſine carne. Neque enim præſtari decet integram beatitudinem, donec ſit homo integer cui detur, nec perfectione donari Eccleſiam imperfectam. Propterea cùm reſurrectionem expectarent corporum, acceperunt divinum reſponſum dicens: *Suſtinete adhuc modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum veſtrorum*. Acceperunt jam ſingulas Stolas, ſed non veſtientur duplicibus donec veſtiamur

r *Tract. de vite myſt. cap. 6. n. 182.* s *Ser. 1. in die Paſchæ num. 1.* t *Ser. de S. Malach. Epiſc. n. 3.* u *Tract. de 3. præc. myſt. cap. 7. n. 23.* x *Ser. de S. Malach. Epiſc. n. 3.* y *Ser. 33. in Cant. n. 16.* z *Ser. de S. Malach. Epiſc. n. 4.*

a *Tract. de exhort. ad milit. templi cap. 11. n. 27.* b *Tract. de diligen. Deo. cap. 9. n. 30.* c *Ibidem num. 31.* d *Ser. 3. de omn. Sanct. num. 1.*

mur & nos, quomodo de Patriarchis & de Prophetis ait Apostolus: *Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur.* Stola enim prima, ipsa est felicitas & requies animarum: secunda verò Stola, est immortalitas & gloria corporum. Unde & dicunt: *Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est*, non tanquam vindictæ cupidi, nec de propriæ ultionis zelo: sed ex desiderio resurrectionis & glorificationis corporum suorum, quam nimirùm usque in diem judicii differendam esse non dubitant.

§. III.

Resurrexi, & adhuc sum tecum. Domine probasti me, & cognovisti me: tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam. Psal. 138.

Quantum poterit Christus (e) imò quid non posse videbitur vivens, & dicens Deo Patri: *Resurrexi, & adhuc sum tecum*: qui tam potens extitit deputatus cum mortuis, sed inter mortuos liber? Nec verò resurrectionem distulit ultra tertiam diem, ut Propheta Oseas fidelis inveniatur, qui dixit: *Vivificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos.* Decet nimirùm, ut quemadmodùm Caput præcessit, sequantur membra. Tres autem dies sunt [f] unus sub Adam, alter in Christo, tertius cum Christo. Unde & ibi subditur: *Sciemus, sequemurquè, ut cognoscamus Dominum.* Ecce nunc illuxit nobis dies redemptionis novæ (g) reparationis antiquæ, fælicitatis æternæ. *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* Meritò solemnitatis & lætitiæ dies agitur [h] quando Sol ille supercælestis, Sol Justitiæ nostris se præsentavit obtutibus, nube carnis & mortalitatis sacco fulgorem suum & lucem temperans inaccessibilem. Magna quoque lætitia & exultatio multa nimis, quando conscisso sacco, lætitiâ circumdatus est: factâquè de medio sacci ipsius non quidem substantiâ, sed vetustate, sed corruptione, sed miseria, sed vilitate, nostræ dedicavit primordia resurrectionis. Unde (i) de mortis gelu in vernalem quandam novæ vitæ temperiem resolutus, *Ecce*, ait, *nova facio omnia.* Cujus Caro seminata est in morte, refloruit in Resurrectione. Ad cujus mox odorem in campo convallis nostræ reviviscunt arida, recalescunt frigida, mortua reviviscunt. Sed quis explicet [k] quantum habuit habeatquè dulcedinis Dominica Resurrectio? Ponat aliquis tamen si quis potest, in corde suo magnitudinem ineffabilem illius beatissimæ & tristissimæ Passionis: videat quanto desperationis mærore illa discipulorum passi Jesu corda percussa fuerunt: videat illarum fidelium mulierum lamentationes, quæ dulcissimum Jesum ad passionis locum euntem cùm sibi Crucem bajularet, & cùm dulcissimam Animam expiraret, non deserverunt: videat præcipuè illam tunc spectantem mulierculam, nunc verò mundi Dominam, Matrem Domini, quàm acutus doloris gladius animam ejus pertransierit: videat totius mundi machinam Fabricatori suo compatientem tetra caligine involutam: Videat inquam hæc, & tantæ turbationi serenitatem tertiæ diei, & insperatam lætitiam lætissimæ Resurrectionis annectat, recogitetquè propensiùs cum quanta exultatione susceperint Dominum à mortuis resurgentem, quem cum ingenti tristitia viderunt morientem. Vide, cum quanta jucunditate Christus recompensaverit in Resurrectione discipulis suã tristitiam illam, & sanctissimam extremæ comestionis suæ cænam, in qua dixit: *Non bibam amodò de generatione vitis, donec bibam illam vobiscum novam.* Ecce jam nunc resurrexit in gloria Vitis vera: comeditquè & bibit cum eisdem discipulis cum gaudio maximo proculdubio, sequè dubitantibus aliquibus videndũ pariter & tangendum exhibuit. Nec putet quisquam (l) quòd Christus resurrexerit ad gaudium solis discipulis, imò & resurrexit nobis & toti mundo, beatificans omnes; qui quamvis non videant, credunt tamen ipsum passum fuisse propter delicta nostra, & resurrexisse propter justificationem nostram. Quibus docemur, quoniam si socii fuerimus Passionis, erimus & Resurrectionis: & ut non dubitemus mortalia corpora nostra resurrectionis gloriâ sublimanda, cùm Caput nostrum morte turpissima condemnatum resurrexisse credamus. *Nam sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Primitiæ enim dormientium Christus: deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt*, ad exemplum Christi resurgentis ad gloriam ultra non morituri resurgent. Sicut in corporum medicina priùs purgationes adhibentur (m) deinde refectiones, ut scilicet priùs exinaniatur corpus ab humoribus noxiis, dehinc cibis sanioribus foveatur: sic medicus animarum Dominus Christus, cujus tota dispensatio quam exhibuit in carne, medicina salutis est, ante Passionem suam septem dedit purgationes, post Resurrectionem suam totidem cibos salubres pariter & suaves. Helisæus noster Naaman leprosum septies in Jordane mergi præcipit, qui interpretatur descensus. In Descensu Domini nostri Iesu Christi, id est, in humanitate conversationis ejus, quam exhibuit ante Passionem, mundamur & purgamur. In Resurrectione verò & vita, quam ostendit quadraginta diebus, reficimur & pascimur delectabilibus alimentis. Septemplicitur enim occupavit nos lepra superbiæ: in proprietate possessionum, in gloria vestium, in voluptate corporum, in ore quoque dupliciter, similiter & in corde. Cùm ab his septem purgatus fuerit æger (n) tanquam post septem celias quærat septem fercula, quæ sunt septem Spiritus Sancti dona. Porrò sicut in vita Domini ante Passionem septem purgationes Invenimus: sic & in apparitionibus septem, quæ post Resurrectionem factæ leguntur, septem illa dona Spiritus Sancti possumus invenire. In prima *spiritum timoris* accipe, quãdo mulieribus sanctis venientibus, descendit Angelus de cælo, & terræ motus factus est, ita ut ipsas timore perterritas oportuerit ab Angelo consolari. *In spiritu pietatis* apparuit Simoni Petro, quia magna omninò & verè Domino Jesu digna pie-

e *Ser. 1. in die. Paschæ num. 7. & 8.* f *Ser. 2. in Vig. Nat. Dom. num. 2.* g *Ibidem num. 3.* h *Ser. 4. de Ascens. Dom. num. 1.* i *Tract. de diligen. Deo cap. 3. num. 8.* k *Tract. de vite myst. cap. 46. num. 187.*

l *Ibidem num 185.* m *Ser. 3. in Resurrect. Dom. n. 1.* n *Ibidem num. 6.*

pietatis dignatio, quòd ei quasi singulariter & ante cæteros discipulos dignatus est apparere, quē præ cæteris de negatione ejus rea conscientia confundebat: ut ubi abundavit delictum, superabundaret & gratia. *In spiritu scientiæ* duobus pergentibus in Emaus Scripturas exposuit, incipiens à Moyse & Prophetis. *In spiritu fortitudinis* janüis clausis intravit ostendens manus & latus, sicut solent in signum virtutis clypeorum foramina demonstrari. *In spiritu consilii* frustrà in piscatione laborātes mittere in dexteram rete consuluit. *In spiritu intellectûs* aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. *In spiritu sapientiæ* die quadragesimo apparuit eis, quando videntibus illis elevatus est, & viderunt Filium hominis ascendentem ubi erat priùs. Usque ad illam enim diem quasi per stultitiam prædicationis salvos faciebat credentes: postquam verò coram eis ascendit ad Patrem, jam cæpit sapientia declarari.

§. IV.

Verumtamen istiusmodi salutarem dispensationem [o] quam tunc corporaliter Verbum corpus interdum exibuit, non cessat itentidem Verbum spiritus modo suo spirituali cum devota sibi anima sedulò actitare. Studiosis mentibus Verbum sponsus frequenter apparet [p] & non sub una specie. Quid ita? Profectò quoniam nondum videtur *sicuti est*. Nempè illa visio stat, quia forma stat quæ tunc videtur. Est enim, nec ullam capit ex eo quod est, fuit, vel erit, mutationem. Talis visio non est vitæ præsentis, sed in novissimus reservatur, his duntaxat qui dicere possunt: *Scimus quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Et nunc quidem apparet quibus vult, sed sicuti vult, non sicuti est. Non sapiens, non sanctus, non Propheta videre illum sicuti est potest aut potuit in corpore hoc mortali, poterit autem in immortali, qui dignus habebitur. Itaque videtur & hìc (q) sed sicut videtur ipsi, & non sicuti est. Nam neque hoc luminare magnum (Solem loquor istum quem quotidie vides) vidisti tamen aliquando sicuti est, sed tantùm sicut illuminat verbi causâ aërem, montem, parietem. Quod nec ipsum quidem aliquatenùs posses, si non aliqua ex parte ipsum lumen corporis tui pro sui ingenita serenitate & perspicuitate cælesti lumini simile esset. Non denique alterum membrum corporis capax est luminis, ob multam utique dissimilitudinem. Sed nec ipse oculus cùm turbatus fuerit, lumini propinquabit, nimirùm ab amissam similitudinem. Qui ergo turbatus nullatenùs serenum Solem videt propter dissimilitudinem, serenus aliquatenus videt propter nonnullam similitudinem. Profectò si pari prorsùs puritate vigeret, videret omninò inoffensa facie eum sicuti est, propter omnimodam similitudinem. Ita & Solem justitiæ illum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo sicut illuminat illuminatus potest, tanquam in aliquo similis: sicuti est, omninò non potest, tanquam nondum perfectè similis. Propterea dicit David: *Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur*. Ita sanè, sed si quantum satis est illuminamur, ut revelata facie speculantes gloriam Dei, in eandem imaginem transformemur de claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu. Porrò alius proculdubio fuit ille modus [r] quo quondā Patribus crebra illa atque ambitiosa Divinæ præsentiæ familiaritas dignanter indulta est, quanquam nec ipsis sicuti est, sed sicut dignata est. Nec uno omnibus modo, sed ut ait Apostolus, *multifariè multisquè modis*: cùm ipse in se sit unus, dicente ipso ad Israël: *Dominus Deus tuus, Deus unus est*. Et hæc demonstratio non quidem communis, sed tamen foris facta est, nimirùm exhibita per imagines extrinsecùs apparentes seu voces sonantes. Sed est Divina inspectio eò differentior ab his quò interior, cùm per seipsum dignatur invisere Deus animam quærentem se, quæ tamen ad quærendum toto se desiderio & amore devovit. Et hoc signum istiusmodi adventus ejus, sicut ab eo qui expertus est edocemur: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*. Oportet namque ut sancti desiderii ardor præveniat faciem ejus ad omnem animam, ad quam est ipse venturus, qui omnem consumat rubiginem vitiorum, & sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima quoniam juxta est Dominus, cùm se senserit illo igne succensam, & dixerit cum Propheta: *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me*. Et illud: *Concalvit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*. Tali animæ suspiranti frequenter [s] imò sine intermissione oranti & afflictanti se præ desiderio, cùm interdum desideratus ille qui ita quæritur, miseratus occurrit, puto illi de propria experientia convenire, ut dicat cum Sancto Jeremia: *Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te*. Non tamen adhuc illum dixerim apparere sicuti est, quamvis non omninò aliud hoc modo exhibeat, quàm quod est. Neque enim vel sic continuè præstò erit quamvis devotissimis mentibus, sed nec uniformiter omnibus. Oportet namque pro variis animæ desideriis Divinæ gustum præsentiæ variari, & infusum saporem supernæ dulcedinis diversa appetentis animi aliter atque aliter oblectare palatum. Denique advertisti in amatorio carmine, quoties mutaverit vultum, & in quanta multitudine dulcedinis suæ coram dilecta sua sponsa dignatus sit transformari, & quomodò nunc quidem instar verecundi *Sponsi* sanctæ animæ secretos petat amplexus, & osculis delectetur: nunc verò in oleo & unguentis *medicum* exhibere appareat, nimirùm propter teneras & infirmas animas istiusmodi adhuc indigentes fomentis & medicamentis, unde & delicato adolescentularum nomine designantur. Nunc rursùm quasi *viator* quispiam itinerantibus sponsæ simul atque adolescentulis sese associans, jucundissimis confabulationibus suis à labore viæ omnem relevat comitatum, ita ut eo discedente loquantur: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, dum loqueretur in via?* Facundus comes [t] qui in sermonum & morum suavitate suorum, tanquam in quadā suaveolentia spirantium unguentorum post se currere faciat universos. Item aliquando occurrens quasi prædives aliquis *paterfamilias* qui in domo sua abundet

o *Ser. 74. in Cant. num. 3.* p *Ser. 31. in Cant. num. 1.* q *Ibidem num. 2.*

r *Ibidem num. 4.* s *Ibidem num. 5. & 7.* t *Ibidem num. 8. & 9.*

det panibus, imò tanquam *Rex* magnificus & potens, qui sponsæ pauperis videatur pusillanimitatem erigere, provocare cupiditatem, demonstrans illi omnia desiderabilia gloriæ suæ, divitias torcularium ac promptuariorum, hortorum & agrorum copias: demùm etiam introducens eam in ipsa secreta cubiculi. Nimirùm confidit in ea cor viri sui, & non est ex omnibus quod ab illa existimet abscondendum, quam redemit inopem, probavit fidelem, amplexatur amabilem. Atque ita non cessat sive hoc illo modo interno jugiter apparere conspectui quærentium se, ut sermo impleatur quem dixit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Et in his omnibus suavis & mitis & multæ misericordiæ. Nam in *osculis* quidem affectuosum & blandum: *in oleo* autem & in pigmentis atque unguentis clementem & affluentem visceribus pietatis & compassionis: porrò *in via* hilarem, affabilem, plenum gratiæ & solatii: in ostensione verò *divitiarum* ac possessionum munificum se ac largum pro regia liberalitate remuneratorem demonstrat. Ita per omnem hujus carminis textum reperies Verbum istiusmodi similitudinibus adumbrari. Unde ego puto id significatum esse apud Jeremiam Prophetam, ubi ait: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, in umbra ejus vivemus inter gentes*: quòd scilicet videamus nunc per speculum & in ænigmate, & necdum facie ad faciem.

§. V.

Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vita ambulemus. Rom. 6.

Tribus modis (u) renovamur: *Carne* per Baptismi mysterium ab originali peccato: *Opere* per pœnitentiæ remedium ab actuali delicto: *Carne & spiritu* per Resurrectionis donum. *Sicut portavimus imaginem terreni hominis* [x] *portemus & imaginem cælestis*. Duo homines sunt, vetus, & novus: Adam vetus, Christus novus. Ille terrenus, iste cælestis: illius imago vetustas, istius imago novitas. Est triplex vetustas, & è contrario est triplex novitas. Est enim vetustas in corde, in ore, in corpore: in quibus tribus modis peccavimus, cogitatione, locutione, & opere. In *Corde* sunt desideria carnalia & sæcularia, id est, amor carnis, & amor sæculi. Similiter in *Ore* est gemina vetustas, arrogantia & derogatio. Item gemina est vetustas *in Corpore*, flagitia & facinora. Flagitia dicimus esse illa (y) quæ in nobis, facinora quæ in proximos peccando committimus. Hæc omnia sunt imago veteris hominis (z) & hæc omnia renovanda sunt in nobis. Si non esset vetustas in *Corde*, non diceret Apostolus: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*. Item si non esset vetustas in *Ore*, non diceret Scriptura: *Recedant vetera de ore vestro*. Et Apostolus dicit: *Omnis sermo malus non procedat de ore vestro, sed qui bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus*. Sed & de vetustate *Corporis* mentionem facit idem Apostolus, cum dicit: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem*. De cujus renovatione etiam subjungit: *Ita nunc exhibite membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*. Renovetur ergo *Cor* nostrũ (a) à carnalibus & sæcularibus desideriis, ut exclusis illis introducatur amor Dei, & amor patriæ cælestis. Recedant ab *Ore* nostro arrogantia & derogatio, & succedant pro his vera & sacramentalis peccatorum nostrorũ confessio, & bona de proximis æstimatio. Pro flagitiis & facinoribus quæ vetustas est *corporis*, assumantur continentia & innocentia, ut scilicet contrariis virtutibus contraria vitia depellantur. Hanc supradictam renovationem facit Christus habitans in nobis per fidem, sicut ipse ait: *Ecce nova facio omnia*. Unde & ad sponsam loquitur in Canticis: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*. Habitans igitur in *corde* est Sapientia, habitans in *Ore* est Veritas, habitans in *corpore* est Justitia. Porrò sicut fuit vetus Adam effusus per totum hominem (b) & totum occupavit: ita modò totum obtineat Christus, qui totum creavit, totum redemit, totum & glorificabit, quique totum hominem salvum fecit in Sabbato. Erat in nobis aliquando vetus homo, prævaricator ille erat in nobis tam in manu quàm in ore & in corde. *In manu* dupliciter, per facinus & flagitium: in *Ore* similiter per arrogantiam & detractionem: in *corde* quoque per desideria carnis, & desideria gloriæ temporalis. Nunc autem si qua nova creatura in ipso, vetera transierunt, quia & cõtra facius in *manu* est innocentia, & contra flagitium est continentia. In *Ore* contra arrogantiam est verbum confessionis, & contra detractionem est verbum ædificationis, ut recedant vetera de ore nostro. In *corde* verò contra carnis desideria est charitas, humilitas contra gloriam temporalem. Et vide si non in his tribus Christum Dei Verbum recipiant singuli electorum, quibus dictum est: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*. Et alibi: *Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo*. In hac quoque tam præcipua solemnitate Resurrectionis Dominicæ quid commendetur nobis (c) sedula cogitatione pensemus: nempè resurrectio, transitus & transmigratio. Christus enim non recidit hodie, sed resurrexit: non rediit, sed transiit: transmigravit, non remeavit. Denique & ipsum quod celebramus *Pascha*, transitus, non reditus interpretatur: & *Galilæa*, ubi videndus nobis promittitur qui resurrexit, non remeationem sonat, sed transmigrationem. Credo jam aliquorum ingenia prævolant, & quorsùm hæc velint tendere, suspicantur. Dicimus tamen breviter: Si post consummationem crucis, in nostram hanc mortalitatem & vitæ præsentis ærumnas Christus Dominus revixisset, ego eum non transiisse dicerem, sed rediisse: non eum transmigrâsse in sublimius aliquid, sed ad statum remeâsse priorem dicerem. Nunc autem quia transiit in novitatem vitæ, nos quoque invitat ad transitum, vocat in Galilæam. Propterea siquidem quòd mortuus est peccato, mortuus est semel: quia quòd jam vivit, vivit

u *Libro sent. num. 34. tom. 6. pag. 1022.* x *Ser. 60. diver. num. 1.* y *Ser. 5. de Assumpt. B. M. num. 6.* z *Ser. 69. diver. num. 1.*

a *Ibidem num. 2.* b *Ser. 5. de Adven. Dom. num. 3.* c *Ser. 1. in die Pascha num. 13.*

vivit non carni, sed Deo. Quid nos, Fratres, dicimus, (d) qui sacram Domini Resurrectionem Paschæ privamus nomine, ut sit nobis in reditum magis quàm in transitum? Luximus his diebus, compunctioni & orationi & gravitati & abstinentiæ dediti, cæterorum negligentias temporum sacro hoc tempore quadragenario redimere & diluere cupientes. Communicavimus passionibus Christi: complantati ei denuò sumus per baptismum quendam lachrymarum, pænitentiæ, confessionis. Si ergo mortui sumus peccato, quomodò vivemus adhuc in illo? Si negligentias planximus, quid causæ est ut recidamus nunc in easdem? Inveniemurne nunc iterùm curiosi ut ante, pigri & negligentes ut ante: vani, suspiciosi, detractores, iracundi, cæterisquè impliciti vitiis quæ tam anxiè deploravimus his diebus? Non est transmigratio hæc, Fratres: non sic videbitur Christus: non est hoc iter, quo ostendat nobis Deus salutare suum. Denique qui retrò respicit, indignus est regno Dei. Sic amatores sæculi sunt inimici crucis Christi (e) cujus in vanum accepto nomine dicuntur Christiani: toto hoc tempore quadragesimali ad instantes inhiant dies Resurrectionis, (heu!) ut liberiùs indulgeant voluptati. Obnubilat, Fratres, solemnitatis lætitiam materia tristior: sed ipsius plangimus solemnitatis injuriam, quam dissimulare non possumus nec in ipsa, imò minùs in ipsa. Proh dolor! peccandi tempus, terminus recidendi facta est Resurrectio Salvatoris. Ex hoc nempe comessationes & ebrietates redeunt, cubilia & impudicitiæ repetuntur, & laxantur concupiscentiis fræna: quasi ad hoc surrexerit Christus, & non magis propter justificationem nostram. Siccine honoratis miseri Christum quem suscepistis? Venturo parastis hospitium confitentes peccata cum gemitu, castigantes corpora, eleemosynas impendentes: & ecce susceptum Christum proditis inimicis, imò exire compellitis, priores nequitias admittendo. Neque enim cohabitatio esse potest luci ad tenebras, Christi cum superbia, cum avaritia, cum ambitione, cum fraterno odio, cum luxuria, cum fornicatione. Quid enim minus præsenti debetur quàm venturo? Quid minus reverentiæ Resurrectionis tempus exigit, quàm Passionis? Sed vos (ut manifestum est) neutram honoratis. Nam si compateremini, & conregnaretis: si commoreremini, & consurgeretis. Nunc autem (f) ex sola consuetudine temporis & simulatione quadam humiliatio illa processit, quam non sequitur exultatio spiritualis. *Propter hoc* (ut ait Apostolus) *multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*. Propter hoc crebra in diversis regionibus hominum mortalitas, specialiter his diebus Paschalibus. Quid enim? Deprehensi estis inter angustias prævaricatores, non qui prævaricati estis, sed qui persistitis in peccato, addentes prævaricationem: aut penitùs impænitentes, aut tepidè pænitentes, nec pericula fugientes vel post miseram experientiam incentiva peccati. Irretivit vos inimicus perplexis (ut ait Scriptura) nervis testiculorum. Si hac conscientia Christi sacramenta refugitis, nihil vobis commune cum Christo, non habetis vitam in vobis. Ipsum audite dicentem: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Si indignè suscipitis, judicium vobis manducatis, Sanctum Domini non dijudicantes. Redite ergo prævaricatores ad cor, & in toto corde quærite Deum, & odite malum: pænitentes non verbo tantùm & lingua, sed spiritu & veritate. Quia verò non satis cecidisse piget hominem (ut videtur) qui adhuc manere disponit in lubrico; aut errasse, qui ducem non quærit: sit veræ compunctionis indicium, fuga opportunitatis, subtractio occasionis. Alioquin timendum valdè, ne dies ista (siquidem & ipsa posita est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël) reprobet vos vel tanquam manifestè alienos à Christo, Christo non communicantes: vel tanquam socios Judæ, in quem intravit Satanas post buccellam. Sed quid ad nos, Fratres, de his qui foris sunt judicare (g) nisi quòd in eodem nos fuisse laqueo plangimus, ab eodem erutos gratulamur, sola misericordia operante, in quo miserabiliter eos detineri fraterna charitate dolemus? Utinam autem vel nos jam sanctifficati, & penitùs alieni ab hac misera & sacrilega consuetudine inveniamur, nec quidquam in nobis pereat aut minuatur de exercitio spirituali sacræ Resurrectionis adventu, sed transire magis & excrescere studeamus. Quicunque enim post lamenta pænitentiæ non ad carnales redit consolationes, sed in fiduciam Divinæ miserationis excedit, is ingreditur novam quandam devotionem & gaudium in Spiritu Sancto: nec tam compungitur præteritorum recordatione peccatorum, quàm delectatur memoriâ & inflammatur æternorum desiderio præmiorum: is planè est qui cum Christo resurgit, qui Pascha celebrat, qui festinat in Galilæam. Vos ergo charissimi, *si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram*: ut quemadmodùm Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & vos in novitate vitæ ambuletis, ut à sæculari lætitia & consolatione mundi per compunctionem & tristitiam, quæ secundùm Deum est, ad devotionem sanctam & spiritualem vos transire gaudeatis exultationem: ipso præstante qui transivit ex hoc mundo ad Patrem, & nos quoque trahere post se & in Galilæam vocare dignatur, ut semetipsum nobis ostendat, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT II.

De Ascensione Christi in cælum.

Jesus post passionem suam per dies quadraginta apparens discipulis, & loquens de regno Dei: videntibus illis, elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. *Act. I.*

1. *Christus ascensurus in cælum, exprobratâ incredulitate discipulorum, docuit credulitatem consistere in quinque signis.* 2. *Fructus passionis Christi, est admirabilis ejus Ascensio in cælum* 3. *Est ineffabilis consessus ad dexteram Dei Patris.* 4. *Est singularis potestas judicandi vivos & mortuos.*

§. I.

d *Ibidem num.* 14. e *Ibidem num.* 15. f *Ibidem num.* 16.

g *Ibidem num.* 17.

§. I.

Recumbentibus undecim Discipulis, apparuit illis Jesus: & exprobravit incredulitatem eorum, &c. Mar. 16.

Apparuit verè benignitas (a) & humanitas Salvatoris. Multam enim fiduciam præstat, quòd libentiùs adsit orationi incumbentibus, quando nec recumbentibus quidem dedignatur adesse. Apparuit, inquam, benignitas ejus qui cognovit figmentũ nostrum, nec dedignatur necessitates nostras, sed miseratur, si tamen curam carnis non in desiderio facimus, sed in necessitate. Quod considerans Apostolus: *Sive manducamus*, inquit, *sive aliquid aliud facimus, omnia in gloriam Domini faciamus*. Potest non quod recumbentibus apparuit, ad id quoque referri, quod alibi calumniantibus Judæis adversùs Discipulos non jejunantes, *Non possunt*, inquit, *filii sponsi lugere quamdiu cum eis est sponsus*. Sequitur: *Et exprobravit incredulitatem illorum & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*. Audis Christum discipulos increpantem, imò (quod durius sonat) etiam exprobrantem, nec quandocunque, sed eâ horâ qua eis corporalem præsentiam subtracturus, videri poterat magis ab increpatione parcere debuisse. Noli ergo indignari de cætero si te quoque aliquando Christi vicarius increpaverit. Id enim exhibet quod ascensurus ab eis in cælum, suis Christus legitur exhibuisse Discipulis. Sed quid est fratres quod dicit: *His qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt?* Aut qui fuêre, quorum beati oculi gloriosum resurrectionis Dominicæ meruerunt videre miraculum? Neq; enim resurgentem illum quisquam legitur aut creditur vidisse mortalium. Restat ergo de Angelis accipiendum, quibus utique Resurrectionis testimonium perhibentibus, Apostolorum pusillanimitas hæsitavit: præter illam (b) quæ sola benedicta est in mulieribus, quæ sola per illud triste sabbatum stetit in fide, & saluata fuit Ecclesia in ipsa sola. Propter quod aptissimè tota Ecclesia in laudem & gloriam ejusdem Virginis Mariæ diem Sabbati per totius anni curriculum celebrare consuevit. Abscissi sunt viri qui dicunt: *Nos autem sperabamus, quòd ipse redempturus esset Israël*. Abscissæ sunt mulieres, quæ quamvis piè præveniunt mortuo humanitatis servitium exhibere, tamen illum resurrecturum nequaquam credebant. Et fortasse propterea illa Mater Virgo quæ plus habuit pietatis, cum aliis non venerat ad ungendum Corpus Christi sepultum, quia frustra putabat eum ungi, quem resurrecturum sciebat. Sed fortè (c) quis dicat: Numquid non eum præscierat moriturum? Et indubitanter. Numquid non sperabat continuò resurrecturum? Et fidenter. Ipsa est (d) quæ vidit in Cruce pendentem, vidit expirantem, vidit resurgentem, vidit & ascendentem. Jam verò (e) ut faciat Jesus quod scriptum est: *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me*: visitationis gratiam, exprobrationis censuram, prædicationis quoque doctrina sequatur, & dicat: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. Sed quid ad hæc dicemus, Fratres? Magna nimis videtur sæcularibus hominibus in hoc verbo data fiducia, vereorquè ne dare eam incipiant in occasionem carnis, blandientes sibi plùs quàm oporteat sine operibus de baptismo & credulitate. Verumtamen consideremus quod sequitur: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eiicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non ejs nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt*. Nec minor fortasse videbitur ipsis quoque Religiosis ex hoc verbo provenire desperatio, quàm ex verbo priori vana spei data sæcularibus occasio videretur. Quis enim ea quæ in præsenti loco scripta sunt signa videtur habere credulitatis, sine qua nemo poterit salvari, quoniam *qui non crediderit, condemnabitur*: & *sine fide impossibile est placere Deo*? Quis inquam dæmonia eiicit, linguis novis loquitur, serpentes tollit? Quid ergo? Si nemo hæc signa habet, aut perpauci nostris videntur habere temporibus; aut nemo salvabitur, aut hi soli qui his muneribus gloriantur, quæ non tam merita sunt quàm indicia meritorum, adeo ut multi dicentes, *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* audire habeant in judicio: *Nescio vos, discedite à me operarii iniquitatis*. Ubi est illud quod ait Apostolus, cùm de justo Judice loqueretur, *Qui reddet unicuique, juxta opera sua*: si (quod absit) quærenda sunt in judicio signa potiùs, quàm merita? Sunt tamen & ipsa merita signa quædam certiora (f) utique & salubriora. Nec difficile arbitror nosse quemadmodùm intelligi signa possint præsentia, ut sint indubitata signa credulitatis, ac per hoc & salutis. Primum enim opus fidei per dilectionem operantis, cordis compunctio est, in qua sine dubio *eiiciuntur dæmonia*, cùm eradicantur à corde pænitentis peccata. Exinde qui in Christum credunt, *linguis loquuntur novis*, cùm jam recedunt vetera de ore eorum, nec de cætero vetustâ protoparentum linguâ loquuntur declinantium in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Ubi verò compunctione cordis, & oris confessione priora sunt deleta peccata, ne recidivam patiantur, & jam sint posteriora pejora prioribus, *serpentes tollant* necesse est: id est, ut venenatas suggestiones extinguant. Quid tamen agendum, si qua fortè radix pullulat, quæ tam velociter nequeat extirpari, sed stimulat animum concupiscentia carnis? Profectò *si mortiferum quid biberint, non ejs nocebit*: quoniam juxta Salvatoris exemplum, cùm gustaverint, nolent bibere: id est, cùm senserint, nolent consentire. Sic enim non ejs nocebit, quia nulla damnatio est his qui sunt in Christo Jesu, concupiscentiæ sensus absque consensu. Quid tamen? Molesta certè est & periculosa sic corruptæ & infirmæ affectionis lucta: sed *qui crediderint, super ægros manus imponent, & benè habebunt*: idest, ægras affectiones bonis operibus operient, & hoc remedio curabuntur.

§. II.

a *Ser. 1. de Ascens. Dom. num. 1.* b *Tract. de vite myst. cap. 2. n. 4.* c *Ser. 1. de Virg. Deip. num. 15.* d *Ibidem num. 1.* e *Ser. 1. de Ascens. Dom. num. 2.*

f *Ibidem. num. 3.*

§. II.

Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum. Mar. 16.

Sola est humilitas quæ exaltat (g) sola quæ ducit ad vitam. Christus enim cùm per naturam Divinitatis non haberet quo cresceret vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est, per descensum quomodo cresceret invenit, veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum: propter quod Deus exaltavit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. Hic est fructus (h) de quo Sponsus Jesus loquitur in Cantico amoris: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Quid est in palmam? In Crucem. Palma Crucem significat. Christus non habuit hunc fructum sine palma, imò & per palmam, id est per Crucem. Apprehendit ergo Christus fructum Crucis illum profectò, quem ipse per Crucem fuerat operatus. Et de morte quidem meruit Resurrectionem (i) de Cruce Judicii potestatem. Ipsam verò servi formam, id est Carnem in qua passus & mortuus est, resuscitatam evexit super omnes cælos, & super omnes Angelorũ choros, usq; ad dexteram Patris. Proinde solemnitas ista gloriosa est (k) & ut ita dicam, gaudiosa, in qua & singularis Christo gloria, & nobis spiritualis lætitia exhibetur. Consummatio enim & adimpletio est reliquarum solemnitatum, & fælix clausula totius itinerarii Filii Dei. Qui enim descendit, ipse est & qui ascendit hodierna die super omnes cælos, ut adimpleret omnia. Jam enim cùm se Dominum universorum quæ sunt in terra, & in mari, & in inferno, probasset; non restabat, nisi ut aëris & cælorum se esse Dominum argumentis similibus, vel certè potioribus approbaret. *Terra* enim cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis ejus cùm clamasset magna voce, *Lazare veni foras*, mortuum reddidit. Cognovit *mare*, quia solidum se præbuit sub pedibus ejus, ita ut Apostoli eum putarent phantasma esse. Cognovit *infernus*, cujus ipse portas æreas & vectes ferreos confregit, ubi & ligavit illum insatiabilem homicidam, qui vocatur diabolus & Satanas. Profectò qui mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cæcos illuminavit, claudos firmavit, & omnes exsufflavit infirmitates, Dominus omnium fuit, & eadem manu qua fecerat, quæ defecerant, reficiebat. Sic & qui in ore piscis cum ipso pisce staterem inveniri prædixit, patet proculdubio quia *maris* & omnium quæ in mari moventur, Dominus fuit. Qui verò traduxit aërias potestates, & affixit eas Cruci suæ, claret quia super *infernales* officinas potestatem accepit. Hic est enim Christus, qui pertransiit benè faciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo: qui stetit in loco campestri, ut doceret turbas: qui stetit ante præsidem, ut alapas sustineret: qui toto tempore, quo in terris visus est & cum hominibus conversatus, in laboribus fuit multis, stans & operans salutem in medio terræ. Obtulit Carnem sapientibus carnem (l) per quam discerent sapere & spiritum. Nam dum in Carne & per Carnem facit opera non carnis, sed Dei, naturæ utique imperans, superansquè fortunam, stultam faciens sapientiam hominum, dæmonumquè debellans tyrannidẽ; manifestè ipsum se indicat esse, per quẽ eadem & ante fiebant quando fiebant. In Carne, inquam, & per Carnem potenter & patenter operatus mira, locutus salubria, passus indigna, euidenter ostendit quia ipse sit qui potenter, sed invisibiliter sæcula condidisset, sapienter regeret, benignè protegeret. Ad claudendam igitur tunicam tuam inconsutilem, Domine *Jesu* (m) ad perficiendam fidei nostræ integritatem restat, ut videntibus Discipulis per medium *aëris* sicut aëris Dominus ascendas super omnes cælos. Et tunc probabitur quia Dominus universorum tu es, qui omnia in omnibus adimplesti, & jam tibi profectò debebitur, *ut in nomine tuo omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia tu es in gloria & in dextera Dei Patris*, In hac dextera sunt delectationes usq; in finem: & ideo monet Apostolus, ut quæramus *quæ sursùm sunt, ubi Christus est in dextera Dei sedens*: quia illic profectò thesaurus noster est Jesus Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Quid tamen putatis, Fratres, (n) quantus dolor & timor irruperit Apostolica pectora, cùm Jesum viderunt à se tolli, & attolli in aëra, non scalis adiutum, non sublevatum funibus, etsi Angelico comitatum obsequio, non tamen fultum auxilio, sed gradientem in multitudine fortitudinis suæ? Impletum est quod ejs dixerat: *Quò ego vado, vos non potestis venire*. *Dolor* ergo nimius erat, quia videbant illum (propter quem omnia reliquerant) à suis sensibus & aspectibus tolli, ut non possent ablato à se Sponso, filii sponsi non lugere. *Timor* etiam nimius erat, quia orphani relinquebantur in medio Judæorum nondum confirmati virtute ex alto. Benedicens ergo ejs ferebatur in cælum, fortè concussis illius singularis misericordiæ visceribus, cùm miseros suos discipulos & pauperem suam scholam relinqueret: nisi quòd veniebat parare ejs locum, & quia expediebat ut præsentiam ejs subtraheret corporalem. Cæterùm Ascensio Christi (o) plurimum in se continet dulcedinis, faciens gaudium cælis & terris. Quis enim dubitet magnum gaudium factum fuisse Discipulis, cùm eum ut hominem viderent cælestia penetrantem? Stabant animis simul & cordibus in cælum erectis, animi sui gaudium non capientes, sed in voce jubilationis eunti Domino gratulantes. Exultavit proculdubio & cælum, omnes videlicet Angelorum chori purpurato suo Domino nostræ carnis trabeâ occurrentes, & summa cum laude Summum suscipientes Victorem. Quod si in unius justi, sive Martyris animæ adventu omnis Angelorum exultat chorus, quantùm putas in singularis sui Imperatoris adventu omnium ordinum Spiritus exultasse? Quanta autem ascendentis Christi gloria sit (p) cùm medius omnium Angelorum & Animarum sanctarum ad Deum Patrem deducitur, & triumphatrice palma cælis inuectus, susceptum homi-

g *Ser. 2. de Ascens. Dom. num. 6.* h *Tract. de vite myst. cap. 46. num. 179. & 181.* i *Ser. 62. diuer. num. 2.* k *Ser. 2. de Ascen. Dom. num. 1.* l *Ser. 6. in Cant. num. 2.*

m *Ser. 2. de Ascens. Dom. num. 2.* n *Ibidem num. 3.* o *Tract. de vite myst. cap. 46. num. 189.* p *Ser. 2. in die Pent. num. 1.*

Hominem in ipsa Divinitatis claudit identitate? Quis cogitet, nedum loquatur, quàm sit fructus terræ sublimis in consessu ad dexteram Patris, quod utique cælestium oculos reverberat naturarum, quod Angelicus intuitus contremit, non attingit? Quàm felix, [q] quàm digna ista processio, ad quam ne ipsi quidem adhuc Apostoli digni fuerunt admitti, cùm & Animarum sanctarum, & cælestium Virtutum triumphali pompa deductus ad Patrem, sedet à dextris Dei. Nunc verè adimplevit omnia, qui natus est inter homines, cum hominibus conversatus est, ab hominibus & pro hominibus passus & mortuus est, resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. Agnosco tunicā desuper contextam per totum, quam superna illa mansio claudit, ubi adimpletus est & adimplevit omnia Dominus Jesus Christus. Hodie cælorum Dominus (r) cælorum alta cælesti potentia penetravit, & infirma carnis tanquam nubila quædam excutiens, induit Stolam gloriæ. Elevatus est Sol in ortu suo, incalvit & invalvit, dilatavit & multiplicavit radios super terram, nec est qui se abscondat à calore ejus. Rediit ad regionem sapientiæ Sapientia Dei, ubi omnes bonum & intelligunt & requirunt, intellectu perspicacissimi, affectu paratissimi ad audiendam vocem sermonum ejus. Nos autem in regione ista sumus, ubi plurimum malitiæ, sapientiæ parum: quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*. Humano igitur intellectu ad hujus laudis & gaudii magnitudinem succumbente [s] gaudeamus & nos dulcedinem hujus Ascensionis recolendam admirando, exultantes in Spiritu Sancto, pro eo quòd carnis nostræ portio in dulcissimo Domino in summo Trinitatis throno excellentissimè sit collocata: intendentes animos nostros quantum possumus, post ipsum & in ipsum, ipsi in humilitatis spiritu supplicantes, quatenus nos post se trahere dignetur, ut in odore unguentorum ipsius currentes in illa cellaria, in illam supremam apothecam aromatum, in illa interiora Sancta Sanctorum mereamur introduci, quò ipse Christus Caput nostrum præcessit.

§. III.

Dominus Jesus assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Matt. 16.

Manipulus primitiarum nostrarum Christus oblatus est [t] ad dexteram Patris assumptus, & assistit nunc vultui Dei pro nobis. Patriquè nos repræsentans [u] *En*, inquit, *Pater mei Sanguinis precium. Si de peccato hominum requiris, en pro eis meus Sanguis*. Domine Pater dedisti benignitatem, & terra corporis mei dedit fructum suum, jam justitia ante te ambulabit, & tu pones in via salvationis humanæ pedes tuos. Et ut justè jam salventur qui justè perierant, tu Domine fecisti directiones, judicium & justitiam in Jacob tu fecisti. Sic ergo ascendens super omnes cælos [x] factus est Angelus loquens pro nobis, & intercessor existens Patri reconciliavit humanum genus. Hinc Pater ad Filium [y] *Sede*, inquit, *à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*: hoc est, donec omnes qui te contemnunt, tuæ voluntati subiiciam, sive invitos & miseros, sive voluntarios & beatos. Paveant qui abnegaverunt [z] qui dixerunt: *Non habemus Regem nisi Cæsarem*. Paveant qui dixerunt: *Nolumus hunc regnare super nos*. Redit siquidem accepto regno, & malos malè perdet. Vultis nosse quia redit accepto regno? *Data est mihi*, inquit, *omnis potestas in cælo & in terra*. Sed & Pater in Psalmo ad Filium ait: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos*. Quis autem implendum dubitet [a] quod promisit Filio, dicens: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*? Non conterentur omnes inimici ejus, dum nos qui sumus membra ejus, aliquatenùs impugnabunt. Non implebitur hæc promissio, donec novissima inimica destruatur mors. Cæli & cæli cælorum tabescant [b] & confundantur ab expectatione sua, si non ipse Pater Omnipotens diutiùs jam frustretur à desiderio cordis sui: si non demùm Unigenitus ultra ab introitu gloriæ suæ (quod vel solum indignissimum est) aliquatenùs retardetur. Quanti putas æstimanda sit gloria quantacunque mortalium, ut ab ea quæ à Patre suo ab æterno parata est, debeat eum vel ad modicum retinere? Adde quòd nulla ratione in longius protrahi decet ipsius Filii petitionem. Quam dicam petitionē quæris? Nempè illam de qua dicit: *Pater, clarifica Filium tuum*. Quod tamen eum petiisse senserim non ut supplicem, sed ut præscium. Liberè petitur quod in potestate petentis accipere est. Ergo dispensatoria Filii petitio est, non necessaria: quippè donantis cum Patre quidquid à Patre acceperit. Ubi & hoc dicendum [c] quia non solùm Pater clarificat Filium, sed & Filius clarificat Patrem, ne quis dicat Filium minorem Patre, quasi à Patre clarificetur, cùm & ipse clarificet Patrem, dicente Filio: *Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*. Sed fortè adhuc submittendum putes Filium, eò quod quasi inglorius videatur à Patre recipere claritatē quam demùm Patri refundat? Audi quia non est ita: *Clarifica me* (inquit) *Pater claritate, quam habui priusquam mundus fieret apud te*. Si ergo claritas Filii posterior non est, utpote quæ ab æterno est: ex æquo se clarificant Pater & Filius. Et si ita est, ubi Patris primatus? Æqualitas profectò est, ubi coæternitas: Et usque adeo æqualitas, ut una sit claritas amborum, sicut ipsi unum sunt. Unde mihi videtur dicendo rursùm: *Pater, clarifica nomen tuum*, non sanè aliud petere quàm se clarificari, in quo & per quem nomen Patris proculdubio clarificaretur. Et responsum accepit à Patre: *Et clarificavi, & iterùm clarificabo*. Quæ quidem ipsa responsio non parva Filii glorificatio fuit. Cæterùm abundantiùs ad fluenta Jordanis augustiùsque clarificatus dignoscitur, & Joannis testimonio, & columbæ designatione, & voce dicentis: *Hic est Filius meus dilectus*. Sed & in monte Thabor coram tribus Di-

q *Ser. 2. de Ascens. Dom. num. 3.* r *Ser. 3. de Ascens. Dom. num. 1.* s *Tract. de ultim. myst. cap. 46. num. 189.* t *Ser. 2. de Ascens. Dom. num. 5.* u *Lib. 2. de Amore Dei cap. 12. num. 37.* x *Ser. 1. fer. 2. Pasch. num. 12. tom. 6. pag. 723.*

y *Ser. 6. in Cant. num. 5.* z *Ser. 1. in die Pasch. num. 9.* a *Ser. 2. in Vig. nat. num. 7.* b *Ser. 76. in Cant. num. 3.* c *Ibidem num. 4. & 5.*

ſcipulis nihilominùs magnificentiſſimè clarificatus eſt, tum voce eadem denuò ad ſe cælitùs delapſa, tum mira illa eximiaquè transfiguratione Corporis ſui, tum etiam Prophetarum atteſtatione duorum, qui ibidem apparuerunt cum eo loquentes. Supereſt ergo, ut juxta promiſſum Patris ſemel adhuc clarificetur, eaquè erit plenitudo gloriæ, cui non queat amplius addi. Sed ubi illa dabitur benedictio? Non eſt (ut ſponſa ſuſpicata eſt) in plateis & vicis, niſi fortè in illis de quibus dicitur in libro Tobiæ: *Plateæ tuæ Jeruſalem ſternentur auro mundo, & per omnes vicos tuos Alleluia cantabitur*. In his revera illam recepit à Patre Filius claritatem, cui non poterit ſimilis inveniri, ne in cæleſtibus quidem. Cui enim aliquando Angelorum dictum eſt, *Sede à dextris meis?* Nonmodò autem de numero Angelorum, ſed nec de ſuperioribus quidem reliquis beatorum Ordinibus omninò quis repertus idoneus eſt ad capeſſendam ſuperexcellentem hanc gloriam. Ad neminem prorsùs illorum facta eſt vox illa gloriæ ſingularis, nemini vocis in ſe efficientiam experiri datum eſt. Sive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates, profectò deſiderant in eum proſpicere, non ſe illi comparare præſumunt. Igitur Domino meo ſingulariter à Domino & dictum & datum eſt ſedere à dextris gloriæ ipſius, utpote in gloria coæquali, in eſſentia conſubſtantiali, progeneratione conſimili, majeſtate non diſpari, æternitate non poſteriori. Ibi ibi enim illum qui quæret, inveniet, & videbit gloriam ejus: non gloriam quaſi unius cæterorum, ſed planè gloriam quaſi Unigeniti à Patre. Ex epiſtola prima B. Joannis (d) diſcimus teſtimonium dari triplex in cælo, triplex in terra. Et quidem pro meo ſapere, illud ſtabilitatis, hoc reparationis eſt ſignum. Illud Angelos, iſtud homines: illud beatos à miſeriis, iſtud juſtos diſcernit ab impiis. Angelis quidem, qui in prima illa prævaricatione ſuperbiente lucifero in veritate ſteterunt, meritò teſtimonium perhibet viſio Trinitatis: hominibus, quos Divina miſeratio ſalvat, Spiritus, Aqua, & Sanguis. Quidni perhibeat teſtimonium Pater, à quibus honoratus eſt ut Pater? Tibi verò, maligne ſerpens, ſic loquitur: *Si ergo ego Pater ſum, ubi eſt honor meus?* Careas omninò neceſſe eſt teſtimonio Patris, cujus tibi gloriam uſurpare conaris, non honorare eum cupiens, ſed æquare. *Sedebo*, inquit, *in monte teſtamenti, & ſimilis ero Altiſſimo*. Itane modò creatus, Patris ſpirituum conſidebis? Et certè necdùm tibi dixit: *Sede à dextris meis*. Si neſcis ô impudens, Unigenitus ille eſt, cui æterna generatione Patris æqualitas collata eſt & conſeſſus. Tu rapinam cogitans eſſe æqualis Deo, Filio gloriam invides, gloriam quaſi unigeniti à Patre, ut ne ab ipſo quidem teſtimonium merearis habere. An verò poterit deteſtato à Patre & Filio, utriuſque Spiritus atteſtari? Abominatur ſuperbum profectò & inquietum, qui ſuper quietum & humilem requieſcit amator pacis: & unitatis conſecrator adversùm te pro pace & unitate zelatur. Denique (e) commendant nobis ſacræ literæ Chriſtum Dominum & ex Patre, & in Patre, & cum Patre. Quod dicitur, *ex Patre*, ineffabilis eſt *Nativitas*: quod *in Patre*, conſubſtantialis eſt *Unitas*: quod *cum Patre*, eſt *Æqualitas* majeſtatis. Sanè tria hæc ab æterno. Cæterum ſi ex Patre *naſcens*, quid in Patre, aut cum Patre? Non incongruè forſitan in Patre *cubans*, cum Patre *ſedens* dicatur. Et audite conſeſſus & hujus accubitus rationem. Sicut enim ſeſſio majeſtatem, ſic conſeſſio æqualem exprimit majeſtatem: præſertim cùm ſit ei ſedes à dextris Patris, non ſanè ſub pedibus, vel quaſi à tergo. Et *ſedere* quidem jam quieſcere eſt, ſed *jacere* magis. Quid autem delectabilius & quodammodò dulcius eſſe videbitur Filio, quòd in Patre eſt, an quòd cum Patre omnibus præeſt? In quo putas horum ſumma illa pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, & ſingularis quies Domini Jeſu Chriſti competentiùs aſſignetur? Etſi dignè ore id exprimi nequeat, corde tamen forſitan piè concipitur: ut ſalvâ quidem in omnibus illius indiviſibili ſimplicitate eſſentiæ, inter gloriæ Æqualitatem & ſubſtantiæ Unitatem, velut ſimilis quædam ei, quæ inter conſeſſum & accubitum eſt, cogitari poſſe diſtinctio videatur.

§. IV.

Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis. Pſal. 109.

Fratres, (f) Conſequimini, quem ſequimini: ut cùm ipſe Chriſtus ſederit in ſede majeſtatis ſuæ, & vos pariter ſedeatis. Quandò enim ille reſedit in mundo, quandò ſubſtitit, quandò reclinavit caput? *Exultavit ad currendam viam*: benefaciendo pertranſiit; quippè nec nidum, nec foveam, nec locum habens in diverſorio, donec Opere tandem quod ſuſceperat conſummato, ſedendi præceptum mereretur accipere, & diceret Dominus Domino meo: *Sede à dextris meis*. Porrò (g) *ſedere* ſignificat poteſtatem judiciariam. Habetis ad manum exempla congrua de hoc: *Sede à dextris meis*: & illud: *Vidi Dominum ſedentem*: atque illud: *Cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ*, ſigna ſunt judiciariæ poteſtatis. Chriſtus utique de morte meruit reſurrectionem (h) de Cruce judicii poteſtatem: ut, quoniam in illa injuſtè judicatus eſt, de iſta juſtam obtineret Judicis cenſuram, ipſo poſt reſurrectionem dicente: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*. Sedet autem ad dexteram Patris (i) habens in dextera *miſericordiam*, in ſiniſtra *judicium*; & miſericordiam multam nimis, & judicium multum nimis: in dextera aquam, in ſiniſtra ignem immobiliter tenens. Et quidem corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe ſecundùm altitudinem cæli à terra, ut majores cumulos miſerationum Domini ſentiant, quàm ſit ſpatii inter cælum & terram: propoſitum namque Dei ſuper illos manet immobile, & miſericordia Domini ab æterno & uſque in æternum ſuper timentes eum. Ab æterno per prædeſtinationem, in æternum per glorificationem. Similiter & in reprobis terribilis eſt ſuper filios hominum, & utrinque ſtat fixa ſententia æternitatis, & in his qui

d Ser. 2. in octava Paſchæ. num. 1. e Ser. 5. de verb. Eſa. nu. 2.

f Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 23. num. 39 g Ser. 2. in Cœna Dom. num. 5. h Ser. 60. divers. num. 2. i Ser. 2. de Aſcen. Dom. num. 5.

qui salvi fiunt, & in his qui pereunt. Quamvis & in priore quoque adventu (k) recordatus sit misericordiæ & veritatis suæ domui Israël, & in posteriori licet judicaturus sit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua: non tamen futurum judicium fiet sine misericordia, nisi fortè ei qui non fecerit misericordiā. Ut ergo cùm iratus fuerit (l) misericordiæ recordetur, rogatur ab Ecclesia apparere in misericordiæ habitu, illo utique de quo Apostolus: *Et habitu*, inquit, *inventus ut homo*. Necessariè quidem. Si enim cum hoc quoq; temperamento tanta erit in judicio æquitas, in Judice feritas, in Majestate sublimitas, novitas in facie ipsa rerum, ut secundùm Prophetam *non possit cogitari dies adventûs ejus*: quid putas foret, si ignis ille consumens (Deum loquor Omnipotentem) in illa suæ divinitatis magnitudine, fortitudine, puritate, venisset contra folium quod vento rapitur, ostensurus potentiam suam, & stipulam siccam persecuturus? Et homo est, inquit, & quis videbit eum? Et quis stabit ad videndū eum? Quantò magis Deum nobis absque Homine exhibentem nemo hominum ferret, utpotè claritate inaccessibilem, celsitudine inattingibilem, incomprehensibilem majestate? Nunc verò cùm exarserit in brevi ira ejus, quàm grata propter filios gratiæ apparebit blanda quædam visio Hominis, sanè firmamentum fidei, spei robur, fiduciæ augmentum, quòd scilicet gratia & misericordia sit in sanctos ejus, & respectus in electos illius. Deniquè ipse Pater Deus dedit Filio judicii potestatem, & non quia suus, sed quia Filius hominis est. O verè Patrem misericordiarum! vult per Hominem homines judicari, quo in tanta trepidatione & perturbatione malorum, electis fiduciam præstet naturæ similitudo. Prædixerat hoc quondam sanctus David orans pariter & prophetans: *Deus* (inquiens) *judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis*. Sed neque huic dissonat promissio facta per Angelos, qui eo assumpto ita ad Apostolos loquebantur. *Hic Jesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodùm vidistis eum euntem in cælum*: hoc est, in hac ipsa corporis forma atque substantia. Ergone veniet quærere nos (m) in illa tam singulari quàm universali processione, cùm præcedentibus omnibus Angelis & subsequentibus omnibus hominibus universis descendet judicare vivos & mortuos? Proculdubio veniet, sed quomodo ascendit, non quomodo descendit. Humilis enim priùs venit animas salvare, sublimis autem veniet cadaver istud resuscitare, & configurare Corpori claritatis suæ, ut infirmiori huic vasculo abundantiorem impendere videatur honorem. Tunc enim videbitur cum potestate magna & majestate, qui priùs in firmitate carnis latuerat. Sed quando hæc (n) aut quibus hæc erunt? *Vos* (inquit Jesus) *qui secuti estis me, cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos*. Jam quidem sedet Filius hominis in sede majestatis: siquidem ascendens in cælum sedet à dextris Dei. Sed *cùm sederit* dictum est, hoc est, cùm apparuerit sedens, sicut Apostolus ait: *Cùm enim Christus apparuerit vita nostra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria*. Et si in mentem venerit hora illa (o) cùm Dominus Jesus transiret de hoc mundo ad Patrem, simulquè quid tunc animi gereret sua illa domestica Ecclesia, nova utique nupta, cùm se deseri cerneret quasi viduam desolatam unica spe sua (Apostolos loquor, qui relictis omnibus secuti fuerant eum, atque cum ipso permanserant in tentationibus suis) si hæc inquam cogitaverimus, non immeritò neque incongruè puto videbitur quantùm de abscessu tristis tantùm solicita extitisse de reditu, præsertim sic affecta & sic relicta. Nonne hoc quotidie postulat Ecclesia cùm dicit in oratione: *Adveniat regnum tuum?* Vult utique eum etsi cum potestate venire, non tamen in forma Dei in judicio apparere, sed sanè qua nonmodò natus, sed & parvulus natus est nobis, idquè solo de infirmiori fœmineo sexu. Cur hoc? Nempè ut ex utroque admoneatur infirmo generi humano mitescere in die iræ, meminerit què in judicio misericordiam superexaltare judicio. Etenim si iniquitates observaverit, etiam electorum quis sustinebit? Astra non sunt munda in conspectu ejus, & in Angelis suis reperit pravitatem. Audi denique sanctum & electum Prophetam David quid dicat Deo: *Tu*, inquit, *remisisti impietatem peccati mei: pro hac orabit omnis sanctus, in tempore opportuno*. Opus itaque habent & Sancti pro peccatis exorare, ut de misericordia salvi fiant, propriæ justitiæ non fidentes. Omnes enim peccaverunt, & egent misericordiā Dei. Dies erit in splendoribus Sanctorum in perpetuas æternitates (p) cùm inclaruerit illud serenissimum mane, cui est misericordia repromissa, & absorpta erit mors in victoria cùm, dimotis umbris & tenebris, splendor veræ lucis sursùm & deorsùm, intùs & exteriùs cuncta pariter occupabit. *Auditam fac mihi manè misericordiam tuam*, ait sanctus David. Et: *Repleti sumus manè misericordiā tuā*. Ad hoc igitur tam magnum & præfulgidum sidus (q) juxta Prophetam illuminemus nobis lumen scientiæ, priusquàm de mundi hujus tenebris exeamus, ne de tenebris transeamus ad tenebras, & tenebras sempiternas. Quæ est autem ista scientia? Profectò scire quia veniet Dominus, etsi quando veniet scire non possumus. Hoc est illud totum quod postulatur à nobis. At, inquis, ista scientia omnium est. Quis enim nesciat vel nominetenùs fidelis, quia veniet Dominus, quia venturus est judicare vivos & mortuos, & reddere unicuique juxta opera sua? Non omnium ista est scientia, Fratres mei, & nec multorum: paucorum est, quia revera pauci sunt qui salvantur. Putasne quia illi, qui cùm malè fecerint lætantur & exultant in rebus pessimis, vel sciant vel recogitent quia veniet Dominus? Si dixerint ipsi, tu noli credere: quia *qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est*. *Confitentur* (ait Apostolus) *se nosse Deum, factis autem negant*. Quia *fides sine operibus mortua est*. Non enim se ita omni impuritate pulluerent, si Dominum venturum scirent vel formidarent, sed vigilarent utique, & non finerent tam graviter perfodi conscientias suas. Quod à nobis avertat Sponsus Ecclesiæ (r) Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

Zz 2 GA-

k *Ser. 13. super. Psal. 90. num. 9.* l *Ser. 73. in Cant. nu. 4. & 5.* m *Ser. 2. de Ascens. Dom. num. 4.* n *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 14 n. 42.*

o *Ser. 73. in Cant. num. 3. & 4.* p *Ser. 3. in. Vig. Nat, num. 2.* q *Ibidem num. 3.* r *Ser. 35. in Cant. num. 9.*

CAPUT III.

De modo quærendi, & sapiendi quæ sursùm sunt in cælis.

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram. *Coloss.* 3.

1. *Modus quærendi quæ sursùm sunt, consistit in intellectu.* 2. *Modus sapiendi quæ sursùm sunt, consistit in affectu.* 3. *Duplex ille spiritus, quem Elisæus petiit sibi dari ab Elia in ejus abscessu, significat illuminationem intellectûs, & purgationem affectûs.* 4. *Traduntur tres gradus, quibus ascendendum est ad contemplandum arcana veritatis.* 5. *Ostenditur, triplici virtute præparari corda Fidelium ad suscipiendum Spiritum sanctum.*

§. I.

In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis. Esa. 4.

SI Nativitatis & Resurrectionis Dominicæ digna devotione solemnia celebramus (a) hodiernum quoq; diem Ascensionis Dominicæ non minùs devotè convenit celebrari. In nullo siquidem à festivitatibus illis ista degenerat, sed finis earum & adimpletio est. Hodie sedenti in throno Antiquo dierum consessurus pariter [b] oblatus est Filius hominis Jesus Christus, & erit deinceps nonmodò germen Domini in magnificentia & gloria, sed & fructus terræ sublimis. Felix unio, & amplectendum ineffabilibus gaudiis sacramentum. Idem enim est & germen Domini, & fructus terræ: idem & ipse Dei Filius,& fructus ventris Mariæ est. Idem filius David, & Dominus, de quo hodie gaudium ejus impletum est, unde Propheta David olim præcinens ajebat: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Quomodò enim non Dominus germen Domini? Idem tamen & Filius ejus, utpotè fructus terræ sublimis, fructus virgæ, quæ de radice Jesse processit. Hodie igitur suum hunc & hominis Filium apud semetipsum Pater clarificat claritate, quam habuit priusquam mundus fieret apud ipsum. Hodie Veritatem, quæ de terra orta est, cælum sibi redditam gloriatur. Hodie Sponsus Jesus aufertur à filiis, & lugendum ejs est, sicut ipse prædixit. Non enim poterant filii Sponsi lugere, donec Sponsus cum eis erat: sed venit dies ut auferatur ab eis, ut de cætero lugeant & jejunent. Ubi est illud jam Petre quod dixeras: *Domine, bonum est nobis hic esse, faciamus hic tria tabernacula?* Ecce enim ingressus est amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est,non hujus creationis. Quomodo ergo jam (c) bonum est nos hîc esse? Imò verò molestum est, grave est, periculosum est. Nimirùm ubi malitiæ plurimum, sapientiæ modicum, si tamen vel modicum invenitur: ubi viscosa sunt omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obsessa laqueis peccatorum: ubi periclitantur animæ, ubi spiritus affliguntur subSole, ubi tantùm vanitas & afflictio spiritûs est. Levemus igitur Fratres mei, levemus in cælum corda nostra cum manibus: & ascendentem Dominum Jesum sequi velut quibusdam passibus devotionis & fidei contendamus. Erit enim cùm sine mora, & sine difficultate obviam illi in nubibus rapiemur: & id poterunt corpora spiritualia, quod meritò interim nequeunt spiritus animales. Nunc enim quantis conatibus corda levare necesse est, quæ quidem (ut miserabiliter satis in libro propriæ experientiæ legimus) & corruptio corporis agravat, & terrena inhabitatio deprimit? At fortè tradendum est [d] quid sit levare cor, aut quemadmodùm illud oporteat elevari: sed tradendum est sanè tàm ab Apostolo, quàm à nobis. *Si consurrexistis*, inquit, *cum Christo, quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram.* Ac si manifestiùs dicat: Si consurrexistis, & coascendite: si convivitis, & conregnate. Sequamur, Fratres, sequamur Agnum quocunque ierit:sequamur *patientem*,sequamur & *resurgentem*, sequamur multò libentiùs *ascendentem*. Crucifigatur vetus homo noster simul cum illo, ut destruatur corpus peccati: ut ultra non serviamus peccato, mortificatis nimirùm membris nostris, quæ sunt super terram. Sed & quomodo ipse resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Ad hoc enim mortuus est & resurrexit, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus. Cæterùm quoniam vitæ novitas locum exigit tutiorem [e] & Resurrectionis dignitas altiorem expetit gradum, sequamur etiam ascendentem, quærere videlicet & sapere quæ sursùm sunt ubi ille est, non quæ super terram. Si quæritis quis ille sit locus? Apostolum audite. *Illa* (inquit) *quæ sursùm est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra.* Vultis scire quænā ibi sint bona? Visio pacis est. *Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: qui posuit fines tuos pacem.* Et vos estote vera Jerusalem [f] ut nihil jam timeatis. Est enim Jerusalem visio pacis. Visio, non possessio, cujus fines Dominus posuit pacem, non initium sanè, nec medium. Si autem pacem non habetis, imò quia perfectam in hoc sæculo habere non potestis, saltem videte eam, intuemini, considerate, & desiderate eam. Illuc sint oculi cordis vestri, ad pacem sese dirigat intentio vestra, ut omnia quæcunque facitis,hujus pacis quæ exuperat omnem sensum, desiderio faciatis: in omnibus hoc intendatis, ut reconciliati pacem habeatis ad Deum. Ut quid autem ascendit Christus [g] nisi ut doceret nos cogitatione ascendere ad futuram illam gloriam quæ revelabitur in nobis? Felix est homo ille, cujus meditatio in conspectu Domini est semper, & qui in corde suo delectationes dexteræ Domini usque in finem sedula cogitatione revolvit. Quid enim grave illi poterit videri, qui semper mente tractat, quòd non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cujus oculus semper videt bona Domini in terra viventium, semper videt æterna præmia? *Tibi dixit cor meum*, (Propheta loquitur Domino) *exquisivit* te

a Ser. 4. de Ascens. Dom. num. 1. b Ser. 5. de Ascens. Dom. num. 1. c Ibidem. num. 2.

d Ibidem num. 3. e Ibidem num. 4. f Ser. 2. in Vig. Nat. Dom. num. 1. g Ser. 4. de Ascens. Dom. num. 7.

te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Quis mihi tribuat, ut omnes surgentes fletis in excelso, & videatis exultationem quæ ventura est vobis à Domino? Quis ex vobis secum cogitans futuram illam vitam [h] sed lætitiam, sed jucunditatem, sed beatitudinem, sed gloriam filiorum Dei: quis, inquam, talia tranquillâ secùm conscientiâ voluens, non continuò de plenitudine intimæ suavitatis eructat: *Domine, bonum est nos hic esse?* Non sanè in hac ærumnosa peregrinatione ubi corpore detinetur, sed in suavi ac salubri illa cogitatione in qua corde versatur. *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Vos autem filii hominum usquequo gravi corde? Ascendite ad cor altum, & exaltabitur Deus. Ascendite, & scietis quoniam Dominus Sanctum suum mirificavit. Obsecro vos, fratres mei (i) non graventur corda vestra in curis sæcularibus. Exonerate obsecro corda vestra gravi mole terrenarum cogitationum, ut sciatis mirificatum à Domino Sanctum suum. Levate corda vestra cum manibus quibusdam cogitationum, ut clarificatum Dominum videatis. Formate in cordibus vestris nonmodò Patriarcharum & Prophetarum tabernacula, sed & omnes domus illius cælestis multiplices mansiones secundùm eum, qui circuibat immolans in tabernaculo Domini hostiam vociferationis, cantans Psalmum illum & dicens Domino: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*. Circuite & vos charissimi cum pietatis & devotionis hostia, visitantes animo sedes supernas, & multas quæ in domo Patris sunt mansiones, humiliter posternentes corda vestra ante thronum Dei & Agni: cum reverentia supplicantes singulis ordinibus Angelorum: Patriarcharum numerum, cuneos Prophetarum, & Senatum Apostolicum salutantes: coronas Martyrum suspicientes, purpureis rutilantes floribus: redolentes liliis choros Virginum admirantes, atque ad mellifluum novi cantici sonum, quantum prævalet infirmitas cordis, erigentes auditum. *Hæc recordatus sum* (Propheta loquitur Domino) *& effudi in me animam meam*. Quæ? *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*. Et item: *Memor fui*, inquit, *Dei & delectatus sum*. Sic quoq; quærentibus quæ sursùm sunt (k) erit gaudium in Spiritu Sancto. Loquar quod expertus novit, inexpertus autem ignorat: animalis enim homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Numquid non plerumque orantibus nobis omnia viscerum succutiuntur occulta ad memoriam gaudii illius quod est in Jerusalem (quæ surrùm est, quæ est mater nostra) & lachrymarum undâ vultus meditantium se perfundit? O si duraret! *Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ*. Uerè in principio letitiæ, quia finis illic repositus est. Quando conscindes saccum meum Domine Jesu [l] & circumdabis me lætitiâ, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar? Principium gaudii illius quod hîc quandoque sentimus, stilla est, guttula est, de flumine illo est descendens, cujus impetus lætificat civitatem Dei. Quandòquè veniet tempus, ut perennibus gaudiis nos in ipso Divinitatis fonte profundiùs immergamus, ubi unda undam sine intercapedine & interpolatione continvet? Quandò veniam & apparebo ante feciem Dei? Quandò transibo ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei? Quandò sicut audivimus, sic videbimus in civitate Domini virtutum? Quid mihi (m) & solemnitatibus istis? Quis me consolabitur Domine Jesu, quia te non vidi in Cruce suspensum, plagis lividum, pallidum morte, quia non sum Crucifixo compassus, obsecutus mortuo, ut saltem lachrymis meis loca illa Vulnerum delinirem? Quomodò me dereliquisti insalutatum, cùm formosus in Stola tuæ Rex gloriæ in alta cælorum te recepisti? Prorsùs renuisset consolari anima mea, nisi me Angeli in voce exultationis prævenissent, qui dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodùm vidistis eum euntem in cælum*.

§. II.

Si quærimus quæ sursùm sunt (n) etiam sapere & prælibare interim studeamus. Fortè enim poterit intellectui & affectui non convenienter aptari, quòd & quærere quæ sursùm sunt & sapere admonemur: ut in principalibus membris suis corda nostra manibus quibusdam pii conatus & exercitii spiritualis levare studeamus ad Deum. Omnes (ni fallor) quæ sursùm sunt quærimus intellectu fidei, & judicio rationis: sed non æquè forsitan sapimus omnes quæ sursùm sunt, tanquam inescati his quæ sunt super terram, violento quodam præjudicio affectionis. Unde enim tanta animorum diversitas, tanta disparitas studiorum, conversationum tanta dissimilitudo? Unde spiritualis gratiæ inopia tanta quibusdam, cùm aliis copia tanta exuberet? Profectò nec auarus nec inops est gratiæ distributor, sed ubi vacua vasa desunt, stare oleum necesse est. Undique se ingerit amor mundi cum consolationibus imò desolationibus suis, observat aditus, per fenestras irruit, mentem occupat, sed non ejus qui dixit: *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum*. Præoccupatutum nempè sæcularibus desideriis animum delectatio sancta declinat: nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis: ut pariter sapias quæ sursùm sunt, & quæ super terram. Sunt multi inter nos (o) qui de uno pane comedunt nobiscum, cantant nobiscum, laborant miseri & miserabiles, utpote socii tribulationis, sed consolationis non ita. Numquid abbreviata est manus Domini, ut omnibus donare non possit, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione? Quid ergo in causa est? Illud omninò, quia non vident Christum cùm tollitur ab eis, id est, non cogitant quomodo eos orphanos reliquerit, quòd peregrini & advenæ sint super terram, quòd tamdiu fæculenti corporis horrido carcere teneantur, & non sint cum Christo. Hujusmodi autem si diu ita permanserint sub onere, aut opprimuntur & succumbunt, aut quodammodò in inferno sunt, ut nunquam ad

h *Ibidem num. 8.* i *Ibidem. num. 9.* k *Ser. 19. diver. num. 5.* l *Ibidem. num. 6.*

m *Ser. 2. de Ascens. Dom. num. 4.* n *Ser. 5. de Ascens. Dom. num. 5.* o *Ser. 3. de Ascens. Dom. num. 6.*

ad plenum respirent in lucem miserationum Domini, nec in libertatem spiritûs, quæ sola facit jugum suave, & onus leve. Inde autem tam perniciosa tepiditas emanat [p] quia affectus, id est, voluntas eorum nondum purgata est, nec bonum sic volunt sicut noverunt, à propria concupiscentia abstracti graviter & illecti. Amant enim in carne sua terrenas consolatiunculas, sive in verbo, sive in signo, sive in facto, sive in aliquo alio: & hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitùs rumpunt. Inde est, quòd rarò affectiones suas dirigunt ad Deũ, & eorũ cpõunctio non continua, sed horaria est. Impleri autem visitationibus Domini anima non potest, quæ distractionibus subjacet: & quantò magis illis evacuabitur, tantò ampliùs istis implebitur, si multum, multum: si parum, parum. Vel certè si magis probas, nunquam istæ illis misceri poterunt in æternum; quia ubi vasa vacua non invenit oleum, stare necesse est: nec mittitur vinum nouum nisi in vitres novos, ut ambo conserventur. Neque enim spiritus & caro, ignis & tepiditas in uno domicilio commorantur, præsertim cùm tepiditas ipsi Domino soleat vomitum provocare. Si enim Apostoli (q) adhuc carni Dominicæ inhærentes (quæ sola Sancta, quia Sancti Sanctorum, erat) Spiritu Sancto repleri nequivetint, donec tolleretur ab eis: tu carni tuæ (quæ sordidissima est, & diversarum spurcitiarum phantasiis repleta) adstrictus & conglutinatus, illum meracissimum Spiritum te posse putas suscipere, nisi carneis istis consolationibus funditùs renunciare tentaveris? Revera cùm inceperis, tristitia implebit cor tuum: sed si perseveraveris, tristitia tua convertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus, & voluntas renovabitur, vel potiùs nova creabitur: ut omnia quæ primò difficilia imò impossibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine & aviditate. *Emitte* (inquit Propheta) *spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Sicut per faciem exterior homo cognoscitur, sic per voluntatem demonstratur interior. Emisso autem Spiritu creatur & renovatur facies terræ, id est, terrena voluntas fit cælestis, parata ad nutum citiùs obedire. Verùm (r) donec mens purgata & sanata perfectè fuerit, non video qualiter illi aptari possit quod dicitur: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Duo ergo sunt [s] quæ in nobis purganda sunt, intellectus & affectus: *Intellectus* ut noverit, *affectus* ut velit. Felices & verè felices illi duo viri Elias & Enoch, quibus omnes materiæ & occasiones ablatæ sunt, quæ eorum intellectum impediant vel affectum, quia soli Deo viventes nec noverunt nisi Deum, nec cupiunt nisi Deum. Denique & de Enoch legitur, quia *raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Intellectus noster turbatus erat, ne dicam cæcatus: affectus inquinatus erat, & multùm inquinatus. Sed Christus intellectum illuminat, Spiritus Sanctus affectum purgat. Venit enim Filius Dei, & tot & tanta mirabilia in mundo operatus est, ut non immeritò intellectum nostrum ab omnibus mundanis rebus evocaverit, ut semper cogitemus, & nunquam cogitare sufficiamus, quia mirabilia fecit. Verè latissimos nobis ad spatiandũ intelligentiæ campos dereliquit: & torrens cogitationum istarum profundissimus est, qui juxta Prophetam Ezechielem non possit transuadari. Quis enim sufficiat cogitare qualiter rerum Dominus prævenerit nos, venerit ad nos, subvenerit nobis, & singularis illa Majestas voluerit mori ut viveremus, servire ut regnaremus, exulare ut repatriaremur, & usque ad servilissima opera inclinari, ut constitueret nos super omnia opera sua? Talem se obtulit Apostolis Apostolorum Dominus (t) vt iam non invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent, sed ipse facie ad faciem videretur, qui omnia fecit. Et quia discipuli carnales erant, & Deus Spiritus est, nec benè convenit Spiritui, & carni, ideo umbrâ Corporis sui temperavit se eis, ut objectu vivificæ Carnis videtent Verbum in carne, Solem, in nube, lumen in testa, cereum in laterna. Spiritus enim oris nostri Christus Dominus est, cui dicimus: *In umbra tua vivemus inter gentes.* In umbra, inquit, tua inter gentes, non inter Angelos, ubi purissimum lumen purissimis oculis intuebimur. Ad hoc autẽ Carnem discipulis proposuit, ut omnẽ cogitatum eorũ ab humanis rebus ad Carnem suã (qua & mirabilia dicebat, & mirabilia faciebat) adunaret, & sic de carne trãsferret ad spiritum, quia Spiritus est Deus: & eos qui adorant eũ, in spiritu & veritate oportet adorare. Nonne tibi videtur eis intellectum illuminasse, cùm aperuit eis sensum ut intelligerent Scripturas, ostendens quia hæc oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam? Sed illi sanctissimæ Carni ejus assuefacti [u] verbum de discessu ejus audire non poterant, ut eos relinqueret, pro quo omnia reliquissent. Quare hoc? Quia intellectus illuminatus erat, sed nondum purgatus affectus: Unde & benignus Magister blandè eos ac dulciter consolabatur dicens: *Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.* Quid est quòd Christo commorante in terris, Spiritus Sanctus ad eos venire non potuit? An Carnis illius consortium abhorrebat, quæ de ipso & per ipsum in Virgine & de Virgine Matre concepta erat & nata? Absit: sed ut ostenderet nobis per quam ambularemus viam, formam apponeret cui imprimeremur. Et ille quidem illis plorantibus elevatus in cælum Spiritum Sanctum misit, qui affectum eorum id est voluntatem mundavit, imò potiùs alteravit, ut jam magis Dominum velint ascendisse, quem priùs detinuisse voluerant. Impletum est quod eis prædixerat: *Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra convertetur in gaudium.* Sic ergo discipulorum intelligentia per Christum illuminata est, & voluntas emundata per Spiritum: ut sicut bonum noverint, sic & velint, quod solum perfecta religio vel religiosa perfectio est.

§. III.

Recordor nunc Elisæi sancti (x) qui, cùm Elias dixisset ut in discessu vel abscessu suo postularet quod vellet, respondit: *Oro ut fiat spiritus tuus duplex in me.*

p *Ibidem num.* 7. q *Ibidem num.* 8. r *Ser.* 62. *in Cant. num.* 7. s *Ser.* 3. *in Ascens. Dom. num.* 2.

t *Ibidem num.* 3. u *Ibidem num.* 4. x *Ibidem num.* 5.

xit. At ille: *Rem difficilem postulasti: attamen si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petiisti.* Nonne tibi videtur Elias ascendentis Domini Jesu signare personam, Elisæus verò chorum Apostolicum in Ascensione Christi anxiè suspirantem? Sicut enim Elisæus ab Elia nullo pacto avelli poterat, sic nec Apostoli à Christi præsentia poterant separari. Vix enim tandem eis persuasit, quia sine fide impossibile esset placere Deo. Quis est ergo Spiritus iste duplex qui quæritur, nisi illuminatio intellectûs, & affectûs purgatio? Res difficilis, quia rarus in terris est qui illum habere mereatur. *Attamen*, inquit. *si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petiisti.* Sed dum ille moratur, inquies (y) sine aliqua consolatione esse non possum. Imò verò si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Apostoli decem dies in hac expectatione sederunt, perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jesu. Et tu igitur orare disce, disce quærere, petere, pulsare, donec invenias, donec accipias, donec aperiatur tibi. Novit Dominus figmentum tuum: fidelis est, qui non te patietur tentari supra id quod possis. Confide in ipso, quòd si fideliter expectaveris, nec diem decimum expectabis. Præveniet certè in benedictionibus dulcedinis desolatam animam & orantem, ut feliciter & non ad insipientiam tibi consolari renuens, in ipsius memoria delecteris inebriatus ab ubertate domus ejus, & voluptatis torrente potatus. Sic nimirùm & Elisæus quondam orasse legitur, cùm dulcissimum illud solatium Eliæ præsentiam sibi plangeret subtrahendam. Sed considera diligentiùs quid oraverit, quidvè responsum sit postulanti. *Oro* (inquit) *Domine ut fiat spiritus tuus duplex in me.* Nimirũ duplicari ei spiritum oportebat, ut magistri abeuntis absentiam gratia duplicata suppleret. Unde & Elias ad eum, *Si videris*, inquit, *me, quando tollar à te, fiet quod petiisti.* Duplicavit enim spiritum visio abeuntis, cùm evidenter raptus in cælum, universa pariter ejus desideria tulit: ut inciperet ipse quoque jam sapere quæ sursùm sunt, non quæ super terram. Duplicavit spiritum visio abeuntis: ut intellectui spirituali spiritualis jungeretur affectus, cum ipsa utique cui potissimùm inhærebat carne raptus in cælum. Quod evidentiùs [z] in Apostolis invenitur impletum esse. Ubi enim videntibus illis suus ille Jesus tam manifestè elevatus est, & ferebatur in cælum, ut nemo eorum opus haberet interrogare, Quò vadis? ipsa jam (ut ita dixerim) occulta fide edocti sunt supplices in cælum levare oculos, puras tendere manus, promissa sibi dona charismatum postulantes, donec fieret repentè de cælo sonus tanquã advenientis spiritus vehementis, advenientis utique ignis quem Dominus Jesus mittebat in terram, volens vehementer accendi. Constat quidem eos & priùs Spiritum accepisse, cùm videlicet insufflavit eis, & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum.* sed spiritum planè fidei et intelligentiæ, non fervoris, quo magis illuminaretur ratio, quàm inflammaretur affectio, dum duplicati utique spiritus opus fuit. Quos enim Verbum Patris disciplinam & scientiam ante docuerat, & intellectu adimpleverat corda eorum, adveniens utique postmodùm ignis Divinus & inveniens jam receptacula munda, infudit uberiùs dona charismatum, & in spiritualem omninò mutavit amorem: ut accensa in eis charitas fortis ut mors jam nonmodò foret, sed ne ipsa quidem ora propter metum Judæorum claudere dignaretur. Cæterùm nobis gemina quædam Ascensio ab Apostolo commendatur [a] in eo quòd & quærere & sapere monuit non infima, sed superna. Quam fortassè distinctionem nec ipse quoque Propheta David præteriisse omninò videtur, dicens: *Inquire pacem, & persequere eam:* ut hoc sit pacem sequendam quærere, persequi inquisitam, quod est sapienda quærere, quæsita sapere, quæ sursum sunt, non quæ super terram. Nimirùm donec divisa sunt corda nostra, & multos interim sinus inveniuntur habere, nec sibi omninò cohærere videntur, vel particulatim ea & membratim quodammodò levare necessè est, ut in superna illa Jerusalem colligantur, cujus participatio ejus in idipsum: ubi non tantùm singuli, sed & omnes pariter incipiant habitare in unum, nonmodò scilicet non divisi in semetipsis, sed nec inter seipsos. Felices sunt viri illi (b) per quos Dominica Ascensio legitur præsignata, Enoch raptus, translatus Elias. Felices planè, qui soli jam Deo vivunt, soli vacant intelligendo, diligendo, fruendo. Neque enim corpora quæ corrũpuntur, illas aggravat animas, aut terrena inhabitatio sensus eorum tanquam multa cogitantes deprimit, qui cum Deo ambulasse noscuntur. Factum est impedimentum omne de medio, occasio universa sublata, materies nulla relicta est quæ eorum affectum aggravet, vel deprimat intellectum. Nam & priorem ob hoc raptum Scriptura commemorat, ne fortè vincat malitia sapientiã, & intellectus ejus vel anima ultra decipi valeat aut mutari. Nobis autem unde in his tenebris veritas (c) unde charitas in hoc sæculo nequam, in hoc mundo qui totus positus est in maligno? Putasne erit qui intellectum illuminet, qui inflammet affectum? Erit utique, si convertamur ad Christum, ut velamen de cordibus nostris auferatur. Hic est enim de quo scriptum est: *Habitantibus in regione umbra mortis, lux orta est eis.* Siquidem prioris ignorantiæ tempora despiciens Deus, annunciavit hominibus ut omnes ubique agerent pænitentiam, secundùm quod Paulus Atheniensibus tradit. Memento etenim Dei Verbum & Sapientiam incarnatam, cujus utique opus erat toto illo tempore (quo videri in terris, & inter homines conversari dignata est ineffabilis illa Virtus, illa gloria, illa Majestas) illuminare oculos cordis, etiam suadere fidem hominibus prædicatione pariter & ostensione signorum. Denique: *Spiritus Domini*, ait, *super me, ad evangelizandum pauperibus misit me.* Et Apostolis loquebatur: *Adhuc modicum in lumen vobis est, ambulate dum lucẽ habetis, ut non tenebræ vos comprehendant.* Necmodò ante Passionem, sed & post Resurrectionem in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei: quando & sensum eis ut Scripturas intelligerent, legitur aperuisse, intellectum po-

y Ser. 5. de Ascens. Dom. num. 14. z Ibidem num. 15.

a Ibidem num. 5. b Ibidem num. 9. c Ibidem num. 10.

potiùs informabat, quàm purgabat affectum. Quandò enim (d) ad spiritualia affici possent animales? Imò verò ne ipsam quidem meram lucem poterant aliquatenùs sustinere, sed exhibere illis oportuit Verbum in carne, Solem in nube, lumen in testa, mel in cera, cereum in laterna. Spiritus ante faciem illorum Christus Dominus, sed non utique sine umbra in qua viverent interim inter gentes. Minimè tamen vel nubes ipsa levis esse potuit ociosa, sed eâ quoque usus est in salutem, & discipulorum animos (qui nec ad fidei intellectum sine aliqua mutatione affectûs poterant promoveri, nec assurgere adhuc ad spiritualia prævalebant) in suæ Carnis provocavit affectum: ut amore quodam humano operanti mira, mira loquenti Homini adhærerent amore utique carnali adhuc, sed tam valido, ut cæteris omnibus prævaleret. Quid mirum, Fratres, [e] si implebat tristitia cor discipulorũ, cùm ab eis sese pronunciaret iturum, & adderet: *Quò ego vado, vos non potestis venire modò?* Quidni côncuterentur viscera, turbaretur affectus, hæsitaret animus, hæreret vultus, paveret auditus, nec omninò æquanimiter discessionis ejus sermo posset admitti, ut relinqueret eos, pro quo omnia reliquissent? Cæterùm non ut maneret in Carne, sed ut transferretur ad spiritum, totus ab eo in illam Carnem Discipulorum fuerat collectus affectus, ut dicere esset aliquando: *Et si cognovimus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus.* Unde & benignissimus ille Magister blandis eos resovens consolationibus, ait: *Rogabo Patrem meum, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, qui vobiscum maneat in æternum.* Hoc est, [f] qui vos illustret & doceat prædicare regnum Dei, & evangelizare, & vos credere faciat me esse Patri æqualem, quem nunc creditis esse minorem. Maneat etiam vobiscum in æternum, ut ad videndum æterni luminis claritatem introducat, & me esse unum Deum cum Patre & eodem Paracleto sicut citò credetis, facie ad faciem contemplari possitis. *Paracletus autem Spiritus* (g) *quem mittet Pater in nomine meo*, abundantiâ suæ dulcedinis vos consolabitur de absentia meæ carnis, & erit vester Magister, non foris verba perstrepens, sed intùs in corde docens *suggeret vobis omnia: & vos docebit omnia quæcunque* per illum *dixero vobis*, id est, inspiravero vobis. Ipse erit Doctor vester, & consolatio vestra. Non poteritis dolere de absentia Carnis meæ, dum ipse Spiritus manet in cordibus vestris. *Ego veritatem dico vobis:* [h] *Expedit vobis ut ego vadam. Nisi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Grande mysterium, Fratres mei. Quid enim sibi vult: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet?* Itane invisa erat Paracleto præsentia Christi, aut contubernium Dominicæ carnis Spiritus Sanctus horrebat, quæ (sicut Angelo prænunciante cognovimus) nec concipi quidem, nisi eo superveniente potuerit? Quid ergo, *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet?* Nisi Carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit, non recipit animus, non capit affectus.

§. IV.

Et ego rogabo Patrem meum, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis. Joan. 14.

Tres sunt gradus (i) seu status Veritatis: ad *primum* gradum ascendimus per laborem humilitatis, ad *secundum* per affectum compassionis, ad *tertium* per excessũ contemplationis. In *primo* grado Veritas reperitur severa, in *secundo* pia, in *tertio* pura. Ad primum ratio ducit, qua nos discutimus: ad secundum affectus perducit, quo aliis miseremur: ad tertium puritas rapit, qua ad invisibilia sublevamur. Interlucet hîc mihi mira quædam (k) ac divisa Individuæ Trinitatis operatio, si quomodo tamen ab homine sedente in tenebris ineffabilis illa possit capi cooperantium sibi personarum divisio. In primo siquidem gradu *Filius*, in secundo *Spiritus Sanctus*, in tertio *Pater* operari videtur. Vis audire Filii operationem? *Si ego*, inquit, *lavi vobis pedes Dominus & Magister, quantò magis & vos debetis alter alterius lavare pedes?* Tradebat Discipulis humilitatis formam veritatis Magister, qua in primo gradu primùm eis Veritas innotesceret. Attendite & opus Spiritus Sancti: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Charitas quippè donum est Spiritus Sancti, qua fit, ut qui sub disciplina Filii per humilitatem ad primum usque gradum Veritatis jam profecerunt, ad secundum per compassionem proximi sub magisterio Spiritus Sancti perveniant. Audi & de Patre: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis.* Et illud: *Pater filiis notam faciet veritatem suam.* Et: *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis.* Vides quia quos verbo & exemplo priùs Filius humiliavit, super quos deinde Spiritus charitatem effudit, hos tandem in gloria Pater recepit? Filius facit Discipulos, Paracletus consolatur amicos, Pater exaltat filios. Quia verò non solùm Filius, sed & Pater & Spiritus Sanctus veraciter Veritas appellantur: constat quòd una eademque Veritas servata proprietate personarum, tria hæc in tribus gradibus operatur. *Primò* scilicet *instruit* ut magister: *secundò consolatur* ut amicus vel frater: *tertiò astringit* ut filios pater. Dei quippe Filius (l) Verbum scilicet ac Sapientia Patris, primùm quidem illam animæ nostræ potentiam quæ *Ratio* dicitur, cùm reperit carne depressam, peccato captivam, ignorantiâ cœcam, exterioribus deditam; clementer assumens, potenter erigens, prudenter instituens, introrsùm trahens, ac mirabiliter utens tanquam pro se vicariâ, ipsam sibi judicem statuit: ita ut pro reverentia Verbi cui conjungitur, ipsa sui accusatrix, testis & judex, contra se Veritatis fungatur officio. Ex qua prima conjunctione Verbi & Rationis, *humilitas* nascitur. Aliam deinde partem quæ dicitur *Voluntas*, veneno quidem carnis infectam, sed jam ratione discussam Spiritus Sanctus dignanter visitans, suaviter purgans, ardenter afficiens, misericordem facit: ita ut more pellis quæ

uncta

d *Ibidem num.* 11. e *Ibidem num.* 12. f *Ser.* 8. *in ult. Cœna n.* 52. g *Ser.* 9. *in ult. Cœna num.* 66. h *Ser.* 5. *de Ascens. num.* 12.

i *Tract. de grad. humil. cap.* 6. *num.* 19. k *Ibidem cap.* 7. *n.* 20. l *Ibidem num.* 21.

uncta extenditur, ipsa quoque voluntas unctione perfusa cœlesti, usque ad inimicos per affectum dilatatur. Et sic ex hac secunda conjunctione Spiritus Dei & voluntatis humanæ, *charitas* efficitur. Utramque verò partem, Rationem scilicet & Voluntatem, alteram Verbo veritatis instructam, alteram Spiritu veritatis afflatam; illam hyssopo humilitatis aspersam, hanc igne charitatis succensam, tandem jam perfectam animam propter humilitatem sine macula, propter charitatem sine ruga (cùm nec Voluntas Rationi repugnat, nec Ratio Veritatem dissimulat) gloriosam sibi sponsam Pater conglutinat: ita ut nec Ratio de se, nec Voluntas de proximo cogitare finatur: sed hoc solum beata illa anima dicere delectetur: *Introduxit me Rex in cubiculum suum*. Digna certè quæ de schola humilitatis (in qua primùm sub magistro Filio ad seipsã intrare didicit, juxta comminationẽ ad se factã: *Si ignoras te, egredere & pasce hædos tuos*) duce Spiritu Sancto in cellaria charitatis (quæ nimirũ proximorum pectora intelligenda sunt) per affectionẽ introduceretur: unde suffulta floribus, ac stipata malis, bonis scilicet moribus & virtutibus sanctis, ad Regis demùm cubiculum, cujus amore languet, admitteretur. Ibi modicùm horâ videlicèt quasi dimidiâ, silentio facto in cœlo, inter desideratos amplexus suaviter quiescens, ipsa quidem dormit, sed cor ejus vigilat, quo utique interim Veritatis arcana rimatur: quorum postmodùm memoriâ statim ad se reditura pascatur. Ibi videt invisibilia, quæ non licet homini loqui. Excedunt quippè omnem illam quam nox nocti indicat scientiam. Dies tamen diei eructat verbum, & inter sapientes sapientiam loqui, & spiritualibus spiritualia licet conferri. Putas (m) hos gradus Paulus non transierit, qui usque ad tertium cœlum se raptum fuisse testatur? Sed quare raptum, & non potiùs ductum? Ut videlicet si tantus Apostolus raptum se dicit fuisse, quo nec doctus scivit, nec ductus potuit ire: me qui proculdubio minor sum Paulo, ad tertium cœlum nulla mea virtute, nullo meo labore pervenire posse præsumam: ne vel de virtute confidam, vel pro labore diffidam. Qui enim docetur aut ducitur, ex hoc ipso quod docentem vel ducentem sequitur, laborare convincitur, & aliquid ex se agit, ut ad destinatum locum vel sensum pertrahatur, ita ut dicere possit: *Non autem ego, sed gratia Dei mecum*. Qui verò rapitur, non suis viribus, sed alienis innixus tanquam nescius quocunque portatur: nec de toto in se, nec de parte gloriatur: ubi nec per se, nec cum alio aliquid operatur. Ad primum itaque sive ad medium cœlum ductus vel adjutus Apostolus ascendere potuit, ad tertium autem vt perueniret, rapi oportuit. Nam ad hoc & Filius legitur descendisse, ut vocaret & juvaret ascensuros ad primum: & Spiritus Sanctus missus fuisse legitur, qui perduceret ad secundum. Pater verò licèt Filio & Spiritui Sancto semper cooperetur, nunquam tamen aut de cœlo descendisse, aut ad terras legitur missus fuisse. Lego certè quòd *misericordiâ Domini plena est terra*. Et: *Pleni sunt cœli & terra gloriâ tuâ*. Lego & de Filio: *Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*. Et ipse Filius loquitur de se: *Spiritus Domini misit me*. Et per Prophetam Esaiam, *Et nunc*, inquit, *Dominus misit me*. Et de Spiritu Sancto: *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*. Et, *Cùm assumptus fuero, mittam vobis eum*: haud dubium quin Spiritum Sanctum. Patrem autem in sua persona, licet nusquam non sit, nusquam tamen invenio nisi in cœlis, ut in Euangelio: *Et Pater meus qui in cælis est*. Et in oratione: *Pater noster qui es in cælis*. Unde nimirùm colligo (n) quòd quia Pater non descendit: Apostolus ut eum videret, ad tertium cœlum ascendere quidem non potuit, quò tamen se raptum memoravit. Denique Dominus ait: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis*. Et ne putes de primo cælo dictum esse vel secundo, dicit tibi David: *A summo cælo egressio ejus*. Ad quod iterùm non subitò raptus, non furtim sublatus, sed *videntibus illis*, id est Apostolis, *elevatus est*. Non sicut Elias, qui unum testem: non sicut Paulus, qui nullum; vix enim vel seipsum testem aut arbitrum habere potuit, ipso perhibente: *Nescio, Deus scit*. Sed ut Omnipotens, qui quando voluit descendit, quando voluit ascendit, pro suo arbitrio arbitros & spectatores, locum & tempus, diem & horam expectans, videntibus illis, quos scilicet tanta visione dignatur, elevatus est. Raptus est Paulus, raptus est Elias, translatus est Enoch: Redemptor noster legitur *elevatus*, hoc est, ex seipso levatus, non aliunde adiutus. Denique non currùs vehiculo, non Angeli adminiculo, sed propria virtute subnixum *suscepit eum nubes ab oculis eorum*. Cur hoc? An fessum juvit? an pigrum impulit? an cadentem sustinuit? Absit. Sed suscepit eum ab oculis carnalibus discipulorum: qui etsi Christum noverant secundùm carnem, sed ultrà jam non noscerent. Quos ergo per humilitatem ad primum cælum Filius vocat, hos in secundo per charitatem Spiritus aggregat, ad tertium per contemplationem Pater exaltat. *Primò* humiliantur in veritate, & dicunt: *In veritate tua humiliasti me*. *Secundò* congaudent veritati, & psallunt: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum*. De charitate quippè scriptum est: *Congaudet autem veritati*. *Tertiò* ad arcana Veritatis rapiuntur, & ajunt: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi*.

§ V.

Jesus præcepit Apostolis ne ab Jerosolymis discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum. Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione. Act. 1.

Triplicem nobis (o) in Ecclesia primitiva virtutem Sanctus Lucas breui sermone commendat, ubi post Dominicam Ascensionem unanimiter Apostolos in oratione perseverasse describit, expectantes cælestem illam consolationem, cujus acceperant repromissionem. Laudabili siquidem *magnanimitate* pusillus grex Pastoris solatio destitutus, minimè tamen dubitans quoniam illi cura esset de eis, sed paternam pro eis gereret sollicitudinem: devotis pulsabat supplicationibus cælum, certus quòd penetrarent illud justorum orationes, nec pauperum preces

Aaa sper-

m Ibid. cap. 8. num. 22.

n Ibid. num. 23. o Ser. 43. diversorum. 1.

ſpernerentur à Domino, aut ſine copioſa benedictione redirent. Sed nec ſine *longanimitate* perſiſtebant indeficientes, juxta illud Propheticum: *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit*. Porrò *unanimitas* quidem legitur evidenter expreſſa, quòd hæc ſola Divini Spiritus chariſmata mereatur. Neque enim eſt Deus diſſenſionis, ſed pacis: neque habitare facit niſi unius moris in domo. Jure igitur (p) præparationem cordis eorum audivit auris divina: nec ab expectatione ſua confudit eos, qui & magnanimes & longanimes & unanimes eſſent. Certiſſima namque hæc teſtimonia ſunt Fidei, Spei, Charitatis. Et quidem evidenter *Spes* longanimitatem, unanimitatem *Charitas* operatur. Numquid *Fides* quoque magnanimum facit? Et ſola. Quidquid enim ſive Fide præſumitur, non eſt ulla animi ſolida magnitudo, ſed ventoſa quædam inflatio & tumor inanis. Vis audire magnanimem virum? *Omnia* (inquit Paulus) *poſſum in eo qui me confortat*. Imitemur triplicem hanc præparationem Fratres, ſi deſideramus ſuperfluentem menſuram Spiritûs obtinere. Omnibus enim præter Chriſtum ad menſuram datur Spiritus; ſed menſuræ cumulus ſuperfluentis videtur quodammodò exceſſiſſe menſuram. Evidens fuit *magnanimitas* in converſione noſtra, ſit etiam in conſummatione *longanimitas*: ſit *unanimitas* in converſatione. Hujuſmodi ſiquidem animabus cæleſtis illa Jeruſalem deſiderat reſtaurari, quibus nec Fidei *magnitudo* deſit in ſuſcipiendo onere Chriſti, nec *longitudo* ſpei in perſiſtendo, nec *charitatis* junctura, quod eſt vinculum perfectionis. Deus in libertate poſuit primum parentem noſtrum Adam [q] ut inter ſumma & infima verſans, & illa excederet ſine difficultate, & ad hæc ſine illecebra aut neceſſitate deſcenderet: illa penetrans naturali vivacitate & puritate mentis, hæc auctoritate dijudicans præſidentis. Denique adducta ſunt animalia ad Adam, ut videret quid vocaret ea: non ipſe aliqua curioſitate ductus eſt ut videret ea. Non ſic in nobis libera Ratio (r) ſed undique ei luctandum eſt. Sic enim & ab infimis viſco quodam captiva tenetur, & à ſummis indigna repellitur; ut nec ab his ſine dolore poſſit avelli, nec ad illa ſine magno gemitu vel rarò queat admitti. Hinc nempè vim faciunt qui quærunt animam meam, ut clamare neceſſe ſit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*. Inde priuſquàm comedam ſuſpiro, *quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Nihilominùs tamen & illic unitas, & hic tenenda diviſio eſt: ſicut & Adam ſoporatus eſt in contemplatione, & animalia nominum impoſitione diſcrevit, Sic nimirùm ſic & Sanctus Abraham in ſacrificio non quidem volatilia, ſed animalia legitur diviſiſſe. Et Martha erga multa turbatur, cùm unum ſit neceſſarium, quoniam hæc pars optima eſt quæ non auferetur. Ceſſabit diviſio cùm venerit plenitudo, & erit totius ſanctæ civitatis Jeruſalem participatio in idipſum. Interim Spiritus ſapientiæ nonmodò unicus, ſed & multiplex eſt: interiora quidem in unitatem ſolidans, ſed ſub judicio exteriora diſtinguens. Utrumque tibi in primitiva Eccleſia commendatur, *quando multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*, ne volatilia ſcinderentur: *dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat*, ut animalia ſecarentur. Sit igitur etiam in nobis, chariſſimi, unitas animorum, unita ſint corda diligendo unum, quærendo unum, adhærendo uni, & idipſum invicem ſentiendo. Sic nimirùm exterior ipſa diviſio & evadit periculum, & ſcandalum non incurrit; dum videlicet & ſi propria cuique tolerantia, propria quoque nonnunquam in terrenis agendis ſententia, ſed & diverſa interdum dona gratiarum, nec membra omnia actum eundē videntur habere: unitas tamen interior & unanimitas ipſam quoque multiplicitatem colligat & conſtringit charitatis glutino, & vinculo pacis. Quia igitur, chariſſimi (s) hodierna dies Aſcenſionis eſt, in qua Sponſus noſter Jeſus auſertur à nobis, & non ſine tumultu aliquo animorum noſtrorū: ad hoc tamen ut mittat nobis Spiritū veritatis, ploremus & oremus, ut dignos nos inveniat vel potiùs efficiat, & repleat domum iſtam ubi ſumus ſedentes, quatenùs non vexatio, ſed unctio ejus doceat nos de omnibus: ſicquè & intellectu clarificato, & affectu purificato, veniat ad nos, & apud nos faciat manſionem. Et ſicut ſerpens Moyſi devoravit omnes ſerpentes Magorum, ſic iſte cùm venerit, abſorbebit omnes carnales affectiones & delectationes noſtras & conſolationes: ita ut de labore requiem, de tribulatione lætitiam, de contumelia gloriam habeamus, ſicut illi quos repleverat, ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Spiritus enim Jeſu ſpiritus bonus, Spiritus Sanctus, Spiritus rectus Spiritus dulcis, Spiritus principalis, quidquid in hoc ſæculo nequam videtur eſſe difficile & anguſtum, leve facit & latum, opprobrium gaudium judicat, deſpectiones exaltationem eſſe perſuadet. *Scrutemur* ergo (juxta Prophetam Jeremiam) *vias noſtras, & ſtudia noſtra*: *levemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cælos*: ut in ſolemnitate Sancti Spiritus gaudeamus, & abundantiùs gaudeamus, qui nos inducat in omnem, ſicut promiſit Deus Filius, veritatem. Invocemus Spiritum vivificatorem & adjutorem (t) confidentes quia dabit Pater, qui eſt in cælis, Spiritum bonum petentibus ſe. Quamvis *corpus quod corrumpitur* [u] *aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem*: benignus tamen eſt Spiritus *ſapientia*, qui & ſpiritum incluſum illuminat, & corruptum ſanat, & allevat depreſſum. Eſt enim Spiritus *pietatis*, compeditos ſolvens, cæcos illuminans, & erigens eliſos. Eſt & Spiritus *veritatis*, qui docet nos omnem veritatem: non ſolùm autem docet, ſed etiam ſuggerit. Suggerit videlicet ut quæramus, docet ut intelligamus. Cujus nos gratiæ pro noſtræ exiguitatis modo præparantes [x] exinanire per omnia noſmetipſos, & à delectationibus miſeris & caducis conſolationibus evacuare ſtudeamus corda noſtra: maximèquè inſtante nunc die feſto Pentecoſtes, & ferventiùs & fiducialiùs unanimiter perſeueremus in oratione, ut ſua nos viſitatione, ſua conſolatione & confirmatione dignetut Spiritus ille benignus, Spiritus dulcis, Spi-

p *Ibidem num.* 2. q *Ser.* 2. *in Septuag. num.* 2. r *Ibidem num.* 3.

s *Ser.* 3. *de Aſcenſ. Dom. num.* 9. t *Ser.* 2. *in oct. Paſch. num.* 5. u *Ser.* 41. *diver. num.* 1. x *Ser.* 5. *de Aſcenſ. Dom. num.* 55.

Spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans. Qui cum Patre & Filio idipsum, sed non is ipse est: ut tres unum, & unum tres esse verissimè prorsùs & fidelissimè Catholica Ecclesia fateatur, à Patre adoptata, à Filio desponsata, à Spiritu Sancto confirmata: quibus ut una substantia est, sic eadam nihilominùs sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT IV.

De missione Spiritus Sancti, & de multiplici gratia ejus.

Et erit in novissimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ. Et quidem super servos meos & super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt. Joel. 2. & Act. 2.

1. *Ostenditur, fructum Passionis Dominicæ esse missionem Spiritus Sancti. Docemur ut intelligamus triplicem illum Spiritum, de quo loquitur Propheta in Psalmo 50. Ostenditur, Spiritum Sanctum multipliciter concedi hominibus, scilicet ad usum vitæ, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad consolationem, ad fervorem.* 2. *Ostenditur, Spiritum Sanctum tria operari in nobis ad declinandum peccatum: compunctionem scilicet, supplicationem, & remissionem.* 3. *Ad faciendum bonum Spiritus Sanctus tria operatur in nobis: monet memoriam, docet rationem, movet voluntatem. Item tria donat nobis: pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen.* 4. *Ostenditur, Apostolos post acceptum Spiritum Sanctum verè inebriatos fuisse musto, sed non eo quo ab incredulis Judæis æstimabantur. Mustum illud designat charitatem Dei, qua repleti erant & inflammati Apostoli.*

§. I.

Cùm compleretur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus est repentè de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes. Act. 2.

CElebramus dodie Spiritus Sancti solemnitatem [a] tota cum jucunditate celebrandam, dignam omni devotione. Dulcissimum enim quiddam in Deo Spiritus Sanctus est, benignitas Dei, & idem ipse Deus. Proinde si celebramus Sanctorum solemnia, quantò magis ejus à quo habuerunt ut Sancti essent quotquot fuêre Sancti? Si veneramur sanctificatos, quantò magis ipsum Sanctificatorem convenit honorari? Ipse est (b) quem Dominus Jesus post Patris obedientiam usque ad mortem crucis, Apostolis suis misit, obedientibus suis. An non tibi videntur singularis obedientiæ conscendisse fastigium, qui acceptâ licentiâ sedendi in civitate, intra unius domunculæ septa conclusi unanimiter in oratione perseverabant? Ipse est; dilectissimi, (c) qui etiam vos sedere facit non solùm in civitate, sed in domo una, ut sedeat super sedentes, ut requiescat super humiles & trementes ad sermones suos. Gaudeo vos esse de hac schola [d] de schola videlicet Spiritus Sancti, ubi bonitatem & disciplinam & scientiam discatis, & dicatis cum sancto David: *Super omnes docentes me intellexi*. Quare inquam? Numquid quia purpurâ & bysso me indui, & quia leatioribus epulis abundavi? Numquid Platonis argutias, Aristotelis versutias intellexi, aut ut intelligerem laboraui? Absit inquam: sed *quia testimonia tua exquisivi.* Felix qui in hoc Sancti Spiritus thalamo commoratur, ut posit intelligere triplicem illum Spiritum, de quo idem ipse David puer Domini super seniores intelligens clamabat, & decantabat: *Ne proiicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Spiritum Sanctum* ipsum intellige proprio nomine designatum. Rogat ergo ne proiiciatur à facie ejus tanquam aliquid immundum: quia Spiritus iste odit sordes, nec habitare poterit in corpore subdito peccatis. Cui enim proprium est peccata repellere, ipsi & proprium est peccata odisse; nec in uno domicilio pariter morabuntur tanta munditia, & immunditia tanta. Recepto ergo Spiritu Sancto per sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, audet quis ante faciem ejus apparere, tanquam lotus & mundus: utpote qui contineat se ab omni malo, & qui actiones, & si non cogitationes frænaverit. Sed quia perversæ [e] & immundæ cogitationes separant nos à Deo, ideo orandum est, ut cor mundum creetur in nobis: quod utique fiet, si spiritus rectus fuerit in nostris visceribus innovatus. *Spiritum rectum* quòd ait, Filio potest non inconvenienter aptari, qui nos veterem hominem exuens, nouum induit: qui nos renovavit in spiritu mentis nostræ tanquam in visceribus nostris, ut cogitemus quæ recta sunt, ut ambulemus in novitate spiritûs, & non in literæ vetustate. Formam enim rectitudinis de cælis attulit, reliquit in terris: immiscens sanè & mittens dulcedinem rectitudinis in omnibus operibus suis, sicut de eo idem ipse David prædixerat: *Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via*. Castigato ergo corpore per sanctitudinem operum, mundato corde vel potiùs innovato per rectitudinem cogitationum, redditur lætitia salutaris, ut jam in lumine vultûs Dei ambules, & in Nomine ejus exultes tota die. Quid igitur restat [f] nisi ut *spiritu principali* confirmeris? Patrem intellige spiritum principalem: non quòd major, sed quòd solus à nullo, ab eo sit Filius, Spiritus Sanctus ab utroque. In quo autem confirmatio hæc, nisi in charitate? Aut quod donum aliud tam dignum Patre? quod munus aliud tam paternum? *Quis nos* (ait Apostolus) *separabit à charitate Christi? Tribulatio an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* Certi sitis, quia neque mors,

a *Ser. 1. in die Pent. num. 1.* b *Ser. 41. diuer. num. 1.*

c *Ser. 3. in die Pent. num. 1.* d *Ibidem num. 5.* e *Ibidem num. 6.* f *Ibidem num. 7.*

neque uita, neque cætera alia, quæ Apostolus tam multipliciter quàm audacter enumerat, poterunt nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu. Numquid non hoc confirmationem ab omni hujus sententiæ parte demonstrat? Vis vas tuum possidere in sanctificatione & honore, & non in passione desiderii? *Spiritum Sanctum* accepisti tibi. Vis ut quæcunque tibi vis ab omnibus fieri, tu quoque facias illis, & quod tibi fieri non vis, alii ne feceris? *spiritum rectum* ad opus proximi suscepisti. Hæc est enim rectitudo quam lex utraque commendat, & quæ naturæ indita est, & quæ tradita est per Scripturam. Jam si in utroque bono & in his quæ ad utrumque pertinent, firmiter perseveras: *principalem spiritum*, quem solum Deus approbat, accepisti. Alioquin quæ modò sunt, modò non sunt, is qui verè est, non acceptat, nec in caducis istis sibi potest Æternitas complacere. Itaque si desideras, ut in te Deus eligat partem sibi, esto sollicitus sicut *tibi* Spiritum Sanctum, sicut *proximo* spiritum rectum, sic *Deo* quoque tanquam vero principi & Patri spirituum, spiritum principalem exhibere. Verè multiplex est spiritus (g) qui tam multipliciter filiis hominum inspiratur, ut non sit qui se abscondat à calore ejus. Siquidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem. *Primò ad usum* quidem vitæ conceditur bonis & malis, dignis pariter & indignis communia bona sua abundantissimè tribuens, ita ut videatur hìc discretionis limitem non tenere. Ingratus est ille, qui in his quoque beneficium Spiritus Sancti non agnoscit. *Secundò ad miraculum* conceditur, in signis & prodigiis, & in variis virtutibus, quas per quorumlibet manus operetur. Ipse est antiqua miracula suscitans, ut præsentibus fidem astruat præteritorum. Sed nonnullis hanc quoque gratiam sine propria utilitate largitur. Multi enim sunt (h) qui dona Spiritus Sancti non per meritum, sed per officium sortiuntur: sicut sunt prophetia, & curationes, & cætera hujusmodi. Quos ordinant, ordinantur: maledicuntur, quos maledicunt: quos benedicunt, benedicuntur: ligantur, quos ligant: & quos absoluunt, absoluuntur: ita etenim si hæc omnia secundùm leges Ecclesiæ, non secundùm animi impetum faciunt. Hin est quòd Balaam populo Dei benedixit: quòd Caiphas pessimus prophetavit: quòd Judas pessimus, sicut cæteri Apostoli, miracula fecit. Hinc est quòd multi venient in illa die dicentes: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus? nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis* (ait Dominus) *quia nunquam novi vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem*. *Tertiò* Spiritus Sanctus [i] infunditur *ad salutem*, cùm in toto corde nostro revertimur ad Deum nostrum. *Quartò* datur ad auxilium, cùm in omni colluctatione adiuvat infirmitatem nostram. *Quintò ad consolationem* datur: nam cùm testimonium perhibet spiritui nostro quòd filii Dei sumus, ea inspiratio est ad consolationem. *Sextò* datur *ad fervorem*, cùm in cordibus perfectorum vehementiùs spirans validum ignem charitatis accendit: ut non solùm in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem.

§ II.

Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditquè supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, & cæperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Act. 2.

Hodie, dilectissimi, (K) cæli distillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel, & pluvia voluntaria segregata est hæreditati Christi. Spiritus enim Sanctus procedens à Patre, largiori munere suæ majestatis in Apostolos supervenit, & tribuit eis charismatum dona. Post magnificentiam enim Resurgentis, post gloriam Ascendentis, post Residentis sublimitatem, non restabat nisi ut expectationi justorum lætitia adveniret, & cæli muneribus cælestes homines implerentur. Videamus autem si non & sententiarum pondere, & verborum ordine hæc omnia Esajas longè ante prædixit: *Erit*, inquit, *in die illa germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui salvati fuerint de Israël.* Germen Domini est Jesus Christus, qui solus de mundissimo est conceptus semine: quia etsi in similitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati: etsi Filius carnis Adæ, non tamē filius prævaricationis Adæ; qui non fuit naturâ filius iræ, sicut reliqui omnes qui in iniquitatibus sunt cōcepti. Istud ergo germen, quod de virga Jesse virore virgineo pullulavit, in *magnificentia* fuit cùm resurrexisset à mortuis: quia tunc Dn̄us Deus meus magnificatus est vehementer, confessionem & decorem induens, amictus lumine sicut vestimento. Quanta autem Ascendentis *gloria*, cùm medius Angelorum & Animarum sanctarum ad Patrem deducitur, & triumphatrice palma cælis invectus susceptum hominem in ipsa Divinitatis claudit identitate! Quis cogitet, nedum loquatur quàm sit *fructus terræ sublimis* in consessu ad dexteram Patris, quod utique cælestium oculos reverberat naturarum, quod Angelicus intuitus contremit, non attingit? Veniat ergo *exultatio* Domine Jesu his qui salvati sunt de Israel, Apostolis tuis quos elegisti ante mundi constitutionem. Veniat Spiritus tuus bonus, qui sordes abluat, & infundat virtutes, in spiritu judicii, & spiritu ardoris Dei. Hodie, inquam, festivitas est Spiritus Sancti [l] quia visibiliter apparuit invisibilis, sicut & Filius cùm sit nihilominùs invisibilis in seipso, dignatus est exhibere se in carne visibilem. Hodie [m] ubi Spiritus Sanctus super Apostolos in die Pentecostes descendisse memoratur, auditus visum præveisse describitur. Ait enim Scriptura: *Factus est repentè de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis*. Et infra: *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Duo sunt [n] unde Spiritus Sanctus procedat, & quò. Processio à Patre & Filio, posuit tene-

g *Ibidem num. 8.* h *Ser. de Advent. Dom. num. 16. tom. 6. pag. 606.* i *Ser. 3. in die Pent. num. 8.*

K *Ser. 2. in die Pent. num. 1.* l *Ser. 1. in die Pent. num. 2.* m *Ser. 53. in Cant. num. 2.* n *Ser. 1. in die Pent. n. 1. & 2.*

tenebras latibulum suum: sed processio ad homines hodie cæpit innotescere, & est jam Fidelibus manifesta. Et priùs quidem (quoniam sic oportebat) signis visibilibus invisibilis Spiritus suum declarabat adventum: nunc ejus signa quò spiritualiora sunt, eò magis congrua, eò magis videntur Spiritu Sancto digna. Venit tunc super Discipulos in linguis igneis, ut verba ignea loquerentur, & legem igneam linguæ igneæ prædicarent. Nemo tamen conqueratur, quòd minimè nobis illa manifestatio Spiritûs fiat. *Unicuique enim datur manifestatio Spiritus ad utilitatem.* Denique si dicere opus est, nobis illa manifestatio potiùs quàm Apostolis facta est. Ad quid enim illis necessariæ linguæ Gentium, nisi ad conversionem Gentium? Fuit eis facta alia quædam manifestatio magis ad eos pertinens, & hæc usque hodie fit in nobis. Manifestum enim fuit indutos esse Virtute ex alto, qui de tanta pusillanimitate spiritûs ad tantam devenêre constantiam. Non est jam fugere, non est abscondi propter metum Judæorum, constantiùs modò prædicant, quàm delitescerent antè timidiùs. Denique mutationem illam dexteræ Excelsi manifestè declarat Principis Apostolorum priùs quidem inter ancillæ verba formido, postmodùm inter principum verbera fortitudo. *Ibant Apostoli* (ait Scriptura) *gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*: quem sanè priùs cùm duceretur ad concilium, solum reliquerant fugientes. Quis dubitet advenisse Spiritum vehementem, qui mentes eorum inuisibili illustraret potentia? In hunc modum etiam modò quæ Spiritus operetur in nobis, testimonium perhibent in nobis de eo. Quia igitur mandatum accepimus (o) ut declinantes à malo, faciamus quod bonum est: vide quemadmodùm Spiritus in utroque adjuvat infirmitatem nostram. Nam divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Propterea ad declinandum à malo tria operatur in nobis, compunctionem, supplicationem, remissionem. *Primò operatur compunctionem.* Initium enim revertendi ad Deum, pænitentia est, quam sine dubio Spiritus operatur, non noster, sed Dei: idquè & certa ratio docet, & confirmat auctoritas. Quis enim cùm ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne venisse calorem, quem habere non poterat sine illo? Sic ergo qui priùs in iniquitate erat frigidus, si postmodùm fervore quodam pænitentiæ accendatur, alium sibi Spiritum, qui suum arguit & dijudicat, non dubitet advenisse. Habes hoc & in Euangelio, ubi cùm loqueretur Jesus de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum: *Ille*, inquit, *arguet mundum de peccato. Secundò* (p) *operatur supplicationem.* Quid enim prodest pænitere de culpa, & non supplicare pro venia? Necesse est ut etiam hoc Spiritus operetur, dulcedine quadam spei replens animum, per quam fiducialiter postules nihil hæsitans. Visne ostendam tibi etiam hoc opus esse Spiritus Sancti? Utique dum abest ille, tale aliquid in tuo spiritu non invenies. Denique ipse est, *in quo clamamus*: *Abba Pater*. Ipse est Spiritus, *qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Et hæc quidem in corde nostro. Quid autem in corde Patris? videamus. *Tertiò operatur remissionem peccatorum.* Sicut enim Spiritus Sanctus in nobis interpellat pro nobis, ita in Patre delicta donat cum ipso Patre. Aduocatus noster ad Patrem in cordibus nostris, Dominus noster in corde Patris. Itaque quod postulamus, idem ipse donat, qui donat vt postulemus: & sicut nos erigit piâ quadam fiduciâ, ita Deum inclinat ad nos magis piâ misericordiâ suâ. Itaque ut omninò scias, quia remissionem peccatorum Spiritus Sanctus operatur, audi quod aliquando audierunt Apostoli: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Cæterùm si multi gementes (q) quid sibi vult unius expressio? *Vox turturis audita est in terra nostra*, inquit sponsus. Quare non turturum? Fortè Apostolus Paulus id soluit ubi ait: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Ita est. Ipse inducitur gemens, qui gementes facit. Et quamlibet multi sint quos ita gemere audias, unius tamen per omnium labia vox sonat. Quidni illius qui ipsam vocẽ in ore singulorum pro quorumq; hominum necessitatibus format? Denique *vnicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem*. Sua vox quemque manifestum fecit, & præsentem indicat. Et audi ex Euangelio quòd vocem habeat Spiritus Sanctus. *Spiritus* (inquit Jesus ad Nicodemum) *ubi vult, spirat: & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat.* Et si ille nesciebat, qui literam occidentem docebat mortuos magister mortuus: nos sciamus, qui translati sumus de morte ad vitam per vivificantem Spiritum, certo & quotidiano experimento, ipso nos illuminante probamus vota & gemitus nostros ab ipso venire, & ad eum ire, illicquè invenire misericordiam in oculis Dei. Quando enim sui Spiritus vocem irritam faceret Deus? At ipse scit quid desideret Spiritus, quia secundùm Deum postulat pro nobis. Et de malo quidem declinando sic.

§. III.

Porrò [r] ad faciendum bonum tria in nobis Spiritus bonus operatur: monet, & movet, & docet. Monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem. In his enim tribus tota consistit anima. *Primò monet Memoriam.* Memoriæ enim suggerit bona in cogitationibus sanctis, atque ita ignaviam nostram torporemquè repellit. Propterea quoties hujusmodi suggestionem boni senseris in corde tuo, da honorem Deo, & age reverentiam Spiritui Sancto, cujus vox sonat in auribus tuis. Ipse namque est qui loquitur justitiam. Et in Euangelio habes, quia ille *suggeret vobis omnia quacunque dixero vobis. Secundò Rationem docet.* Adverte quid præmiserit: *Ille docebit vos omnia.* Dixeram enim quia docet rationem. Multi siquidem monentur ut benefaciant, sed minimè sciunt quid agendum sit, nisi adsit denuò gratia Spiritus Sancti, ut quam inspirat cogitationem doceat in opus proferre, ne vacua in nobis sit gratia Dei. *Tertiò movet voluntatem. Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi* gratia. Propterea non solùm moneri & doceri, verùm etiam moveri & affici ad bonum necesse est ab eo uti-

o *Ibidem num. 3.* p *Ibidem num. 4.*

q *Ser. 59. in Cant. num. 6.* r *Ser. 1. in die Pent. num. 5.*

utique Spiritu, qui adjuvat infirmitatem nostram, & per quem in cordibus nostris diffunditur charitas, quæ est bona voluntas. Itaque [s] cùm sic adveniens Spiritus totam possederit animam, suggerendo, instituendo, afficiendo: loquens semper in *cogitationibus* nostris, ut audiamus & nos quid loquatur in nobis Dominus Deus, *rationem* illuminans, *voluntatem* inflammans, nonne tibi videtur quia *totam domum impleverint dispertitiæ linguæ tanquam ignis?* Nam in his tribus superiùs dictum est animam consistere totam. Sint autem *dispertitæ linguæ* propter multiplices cogitationes: sed earum multiplicitas, & uno lumine veritatis, & uno charitatis fervore fit tanquam ignis. Aut certè domûs impletio fini potiùs reservetur, quando mensuram bonam & confertam & cogitatam & superfluentẽ dabunt in sinus nostros. Sed quandò hæc erunt? Profectò cùm completi fuerint dies Pentecostes. Felices vos, qui jam intrastis Quinquagesimam requiei, & Jubilæum annum. Fratres nostros loquor, quibus jam dixit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis. Etenim hoc quoque inter ejus opera reperimus. Duo namque tempora celebramus, Quadragesimæ unum, alterum Quinquagesimæ: illud ante Passionem Christi, istud post Resurrectionem Christi: illud in compunctione cordis & lamentis pænitentiæ, istud in devotione spiritûs, & Alleluia solenni. Prius quidem tempus ipsa est vita præsens: posterius verò tempus quietem Sanctorum significat, quæ est post mortem. Cùm autem venerit illius Quinquagesimæ finis, in judicio scilicet & in resurrectione, completis diebus Pentecostes, aderit plenitudo Spiritûs, & totam replebit domum. Plena siquidem erit omnis terra Majestate ejus, quando non solùm anima, sed & ipsum corpus spirituale resurget, si tamen juxta Apostoli monitum, dum adhuc est animale, fuerit seminatum. Placebitne tibi Domine Jesu [t] ut dones mihi Vitam tuam, sicut dedisti Conceptionem? quia non solùm conceptio mea immunda, sed & vita perversa, & mors periculosa est: & post mortem restat mors gravior, mors secunda. Non solùm, ait, Conceptionem meam, sed & Vitam meam, & hoc per singulos ætatum gradus infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, juventutis, tibi donabo, adjicens Mortem, Resurrectionem, & Ascensionem. Hoc autem ideo, ut *Conceptio* mea emundet tuam: *Vita* mea instruat tuam: *Mors* mea destruat tuam: *Resurrectio* mea præcedat tuam: *Ascensio* mea præparet tuam. Et ne de absentia mea vel murmures vel contristeris [u] mittam tibi Spiritum Paracletum, qui tibi donet pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen. *Pignus salutis*, ut ipse Spiritus reddat testimonium spiritui tuo, quòd filius Dei sis: qui certissima signa prædestinationis tuæ cordi tuo imprimat & ostendat: qui donet lætitiam in corde tuo, & de rore cæli etsi non continuè, tamen sæpissimè mentem tuam impinguet. *Robur Vitæ*, ut quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam ejus non solùm possibile, sed & facile fiat: ita ut in laboribus, in vigiliis, in fame & siti, & in omnibus observantiis (quæ nisi farinulâ istâ dulcorenter, prorsùs mors in olla appareat) delectabiliter incedas sicut in omnibus divitiis. *Scientiæ lumen*, ut cùm omnia benefeceris, te servum inutilem putes: & quidquid boni in te inveneris, illi tribuas à quo omne bonum est, sine quo non parum aliquid, sed nihil omninò potes incipere, ne perficere dicam. Sic ergo Spiritus iste in tribus istis te docebit omnia quæ ad tuam pertinent salutem, quia in ipsis est plena & absoluta perfectio. Et hoc est [x] quod per Prophetam Oseam idem Spiritus dicit: *Seminate vobis ad justitiam*, ubi pignus salutis ostenditur: *metite spem vitæ*, ubi vitale robur accipitur: *illuminante vobis lumen scientiæ*, quod verbis propriis subinfertur. Unde & Spiritus iste super Apostolos in igne apparuit, propter lumen pariter & ardorem. Quos enim repleverit, & spiritu fervere & in veritate cognoscere facit, quia sola misericordia est, quæ eos & prævenit & perducit. Præterea electos suos Spiritus Sanctus [y] qui in columba apparuit & igne, & in humilitate reddit *simplices*, ne per elationem superbiant: & in puritate *audaces*, ne per inertiam torpescant. Vides igitur [z] quàm verum dixerit ille qui dixit: *Dominus sollicitus est mei*. Pater ut servum redimat, Filio non parcit: Filius seipsum libentissimè tradit: Spiritum Sanctum uterque mittit: & ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid autem à te quærit qui tanta sollicitudine te quæsivit, nisi te sollicitum ambulare corã Deo tuo? Hanc sollicitudinem non facit nisi Spiritus Sanctus, qui scrutatur profunda pectorũ nostrorum, discretor cogitationum & intentionum cordis: qui nec minimam paleam intra cordis (quod possidet) habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit Spiritus dulcis & suavis, qui nostram voluntatem flectat, imò erigat & dirigat magis ad suam: ut eam & veraciter intelligere, & ferventer diligere, & efficaciter implere possimus. Omnibus nobis, ni fallor [a] datus est Spiritus ad salutem, ad fervorem non ita. Pauci enim sunt, qui hoc Spiritu fervoris repleãtur: pauci sunt, qui studeant æmulari. Contenti sumus angustiis nostris, nec respirare in libertatem illam, nec saltem ad eam aspirare conamur. Væ nobis, Fratres, (b) si luxerimus tantùm. Nam lucemus quidem & magnificamur ab hominibus: sed mihi pro minimo est, ut ab humano judicer die. Qui enim judicat me, Dominus est, qui fervorem ab omnibus exigit, splendorem verò non ita. *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* Hæc nempè est commune mandatum: hoc est quia exigitur ab universis, nec ulla, si deesse contigerit, admittitur excusatio. Dicas fortassis (c) in igne ut fervorem sic & splendorem esse? Non contendo, licet fervor ei quodammodò substantialior videatur. Ipsum Dominum potiùs audiamus quid magis in igne commendet. *Ignem, ait, veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Cognovisti certè quid velit. Sed nec illud quidem ignoras, quod vita in voluntate ejus, & servus sciens nec faciens Domini voluntatem, plagis plurimis habeat vapulare. Quid lucere festinas? Nondum illud advenit tempus, in quo fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. Interim per-

s *Ibidem num. 6.* t *Ser. 2. in die Pent. num. 5.* u *Ibidem nu. 6.*

x *Ibidem num. 7.* y *Ser. 4. in Dom. Palm. num. 12.* z *Ser. 2. in die Pent. num. 7. & 8.* a *Ser. 3. in die Pent. num. 8.* b *Ser. in nat. S. Joan. Bapt. num. 3.* c *Ser. 3. de verb. Esa. num. 4.*

perniciosus est iste appetitus lucendi: fervere enim multò meliùs est. Denique si tam vehementer splendorem desideras, quòd videri vis, esse curato, & primùm quære fervorem, nec dubium quin & splendor adiiciatur tibi. Alioquin in cassum laboras: quia vanus est splendor absque fervore. Mutuata aut magis certè simulata lux est, quæ non ab igne procedit.

§. IV.

Facta autem hac voce, convenit multitudo, & mente confusa est: quoniam audiebat unusquisque linguâ suâ illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt, & quomodò nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Quidnam vult hoc esse? Alii autem irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti. Act. 2.

Quàm libenter vobis communicem (d) si quid mihi superna dignatione sensero inspiratum, novit Spiritus ipse, cujus hodie solemnitatem præcipuam celebramus, utinam devotione præcipua. Ipse est enim, qui Virgini obumbravit, Apostolos roboravit: ut & virgineo corpori temperaret Deitatis accessum, & Apostolos indueret virtute ex alto, ferventissima scilicet charitate. Hanc nimirùm Apostolicus ille chorus loricam sese induit sicut gigas *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.* Quia enim in domum fortis, ligare eum, & vasa ejus diripere mittebantur, opus erat fortitudine ampliori. Alioquin quàm multum erat ad ipsos, ut de morte triumpharent, & ne ipsæ quidem portæ inferi prævalerent adversùs eos, si nõ vigeret in eis ea quę in eis vinceret dilectio fortis ut mors, dura sicut infernus æmulatio? Hunc sibi zelum imbiberãt, cùm vino ebrii putarentur. Et verè ebrii vino, sed non eo, quo ab incredulis ebrii credebantur. Planè inquam ebrii, sed vino novo, quod veteres quidem utres nec mererentur accipere, nec continere valerent. Hoc enim Vinum vera illa Vitis fuderat de excelso, Vinum lætificans cor, non statum mentis evertens: Vinum germinans virgines, non apostatare faciens etiam sapientes. Novum Vinum, sed habitantibus super terram. Nam in cælis quidem olim copiosissimè redundabat, non in utribus nec in testeis vasis, sed in cella vinaria, in spiritualibus apothecis. Fluebat per vicos & plateas omnes illius civitatis Vinum in quo lætitia cordis, non carnis luxuria est: nam terrigenæ & filii hominum Vinum ejusmodi non habebant. Sic igitur (e) cælum quidem Vino proprio fruebatur, quod terra interim nesciebat: sed ne ipsa quidem terra penitùs inops Carne Christi gloriabatur, cujus præsentiam nihilominùs sitiebat. Quidni fidelissimum fieret gratissimumquè commercium inter cælum & terram, inter Angelos & Apostolos, ut exhiberetur illis Caro Christi, istis Vinum cæli, essetquè in terra Spiritus, Caro in cælis, ac deinceps omnia omnibus communia in æternum? *Nisi* (inquit) *ego abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Ac si diceret: Si non dederitis quod amatis, non habebitis quod desideratis. Expedit ergo vobis ut ego vadam: vos quoque de terra ad cælum, de carne ad spiritum translaturus. Filius enim spiritus, Pater spiritus, Spiritus Sanctus spiritus est. Denique spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Sed & Pater, quia spiritus est, tales quærit adoratores, qui adorent eum in spiritu & veritate. Spiritus tamen Sanctus quasi specialiter spiritus dicitur, quòd ab utroque procedat, firmissimum & indissolubile vinculum Trinitatis: tanquam propriè sanctus, quòd sit donum Patris & Filii, omnem sanctifi cans creaturam: quamvis Pater quoque & spiritus & sanctus, itemque & Filius & spiritus & sanctus sit. Verùmtamen (f) quis Vinum jucundissimum Spiritus Sancti valeat explicare? Vinum, inquam, & si magis placet, mustum. Mox enim accepto ab Apostolis & aliis qui cum eis erat expectantibus Spiritu Sancto, inebriati sunt, eructaverunt verbum bonum, loquebantur variis linguis magnalia Dei. Ante timore absconditi, nunc cucurrerunt foras: non jam timuerunt aquam populi frementis, charitatis igne succensi. Tunc pro certo experientes verum esse, quod scriptum est: *Aqua multa non potuerunt extinguere charitatem, & flumina non obruerunt illam.* Irruerunt quidem in eos flumina potestatum, fluxerunt aquæ populosæ multitudinis, flaverunt venti & procellæ comminationum & verborum: sed ignis charitatis non est extinctus, imò etiam auctus est. *Ibant enim Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati.* Est etiam auctus ignis charitatis, pluribus per eorum prædicationẽ accensis, & eadem quâ ipsi ardebant jucunditate succensis. Sed quid ajebant Judæi, omnium bonorum increduli? *Musto*, inquiunt, *pleni sunt*: mentientes & ignorantes verum dixerunt. *Musto* quippè illo nobilissimo charitatis Dei, imò Charitate Deo repleti erant, inflammante ad amorem, & confortante ipsos contra timorem. Unde sicut mustum non patitur se contineri à vase, nisi foramen habeat unde prorumpat: sic ab Apostolorum corde per ora eorum se mustum Spiritus Sancti manifestavit loquentia magnalia Dei, cum mirabili eloquentia. Non enim impedit, sed expedit linguam haustus musti hujus: ut illud poëticum verum inveniatur, *Fæcundi calices, quem non fecêre disertum?* Fæcundus verò calix Domini & præclarus inebriaverat eos, quia sicut ait Apostolus: *Charitas Dei diffusa erat in cordibus eorum.* Sed videntur verbis nostris verba Petri contraria, qui haustu novi musti audax factus jam non solùm non timuit verba mulieris, ut ante, sed nec verba principum. Hic ergo obiiciens se in medium dixit, Discipulos ebrios non a vino. Sed audiamus verba ipsius optimè distincta: *Non enim*, inquit, *sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt.* Ac si diceret: Non utique musto terreno ebrii sunt, sicut vos putatis, sed cælesti Spiritu. Propterea sponsa ait: (g) *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Quænam ista sit cella vinaria, prætereo dicere, quia dixisse me recolo. Tamen si ad Ecclesiam referatur sermo, cùm repleti Spiritu Sancto discipuli musto ebrii à populo putarentur: tunc tanquam amicus

d *Ser. 3. in die Pent. num. 1.* e *Ibidem. num. 2.*

f *Tract. de vite myst. cap. 49. num. 190.* g *Ser. 49. in Cant num. 2.*

amicus Sponsi pro sponsa stans Petrus in medio eorum, *Non* (inquit) *sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt*. Attende interim quòd non omninò ebrios, sed ebrios sicut ab illis æstimati sunt, denegavit. Erant enim ebrii, sed Spiritu Sancto, non musto. Et quasi testificarentur ab plebem revera in illam se fuisse cellam vinariam introductos, rursùm Petrus pro omnibus: *Sed hoc est* (ait) *quod dictum est per Prophetam Joël: Et erit in novissimis diebus, (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ: & juvenes vestri visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt*. An non tibi cella videtur fuisse vinaria illa domus, in qua erant Discipuli pariter congregati, cùm *factus est repentè de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant sedentes*, adimplevitquè propheticam Joëlis? Et nonne unusquisque illorum exiens inebriatus ab ubertate domus illius, & torrente potatus dicere meritò quibat, *quoniam introduxit rex in cellam vinariam*? Hauriamus quoque & nos, charissimi, (h) de vino jucundissimo hujus Spiritus Sancti. Quod si vel in quo hauriamus scilicet vas intellectûs non habemus, curramus cum plena fiducia ad singularem nostrum ac providum Conditorem, cujus figmentum sumus; oremusquè eum, ut vas formet in anima nostra hujus dulcissimi musti capax: ut nostro consolatore Spiritu gratiæ septiformis accepto, multiformes tentatoris adversarii nostri laqueos evadamus, & pedes affectuum nostrorum in compedes Sapientiæ iniiciamus: ut cum ipsa Sapientia colligati vinculis charitatis indesinenter & indefessè curramus post illam, donec ad saporis ipsius plenitudinem attingamus, ubi jam non per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem Regem nostrum in decore videamus, & sicut sumus cogniti, cognoscamus. Veniat obsecro Domine Jesu (i) ille Spiritus tuus Deus & Dominus meus, veniat in cor meum, & sic inebriet illud tuo amore, ut nullum alium præter te quæram amorem, nullam aliam præter te amem pulchritudinem, nullam præter te valeam gustare dulcedinem, qui es fauus mellis Deus & Homo, mel de Deo Patre, fauus de Virgine Matre. Mel in sinu Patris: fauus fractus in Cruce. Mel impassibilis regnans cum Patre: fauus in sepulchro. Mel cum Patre & Spiritu Sancto regnans in cælo & in omni loco, benedictus per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT V.

De septiformi gratia Spiritus Sancti, quæ comparatur etiam septem beatitudinibus Euangelicis.

Paracletus Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia quæcunque dixero vobis. *Joan.* 14.

1. *gratia Spiritus Sancti est timor Domini*. 2. *gratia ejus est Spiritus pietatis*. 3. *gratia ejus est Spiritus scientiæ*. 4. *gratia ejus est Spiritus fortitudinis*. 5. *gratia ejus est Spiritus consilii*. 6. *gratia ejus est Spiritus intelligentiæ*. 7. *gratia ejus est Spiritus sapientiæ*.

§. I.

Ex omnibus (a) quæ saluandis populis fuerant necessaria, nihil penitùs defuit Saluatori nostro Jesu Christo. Ipse est enim de quo præcinit Isaias Propheta, dicens: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*. Fideli reconciliatori Christo (b) nec *timoris* spiritus defuit, quo Patri semper reverentiam exhiberet, semper ei deferret, semper gloriam ejus quæreret: nec spiritus *pietatis* defuit, quo misericorditer compateretur hominibus. Unde & necessarium habuit spiritum quoque *scientiæ*, per quem timoris pariter & pietatis distributio fieret inconfusa. In his autem tribus, timore, pietate, & scientia, Mediator noster Christus Jesus reconciliavit homines. Nam in consilio & fortitudine de manu diaboli adversarii liberavit. *Consilio* siquidem pristino jure priuavit hostem, data potestate ut manus iniiceret innocenti. *Fortitudine* prævalvit, ne violenter posset retineri Redemptor, dum victor ab inferis rediit, & vita omnium cum eo surrexit. Exinde cibat nos pane vitæ & *intellectûs*, & potat nos aquâ *sapientiæ* salutaris. Non venit vacuè (c) quia non venit vacuus. Nam quomodò vacuus, in quo habitavit plenitudo? Neque enim ei datus est ad mensuram Spiritus. Denique & venit in plenitudine temporis, plenum proinde venire se indicans. Benè plenum, quem unxit Pater oleo lætitiæ præ consortibus suis. Vnxit & misit plenum gratiæ & veritatis. Vnxit, ut vngeret. Omnes ab eo vncti sunt, qui de plenitudine ejus meruerunt accipere. Sciebat se ad infirmos descendere, exhibuitquè qualem oportvit. Et quoniam multæ erant infirmitates, multa quoque providus medicus medicamina curavit afferre. Attulit spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilii & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, & spiritum timoris Domini. Nota verò prophetiam Isaiæ à superiori cæpisse (d) & descendisse ad inferiora, quia Mediatoris annunciabat descensum. Nos autem per easdem Spiritus Sancti gratias, ejusdem Mediatoris Dei & processum operis & ad superiora investigantes regressum, ab inferioribus, id est, à timore incipimus. *Prima* gratia Spiritus Sancti (e) est *timor Domini*. Qui hanc habet gratiam, omnem odit iniquitatem, juxta illud Psalmistæ: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum*. Et in alio loco ait: *Omnem viam iniquitatis odio habui*. Scriptum namque est: *Timor Domini odit malum*. Et item: *Vir timens Deum, & recedens à malo*. Sine hac gratia prima gratiarum, quæ totius religionis exordium est, nullum bonum pullulare vel manare potest. Sicut enim securitas vel desidia causa est & mater omnium delictorum, sic timor Domini radix est & custos

h *Tract. de vite myst. cap. 46. num. 191.* i *Ser. 6. in ultim. Cant. num. 66.*

a *Ser. 2. in Annunciat. B. M. num. 5.* b *Ibidem num. 3. & 4.* c *Ser. 16. in Cant. num. 12.* d *Lib. 2. de amore Dei cap. 2. num. 35.* e *Ser. de 7. grat. Spirit. num. 1. tom. 6. pag. 846.*

custos omnium bonorum. Unde scriptum est: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.* Omne namque ædificium virtutum illicò vergit in præcipitium, si hujus gratiæ amiserit præsidium. Unde Salamon ait: *In timore Domini esto quotidie, quia habebis spem in novissimo, & præstolatio tua non auferetur.* Hinc & Apostolus ait: *Cùm metu & tremore vestram salutē operamini.* Et quid plura? Connexa sunt timor & religio, nec manere potest alterum absque altero. Unde *Cornelius vir religiosus ac timens Deum*: & Simeon *justus & timoratus*. Denique Salamon: *Deum*, inquit, *time*, & *mandata ejus observa.* Hunc verò timorem sic habere debemus, quomodo asserit se habuisse Job beatissimus, dicens: *Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum.* Per hunc timorem Dei universa deseramus, mundo abrenunciamus, nosqueipsos, sicut dicitur nobis: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Iste ergo divinus timor, qui eum quem perfectè imbuit, paupertati subiicit, & à malo dividit, ita est primus in ordine gratiarum, sicut paupertas in serie beatitudinum, de qua Dominus in cæterarum fundamento virtutum eam ponens, ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

§. II.

Secunda gratia (f) est *spiritus pietatis*, illi secundæ quæ in Evangelio ponitur beatitudini similis, de qua Dominus sic ait: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* De talibus Dominus in Esaia ait: *Spiritus Domini super me, ad annunciandum mansuetis misit me.* Moyses quoque mitissimus erat super omnes homines qui morabantur in terra. Itē de talibus Job dicit: *Dominus ponit humiles in sublime, & merentes erigit sospitate.* Unde & illud de Domino dicitur: *Humiles spiritu salvabit.* E contra de superbis dicitur: *Dominus superbis resistit. Ante ruinam exaltatur cor.* Superbia de supernis ad ima præcipitat, humilitas verò de imis ad superna elevat. Angelus enim in cælo superbiens, ad tartara corruit: homo in terra se humilians, ad cælos ascendit. Tantò verò quisque debet esse humilior, quantò est sublimior. Unde scriptum est: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Hinc ipse Dominus ad discipulos ait: *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.* Item: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus.* Item ipse dicit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Sine hac humilitatis virtute, reliquæ virtutes nequeunt prodesse. Unde Gregorius ait: *Qui virtutes sine humilitate congregat, est quasi qui in ventum pulverem portat.* Sicut enim pulvis venti validi flatu dispergitur, sic omne bonum sine humilitate inanis vento gloriæ rapitur. Multò etiam melius est peccatorem esse humilem, quàm justum arrogantem. Quod à Domino evidenter ostenditur, ubi Publicanus & Pharisæus in exemplum adducuntur, sicut quidam Sapiens ait: *Melior est in malis factis humilis confessio, quàm in bonis factis superba gloriatio.*

f Ibidem num. 2.

§. III.

Tertia gratia sive donum (g) est *spiritus scientiæ*, de quo dono Salamon ait: *Qui addit scientiam, addit & dolorem.* Vera namque scientia est, scire nos mortales & caducos & fragiles esse, & in hoc exilio, & in hoc ergustulo, in hac peregrinatione, in hac valle lachrymarum dolendum & lugendum esse. Unde dicitur in tertia beatitudine, huic tertio dono congruenti: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Item: *Væ vobis qui nunc ridetis, quia plorabitis.* Hinc Salamon ait: *Risus dolore miscebitur: & extrema gaudii luctus occupat.* Meritò qui se invento flevit (h) gavisus est viso Domino, ad cujus utique miserationis intuitum tantos jam levavit manipulos, remissionem, sanctificationem, spem vitæ. O quàm verus est sermo, qui in Propheta legitur: *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* Ubi breviter comprehensa utraque cognitio est, & nostri quidem in lachrymis serens: quæ autem Dei, metens in gaudio. Hac ergo in nobis gemina præeunte notitia, jam ea quæ fortè supercreverit scientia minimè inflat, utpote quæ nihil afferre valeat terreni commodi vel honoris, quòd non sit sanè inferiùs spe concepta, lætitiaquè spei jam altiùs radicata in animo. Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Ideo illa non confundit, quia ista infundit certitudinem. Per hanc enim ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro quòd filii Dei sumus. Quidnam igitur nobis de nostra quantacunque scientia provenire possit, quod non sit minus hac gloria, qua inter Dei filios numeramur? Parum dixi, nec respici in ejus comparatione potest Orbis ipse & plenitudo ejus, etjamsi totus cedat unicuivis nostrûm in possessionem. Cæterùm si nos ignorantia Dei tenet, quomodò speramus in eum quem ignoramus? Si nos ignorantia nostri tenet, quomodò humiles erimus, putantes nos aliquid esse, cùm nihil simus? Scimus autem nec superbis nec desperatis partem esse vel societatem in sorte Sanctorum.

§. IV.

Quarta gratia (i) est *spiritus fortitudinis*, quartæ in Evangelio beatitudini similis, de qua dicitur: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Qui enim justitiam esurit & sitit, contra quælibet adversa fortis insuperabilisquè & imperterritus existit. Unde Salamon ait: *Justus ut leo confidit, & absque terrore erit.* Item: *Non contristabitur justus quidquid ei acciderit.* Hoc spiritu fortitudinis erant prædit omnes, de quibus loquitur Apostolus: *Sancti ludibria & verbera experti sunt, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti. Quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ: & hi omnes testimonio fidei probati sunt.* Hæc & Apostolus ipse expertus est, qui ait: *Quis nos separa-*

g Ibidem num. 3. h Ser. 37. in Cant. num. 4. i Ser. de 7. grat. Spir. San. num. 4.

parabit à charitate Christi? tribulatio &c. Iste spiritus fortitudinis omnem alienam malitiam sustinet,& adversùs hostiles insidias instruit & munit. Unde Sponsus in sponsæ præconio ait: *Pulchra es amica mea, suavis & decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Quid enim fortius est illis (k) quibus tribulatio pro solatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantia ducitur? Isti carnem non habent, quia in carne carnem obliti audiunt ab Apostolo: *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu.* Hoc ostenderunt & illi tres pueri (l) in fornacis incendio æstuantis positi, quibus ipsa flamma refriguit: & præcipuè Inclytus ille Martyr Vincentius, qui cùm graviter torqueretur, non solùm tolerasse, sed etiam tortorem suum constanter provocasse fertur his verbis: *Insurge* (inquit) *& toto malignitatis spiritu debacchare, videbis me Dei virtute plus posse dum torqueor, quàm possis ipsi qui torques.*

§. V.

Quinta gratia sive donum (m) est *spiritus consilii*, qui aliis facit compati & misereri, illi competens quintæ beatitudini, de qua dicitur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hinc & Salamon ait: *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur.* Hanc principaliter trifariam exercemus, vel quando sex ejus quæ in Evangelio leguntur opera implemus: vel quando delinquentes corrigere & ad bonum reducere studemus: vel quando injurias nobis illatas facilè indulgemus. Iste secundus clementiæ modus, sive consilii spiritus, Deum fecit semetipsum exinanire, formā servi accipere,scilicet ut sic posset ovem errantem corrigere,& ad proprium ovile reducere. Unde Apostolus ait: *Semetipsum dedit pro peccatis nostris, ut nos eriperet de præsenti sæculo nequam.* Huic consulendi modo sic oportet insistere,ut injungitur ab Apostolo monente: *Insta opportunè, importunè.* Est & alius consulendi modus, scilicet discretionis virtus, quâ veras à palliatis atque simulatis virtutibus discernimus: quâ etiam ipsum Satanam hypocrysis auctorem dignoscimus. Ipse enim *Satanas* (ut ait Apostolus) *transfigurat se in Angelum lucis*: & juxta beati Cypriani dictum, ministros injustitiæ subornat, noctem afferentes pro die, interitum pro salute. Ista quidem cæterarum virtutum magistra ac domina omnes alias proinde temperat, ac supernè gubernat: & ne ultra vel citrà evagentur licenter, imperialiter ac discretè conservat. Unde Boëtius ait: Virtutes medium tenent; si vel ultra vel infra quàm oportuerit, fiat, à virtute disceditur.

§. VI.

Sexta gratia (n) est *spiritus intelligentiæ*, illi sextæ beatitudini congruus, de qua dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Nisi enim mentis intuitus diligenter purificatus fuerit, mystica ac divina liquidè intelligere nequit. Nam scriptum est: *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu.* Unde Salamon ait: *Abominatio Domini, cogitationes malæ. Perversæ cogitationes separant à Deo.* Qui ergo vult sincerum ac lucidum intellectum habere, pravarum cogitationum phantasias ac nebulas studeat effugare, & omni diligentia & cautela cor servare. Unde Salamon ait: *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Est quidem vigilia hæc super cor (o) cui sanè omnem jam custodiam exhibere Sapiens monet: nimirùm *quia ex ipso vita procedit.* Ego tamen etiam hanc constare arbitror specialiter in duobus, ut videlicet super affectionum pariter & cogitationum suarum greges mens sollicita vigilanter intendat. Et benè huic datur omnis custodia, à quo cæteras quoque duas vigilias (scilicet manûs & linguæ) procedere constat: nisi fortè (quod absit) simulationis gerantur studio, & pietatis habeant speciem, non virtutem. Sicut enim fontis vena scaturiens, nisi fossas ante repleverit adjacentes, nec refluere, nec sedare, nec in altum sese tollere prævalebit, quòd videlicet aliàs occupetur: sic humanus animus donec manûs & linguæ custodias solerter impleat, nec ad perfectam suiipsius poterit reflecti curam, nec jucunda devotionis tranquillitate frui, nec in sublimem divinæ contemplationis proficere gradum. Denique (p) duobus modis vita à corde procedit. *Primo*, quia corde creditur ad justitiam, & justus ex fide vivit, & fide mundatur cor, & mundo corde Deus videtur, id est, agnoscitur: & hæc est vita æterna, ut cognoscant te unum Deum, & quem misisti Jesum Christum. *Secundo* modo vita à corde procedit, quia Christus vita nostra, qui nunc per fidem habitat in cordibus nostris, erit cùm apparebit, & nos cum ipso apparebimus in gloria: & qui nunc latet in corde, tunc quasi de corde ad corpus procedet, quando reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Unde & Apostolus Joannes ait: *Nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus.*

§. VII.

Septima gratia sive donum (q) est *spiritus sapientiæ* quidam internus sapor, ac suavissimus gustus. Unde Psalmista ait: *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.* Et iterum: *Vacate & videte.* Et iterum: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Hoc divinæ sapientiæ interno gustu superna prælibamus, videlicet contēplantes quàm amænum sit Angelicis cætibus interesse, ubi nil poterit quod displiceat, esse: nil quod placeat, abesse. Ista septima gratia illi beatitudini verè congruit, de qua ait Dominus: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Qui enim mentem pacificam & serenam habent, de supernis dulciùs sapiunt, & subtiliùs vident. Nam quò quis patientior est, eò probatur esse sapientior. Unde Salamon ait: *Doctrina viri per patientiam dignoscitur.* De talibus alibi dicitur: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* Hæc est illa pax (r) quam reliquit Christus, quando dedit & suam. Siquidem *donum & pax electis Dei*: pax utique præsentis vitæ,& donum futuræ. Illa superat omnem sensum, sed & huic quidquid sub Sole pla-

k *Ser. 93. diuer. num. 2.* l *Ser. 96. diuer. num. 4.* m *Ser. de 7. grat. Spir. San. num. 5.* n *Ibidem. num. 6.*

o *Ser. 17. diuer. num. 8.* p *Ser. 32. diuer. num. 1.* q *Ser. de 7. grat. Spir. San. num. 7.* r *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 22. nu. 9.*

placet, quidquid in mundo concupiscitur, non poterit comparari. Hæc est gratia devotionis, & unctio docens de omnibus, quam expertus novit, inexpertus ignorat: quoniam nemo scit, nisi qui accipit. Utinam hîc filiorum hominum concupiscentia vigilet [s] utinam vel curiositas excitetur, ut dicant in cordibus suis: Non videtur hoc verbum adinventionis humanæ, cui sic consonant uno ore testimonia Scripturarum. Quod si ita est, sine dubio vehementer erramus. Probare libet an hæc ita se habeant, gustare quid absconditum manna sapiat, experiri quid sit centuplum, & quale sit gaudium in Spiritu Sancto. Cras profectò respondebit ei justitia sua, qui id studiosè quæsierit. Confestim ut gustaverit, videbit quàm suavis est Dominus, quoniam bonus nonmodò tenenti, sed & quærenti se, animæ speranti in se. Propter hoc sponsa [t] non minùs verecundè quàm cautè & lectuli secretum petebat & noctis, orare hoc est Deum quærere volens. Unum est enim. Alioquin non rectè oras, si orando præter Deum non quæras, quoniam in ipso sunt omnia. Ibi remedium vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum, ibi profectuum copiæ reperiuntur. Ecce nunc tempus quærendi [u] ecce nunc dies inveniendi præ manibus sunt. *Quærite* (inquit Isaias) *Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum propè est*. Magnum bonum est [x] quærere Deum. Ego hoc nulli in bonis animæ secundum existimo. Primum in donis, alterum in profectibus est. Virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat quam nulla præcedit? Cui præcedat quæ omnium magis consummatio est? Quæ enim virtus adscribi possit non quærenti Deum, aut quis terminus quærenti Deum? *Quærite* (inquit Psalmista) *faciem ejus semper*. Existimo, quia nec cùm inventus fuerit, cessabitur à quærendo. Non pedum passibus, sed desideriis quæritur Deus. Et utique non extundit desiderium sanctum felix inventio, sed extendit. Numquid consummatio gaudii, desiderii consumptio est? Oleum magis est illi, nam ipsum flamma. Sic est. Adimplebitur lætitiâ, sed desiderii non erit finis, ac per hoc nec quærendi. Tu vero cogita, si potes, quæritandi hoc studium sine indigentia, & desiderium sine anxietate. Alterum profectò præsentia, alterum copia excludit. Porrò si voci Dei tui dulciori super mel & favum [y] præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito & vacante interno sensu dicas & tu cum Samuële: *Loquere Domine, quia audit servus tuus*. Vox hæc non sonat in foro, sed nec auditur in publico. Secretum concilium, secretum quærit auditum. Neque hoc secretum revelat caro & sanguis [z] sed is qui scrutatur profunda Dei Spiritus Sanctus, qui à Patre Filioquè procedens, cum ipsis pariter vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

s *Ibidem num. 70.* t *Ser. 86. in Cant. num. 3.* u *Ser. 4. divers. num. 1.* x *Ser. 84. in Cant. nu. 1.* y *Epist. 107. num. 13.* z *Ser. 7. in Cant. num. 8.*

CAPUT VI.

De septem donis Spiritus Sancti, quæ pugnant contra septem vitia, totidemquè impedimenta exercitii spiritualis.

Emitte Spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ. *Psal.* 103.

1. *Ostenditur, septem dona Spiritus Sancti dimicare contra septem vitia. Spiritus timoris dimicat contra negligentiam, spiritus pietatis contra curiositatem, spiritus scientiæ contra experientiam mali, spiritus fortitudinis contra concupiscentiam mali.* 2. *Spiritus consilii dimicat contra pravam consuetudinem, spiritus intelligentiæ contra contemptum, spiritus sapientiæ contra malitiam.* 3. *Ostenditur, sublevari nos septiformi auxilio Spiritus Sancti contra septem impedimenta, quibus retardamur ab exercitio spirituali. Agitur de multiplici munere Spiritus Sancti.*

§. I.

INvocemus Spiritum vivificatorem & adjutorem (a) confidentes quia dabit Pater, qui in cælis est, Spiritum bonum petentibus se. Et dicamus: (b) *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ.* Emisso utique Spiritu creatur & renovatur facies terræ, id est, terrena voluntas fit cælestis, parata ad nutum citiùs obedire. Beati qui tales sunt, qui non solùm malum non sentiunt, sed in mira quadam cordis dilatatione commorantur. De aliis enim terribiliter ait Deus: *Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt*, id est carnales: & quidquid in eis spiritùs fuerat, in carnem evanuit. Denique [c] carnis nomine hoc loco vitium designari intellige, non naturam. Nec enim spiritum natura expungit, sed vitium. Verumtamen [d] *sapientia vincit malitiam*, dum ordinata procedit acie adversùs septem peccati gradus Spiritus septiformis. Et primus contra *neglientiam* exurgit *timor*: nimirùm ipse est quo concutitur anima, discutitur conscientia, excutitur sopor lethalis, incutitur sollicitudo. Denique *qui timet Deum, nihil negligit*, sed veretur opera sua. Cæterùm ut gravior sit conflictus, squama squamæ jungitur, & comitantia sunt in humano corde negligentia sui & curiositas cæterorum. Triplex enim (ut ait Sapiens) incommodum eiicit de domo inhabitantem; *fumus, stillicidium, mala uxor*. Quando verò hæc deerunt negligenti? Propria quidem qui negligit, fumum non abigit, uxorem non corrigit, tectum non reficit. Fumant peccata nullo misericordiæ studio, nullis lachrymarum undis extincta, & fumus ille teterrimus & intollerabilis. Malignatur voluntas ipso neglectu quotidie deterior semetipsâ. Stillat superni judicis indignatio ex defectu utique charitatis, quæ sola operit multitudinem peccatorum. Egrediatur itaque foras necesse est, & curiosiùs exteriora consideret, qui sic interna despicit, præterita non respicit,

a *Ser. 2. in oct. Paschæ num. 5.* b *Ser. 3. in Ascen. Dom. num. 8.* c *Ser. 35. in Cant. num. 4.* d *Ser. 14. diuer. num. 1. & 2.*

præsentia non inspicit, futura non prospicit. Evidenter proinde *curiositati* adversatur spiritus *pietatis*: & quem illa à corde evocat, iste revocat. Nimirùm *pietas* illa est cultus Dei, & in corde colitur, qui in corde cognoscitur habitare. Quid sit pietas (e) quæris? Uacare considerationi. Dicas forsitan in hoc dissentire me ab illo, qui pietatem definivit cultum Dei? Non est ita. Si benè consideras, illius sensum meis expressi verbis, etsi tamen ex parte. Quid tam pertinens ad cultum Dei, quàm quod ipse hortatur in Psalmo: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus*? quod sanè in partibus considerationis præcipuum est. Parit quidem *curiositas* experientiam mali (f) ut facilè qui per multa vagatur offendat, facilè cadat in laqueum, facilè inveniat quod perniciosè delectet. Sed configit sanè adversùs hanc *experientiã mali, spiritus scientiæ*, docens eligere bonum, reprobare malum; docens quid perniciosum sit, quidvè expediat experiri. Verumtamen in multis jam in concupiscentiam experientia transire videtur. Habes enim hos gradus in Dina filia Jacob & Liæ, quam nimirùm ad videndum alienigenas mulieres egressam, Sichem filius Hemor rapuisse, corrupisse, & deinde tristem blanditiis delinisse legitur, ita ut illius animæ anima ejus adhæserit. Dico autem in concupiscentiam, & ut Propheta David meminit, in affectum cordis transisse hominem qui legem sprevit, honestatem abjecit, valefecit pudori: timorem autem Domini penitùs transiliit, soloquè vehitur appetitu, sequitur concupiscentiam solam, sola trahitur voluptate, & est apud eum pro ratione voluntas. Contra hanc igitur *concupiscentiam mali* dimicat *spiritus fortitudinis*: neque enim ulla jam nisi in manu forti liberatio est. Indicat sibi homo jejunia, corpus castiget & subiiciat servituti, ne fortè jam de radice colubri egrediatur regulus, de concupiscentia consuetudo. Quemadmodùm enim misera nimiùm & miserabilis humana fragilitas sine pruritu concupiscentiæ, aut impetu desiderii sola consuetudine ipsa ad illicita trahatur, utinam omnibus liceat ignorare. Nimirùm peccatum faciens, seruus est peccati, servus planè diaboli, ad prava quæque prout ducitur sequens, à quo nimirùm captiuus tenetur ad ipsius voluntatem. Porrò (g) concupiscentia reviviscente sopitur ratio, ligat consuetudo. Trahitur miser in profundum malorum, traditur captivus tyrannidi vitiorum, ut carnalium ita voragine desideriorum absorptus, suæ rationis diviniquè timoris oblitus, dicat insipiens in corde suo: *Non est Deus*. Jam indifferenter libitis pro licitis utitur; jam ab illicitis cogitandis, patrandis, investigandis, animus, manus, vel pedes non prohibentur: sed quidquid in cor, in buccam, ad manum venerit, machinatur, garrit, & operatur, malevolus, vaniloquus, facinorosus. Quemadmodùm denique ascensis his omnibus gradibus, corde jam alacri & absque labore pro bona consuetneine justus currit ad vitam: sic descensis impius eisdem gradibus pro malo usu non ratione se gubernans, non timotis fræno retentans, intrepidus festinat ad mortem,

§. II.

Est autem consuetudo hæc (h) gravis quædam & perniciosa catena, solvenda utique faciliùs quàm rumpenda, ut hîc maximè vulgare illud proverbium videatur usurpari, *industriam violentiâ potiorem*: ut quemadmodùm vis vi repellitur, ita fervore spiritûs fervor extinguatur desideriorum, ut maligni artem arte deludas, & *consuetudini* opponas *spiritum consilii*. Alioquin si fortè violentiam quæras & castigationem corporis speres consuetudini prævalere, timendum omninò est ne sit perniciosus labor, & priùs ipsa substantia deficiat quàm inolita concupiscentia: præsertim quòd altera quædam natura sit ipsa consuetudo. Necessarium itaque est *consilium* vel ab ipso magni consilii Angelo ministratum, vel ab homine aliquo spirituali, qui cogitationes Satanæ spiritualiaquè remedia non ignoret. Subtrahenda nobis occasio est, & opportunitas fugienda peccati. Legimus fratrem quempiam in eremo fornicationis spiritu impugnatum, laudabili prorsùs industria à Patre spirituali curatum. Advocans enim Senior fratrem alterum secretò, jussit ut eundem lacesseret injuriis, & prior ipse quasi acceptâ ab eo injuriâ quereretur. Anxiebatur ille, & confusus vehementer, sic in brevi oblitus est pristinæ tentationis, ut quærenti de ea non sine ad miratione plurima responderet: *Papa! vivere non licet; & fornicari libeat?* Sed fortè nedum venit qui victoria reposita est (i) quem triumphus manet, cui corona debetur, & contemptus ex consuetudine prodit, ut tantò liberiùs quantò desperatiùs peccans, totas jam concupiscentiæ laxet habenas, toto impetu feratur in præceps, sicut scriptum est: *Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit*. Hunc ergo *contemptum* necesse est ut *spiritus intellectûs* impugnet, illuminans tenebras cordis, & lucem divinæ misericordiæ & copiosæ miserationis infundens. Intelligentia nempè divinis & altissimis rebus attribuenda est, quas quidem ratio humana nullatenùs, difficilè autem vel fides ipsa comprehendere possit, ut est illud: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*. Jam si contemptus perstiterit, accedere necesse est & malitiam, ut quam potest consolationem desperatus miser admittat, & cui non est pars in bonis, lætetur vel in malis, lætetur cùm malè fecerit, & exultet in rebus pessimis. Ex his ergo solum hoc remedium est, ut ipse adversùs *malitiam* congrediatur *spiritus sapientiæ*, propriaquè dextera prælietur, quæ succumbere omninò non novit. Quando enim liberetur qui in habitudinem descendit, nisi præveniatur in benedictionibus supernæ dulcedinis, ut clavum clavo expellat, & pestiferam dulcedinem vitiorum jucunditas spiritualis unctionis excludat? Sicut sapientia sapor boni (k) ita malitia sapor mali dicitur. Sicut clavus clavo expellitur, ita & prava consuetudo bonis supervenientibus operibus eliminatur. Nemo sanæ mentis (l) ampliorem esse in vitiis credat quàm in virtutibus delectationem, præsertim cùm sit Deus virtutũ, totius veræ jucunditatis fons, lætitiæ & exultationis origo. Neque enim carni seu mundo aut ma-

e *Lib. 1. de Consilerat. ad Eugen. Papam cap. 7. num. 8.* f *Ser. 14. diuer. num. 2. & 3.* g *Tract. de grad. humil. cap. 21. num. 51.*

h *Ser. 14. diuer. num. 4.* i *Ibidem num. 5. & 6.* k *Ser. de ver. Sap. num. 1.* l *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 20. num. 62.*

maligno principi, ſed Chriſto utique ſervire, regnare eſt. Audi Prophetam David de propria utique experientia perhibentem fidele teſtimonium veritati: *In via*(inquit) *teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis.* Nec tibi illam delectationẽ noſtro ſperaveris eloquio cõmendandã(m) ſolus Spiritus eſt qui revelat: ſine cauſa paginam conſulis, experientiam magis require. Sapientis eſt cujus precium neſcit homo, de occultis trahitur, nec in terra ſuaviter viventium invenitur iſta ſuavitas. Nimirùm ſuavitas Domini eſt: niſi guſtaveris, non videbis. *Guſtate* (inquit Propheta) *& videte quoniam ſuavis eſt Dominus.* Manna abſconditum eſt: nouũ nomen eſt, quod nemo ſcit niſi qui accipit. Non illud eruditio, ſed unctio docet: nec ſcientia, ſed conſcientia comprehendit. Quis in vobis eſt (n) qui ſatiari cupiat, & deſiderium ſuum optet impleri? Incipiat eſurire juſtitiam, & non poterit non ſatiari. Panes illos deſideret qui in domo Patris abundant, & inveniet ſeſe continuò ſiliquas faſtidire porcorum. Guſtum juſtitiæ vel exiguum ſtudeat experiri, ut eo ipſo deſideret amplius, & amplius mereatur, ſicut ſcriptum eſt: *Qui edit me, adhuc eſuriet: & qui bibit me, adhuc ſitiet.* Hoc enim cognatum magis ſpiritui & naturalius deſiderium vehementiùs occupat cor humanum, cæteraquè viriliter deſideria pellit. Sic nimirùm fortem armatum fortior ſuperat: ſic clauus clavo ſolet extundi. Attingit ergo[o] à fine uſque ad finem fortiter ſapientia vitrix, eradicando ſingula vitia, ſingulaſquè inſerendo virtutes. Excutitur ſiquidem *negligentia*, ut *timoris ſpiritus* repleat mentem: abiicitur *curioſitas*, ut ſuccedat *pietas*: *experientia mali* fugatur, opponiturquè *ſcientia*. Sic & *concupiſcientia* prævalet *fortitudo*: & *conſilium conſuetudinem* amputat: & *intellectus* vigens *contemptum* amovet: & diſparente omninò *malitia*, *ſapientia* regnat. Qua quidem triumphante, de cætero miſeram illam animam (quam perniciosè *negligentia* ſoporaverat, pejùs excitaverat *curioſitas*, attraxerat *experientia*, tenuerat *concupiſcentia*, ligaverat *conſuetudo*, in carcerem *contemptus* truſerat, *malitia* jugulaverat) *timor* ſuſcitat, *pietas* blandè demulcet, *ſcientia* quid actum ſit indicans dolorem apponit, quod ſuum eſt *fortitudo* erigit, *conſilium* ſoluit, *intellectus* educit de carcere, *ſapientia* menſam apponit, refocillat eſurientem, & ſalutaribus reperat alimentis.

§. III.

Legimus in libro Jeremiæ Prophetæ [p] quòd captivati à Babyloniis filii Iſrael terminum acceperunt annorum ſeptuaginta: quibus tranſactis redierunt in ſua, cùm inſtauratum eſt templum, & civitas Jeruſalem reædificata. At verò captivitas noſtra, Fratres, quandò finietur, quæ tot annis ab initio utique mundi protenditur? Quandò liberabimur à ſervitute iſta? Quandò reſtaurabitur Jeruſalem civitas ſancta, civitas Regis magni, qui eam ex adipe frumenti ſatiat, & quam fluminis impetus lætificat? Utique completa hac Septuageſima (quod eſt tempus captivitatis noſtræ) quæ ex denario & ſeptenario conſtat, propter decem mandata quæ accepimus: & propter ſeptem impedimenta, quibus à mandatorum obedientia retardamur. *Primum* enim impedimentum noſtrum & occupatio gravis(q) eſt ipſa *neceſſitas hujus miſeri corporis*, quod dum modò ſomnum, modò cibum, modò veſtem, cæteraquè ſimilia quærit, haud dubium quin frequenter impediat nos ab exercitio ſpirituali. *Secundo* loco impediunt nos *vitia cordis*, ut eſt levitas, ſuſpicio, impatientiæ aut invidiæ motus, laudis appetitus, & ſimilia, quæ quotidie experimur in nobis. *Tertium & quartum* impedimentum accipe *proſperitatem*, hujus ſæculi & *adverſitatem*. Sicut enim corpus noſtrũ quod corrumpitur, aggravat animam, ſic deprimit & terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Utrinque ergo cave à laqueo tentationis, & quære arma juſtitiæ à dextris & à ſiniſtris. *Quintum* impedimentum graviſſimum & periculoſiſſimum, *ignorantia noſtra* eſt. In multis enim omninò incertum habemus quid agere debeamus, ita ut quid oremus ſicut oporteat, neſciamus. *Sextum* impedimentum eſt *adverſarius noſter diabolus*, qui tanquã leo rugiens circuit quærens quem devoret. Atque utinam in iſtis ſex tribulationibus liberaremur, ut vel in *ſeptima* non tangeret nos malum, nec apprehenderet nos periculum *in falſis fratribus*. Utinam ſoli impugnarent nos maligni ſpiritus cum ſuggeſtionibus ſuis, & nihil nocerent homines pernicioſis exemplis, perſuaſionibus importunis, ſermonibus adulationis vel detractionis, atque aliis mille modis. Videtis certè quàm neceſſarium ſit, ut adversùs hæc ſeptem pericula quibus impedimur, ſeptiformis Spiritus Sancti auxilio ſublevemur. Rex David (r) cooperto capite lugebat, dicens: *Abſalon fili mi, fili mi Abſalon.* Vocanſquè unum regiæ clientelæ & ſedis in hujuſmodi utilem & probatum *Timorem* ſcilicet, ad requirendũ filium ſuũ dirigit eum, & Obedientiam ſecum mandavit, ut ereptum de carcere tutelæ committeret Obedientiæ. Miſſus Timor venit & ſuſcitat miſerum, ereptumquè de carceralibus clauſtris & vinculis, ſicut ſibi juſſum fuerat, Obedientiæ tradidit: & equum ſuum reſtituit, ſed ferocem & rebellem, & qui vix ultra dominum dignaretur agnoſcere. Quem Obedientia apprehendens, & fræno ferreo cohibens licet renitentem plurimùm & recalcitantem, antiquo domino ſubdidit, docuitquè eum mutare fortitudinem. Suſceptum itaque à timore (s) obedientia deducens militem Chriſti per aliam viam reduxit in regionem ſuam: *primamquè* ei manſionem apud *Pietatem* conſtituit, ut ſcilicet animos ejus, quos Timor exacerbaverat, Pietas patris revocantis refocillaret. *Secundam* manſionem conſtituit ei apud *Scientiam*, ut ſciret unde & quò ſibi eſſet redeundum: ſciretquè uti & pietate & timore; ne Pietas extolleret, Timor frangeret. *Tertiam* ei manſionem conſtituit apud *Fortitudinem*, quæ eum ad peragendum reditus ſui iter confortaret. *Quartam* ei manſionem conſtituit apud *Conſilium*, ut alterius cum conſilio omnia faceret, nec à ducatu obedientiæ in aliquo declinaret. *Quintam* ei conſtituit manſionem apud *Intellectum*, ut non jam conſilio

lio

m Tract. de converſ. ad Cleric. cap. 13. n. 25. n Ibidem cap. 14. num. 27. o Ser. 14. diver. n. 7. p Ser. 1. in Septuag. n. 4.

q Ibidem num. 5. r Parabola 3. de pugna Spirituali num. 3 s Ibidem num. 4.

lio tantùm hominum, sed ipse jam intelligere inciperet, quæ sit voluntas Domini bona, beneplacens & perfecta. Ad *sextam* mansionemm pervenit miles Christi *sapientiæ*, hospitibus suis eum prosequentibus, nec iter ejus deserentibus: ut jam ei sapiant bona Dei, & exinde cum Moyse velut de monte Abarim repromissiones Dei incipiat contemplari. Auster qui ventus est calidus, [t] significat Spiritum Sanctum, sicut habes in Cantico Canticorum: *Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum*. Felix anima, quæ hujus Austri jumentum est: quæ fræno moderationis hujus regitur: quæ in omnibus ejus subditur voluntati. Felix planè anima, cui Spiritus Sanctus præsidet, & omnia opera ejus dirigit, cogitationes ejus disponit, motus ordinat, moresquè componit. De talibus scriptum est: *Vbicunque erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebātur cùm ambularent.* De quibus Proph. Abacuc: ait *Viā fecisti in mari equis tuis.* Hujus Austri jumentū Paulus erat, qui dicebat: *Non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est: ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Et videte, quomodo jumentum Austri ubique regitur fræno præsidentis. Prohibetur à Spiritu, ne in Asia prædicet: monetur à Spiritu, ut Macedoniam visitet: incitatur à Spiritu, ut Atheniensibus evangelizet: alligatus Spiritu, Jerosolymam properat. Vides, quomodo insidens ei Spiritus Sanctus quasi jumento suo, nunc stringit habenas, ne eat quò vult: nunc urget calcaribus, ut eat quò Spiritus vult. De Spiritu Sancto testatur Scriptura, [u] quia procedit, spirat, inhabitat, replet, glorificat. Procedere dicitur duobus modis: unde, & quò. Unde? A Patre & Filio. Quò? Ad creaturam. Procedendo prædestinat; aspirando vocat quos prædestinavit: inhabitando justificat quos vocavit: replendo accumulat meritis, quos justificavit: glorificando ditat præmiis, quos accumulavit meritis. Spiritus Paracletus [x] dicitur advocatus vel consolator. Iste est advocatus Fidelium, iste est defensor & protector in se sperantium: sine quo nihil est validum, nihil sanctum. Iste suos protegit, iste defendit: iste pro illis pugnat, quos in æternum glorificat. Iste denique est consolator mærentium, pater orphanorum, maritus viduarum. Quorumnam est mærentium consolator, inquis? Mærentium de perpetratione delicti, de pœna futura commissi. Mærentium, quia & seipsos peccando perdiderunt, & Regem gloriæ Christum ad iracundiam provocaverunt. Mærentium, quòd illum spreverunt in delicto, qui pro illis fuit mortuus in ligno. Mærentium, quia spem vitæ suæ Christum auctorem salutis videre non possunt. Hos autem omnes consolatur Spiritus Jesu. Consolatur eos in hac vita præsenti in spe, & consolabitur in vita beatæ felicitatis in re. Iste quoque *Spiritus veritatis* dicitur, qui Patri & Filio est consubstantialis & coæternus, Spiritus veritatis, Spiritus bonitatis. Omnia quæ docet, bona sunt, nullo errore falsitatis obducta. Hunc Spiritum veritatis viri impii & mendaces accipere non possunt. Omnes enim qui habent manus pollutas non dico carnis sed mentis, non stercore cœni sed fætore delicti, eum tam mundum & tam splendidum, tam gloriosum Spiritum non valent capere, non possunt tenere, nequeunt possidere. Hunc mundus non capit, hoc est mundanus mundi cultor, mundi amator. Amatorem mundi odit Spiritus Christi: ab illo fugit, quem aliud nisi seipsum amare cognoscit. Et ideo forsan de his [y] qui cognoscentes Deum non tanquam Deum glorificaverunt, non legitur quòd Spiritu Sancto revelante cognoscerent: quia cùm cognoscerent, non amaverunt. Sic quippè habes: *Deus enim illis revelavit.* Nec enim adiunctum est per Spiritum suum, ne sibi Sponsæ Ecclesiæ osculum mentes impiæ usurparent, quæ contentæ eâ scientiâ quæ inflat, eam quæ ædificat nescierunt. Denique ipse A post. dicat per quid cognoverunt. *Invisibilia Dei*, inquit, *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Unde & constat quia non perfectè cognoverunt, quem minimè dilexerunt. Si enim Deum integrè cognovissent, bonitatē ejus, qua pro eorum redemptione in carne nasci & mori voluit, non ignorâssent. Quod à nobis avertat (z) Sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT VII.

De recto usu donorum Spiritus Sancti.

Unicuique datur manifestatio Spiritûs ad utilitatem. *Corinth.* 12.

1. *Ostenditur, Spiritum Sanctum à Patre & Filio procedentem operari in nobis duo, unum propter nostram utilitatem, alterum propter proximorum ædificationem. Monemur cavendum esse duplex periculum, humilitatis videlicet & charitatis.* 2. *Docemur, ut caveamus aut dare quod nobis accepimus, aut retinere quod erogandum accepimus: & ut studeamus priùs infundi donis Spiritus Sācti, quàm effundere.* 3. *Traditur nobis modus orandi, ut mereamur repleri charismatibus Spiritus Sancti. Exponuntur verba Sponsæ dicentis: Introduxit me Rex in cellam vinariam. Ostenditur, nulla alia re posse nos repleri, quàm charitate qua est Deus Spiritus Sanctus.*

§. I.

Hodie Spiritus Sanctus revelat nobis aliquid de seipso (a) sicut ante de Patre & Filio aliquid noveramus. Nam perfecta Trinitatis cognitio vita æterna est. Nunc autem ex parte cognoscimus, reliqua credimus quæ minimè sufficimus comprehendere. Et de *Patre* quidem novi creationem, clamantibus creaturis: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Invisibilia enim Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, At verò æternitatem & immutabilitatem ipsius comprehendere multum est à me: lucem namque habitat inaccessibilem. De *Filio* autem magnum aliquid novi (ejus gratiâ) scilicet Incarnationem. Nam generationem ejus quis enarrabit? Quis cōprehendat æqualem Genitū Genitori

t *Ser. de Adven. Dom. n. 15. tom. 6. pag. 606.* u *Ser. 2. inter. diuer ser. par vos. tom. 2. par. 2. pag. 519.* x *Ser. 8. in ult. Cæna. n. 52. & 53.*

y *Ser. 8. in Cant. n. 4.* z *Ser. 35. in Cant. n. 9.* a *Ser. 1. in die Pentecost. num. 1.*

tori? Jam & de *Spiritu Sancto* si non processionem qua ex Patre Filioquè procedit (illa enim mirabilis facta est scientia ex me, confortata est, & non potero ad eam) novi tamen aliquid, videlicet inspirationem. Duo enim sunt, unde procedat, & quò. Processio à Patre & Filio, posuit tenebras latibulum suum: sed processio ad homines hodie cœpit innotescere, & est jam Fidelibus manifesta. Et sicut de Christo duo sunt (b) *unum* nobis incognitum, scilicet generatio Divina, de qua scriptum est: *Generationem ejus quis enarrabit?* *alterum* cognitum, scilicet generatio vel opera humana. Ita etiam de Spiritu Sancto *aliud* ejus nostris est mentibus occultum, scilicet quomodò procedat à Patre & Filio, cùm sit æqualis & coæternus eidem Patri & Filio: *aliud* verò ipso docente manifestum, videlicet quibus modis operetur gratiam suam in nobis. Ideo sponsa ait: (c) *Oleum effusum nomen tuum*. Quid certum demonstrat Spiritus Sanctus nobis in nobis occasione hujus capituli? Profectò geminæ cujusdam suæ operationis experimentum. *Unius* quidem, qua nos primò intùs virtutibus solidat ad salutem; *alterius* verò, qua nos foris quoque muneribus ornat ad lucrum: illas nobis, hæc proximis accipimus. Verbi gratiâ Fides, Spes, Charitas, nobis propter nos dantur: absque his quippè salvi esse non possumus. Porrò scientiæ seu sapientiæ sermo, gratia curationis, prophetia, similiaquè (quibus carere cũ integritate etiam salutis propriæ possumus) proximorum proculdubio in salutẽ expendenda donantur. Et has Spiritus Sancti operationes, quas vel in nobis vel in aliis experimur (ut ex re nomina incipiant) *Infusionem* atque *Effusionem* nominemus. Cuinam ergo harum convenit *oleum effusum nòmen tuum*? Nonne effusioni? Nam de infusione infusum potiùs quàm effusum dixisset. Denique de uberum foris spirante fragrantia, & non de internis sponsæ virtutibus prolatum est: *Oleum effusum nomen tuum*. Denique ob bonum odorem vberum extrinsecùs persusorum ait sponsa: *Oleum effusum nomen tuum*: adscribens ipsum odorem Nomini Sponsi tanquam oleo effuso super ubera. Et quicunque munere gratiæ exterioris perfusum se sentit, quo & ipse aliis refundere possit, etiam huic dicere est: *Oleum effusum nomen tuum*. Duplex itaque (d) est operatio Sancti Spiritus. Operatur enim in nobis aliud propter nos, aliud propter proximos. Propter nos, id est propter utilitatem nostram, *primò* operatur in nobis *compunctionem*, consumendo peccata. *Secundò operatur in nobis devotionem*, ungendo & sanando vulnera. *Tertiò* creando *intellectum*, tanquam pane confirmat nos & roborat. *Quartò* hæc ipsa multipliciùs augendo, & *amorem* infundendo, quasi vino inebriat. Cætera charismata, id est, sapientia, consilia, & hujusmodi similia, dantur nobis ad utilitatem proximorum. Unde Apostolus cùm de distributione donorum Spiritus Sancti loqueretur, non ait simpliciter: *Alii datur* sapientia, alii scientia, sed addidit dicens, *sermo scientiæ*, *sermo, sapientiæ*: ut ostenderet quòd hujusmodi dona propter alios dantur, scilicet ut alii ædificentur. In quibus operibus cavendum est duplex periculum (e) ne vel illa quæ dantur propter nos, dividamus proximis: vel illa quæ dantur propter proximos, reservemus nobis. Si enim quæ pro utilitate aliorum accepimus, retinemus tantùm nobis, *charitatem* non habemus, & dicitur nobis: *Sapientia abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque*? Rursùs si de donis Dei velimus innotescere hominibus, non Deo in occultis cordis placere, *humilitatem* perdimus, & meritò illa voce increpamur: *Quid habes quod non accepisti*? Sic utroque modo periclitamur, hinc humilitatem, illinc amittendo charitatem. Et quis sine humilitate & charitate potest salvus fieri? Væ illis (f) qui benè de Deo & sentire & eloqui acceperunt, si quæstum æstimant pietatem, si convertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperunt erogandum: si alta sapientes, humilibus non consentiunt. Paveant quod in Propheta Osea legitur, dicente Domino: *Dedi eis aurum meum & argentum meum, ipsi autem de argento & auro meo operati sunt Baal*. Rectus autem profectus nostri ordo est [g] ut illis donis scilicet compunctione & cæteris studeamus impleri primùm: deinde si per gratiam Spiritus Sancti cætera supercreverint, id est, sapientia & scientia, curemus illa proximis partiri. Ita sanè obtinebimus illud Spiritus Sancti donum, quod vocatur *discretio spirituum*, si & ea quæ nobis tantùm congruunt, nobis reservemus; & ea quæ ad aliorum utilitatem conferuntur, nobis largiamur & proximis.

§. II.

Porrò cavendum est in his [h] aut dare quod nobis accepimus, aut quod erogandum accepimus, retinere. Rem profectò proximi retines tibi, si verbi causâ plenus virtutibus cùm sis, forisquè nihilominùs donis scientiæ & eloquentiæ adornatus, metu fortè aut segnitie aut minùs discreta humilitate verbum bonum, quod posset prodesse multis, inutili imò & damnabili ligas silentio: certè maledictus quòd frumenta abscondis in populis. Rursùm quod tuum est spargis & perdis, si priusquàm infundaris tu totus, semiplenus festines effundere, contra legem arans in primogenito bovis, & ovis primogenitũ tondens. Nimirùm vitâ atq; salute quã alteri das, te fraudas, dum sana vacuus intentione, gloriæ inanis vẽto inflaris, aut terrenæ cupiditatis veneno inficeris, & lethali apostemate turgens interis. Quamobrem si sapis (i) concham te exhibebis, & non canalem. Hic siquidem penè simul & recipit & refundit: illa verò donec impleatur expectat, & sic quod superabundat sine suo damno communicat, sciens maledictum esse qui partem suam facit deteriorem. Et ne meum consilium contemptibile ducas, audi sapientiorem me: *Stultus* (ait Salamon) *profert totum spiritum suum simul, sapiens reservat in posterum*. Verùm canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas verò perpaucas. Tantæ charitatis sunt per quos nobis fluenta cælestia emanant, ut ante effundere quàm infundi velint, loqui quàm audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt, & aliis præesse gestientes, qui seipsos regere nesciunt. Ego nullum ad salutem pietatis gradum illi gradui anteponendum existimo, quem Sapiens posuit

b *Ser. 88. diuer. num.* 1. c *Ser. 18. in Cant. num.* 1. d *Ser. 88. diuer. num.* 1. e *Ibidem num.* 2. f *Ser. 41. in Cant. num.* 6. g *Ser. 88. diuer. num.* 2. h *Ser. 18. in Cant. num.* 2. i *Ibidem num.* 3.

fuit dicens: *Miſerere animæ tuæ placens Deo*. Quod ſi non habeo niſi parumper olei quo ungar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? Servo illud mihi, & omninò niſi ad Prophetæ juſſionem non profero. Si inſtiterint rogitantes aliqui ex his qui fortè exiſtimant de me ſupra id quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, reſpondebitur eis: *Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis*. Sed *charitas*, inquis, *non quærit quæ ſua ſunt*. Et tu ſcis quamobrem? Non quærit quæ ſua ſunt, profectò quia non deſunt. Quiſnam quærat quod habet? Charitas quæ ſua ſunt, id eſt, propriæ ſaluti neceſſaria nunquam non habet. Necmodò habet, ſed etiam abundat. Vult abundare ſibi, ut proſit & omnibus: ſervat ſibi quantùm ſufficiat, ut nulli deficiat. Alioquin ſi plena non eſt, perfecta non eſt. Cæterùm tu frater (k) cui firma ſatis propria ſalus nondum eſt, cui charitas adhuc aut nulla eſt, aut adeo tenera atque arundinea, quatenùs omni flatui cedat, omni credat ſpiritui, omni circumferatur vento doctrinæ; imò cui charitas tanta eſt, ut ultrà mandatum quidem diligas proximum tuum pluſquam teipſum; & rursùm tantilla ut contra mandatum favore liqueſcat, pavore deficiat, perturbetur triſtitiâ, avaritiâ contrahatur, protrahatur ambitione, ſuſpicionibus inquietetur, conviciis exagitetur, curis eviſceretur, honoribus tumeat, livore tabeſcat: tu inquam ita in propriis teipſum ſentiens, quanam dementiâ, quæſo, aliena curare aut ambis aut acquieſcis? Sed enim audi quid conſulat cauta vigilque charitas: *Non quod aliis* (inquit Apoſtolus) *ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate*. Noli nimiùm eſſe juſtus. Sufficit, ut diligas proximum tuum tanquam teipſum, hoc quippè eſt ex æqualitate. Dicit enim David: *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum*: infundi nimirùm priùs volens, & ſic effundere. Nec ſolùm infundi priùs, ſed & impleri, quatenùs de plenitudine eructaret, non oſcitaret de inanitate. Cautè quidem: ne quod aliis remiſſio, ſibi eſſet tribulatio. Eſt nihilominùs caſtè imitans illum de cujus plenitudine omnes accepimus. Diſce & tu non niſi de pleno effundere [l] nec Deo largior eſſe velis. Concha imitetur fontem. Non manat illa in riuum, nec in lacum extenditur, donec ſuis ſatietùr aquis. Non pudeat concham non eſſe ſuo fonte profuſiorem. Denique ipſe fons vitæ (*Filius Dei*) plenus in ſeipſo, & plenus ſeipſo, nonne primùm quidem ebulliens & ſaliens in proxima ſecreta cælorum, omnia implevit bonitate; & tunc demùm impletis ſecretioribus ſuperioribuſquè partibus, erupit ad terras, ac de ſuperfluo homines & jumenta ſalvavit, quemadmodùm multiplicavit miſericordiam ſuam Deus? Priùs interna replevit, & ſic exundans in multis miſerationibus ſuis viſitavit terram, & inebriavit eam, multiplicavit locupletare eam. Et tu fac ſimiliter. Implere priùs, & ſic curato effundere. Benigna prudenſquè charitas affluere conſuevit, non effluere. *Fili mi, ne perfluas*, ait Salamon. Et Apoſtolus: *Propterea*, inquit, *debemus intendere his quæ dicuntur, ne fortè pereffluamus*. Quid enim? Tune es Paulo ſanctior, ſapientior Salamone? Alioquin nec mihi ſedet (*placet*) ditari ex te exinanito. Si enim tu tibi nequam, cui bonus eris? De cumulo ſi vales adjuva me: ſin autem, parcito tibi. Audi denique quid redarguam [m] quid ſuadeam. Si quod vivis & ſapis, totum das actioni, conſiderationi nihil; laudo te, in hoc non laudo. Puto quòd & nemo, qui à Salomone audierit: *Qui minoratur actu, percipiet ſapientiam*. Certè ne ipſi actioni expedit conſideratione non præveniri. Si item totus vis eſſe omnium, inſtar illius qui omnibus omnia factus eſt; laudo humanitatem, ſed ſi plena ſit: quomodò autem plena, te excluſo? Et tu homo es. Ergo ut integra ſit & plena humanitas, colligat & te intra ſe ſinus qui omnes recipit. Alioquin quid tibi prodeſt juxta verbum Domini ſi univerſos lucreris, te unum perdens? Quamobrem cùm omnes te habeant, eſto etiam tu ex habentibus unus. Quid ſolus fraudaris munere tui? Uſquequò vadens ſpiritus & non radiens? Uſquequo non recipis te & ipſe inter alios vice tua? Sapientibus & inſipientibus debitor es, & ſoli negas te tibi? Omnes de fonte publico bibunt pectore tuo, & tu ſeorsùm ſitiens ſtabis? Si maledictus qui partem ſuam facit deteriorem: quid ille qui ſe penitùs reddit expertem? Sanè deriventur aquæ tuæ in plateas: homines & jumenta & pecora bibant ex eis, quin & camelis pueri Abrahæ potum tribuas; ſed inter cæteros, bibe & tu de fonte putei tui. *Alienus* (inquit Scriptura) *non bibat ex eo*. Numquid tu alienus? Cui non alienus, ſi tibi es? Denique *qui ſibi nequam eſt, cui bonus?* Memento proinde non dico ſemper, non dico ſæpè, ſed vel interdùm reddere teipſum tibi. Vtere tu quoque te inter multos, aut certè poſt multos. Quid indulgentius? Hoc enim dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm judicium. Puto etiam ipſo Apoſtolo indulgentiorem me in hac parte. Ergo pluſquàm oportet, inquis? Non inficior. Quid ſi ita oportet? Nam tu (ut confido) noſtra non eris meticuloſa informatione contentus, ſed abundabis magis. Sanè ſic decet, te ſcilicet abundatiorem, quàm me audaciorem eſſe.

§. III.

Legimus in Actibus Apoſtolorum [n] & Stephanum plenum gratiâ, & Apoſtolos fuiſſe repletos Spiritu Sancto. An non tibi cella videtur fuiſſe vinaria illa domus [o] in qua erant Diſcipuli pariter congregati, cùm *factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes*: adimplevitquè prophetiam Joëlis? Et nonne unuſquiſque illorum exiens inebriatus ab ubertate domus illius, & torrente voluptatis tantæ potatus, dicere meritò quibat: Quoniam *introduxit me Rex in cellam vinariam*. Sed & tu quoque [p] ſi collecto tuo ſpiritu, mente ſobria & vacua curis, orationis domum introeas, & ſtans coram Deo ad unum aliquod de Altaribus cæli januam tangas ſancti deſiderii manu, & præſentatus choris Sanctorum tua penetrante devotione (ſiquidem oratio juſti penetrat cælos) in ipſorum præſentia miſerandus deplores miſerias & calamitates quas pateris, cre-

k *Ibidem n.4.* l *Ibidem n.5.*

m *Lib.1. de conſid. ad Eug.P.ap. III. cap.5.* n *Ser.3 ſuper miſſus n.2.* o *Ser.49. in Cant. n.3.* p *Ibidem n.4.*

crebris suspiriis & gemitibus inenarrabilibus prodas necessitatem, flagites pietatem. Si inquam hoc egeris, confido in eo qui dixit: *Petite, & accipietis*: quia si perseveraveris pulsans, non exibis vacuus. Verùm cùm te nobis reddideris plenum gratiâ & charitate, non poteris spiritu fervens dissimulare munus acceptum, quod sine invidia communicabis, erisquè omnibus in gratia quæ data est tibi, nonmodò gratus, sed fortassis etiam admirandus: poteris & ipse veraciter protestari, *Quia introduxit me Rex in cellam vinariam*: tantùm cautus esto, non in te sed in Domino gloriari. Nec omne donum quamvis spirituale prodire dixerim de cella vinaria, cùm sint & aliæ penes Sponsum cellæ vel apothecæ, diversa in se recondita habentes dona atque charismata secundùm divitias gloriæ ejus. *Nonne hæc condita sunt* (inquit) *apud me, & signata in thesauris meis?* Ergo pro diversitate cellarum, divisiones gratiarum sunt, & unicuique manifestatur Spiritus ad utilitatem. Et quanquam alii quidem detur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, alii verò prophetia, alii gratia curationum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum, aliaquè aliis his similia: non tamen quis horum pro hujusmodi dicere poterit, quòd introductus fuerit in cellam vinariam. Ex aliis quippè cellis sive thesauris ista sumuntur. Sed si quis orando (p) obtineat mente excedere in id Divini arcani unde mox redeat divino amore vehementissimè flagrans, & æstuans justitiæ zelo, necnon & in cunctis spiritualibus studiis atq; officiis pernimiùm fervens, ita ut possit dicere: *Concalvit cor meum intra me, & in meditationibus meis exardescit ignis*: is planè cùm ex charitatis abundantia beatam & salutarem vini lætitiam ructare crapulam cæperit, in cellam non immeritò perhibebitur vinariam introisse. Cùm enim duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu unus, & alter in affectu: unus in lumine, alter in fervore: vnus in agnitione, alter in devotione: pius sanè affectus, & pectus amore calens, & sanctæ devotionis infusio, etiam & vehementis spiritus repletus zelo, non planè aliundè quàm è cella vinaria reportantur: & cuicunque cum horum copia surgere ab oratione donatur, potest in veritate loqui, *quia introduxit me Rex in cellam vinariam*. Dormiens in contemplatione Deum somniat (q) per speculum quidem & in ænigmate, non autem facie ad faciem interim intuetur. Tamen sic non tam spectati quàm conjectati, idquè raptim & quasi sub quodam coruscamine scintillulæ transeuntis, tenuiter vix attacti inardescit amore, & ait: *Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritus meus in præcordiis meis*. Talis amor zelat: hic decet amicum Sponsi: hoc necessè est ardeat fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Hic replet, hic fervet, hic ebullit, hic jam securus effundit, exundans & erumpens, ac dicens: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* Prædicet, fructificet, innovet signa, immutet mirabilia: non est quò se immisceat vanitas, ubi totum occupat charitas. Siquidem plenitudo legis & cordis est charitas, si tamen plena. Deus denique charitas est, & nihil est in rebus quod possit replere creaturam factam ad imaginem Dei, nisi charitas Deus, qui solus major est illâ. Nemo itaque se amari diffidat (r) qui jam amat. Libenter Dei amor nostrum, quem prævenit, subsequitur. Nam quomodò redamare pigebit, quos amavit & necdum amantes? Amavit, inquam, amavit. Habes enim dilectionis pignus Spiritum Sanctum, habes & testem fidelem Jesum, & hunc Crucifixum. O geminum ipsumquè firmissimum Dei erga nos amoris argumentũ! Christus moritur, & meretur amari: Spiritus afficit, & facit amari. Ille facit cur ametur, iste ut ametur. Ille suam multam dilectionem in nobis commendat, iste & dat. In illo cernimus quod amemus, ab isto sumimus unde amemus. Charitatis igitur ab illo occasio, ex isto affectio. Quanta est confusio, Dei Filium ingratis oculis cernere morientem! Quod quidem facilè contingit, si desit Spiritus. Nunc autem quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; amati amamus, amantes ampliùs meremur amari. Cùm ergo (s) geminum teneamus nostræ salutis indicium, geminam Sanguinis & Spiritus effusionem; neutra sine altera prodest. Nam nec Spiritus datur nisi credentibus in Crucifixum: nec fides valet, si non operatur ex dilectione. Dilectio autem donum Spiritûs est. Hanc dilectionem fides concipit (t) spes parturit, charitas format & vivificat. Amor enim Dei vel amor Deus Spiritus Sanctus, amori hominis se infundens, afficit eum sibi. Et amans semetipsum de homine Deus, secum unum efficit & spiritum ejus, & amorem ejus. Sicut enim non habet corpus unde vivat, nisi de spiritu suo: sic affectus hominis (qui amor dicitur) non vivit, hoc est non amat Deum, nisi de Spiritu Sancto. SpiritusSanctus (u) specialiter charitatis nomine designatur: quoniam *Deus charitas est*. Ipse est amor Patris & Filii, & suavitas & unitas, & osculũ & amplexus: & quidquid amborum cõmune esse potest. Quia verò per gratiã Spiritus Sancti anima hominis Deo mirabiliter unitur, ideo sciendum est quòd idem Spiritus nulla unione donator est & donum. Spiritus enim est qui vivificat spiritum hominis, & ipsum instruit & informat Deum diligere, quærere & invenire, tenere & frui. Ipse est sollicitudo quærentibus Dominum in humilitate, pietas adhortantis in spiritu & veritate. Ipse est sapientia invenientis, amor habentis, gaudium perfruentis. Ipse est denique (x) qui conformans sibi & uniens spiritum nostrum, spirat in nobis quando vult, quomodo vult, quantùm vult: cujus sumus factura, creati in operibus bonis, existens sanctificatio nostra, justificatio nostra, amor noster. Ipse enim est amor noster, quo ad Deum pertingimus, quo Deum amplectimur. Per memoriam Patri similes sumus (y) per intelligentiam Filio, per voluntatem Spiritui Sancto. Nihil in nobis tam simile Spiritui Sancto est, quàm voluntas vel amor sive dilectio, quæ excellentior voluntas est. Dilectio namque donum Dei est, ita ut nullum hoc dono Dei sit excellentius. Dilectio autem quæ ex Deo est, propriè Spiritus Sanctus dicitur, per quem cha-

p *Ibidem num.* 4. q *Ser.* 28. *in Cant. num.* 7.

r *Epist.* 107. *num.* 8. & 9. s *Ibidem num.* 9. t *Tract. de vit. solitar. cap.* 14. *num.* 42. u *lib.* 3. *de amore Dei cap.* 10. *num.* 41. x *Lib.* 1. *de amor. Dei cap.* 8. *num.* 16. y *Tract. de cognit. human. condit. cap.* 1. *num.* 3.

charitas Dei diffusa est in cordibus nostris: per quem etiam tota Trinitas in nobis habitat. Te igitur Deus Pater (z) quo Creatore vivimus; te Fili Sapientia Patris, per quam reformati sapienter vivimus; te Sancte Spiritus, quem & in quo diligentes beatè vivimus, & beatissimè vivemus: unius substantiæ Trinitatem, unum Deum à quo sumus, per quem sumus, in quo sumus, à quo peccando discedimus, cui dissimiles facti sumus, quo perire non permissi sumus, principium ad quod recurrimus, forma quam sequimur, gratia quâ reconciliamur, adoramus, & benedicimus: Sit tibi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VIII.

De accessu & recessu Spiritus Sancti observando.

Spiritus ubi vult spirat: & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat. *Joan.* 3.

1. *Docemur observandum esse accessum & recessum Spiritus Sancti. Ostenditur, quanta sit solertia animæ devotæ in observando adventu Spiritus Sancti: & quo facto opus sit, ut ab illo visitari mereamur.* 2. *Docemur septem esse indicia, quibus deprehenditur adventus Spiritus Sancti ad nos. Hæc autem septem sunt quæ sequuntur: admonitio externa vel interna, correptio, exhortatio, compunctio, conversio, illuminatio mentis, insinuatio divinæ voluntatis.* 3. *ostenditur quàm sit molesta animæ devotæ absentia Spiritus Sancti, & quàm sint occultæ viæ adventus eius. Docemur quænam sint indicia præsentiæ aut absentiæ Spiritus Sancti.*

§. I.

Putamus ne satis processum est in sanctuario Dei (a) dum scrutamur mirabile sacramentum, an ad perscrutandum adhuc si quid restat audemus Spiritum ad interiora sequi? Spiritus nempè iste scrutatur non solùm hominum corda & renes, sed etiam profunda Dei: & sive ad nostra, sive ad alia, securus sequor eum quocunque ierit. Tantùm ut custodiat corda nostra, & intelligentias nostras, ne fortè cùm non aderit, adesse putemus, nostrumquè pro ipso sequamur sensum deviantes. Venit namque & vadit prout vult, & nemo facilè scit *unde veniat, aut quò vadat*. At istud sine damno fortassè salutis nescire licet. Cæterùm quando veniat, vel quando vadat, id planè periculosissimè ignoratur. Cùm enim hæ Spiritus Sancti circa nos dispensatoriæ quidem vicissitudines vigilantissimè non observantur, fit ut nec absentem desideres, nec præsentem glorifices. Nempè qui idcirco recedit ut avidiùs requiratur, quonammodò si abesse nescitur, requiritur? Et rursùm qui dignanter ad hoc redit ut consoletur, qualiter dignè pro sua majestate suscipitur, si nec adesse sentitur? Mens ergo quæ ignorat abscessum, patet seductioni: & quæ reditum non abservat, erit ingrata visitationi. Petiit quondam aliquid Elisæus à magistro Elia (b) cùm discessum ejus imminere præsensit, nec obtinuit, sicut scitis, nisi ea quidem conditione, si videret quando tolleretur à se. In figura contigit hoc illis, scriptum est autem propter nos. Vigiles esse & soliciti circa opus nostræ salutis (quod mira subtilitate ac suavitate divinæ suæ artis incessanter actitat Spiritus in intimo nostri cordis) prophetico docemur & monemur exemplo. Nunquam sanè sine nostra conscientia magistra unctio, quæ docet de omnibus, tollatur à nobis, si duplicato volumus munere non fraudari. Nunquam cùm venerit inveniat imparatos, sed semper vultus suspensos expansosquè habentes sinus ad largam Domini benedictionem. Tales denique quærit, similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur à nuptiis: qui utique ab illis supernæ mensæ copiosis deliciis vacuâ nunquam revertitur manu. Videte itaque processus gratiæ (c) & dignationis divinę animadvertite gradus. Attendite sponsæ devotionem atque solertiam, quàm vigili utique oculo Sponsi observat adventum, & deinceps ipsius omnia intuetur. Venit ille, accelerat, appropiat, adest, respicit, alloquitur; & nihil horum momentorum sponsæ industriam effugit, anticipatuè notitiam. *Venit* in Angelis, *accelerat* in Patriarchis, *appropiat* in Prophetis, *adest* in Carne, *respicit* in Miraculis, *alloquitur* in Apostolis. Sic ergo est adventus Sponsi. Benedictiones & divitiæ salutis cum eo, & universa quæ de ipso sunt, affluunt deliciis, redundantia certè jucundis ac salutaribus sacramentis. Porrò quæ amat, vigilat & observat, & beata quam Dominus invenerit vigilantem. Non transibit illam, nec præteribit ab ea, sed stabit & loquetur ei, loqueturquè amatoria, siquidem ut dilectus. Sic quippè habes: *En dilectus meus loquitur mihi*. Benè dilectus, qui venit amatoria locuturus, non autem increpatoria. Neque enim de illis est (d) qui à Domino meritò arguuntur, quòd faciem cæli dijudicare nossent, tempus verò adventûs ejus minimè cognovissent. Hæc namque tam solers & prudens ac benè vigilans, & venientem à longè prospexit, & salientem pro festinatione advertit: & transilientem superbos ut humili sibi per humilitatem propinquaret, vigilantissimè observavit: & demùm cùm jam staret & occultaret se post parietem, nihilominùs præsentem agnovit, sed & respicientem per fenestras cancellosquè persensit: & nunc pro remuneratione tantæ devotionis & religiosæ solicitudinis loquentem audit. Sanè enim si respexisset, & minimè locutus fuisset, suspectus poterat esse ille respectus, ne fortè magis indignationis foret, quàm dilectionis. Respexit Petrum, & non fecit ei verbum: & ideo fortassis flevit ille, quòd respiciens se, tacuerit. Sponsa autem quoniam post aspectum meruit & affatum, nonmodò non flet, sed & gloriatur præ lætitia clamans: *En dilectus meus loquitur mihi*. Vides intuitum Domini cùm in se semper maneat idem, non tamen ejusdem semper efficaciæ esse, sed conformari meritis singulorum quos respicit, & aliis quidem incutere metum, aliis verò magis consolationem & securitatem afferre? Denique respicit terram, & facit eam tremere. Respexit similiter hoc loco sponsam, & nec tremuit illa, nec flevit instar Petri, quia non sapiebat terram, sicut ille.

z *Lib. 1 de amore Dei cap. 10. nu. 21.* a *Ser. 17. in Cant. num. 1.* b *Ibidem num. 2.* c *Ser. 57. in Cant. num. 1.* d *Ibidem num. 2.*

ille. Dedit verò lætitiam in corde ejus, affatu testificans, quo eam respexerit affectu. Denique verba quæ loquitur (e) audi quàm non indignantis sint, sed amantis. Sequitur: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni*. Felix conscientia, quæ de se ista meretur audire. Quis putas in nobis est adeo vigilans & observans tempus visitationis suæ, Sponsumquè adventantem ita per singula ejus momenta diligenter explorans, ut cùm venerit & pulsaverit, confestim aperiat ei? Non enim sic ista de Ecclesia referuntur, ut non singuli nos, qui simul Ecclesia sumus, participare his ejus benedictionibus debeamus. Etenim in hoc generaliter omnes atque indifferenter vocati sumus, ut benedictionem hæreditate possideamus. Unde & audebat dicere ad Dominum Propheta David: *Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt*. Illa puto hæreditate, qua se esse præsumebat filium Patris sui qui est in cælis. Porrò si filium, & hæredem: hæredem Dei, cohæredem autem Christi. Magnam verò rem gloriatur se acquisivisse hæreditate ista, testimonia Domini. Utinam ego de me vel unum meruerim tenere testimonium Domini: quia is non in uno, sed in multis exultat testimoniis. Denique ait iterùm: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis*. Et revera quid divitiæ salutis, quid deliciæ cordis, quid animæ vera & cauta securitas, nisi Domini attestationes? *Non enim* (inquit Apostolus) *qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat*. Ut quid nos (f) hactenùs adhuc fraudamur commendationibus seu attestationibus his divinis, & paterna hæreditate privamur? Quasi minimè & nos voluntariè genuerit verbo veritatis, sic in nullo nos meminimus ab illo taliter commendatos, nec ulla de nobis assecutos testimonia ejus. Ubi est quod Apostolus dicit: *Quia ipse Spiritus Dei testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus*? Quomodò filii, si expertes hæreditatis? Arguit nos pro certo negligentiæ & incuriæ ipsa inopia nostra. Nam si quis nostrûm integrè & perfectè juxta verbum Sapientis, cor suum tradat ad vigilandum diluculò ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecetur, simulquè votis omnibus studeat secundùm Esaiam Prophetam parare vias Domini, rectas facere semitas Dei sui: & cui cum Propheta David sit dicere: *Oculi mei semper ad Dominum, & quia providebam Dominum in conspectu meo semper*: nonne hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo? Visitabitur profectò frequenter, nec unquam ignorabit tempus visitationis suæ, quantumlibet is qui in Spiritu visitat, clandestinus veniat & furtiuus, utpotè verecundus amator. Adhuc ergo longè agentem benè vigilans anima sobria mente prospiciet, & deinceps universa comperiet quæ in Dilecti adventu sponsam tam solerter quàm signanter advertisse monstravimus: quia ipse ait: *Qui manè vigilaverint ad me, invenient me*. Nam & desiderium festinantis agnoscet: & quando propè, & quando præstò jam erit, continuò sentiet: sed & respicientis se oculum quasi Solis radium per fenestras & rimas parietis subeuntem beato oculo cernet: & demùm audiet voces exultationis & amoris appellata amica, columba formosa,

§. II.

Quis sapiens & intelliget hæc (g) ita ut ea etiam dignè abinvicem distinguere & designare singula queat, ac diffinire ad intelligentiam aliorum? Si à me illud speratur, ego ea mallem ab experto audire, & qui assuetus sit & exercitatus in talibus. At quoniam quisque qui hujusmodi est, verecundè magis silentio abscondere elegit quod silentio percipit, & servare secretum suum sibi, id sibi tutiùs arbitratur: dico ego cui ex officio loqui est, nec tacere licet, quidquid illud est quod de hujusmodi vel proprio vel alieno teneo experimento: & quod facilè experiri plures queunt, sanè altiora relinquens apprehendere illa valentibus. Si igitur admonitus fuero, vel foris ab homine, vel intus à Spiritu de tuenda justitia & servanda æquitate: istiusmodi salutaris suasio erit mihi profectò prænūcia *imminentis adventus* Sponsi & præparatio quædam ad dignè suscipiendum Visitatorem supernum, Propheta hæc mihi indicante, dicendo: *Justitia ante eum ambulabit*. Et item loquitur Deo sic: *Justitia & judicium*, inquit, *præparatio sedis tuæ*. Nihilominùs verò spes eadem arridebit, si sermo insonuerit de humilitate vel patientia, seu etiā de fraterna charitate, & de obedientia deferenda Prælatis: maximè autem de sectanda sanctimonia, & pace, & cordis puritate quærenda, quoniam quidem sacra Scriptura ait: *Domum Domini decet sanctitudo*: *& factus est in pace locus ejus*: *& mundi corde Deum videbunt*. Quidquid itaque sive de his sive de aliis quibuslibet virtutibus suggestum animo fuerit, significatio (ut dixi) erit mihi visitationem Domini virtutum imminere animæ meæ. Sed & si *corripuerit* me justus in misericordia (h) & increpaverit me, idipsum sentiam, sciens quia æmulatio justi & beneuolentia iter faciunt ei qui ascendit super occasum. Bonus occasus est, cùm ad correctionē justi stat homo & corruit vitium, & Dominus ascendit super illud, conculcans hoc pedibus & conterens ne resurgat. Non ergo contemnenda est increpatio justi, quæ & ruina peccati est & cordis sanitas, necnon & Dei via ad animam. Sed nec ullus omninò *sermo qui ædificet* ad pietatem, ad virtutes, ad mores optimos, negligenter est audiendus est: quoniam & illic iter quo ostenditur salutare Dei. Quod si sermo gratus venit & placidus, quatenùs pulso fastidio cum desiderio audiatur: jam nonmodò venire Sponsus, sed & *accelerare*, id est cum desiderio venire credendus est. Illius namque desiderium tuum creat: & quòd tu ejus properas sermonem admittere, inde est quòd ipse festinat intrare. Non enim nos eum, sed *ipse* (inquit Joannes Apostolus) *prior dilexit nos*. Jam & si etiam ignitum eloquium sentis, atque ex eo *conscientiam uri* in recordatione peccati, recordare tunc de quo Scriptura dicit, *Quia ignis ante ipsum præcedet*: & ipsum *propè esse* non dubites. Denique juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. Et tunc ad declinandum à malo (i) tria operatur in nobis Spiritus Sanctus, compunctionem, supplicatio-

e Ibidem num. 3. f Ibidem. num. 4.

g Ibidem num. 5. h Ibidem num. 6. i Ser. 1. in die Pent. nu. 3.

vationem, remissionem. Initium enim revertendi ad Deum, pænitentia est, quam sine dubio Spiritus Dei operatur, non noster. Si verò non solùm compungeris in sermone illo (k) sed & converteris totus ad Dominum, jurans & statuens custodire judicia justitiæ ejus: etiam *adesse* ipsum jam noveris, præsertim si te inardescere sentias amore ejus. Etenim utrumque de illo legis, & ignem videlicet ante ipsum præcedere, & ipsum nihilominùs ignem esse. Moyses siquidem de illo dicit, quia *Deus ignis consumens est*. Differunt autem, quòd is qui præmittitur ignis ardorem habet, sed non amorem: coquens, sed non excoquens: movens, nec promovens: Tantùm ad excitandum præmittitur & præparandum, simulquè ad commonendum quid ex te sis, quo dulciùs sapiat post modum quod ex Deo mox eris. At verò ignis qui Deus est, consumit quidem, sed non affligit, ardet suaviter, desolatur feliciter. Est enim verè carbo desolatorius: sed qui sic in vitia exerceat vim ignis, ut in anima vicem exhibeat unctionis. Ergo in virtute qua immutaris, & in amore quo inflammaris, Dominum præsentem intellige. Nam dextera Domini facit virtutem. Non autem fit hæc mutatio dexteræ Excelsi nisi in fervore spiritus, & in charitate non ficta, ita ut dicat qui hujusmodi est: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis*. Porrò (l) hoc igne consumpta omni labe peccati & rubigine vitiorum, si jam emundatâ ac serenatâ conscientiâ, sequatur subita quædam atque insolita latitudo mentis, & infusio luminis illuminantis intellectum, vel ad scientiam Scripturarum, vel ad mysteriorum notitiam (quorum alterum propter nos oblectandos, alterum propter ædificandos proximos reor dari) *oculus respicientis* proculdubio est iste educens quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem, juxta illud Prophetæ Esaiæ: *Orietur*, inquit, *tanquam sol lux tua, &c.* Sed sanè non per ostia aperta, sed per angusta foramina is tantæ claritatis radius se infundet, stante adhuc duntaxat hoc ruinoso corporis pariete. Erras si aliter sperras, ad quantamcunque cordis proficias puritatem, cùm ille præcipuus contemplator Sanctus Paulus dicat: *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Post hunc tantæ dignationis ac miserationis respectum (m) sequitur vox blandè & leniter divinam insinuans voluntatem, quæ non est aliud quàm ipse amor, qui ociosus esse non potest, de his quæ Dei sunt solicitans & suadens. Denique audit sponsa, ut surgat & properet, haud dubium quin ad animarum lucra. Hoc siquidem vera & casta contemplatio habet, ut mentem, quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant, ut ocium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat: & rursùm potita votis, aliquatenùs in hac parte tantò ardentiùs redeat in idipsum, quantò se fructuosiùs intermisisse meminerit: & item sumpto contemplationis gustu, valentiùs ad conquirenda lucra solitâ alacritate recurrat. Hæc dicta sunt pro eo (n) quòd sponsa describitur adeo solers & pervigil in observando semitas Sponsi, ut minimè eam latere possit quando, & in quanta festinatione ad se veniat, sed & quando longè, & quando propè, & quando præsens sit, nulla subitatione præoccupari valeat ut ignoret: & quia proinde meruerit non solùm respici misericorditer, sed & dignanter lætificari amoris vocibus, & gaudere gaudio propter vocē Sponsi. Quidni illius vocem (o) qui ipsam in ore singulorum pro quorumq; necessitatibus format? Denique unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Sua vox quemque manifestū facit, & præsentem indicat. Et audi ex Evangelio quòd vocem habeat Spiritus Sanctus. *Spiritus* (inquit Dominus) *ubi vult spirat, & vocem ejus audis: sed nescis unde veniat, aut quò vadat.*

§. III.

Spiritus hominis creatus (p) aliquando ad Creatorem Spirituum emergit quidem, & adhærens ei unus cum eo spiritus efficitur. Nullius tamen momenti est ista contemplatio: quia spiritus claustris corporeis circumdatus, frequenti carnis contagione reliditur, & supra creaturam constitutus, infra quæque vilissima protinùs reperitur. Sed & Creator Spiritus (cujus magna sunt opera, exquisita in omnes voluntates ejus) modò accedit nescientibus nobis, modò ignorantibus nobis recedit: quia *nescimus unde veniat, aut quò vadat*. Et plerumque quantò frequentiùs quæritur, tantò velociùs elongatur, juxta quod & ipse loquitur sponsæ: *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt*. Contingit etiam ut cùm non quæritur veniat, cùm quæritur fugiat, sicut sponsa se in Canticis multipliciter ostendit quæsisse, & non invenisse. Denique (q) *Revertere*, ait. Benè. Abibat, revocatur. Quis mihi referet hujusmodi mutabilitatis sacramentum? Quis mihi dignè explicet ire & redire Verbi? Numquid levitate utitur Sponsus? Unde, quò venire aut denuò ire queat qui totum implet? Quem denique motum habere localem possit qui Spiritus est? Aut quem postremò vel cujuscunque generis motum das illi qui Deus est? Est quippe omninò incommutabilis. Verùm hæc qui potest capere capiat. Nos autem in expositione sacri mysticiquè eloquii cautè & simpliciter ambulantes, geramus morem Scripturæ, quæ nostris verbis sapientiam in mysterio absconditam loquitur nostris affectibus, dum Deum figurat, insinuat notis rerum sensibilium similitudinibus, tanquam quibusdam vilioris materiæ poculis ea quæ preciosa sunt, ignota & invisibilia Dei, mentibus propinat humanis. Sequamur proinde & nos eloquii casti consuetudinem, dicamusquè Verbum Dei Deum Sponsum animæ prout vult venire ad animam, & iterùm dimittere eam, tantùm ut sensu animæ non Verbi motu ista fieri sentiamus. Verbi causâ: Cùm sentit gratiam, agnoscit præsentiā: cùm non sentit, absentiam queritur: & rursùm præsentiam quærit dicens cum Propheta: *Exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*. Quidni requirat? Neque enim subducto sibi tam dulci Sponso interim aliquid aliud non dico desiderare, sed nec cogitare libebit. Restat igitur ut absentem studiosè requi-

k Ser. 57. in Cant. num. 7. l Ibidem num. 8. m Ibidem num. 9. n Ibidem num. 11.

o Ser. 59. in Cant. num. 6. p Ser. 41. divis. num. 11. q Ser. 74. in Cant. num. 1. & 2.

requirat, revocet abeuntem. Ita ergo revocatur Verbum, & revocatur desiderio animæ, sed ejus animæ cui semel indulserit suavitatem sui. Numquid non desiderium vox? Et valida. Denique *desiderium pauperum* (inquit Psalmista) *exaudivit Dominus*. Verbo igitur abeunte, una interim & continua animæ vox, continuum desiderium ejus, tanquam unum continuumquè *revertere* donec veniat. Et nunc da mihi animam (r) quam frequenter Verbum Sponsus invisere soleat, cui familiaritas ausum, cui gustus famem, cui contemptus omnium ocium dederit: & ego huic animæ incunctanter assigno vocem, pariter & nomen sponsæ, nec ab ea penitùs locum, qui in manibus est, censuerim esse alienũ. Talis nempè inducitur loquens: *Revertere dilecte mi*. Quem enim revocat, ejus absque dubio probat se meruisse præsentiam, & si non copiam. Alioquin non revocasset illum, sed vocasset. Porrò revocationis verbum *Revertere* est. Et fortè ideo subtraxit se, quo audiùs revocaretur, teneretur fortiùs. Nam & aliquando simulabat se longiùs ire, non quia hoc volebat, sed volebat audire: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit*. Et rursùm alia vice super mare ambulans, cum Apostoli navigarent & laborarent in remigando, quasi volens præterire eos, nec tunc quidem istud volebat, sed magis probare fidem & elicere precem. Ergo istiusmodi piam simulationem, imò salutarem dispensationem, quam tunc corporaliter Verbum corpus interdum exhibuit, non cessat identitatem Verbum Spiritus modo suo spirituali cum devota sibi anima sedulò actitare. Prætereiens teneri vult, abiens revocari. Neque enim hoc irrevocabile Verbum. It, & redit pro beneplacito suo, quasi visitans diluculò, & subitò probans. Et ire quidem illi est quodãmodò dispensatorium, redire verò semper voluntarium est: utrumque autem plenum judicii. At penes ipsum horum ratio. Nunc verò constat (s) in anima fieri hujusmodi vicissitudines euntis & redeuntis Verbi, sicut ait: *Vado & venio ad vos*. Item: *Modicum & non videbitis me, & iterùm modicum & videbitis me*. O modicum, & modicum! O modicum longum! Pie Domine, modicum dicis quòd non videmus te? Saluum sit verbum Domini mei, longum est, & multum valdè nimis. Verumtamen utrumque verum, & modicum meritis, & non modicum votis. Habes utrumque in Propheta Abacuc: *Si moram fecerit*, inquit *expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit*. Quomodò non tardabit, si moram fecerit, nisi quòd ad meritum satis est, sed non satis ad votum? Porrò anima amans vocis fertur, trahitur desideriis, dissimulat merita, Majestati oculos claudit, operit voluptati, ponens in salutari, & fiducialiter agens in eo. Intrepida denique & inverecunda revocat Verbum, & cum fiducia repetit delicias suas, solita libertate vocans non Dominum, sed Dilectum: *Revertere dilecte mi*. Et addit: *Similis esto capreæ hinnuloquè cervorum super montes Bethel*. At istud postea. Nunc quæso sustinete modicum quid insipientiæ meæ. Volo dicere quomodo mecum agitur in ejusmodi. Non expedit quidem. Sed prodar sanè, ut prosim; & si profeceritis vos, meam insipientiam consolebor: si non, meam insipientiam confitebor. Fateor & mihi adventasse Verbum Deum (in insipientia dico) & pluries. Cùmquè sæpiùs intraverit ad me, non sensi aliquoties cùm intravit. Adesse sensi, affuisse recordor, interdùm & præsentire potui introitum ejus, sentire nunquam, sed nec exitum quidem. Nam unde in animam meam venerit, quòvè abierit denuò eam dimittens: sed & qua vel introierit vel exierit, etiam nunc ignorare me fateor, secundùm illud: *Nescis unde veniat, aut quò vadat*. Nec mirum tamen, quia ipse est cui dictum est: *Et vestigia tua non cognoscentur*. Sanè per *oculos* non intravit, quia non est coloratum: neque per *aures*, quia non sonuit: neque per *nares*, quia non aëri miscetur sed menti, non infecit aërem sed fecit: neque verò per *fauces*, quia non est mansum vel haustum. Non *tactu* comperi illud, quia palpabile non est. Qua igitur introivit? An fortè nec introivit quidem, quia non *deforis* venit? Neque enim est unum aliquid ex iis quæ foris sunt. Porrò nec *de intra* me venit, quoniam bonum est: & scio quoniam in me non est bonum. Ascendi etiam *superius* meum, & ecce supra hoc Verbum eminens. Ad *inferius* quoque meum curiosus explorator descendi, & nihilominùs infra inventum est. Si *foras* aspexi, extra omne exterius meum comperi illud esse: si *intus*, & ipsum interiùs erat. Quæris igitur cùm ita sint omninò investigabiles viæ ejus, unde adesse norim? Vivum & efficax est, moxquè ut intùs venit, expergefecit dormitantem animam meam, movit, & mollivit, & vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumquè erat, & malè sanum. Cæpit quoque evellere & destruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, necnon & mittere prava in directa, & aspera in vias planas: ita ut benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt Nomini sancto ejus. Ita igitur intrans ad me aliquoties Verbum Sponsus, nullis unquam introitum suum indiciis innotescere fecit, non voce, non specie, non incessu. Nullis denique suis motibus compertum est mihi, nullis meis sensibus illapsum penetralibus meis. Tantùm ex motu cordis (sicut præfatus sum) intellexi præsentiam ejus: & ex fuga vitiorum, carnaliumquè compressione affectuum adverti potentiam virtutis ejus: & ex discussione sive redargutione occultorum meorum admiratus sum profunditatem sapientiæ ejus: & ex quantulacunque emendatione morum meorum expertus sum bonitatem mansuetudinis ejus: & ex renovatione ac reformatione spiritûs mentis meæ, id est interioris hominis mei, percepi utcunque speciem decoris ejus: & ex contuitu horum omnium simul expavi multitudinem magnitudinis ejus. Verùm quia hæc omnia ubi abscesserit Verbum Deus (u) perinde ac si ollæ bullienti subtraxeris ignem, quodam illico languore torpentia & frigida jacere incipiunt: atque hoc mihi signum abscessionis ejus, tristis sit necesse est anima mea, donec iterùm revertatur, & solitò recalescat cor meum intra me, idquè sit reversionis indicium. Tale sanè experimentũ de Verbo habens, quid mirum si & ego usurpo mihi vocem sponsæ in revocando illud cùm se absen-

r *Ibidem num.* 3. s *Ibidem num.* 4. & 5.

t *Ibidem num.* 6. u *Ibidem num.* 7.

absentaverit, qui etsi non pari, simili tamen vel ex parte desiderio feror? Familiare mihi erit quoad vixero, pro Verbi revocatione revocationis verbum, quod utique *Revertere* est. Et quoties elabetur, toties repetetur à me: nec cessabo clamitare quasi post tergum abeuntis ardenti desiderio cordis, ut redeat, & reddat mihi lætitiam salutaris sui, reddat mihi seipsum. Fateor vobis Fratres, nihil aliud interim libet, dum non præstò est quod solum libet. Et hoc oro, ut non vacuum veniat, sed *plenum gratiæ & veritatis*, more utique suo sicut heri & nudiustertiùs. Vigilandum proinde est [x] & vigilandum omni hora, quia nescimus quâ horâ Spiritus venturus sit, seu iterùm abiturus. It & redit Spiritus, & qui stat eo tenente, deserente cadat necesse est: sed non collidetur, quia Dominus rursùm supponit manum suam. Et has alternare vices non cessat in his qui spirituales sunt, vel quos potiùs spirituales proinde ipse creare intendit visitans diluculò, & subitò probans. Denique septies cadit justus, & septies resurgit: si tamen cadit in die, ut se cadere videat, & cecidisse sciat, & resurgere cupiat, & requirat manum adiuvantis, & dicat: *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Fratres: Revertamur ad nos ipsos [y] scrutemurquè vias nostras: & vt in veritate id possimus, invocemus Spiritum veritatis, & revocemus ab alto quò nos eduxerat, quatenus antecedat nos etiam ad nos, quoniam sine ipso possumus nihil. Nec verendum quòd dedignetur condescendere nobis, qui potiùs si vel exiguum quid absque ipso conamur, indignatur. Non est enim ille vadens & non rediens, sed ducit nos & reducit de claritate in claritatem tanquam Domini Spiritus, quandoque rapiens ad se in lumine suo, quandoque contemperans, & illuminans tenebras nostras: ut sive supra nos, sive apud nos, semper in luce, semper ut filii lucis ambulemus. Siquidem nox præcessit [z] dies autem appropinquavit, verus utiq; dies ex die, salutare Dei Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT IX.

De septem causis, sive necessitatibus quærendi Spiritum Sanctum Deum nostrum.

Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.
Luc. 11.

1. *Causa quærendi Spiritum Sanctum est, ut ei consentiamus ad correctionem. 2. ut eo illuminemur ad cognitionem. 3. ut ei innitamur ad virtutem. 4. ut eo reformemur ad sapientiam. 5. ut ei conformemur ad decorem. 6. ut ei maritemur ad fæcunditatem. 7. ut eo fruamur ad jucunditatem.*

§. I.

Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem ejus semper. Psal 104.

Ecce nunc tempus quærendi (a) ecce nunc dies inveniendi præ manibus sunt. *Quærite* (inquit Esajas) *Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum propè est.* Nimirùm [b] invocate Spiritum Sanctum vivificatorem & adiutorem, confidentes quia dabit Pater, qui est in cælis, Spiritum bonum petentibus se. Quæramus hunc Spiritum, Fratres [c] & tota sollicitudine operam demus, ut mereamur habere hunc Spiritum. Alioquin non rectè oras [d] si orando præter Deum aliquid quæras, aut quod propter Deum non quæras, quoniam in ipso sunt omnia. Ibi remedium vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum, ibi sunt profectuum copiæ: ibi denique invenitur quidquid accipere vel habere hominibus expedit, quidquid decet, quidquid oportet. Quicunque Spiritum Christi non habe [e] hic non est ejus. Nos autem non accepimus spiritum hujus mundi, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Testimonium præsentiæ ejus præbent opera ipsa salutis & vitæ, quæ nullatenùs agere possemus, nisi Spiritus qui vivificat, Spiritus Salvatoris adesset. Quæramus igitur ut dona sua multiplicet Deus in nobis, & Spiritum suum augeat, qui jam primitias dedit. Nullum enim omninò præsentiæ ejus certius testimonium est, quàm desiderium gratiæ amplioris, quoniam ipse dicit: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Sed fortassè multorum nobis conscientiæ jam respondent: Desideramus quidem hunc Spiritum, qui sic adjuvet infirmitatem nostram, sed invenire non possumus. Et ego dico: Propterea non invenitis, quia non quæritis: propterea non accipitis, quia non petitis. Petitis, & non accipitis, eò quòd negligenter petatis. Nihil enim aliud expectat, nihil aliud quærit Deus, nisi ut sedulè & cum desiderio requiratur. Denique quando negabit petentibus, qui etiam non petentes prouocat & hortatur ut petant? *Si vos*, inquit. *cùm sitis mali, nostis bona dare filiis vestris: quantò magis Pater vester cælestis de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se?* Petite ergo charissimi, petite sine intermissione, petite sine hæsitatione: in omnibus operibus vestris dulcissimi semper hujus ac suavissimi Spiritus præsentiam & auxilium invocate. Quærat anima vestra Deum cui consentiat ad *correctionem* [f] quo illuminetur ad *cognitionem*, cui innitatur ad *virtutem*, quo reformetur ad *sapientiam*, cui conformetur ad *decorem*, cui maritetur ad *fæcunditatem*, quo fruatur ad *jucunditatem*. Propter has septem causas quærat anima Deum. Non ambigo esse quàm plures & alias causas, sed hæ interim occurrunt. Poterit autem si cui cordi fuerit, facilè alias atq. alias causas advertere in semetipso: siquidē multæ sunt aversiones nostræ, multæ & infinitæ animæ necessitates, & auxietatum non est numerus. At Verbum

x *Ser. 17. in Cant. num. 2.* y *Ibidem num. 8.* z *Ser. 5. in Nat. Dom. num. 5.*

a *Ser. adiuer. n. 1.* b *Ser. 2. in Octav. Paschæ num. 5.* c *Ser. 2. de S. Andrea n. 4.* d *Ser. 86. in Cant. n. 3.* e *Ser. 2. de S. Andr. n. 4. & 5.* f *Ser. 15. in Cant. num. 1.*

bum Deus ditiùs pleniùsquè superabundat in bonis, utpote Sapientia vincit malitiam, vincens in bonis mala. Et nunc harum necessitatum quas posui, accipite rationem. *Et primò* quod primum est, videte quemadmodùm *consentiat ad correptionem*. Legimus Verbum Deum in Evangelio loquens: *Esto consentiens*, inquit, *adversario tuo, dum es cum illo in via, ne fortè tradat te judici, & judex tortori*. Quid consultius? Verbi consilium est (ni fallor) se adversarium protestantis, quòd adversetur carnalibus desideriis nostris dum dicit: *Semper hi errant corde*. Tu verò qui hæc audis, si pauens cæperis velle fugere à ventura ira: credo solicitus eris quomodo huic consentias adversario, qui tibi illam tam terribiliter intentare videtur. At istud impossibile, nisi dissentias tecum, nisi tibimet adverseris, nisi graui & vigili lucta tuipse contra teipsum infatigabiliter prælieris: postremò nisi valefacias inveteratæ consuetudini, innatæquè affectioni. Id quidem durum: Si tuis attemperaveris viribus, tale erit, ac si in uno digitorum tuorum torrentis impetum sistere, aut ipsum denuò coneris Jordanem convertere retrorsùm. Quid facies? Quære Deum Verbum cui consentias, ipso faciente ut consentias. Fuge ad illum qui adversatur, per quem talis fias cui jam non aduersetur, ut blandiatur qui minabatur, & sit ad immutandum efficacior infusa gratia, quàm intensa ira, Hæc prima (ut opinor) necessitas est, ob quam anima incipit quærere Verbum Deum.

§. II.

Sed si ignoras [g] quid ille velit cui jam voluntate consentis, nonne & de te dicetur, quia *zelum Dei habes, sed non secundùm scientiam*? Et ne hoc leve existimes, memineris scriptũ esse, quia *ignorans ignorabitur*. Scire vis quid consulam & in hac necessitate? Quod in prima. Meo consilio nunc quoque ibis ad Verbum Deum, & docebit te vias suas, ne volendo quidem, sed ignorando bonum dum curris contingat excurrere, & errare in invio, & non in via. Lux est enim Verbum Deus. Declaratio denique sermonũ ejus illuminat, & intellectum dat parvulis. Beatus es si dicas & tu: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Aliud est dubitare de veritate [h] quod patiaris necesse est cùm Spiritus minimè spirat: & aliud sapere falsitatem, quod facilè caves si eandem tuam ignorantiam non ignoras, quatenùs dicas & tu: *Et si quid ignoravi, ignorantia mea mecum est*: hæc Sancti Job sententia est. Agnoscite: Pessimæ matris ignoranriæ, pessimæ itidem filiæ duæ sunt, falsitas & dubietas. Illa miserior, ista miserabilior: perniciosior illa, ista molestior. Cùm loquitur Spiritus, cedit utraque: & est non solùm veritas, sed & certa veritas. Est quippè *Veritatis* ille Spiritus, cui contraria falsitas est. Est & *Sapientia*, quæ cùm sit candor vitæ æternæ, & ubique attingat propter munditiam suam, obscurũ ambigui non admittit. Cavenda sanè cùm Spiritus iste non loquitur, & si non molesta dubietas, certè falsitas execranda. Aliud est enim sub incerto hoc vel illud opinando sentire, aliud timerè affirmare quod nescias, Nec parum profecit anima tua (i) cujus immutata voluntas, cujus illuminata ratio est, ut bonum & velit & noverit. In altero vitam, in altero visum recepit. Nam & malum volendo mortua erat, & bonum ignorando cæca erat.

§. III.

Jam vivit anima (K) jam videt, jam stat in bono, sed ope & opere Verbi. Stat manu Verbi levata veluti super pedes duos, devotionem & agnitionem. Stat inquam, sed sibi putet dictum: *Qui se existimat stare, videat ne cadat*. Putasne stare per se posse, quæ surgere per se non potuit? Non opinor. Quid enim? *Verbo Domini cæli firmati sunt*: & terra stabit sine Verbo? Cur ergo si stare per se poterat, orabat homo de terra: *Confirma me*, inquiens, *in verbis tuis*? Deniq. & probârat. Ejus enim ipsius illa vox fuit: *Impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me*. Quæris quis ille impulsor? Non est vnus. Impulsor *diabolus* est, impulsor *mundus*, impulsor *homo*. Quis iste homo sit quæris? Quisque sui. Noli mirari, usque adeo homo impulsor sibi est, & suimet præcipitator, ut non sit quod ab altero impulsore formides, si ipse à te proprias contineas manus. *Quis enim* (inquit Petrus Apostolus) *vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis*? Manus tua est consensus tuus. Si diabolo suggerente vel sæculo suadente quod non oportet, assensum tuum tenueris, & non dederis membra arma iniquitati, nec permiseris regnare peccatum in tuo mortali corpore: bonum te æmulatorem probasti, cui malitia omninò nil nocuit, vide ne magis profuerit. Scriptum est enim: *Bonum fac, & habebis laudem ex illa*. Confusi sunt qui quærebant animam tuam, tu verò cantabis: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*. Boni planè æmulatoris insigne dedisti. si juxta consilium Sapientis *misereris animæ tuæ*: si *omni custodia servas cor tuum*: si juxta Apostolum *teipsum castum custodis*. Non sine causa (l) Sapiens expugnatori prætulit urbium virum qui animo dominatur. Multum hoc ad te, opus virtute habes, & non quacunque, sed qua induaris ex alto. Ipsa enim si perfecta sit, facilè sic animum victorem sui, & sic invictum reddit ad omnia. Quis ascendet in montem Domini? Hujus ad verticem montis, id est ad virtutis perfectionem quisque conscendere adorietur, sciet profectò quàm sit ascensus arduus, & casus concitus absque Verbi adiutorio. Felix anima, quæ Angelis spectantibus præbuit gaudium pariter & miraculum sui, ut audiret de se loquentes: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum*? Alioquin frustra nititur, si non innititur. Sanè etiam contra se innitens invalescet, & facta seipsâ validior coget pro ratione vniversa: iram, metum, cupiditatem & gaudium veluti quendam animi currum bonus auriga reget: & in captivitatem rediget omnem carnalem affectum, & carnis sensum ad nutum rationis in obsequium virtutis.

g *Ibidem. num. 2.* h *Ser. 17. in Cant. num. 3.*

i *Ser. 85. in Cant. num. 2.* k *Ibidem num. 3.* l *Ibid. n. 4. & 5.*

totis. Quidni omnia possibilia sint innitenti super eum qui omnia potest? Quantæ fiduciæ est vox: *Omnia possum in eo qui me confortat*. Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes qui in se sperant. Denique *omnia possibilia sunt credenti*. An non omnipotens cui omnia possibilia sunt? Ita animus si non præsumat de se, sed si confortetur à Verbo, poterit utique dominari sui, ut non dominetur ei omnis injustitia. Ita, inquam, Verbo innixum & indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit vel stantem deiicere, vel subiicere dominantem. Ergo qui stat (m) si non vult cadere, non fidat sibi, sed nitatur Verbo. Verbũ Deus loquitur: *Sine me nihil potestis facere*. Ita est, nec surgere ad bonum, nec stare in bono possumus sine Verbo. Tu verò qui stas, da gloriam Deo, & dic: *Statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos*. Cujus manu erigeris, ipsius necesse est virtute tenearis. Hæc pro eo quod dixi opus nos habere Verbo cui *innitamur ad virtutem*.

§. I V.

Nunc jam videndũ est de eo (n) quod item memorari, per Verbũ Deum scilicet nihilominùs nos *reformari ad sapientiam*. Verbum Virtus, Verbum Sapientia est. Sumat ergo anima de Virtute virtutem, ac de Sapientia sapientiam, & vni Verbo munus utrumque adscribat. Alioquin si aliundè aut utramque, aut alterutram arroget sibi: neget etiam simul, vel de fonte riuum, vel de vite vinum, vel lumen oriri de lumine. Fidelis sermo: *Si quis* (inquit Jacobus Apostolus) *indiget sapientiâ, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei*. Hæc ille. Ego verò haud secùs de virtute senserim. Cognata virtus sapientiæ est. Donum Dei virtus est, deputanda in bonis optimis, descendens & ipsa desursùm à Patre Verbi. Et si quis existimet id per omnia eam quod sapientiam esse, non inficior, sed in Verbo, non in anima. Quæ enim in Verbo pro ejus singulari divinæ naturæ simplicitate vnum sunt; vnum tamen effectum in anima non habent, sed ad illius varias & diversas necessitates veluti diversa sese participanda accommodant. Juxta quam rationem profectò aliud est est animo virtute agi, & aliud sapientiâ regi: aliud dominari in virtute, aliud in suavitate deliciari. Licet namque & sapientia potens, & virtus suavis existat; ut tamen proprias quibusque reddamus vocabulis significantias, vigor virtutem, sapientiam placiditas animi cum spirituali quadam suavitate demonstrat. Hanc puto ab Apostolo designatam esse, ubi post multa hortamenta pertinentia ad virtutem, adjecit quod sapientiæ est: *In suavitate, & in Spiritu Sancto*. Igitur stare, resistere, vim vi repellere (quæ utique in partibus virtutis deputantur) honor quidem, sed labor est. Non est enim idipsum honorem tuum laboriosè defendere, & quietè possidere: non est idem virtute agi, & virtute frui. Quidquid virtus elaborat, sapientia fruitur: & quod sapientia ordinat, deliberat, moderatur, virtus exequitur. *Sapientiam scribe in ocio*, ait Sapiens (o) Ergo sapientiæ ocia negocia sunt, & quò ociosior sapientia est, eò exercitatior in genere suo. E regione virtus exercitata clarior est, eòquè probatior quò officiosior. Et si quis sapientiam virtutis amorem diffinierit, non à vero deviare videbitur. Ubi autem amor est, labor non est, sed sapor. Et fortè sapiantia à sapore denominatur, eò quòd virtuti accedens quoddam veluti condimentum sopidam reddat, quæ per se insulsa quodammodò & aspera sentiebatur. Nec duxerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni diffiniat. Hunc saporem perdidimus ab ipso penè exortu generis nostri. Ex quo cordis palatum sensu carnis prævalente infecit virus serpentis antiqui, cæpit animæ non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare. Denique *proni sunt sensus hominis, & cogitationes in malum ab adolescentia*: hoc est, ab insipientia primæ mulieris Evæ. Ita insipientia mulieris saporem boni exclusit, quia serpentis malitia mulieris insipientiam circumvenit. Sed unde malitia visa est vicisse ad tempus, inde se victam dolet in æternum. Nam ecce denuò Sapientia mulieris cor & corpus implevit, ut qui per fæminam deformati in insipientiam sumus, per fæminam (*Virginem Mariam*) reformemur ad sapientiam. Et tunc assiduè Sapientia vincit malitiam in mentibus ad quas intraverit, saporem mali quem illa invexit, sapore exterminans meliori. Intrans Sapientia dum sensum carnis infatuat, purificat intellectum, cordis palatum sanat & reparat. Sano palato sapit jam bonum, sapit ipsa Sapientia, qua in bonis nullum melius est. Quàm multa fiunt bona (q) & non sapiunt facientibus: siquidem non sapore boni ad illa, sed aut ratione aut qualicunque occasione, seu necessitate impelluntur. Et è contrario multis quæ faciunt non sapiunt mala, sed ad hæc inducuntur aut metu, aut cupiditate rei cujuspiam potiùs quàm sapore mali. Qui autem transierunt in affectum cordis, aut sapientes sunt, & ipso delectantur sapore boni: aut maligni sunt, & ipsa complacet sibi malitia, etiam nulla spe alterius commodi blandiente. Malitia verò quid nisi sapor est mali? Beata mens quam sibi totam vendicavit sapor boni, & odium mali. Hoc *reformari ad sapientiam est*: hoc sapientiæ victoriam feliciter experiri est. Nam in quo evidentiùs Sapientia vincere malitiam comprobatur, quàm cùm excluso sapore mali, qui non aliud quàm ipsa malitia est, boni quidam intimus sapor mentis intima occupare tota suavitate sentitur? Itaque ad virtutem spectat, tribulationes fortiter sustinere: ad sapientiam verò spectat, gaudere in tribulationibus. Confortare cor tuum, & sustinere Dominum, virtutis est: gustare & videre quoniam suavis est Dominus, sapientiæ est. Et ut magis ex proprio bono naturæ bonum quodque clarescat: modestia animi probat sapientem, constantia virum virtutis ostendit. Et benè post virtutem sequitur sapientia, quòd virtus sit quoddam quasi stabile fundamentum, super quod sapientia ædificet sibi domum. Oportuit autem præcedere notitiam boni, quia non est societas luci sa-

m *Ibidem num. 6.* n *Ibidem num. 7.*

o *Ibidem num. 8.* q *Ibidem num. 9.*

ſapientiæ, & tenebris ignorantiæ. Oportuit præcedere & bonam voluntatem, *quia in malevolam animam non introibit ſapientia*, ait Sapiens,

§. V.

Jam verò ſi in voluntatis mutatione reddita innotuit animæ vita (r) in eruditione ſanitas, in virtute ſtabilitas, in ſapientia poſtremò maturitas: ſupereſt ut *decorem* illi inveniamus, ſine quo ſpecioſo formâ præ filiis hominum placere non poteſt. Denique audit, quia *concupiſcet Rex decorem tuum*. Quanta ennmeravimus animæ bona, dona Verbi, voluntatem bonam, ſcientiam, virtutem, ſapientiam,& nihil horum Verbum Rex concupiſcere legitur: ſed tantùm *concupiſcet*, inquit, *Rex decorem tuum*. Ait Propheta: *Dominus regnavit decorem induit*. Quidni imagini ſuæ pariter & ſponſæ ſimile cupiat indumentum? Tantò profectò ſibi charior illa, quantò ſimilior ſibi. In quo ergo animæ decor? an fortè in eo quod honeſtum dicitur? Hoc interim ſentiamus ſi melius non occurrit. De honeſto autem exterior interrogetur converſatio, non quòd ex ea honeſtum prodeat, ſed per eam. Nam in conſcientia & habitatio ejus & origo. Siquidem claritas ejus eſt teſtimonium conſcientiæ. Nihil hac luce clarius, nihil hoc glorioſius teſtimonio, cùm veritas in mente fulget, & mens in veritate ſe videt. Sed qualem? Pudicam, verecundam, pavidam, circumſpectam, nihil penitùs admittentem quod evacuet gloriam conſcientiæ atteſtantis, in nullo conſciam ſibi quod erubeſcat præſentiam veritatis, quo cogatur avertere faciem quaſi confuſam & repercuſſam à lumine Dei. Hoc planè, hoc illud decorum eſt, quod ſuper omnia bona animæ divinos oblectat aſpectus, & nos nominamus ac diffinimus honeſtum. Cùm autem decoris hujus claritas abundantiùs intima cordis repleverit(s) prodeat foras neceſſe eſt tanquam lucerna latens ſub modio, imò lux in tenebris lucens, latere neſcia. Porrò effulgentem & veluti quibuſdam ſuis radiis erumpentem mentis ſimulacrum corpus excipit. & diffundit per membra & ſenſus: quatenùs omnis inde reluceat actio, ſermo, aſpectus, riſus, ſi tamen riſus ſit mixtus gravitate, & plenus honeſti. Horum & aliorum profectò artuum ſenſuumquè motus & geſtus & uſus cùm apparuerit ſerius, purus, modeſtus, expers inſolentiæ atque laſciviæ, tum levitatis, tum ignaviæ alienus, æquitati autem accommodatus, pietati officioſus: pulchritudo animæ palàm erit, ſi tamen non ſit in ſpiritu ejus dolus. Poteſt enim fieri ut ſimulentur omnia hæc, & non ex abundantia cordis taliter moveantur. Et ut magis eluceat is animæ decor, ipſum ſi placet honeſtum (in quo hunc locandum conſuimus) diffiniatur mentis ingenuitas, ſolicita ſervare cum conſcientia bona famæ integritatē: vel juxta Apoſtolum, *providere bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus*. Beata mens, quæ hoc ſe induit caſtimoniæ decus, & quendam veluti cæleſtis innocentiæ candidatum, per quem ſibi vendicet glorioſam conformitatem, non mundi, ſed Verbi, de quo legitur quòd ſit candor vitæ æternæ, ſplendor & figura ſubſtantiæ Dei.

§. VI.

Ex quo jam gradu (t) audet quæ hujuſmodi eſt anima cogitare de nuptiis. Quidni audeat, eò ſe nubilem quò ſimilem cernens? Non terret celſitudo, quam ſociat ſimilitudo, amor conciliat, profeſſio maritat. Profeſſionis forma hæc eſt: *Juravi & ſtatui cuſtodire judicia juſtitia tua*. Hanc ſecuti Apoſtoli ajebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*. Simile eſt & illud quod in carnali quidē dictum Chriſti & Eccleſiæ connubium ſpirituale ſignavit Apoſtolus dicens: *Propter hoc relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſua: & erunt duo in carne una*. Et aqud Prophetam David gloriatio maritatæ legitur: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt: ponere in Domino Deo ſpem meam*. Ergo quam videris animam relictis omnibus Verbo votis omnibus adhærere, Verbo vivere, Verbo ſe regere, de Verbo concipere quod pariat Verbo; & quæ poſſit dicere, *Mihi vivere Chriſtus eſt & mori lucrum*: puta conjugem, Verboquè maritatam. Confidat in ea cor viri ſui, ſciens fidelem, quæ præ ſe omnia ſpreverit, omnia arbitretur ut ſtercora, ut ſibi ipſum lucrifaciat. Talem noverat de quo dicebat: *Vas electionis eſt mihi iſte*. Prorsùs pia mater & fidelis viro ſuo erat anima Pauli, cùm diceret: *Filioli mei, quos iterùm parturio donec formetur Chriſtus in vobis*. Si qua anima eoſque profecerit [u] ut ſit fæcunda virgo, ſit ſtella maris, ſit plena gratiâ, & ſupervenientem habens in ſe Spiritum Sanctum: puto quòd nonmodò in ea, ſed ex ea quoq; non dedignabitur Chriſtus naſci. Nemo noſtrûm ſanè id ſibi arrogare præſumat, niſi quos ipſe ſpeciali deſignatione tanquam digito monſtraverit, dicens: *Ecce mater mea, & fratres mei*. Enimverò audi unum ex iſtis. *Filioli mei*, ait, *quos iterùm parturio donec formetur Chriſtus in vobis*. Si enim naſci videbatur in eis, cùm formabatur Chriſtus in eis: quomodò non etiam ab eo ſimiliter naſci eum dicere quis præſumat, qui in ipſis quodammodò parturiebat? Qui autem aliis evangelizat(x) quaſi *Jeſum* in utero portat, ut eum aliis vel potiùs alios ei pariat. De talibus erat Beatus Paulus, qui dicebat: *Filioli mei, quos iterùm parturio donec Chriſtus formetur in vobis*. Legimus de Maria [y] quod inventa fuerit in utero habens de Spiritu Sancto. Exiſtimo autem ſimile quid habere in hac parte ſponſam Domini Matri ipſius. Niſi enim & ipſa ſponſa inventa eſſet habens de Spiritu Sancto, nequaquam ab inventoribus ſuis tam familiariter requiſiſſet de eo cujus Spiritus eſt ille. Non ſuſtinuit ut illi effarentur ad quod veniſſent, ipſa locuta eſt, & quidem ex abundantia cordis: *Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* Meritò cunctis renuncians affectionibus aliis [z] ſoli & tota incumbit amori, quę ipſi reſpondere amori habet in reddendo amore. Propterea ſic amare, nupſiſſe

Ddd

r *Ibidem num.* 10 s *Ibidem num.* 11.

t *Ibidem num.* 12. u *Ser.* 6. *in Vig. Nat. Dom. num.* 11. x *Ser.* 51. *diuer.* y *Ser.* 78. *in Cant. num.* 8. z *Ser.* 83. *in Cant. n.* 6

psisse est: quoniam non potest sic diligere & parùm dilecta esse, ut in consensu duorum integrum stet perfectumquè connubium; nisi quis dubitet animam à Verbo & priùs amari, & plùs. Prorsùs & prævenitur amando, & vincitur. Felix anima, quæ meruit præveniri in tantæ benedictione dulcedinis. Felix anima, cui tantæ suavitatis complexum experiri donatũ est, Quod non est aliud, quàm amor sanctus & castus, suavis & dulcis, amor tantæ serenitatis, quantæ sinceritatis; amor mutuus, intimus, validusquè, qui non in carne una, sed uno planè in spiritu duos jungat, duos faciat, jam non duos, sed unum, Paulo ita dicente: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est*.

§. VII.

Porrò attende [a] in spirituali matrimonio duo esse genera pariendi, & ex hoc etiam diversas soboles, sed non adversas: cum sanctæ matres aut prædicando animas, aut meditando intelligentias pariunt spirituales. In hoc ultimo genere interdum exceditur, & seceditur etiam à corporeis sensibus, ut sese non sentiat quæ Verbum sentit. Hoc fit cùm mens ineffabili Verbi illecta dulcedine quodammodò se sibi furatur, imò rapitur atque elabitur à seipsa ut Verbo fruatur. Aliter sanè afficitur mens fructificans Verbo, aliter fruens Verbo. Illic solicitat necessitas proximi, hic invitat suavitas Verbi. Et quidem læta in prole mater, sed in amplexibus Sponsi lætior. Chara sunt pignora filiorũ, sed oscula plùs delectant. Bonum est salvare multos; excedere autem & cum Verbo esse, multò jucundius est. At quando hoc, aut quamdiu hoc? Dulce commercium, sed breve momentum, & experimentum rarum: hoc est quod supra post alia memini me dixisse, quærere utique animam Verbum, *quo fruatur ad jucunditatem*. Pergat quis forsitan quærere à me (b) etiam Verbo frui quid sit? Respondeo: Quærat potiùs expertum à quo id quærat. Aut si & mihi experiri daretur, putas me posse eloqui quod ineffabile est? *Sive*, inquit, *mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis*. Hoc est: Aliud mihi est cum Deo, solo arbitro Deo; aliud vobiscum mihi. Illud licuit experiri, sed minimè loqui; in hoc ita condescendo vobis, ut ego dicere, & vos capere valeatis. O quisquis curiosus es scire quid sit hoc Verbo frui, para illi non aurem, sed mentem. Non docet hoc lingua, sed docet gratia. Absconditur à sapientibus & prudentibus, & revelatur parvulis. Magna est, fratres, magna & sublimis virtus humilitas, quæ promeretur quod non docetur, digna adipisci quod non valet addisci: digna à Verbo & de Verbo concipere, quod suis ipsa verbis explicare non potest. Cur hoc? Non quia sit meritum, sed quia sic placitum coram Patre Verbi Sponsi animæ Jesu Christi Domini nostri. Quæ quidem anima (c) licet Sponso interim sit viduata cælesti, sensus tamen de Spiritu Sancto concipere & parere non desinit immortales, qui videlicet incorruptibilis cælestisquè hæreditatis valeant esse capaces, sed si pium habeant studiosumquè cultorem. Vide autem tu qui hæc legis [d] ne quid nos in hac Verbi animæquè commixtione corporeum seu imaginarium sentire existimes. Id loquimur quod Apostolus dicit: *Quoniam qui adhæret Deo, unus spiritus est*. Excessum puræ mentis in Deum, sive Dei pium descensum in animam, nostris quibus possumus exprimimus verbis, spiritualibus spiritualia comparantes. Itaque in spiritu fit ista conjunctio, quia *Spiritus est Deus*, & concupiscit decorem animæ illius quam fortè adverterit in spiritu ambulantem, & curam carnis non perficientem in desiderio; præsertim si sui amore flagrantem conspexerit. Non me capio præ lætitia [e] quòd illa Majestas tam familiari dulciquè consortio nostræ se inclinare infirmitati minimè dedignatur, & superna Deitas animæ exulanti inire connubia, eiquè Sponsi ardentissimo amore captæ exhibere affectum non despicit. Sic sic in cælo esse non ambigo, ut lego in terra: sentietquè pro certo anima quod continet pagina, nisi quod non sufficit ista omninò exprimere, quantum capere illa tunc poterit, sed nec quantum jam potest. Quid putas illic accipiet, quæ hic tanta familiaritate donatur, ut Dei brachiis amplecti se sentiat, Dei sinu foveri, Dei curâ & studio custodiri, ne dormiens fortè à quoquam donec ultrò evigilet, excitetur? Neque hoc secretum revelat caro & sanguis (f) sed is qui scrutatur profunda Dei Spiritus Sanctus, qui à Patre Filioque procedens, cum ipsis pariter vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT X.

De discretione spirituum, quorum sex sunt genera scitu digna.

Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt. *Joan. 14.*

1. *Præmisso exordio, ostenditur primum genus spirituũ esse Spiritum Dei, qui loquitur cordi nostro tunc, quando dulcia meditamur & loquimur.* 2. *Genus spirituum est spiritus Angelicus, qui cordi nostro loquitur suggerens bona, & hortans ad bonum.* 3. *Est spiritus diabolicus, suggerens nobis amaritudines, & scandala seminans.* 4. *Est spiritus carnis, qui loquitur cordi nostro tunc, quando mollia carni & sensibus carnis appetimus.* 5. *Spiritus est mundi, qui suggerit cordi nostro vanitatem, ambitionem sæculi, jactantiam, & arrogantiam.* 6. *Genus spirituum est spiritus noster, qui malis spiritibus quandoque conspirat in suam propriam perniciem.*

§. I.

Spiritus Sancti donum (a) juxta Paulum Apostolum, vocatur *discretio spirituum*. Discretionis virtus illa est, (b) quâ veras à palliatis atque simulatis virtutibus discernimus, quâ etiam ipsum Satanam hypocrisis auctorem dignoscimus. Ipse enim *Satanas* (ut ait Apostolus) *transfigurat se in Angelum lu-*

a *Ser. 85. in Cant. num. 13.* b *Ibidem n. 14.* c *Tract. de vit. & mor. Relig. cap. 8. n. 21.* d *Ser. 31. in Cant. num. 6.*

e *Ser. 52. in Cant. num. 2.* f *Ser. 7. in Cant. num. 8.* a *Ser. 18 diver. num. 2.* b *Ser. de 7. grat. Spir. San. num. 5.*

lucis. Ista quidē diſcretionis virtus cæterarū virtutum magiſtra ac domina, omnes alias proinde temperat ac ſupernè gubernat: & ne ultra vel citra evagentur licenter, imperialiter ac diſcretè conſervat. Unde ſponſa ait: (c) *Ordinavit in me charitatem*. Omninò neceſſariè. Importabilis ſiquidem abſque ſcientia eſt zelus. Vbi verò eſt vehemens æmulatio, ibi maximè diſcretio eſt neceſſaria, quæ eſt ordinatio charitatis. Semper quidem zelus abſque ſcientia minùs efficax minùſquè utilis invenitur, plerumque autem & perniciosius valdè ſentitur. Quò igitur zelus fervidior eſt, ac vehementior ſpiritus, profuſiorquè charitas: eò vigilantiori opus ſcientia eſt quæ zelum ſupprimat, ſpiritū temperet, ordinet charitatem. Diſcretio quippè omni virtuti ordinē ponit, ordo modum tribuit & decorem, etiam & perpetuitatem. Unde Propheta ait: *Ordinatione tua perſeverat dies*: diem virtutem appellans. Eſt ergo diſcretio non tam virtus quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixquè affectuum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit, ipſaquè affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumquè naturæ. Iam verò illis [d] qui ad devotionis gratiam perveniunt, unum videtur reſtare periculum, & omninò timendum eis à dæmonio meridiano. Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Hoc ſanè timendum eſt ei qui tanta delectatione omnia facit, ne dum ſequitur affectionem, corpus deſtruat per immoderatam exercitationem; ac deinde neceſſe habeat, non ſine magno ſpiritualis exercitii detrimento, circa debilitati curam corporis occupari. Ergo ne incurrat qui currit, illuminari neceſſe eſt *lumine diſcretionis*, quæ mater virtutum eſt, & conſummatio perfectionis. Hæc nimirùm docet, ne quid nimis: atque hæc eſt octava dies, in qua circumciditur puer: quia diſcretio verè circumcidit, ut non plus nec minus fiat. Nam & qui nimius eſt, fructum boni operis abſcindit, non circumcidit: ſicut qui tepidus eſt, ſi minus facit. Contra nimietatem (e) opponenda eſt conſideratio propriæ fragilitatis. Ipſa enim eſt quæ odioſam præſumptionem potiſſimùm deiicit. Affligendum eſt corpus aliquando [f] ſed non contemnendum. Nam corporalis exercitatio ad modicū valet, pietas autem ad omnia utilis eſt. Quantò enim ſpiritus corpore melior eſt (g) tantò ſpiritualis exercitatio fructioſior. Unde Magiſter Gentium Paulus (h) ex occaſione ipſius ſpiritualis naturæ qua vivimus, ad ſpiritualem converſationem excitans diſcipulos ait: *Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus*. Ac ſi dicat: Si caro non prodeſt quidquam, ſed ſpiritus eſt qui vivificat ipſam, ſeparare oportet precioſum à vili, & digniorem præponere partem viliori, id eſt carni: ut ſecundùm ſpiritum ambulemus, non ſecundùm carnem. Ad ſpiritum enim debet fieri converſio carnis, ut ſerviat ipſa, & non ſervitatur ei, ut dicat ſpiritus ſervo ſuo: Veni, & veniat: fac hoc, & faciat illud. Alioquin maledictus ſpiritus ille qui partem ſuam deteriorē facit. Meledictus homo qui paſcit ſterilem, & viduæ non benefacit. Non eſt charitas (i) ſed iniquitas: non eſt diſcretio, ſed confuſio, ſterilem quæ non parit, paſcere: id eſt, inutilis carnis concupiſcentiis inſervire, & viduæ nil boni facere, animæ videlicet excolendis virtutibus nullam operam dare. Denique (K) ut teſtatur idem Apoſtolus: *Si ſecundùm carnem vixerimus, moriemur*: quoniam qui in carne ambulant, Deo placere non poſſunt: & qui ſeminant in carne, de carne metent corruptionem. *Si autem ſpiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus*: quoniam qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt: & qui ſeminant in ſpiritu, de ſpiritu metent vitam æternam. Prudenter proinde, Fratres, (l) & non ad inſipientiam nobis ſpiritualem elegimus vitam, caſtigare ſcilicet corpus & ſervituti ſubiicere, & Deum qui Spiritus eſt, adorare in ſpiritu & veritate. Sed quia ſpirituum diverſa ſunt genera, neceſſaria eſt nobis eorum diſcretio, præſertim cùm ab Apoſtolo Ioanne dedicerimus, *non omni ſpiritui eſſe credendum*. Videri enim poteſt minùs eruditis, & qui parùm exercitatos habent ſenſus, omnem cogitationem non alterius quàm ipſius humani ſpiritus eſſe ſermonem: quod non ita eſſe & certa fidei veritas probat, & divinarum teſtimonia Scripturarum. *Audiam* (inquit David Propheta) non quid ego loquar, ſed *quid loquatur in me Dominus Deus*. Et Zacharias Propheta: *Angelus*, inquit, *qui loquebatur in me, dixit ad me: Clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus ſum Jeruſalē & Sion zelo magno.*

Primum genus ſpirituum eſt Spiritus Dei. Spiritus Dei tunc cogitationibus noſtris loquitur [m] quando dulcia meditamur & loquimur, hilares nobis & proximis in omni dulcedine & bonitate, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritûs in vinculo pacis. Quoties denique ſuper caſtigando corpore [n] humiliando corde, ſervanda unitate, & charitate fratribus exhibenda, ſeu cæteris virtutibus acquirendis, conſervandis, amplificandis, ſalubris cogitatio in mente verſatur: Divinus ſine dubio Spiritus eſt qui loquitur, aut per ſeipſum, aut per Angelū ſuum. Sunt qui in ſtudiis ſpiritualibus fatigati (o) & verſi in teporem, atque in defectu quodā ſpiritûs poſiti ambulant triſtes vias Domini, corde arente & tædente accedunt ad quæque injuncta, frequentèr murmurant, longos dies & longas conqueruntur noctes, loquentes cum Sancto Job: *Si dormiero dicam, quando conſurgam? & rurſùm expectabo veſperam*. Ergo ubi contingit tale aliquid pati, ſi miſertus Dominus appropiet nobis in via quâ ambulamus, & incipiat loqui de cælo qui de cælo eſt, necnon favorabile quidpiam cantare nobis de canticis Sion, narrare etiam de civitate Dei, de pace civitatis, de æternitate pacis, de ſtatu æternitatis: dico vobis, erit pro vehiculo animæ dormitanti & pigritanti læta narratio, ita ut pellat omne faſtidium ab animo audientis & à corpore fatigationem. An tibi aliud vel pati vel petere ille videtur qui ait: *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis*? Et nonne cùm obtinuerit, clamabit: *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea eſt?* Sunt enim quædam verba Verbi Sponſi ad nos, noſtræ meditationes de ipſo

Ddd 2 &

c *Ser. 49. in Cant. n. 5.* d *Ser. 3. in Circumc. Dom. n. 11.* e *Ser. 5. in Aſſumpt. B. M. n. 13.* f *Tract. de vit. ſolit. cap. 11. n. 32.* g *Tract. de vit. & mor. Relig. cap. 7. n. 17.* h *Ser. 23. diuer. n. 1.* i *Tract. de vit. Relig. cap. 8. num. 21.*

k *Ser. 23. diuer. n. 1.* l *Ibidem num. 2.* m *Tract. de conſcien. cap. 7. n. 12.* n *Ser. 23. diuer. num. 5.* o *Ser. 32. in Cant. n. 4.*

& ejus gloria, elegantia, potentia, majestate. Non solùm autem, sed & cùm avida mente versamus testimonia ejus, & judicia oris ejus, & in lege ejus meditamur die ac nocte: sciamus pro certo adesse Sponsum, atque alloqui nos, ut non fatigemur laboribus, sermonibus delectati. Tu ergo cùm tibi aliqua talia volui animo sentis (p) non tuam putes cogitationem, sed illum agnosce loquentem, qui apud Isaiam Prophetam dicit: *Ego qui loquor justitiam.* Simillima enim sunt nostrę cogitata mẽtis sermonibus Veritatis in nobis loquẽtis:nec facilè quis discernit quid intùs pariat cor suum,quidvè audiat,nisi qui prudenter advertit Dominum in Evangelio loquentem: *De corde exeunt cogitationes malæ.* Et illud: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et: *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur.* Apostolus autem: *Non quòd sufficientes* (inquit) *simus cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis* (subaudis bonum) *sed sufficientia nostra ex Deo est.* Cùm ergo mala in corde versamus, nostra cogitatio est: si bona in corde versamus, Dei sermo est. Illa cor nostrum dicit, hæc audit: *Audiam* (ait Propheta David) *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Itaque pacem, pietatem, justitiam Deus in nobis loquitur: nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. Cæterùm homicidia, adulteria, furta, blasphemiæ, & his similia de corde exeunt: nec audimus ea, sed dicimus. Deniquè *dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Propterea obsecro vos dilectissimi (q) qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei: audientes jugiter quid loquatur in vobis Dominus Deus, quoniam loquitur pacem. Felix & beata anima est illa, quæ venas susurri Divini percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuëlis: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Obsecro vos, ut etiam tacentibus vobis Deum intùs audiatis loquentem & suadentem de regno suo, tantò utiliùs, quantò subtiliùs per internã inspirationem. Cæterùm (r) si huic voci Dei vestri dulciori super mel & favum præparatis aurem interiorem, fugite curam exteriorem, ut expedito & vacante interno sensu dicatis & vos cum Samuële: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* Vox hæc non sonat in foro, sed nec auditur in publico. Secretum concilium, secretum quærit auditum. Auditui vestro gaudium pro certo dabit & lætitiam, si sobria aure perceperitis. At satis dictum esse credo quid Dei [s] quid nostrum in nostro sit corde, nec superfluè (ut arbitror) sed ut sciant inimici gratiæ absque gratia nec ad cogitandum bonum sufficere cor humanum, sed sufficientiam ipsius ex Deo esse, Dei vocem bonum quod cogitatur non cordis prolem existere. Tu ergo si vocem ejus audis, non jam nescius unde veniat, aut quò vadat, sciens quia à Deo exit, & ad cor vadit. Uide autem quomodò verbum quod egreditur de ore Dei, non revertatur ad eum vacuum, sed prosperetur & faciat omnia ad quæ misit illud, ut dicere possis & tu: *Gratia autem Dei vacua in me non fuit*, Felix mens cui Verbum Sponsus individuus comes, ubique sese affabilem præbet, cujus indesinenter oblectata suavitate facundiæ à carnis molestiis & vitiis sese vendicet, omni hora redimendo tempus à diebus malis. Non lassabitur, non molestabitur, quoniam sicut dicit Scriptura: *Non contristabit justum quidquid ei acciderit.*

§. II.

Secundum genus spirituum est spiritus Angelicus. Cernere & mirari est [t] in Angelis & Archangelis veritatem atque experientiam vocis illius: *Quoniam ipsi cura est de nobis*: qui talium nos & tantorum non desinit jucundare visitationibus, instruere revelationibus, suggestionibus commonere, sedulitate solatiari. Animæ suspiranti frequenter [u] imò sine intermissione oranti & affligenti se præ desiderio, cùm interdum desideratus ille qui ita quæritur, miseratus occurrit, puto illi de propria experientia convenire, ut dicat cum sancto Jeremia: *Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te.* Sed & Angelus ejus qui unus est de sodalibus Sponsi, in hoc ipsum deputatus, minister profectò & arbiter secretæ mutuæquè salutationis: is, inquã, Angelus quomodo tripudiat, quomodo collætatur & condelectatur, & conversus ad Dominum dicit: Gratias ago tibi Domine majestatis, quia desiderium cordis ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eam. Ipse est qui in omni loco sedulus quidam pedissequus animę non cessat sollicitare eam, & assiduis suggestionibus monere dicens: *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Et rursum: *Expecta Dominum, & custodi viam ejus.* Item: *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Ad Dominum autem: *Sicut cervus*, inquit, *desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima ista ad te Deus.* Desideravit te in nocte, sed & spiritus tuus in præcordiis ejus de mane vigilavit ad te. Et iterum: *Tota die expandit ad te manus suas, dimitte illam quia clamat post te. Convertere aliquantulùm, & deprecabilis esto super eam.* Respice de cælo & vide & visita desolatam. Fidelis Paranymphus, qui mutui amoris conscius, sed non invidus, non suam quærit, sed Domini gratiam: discurrit medius inter Dilectum & dilectam, vota offerens, referens dona. Excitat istam, placat illum. Interdum quoque (licet rarò) repræsentat eos pariter sibi, sive hanc rapiens, sive illum adducens. Cùm autem divinius aliquid raptim [x] & veluti in velocitate corusci luminis interluxerit menti spiritu excedenti, sive ad temperamentum nimii splendoris, sive ad doctrinæ usum: continuò (nescio unde) adsunt imaginatoriæ quædam rerum inferiorum similitudines infusis divinitùs sensis convenienter accommodatæ, quibus quodammodò adumbratus purissimus ille ac splendidissimus Veritatis radius, & ipsi animæ tolerabilior fiat, & quibus communicare illum voluerit, capabilior. Existimo tamen ipsas formari in nobis Sanctorum suggestionibus Angelorum, sicutè contrario contrarias & malas ingeri immissiones per Angelos malos non dubium est. Adsunt quidem nobis Angeli & Archangeli (y) sed Deus germanior nobis,

p *Ibidem num.* 5. q *Ser.* 23. *diuer. num.* 7. r *Epist.* 107. *nu.* 13. s *Ser.* 32. *in Cant. num.* 7.

t *Lib.* 5. *de considerat. cap.* 4. *num.* 10. u *Ser.* 31. *in Cant. nu.* 5. x *Ser.* 41. *in Cant. num.* 3. y *Lib.* 5. *de considerat. cap.* 5. *num.* 11. & 12.

nobis, qui nonmodò adest, sed inest. Quod si dicas posse inesse & Angelum, non inficior. Memini scriptum esse apud Prophetam Zachariā: *Et Angelus qui loquebatur in me*. Atqui differentia est & in hoc. Inest Angelus suggerens bona, non ingerens: inest hortans ad bonum, non bonum creans. Deus sic inest ut afficiat, ut infundat, vel potiùs ut infundatur & participetur: ita ut unum proinde cum nostro spiritum esse dicere Apostolus non timuerit, etsi non unam personam, unamvè substantiam. Habes enim: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est*. Angelus ergo cum anima, Deus in anima. Ille ut contubernalis animæ inest, Deus ut vita. Certum quoque est (z) Angelum bonum nunquam loqui ex semetipso, sed Deum esse qui loquitur in ipso. Illud etiam scitote (a) nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, ut videlicet nullo mediante nostri suivè corporis instrumento ita nobis immisceatur & infundatur, quo ejus participatione docti sive doctiores, vel boni sive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax. Nec ipsi Angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde prærogativa hæc Summo & incircumscripto Spiritui, qui solus cùm docet Angelum sive hominem scientiam, instrumentum non quærit nostræ corporeæ auris, sicut nec sibi oris. Per se infunditur, per se innotescit, purus capitur à puris. Solus nullius indiget, solus & sibi & omnibus de sola omnipotenti voluntate sufficiens. Operatur tamen immensa & innumera per subjectam creaturam corporalem sive spiritualem: sed quasi imperans, non quasi mendicans. En (verbi gratiâ) quòd linguam meam corporalem assumpsit nunc in opus suum, docere videlicet vos, cùm per se faciliùs absque dubio suaviusquè id posset; profectò indulgentia est, non indigentia. In profectu siquidem vestro meritum quærit mihi, non sibi solatium. Idipsum sapere opus est omni homini operanti bonum, ne fortè in se de bonis Domini, & non in Domino glorietur. Et hæc dixerim, Fratres, (b) ut ampliorem de cætero erga beatos Angelos fiduciam habeatis, ac proinde familiariùs in omni necessitate vestra eorum invocetis auxilia: sed & digniùs in eorum præsentia conversari, & magis ac magis eorum vobis conciliare gratiam, captare benevolentiam, exorare clementiam studeatis. Credimus Angelos sanctos adstare orantibus (c) offerre Deo preces & vota hominum, ubi tamen sine ira & disceptatione levari puras manus perspexerint. Probat hoc Angelus ita loquens ad Tobiam: *Quando orabas cum lacbrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino*. Puto id vobis satis & aliis Scripturæ testimoniis persuasum esse.

§. III.

Tertium genus spirituum est spiritus diabolicus. Etenim in Psalmo 77. [d] didicimus *fieri immissiones per angelos malos*. Unde & timet Paulus Apostolus, ne sicut serpens decepit Evam astutiâ suâ, sic & discipulorum (quibus loquitur) corda decipiantur, ab eo utique cujus ipse Paulus astutias non ignorat. Undè & dicit: *Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs principes & potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum*. Accepit Satan regnum super omnes filios superbiæ [e] factus princeps tenebrarum harum, ut regno humilitatis etiam superbia militet. Princeps iste habens iram magnam [f] tanquam leo rugiens insurgit adversùs nos, cùm videlicet ad iram, ad impatentiam, ad invidiam, ad amaritudinem animi provocamur: importunè ingerendo, si quid minùs amicabiliter, minusvè discretè factū videtur aut dictum: si qua denique aut in signo, aut in verbo, aut in opere quolibet data videtur idignationis occasio, materia suspicionis. Cæterùm (g) vestrum certamen quale est, Fratres mei? Quotidiè vobis suggeritur in cordibus vestris: Frange ordinem tuum, murmura, detrahe, age remissiùs, infirmitatem simula: responde ei qui fortè duriùs locutus est, ut satisfacias desiderio tuo. Spiritus diaboli loquitur [h] quando & amara cogitamus, & aspera proferimus, tristes in nobis, aliis irascentes, ingrati, invidi, sine affectione, sine fœdere. Huic autem cogitationi [i] non aliter quàm ipsi diabolo resistendum est: nec aliter ab ea quàm ab ipsa perditione cavendum est. Scriptum est enim: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Habet quippè nequissimus spiritus laqueos [k] habet & jacula: utpote callidissimus venator hominum, solum sitiens sanguinem & animam. Alios talis appetit malitiosæ cujuslibet suggestionis, & in eis vulnerat multos, quorum tenuis est patientia. Alios voluptatibus irretire laborat, & in his includit multitudinem copiosam eorum quæ in terra repunt, aut volitant juxta eam. Proinde [l] hujus spiritus astutias nosse necesse est, hujus cogitationes non expedit ignorare. Interdum autem transfigurat se malignus ille & nequam spiritus in Angelum lucis, ut virtutis simulatione plùs noceat. Sed & tunc quoque si diligenter advertimus, nonnunquam nisi amaritudinis & discordiæ seminaria spargit. Suadet enim nonnullis singularia jejunia quædam, unde cæteri scandalizentur: non quia jejunium diligat, sed quia scandalo delectetur. Sæpè quidem diabolus [m] per speciem boni vult decipere servos Dei, quando se simulat Angelum lucis: sed discretio sanctorum tanta debet esse, ut inter bonum & malum valeat discernere, ne eos diabolus fraudulenter valeat decipere. Cæterùm [n] nisi cordi illius quem fortè aliquod istjusmodi dæmonium meridianum tentandum acceperit, Oriens ex alto illuxerit verus meridies, qui falsum convincat & prodat: non poterit omninò cavere, sed tentabit & supplantabit sine dubio sub specie boni, pro bono scilicet malum incauto & improvido persuadens. Et tunc meridies, id est major claritas apparet tentans, cùm quasi boni majoris imaginem præfert. Quoties, verbi causâ, [o] suggessit anticipare vigilias, quo ad solemnia fratrum illuderet dormitanti? Quoties suggessit produci jejunia, ut Divinis obsequiis eò inutilem redderet, quò imbecillem? Quoties benè proficientibus in Cœnobiis

z *Ser. 22. diver. num. 5.* a *Ser. 5. in Cant. num. 6.* b *Ser. 1. de S. mich. Archang. num. 3.* c *Ser. 7. in Cant. num. 4.* d *Ser. 23. diver. num. 2.*

e *Ser. 17. in Cant. n. 6.* f *Ser. 23. diver. n. 3.* g *Ser. de S. Clemen. n. 1.* h *Tract. de conscien. cap. 7 tom. 6. pag. 876.* i *Ser. 23. diuer. n. 3.* k *Ser. 1. S. Andr. n. 3.* l *Ser. 24. diuer. n. 1.* m *Tract. de modo bene viuen. cap. 67. num. 157.* n *Ser. 33. in Cant. num. 9.* o *Ibidem. num. 10.*

biis invidens, obtentu quasi majoris puritatis Eremum petere persuasit, & cognoverunt miseri tandem quàm verus sit sermo quem frustra legerant: *Væ soli, quoniam si ceciderit, non habet sublevantem?* Quoties ad opus manuum plus quàm opus fuerat, incitavit, & fractum viribus cæteris Regularibus exercitiis invalidum reddidit? Quàm multis exercitationem corporis (quæ juxta Apostolum ad modicum valet) non modicam persuasit, & pietate fraudavit? Quid denique adversùs illos faciat [p] quos videt omnimodò diligere justitiam, & odisse iniquitatem? Quid nisi ut iniquitatem palliet virtutis imagine? Quos enim perfectos boni noverit amatores, malum eis sub specie boni non mediocris sed perfecti persuadere conatur: ut citò consentiat qui magnopere diligit bonum, & facilè qui currit, incurrat. Hoc est igitur dæmonium nonmodò diurnum, sed meridianum. An non hoc ipsum metuebant Discipuli, quando videntes Dominum supra mare ambulantem, clamabant putantes phantasma esse. Apostoli utique cùm laborarent in remigando [q] vento adversante & jactante naviculam, videntes Christum Dominum ambulantem supra mare, & putantès esse phantasma ita ut clamarent præ timore, nonne apertam meridiani suspicionem dæmonii prætenderunt? Et recordamini Scripturæ dicentis. *Quia quartâ vigiliâ noctis venit ad eos ambulans supra mare*. Quarto igitur, id est supremo demùm loco hæc tentatio formidetur, & quò se in summo stare quis viderit, eò sibi vigilantiùs ab incursu & dæmonio meridiano cavendum intelligat. Porrò Discipulis verus se manifestavit meridies in eo quod audierunt: *Ego sum, nolite timere*: & falsi suspicio ab eis depulsata est. Utinam & nobis quoties palliata falsitas molitur irrepere, emittat lucem suam & veritatem suam ad prodendam illam Oriens ex alto verus meridies, & dividat lucem à tenebris, ut non notemur à Propheta Isaia tanquam ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem. Oportet tamen & arma parare [r] sed arma spiritualia potentia Deo, nonmodò ad resistendum, sed ad impugnandum quoque & expugnandum viriliter inimicum. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli*, ait Apostolus. Quid enim putamus Fratres? Gravis equidem nobis est inimici tentatio, sed longè gravior illi *oratio* nostra. Lædit nos iniquitas ejus atque versutia, sed multò ampliùs nostra eum *simplicitas* & *misericordia* torquet. *Humilitatem* nostram non sustinet, uritur *charitate* nostra, *mansuetudine* & *obedientiâ* cruciatur. Verumtamen necesse est [s] ut deprecemur Deum omnipotentem, ne permittat nos tentari supra id quod possumus sustinere: quia semper Deus vires diaboli restringit, ne tantum noceat, quantum nocere cupit. Unde in Canticis Canticorum Spiritus Sanctus diabolum increpat, dicens: *Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius*. Per *Aquilonem*, qui in frigore constringit & torpentes facit, quid aliud nisi immundus spiritus designatur? qui dum tentat & possidet omnes reprobos, à bono opere torpere facit. Per *Austrum* verò, scilicet calidum ventum, Spiritus Sanctus designatur: qui dum mentes Electorum tangit, ab omni torpore relaxat, & ferventes in amore Dei facit. Ergo surgat Aquilo, id est, malignus spiritus ab Ecclesia, vel ab unaquaque fideli anima discedat: ne ampliùs tentet quàm oportet. Veniatquè Auster & perflet hortum Sponsi, & fluant aromata illius: ut Spiritus Sanctus videlicet adveniens ignem charitatis mentibus infundat, & à tentatione atque torpore negligentiæ mentem solvat. Quod dum agit, aromata fluunt: quia adveniente Spiritu Sancto, cor quod priùs torpuerat, ad bona opera se excitat, & quasi hortus florescit, & post florem fructus redolentes ac reficientes facit, quibus se & proximos suos per bona exempla reficit.

§. IV.

Quartum spirituum genus est spiritus carnis. Esse spiritũ carnis non bonum [t] manifestè Paulus Apostolus indicat, ubi *inflatos spiritu carnis suæ* quosdam esse testatur. Quoniam autẽ spiritualis natura illius est, à sermonibus ejus cognoscemus eum: & quis spiritus sit qui loquitur, ipsa suggestio declarabit. Semper enim spiritus carnis mollia loquitur. Loquitur utiq; [u] cùm mollia carni & sensibus carnis appetimus, cùm ejus curam in desideriis & voluptate perficimus. Quoties ergo importunè, ut assolet, [x] carnalis cogitatio mentem pulsat, verbi gratiâ, cùm de potu, de cibo, de somno, cæterisquè similibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes, humano quodam inardescimus desiderio: certũ sit nobis spiritum carnis esse qui loquitur, & tanquam adversarium repellamus eum, dicentes: *Vade retrò Satana, quoniam non sapis ea quæ Dei sunt*: sed magis sapientia tua inimica est Deo. In Evangelio secundùm Matthæũ, scriptum est de Christo Domino [y] qui tentante diabolo & suadente ut de lapidibus faceret panem, restitit & dixit: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*: deinde tentationibus superatis & tentatore fugato, accesserunt Angeli & ministrabant ei. Et tu ergo, si vis habere ministerium Angelorum, fuge consolationes sæculi, & tentationibus resiste diaboli. Renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. Cum esuris, currere suadet ad panem: at tu potiùs audi dicentem: *Non in solo pane vivit homo*. Cur enim tanta varietate distraheris, ut modò cibum, modò potum, modò vestem aut lectum, nisi pro sola corporis necessaria sustentatione requiras, qui in uno, id est, in verbo Dei potes hæc omnia invenire? Huic ergo cogitationi [z] non aliter quàm ipsi diabolo resistendum est: nec aliter ab ea quàm ab ipsa perditione cavendum est. Tria occurrunt genera cogitationum [a] à quibus multa sollicitudine cavere necesse sit eos qui convertuntur ad cor, & dignum Deo in semetipsis templum exhibere festinant. *Primò* quidem sunt nonnullæ interdum cogitationes penitùs *otiosæ*, & ad rem non pertinentes; quas tam facilè abiicere quàm recipere facilè possit anima, dummodò sit secum habitans in corde suo, & assistens Dominatori universæ terræ. *Secundò* sunt aliæ cogitatio-

p *Ser. 6. super Psal. 90. num. 6.* q *Ser. 33. in Cant. num. 13.* r *Ser. 3. in dedicat. Eccl. num. 2.* s *Tract. de modo benè vivend. cap. 67. num. 152.*

t *Ser. 22. diver. num. 2. & 3.* u *Tract. de conscien. cap. 7. tom. 6. pag. 876.* x *Ser. 23. diver. num. 3.* y *Ser. 4. super. Psal. nu. 2.* z *Ser. 23. diver. num. 3.* a *Ser. 31. diver. num. 1.*

tationes *violenta* magis & fortiùs adhærentes [b] quæ videlicet ad necessitates naturæ pertinent, & quasi ex eodem assumptæ limo, de quo & nos facti sumus: si paululùm insederint, avelli nequeunt sine læsione & difficultate. Sæpè enim sic afficit nos cogitatio carnalis de cibo, de potu, sive vestimento, ut vix eradicari queat de cordibus nostris: quod non aliunde est, nisi quòd & ipsa limosa & viscosa quodammodò, limosam nihilominùs & glutinosam invenerit terram. Vide enim quàm limosum sit corpus, quod ipsi quoque spiritui tam fortiter & penè indissolubiliter inhæret, ut vix cum multa afflictione possit aliquando separari. Quid ergo agendum est cùm limosa illa cogitatio mentem subjerit? Planè oportet reprimere, quem extinguere non possumus appetitum, quemadmodùm dicit Scriptura: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*, *Tertium* cogitationum genus [c] *immundum* nimis ac fætidum est, quod nec admittere quidem ulla ratione debemus, sed à longè præsentire fætorem, & tota virtute repellere, toto animo propulsare: & conversi statim ad gemitus, lachrymis atque suspiriis invocemus Spiritum Sanctum, qui adjuvet infirmitatem nostram. Est enim verè carbo desolatorius: (d) sed qui sic in vitia exerceat vim ignis, ut in anima vicem exhibeat unctionis. Sic nimirùm confusus abscedens malignus hostis (e) non tam facilè deinceps simile aliquid viriliter resistentibus nobis offerre vel afferre præsumet. Dico autem cogitationes illas immundas penitùs ac fætidas, quæ ad luxuriam, ad invidiam & vanam gloriam pertinent, cæteraquè vitia detestanda. Oportet enim si mundas conservare volumus animas nostras, adhuc longè agentibus cogitationibus hujusmodi multa cum indignatione occurrere, & exsufflare à nobis, ut nullus eis detur accessus. Et primum quidem genus cogitationum ociosarum, scilicet ad rem non pertinentium, lutum est, sed lutum simplex, id est, non inhærens nec fætens, nisi fortè diutiùs immoretur in nobis, & per incuriam ac negligentiam nostram in alterum genus cogitationum vertatur, quod quotidiè experimur: dum enim ociosa tanquam minima spernimus, ad turpia atque inhonesta dilabimur. Secundum verò cogitationum genus non lutum simplex, sed (ut iam dixi) viscosum ac limosum est. Nam tertium quidem genus cogitationum sic cavendum est non tanquam lutum aut limus, sed tanquam immundissimum ac fætidissimum cænum. Sanè (f) malæ cogitationes à diabolo immissæ citò in mentibus nostris accenduntur, carnis mollitie consentiente: sed si viriliter studeamus resistere, Deo juvante protinùs extinguuntur. Magnum quidem discrimen est (g) adversùs diabolicæ fraudis astutias tam crebros imò continuos habere conflictus; quem nec videre quidem possumus, & quem nimis astutum fecerit tam natura subtilis, quàm longa exercitatio malitiæ ejus. Verumtamen in nobis est si vinci nolumus, & nemo nostrûm in hoc certamine deiicitur invitus. *Sub te est ô homo appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Potest inimicus excitare tentationis motum, sed in te est si volueris dare seu negare consensum. In tua facultate est si volueris inimicum tuum facere servum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflammat inimicus desiderium cibi, vanitatis aut impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum: tu solummodò ne consenseris: & quoties restiteris, toties coronaberis. Resistamus ergo diabolo (h) & fugiet à nobis, ut liberè jam ambulemus in spiritu, & in corde sit conversatio nostra.

§. V.

Quintum genus spirituum est spiritus mundi. Esse spiritum hujus mundi (i) manifestè Paulus Apostolus declarat, ubi gloriatur in Domino pro se pariter & pro discipulis suis, non quòd eum acceperint: *sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus*, inquit, *quæ à Deo donata sunt nobis*. Semper spiritus mundi (k) vana loquitur. Cùm enim de ambitione sæculi, de jactantia & arrogantia, cæterisquè similibus, cogitatio vana versatur in cordibus nostris, spiritus mundi est qui loquitur, longè perniciosior hostis, & majori sollicitudine repellendus. Semper inquam spiritus mundi loquitur vana: (l) & ipse tunc loquitur cordi nostro, cùm vanitatem diligimus, cùm de vanitate lætamur, cùm delectamur in vanitate. Vana superbia seu vanitas est vitium (m) quo quis tam de eo quod est, quàm de eo quod non est, suis magis quàm Dei laudibus delectatur. Hinc arguimur (n) & dicitur nobis: *Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quæ est ista dementia filii Adam (o) laborem pro perituris *divitiis* assumere, circuire maria, perambulare terras, rapi extra mundum, in laboribus plurimis, in vigiliis multis, in jejuniis crebris, in mortibus frequenter? Ecce quales *divitiæ*. Sed quid de *honoribus*? In sublimi loco positus es, ducem te constituerunt: vide si non à Deo judicandus es, ab hominibus spectandus, ab omnibus lacerandus. Similes es, excubas ante limina Principis, ut principatum acquiras: & ferrato vestitus amictu, proprior es vulneri quàm honori, morti quàm vitæ, periculo quàm præmio. Si de sorte Domini es, nonne Episcopus Romanum Pontificem, Archidiaconus vel Diaconus Episcopum pertimescit? Numquid in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis potest? Ecce quales honores? Quid autem de *gloria*? Gloria tibi unde fætide pulvis, limus terræ, vas in contumeliam? Non tibi, non tibi, sed Nomini Domini da gloriam. Illi permitte gloriam suam, qui gloriosus est in Sanctis suis. Illum lauda, quem laudant Angeli in cælis. Ipse (p) nocte voluit nasci. Ubi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? Christus elegit quod salubrius judicat, vos eligitis quod reprobat ille. Quis prudentior è duobus? Cujus judicium justius? Cujus sententia sanior? Denique tacet Christus, non se extollit, non magnificat, non prædicat: & ecce nunciat eum Angelus, laudat multitudo cælestis exercitus. O humilitas virtus Christi (q) quantum confundis superbiam nostræ vanitatis! Parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, & jam

b *Ibidem. num.* 2. c *Ibidem. num.* 3. d *Ser.* 57. *in Cant. nu.* 7. e *Ser.* 31. *diver. num.* 3. f *Ser.* 71. *diver. num.* 2. g *Ser.* 5. *in Quadrag. num.* 3.

h *Ser.* 1. *in Purificat. B. M. nu.* 4. i *Ser.* 23. *diver. n.* 2. k *Ibidem nu.* 3. l *Tract. de conscien. cap.* 7. m *Tract. de vit. & mor. Episc. cap.* 5. *nu.* 19. n *Ser.* 11. *super. Psal.* 90. *num.* 12. o *Ser.* 42. *diver. nu.* 3. p *Ser.* 3. *in Nat. Dom. num.* 2. q *Ser.* 2. *in Epiph. Dom. num.* 8.

jam silere non possum: impudenter me & imprudenter ingerens & ostentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cùm tanto tempore silebat, cùm seipsum abscondebat, numquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui est vera gloria Patris? Utique timebat, sed non sibi. Nobis timebat ab illa, quibus noverat esse timendum: nobis cavebat, nos instruebat. Tacebat ore, sed instruebat opere. Et tu ergo qui Christum sequeris (r) inventum absconde thesaurum. Ama nesciri, laudet te os alienum, sileat tuum. Adhuc autem in stabulo nascitur Christus, & in præsepio reclinatur. Et nonne ipse est qui dicit: *Meus est orbis terræ, & plenitudo ejus?* Quid ergo stabulum elegit? Planè ut reprobet gloriam mundi, damnet sæculi vanitatem. Quid est enim (s) nisi vanitas vanitatum quidquid sub Sole est? aut quid amplius habet homo de universo labore suo quo laborat? Fratres: Sub Sole est, quidquid oculis cernitur, quidquid huic corporeæ luci subjacere videtur. Quid verò illud nisi vapor ad modicum parens? Quid illud nisi fænum, & flos fæni? *Omnis caro fænum* (ait Dominus) *& omnis gloria ejus quasi flos fæni*. Porrò ex cordis thesauro sine dubio procedit (t) quidquid foris apparet vitiosum. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est. Et quid vanius (u) quàm diligere vanitatem. Et quid iniquius, quàm contemnere veritatem? Non vultis ô miseri (x) dicere cum David: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Utique foris fusi in vanitates & insanias falsas, intimũ optimumquè non requiritis veritatis auditum. *Filii hominum usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Surdi ad vocem veritatis, ignorantes consilium cogitantis cogitationes pacis: sed & loquentis pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor. Caveamus ergo dilectissimi (y) cogitationes inutiles, ut animarum facies decora permaneat. Exeamus de terra nostra, ut non comprehendat nos cogitatio spectans ad voluptatem carnis. Exeamus & de cognatione nostra, id est, à cogitationibus curiositatis, quæ nimirùm cùm in sensibus corporeis habitet, carnali utique cognata est voluptati. Exeamus etiam de domo patris nostri, ut fugiamus cogitationes superbiæ & vanitatis. Quod si fortè aliquandò talis aliqua cogitatio mentem subierit, tota sollicitudine laboremus citiùs abluere & eradere sordem, qua nos maculari conspicimus, clamantes cum Propheta ac dicentes: *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor*. Jam verò si quando fortè per incuriam & negligentiam nostram transierit cogitatio inutilis etiam in affectum cordis (scientes quoniam non macula est jam, sed plaga) tota festinatione ad auxilium Spiritus Sancti, qui adjuvet infirmitatem nostram, recurramus, clamantes illud de Psalmo & dicentes: *Domine miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi*. Humanæ enim sunt tentationes istæ, nec ex toto caveri possunt quamdiu in hoc corpore mortis peregrinamur à Domino. Nemo tamen parvipendat aut dissimulet ista, quoniam etsi non mortifera sunt, certè periculosa.

§. VI.

Sextum genus spirituum est spiritus humanus. Fit enim aliquando (z) ut spiritus noster à quolibet dictorum trium spirituum (videlicet diaboli, carnis, ac mundi) crebrò superatus, & servus addictus illi in suam ipsius perniciem (heu!) vices illius agat, ut jam sine omni alterius spiritûs suggestione ipsa ex se anima, aut voluptuosas, aut vanas, aut amaras pariat cogitationes. Jam verò non facilè arbitror posse discerni, quando noster ipse loquitur spiritus, quandovè loquentem alterum audiat quemlibet è tribus illis spiritibus. Sed est præterea quod corde quidem sentitur (a) non tamen cordis est verbum; nec enim de corde exit sicut nostra cogitatio: sed neque illud est quod ad cor fieri diximus, verbũ videlicet Verbi Dei, cùm sit malum: immittitur autem à contrariis potestatibus, sicut fiunt immissiones per Angelos malos, quale (verbi causâ) fuit quod legitur misisse in cor diabolus, ut traderet Dominum Judas Simonis Iscariotis. Uerùm (b) quis ita vigilet diligens observator motionum internarum suarum, sive in se, sive & ex se factarum, ut liquidò ad quæque illicita sensu cordis sui discernat inter morbum mentis, & morsum serpentis? Ego nulli hoc mortalium possibile puto, nisi qui illuminatus à Spiritu Sancto speciale accepit donum, quod Apostolus inter cætera charismata quæ enumerat, nominat *discretionem spirituum*. Quantumlibet enim quis secundùm Salomonem omni custodia servet cor suum, & omnia quæ intra se moventur, vigilantissima intentione observet, etiamsi diuturnum fortè in his habueri exercitium & frequens experimentum: non poterit tamen ad purum in se dignoscere discernerevè abinvicem malum innatum, & malum seminatum. Nam delicta quis intelligit? Nec multum refert nostra scire unde insit nobis malum, dummodò inesse sciamus: vigilandum potiùs & orandum undecunque sit, ne consentiamus. Denique orat Propheta contra utrumquè malum dicens: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo*. Et ego non possum tradere vobis quod non accepi. Non autem accepi, fateor, unde assignem certam notionem inter partum cordis, & seminarium hostis. Quippè utrumque malum, utrumque à malo: utrumque in corde, sed non utrumque de corde. Hoc totum certum mihi in me, etsi incertum quid cordi, quid hosti tribuam? Quid refert quicunque spirituum loquatur (c) dum unum & idem sit quod loquĩtur? Quid refert loquentis nosse personam, dum constat perniciosum esse quod loquitur? Si inimicus est, resiste viriliter inimico: si tuus ipse spiritus est, argue eum, & miserabiliter plange, quòd in tantam miseriam & tam miserabilem devenerit servitutem. Impulsor *diabolus* est (d) impulsor *mundus*, impulsor *homo*. Quis iste homo sit quæris? Quisque sui. Noli mirari, usque adeo homo impulsor sibi est, & suimet præcipitator, ut non

r *Ser. 3. in nat. Dom. num. 2.* s *Ser. in nat. S. Ioan. Bapt. nu. 7.* t *Tract. de vit. & mor. Regular. cap. 10. num. 20.* u *Epist. 18. num. 1.* x *Epist. 107. num. 12.* y *Ser. 6. diuer. num. 2.*

z *Ser. 23. diuer. num. 4.* a *Ser. 32. in Cant. num. 5.* b *Ibidem num. 6.* c *Ser. 23. diuer. num. 4.* d *Ser. 85. in Cant. num. 3.*

sit quod ab altero impulsore formides, si ipse à te proprias contineas manus. *Quis enim* (ait Apostolus Petrus) *vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis?* Manus tuæ est consensus tuus. Si diabolo suggerente vel sæculo suadente quod non oportet, assensum tuum tenueris, & non dederis membra arma iniquitati, nec permiseris regnare peccatum in tuo mortali corpore: bonum te æmulatorem probasti, cui malitia omninò nil nocuit, vide ne magis profuerit. Studiosiùs igitur deinceps consideremus (e) quonam modo malignorum illorum spirituum suggestiones audire, imò quanta indignatione abiicere debeamus, avertentes aures nostras ne audiamus sanguinem, & sapientiam quam revelat caro & sanguis: paruulos quoque Babylonis, cogitatus scilicet mundanos ab ipso initio tenentes, & allidentes ad petram: ipsum etiam malignum spiritum diaboli cum tentationibus suis à conspectu cordis nostri abiicientes, & deducentes ad nihilum. Eas verò cogitationes, quæ justitiæ & veritatis nos admonent, tota devotione suscipientes, divinæ dignationi gratiam habeamus: nec aliquando tantæ benignitati inveniamur ingrati, sciẽtes quoniam ipse est qui loquitur justitiam: ipse enim est, cujus sermo veritas est. Quantæ enim temeritatis, imò quantæ insaniæ est, si fortè dum alloquitur nos Dominus majestatis, nos insensati avertamus aurem, & ad nescio quas ineptias convertamur? Quanta est hæc iniuria, & quàm graviter vindicanda, cùm vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur Creatorem universitatis? Quanta verò & quàm ineffabilis divinæ dignatio bonitatis, quæ quotidie conspicit nos infelices avertentes aures, obdurantes corda, & nihilominùs clamat ad nos, & jugiter clamitat in plateis? Verè in plateis, quia in latitudine charitatis. Ecce enim bonorum meorum non eges Domine, & tamen dicis: *Convertimini filii hominum.* Et iterùm clamitas: *Revertere, revertere Sunamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.* Propterea obsecro vos dilectissimi (f) qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei: audientes jugiter quid loquatur in vobis Dominus Deus, quoniam loquitur pacem. Hoc quoque audiatis (g) quod loquitur Apostolus, dicens: *Providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Tribus equidem modis providemus bona coram Deo, id est *cogitatione, affectione, & intentione.* Nam cogitatio debet esse sancta, & affectio pura, & intentio recta. Sunt autem tria ista, id est cogitatio, affectio, intentio, in anima. Sed in ea quoque propriis singula locis destincta videntur. Nam cogitatio in memoria est, affectio in voluntate, intentio in ratione consistit. Ne autem (h) à memoria repellat Deum irruens turba plurimarum cogitationum, quæ solent effluere tanquam vilis plebs in atrium, ponatur ad *Memoriæ* portam janitor, cujus nomen est *recordatio professionis*: ut cùm turpibus sese cogitationibus senserit animus prægravari, increpet se & dicat sibi: Tune debes hæc cogitare qui Sacerdos es, qui Clericus es, qui Monachus es? Cultor justitiæ debetne in se quidquam iniquum admittere? Decetne seruum Christi, amatorem Dei tale aliquid ad modicum admittere? Hæc dicendo, excludet fluxum illicitæ cogitationis per recordationem propriæ professionis. Similiter ad portam *Voluntatis*, in qua solent manere carnalia desideria tanquam in domo domestica familia, statuatur ostiarius qui vocatur *recordatio cælestis patriæ*. Hic enim potest prauum desiderium quasi cuneus cuneum expellere, & ipsum qui ait, *Ecce sto ad ostium & pulso*, sine cunctatione recipere. Jam verò ad thalamũ *Rationis* talis & tam ferox adhibendus est custos qui nemini parcat, sed quicunque hostis sive clam sive palam ingredi præsumpserit, procul eum arceat, & hic sit *recordatio gehennæ*. In cæteris siquidem, id est in memoria & voluntate, non ita est intolerabile, si vel memoria recipiat quandoque vagam cogitationem, vel voluntas impuram affectionem. Hoc verò gravissimum est & omninò damnosum, si unquam ratio perdiderit rectitudinem intentionis. Si nec fides sine operibus (i) nec opera sine fide sufficiunt ad animi rectitudinem: nos qui Christum credimus, rectas studeamus facere vias nostras & studia nostra. Levemus corda cum manibus ad Deum, ut toti recti inveniamur, fidei nostræ rectitudinem rectis actibus comprobantes, dilectores sponsæ, dilecti à Sponso Jesu Christo Domino nostro, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

DEO GRATIARUM ACTIO,
ET BEATO BERNARDO,
Servo ejus dulci & fideli.

S. Bonavent. Conclus. tract. medit. de vita Christi.

Eee PHI-

e Ser. 23. diver. nu. 6. f Ibidem nu. 7. g Ser. 32. diver. nu. 2. h Ibidem num. 4. i Ser. 24. in Cant. num. 9.

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Undecima,

De ſecretis Regni cæleſtis, quæ illis ſolis, qui poſſidebunt regnum cælorum, revelabuntur.

Cùm venerit Filius hominis in majeſtate ſua, tunc dicet his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Matt. 25.

CAPUT I.

De gloria & fælicitate Regni cæleſtis.

Pænitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum. *Matt.* 3.

1. *Oſtenditur, paradiſum terreſtrem ſimul & cæleſtem amiſſum fuiſſe per peccatum primi hominis Adam.* 2. *Oſtenditur, paradiſum cæleſtem reſtitutum eſſe nobis per meritum paſſionis ſecundi hominis Domini Jeſu Chriſti.* 3. *Oſtenditur, neminem noſtrûm poſſe intrare in Regnum cælorum, niſi mediante merito juſtitiæ & humilitatis.*

§. I.

TESTANTUR ſacræ litteræ (a) in paradiſo olim poſitum fuiſſe primum hominem Adam, ut operaretur & cuſtodiret illum. Operaretur delectabiliter (b) cuſtodiret fideliter & ſibi & poſteris ſuis. In actione utique & meditatione poſitus erat homo (c) ſine paſſione habēs actionem, habens etiam ſine labore meditationem. Dico autem quando poſitus erat in paradiſum, ut operaretur & cuſtodiret. Verùm hinc quoque ſi non caderet, erat aliquando promovendus ut ſola jam frueretur contemplatione. Propter hoc quoque Deus creavit homines ab initio (d) qui ſupplerent locum cæleſtem, & ruinas Jeruſalē reſtaurarent. Primus homo ad hoc etiam conditus fuerat (e) ut ſi non peccâſſet, per contemplationis præſentiam vultui Creatoris ſemper aſſiſteret, & ſolidum veritatis agnoſceret, agnitum amaret, amatum teneret, tenendo frueretur: ſemperquè ei adhærendo qui immortalis eſt, etiam vitam ipſe ſine termino poſſideret: verum enim & ſummum bonum hominis eſt, plena videlicet & perfecta agnitio Creatoris. Sed circumſcriptus aſtutiâ ſerpentis, & deceptus fuco vanitatis (ſpecie videlicet creaturæ viſibilis) ab Jeruſalem in Jerico deſcendit, fontem veritatis deſervit, affectum pulchritudini rerum inclinavit: & ſtatim ignorantiæ cæcitate percuſſus foras venit, & ab intima luce contemplationis factus eſt vagus & profugus ſuper terram. Ab illa itaque lucidiſſima die (f) in qua conditus fuerat Adam, ejectus eſt, & in has rerum contruſus anguſtias, diem tenebroſum incurrit, & penè à lumine veritatis extinctus eſt. Erat quidem primus homo gloriâ & honore coronatus (g) conſtitutus ſuper opera manuum Domini, incola paradiſi, Angelorum civis, & domeſticus Domini Sabaoth: ſed ab iſta gloria filiorum Dei depoſuit ſemetipſum, à fælici illa & dulciſſima patria & à horto voluptatis exulem ſe fecit. Comedit de ligno mulier (h) quod ſibi dederat ſerpens, quod vetuerat Deus: deditquè viro ſuo, & cepit illis quaſi de novo dieſcere. Nam illicò aperti ſunt oculi amborum, & factus eſt dies conſpirans, inſpirantem diem extundens, & ſubſtituens expirantem. Conſpiraverunt ſiquidem & convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus, ſerpentis aſtutia, mulieris blanditia, viri mollities. Unde & loquebantur mutuò Dominus ſcilicet & Chriſtus ejus: *Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis*: quòd ad utriuſque injuriam laſtantibus ſe peccatoribus acquieviſſet. Proinde Dominus hominem peccantem non diſtulit (i) ſed protinùs expulit de paradiſo. Ejecto autem homine (k) Cherubim ad cuſtodiam ante paradiſum voluptatis poſuit

S. Bernard. Abb. juxta ejus libror. edit. authore Horſtio in VI. Tom. impr. Pariſiis ann. 1667. a *Ser. 6. in dedicat. Eccl. num. 3.* b *Ser. in fer. 4. hebd. ſan. num. 11.* c *Ser. 2. diuer. num. 6.* d *Ser. 1. de Aduen. Dom. num. 5.* e *Ser. 2. ſuper Sal. Reg. num. 9.* f *Ser. 3. in vig. Nat. Dom. num. 2.* g *Ser. 12. diuer. nu. 2.* h *Ser. 72. in Cant. num. 8.* i *Ser. 13. diuer. num. 1.* k *Ser. 5. de verbis Eſa. num. 7.*

posuit Deus. Nec incongruè forsitan Cherubim flammeus traditur gladius, ut à ligno vitæ incisio pariter & incensio (quibus nihil carni terribilius est) manum prohibeant corporalem: & ut homini peccanti [l] paradisi per Cherubim prohibeatur ingressus. Adam porrò audivit [m] *Egredere* (inquit Scriptura) *& abi post greges sodalium tuorum, & pasce hædos tuos*. In quo (ut mihi videtur) magnæ cujusdam rei nos admonet. Quid istud? Heu quòd egregia creatura jam olim facta de grege, & nunc in pejus miserabiliter proruens, & non saltem inter greges remanere permittitur, sed & post abire jubetur. Quomodò inquis? Quomodo legis: *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Ecce quomodò de grege facta est egregia creatura. Puto dicerent jumenta si loqui fas esset: *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis. Cùm in honore esset*, inquit. In quo honore quæris? Habitabat in paradiso, & in loco voluptatis conversatio ejus. Nihil molestiæ, nihil indigentiæ sentiebat: sed odoriferis stipatus malis erat, fulcitus floribus, gloria & honore coronatus, & constitutus super opera manuum Plasmatoris. Magis autem ob insigne Divinæ similitudinis præcellebat, & erat illi sors & societas cum plebe Angelorum, & cum omni militia cælestis exercitus. Sed mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fœnum. Heu tristis & lachrymosa mutatio [n] ut homo paradisi accola, terræ dominus, cæli civis, domesticus Domini Sabaoth, frater beatorum Spirituum, & cælestium cohæres Virtutum, repentina se conversione invenerit, & propter infirmitatem jacentem in stabulo, & propter pecorinam similitudinem indigentem fœno, & propter indomitam feritatem alligatum præsepio, sicut scriptum est: *In camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Sed quænam causa, inquis [o] tantæ dejectionis? Profectò quòd *homo cùm in honore esset* (ait scriptura) *non intellexit*. Quid non intellexit? Non dicit. Nos dicamus. Positus in honore non intellexit quòd limus esset, honoris fastigio delectatus: & continuò in se expertus est, quod tanto post tempore homo de filiis captivitatis & prudenter advertit, & veraciter protulit dicens: *Qui se putat aliquid esse cùm nihil sit, ipse se seducit*. Væ misero, quòd non fuit qui jam tunc diceret ei: *Quid superbis terra & cinis?* Hinc egregia creatura gregi admixta est: hinc bestiali similitudine Dei similitudo mutata est: hinc societas cum jumentis pro consortio Angelorum inita est. Nobilis namque creatura in regione similitudinis fabricata [p] quia ad imaginem Dei facta, cùm in honore esset non intellexit, & de similitudine in dissimilitudinem descendit. Magna prorsùs dissimilitudo, de Paradiso ad infernum, de Angelo ad jumentum, de Deo ad diabolum. Execranda conversio, gloriam in miseriam, vitam in pugnam perpetua captivitate convertere. Maledicta descensio de divitiis ad paupertatem, de libertate ad servitutem, & de requie ad laborem descendere.

§. II.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Joan. 14.

Pro paradiso quem perdidimus [q] restitutus est nobis Christus Salvator. Restituta est quoque nobis [r] regio paradisi supercælestis. O beata regio supernarum Virtutum, ubi Beata Trinitas à beatis facie ad faciem videtur. Ubi etiam illa sublimia agmina sublimi pennarum applausu clamare non cessant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. O locus *voluptatis*, ubi torrente voluptatis potantur Justi! Locus *splendoris*, ubi Justi fulgent sicut splendor firmamenti. Locus *lætitiæ*, ubi lætitia sempiterna super capita eorum. Locus *abundantiæ*, ubi nihil deest videntibus Deum. Locus *suavitatis*, ubi apparet Dominus suavis universis. Locus *pacis*, ubi in pace factus est locus ejus. Locus *admirationis*, ubi sunt mirabilia opera ejus. Locus *satietatis*, ubi satiabimur cùm apparuerit gloria ejus. Locus *visionis*, ubi videbitur magna visio. O regio sublimis! in qua Dominus transiens ministrabit Electis suis, id est, talem se qualis est ostendet. Illic erit Deus omnia in omnibus, ubi rerum Universitas mirabiliter ordinata dabit Creatori gloriam, lætitiam creaturæ. Curre spiritualis anima oculis desideriorum per regionem istam, & vide Regem gloriæ in decore suo gloriosum, stipatum legionibus Angelorum, Sanctorum ornatum agminibus, deponentem superbos, humiles exaltantem, damnantem dæmones, homines redimentem, & dic: *Beati, qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Beati, in quibus Jesus regnabit in æternum (s) quia & ipsi cum eo regnabunt: & regni ejus non erit finis. O quàm gloriosum est regnum illud, in quo Reges congregati sunt, convenerunt in unum, ad laudandum scilicet & glorificandum eum, qui super omnes est Rex regum & Dominus dominantium! De cujus splendidissima contemplatione fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. O si & mei peccatoris meminerit Jesus in beneplacito populi sui, cùm venerit in regnum suum! O si me in illa die, quando traditurus est regnum Deo & Patri, visitare dignabitur in salutari suo, ad videndum scilicet in bonitate Electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, ut laudetur etiam à me cum hæreditate sua! Fateor, non sum dignus ego (t) nec propriis possum meritis regnum obtinere cælorum. Cæterùm duplici jure illud obtinens Dominus meus Jesus, hæreditate scilicet Patris, & merito passionis: altero ipse contentus, alterum mihi donat; ex cujus dono jure illud mihi vendicans, non confundor. Siquidem & Apostolis (u) ne dubitarent se apud Deum in æterna vita cum Christo mansuros, dicit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Et est sensus: In æterna vita vos mecum regnabitis, in qua sunt multæ mansiones, id est, multæ dignitates: quia ibi alia est claritas Solis, alia Lunæ, alia Stellarum. Domus Dei Patris est ipsa prædestinatio, & præscientia ejus.

l *Tract. de grad. humil. cap. 10. nu. 35.* m *Ser. 35. in Cant. nu. 3. & 4.* n *Ibidem nu. 5.* o *Ibidem nu. 6.* p *Ser. 42. diuer. nu. 2.*

q *Ser. 96. diuer. nu. 1.* r *Ser. 42. diuer. nu. 7.* s *Ser. 4. super missus. num. 2.* t *Lib. 1. Vitæ S. Bernard. cap. 17. num. 57. pag. 35.* u *Ser. 6. in ultim. Cæna num. 40. & 41.*

In hac domo unusquisque perfectus habet mansionem pro numerato denario, qui idem omnibus datur : qui denarius est una & non diversa in æternitate vivendi mensura. Vel aliter: Domus *Patris mei* est templum Dei, & regnum Dei, homines scilicet justi. In quibus multæ sunt differentiæ : & hæc sunt mansiones ipsius domus, scilicet illæ dignitates quæ sunt paratæ in prædestinatione, sicut Apostolus dicit: *Qui elegit nos ante mundi constitutionem* prædestinatione. Sed sunt sperandæ in operatione, unde Apostolus ait: *Quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit*. Et hoc est quod Dominus dicit: *Si quominus dixissem vobis, quia vado parare vobis locum: & si abiero, & præparavero vobis locum: iterùm veniam & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis*. Et est sensus: In domo Patris mei diversa sunt prēmia meritorum. *Et si quominus*, id est, si non essent, *dixissem vobis* hoc, scilicet, *vado parare vobis locum*: sed quia ibi sunt præparata per prædestinationem, non est opus ut alias illic mansiones per prædestinationem præparem. Et quoniam non dum sunt in operatione, addit: *Etsi abiero, & præparavero vobis locum: iterùm veniam & accipium vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis*. Ac si diceret: In domo Patris mei habetis mansiones per prædestinationem: sed vado ad Patrem, & illas vobis præparabo per operationem. In domo Patris mei habetis æternam mansionem, sed jam non potestis ad illam venire, nisi per magnum laborem. In domo Patris mei mansiones habetis tantùm ex gratia Dei, & dono: sed volo ut illas jam habere debeatis ex me. A vobis recedo secundùm humanitatem, non recedens à vobis secundùm Divinitatem: & præparabo vobis secundùm meam humanitatem, illam ineffabilem beatitudinem, quam vobis paravi ab origine mundi secundùm Divinitatem. Illa ineffabilia gaudia vitæ perennis utcunque percipere non potestis, nisi priùs fuero carne solutus, & iterùm eadem carne vestitus. Ascendam in cælum, & mittam vobis Spiritum Sanctum, qui vos sic doceat operari per operationem & gratiarum actionem, quatenùs regnum æternæ felilicitatis, quod vobis paratum est per prædestinationem, habere habeatis per operationem. Dominus Jesus quotidie fidelibus suis locum præparat (x) dum Carnem suam Deo Patri pro salute generis humani fuisse passam demonstrat: & sic nobis locum quem paraverat per Divinitatem, jam illum nobis tribuit per suam humanitatem: sed tunc nos introducet in illas beatissimas mansiones, si in ejus fide & dilectione vixerimus, cùm venerit reddere unicuique secundùm opera sua. Et hoc est quod dicit: *Iterùm veniam, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis*. Quod est dicere: Apparebo in judicio, & introducam vos in illas mansiones, ut ibi mecum maneatis in æternum. O summa, ô felix beatitudo, habitare cum Christo! Quis ad hanc felicitatem, ad hanc tam gloriosam beatitudinem pervenire valebit? Quis erit tam felix, quis sic summè beatus, ut possit regnare cum Christo, videre gloriam & pulchritudinem ejus?

x *Ibidem. num. 42.*

§. III.

Euntes docete omnes Gentes, & dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei. **Matt. 28. Luc. 10.**

Regnum Dei conceditur (y) promittitur, ostenditur, percipitur. Conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in justificatione, in glorificatione percipitur. Vnde est illud: *Uenite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei*. Sic enim ait Apostolus: *Quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & magnificavit*. In prædestinatione est gratia, in vocatione potentia, in justificatione lætitia, in magnificatione est gloria. Ita ergo initium meum solius gratiæ est (z) & non habeo quid mihi in prædestinatione attribuam sine vocatione. Non sic sanè ab opere justificationis alienus sum, operatur & illud gratia, sed planè mecum. Porrò consummatio quidem & ipsa solius gratiæ est: nec est mihi in hac parte vel cum ea sive in ea gloriari, quasi coadiutor videar aut cooperator. Justificatio est via (a) per quam fit transitus ad glorificationem, dicente Apostolo: *Quos autem justificavit, hos & magnificavit*. Neque enim poterit obtineri magnificatio, nisi justificatio præcesserit: cùm ista meritum, illa præmium sit. Hoc in Evangelio docuit Dominus, qui cùm discipulis evangelizaret regnum Dei, primò eis proposuit justitiam, dicens: *Nisi abundaverit justitia vestra plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*. Notandum est autem (b) quòd sicut in illo beatitudinis regno præsentem se Electis suis exhibebit Dominus ad glorificationem, ita etiam se eisdem ipsis exhibet in via peregrinationis ad justificationem: ut à quo scilicet glorificandi sunt per speciem, ab ipso priùs justificentur per fidem. Et quidem tria sunt, à quibus abstinere debent quicunque justificari desiderant. *Primò* utique ab operibus pravis, *secundò* à carnalibus desideriis, *tertiò* à curis sæculi. Item tria sunt quibus debent insistere (quæ etiam continet sermo Domini in monte) eleemosyna, jejunium, oratio. Sic enim adimpletur justificatio, dum ab interdictis vitiis abstinent, & bona quæ præcepta sunt fideliter exercent. Opponantur ergo pravis operibus opera misericordiæ: contra carnalia desideria adhibeantur jejunia: & pro curis sæculi succedat amor Dei, & frequentia orationis. Sed quid sibi vult dilectissimi (c) quod præcipit Dominus, ut convertamur ad eum, dicens: *Convertimini ad me in toto corde vestro?* Ubique enim est, & replet omnia, & nihilominùs complectitur universa. Quò me vertam, ut convertar ad te Domine Deus meus? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Quid jubes? quò convertar ad te? Supra, an infra? ad dexteram, an ad sinistram? Consilium istud, Fratres mei, secretum est, quod solis credatur amicis. Mysterium regni Dei est, Apostolis revelatur in aure, nam turbis nihil dicitur absque parabola. *Nisi conversi fueritis*, inquit, *& efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnũ cælorum*. Agnosce planè quò velit ut convertamur. Ad paruulum converti necesse

y *Ser. 21. diuer. num. 1.* z *Ser. 4. de verb. Esai. num. 4.* a *Ser. 105. diuer. num. 2.* b *Ibidem. nu. 2.* c *Ser. 2. in Quadrag. nu. 1.*

se est, ut discamus ab eo, quia mitis est & humilis corde. Ad hoc siquidem paruulus datus est nobis. Sanè idem & magnus est, sed in civitate Domini, cui & dicitur: *Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël.* Quid tu inflaris ô homo? Quid extolleris sine causa? Quid alta sapis, & oculi tui omne sublime vident, quod tibi non cedet in bonum? Sublimis quidem Dominus, sed non ita proponitur tibi. Laudabilis magnitudo illius, non etiam imitabilis. Elevata est magnificentia illius, non poteris ad eam: nec si te ruperis, apprehendes. *Accedat* (inquit Propheta) *homo ad cor altum & exaltabitur Deus.* Excelsus siquidem Dominus & humilia respicit, & alta à longe cognoscit. Humiliare, & apprehendisti. Hæc planè lex est pietatis: & propter hanc legem sustinui te Domine. Si fortè sublimitatis esset via proposita, & illic iter, quo ostenderetur salutare Dei, quanta facerent homines ut exaltarentur? Quàm crudeliter invicem se sternerent, invicem conculcarent? Quàm impudenter reperent, manibusquè & pedibus conarentur in altum, ut imponerent sese homines super capita aliena? Et certè qui contendit supergredi proximos, multas inveniet difficultates, multos habebit æmulos, multos patietur contradictores, ascendentes equidem ex adverso. Nihil verò facilius est volenti, quàm humiliare semetipsum. Oportet itaque humiliter sentire de se nitentem ad altiora [d] ne dum supra se attolitur, cadat à se, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus. Et quia nisi humilitatis merito maxima minimè obtinentur, propterea qui provehendus est, correptione humiliatur, humilitate meretur. Denique (e) generalem audi regulam: *Omnis qui se humiliat* (ait Dominus) *exaltabitur.* Significat profectò non omnem exaltandam esse humilitatem, sed eam tantùm quæ de voluntate venit, non ex tristitia, nec ex necessitate. Nec enim per contrarium omnis qui exaltatur, humiliandus erit: sed tantùm qui se exaltat, humiliabitur, nimirùm ob voluntariam voluntatem. Ita ergo non qui humiliatur, sed qui spontè se humiliat, exaltabitur, utique ob meritum voluntatis. Meritò autem humilitatem sequitur glorificatio [f] quia nemo, nisi qui se humiliat, exaltabitur. Solis quoque humilibus ipse dat gratiam (g) cui etiam sine fide placere impossibile est. Opto igitur, & omnibus modis cupio, ut & paruulos & magnos, imò (ut plùs miremini) nihil aliud quàm grande aliquid ei vos exibere curetis. Neque enim sine magno animo bona illa tam magna capere, aut vim facere poteritis regno cælorum, non plus quàm idem cælorum regnum intrare: *nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut paruuli.* Ne tamen hinc penitùs taceamus, nostram patriam cælestem à longè salutantes; (h) triplicem quandam odorari videmur, *potentiæ* scilicet & *magnificentiæ* & *gloriæ* repromissionem. Siquidem homo erat, & filius captivitatis hujus, qui dicebat: *Introibo in potentias Domini.* Cæterùm nos scire possumus quid sit infirmitate carere, tanquam infirmitate circumdati; quid verò sit virtute indui, & potentiam introire, necmodò potentiam sed & multam potentiam, fortè & omnipotentiam, interim scire nos possumus. Clamat etiam testis fidelis: *Quia quos justificavit, illos & magnificavit.* At magnificentiam eam præsertim quam procedere deceat à magnitudine, cujus nec finis nec numerus est, utinam nostræ interim exiguitati liceat expectare, nam æstimare non licet. Jam verò ne ipsius quidem vereri necesse est aut habere suspectam gloriæ promissionem, feliciter tunc & fiducialiter hauries gloriam, à cujus interim appetitu tantis comminationibus deterreris. Erit enim tunc unicuique laus à Deo, secura certè & sempiterna, finis pariter & discriminis expers, & ut scriptum est: *Jucunda decoraquè laudatio.* Eja ergo Fratres, viriliter interim in *tabernaculis* militemus, ut suaviter deinde in *atriis* requiescamus, ut novissimè in *domo* Dei sublimiter gloriemur, cùm momentaneũ hoc & leve tribulationis nostræ supra modum in sublime æternum pondus gloriæ operabitur in nobis, cùm in Domino laudabimur tota die, in veritate utique non in vanitate. Magna sunt hæc (i) sed tu magne Domine promisisti. Ex tua promissione speramus, inde audemus dicere: *Si corde clamamus pio, certè debes ex promisso.* Amen.

CAPUT II.

De duplici modo acquirendi regnum cælorum.

Regnum Dei vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matt. 11.

1. *Docemur, regnum cælorum acquiri paupertate voluntaria. Reprehenduntur qui tantoperè quærunt divitias sæculi præsentis.* 2. *Docemur, regnum cælorum acquiri tolerantiâ persecutionum seu tribulationum. Ostenditur, persecutionem contemnendam esse propter brevitatem.* 3. *Docemur qualiter debeamus nos præparare regno cælorum, quod paratum est nobis à constitutione mundi. Ostenditur, omnem hominem debere dare totam vitam suam cælo comparando.*

§. I.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Matt. 5.

Legimus in Euangelio secundùm Matthæum (a) quoniam *videns turbas Jesus, ascendit in montem.* Prædicantem enim Dominum, de ciuitatibus & castellis populi sequebantur, quorum saluabat animas, sanabat corpora: & adherebant ei affectu pariter & aspectu illius delectati, cujus nimirùm vox suavis & facies ejus decora, sicut scriptum est: *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.* Jam ne hoc quidẽ ociosum putemus (b) quòd ascendit in montem, nimirùm quod tantò ante prædictum est, tanquam à longe clamante Propheta Esaia: *Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam qui euangelizas Jerusalem.* In qua ascensione ego illud intelligendum puto, quod in initio Actuum Apostolorum Beatus Lucas meminit, dicens: *Primum quidem sermonem feci*

d *Ser. 30. in Cant. num. 1.* e *Ibidem num. 4.* f *Ser. 2. in Nat Dom. num. 6.* g *Ser. 5. de dedicat. Eccl. num. 2.* h *Ser. 4. de dedicat. Eccl. num. 6.*

i *Ser. 16. super. Psal. 90. num. 4.* a *Ser. 1. de omn. Sanct. nu. 4.* b *Ibidem num. 5.*

feci de omnibus, ô Theophile, quæ cæpit Jesus facere & docere. Et Mattheus: *Videns turbas Jesus,* ait, *ascendit in montem.* Videns miserationis intuitu (c) quoniã erant sicuti oves errantes non habentes Pastorem. Quid est quod priusquàm docere inciperet, ascendit in montem, nisi quòd in hoc ipso docuit necesse habere prædicatores verbi Dei desideriis animi & conversatione sancta ad sublimia tendere, & virtutum conscendere montem? *Et cùm sedisset, accesserunt ad eum Discipuli ejus.* Accesserunt non tam incessu pedum, quàm affectu cordis, & imitatione virtutum. Benè autem non turbæ, non quilibet de populo, sed Discipuli accessisse dicuntur: quatenùs sicut Testamentum vetus datum legitur in monte Syna, solo Moyse ascendente, & populo expectante deorsùm: sic & modò susciperent montes pacem populo, & colles justitiam: & velut in tenebris quibusdam & in occulto diceretur Apostolis, quod postea dicerent in lumine: & audirent in aure, quod prædicarent postmodùm super tecta. Vnde & sequitur: (d) *Et aperiens os suum, docebat eos.* Aperuit nunc os suum, qui Prophetarum priùs aperuerat ora. Hinc est quod legitur in Psalmo 50. Propheta dicente: *Domine, labia mea operies, & os meum annunciabit laudem tuam.* Nunc autem qui multifariè multisquè modis olim locutus fuerat in Prophetis, demùm suo ipsius ore locutus est, tanquam si diceret: En qui loquebar, ecce adsum. Beati qui audierunt loquentem in carne Sapientiam. Beati planè qui Verbi Dei verba, quæ ab ipsius ore processerunt, audierunt. Verumtamen quod audierunt illi, adhuc reservatur nobis: quia & nos audire possumus, quamvis non ab ipso. *Aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu.* Verè apertum est os ejus, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi. Et verè ejus est hæc doctrina, qui in Apocalypsi loquitur: *Ecce nova facio omnia.* Ipse est qui per Prophetam David antè prædixerat: *Aperiam os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.* Quid enim tam absconditum, quàm paupertatem esse beatam? Attamen Veritas loquitur, quæ nec falli nec fallere potest, & ipsa est quæ dicit: *Beati pauperes spiritu.* Siccine vos insensati filii Adam divitias quæritis, divitias desideratis usque adhuc: cùm jam beatitudo pauperum divinitùs commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus? Quærat eas paganus, qui sine Deo vivit. Quærat Judæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte magis, aut qua mente Christianus divitias quærit, postquàm Christus beatos esse pauperes prædicavit? Quousque filii alieni, quousque vanitatem loquitur os vestrum, ut beatum dicatis populum cui hæc sunt, hæc visibilia, hæc præsentia: cùm Filius Dei os suum aperiens locutus sit veritatem, beatos esse pauperes, & væ divitibus? Sed diligenter attende (e) quòd non simpliciter pauperes nominat, propter plebejos pauperes necessitate miserabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturam eis apud Divinæ bonitatis misericordiam hanc ipsam afflictionis suæ miseriam: scio tamen Dominum hoc in loco de hujusmodi pauperibus non fuisse locutum, sed de his qui possunt dicere cum Propheta David: *Voluntariè sacrificabo tibi.* Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis laudem habet apud Deum, nam & Philosophi omnia sua reliquisse leguntur, ut expediti mundialibus curis studio vanitatis possent vacare liberiùs, & nolebant censu abundare terreno, ut abundarent magis in sensu suo. Hos discernit quod dictum est, *spiritu*, id est, spirituali voluntate. *Beati* verò *pauperes spiritu*, spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem: *quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Sed quis est qui sic loquitur, qui sic beatificat pauperes, & sic ditat? Putas poterit verum esse? Erit sine dubio: siquidem verax & potens est qui promittit. Si murmurat inimicus diabolus, respondebitur ei: An non licet mihi facere quod volo? Num oculus tuus nequam est, quia ego bonus? Si tu jure humiliatus es pro eo quòd adversùm me exaltare te voluisti, nonne qui se humiliant propter me, meritò sunt exaltandi? Et verè Fratres: Si miserrimus ille è cælo dejectus est quoniam affectavit celsitudinem, altitudinẽ concupivit, sublimitatem præsumpsit: nonne consequens est beatos esse, qui spontè in paupertatis humilitatem sese deponunt, & juxta Domini promissionẽ *ipsorum est regnum cælorum*, quod perdidit iste? Et attende quàm sapienter ordinavit Sapientia contra peccatum primum, remedium primum opponens. Ac si apertiùs dicat: Vis obtinere cælum quod perdidit superbiens Angelus, qui confisus est in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum? paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. Ditior est denique Christi paupertas cunctis opibus (f) cunctisquè thesauris sæculi. Quid enim paupertate ditius, quid preciosius invenitur, qua nimirùm regnum cælorum emitur, sicut scriptum est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum?* Magna quædam penna est paupertatis (g) qua tam citò volatur in regnum cælorum. Nam in aliis beatitudinibus quæ in Evangelio leguntur, promissio futuro tempore indicatur: paupertati autem non tam promittitur, quàm datur: unde & præsenti tempore enunciatum est: *Quoniam ipsorum est regnum cælorum*: cùm in cæteris sex beatitudinibus dicatur: *Hæreditabunt, consolabuntur, saturabuntur, consequentur, videbunt, vocabuntur.*

§. II.

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Matt. 5.

Hæc octava beatitudo [h] Martyrum est prærotiva: cujus nobis tolerantiæ nec tempus videtur deesse nec virtus. Honoratur nunc justitia magis quantum in facie est: aut nulli, aut pauci pro ea sustinent persecutionem. Felices tamen si qui sunt, *quoniam ipsorum est regnum cælorum*, ut eos nemo persequatur. Quod si ab infestatione cessare noluerint iniqui [i] patienter tolerent eos justi, audientes consolationem quæ sequitur, & dicit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum*

c *Ibidem num.* 6. d *Ibidem num.* 7. e *Ibidem num.* 8.

f *Ser.* 4. *in vig. Nat. Dom. nu.* 6. g *Ser.* 4. *de Aduen. Dom. nu.* 5. h *Ser.* 1. *de omn. Sanct. num.* 15. i *Ser.* 66. *diuer. num.* 3.

gnum cælorum. Licèt autem Christi consolatio de promissione regni tibi sufficiat [K] tamen nos quod nostrûm est, consolationem quam possumus fideliter exhibemus. Quis enim sine anxietate videat Petrum de mediis fluctibus brachia tendentem? Quis sine dolore audiat columbam Christi non cantantem sed gementem, tanquam quæ dicat: *Quomodò cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Quis inquã sine lachrymis lachrymas ipsius Christi de limo profundi etiam nunc levantis oculos suos in montes, unde veniat auxilium sibi, respiciat? Verumtamen nos, ad quos pro humilitate tua respicere te dicis, montes non sumus, sed & ipsi de valle lachrymarum laboriosis conatibus enitentes adversùs renitentis inimici insidias, ac mundialis malitiæ violentiam, tecum clamamus: *Auxilium nostrum à Domino, qui fecit cælum, & terram*. Omnes quippè, qui piè volunt vivere in Christo [l] persecutionem patiuntur: ita ut cùm eis nunquam desit piè vivere, non semper tamen adsit & perficere pro bona voluntate. Sicut enim impiorum est piis bonorum propositis assiduè reluctari: sic contra pietatem non est, propter multitudinem adversantium, quamvis justa & sancta desideria paucorum, plerumque non perfici. Sic Aaron sceleratis tumultuantis populi contra voluntatem suam clamoribus cessit. Sic Samuël eidem populo inordinatè Regem petenti, invitus Saülem inunxit. Sic David cùm vellet Deo construere Templum, propter infestantium tamen bella inimicorum (quia vir bellicosus erat) prohibitus est facere quod sanctè proposuit. Persecutio quoque [m] & temporalis omnis adversitas pro loco & tempore prudenter aliquando fugienda erit: cùm autem necesse fuerit, viriliter toleranda est. Quod si multiplex fuerit tribulatio [n] tunc quoque multipliciùs exultandum non intuentibus quæ videntur incommoda, sed præmia, quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt. *Beati* [inquit Dominus] *eritis cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & ejecerint, & dixerint omne malum adversùm vos mentientes propter me. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra copiosa est in cælis*: copiosior longè, quàm sit labor in terris. Siquidem non est quòd fures timeant (o) qui sibi in cælo thesaurizant. Non est quòd causentur de multiplici tribulatione, ubi multiplicationem mercedis attendunt. Quinimò gaudeant magis (ut dignum est) quòd non tam persecutio, quàm remuneratio augeatur: & exultent eò abundantiùs, quò plura sustinent propter Christum, ut eos proinde copiosior merces maneat apud ipsum. Etsi magnitudo ipsa laboris interdùm fortè extorqueat compassionem [p] sed multò magis causæ consideratio exigit congratulationem. Quid quòd bona omnia nonmodò propter eum constat fieri, sed per eum? Deus enim est, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Ipse ergo auctor est, ipse remunerator operis, ipse remuneratio tota: ut summum illud bonum, cujus nimirùm tam perfecta est simplicitas in seipso, duplex quodammodò videatur in nobis causa bonorum, effectiva scilicet & finalis. Benè ergo, dilectissimi, quòd in his omnibus tam multis laboribus nonmodò subsistitis, sed etiam superatis propter eum qui dilexit vos. An verò non per eum? Et manifestè. *Sicut enim abundant pro Christo tribulationes nostræ* (ait Apostolus) *ita abundant etiam consolationes nostræ per ipsum*. Quòd si quoq; persecutio imminet [q] contemnenda est propter brevitatem. Benè enim natura providit, quòd nullum dolorem vel longum vel magnum esse demonstrat. Si enim magnus est, longus esse non potest. Conjunctio enim corporis & animæ exquisita diu tormenta non sustinet, sed stuporis magnitudine tremefacta, summa velocitate dissoluitur. Magni profectò animi est magna tormenta contemnere, quòd in brevi tantam pariunt mutationem, ut de labore ad requiem, de miseria ad cælestem gloriam patientem faciant evolare. Verumtamen quid sibi vult (r) quòd promissio regni cælorum facta est Pauperibus & Martyribus, nisi quia verè martyrii genus paupertas voluntaria est? *Beatus vir* (ait Scriptura) *qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua*. Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius est, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas & preciosas algere, paupertate premi inter divitias quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus? An non meritò coronabitur, qui sic certaverit, mundum abiiciens promittentem, irridens inimicum tentantem: & quod gloriosius est, de semetipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem? Denique propterea Pauperibus pariter & Martyribus regnum cælorum promittitur, quia paupertate quidem emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur.

§. III.

Venite benedicti Patris mei, possidere paratum vobis regnum à constitutione mundi.
Matt. 25.

Dignum valdè est [s] & omninò exigit ratio æquitatis, ut quibus à constitutione mundi regnum paratur, ipsi etiam sese regno parare non negligant: ne parato regno inveniantur forsitan, qui regnaturi fuerant, imparati. Sic enim legimus de cæna quadam, dicente Domino: *Cæna quidem parata est, sed qui vocati erant, non fuerunt digni*. Quærimus ergo quemadmodùm regno parato parari debeant reges futuri. Etsi piè quærimus, cum Propheta utique dicere non audemus: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur* (inquit) *sine macula*. Sed hæc, inquies, præparatio soli Christo convenire videtur. Nemo enim cæterorum omnium est *mundus à sorde, nec infans cujus est vita unius diei super terram*. Itaque solus intrabit, qui solus Agnus est sine ma-

K *Epist.* 83. *num.* 1. l *Ibidem num.* 2. m *Ser.* 3. *in Dom. Palm. num.* 1. n *Ser.* 1. *de omn. San. num* 15. o *Tract. de convers. ad Cleric. cap.* 22. *num.* 41. p *Ser.* 9. *sup. Psal.* 90. *num.* 1.

q *Ser.* 40. *diver. num.* 9. r *Ser.* 1. *de omn. San. num.* 15. s *Ser.* 28. *diver. num.* 1.

macula: solus argui non potuit de peccato, quod non ab eo factum est, nec in eo inventum. Unde & solus ingreditur in Sancta Sanctorum: & *nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo*. Quid ergo nos? (t) Itane continuò desperabimus? Imò verò sperabimus, & hinc maximè. Licet enim solus, sed profectò totus intrabit, & os non comminuetur ex eo: non sine membris Caput invenitur in regno, si tamen membra fuerint conformia sibi, & cohærentia Capiti suo: conformia sanè moribus, cohærentia fide. Habet enim conformationem quantùm potest, habet & cohærentiam ipsa etiam minor ætas, dum & similitudini mortis ejus mersione illa triplici complantatur, & fidem in volucro quodam recipit, quòd necdum capax sit evolutæ. Benignus est omnino Spiritus Sapientiæ, & quem traducta culpa ligaverat, indulta justitia solvit. Sed non ita deinceps liberabit maledictum à labiis suis. *Voluntariè enim peccanti post agnitam gratiam non relinquitur hostia pro peccato.* Sed neque sic liberabit à suis quomodo ab alienis labiis maledictum. Maledictio, fratres, gravis est macula, & scimus quoniam non quod intrat in os coinquinat hominē, sed quod de ore egreditur. Inde ergo macula, inde maledictio à labiis suis, sed non semper à propriis. Neque enim de corpore vel corde proprio originalis in parvulum culpa procedit, cui nonmodò consensus, sed ne ullus quidem interim potest sensus esse peccati. Quomodò tamen maledictum à labiis suis non liberat Spiritus, aut voluntariè peccantibus non relinquitur hostia, nisi quia non illi denuò crucifigitur Christus, nec complantatur iterùm similitudini mortis ejus per baptismum? Propria jam ergo lachrymarum unda exigitur, propriam bajulare crucem, propria mortificare membra, & propriam immolare hostiam necesse est. Sine causa aliter diceret, *Credo*: propriis labiis expietur oportet propriorum maledictio labiorum. Per multas enim tribulationes in regnum Dei intrare necesse est: & nemo nisi per tribulationes ingreditur, aut proprias aut alienas. Sola nimirùm secundi Adæ scilicet Christi tribulatio purgat [u] quos contaminavit offensio sola prioris Adæ, non quòd propria cuiquam sufficere possit satisfactio. Quid enim est universa pænitentia nostra, nisi quòd si non compatimur, omninò non possumus conregnare? Quod enim in nobis minus est, ipse Christus supplet: modicum tamen illud quodcunque nostrum est, non patitur reservari. Quòd si fidei cohærentia sine morum conformitate nequaquam salvat adultos, longè minùs salvare poterunt opera sine fide. Faciliùs enim membrum inhærens capiti si deforme est reformatur, quàm divulsum quamlibet simile copuletur. Et ipsum tamen quod deforme est, aut conforme fieri imagini Filii sui & Capitis sui, aut certè tandem avelli ab eo, necesse est anathema esse à Christo, ne in illa plenitudine Corporis ejus inveniatur quidpiam indecorum. Ubi ergo macula propria [x] propria quoq; purgatio jure requiritur: & si contaminatio multiplex fuerit, opus est etiā tribulatione multiplici. Unde enim tribulatio, nisi dum resistitur contaminationi, concupiscentiæ repugnatur? Minimè autem in hac tam multiplici lucta deficiendum, aut desperatione cedendum est. Licet enim abundant tribulationes pro Christo, sed abundant & consolationes per ipsum. Denique audi consolationem: Peccatum in foribus est, nisi ipse aperias, non intrabit: appetitus in corde prurit, sed sub te est, nisi spontè cesseris, nil nocebit. Audi adhuc consolationem: Consensum cohibe ne prævaleant hæc, & immaculatus eris, ut sine macula ingrediaris & ipse ad habitandum in tabernaculo, & requiescendum in monte sancto Dñi Dei tui. Puto quòd & tu possidere desideras civitatem [y] de qua dicitur: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*: & gloriam illam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit: & regnum omnium seculorum, vivere in æternum, in perpetuas æternitates. Credo quòd velis esse æqualis Angelis Dei in cælo, esse etiam hæres Dei & cohæres Christi: & in plateis supernæ Sion melos Angelicum auscultare, & videre quidquid illud sit cùm Christus tradiderit regnum Deo Patri, & erit Deus omnia in omnibus: postremò esse similis Deo, & videre eum sicuti est. Nec dubito quin & concupiscas suspicere & umbras declinantes & diem aspirantem, cùm illuxerit illa solemnis dies, & nubila rerum excusserit, quando jam non inclinabitur dies, sed erit æterna meridies; quando erit plenitudo fervoris & lucis, Solis statio, tenebrarum exterminatio, desiccatio, paludum, fætorum depulsio. Nonne ad hoc emendum regnum cælorum, totum te & quæcunque & undecunque contrahere poteris, dare oportebit? Et cùm universa compleveris, non tamen putes esse condignas passiones hujus temporis vel corporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Quod ipse nobis Christus largiri dignetur (z) qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT III.

De gradibus ascendendi ad cælum repletum omnibus bonis.

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde. *Psal.* 23.

1. *Ostenditur, per montem Domini designari cælum repletum copiâ omnium bonorum, pacis scilicet, gaudii, vitæ, & gloriæ. Monemur ad sectandum manuum innocentiam & cordis munditiam, ut mereamur ascendere in cælum.* 2. *Ostenditur, per montem Domini intelligi ipsum Christum. Docemur quomodo ascendendū sit nobis ad hunc montem. Proponitur nobis ad imitandum Christi descensus & ascensus. Triplex est gradus descensus nostri: nimirùm contemptus dominationis, patientia subjectionis, tolerantia injuriarum. Triplex pariter*

t *Ibidem num.* 2. u *Ibidem num.* 3. x *Ibidem num.* 4. & 5. y *Ser.* 22. *diver. num.* 8. z *Ser.* 7. *in ult. Cæna num.* 50.

riter est gradus ascensus nostri : innocentia operis, munditia cordis, & fructus ædificationis. 3. Ostenditur, per montes significari Angelos inhabitatores cæli. Agitur de differentia inter homines & Angelos, quo ad pabulum vitæ præsentis pariter & futuræ.

§. I.

QVis ascendet in montem Domini, [a] *aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde.* Verbum exhortationis est, Fratres mei, ut quandoquidem omnes ascendere nitimur, omnes tendimus in sublime, sursùm suspiramus omnes, omnes conamur in altum; illuc studeamus ascendere, ubi bonum sit nos esse, ubi securum sit nos esse, unde cadere non oporteat, ubi stare possimus. Necmodò ut desiderium provocet, ascensorem montis hujus Propheta requirit, verum etiam ut ascendere cupientem modum doceat ascendendi. Felix qui hujus montis ascensiones in corde suo disposuit, concupiscens & deficiens in atria Domini. Siquidem mons iste est mons vber, bonorum omnium cumulus, mons voluptatis æternæ, domus Dei est. Et beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Audiamus & Prophetam Baruch testem fidelem quia mons est domus Dei: *O Israël*, inquit, *quàm magna domus Domini, & ingens locus possessionis ejus! Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Imò verò non solùm mons est, sed & mons montium: & multæ in eo sunt mansiones, & multi montes. Deniq. etiam fundamenta ejus in montibus sanctis. Et ne hoc quidem sanctus tacuit Isajas: *Erit*, inquit, *mons domus Domini præparatus in vertice montium, & elevabitur super colles.* Quidni montium mons, mons fundatus exultatione universæ terræ, ubi tam multiplex omnium delectabilium copia, ubi copiarum omnium plenitudo? Erit enim mons pacis, mons gaudii, mons vitæ, mons gloriæ. Et hi omnes montes unus mons consummatæ felicitatis erit. An non mons pacis, pax super pacem, pax quæ exuperat omnem sensum? Planè mons magnus pax in corde [b] pax in carne, pax ab iniquis hominibus, pax cum omnibus proximis, pax ab ipsis dæmonibus, pax cum Deo, & pacis non erit finis. Erit gaudium, sed quale Dominus ait: Gaudium plenum, securum gaudium, quod nemo tollet à nobis. Sed & vitam habituri sumus, & abundantiùs habituri, quòd non possit inefficax esse tanti Pastoris adventus, qui ad hoc ipsum venit ad oves (sicut ipse testatur) *ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Numquid non etiam mons tibi videtur æternum gloriæ pondus supra modum in sublimitate? Porrò ex his omnibus, & si qua possunt similiter desiderabilia cogitari, una est beatitudinis *mensura bona, conferta, coagitata, supereffluens*: ac si plurimos montes, alium quidem aureum, alium argenteum, alium ex hyacinthis & smaragdis atque omnium gemmarum gloria, alium quoque ex vermiculo & purpura & bysso, cæterisquè ejusmodi opibus pariter coacervans in unum redigas montem. Omnia enim nobis multiplicata reddentur. Et qui aurum & argentum & lapides preciosos superædificaverit fundamento, ædificium humile in immensos montes excrevisse mirabitur, & ex modico semine magnos metet non tam manipulos quàm acervos manipulorum. Quis ergo *ascendet in montem Domini* [c] *aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde.* Beatus ille, si quis tamen ille est. Sed quis gloriabitur innocentes manus aut castum se habere cor? *Nemo est mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram.* Unus tamen est inter noxios innocens, mundus inter impuros, inter mortuos liber, unus est, & non æstimabitur alius absque eo. Ipse est de quo legisti: *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* Erat enim innocens *manibus*, qui peccatum non fecit, sed multa bona opera operatus Judæis liberè ajebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* An verè mundissimum *cor* fuisse quis dubitet unitum personaliter Sapientiæ, in quam nihil inquinatum incurrit, attingit autem ubique propter suam munditiam? Sed *non in vano accepit animam suam*, qui solus potestatem habuit ponendi Animam suam, & iterùm resumendi. Non in vano accepit nascens, non in vano posuit moriens, non in vano recepit resurgens. At quomodò *non in dolo juravit proximo suo* [d] quomodo non in vano accepit Animam suam, quomodò non in vano omnia illa perfecit, si hic solus accipiat benedictionem? Itane oportebat Christum pati, resurgere, & sic intrare in gloriam suam? Sua erat. Quæ vtilitas in Sanguine ejus, dum omnes descendimus in corruptionem? Quæ veritas in promissione, si (ut supra meminimus) *nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit?* Esto, hic accipiet benedictionem, misericordiam qnare? At non solus hic accipiet, aut certè magis non soli sibi accipiet, si advertas. Perge enim per sacra verba prophetica, & vide quonammodo velut occultè multitudinem subinducit. Loquebatur de uno & dicebat, *Hic accipiet.* Sed continuò transfudit in hanc generationem, & ait: *Hæc est generatio quærentium*: ut in uno non personæ singularitatem intelligas, sed spiritûs unitatem. Nimirùm hic Sponsus & hæc sponsa est, & scimus quis dixerit: *Jam non sunt duo, sed una caro.* Ita ergo hic ascendet, hic accipiet benedictionẽ, sed ascendent etiã cum eo vel magis in eo qui ab eo accipient benedictionem. Audi hoc à Propheta: *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem.* Atque hoc est propter quod oportebat Christum pati & resurgere à mortuis, ut prædicetur in Nomine ejus pænitentia & remissio peccatorum, & pænitentia ad innocentiam, remissio ad munditiam deputetur. *Beatus* enim, non in quo non invenerit, sed *cui non imputabit Dominus peccatum. Inveni* (ait) *hominem secundùm cor meum.* Numquid ut gloriari possit castum se habere cor? Non: quia *stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus*, sed cor contritum

a *Ser. 33. divers. num. 1.* b *Ibidem num. 2.*
c *Ibidem num. 3.* d *Ibidem num. 4.*

tum & humiliatum Deus non despiciet. Cor contritum proximum cordi mundo, & hoc est esse juxta cor Dei. Simus ergo & nos, dilectissimi, pro nostro quidem modulo (e) & manuum innocentiæ & cordis munditiæ sectatores. Ante omnia quidem solliciti, & si penitùs cauere pro humana fragilitate non prævalemus, quantùm tamen declinare à malo possumus, nonmodò actionis sed & cogitationis. De cætero quoque ne in vano acceperimus animas nostras rationales, exerceamus nos in operibus bonis, & consilio rationis utamur Quomodò enim non frustra humanam accipit homo animam, qui tanquam unum ex irrationabilibus animantibus incubans corporeis voluptatibus solum sequitur carnis appetitum? Addidit quoque Propheta: *Nec juravit in dolo proximo suo*. Sicut enim & munditiam intra nos, & erga proximum innocentiam convenit observari: sic & in nobis virtutis opera, & erga proximum exercenda sunt opera pietatis. Noli putare gratuitum bonum quod exhibes proximo (f) ut liceat etiam dissimulare si velis. Debitor es ei sacramenti cautione, & propria professione teneris. *Hic* ergo *accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo*. Hic, quia unus accipit bravium. Sed ne unum hominem putes, quia *hæc est generatio quærentium Dominum*. Hic accipiet benedictionem: quia caput & corpus unus est Christus. Sed hæc est generatio: quia in mensura ætatis plenitudinis Christi omnes pariter occurremus.

§. II.

Et fortè idem ipse Dominus Jesus Christus mons Domini est (g) de quo dicitur: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* Nimirùm ipse est abscissus sine manibus lapis, qui in montem crevit immensum. Ipse est qui exaltatus à terra omnia trahit ad se, *mons coagulatus, & mons pinguis*. Christus mons est sublimitate (h) coagulatus multorum congerie, pinguis charitate. Et nunc vide quomodo trahat ad se omnia, quomodo ei omnia uniantur unitate substantiali, personali, spirituali, sacramentali. Habet in se Patrem, cum quo est una substantia. Habet assumptum hominem, cum quo est una persona. Habet adhærentem sibi fidelem animam, cum qua est spiritus unus. Habet sponsam Ecclesiam unam omnium electorum, cum qua est caro una. Et fortè carnalis hæc unio dicenda fuisse videbitur; sed sacramentalem dicere malui, dignius hoc vocabulum arbitratus, præsertim occasionem dante Apostolo ubi ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia*. Pinguissimus planè & uberrimus mons est, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: siquidem propterea unxit eum oleo lætitiæ præ participibus suis. Mons cælestium aromatum, mons charismatum spiritualium, non ad mensuram accipiens spiritum, sed omnimodam obtinens plenitudinem gratiarum. Magnus mons, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt: in quo tota humanitatis veritas, tota divinitatis inhabitat plenitudo. Excelsus & immensus mons, in quo omnia instaurantur quæ in cælis sunt & quæ super terram, ut sit Deus omnia in omnibus. Venite (i) ascendamus in hunc montem, Fratres. Et si via nobis videtur ardua, exoneremus nos: si arcta, etiam exinanire nos non parcamus: si longa, tantò magis festinemus: si laboriosa, clamemus ei: *Trahe nos post te, in odorem unguentorum tuorum curremus*. Scimus enim nos nequaquam perveuire ad te (k) nisi gradiendo post te, sed neque hoc quidem nisi adjutos abs te: ideoquè precamur ut trahas nos post te. *Beatus* siquidem *cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacbrymarũ*, perventurus quandoque ad te in montibus gaudiorum. Felix qui sic cucurrerit [l] ut comprehendat imò ut ipse comprehendatur, & in illam amplitudinem montis, & plenitudinem corporis Jesu Christi Domini nostri mereatur admitti. Felix qui in illum beatificum montem tam desideranter & perseveranter ascenderit, ut in loco sancto locum accipiens stationis, Deo Patri in Sancto ejus appareat, simul & videat virtutem ejus & gloriam. Haud aliam sanè quàm eundem ipsum Montem montium, montem coagulatum & pinguem, Jesum Christum Dominum nostrum, In quo nimirùm per prædestinationem ab æterno apparuit ei qui dilexit nos, & gratificavit in dilecto Filio suo, in quo elegit nos ante mundi constitutionem. Sed jam tunc cognoscemus sicut & cogniti sumus, cùm pleniùs & perfectiùs exaltatus altissimus & vberrimus illeMons omnia trahet ad se, qui est supet omnia benedictus in sæcula. Dominus & Salvator noster (m) Jesus Christus volens nos docere quomodo in cælum ascenderemus, ipse fecit quod docuit, ascendit in cælum. Et quoniam ascendere non poterat, nisi priùs descenderet, (descendere autem eum vel ascendere non patiebatur Divinitatis suæ simplicitas: quippè quæ nec minui potest nec augeri, aut aliquo modo variari) assumpsit in vnitatem suæ personæ naturam humanam, in qua descenderet & ascenderet, viamquè nobis qua & nos ascenderemus, ostenderet. Quod totum indicant Evangelii verba sequentia: *Nemo ascendit in calum nisi qui de calo descendit, filius hominis qui est in calo*. In eo enim quod dictum est, *Nemo ascendit in calum nisi qui descendit*, assumptio humanæ naturæ exprimitur: in eo autem quod infertur, *qui est in calo*, Divinitatis suæ incommutabilitas ostenditur. In quibus verbis illud etiam innvitur, quòd ipse sit *via* per quam ascendamus, ipse *patria* ubi maneamus: via scilicet transeuntibus, patria pervenientibus. Manens itaque quod erat in natura sua, descendit & ascendit propter nos in nostra natura: attingens nimirùm à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter. Descendit siquidem quo inferius non decuit, ascendit quo celsius non potuit. Ipsumquè descensum egit fortiter, quia Virtus erat: ascensum disposuit suaviter, quia Sapientia erat. *Descendit* autem dictum est, non cecidit: quia qui cadit, sine gradu ruit, qui autem descendit, gradatim pedem ponit. Sunt ego gradus in descendendo (n) sunt in ascendendo. In descendendo *primus* quidem gradvs est à summo cælo usque

e *Ibidem num.* 5. f *Ibidem num.* 6. g *Ibidem num.* 7. h *Ibidem num.* 8.

i *Ibidem num.* 9. k *Ser.* 21. *in Cant. num.* 3. l *Ser.* 32. *diuers. num.* 9. m *Ser.* 60. *diuers. num.* 1. n *Ibidem num.* 2.

usque ad carnem: *secundus* gradus est usque ad crucem: *tertius* gradus est usque ad mortem. Ecce quousque descendit. Vidimus descensum, videamus & ascensum. Sed & ille quoque triplex est, & ejus *primus* gradus est gloria Resurrectionis, *secundus* potestas judicii, *tertius* consessus ad dexterã Patris. Hac ascensione nihil sublimius, hoc honore nihil gloriosius dici potest aut cogitari. Sic per Incarnationis suæ mysterium descendit & ascendit Dominus, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Sumamus & nos Fratres [o] de mysterio ejus moribus nostris exemplum congruum. *Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare*. Descendamus per viam humilitatis, ponaturquè nobis *primus* ejus gradus, id est primus profectus, nolle dominari: *secundus*, velle subiici: *tertius*, in ipsa subjectione quaslibet contumelias & injurias illatas æquanimiterque pati. Denique audiamus Prophetam quærentem quomodo ascendendum sit: *Quis* (inquit) *ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo*. Ubi notandum est, quòd triplicem gradum ascendendi constituit. *Primus* gradus est innocentia operis, *secundus* est munditia cordis, *tertius* gradus est fructus ædificationis. Quos gradus miro modo invenimus in superioribus gradibus descensionis. Ibi quippè fuerat *tertius* gradus, tolerantia injuriarum: ipsa est enim quæ probat hujus ascensionis *primum* gradum, id est innocentiam operis. Ibi *secundus* fuerat patientia subjectionis: & ipsam operatur munditia cordis, quæ est *secundus* ascensionis gradus. Ibi etiam *primus* gradus fuerat contemptus dominationis, hic *tertius* est fructus ædificationis. Quisquis autem dominari non appetit, is profectò fructuosè præest cæteris instituendis. Fortè etiam Isajas ascensionis desiderio cadentes intuens homines [p] adhunc revocabat montem, exclamans: *Venite ascendamus ad montem Domini*. Hic est utique mons domus Domini præparatus in vertice montium, super quos salientem Sponsum inspexerat Ecclesia, cùm dicebat: *Ecce venit is saliens in montibus*.

§. III.

Nunc jam illud consideremus [q] quod diligentioris indiget inquisitionis, & difficiliores habet accessus. Ad quod nimirùm omninò me egere fateor adjutorio Spiritus Sancti, ut ponere in lucem possim qui sint illi *montes*, super quos salientem Ecclesia Sponsum lætis spectavit obtutibus; credo cùm properaret ad ipsius redemptionem, cujus concupierat decorem. Nam id quidem propterea ita & non dubiè senserim, quoniam simile quid de Propheta occurrit mihi evidenter in spiritu prævidente & exprimente Salvatoris adventum: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus*. Cursus & recursus is notissimus est à quo: & ad quid initus consummatusquè, notissimum. Qui sunt autem [r] hi spirituales *montes*? Si illos putamus, in quibus Evangelium refert olim fuisse relictas nonaginta novem oves, cùm pius Pastor earum venit unam in terris quærere quæ perierat: nihilominùs & adhuc in obscuro res est, & intellectus hæret, dum difficilè sit invenire spirituales illas & supercælestes beatitudines (nam ipsæ sunt sine dubio quæ ibi memoratæ sunt oues) quos vel quales alios habeãt spirituales similiter montes vel colles ad habitandũ, pascendumuè in illis. Verumtamen si non in veritate aliqui essent, Veritas Christus hoc non dixisset. Sed neque Propheta longè ante de civitate superna Jerusalem protulisset, quia *fundamenta ejus sint in montibus sanctis*, si non verè inibi essent montes sancti. Denique quòd cælestis habitatio sancta illa verè habeat nonmodo spirituales, sed & vivos ac rationabiles montes collesquè, audi Esajam: *Montes & colles cantabunt coram Deo laudes*. Quinã igitur isti montes sint, nisi iidẽ ipsi cæli inhabitatores Spiritus, quos Dominica voce oues diximus appellatos, ut ipsi sint montes qui oves? Nisi fortè absurdùm tibi videatur aut in montibus montes, aut in ovibus oves pasci. Et juxta literã quidem durum sonat, secundùm spiritualem autem intelligentiam dulce sapit, si subtiliter advertamus quomodo utrarumque ovium Pastor (Dei scilicet Sapientia Christus) unum idemquè pabulum veritatis aliter in terris, aliter in cælestibus administret gregibus suis. Nam nos quidem mortales homines interim in loco peregrinationis nostræ in sudore vultus nostri comedere panem nostrum necesse habemus, foris illum in labore & ærumna mendicantes, id est vel à doctis viris, vel à Sacris Libris, vel certè per ea quæ facta sunt, invisibilia Dei intellectu conspicientes. Est enim [s] intellectus rerum spiritualium & invisibilium verus animæ panis, confirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Angeli autem in omni plenitudine etsi non à semetipsis [t] tamen in semetipsis tanta facilitate, quanta & felicitate accipiunt, unde & beatè vivunt. Sunt enim omnes docibiles Dei: quod sanè electos hominum quandoquè assecuturos certa veritate promittitur, etsi nondum experiri tribuitur felicitate secura. Unde ego puto [u] id significatum apud Prophetam Jeremiam ubi ait: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, in umbra ejus vivemus inter gentes*: quòd scilicet videamus nunc per speculum & in ænigmate, & necdum facie ad faciem. At istud sanè donec vivimus *inter gentes*. *Nam inter Angelos* aliter: quando jam indifferenti omninò felicitate cum ipsis videbimus eum & nos sicuti est, hoc est, in forma Dei, & non in umbra. Quomodo namque apud veteres quidem umbram figuramque dicimus extitisse, nobis autem per gratiam Christi in carne præsentis ipsam per se illucescere veritatem: ita nos quoque respectu futuri sæculi in quadam interim veritatis umbra vivere nemo negabit; nisi qui non acquiescit Apostolo dicenti: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*. Et illud: *Non arbitror me comprehendisse*. Quomodò enim

o *Ibidem num. 3. & 4.* p *Ser. 4. in Ascens. Dom. num. 6.* q *Ser. 53. in Cant. num. 3.*

r *Ibidem num. 4. & 5.* s *Ser. 2. in Annunt. B. M. V. num. 4.* t *Ser. 53. in Cant. num. 5.* u *Ser. 31. in Cant. num. 9. & 10.*

non est distinctio ejus qui per fidem ambulat, & illius qui per speciem. Ergo justus ex fide vivit, beatus exultat in specie. Et ideo sanctus homo vivit interim in umbra Christi, Sanctus Angelus in splendore vultus gloriæ gloriatur. Et bona fidei umbra, quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci. Scriptum est enim: *Fide mundans corda eorum.* Habeo & ego Verbum Deum, sed in Carne (x) & mihi apponitur veritas, sed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo saturatur grano: me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, carnis furfure, literæ paleâ, velamine fidei. Et hæc talia sunt quæ gustata afferunt montem, si non de primitiis spiritûs quatulumcunque accipiant condimentum. Prorsùs mors mihi in olla, nisi ex Prophetæ farinula dulcorentur. Denique absquè spiritu & Sacramentum ad judicium sumitur, & Caro non prodest quidquam, & litera occidit, & fides mortua est. Sed spiritus est qui vivificat, ut vivam in eis. At quantâlibet sanè abundantiâ spiritûs pinguescant ista, non pari omninò jucunditate sumitur cortex Sacramenti, & adeps frumenti, fides & spes, memoria & præsentia, æternitas & tempus, vultus & speculum, imago Dei & forma servi. Nempè in omnibus his fides locuples mihi, intellectus pauper. Numquid verò par sapor intellectui fideique, cùm sit in meritum ista, ille inpræmium. Vides ergo, tantum distare inter pabula quantum & inter loca, & sicut exaltantur cæli à terra, ita habitantes in eis bonis potioribus abundare? Pascuntur proinde in montibus montes vel oves in ovibus (y) cùm sanè Supernæ illæ substantiæ spirituales intra semetipsas de Verbo vitæ, unde suam beatam perpetuent vitam, affluenter inveniunt, iidem ipsi & montes & oves: *montes* propter plenitudinem vel celsitudinem, *oves* propter mansuetudinem. Pleni quiquè sunt Deo, celsi meritis, cumulati virtutibus: nihilominùs tamen erectos vertices tota & humili obedientia submittunt & inclinant illius longè supereminentis imperio Majestatis, tanquam oves mansuetissimæ ad nutum sui Pastoris per omnia ambulantes, & sequentes eum quocunque ierit. Et in his (secundùm Prophetam David) verè *montibus sanctis* tanquam in prima omnium creata sapientia, fundamenta civitatis Domini ab initio firmiter stabilita consistunt: quæ utique una est in cælo & in terra, licèt ex parte peregrinans, & ex parte regnans. Et ex his nihilominùs montibus (juxta Esajam) tanquã ex quibusdam vitalibus cymbalis benè sonantibus jugis resonat gratiarum actio & vox laudis, suavi & incessabili voce implentibus, quod ex eodem Propheta paulò ante memoravimus: quia *montes & colles cantabunt coram Deo laudes*. Et item quod alius Propheta loquens ad Dominum Deum: *Beati*, ait, *qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Qui ergo Psalmos cantare desiderat in domo Domini (z) non sua vel pericula fugit, vel lucra appetit, sed illum proculdubio diligit quem laudare gestit cunctis diebus vitæ suæ. Laudatur non immeritò in æternum, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

x *Ser. 33. in Cant. num. 3.* y *Ser. 53. in Cant. num. 6.* z *Ser. 9. diuer. num. 9.*

CAPUT IV.

De triplici loco cælesti, in quo habitans Christus Deus noster mira peragit opera.

Introduxit me Rex in cellaria sua. *Cant. 1.*

1. *Locus est gubernationis, in quo Christus Deus noster tanquam Gubernator universitatis decernit jura sua, & disponit consilia. Ostenditur quanta sit natura contemplationis veræ. Agitur de vicissitudine vitæ contemplativæ simul & activæ.* 2. *Locus est reprobationis, in quo super reprobos immobilis vigilat animadversio justi Judicis Filii Dei. Ostenditur quàm gravissima sit ira Dei, cùm finit impunè peccare hominẽ. Excitamur ad timorẽ Dei concipiendum in hoc loco.* 3. *Locus est quietis, in quo Christus Deus quiescens & quietus cernitur. Ostenditur quantùm zelet Sponsus Jesus pro quiete animæ contemplantis in hoc loco Jesum amabilem, serenum & placidum, suavem & mitem, & multæ misericordiæ.*

§. I.

Quemadmodùm de vnguentus dixisse me scio (a) multa videlicet & diversa penes Sponsum cælestem ea esse, nec omnia præstò omnibus, sed sua quibusque pro diversitate indulta meritorum. Sic quoque non unum puto cubiculum Regi esse, sed plura. Nam nec una est regina profectò, sed & plures, & concubinæ multæ sunt, & adolescentularum non est numerus. Et unaquæque invenit secretum sibi cum Sponso cælesti, & dicit: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi*. Non omnibus uno in loco frui datur gratâ & secretâ Sponsi cælestis præsentiâ, sed ut cuique paratum est à Patre ipsius. Non enim nos eum eligimus, sed ipse elegit nos, & posuit nos: & ubi ab eo quisque positus est, ibi est. Denique mulier una compuncta, secus *Pedes* Domini Jesu sortita est locum, cùm altera suæ devotionis fructum ad *Caput* invenerit, si tamen altera. Porrò Thomas in *Latere*, Joannes in *Pectore*, Petrus in *Sinu* Patris, Paulus in *tertio Cælo*, secreti hujus gratiam sunt affecuti. Quis nostrûm [b] dignè distinguere sufficiat has verietates meritorúm vel potiùs præmiorum? Ne omninò tamen præteriisse quod ipsi novimus videamur, prior mulier strauit sibi in tuto *humilitatis*, posterior In solio *spei*: Thomas in solido *fidei*: Joannes in lato *charitatis*: Paulus in intimo *sapientiæ*, Petrus in luce *veritatis*. Sic ergo apud Sponsum cælestem *mansiones multæ sunt*: & sive regina sive concubina, sive etiam de numero sit adolescentularum, congruum quæque pro meritis accipit ibi locum terminumquè, quousque liceat sibi contemplando procedere, & introire in gaudium Domini sui, & rimari dulcia secreta Sponsi cælestis. *Primus locus* apud Sponsum cælestem est ille [c] de quo sua jura decernit, & disponit consilia ipse universitatis Gubernator, leges constituens omni creaturæ, pondus & mensuram & numerum. Et quidem locus iste altus

a *Ser. 23. in Cant. num. 11.* b *Ibidem num. 12.* c *Ibidem num. 13.*

tus & secretus, sed minimè quietus est. Nam etsi ipse quantum in se est disponit omnia suaviter, disponit tamen & contemplantem, qui fortè eo loci pervenerit, quiescere non permittit; sed mirabiliter quamvis delectabiliter rimantē & admirantem fatigat, redditque inquietum. Pulchrè utrumque in consequentibus verbis sponsa exprimit, & delectationem videlicet istiusmodi contemplationis & inquietitudinem, ubi & *se dormire & cor suum vigilare* fatetur. Nam in somno quidem suavissimi stuporis placidæque admirationis sentire quietem, in vigiliis verò inquietæ nihilominùs curiositatis ac laboriosæ exercitationis pati se fatigationem significat. Hinc Beatus Job: *Si dormiero*, ait, *dico, quandò consurgam? & rursùs expectabo vesperam*. Sentisne in his verbis sanctam animam velle interdùm molestam quodammodò declinare suavitatem, eandemque rursùm suam molestiam affectare? Non enim dixisset *quando consurgam*, si ex toto ei quies illa suæ contemplationis placuisset: sed etsi ex toto displicuisset, non denuò expectâsset horam quietis, id est, *vesperam*. Non igitur locus est iste cubiculi, ubi nequaquam per omnem modum quiescitur. Habet hoc vera & casta contemplatio (d) ut mentem quam divino igne vehementer succenderit, tanto iterdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant, ut ocium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat: & rursùm potita votis, aliquatenùs in hac parte tantò ardentiùs redeat in idipsum, quantò se fructuosiùs intermisisse meminerit: & item sumpto contemplationis gustu, valentiùs ad conquirenda lucra solitâ alacritate recurrat. Ceterùm inter has vicissitudines plerumque mens fluctuat, metuens & vehementer æstuans, ne fortè alteri horum dum suis affectionibus hinc inde distrahitur, plùs justo inhæreat, & sic in utrolibet vel ad modicum à Divina deviet voluntate. Et fortasè tale aliquid Sanctus Job patiebatur cùm diceret: *Si dormiero, dico, quandò consurgam? & rursùm expectabo vesperam*. Hoc est: Et quietus neglecti operis, & occupatus perturbatæ nihilominùs quietis me arguo. Vides virum sanctum inter fructum operis, & somnum contemplationis æstuare: & in bonis licèt semper versantem, semper tamen quasi de malis pænitentiam agere, & Dei cum gemitu momentis singulis inquirere voluntatem? Unicum quippè in hujusmodi remedium seu refugium est oratio, & frequens gemitus ad Deum: ut quid & quando & quatenùs nos facere velit, assiduè nobis demonstrare dignetur. Quapropter ego ut didici (e) benedicam Dominum in omni tempore, hoc est, mane & vespere. *Mane* quidem sicut pullus hirundinis sic clamabo, *vespere* autem meditabor ut columba: quatenùs & cùm gratiæ matutinum arriserit, in modum hirundinis exultans & clamitans gratias agam pro visitatione: & cùm vespera ingruerit, non deerit sacrificium vespertinum, cùm instar columbæ gemens, lachrymas fundam in tribulatione. Sic enim deserviet tempus utrumque Deo, cùm & ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Mærens mærebo in vespera, quo lætus fruar matutino. Placet utrumque Deo, & peccator compunctus, & justus devotus: cui è regione displicet tam ingratus justus, quàm peccator securus. Aut certè sicut pullus hirundinis hac illacquè discurrens, Marthæ me officiis mancipabo, hilarem datorem me exhibens omni necessitatem patienti: & meditabor ut columba, gemendo utique quod obstat, dum quod restat intueor. Hoc autem faciam mane & vespere, hoc est, priùs & posteriùs, juxta quod in typum utriusque vitæ dictum est à Laban: *Non est consuetudinis ut minores ante tradamus ad nuptias*, quanquam indifferenter de altera ad alteram transeatur. Quod significare Job puto ubi ait: *Si dormiero, dico, quando consurgam? & rursùm expectabo vesperam*. Quiescens quippè in vespera contemplationis, mane desiderabat quo surgeret ad actionem: rursumquè negotiis fatigatus, expectabat vesperam, libenter repetens ocia contemplationis.

§. II.

Secundus locus apud Sponsum cælestem est ille (f) de quo super rationalem reprobam quidē creaturam immobilis vigilat secretissima & severissima animadversio justi Judicis Dei terribilis in consiliis super filios hominum. Cernitur inquā à timorato contemplatore hoc loco Deus, justo, sed occulto judicio suo reproborum, nec diluens mala, nec acceptans bona: insuper & corda indurans, ne fortè doleant & resipiscant & convertantur, & sanet eos. Et hoc non absque certa & æterna ratione, quod tantò formidolosius constat esse, quantò immobilius fixum extat in æternitate. Pavendum valdè est illud quod in Propheta Isaia de hujusmodi legimus, ubi loquens ad Angelos suos Deus sic ait: *Misereamr impio*. Quibus paventibus atque quærentibus inquit: *Non ergo discet facere justitiam*. Vides quia tunc magis irascitur Deus (g) cùm non irascitur? *Misereamur impio*, inquit, *& non discet facere justitiam*. Misericordiam hanc ego nolo. Super omnem iram miseratio est ista, sepiens mihi vias justitiæ. Satiùs profectò mihi est juxta Prophetæ consilium *apprehendere disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & peream de via justa*. Volo irascaris mihi Pater misericordiarum, sed illâ irâ, qua corrigis devium, non qua extrudis de via. Illud tua nobis benigna animadversio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Non enim cùm nescio, sed cùm sentio te iratum, tunc maximè confido esse propitium: etenim cùm iratus fueris, misericordię recordaberis. *Non ergo* (inquit Deus) *discet facere justitiam*: [h] subdensque causam, *In terra*, ait, *sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini*. Timeant Clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis quæ sufficere debeant minimè contenti, superflua quibus egeni sustentandi forent, impiè sacrilègequè sibi retineant, & in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur: duplici profectò iniquitate peccantes, quòd & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur. Talibus ergo cùm impræsentiarum par-

d Ser. 57. in Cant. num. 9. & 10. e Ser. 3. divers. num. 4.

f Ser. 23. in Cant. num. 14. g Ser. 42. in Cant. num. 4. h Ser. 23. in Cant. num. 14. & 15.

parcere ac misereri (ne in æternum parcat, cujus judicia abyssus multa) advertitur: quis in hoc loco requiem quærat? Habet hæc visio tremorem judicii, non securitatem cubiculi. Terribilis est locus iste, & totius expers quietis. Totus inhorrui si quando in eum raptus sum, illam apud me replicans cum tremore sententiam: *Quis scit, utrum sit dignus amore an odio?* Nec mirum si titubo ego ibi (folium utique quod à vento rapitur, & stipula sicca) ubi & maximus ille contemplator David suos quoque fatetur penè motos fuisse pedes, penè effusos gressus. Et dicebat: *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*. Quare? *In labore*, inquit, *hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideoquè tenuit eos superbia*, ne humilientur ad pænitentiam, sed damnentur propter superbiam cum superbo diabolo & angelis ejus. Nam qui in labore hominum non sunt, in labore dæmonum profectò erunt, dicente Judice: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*. Est tamen Dei locus & iste, planè non aliud quàm domus Dei, & porta cæli. Hìc nempè timeri dicitur Deus. Hìc sanctum & terribile Nomen ejus, & tanquam ingressus gloriæ. *Initium* planè *sapientiæ timor Domini*. Nec te moveat quòd initium sapientiæ huic demùm loco dederim (i) & non priori. Ibi quippè in quodam quasi Auditorio suo docentem de omnibus magistram audimus Sapientiam, hìc & suscipimus. Ibi instruimur quidem, sed hìc afficimur. Instructio doctos reddit, affectio sapientes. Sol non omnes quibus lucet, etiam calefacit. Sic sapientia multos quos docet quid sit faciendum, non continuò etiam accendit ad faciendum. Aliud est multas divitias scire, aliud & possidere: nec notitia divitem facit, sed possessio. Sic prorsùs sic aliud est nosse Deum, & aliud timere: nec cognitio sapientem, sed timor facit, qui & afficit. Tunc sapientem dixeris, quem sua scientia inflat? Quis illos sapientes nisi insipientissimus dicat, qui cùm cognovissent Deum, non tanquam Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt? Ego magis cum Apostolo sentio, qui insipiens cor eorum pronunciat. Et benè *initium sapientiæ timor Domini*, quia tunc primùm Deus animæ sapit, cùm eam afficit ad timendum, non cùm instruit ad sciendum. Times Dei justitiam, times potentiam, & sapit tibi justus & potens Deus: quia timor sapor est. Porrò sapientem facit, sicut scientia scientem, sicut divitiæ divitem. Quid ergo prior locus? Tantùm præparat ad sapientiam. Illic præpararis, ut hìc initieris. Præparatio, rerum cognitio est. Verùm hanc facillimè sequitur elationis tumor, si non reprimat timor, ut meritò dicatur: *Initium sapientiæ timor Domini*, qui se pesti insipientiæ primus opponit. Ibi itaque quidē accessus est ad sapientiam, hìc & ingressus. Porrò ne hìc nec ibi speculanti perfecta est quies: quia illic Deus apparet tanquā sollicitus, hìc tanquam turbatus. Non ergo cubiculū quæsieris in his duobus locis, quorum alter Auditorium quasi docentis, alter Prætoriū Judicis magis apparet. Sedet Christus ad dexteram Patris (k) habens in dextera misericordiam, in sinistra judicium; & misericordiam multam nimis, & judicium multum nimis: in dextera aquam, in sinistra ignem immobiliter tenens. Et quidem corroboravit misericordiam suam super timentes se secundùm altitudinem cæli à terra, ut majores cumulos miserationum Domini sentiant, quàm sit spatii inter cælum & terram: propositum namque Dei super illos manet immobile: & misericordia Domini ab æterno & usque in æternum super timentes eum. *Ab æterno* per prædestinationem, *in æternum* per glorificationem. Similiter & in reprobis terribilis est super filios hominum: & utrinque stat fixa sententia æternitatis, & in his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt.

§. III.

Tertius locus apud Sponsum cælestem est ille (l) ubi quiescens & quietus cernitur Deus. Locus omninò non Judicis, non Magistri, sed Sponsi est: & qui mihi quidem planè cubiculum sit, si quando in illum contingerit introduci. Sd heu rara hora, & parua mora. Clarè ibi agnoscitur misericordia Domini ab æterno & usque in æternum super timentes eum. Et felix qui dicere potest: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*. Stat propositum Dei, stat sententia pacis super timentes eum, ipsorum & dissimulans mala, & remunerans bona, ut miro modo eis nonmodò bona, sed & mala cooperentur in bonum. O solus verè beatus, cui non imputavit Dominus peccatum. Nam qui non habuerit peccatum, nemo est. Omnes enim peccaverunt, & omnes egent gloriâ Dei. Quis accusabit tamen adversùs Electos Dei? Sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium cui soli peccavi. Omne quod mihi ipse non imputare decreverit, sic est quasi non fuerit. Non peccare, Dei justitia est: hominis justitia, indulgentia Dei est. Uidi hæc, & intellexi illius sententiæ veritatem: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat: quia generatio cælestis servat eum.* Hoc dictum est (m) de prædestinatis ad vitam: non quòd omninò non peccent, sed quòd peccatum ipsis non imputetur, quod vel punitur condignâ pænitentiâ, vel in charitate absconditur. *Generatio* ergo *cælestis* (n) æterna prędestinatio est, qua Electos suos Deus dilexit, & gratificavit in dilecto Filio suo ante mundi constitutionem sic in Sancto apparentes sibi, ut viderent virtutem suam, & gloriam suam, quo ejus forent consortes hæreditatis, cujus & apparerent conformes imaginis. Hos ergo adverti quasi nunquam peccasse, quoniam etsi qua deliquisse videntur in tempore, non apparent in æternitate: quia charitas Dei Patris ipsorum cooperit multitudinem peccatorum. Et dixi *beatos esse, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*: cùm subitò tanta mihi quoque de me suborta fiducia & infusa lætitia est, quantus certè in loco horroris, id est in loco secundæ visonis non præcesserat timor, ita ut mihi visus sim tanquam unus ex illis beatis esse. O si durasset! Iterùm iterùmquè *visita me Domine in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ*. O veræ quietis locus (o) & quem non immeritò *Cubiculi* appellatione consuetim, in quo

Deus

i *Ibidem num. 16.* k *Ser. 2. de Ascens. Dom. num. 5.*

l *Ser. 23. in Cant. nu. 17. in Tract. de grat. & lib. arb. cap. 9. nu. 29.* n *Ser. 23. in Cant. num. 17.* o *Ibidem. num. 18.*

Deus non quasi turbatus irâ, nec velut distentus curâ prospicitur, sed probatur voluntas ejus in eo bona & beneplacens & perfecta. Uisio ista non terret, sed mulcet: inquietam curiositatem non excitat, sed sed sedat: nec fatigat sensus, sed tranquillat. Hîc verè quiescitur. Tranquillus Deus tranquillat omnia: & quietum aspicere, quiscere est. Cernere est Regem post diurnas forensium quasi lites causarum, dimissis à se turbis, curarum molestias declinantem, petentem de nocte diversorium, cubiculum introeuntem cum paucis quos hoc secreto & familiaritate dignatur; eò certè securiùs, quò secretiùs quiescentem, eò sereniùs se habentem, quò placidiùs solos intuentem quos diligit. In hoc arcanum, & in hoc Sanctuarium Dei si quem fortè vestrûm aliquâ horâ sic rapi & sic abscondi contigerit, vt minimè nocet aut perturbet vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certè quæ difficiliùs amoventur irruentia imaginum corporearum phantasmata; poterit quidem hic cùm ad nos redierit, gloriari & dicere: *Introduxit me Rex in cubiculum suum*. Quod tamen an ipsum sit de quo exultat Sponsa, non temerè affirmaverim. Est tamen cubiculum, & cubiculum Regis: quia nimirùm de tribus locis quos triplici assignavimus visioni, solus factus est in pace locus iste. Ut enim apertè monstratum est, quòd & in priori loco exigua, & in secundo loco nulla percipitur quies: cùm & illic apparens admirabilis, ad indagandi studium exerceat curiositatem; & hîc innotescens terribilis, infirmitatem concutiat. At verò in tertio loco isto non planè terribilis, nec tam admirabilis quàm amabilis apparere dignatur, serenus & placidus, suavis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus intuentibus se. Propterea in charitate requiescit & dormit sponsa (p) pro qua dicitur: *Adjuro vos filiæ Jerusalem, per capreas cervosquè camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.* Magna & stupenda dignatio, quòd quiescere facit animam contemplantem in sinu suo, insuper & custodit ab infestantibus curis, protegitquè ab inquietudinibus actionum, & molestiis negotiorum: nec patitur omninò suscitari nisi ad ipsius utique voluntatem. Ideo prohibentur adolescentulæ: (q) has enim *filias Jerusalem* dicit, quia etsi delicatæ & molles quasi fæmineis adhuc affectibus & actibus infirmæ sint, sponsæ tamen inhærent spe proficiendi, & proficiscendi Jerusalem. Prohibentur verò ab infestatione Sponsæ dormientis, ne scilicet præter voluntatem ipsius ullatenùs eam excitare præsumant. Propterea etiam dulcissimus Sponsus lævam suam capiti ejus supposuit (secundùm ea quæ præmissa sunt) quatenùs in sinu suo eam quiescere faceret & dormire. Et nunc sicut subinde Scriptura prosequitur, ipse custos illius dignantissimè & benevolentissimè vigilat super eam, ne adolescentularum crebris minutisquè necessitatibus inquietata evigilare cogatur. Ista est literalis cohærentia textûs. Sed enim contestatio illa facta *per capreas ceruosquè camporum*, nihil omninò secundùm literam consequentiæ rationabilis habere videtur, adeo totam sibi eam vendicat intelligentia spiritualis. At quoquomodo illa se habeat, interim bonum est nos hîc esse, & intueri paulisper naturæ Divinæ bonitatem, suavitatem, dignationem. Quid namque tu homo in humanis unquam affectibus expertus es dulcius, quàm modò tibi exprimitur de corde Altissimi? Et exprimitur ab illo qui scrutatur alta Dei, & non potest nescire quæ in eo sunt, quia Spiritus ipsius est: nec aliud planè loqui quàm quod apud ipsum vidit, quoniam veritatis Spiritus est. Denique nec deest in nostro genere (r) qui hoc munere felix lætificari meruerit, & sic in semetipso suavissimi arcani hujus habuerit experimentum: nisi tamen Scripturæ loco (qui præ manibus est) omninò decredimus, ubi manifestè inducitur cælestis Sponsus vehementissimè zelans pro quiete cujusdam dilectæ suæ, solicitus servare inter brachia propria dormientem, ne qua fortè molestia vel inquietudine à somno suavissimo deturbetur. Anima dormiens in contemplatione Deum somniat (s) per speculum quidem & in ænigmate, non autem facie ad faciem: tamen sic non tam spectati quàm conjectati, idquè raptim & quasi sub quodam coruscamine scintillulæ transeuntis, tenuiter vix attacti inardescit amore. Nos autem ubi Sponsa pausat (t) pausemus pariter, de sumpto gustu glorificantes Patremfamilias, qui nos ad tales epulas invitavit, Sponsum Ecclesiæ Jesum Christum Dominum nostrum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT. V.

De cænaculo & cubiculo Sponsi nostri Jesu Christi.

Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. *Cant.* I.

1. *Ostenditur, animam devotam debere indesinenter aspirare ad pastionem & cubationem cælestem, id est, ad felicitatem & quietem patriæ cælestis: pro qua obtinenda vox gementium convenit nova legi potiùs quam veteri.* 2. *Ostenditur, cubiculum Christi esse summam & singularem quietem in Patre, ad quod etiam animam deuotam introducit, & inter sua brachia obdormire facit. Per somnum intelligitur extasis animæ contemplantis.* 3. *Ostenditur per meridiem designari æternitatem, lucem perpetuam, & vultum Dei. Docemur, magna & sublimia fuisse obtenta à multis, ob eorum scilicet magnanimem zelum & fidem.*

§. I.

INdica mihi (a) *quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie*, ait sponsa. Et alius quidam: *Indica* (inquit) *mihi cur me ita judices*. Vbi non sanè sententiam causatur, sed scrutatur causam, erudiri flagellis petens, non erui. Item alius precatur dicens: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*. Quas dixerit vias vel semitas, manifestat alibi: *Deduxit me* (inquit) *super semitas justitiæ*. Ergo tria ista anima curiosa Dei non cessat inquirere, *justitiam*, & *judicium*, & *locum* habitationis gloriæ Sponsi cælestis, tanquam *viam* in

qua

p *Ser. 51. in Cant. num. 11.* q *Ser. 52. in Cant. num. 1.* r *Ibidem num. 2.* s *Ser. 18. in Cant. num. 7.* t *Ser. 48. in Cant. num. 8.* a *Ser. 33. in Cant. num. 1.*

qua ambulet, *cautelam* qua ambulet, & ad quam ambulet *mansionem*. De qua mansione sic habes in Propheta David: *Vnam petii* (inquit) *à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. Et iterùm ait: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*. Porrò de reliqis duobus: *Justitia & judicium* (ait) *præparatio sedis tuæ*. Meritò tria ista mens deuota requirit, utpote sedem Dei, & sedis præparationem. Et pulchrè in sponsæ prærogatiuam concurrunt pariter omnia ad consummationem virtutum, ut de forma justitiæ sit *formosa*, de judiciorum notitia sit *cauta*, de desiderio præsentiæ seu gloriæ Sponsi sit *casta*. Talem prorsùs decet esse sponsam Domini, pulchram, eruditam, & castam. Ergo petitio quam ultimam posui, istius est loci. Petit siquidem ab eo quem diligit anima sua, indicari sibi ubi cubet in meridie. Et primò adverte (b) quàm eleganter amorem spiritûs à carnis discernat affectu, dum dilectum exprimere magis ipsa affectione quàm nomine volens, non simpliciter quem diligo, sed ô (inquit) *quem diligit anima mea*, spiritualem designans Dilectionem. Deinde quidnam eam in loco pascuæ adeo delectet, diligenter attende. Sed nec illud prætereat te de hora meridiana, & quòd is potissimùm exploratur locus, in quo ille qui pascit cubat simul: quod est magnæ securitatis indicium. Arbitror enim ob hoc additum, *cubat*, quòd eo loci minimè necesse sit stare & vigilare super custodiam gregis, quando grex etiam cubante Pastore & pausante sub umbris, liberè nihilominùs discurrat in pascuis. Felix regio, in qua pro libitu oves ingrediuntur & egrediuntur, & non est qui exterreat. Quis mihi tribuat videre vos, meque pariter in montibus pasci unà cum illis nonaginta novem ovibus, quæ illic relictæ leguntur, cùm Pastor earum dignanter ad unam descendit quæ erraverat? Securè proculdubio cubat propè, qui & longè recedere minimè dubitavit, sciens quia in tuto eas reliquerat. Meritò sponsa illò suspirat, meritò inhiat loco pascuę simul & pacis, sed quietis, sed securitatis, sed exultationis, sed admirationis, sed stuporis. Nam & me miserum heu longè agentem & de longè salutantem, en ipsaejus recordatio ad lachrymas provocat, planè juxta affectionem & vocem dicentium: *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion*. Libet exclamare & me cum sponsa pariter & cum Propheta David: *Lauda Deum tuum Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te*. Quis non illic vehementer cupiat pasci, & propter *pacem*, & propter *adipem*, & propter *satietatem*? Nihil ibi formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit. Tuta est habitatio *Paradisus*, dulce pabulum *Verbum*, opulentia multa nimis *Æternitas*. Festinemus proinde, Fratres, (c) festinemus ad locum tutiorem, ad pastum suaviorem, ad vberiorem & fertiliorem agrum. Festinemus ut habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio. Tu enim Domine Sabaoth, qui cum tranquillitate judicas omnia, etiam cum securitate æquè omnia ibi pascis. Idem ipse es & Dominus exercituum, & Pastor ovium. Ergo & pascis & cubas pariter, sed non hîc. Denique stabas cùm è cælo prospiceres unam ex tuis oviculis (Stephanum loquor) à lupis circumdari super terram. Et propterea quæso *indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Sponsus cælestis cùm præmitteret flores apparuisse *in terra*, adjunxit, *nostra*: & nunc nihilominùs inquit: *Vox turturis audita est in terra nostra*. Et hoc indicium est transactæ hyemis, tempus nihilominùs putationis adesse denuncians. Id juxta literam. Aliàs turturis vox non dulce admodùm sonat, sed signat dulcia. Ipsa avicula si emis, non magni precii est: si discutis, non parvi precii est. Et vox quidem gementi quàm canenti similior, peregrinationis nostræ nos admonet. *Vox turturis audita est* (e) *in terra nostra*. Donec homines pro Dei cultu mercedem tantùm in terra, & tantùm terram acceperunt (illam utique terram lacte & melle manantem) minimè se cognoverunt peregrinos esse super terram, nec more turturis ingemuerunt veluti patriæ reminiscentes: magis autem pro patria exilio abutentes, dederunt se comedere pinguia, & bibere mulsum. Ita tamdiu non est vox turturis audita in terra nostra. Ubi ergo regni cælorum promissio facta est, tunc intellexerunt homines se non habere hîc civitatem manentem, sed futuram inquirere tota aviditate cæperunt, & tunc primùm manifestè sonuit in terra vox turturis. Nam dum sancta quæque jam anima Christi præsentiam suspiraret, regni cælestis dilationem molestè ferret, desideratam patriam gemitibus & suspiriis à longè salutaret: nonne tibi videtur vice fungi gemebundæ ac castissimæ turturis quæcunque anima in terris ita fecisset? Extunc ergo & deinceps *vox turturis audita est in terra nostra*. Quidni moveat mihi crebras lachrymas & gemitus quotidianos Christi absentia? *Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Laboravi in gemitu meo*, tu scis. Sed beatus qui dicere potuit: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*. Non solùm autem mihi, sed & omnibus qui diligunt adventum ejus, gemitus isti comperti sunt. Hoc quippè est quod ipse Christus ajebat: *Numquid possunt* (inquit) *filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc lugebunt*. Ac si diceret: Et tunc vox turturis audietur. Ita est Jesu bone [f] venerunt jam dies illi. Nam & ipsa creatura ingemiscit & parturit usque adhuc, revelationem filiorum Dei expectans. Non solùm autem illa, sed & nosipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem utique corporis nostri; hoc scientes, quia quamdiu sumus in corpore hoc, peregrinamur à Domino.

§. II.

Indica mihi, quem diligit anima mea [g] *ubi pascas, ubi cubes*. Cubans pascit Angelos in illas perpetuas æternitates, quos satiat visione æternitatis & immutabilitatis suæ. Commendant nobis sacræ literæ Christum Dominum [h] & ex Patre, & in Patre, & cum Patre. Quod dicitur, *ex Patre*, ineffabilis est

b *Ibidem. num. 2.* c *Ibidem num. 4.*

d *Ser. 59. in Cant. num. 1. & 3.* e *Ibidem num. 4.* f *Ibidem num. 5.* g *Ser. 1. de Aduen. Dom. num. 11.* h *Ser. 5. de verb. Esai. num. 1.*

est Nativitas: quod *in Patre*, consubstantialis est Unitas: quod *cum Patre*, Æqualitas est majestatis. Sanè tria hæc ab æterno. Cæterùm si ex Patre nascens, quid in Patre, aut cùm Patre? Non incongruè forsitan in Patre cubans, cum Patre sedens dicatur. Et audite consessûs & hujus accubitûs rationem. Sicut enim sessio Majestatem, sic consessio æqualem exprimit Majestatem, præsertim cùm sit ei sedes à dextris Patris, non sanè sub pedibus, vel quasi à tergo. Et sedere quidem jam quiescere est, sed jacere magis. Quid autem delectabilius & quodammodò dulcius esse videbitur Filio, quòd in Patre est, an quòd cum Patre omnibus creaturis præest? In quo putas horū summa illa pax Christi Dei, quæ exuperat omnem sensum, & singularis requies Domini competentiùs assignetur? Etsi dignè ore id exprimi nequeat, corde tamen forsitan piè concipitur: ut saluâ quidem in omnibus illius indivisibili simplicitate essentiæ, inter gloriæ æqualitatem & substantiæ Unitatem, velut similis quædam ei quæ inter consessum & accubitum est, cogitari posse distinctio videatur. Denique (i) parùm videtur sponsæ videre sedentem, cubantem sibi flagitat indicari: *Indica mihi*, ait, *quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie.* Sed & animæ omni quæ sanum sapit, dulcius sapit per omnem modum quod Apostolus ait: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est*, quàm quod Apostolis dicitur: *Cùm sederit Rex in sede majestatis suæ, sedebitis & vos judicantes*: haud minùs utique jucundior sessione cubatio. *Ego in Patre* (ait Filius) *& Pater in me est*. Non potuit expressiùs substantiæ Vnitas commendari. Ubi enim uterque in altero, nihil quasi exterius licet nihil interius cogitari, simplicissimam magis credi necesse est in ambobus substantiæ Vnitatem. Verùmtamen aliquatenùs huic simile est quod dicitur: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: nisi quòd hîc quidem spiritualis quædam Vnio, secundùm quod supra meminimus: *Qui adhæret Deo*, non quidem unum, id est, non una substantia, *sed unus spiritus est*: illic verò naturalis potiùs & substantialis Unitas designatur. Unde & habes in Euangelio: *Ego & Pater unum sumus*. Illud proinde juxta præfatam similitudinem tanquam *cubiculum* Vnigeniti, & quasi summa quædam Domini requies est. Nos quoque per hanc voluntatum unionem & adhæsionem spiritûs, quam nimirùm charitas facit, pro nostro quidem modulo, in hoc suum cubiculum, & in suam requiem factus etiam Primogenitus introducit. Non me capio præ lætitia (k) quòd illa Majestas tam familiari dulciquè consortio nostræ se inclinare infirmitati minimè dedignatur, & superna Deitas animæ exulantis inire connubia, eiquè Sponsi ardentissimo amore captæ exhibere affectum non despicit. Sic sic in cælo esse non ambigo, ut lego in terra: sentietquè pro certo anima quod continet pagina, nisi quòd non sufficit ista omninò exprimere, quantum capere illa tunc poterit, sed nec quantum jam potest. Quid putas illic accipiet, quæ hîc tanta familiaritate donatur, ut Dei brachiis amplecti se sentiat, Dei sinu foveri, Dei curâ & studio custodiri: ne dormiens fortè à quoquam donec ultrò evigilet, excitetur. Age jam itaque dicamus si possumus (l) quisnam ille sit somnus quo dilectam suam Sponsus obdormire velit, nec patiatur omninò nisi ad ipsius arbitrium excitari: ne fortè cùm legerit quis apud Apostolum, *Hora est jam nos de somno surgere*; siue apud Prophetam exorari ab ipso Deum *illuminare oculos suos ne unquam obdormiat in morte*; nominum æquiuocatione turbetur, nec inveniat omninò quid dignè de dormitione sponsæ (quæ hoc loco memoratur) sentire possit. Nam ne illud quidem simile est huic quod de Lazaro ait in Euangelio Dominus: *Lazarus amicus noster dormit, eamus & à somno excitemus eum.* Hoc enim dicebat de morte corporis ejus, cùm Discipuli de dormitione somni dictum putarent. Non est autem is Sponsæ somnus dormitio corporis vel *placida*, quæ sensus carnis suaviter sopit ad tempus, vel *horrida*, quæ funditùs vitam tollere consuevit. Multò magis verò & ab illa alienus existit quâ obdormitur *morte*, cùm videlicet in peccato quod est ad mortem, irreuocabiliter perseveratur. Magis autem istiusmodi vitalis vigilquè sopor sensum interiorem illuminat, & morte propulsata vitam tribuit sempiternam. Revera enim *dormitio* est, quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat. Est & *mors*, (quod non dubiùs dixerim) quoniam Apostolus quosdam in carne adhuc viventes commendando sic loquitur: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Proinde & ego non absurdè sponsæ extasim vocaverim mortem, quæ tamen non vitâ, sed vitæ eripiat laqueis, ut possit dicere: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*. Inter medios namque laqueos in hac vita inceditur, qui utique toties non timentur, quoties sancta aliqua & vehementi cogitatione anima à semetipsa abripitur si tamen eousque mente secedat & avolet, ut & hunc communem transcendat usum & consuetudinem cogitandi: Etenim *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*. Quid enim formidetur luxuria, ubi nec vita sentitur? Excedente quippè anima etsi non vitâ, certè vitæ sensu, necesse est etiam ut nec vitæ tentatio sentiatur. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, ut non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores solicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea morte justorum, ut nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona mors, quâ non corpus cadit, sed anima sublevatur. Verùm (m) hæc mors hominum est. Sed moriatur anima mea morte etiam (si dici potest) Angelorum, præsentium memoriâ excedens, rerum se inferiorum corporearumquè nonmodò cupiditatibus sed & similitudinibus exuat, sitquè ei pura cum illis Spiritibus conversatio, cum quibus est puritatis similitudo. Talis (ut opinor) excessus aut tantùm aut maximè contemplatio dicitur. Rerum etenim cupiditatibus vivendo non teneri, humanæ virtutis est: corporum verò similitudinibus speculando non involui, Angelicæ puritatis est. Utrumque tamen divini muneris est, utrumque

i *Ibidem num.* 2. k *Ser.* 52 *in Cant. num.* 2.

l *Ibidem num.* 3. & 4. m *Ibidem num.* 5. & 6.

que excedere, utrumque teipsum transcendere est: sed longè unum, alterum non longè. Beatus qui dicere potest: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine*. Non fuit contentus exire, nisi & longè se faceret, ut posset quiescere. Transilisti carnis oblectamenta, ut minimè jam obedias concupiscentiis ejus, nec tenearis illecebris: profecisti, separasti te, sed nondum elongasti, nisi & irruentia undique phantasmata corporearum similitudinum transvolare mentis puritate prævaleas. Hucusque noli tibi promittere requiem. Erras, si citra te invenire existimas locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis. Sed da mihi qui illuc pervenerit, & incunctanter fateor quiescentem, qui meritò dicat: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*. Atque hic verè in solitudine locus, & in lumine habitatio: prorsùs juxta Prophetam Esaiam, *Tabernaculum est in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & in absconsionem à turbine, & à pluvia*. De quo & sanctus David: *Abscondit me*, inquit, *in tabernaculo suo in die malorum, protexit me in abscondito tabernaculi sui*. Puto ergo in solitudinem hanc secessisse Sponsam, ibiquè amænitate loci inter amplexus Sponsi suaviter obdormivisse, id est in spiritu excessisse, quando prohibitæ sunt adolescentulæ expergefacere illam quoadusque ipsa voluerit.

§. III.

Indica mihi ubi pascas, (n) *ubi cubes in meridie*: hoc est, tota die. Etenim ille meridies tota est dies, & ipsa nesciens vesperam. Et ideò melior dies illa in atriis tuis super millia, quia nescit occasum. Quid ipsa? (o) Æternitas. Hæc tam longa est, ut non habeat terminum non magis loci quàm temporis. Proinde studeamus furari aliquando nosmetipsos (p) & à pessimis occupationibus istis surripere vel ad horam: studeamus jaculari animos, vibrare corda in id quod suum est, & quod quantò naturalius, tantò suavius est. Hoc enim est quod dicitur: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus*. Neque enim est oculorum visio ista, sed cordium, cùm Dominus dicat: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Nemo tamen (q) ad meridianum perveniet lumen, nec in illa sui plenitudine Deus videbitur modò, in qua videndus est postea, ab his duntaxat quos hac visione dignabitur. O vere meridies, plenitudo fervoris & lucis, Solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fætorum depulsio! O perenne solstitium, quando jam non inclinabitur dies! O lumen meridianum! ô vernalis temperies! ô æstiva venustas! ô autumnalis ubertas! Et ne quid videar præterire: O quies & feriatio hyemalis! Aut certè si hoc magis probas: Sola tunc hyems abiit & recessit. Hunc locum (inquit Sponsa) tantæ claritatis & pacis & plenitudinis judica mihi, ut quemadmodùm Jacob adhuc in corpore manens vidit Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima ejus; vel certè sicut Moyses vidit eum non per figuras & ænigmata, seu somnia uti Prophetæ alii, sed modo planè præcellenti atque inexperto cæteris, sibi noto & Deo; vel sicut Esaias revelatis oculis cordis vidit eum super solium excelsum & elevatum; vel etiam quomodo Paulus raptus in paradisum audivit verba ineffabilia, & Dominum suum Jesum Christum vidit oculis suis: Ita ego quoque te in lumine tuo, & in decore tuo per mentis excessum merear contemplari pascentem uberiùs, quiescentem securiùs. Nam & hîc pascis, sed non in saturitate: nec cubare licet, sed stare, & vigilare oportet propter timores nocturnos. Heu nec clara lux (r) nec plena refectio, nec mansio tuta: & ideo *indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Beatam me dicis cùm esurio & sitio justitiam. Quid hoc ad illorum felicitatem qui repleti sunt in bonis domus tuæ, qui epulantur in conspectu Dei, & delectantur in lætitia? Sed & si quid patior propter justitiam, nihilominùs beatam me pronuncias. Et certè pasci ubi timeas pati, jucunditatem habet, sed non securitatem. Porrò autem pasci & pati simul, nonne molesta jucunditas est? Omnia mihi hîc cedunt citra profectum, plura præter votum, & tutum nihil. Quand bo *adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo*? Vultum tuum Domine requiram. Vultus tuus meridies est. *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Scio satis ubi pascas non cubans, indica mihi ubi pascas & cubes. Non ignoro ubi aliis temporibus pascere soleas, sed scire velim ubi in meridie pascas. Nam in tempore quidem mortalitatis meæ, & in loco peregrinationis meæ consuevi sanè sub tua custodia pasci & pascere in Lege & Prophetis & Psalmis de te, nec non in Evangelicis pascuis: & apud Apostolos similiter requievi: frequenter etiam de gestis Sanctorum, & de verbis & Scriptis eorum victum mihi atque attinentibus mihi mendicavi ut potui: frequentiùs autem (quoniam is magis ad manum fuit) mendicavi panem doloris, & vinum compunctionis bibi, & factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, *Ubi est Deus tuus*? Nisi quòd de mensa tua sacrosancta (siquidem parasti in conspectu meo mensam adversùs eos qui tribulant me) tuæ quidem beneficio miserationis accipio, in quo utcunque respiro quoties tristis est anima mea, & quoties conturbat me. Hæc pascua novi & frequentavi te secuta Pastorem, sed indica quæso etiam quæ non novi. Videamus autem (s) ne propterea etiam nunc describatur Sponsus hoc loco apparens tanquã in schemate pastorali, ubi illum sponsa quasi unum quempiam de pastoribus videtur alloqui dicens: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Bonus pastor qui animam suam dat pro ovibus suis. Animam pro illis, Carnem illis. Illam in precium, istam in cibum. Res mira: ipse pastor, ipse pascua est, ipse redemptio. Jam verò magni patrisfamilias (t) seu Regiæ majestatis schema apparere existimo his, qui accedentes ad cor altum de majori spiritûs libertate & puritate conscientiæ magnanimiores facti consueverunt audere majora, inquieti prorsùs & curiosi secretiora penetrare, & apprehendere sublimiora, & tentare perfectiora nonmodò sensuum sed & virtutum. Hi enim pro fidei magnitudine digni inveniuntur, qui inducantur in omnem plenitudinem: nec est omninò secretũ in omnibus apothecis sapientiæ, à

quo

n Ser. 23. in Cant. nu. 4. o Lib. 5. de considerat. ad Eugen. cap. 13. num. 28. p Ser. 2. diuer. nu. 8. q Ser. 33. in Cant. nu. 6.

r Ibidem num. 7. s Ser. 31. in Cant. num. 11. t Ser. 32. in Cant. num. 8.

quo Deus scientiarum Dominus arcendos censeat cupidos veritatis, vanitatis non conscios. Talis erat *Moyses*, qui audebat dicere Deo: *Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi teipsum*. Talis erat *Philippus*, qui sibi & suis condiscipulis *Patrem flagitabat ostendi*. Talis erat & *Thomas*, qui nisi sua manu *tangeret vulnus & fossum latus, credere recusabat*. Pusilla fides, sed de magnitudine animi miro modo descendens. Talis quoque erat *David*, qui & ipse dicebat Deo: *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*. Tales itaque magna audent, quoniam magni sunt: & quæ audent obtinent juxta verbum promissionis dictum ad ipsos, quod est istiusmodi: *Quemcunque locum calcaverit pes vester, vester erit*. Magna siquidem fides, magna meretur: & quatenùs in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenùs possidebis. Denique *Moysi* ore ad os loquitur Deus [u] & palàm non per ænigmata & figuras Dominū Deum videre meretur, cùm Prophetis aliis tantùm in visione apparere se dicat, & per somnium loqui. *Philippo* quoque secundùm petitionem cordis sui ostensus est Pater in Filio, in eo proculdubio quod in continenti audivit: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem: & quia ego in Patre, & Pater in me est*. Sed & *Thomæ* juxta desiderium cordis ejus palpandum se præbuit, & voluntate labiorum ejus non fraudavit eum. Quid *David*? Nonne & ipse voto se non omninò fraudari significat, ubi ait *non daturum se somnum oculis suis, nec palpebris suis dormitationem, donec inveniret locum Domino*. Igitur istiusmodi magnis spiritibus magnus occurrit Sponsus, & magnificabit facere cum eis, emittens lucem suam & veritatem suam, eosquè deducens & adducens in montem sanctum suum, & in tabernacula sua, ita ut dicat qui ejusmodi est: *Quia fecit mihi magna qui potens est*. Regem in decore suo videbunt oculi ejus præeuntem se ad speciosa deserti, ad flores rosarum & lilia convallium, ad amœna hortorum & irrigua fontium, ad delicias cellariorum & odoramenta aromatum, postremò ad ipsa secreta Cubiculi. Isti sunt thesauri sapientiæ & scientiæ penes Sponsum absconditi. Hæc sunt vitæ pascua præparata in refectionem animarum sanctarum. Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis. Quid felicius [x] quid jucundius sabbato illius animæ, quæ contemplatione & dilectione Dominum comprehendens, & quasdam divinæ suavitatis experientias in se formans, inæstimabili gaudio sanctæ fruitionis afficitur, dùm à se peregrinans jam in cælis habitat, & in memoria abundantiæ suavitatis Dei exultat & jubilat? O quies pacifica, ô sabbatum delicatum, ô dulcedo charitatis, quæ animam diligentem Deum usque in altissima ejus magnalia provehit, provectamquè inter voluptates æternas requiescere facit! Feriatione hujus sabbati totus homo interior hilarescit, ejus intelligentia serenatur, affectiones dulcescunt, & sancta desideria in Deo quadam fruitione felicissima resolvuntur. O mane, ô dies, quæ melior es in atriis Domini super millia! O splendor lucis & ardor charitatis, quæ inflammat Angelos, & illustrat interiora Sanctorum! O præclara solemnitas & jucunda pausatio & sabbatum delicatum! O sabbatum gloriosum! Paradisus supercælestis est regio visionis [y] ubi videbitur magna visio. O regio sublimis plena divitiarum, de valle lachrymarum suspiramus ad te, ubi *sapientia* sine ignorantia, *memoria* sine oblivione, *intellectus* sine errore, *ratio* sine obscuritate splendebit. Regio in qua Dominus transiens ministrabit electis suis, id est, talem se qualis est ostendet. Felix qui sine ulla nube confusionis [z] revelata penitùs facie gloriam Domini speculando, in eandem imaginem transformabitur, & similis erit illi videns eum sicuti est, utique super omnia Deus benedictus & laudabilis, & gloriosus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VI.

De salutari doctrina conuersandi mente in cælis.

Nostra autem conuersatio in cælis sit.
S. Paul. ad Philip. 3.

1. *Ostenditur ideo hominem recto corpore factum esse, ut oculos & mentem cum manibus attollens in Cælum illicò suspiret, ubi beatam & perennem conspicit mansionem. Docemur ut illuc in omni tribulatione & necessitate fugiamus, & frequenter clamemus in cælum.* 2. *Ostenditur, non paruam esse distantiam inter cælum & terram. Docemur ut nouem ordines Angelorum, eorumquè nomina plena mysteriis consideremus tribus modis, opinione, fide, intellectu.* 3. *Agitur de nominibus & officiis novem ordinum Angelorum. Ostenditur quanta sit jucunditas nostræ mentis cùm degit in calestibus, & quid sit considerandum in singulis Ordinibus Angelorum.* 4. *Ostenditur, Sedem sive thronum Dei esse cælum, cujus exteriorem pulchritudinem videre datur nobis, internam verò secretorum gloriam audire ac desiderare. Consideratio gloriæ Sanctorum excitat in nobis triplex desiderium, societatis, felicitatis, intercessionis.*

§. I.

QUi de terra est [a] *de terra loquitur*, ait vox illa clamantis Joannis. De terra ergo priùs loquamur, quia de terra subsistimus, & in terra. Audite quique terrigenæ & filii hominū, vobis dicimus, & de vobis. In terra orimur, in terra morimur, revertentes in eam unde sumus assumpti. Hîc nobis angustus introitus est, mora brevis, sola mors certa. Cogitur totus Adam judicium portare quod meruit. Dilatatus est vehementer, multiplicatus est, & replevit terram. Attamen velit nolit, quantumcunque recalcitret, universus adhuc fert sententiam quam excepit. *Terra* (inquit Dominus) *es, & in terram ibis*. Gravis equidem sententia est, sed non sine grandis misericordiæ temperamento. Dura admodùm sententia, sed si merita penses, indulgentiæ plena est. Siquidem non minùs justè peccanti diceretur *terra es*, sed ex hoc sub terram ibis. Justus foret etiam tunc justus Dominus, & laudabilis nimis.

Ggg 2 Di-

u *Ibidem num. 9. & 10.* x *Lib. 3. de amore Dei. cap. 13. nu. 63.*
y *Ser. 42. diuer. num. 7.* z *Ser. 28. diuer. num. 7.* a *Ser. de S. Mart. num. 2.*

Dignus planè qui laudaretur, sed non ego idoneus qui laudarem. Alioquin tunc quoque nihilominùs verè dicerem, si tamen dicere possem: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum*. At non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: sed nos qui vivimus, benedicimus Domino. Pepercisti ergo creaturæ tuæ, pepercisti gloriæ Nominis tui, ut descendentem de Jerusalem, minimè tamen usque in Jerico patereris abduci. Semiviuus adhuc relictus in via semilaudare possum: ubi totus vixero, ibi totus erumpam in laudem, & dicent omnia ossa mea: *Domine, quis similis tibi?* Propter hoc nempè cùm iratus fuisses, misericordiæ meministi, non damnans hominem in loco perditionis, sed in loco afflictionis humilians. Proinde ibo mihi ad montem gratiæ [b] & colles miserationum, quarum thesauros omnes repositos audio penes Christum. Ibo ad eum qui est plenus gratiæ & veritatis, si fortè accipiam aliquid de plenitudine illa, imò si fortè accipiar in plenitudine illa: ut cum cæteris aliquando membris occurram in mensuram ætatis plenitudinis Christi. *Nemo* quippè *ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo*. Fidelissimus planè & benignissimus Mediator Christus, qui quidem non discrevit, sed fecit utraque unum, medium parietem solvens, donans nobis delicta: delens quod aduersùm nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci: expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos, pacificansquè per Sangvinem suum quæ sunt in cælo, & quæ super terram. Propter hanc nempè salutem, quam in medio terræ erat operaturus, non confestim sub terra posuit hominem sicut peccando meruerat, sed in terra. Siquidem respirandum est nobis, & nullatenùs desperandum donec in terra adhuc interim constituti & suspicere cælum possumus, & suscipere data optima & dona perfecta desursùm à Patre luminum, à Patre spirituum, à Patre misericordiarum. Nam & propterea rectum fecit hominem etiam corpore ipso, & os homini sublime dedit (cùm prona utique spectent animantia cætera terram) ut attolens ad sidera vultus illicò suspiret, ubi tam beatam & perennem conspicit mansionem: nimirùm ut homo levans desideria sua [c] tota animi cupiditate ascendere studeat ad summam & perpetuam Veritatem. Hinc enim per Jeremiam monemur *levare corda nostra cum manibus*. Hinc audimus quotidie: *Sursùm corda*. Sunt qui alio modo aut sursùm cor habeant [d] sicut fecit Deus hominem rectum, & securè respondeant ad exhortantis vocem Presbyteri: *Habemus ad Dominum*. Sunt & alii qui similes brutis animalibus inclinati deorsùm, derisui sese faciant esse immundis spiritibus, qui profectò clamitant illudentes: *Incurvare ut transeamus*. Quærere & sapere quæ sunt super terram [e] curvitas animæ est: & è regione meditari ac desiderare quæ sursum sunt, rectitudo animæ est. Propheta David [f] ad Dominum inquit: *Altissimum posuisti refugium tuum*. Non accedet illuc tentator, non calumniator ascendet, non pessimus ille fratrum accusator attinget. Nempè ei dicitur hoc, qui in protectione Altissimi commoratur, illuc refugiens à pusillanimitate spiritûs & tempestate. Quæ quidem duplex est necessitas fugiendi, quòd videlicet & foris pugnæ, & intùs timores sint. Minùs enim fugere oporteret, si vel interior magnanimitas exteriores tumultus viriliter sustineret, vel exteriori tanquillitate pusillanimitas propria foueretur. *Altissimum* (ait) *posuisti refugium* suum. Sepè illuc fugiamus, Fratres, munitus est locus, nullus ibi timetur hostis. Utinam magis semper ibi manere liceret. Sed non est hoc temporis hujus. Quod modò refugium est, quandoque habitaculum erit, & habitaculum sempiternum. Interim sanè etsi persistere non conceditur, frequenter tamen est recurrendum. Nempè ad omnem tribulationem, ad omnem denique cujuscunquemodi necessitatem, aperta est nobis urbs refugii, sinus matris expansus est. Hoc refugium qui declinat, nihil mirum si effugere non meretur. Si essemus in domo illa non manufacta [g] æterna in cælis, ubi nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, nihil esset timendum. Nunc verò tribus malignissimis & validissimis ventis expositi sumus, carni, diabolo, & mundo: qui conscientiam illuminatam moliuntur extinguere, insufflantes in cordibus nostris desideria mala, motus illicitos: & ita te repentè turbantes, ut vix prænoscere valeas, unde venias, aut quò vadas. Ex quibus etsi duo sæpiùs intermittunt, à tertio tamen nemo unquam sufflandi inducias extorsit. Ideo clamemus in cælum [h] & miserebitur nostri Deus noster. Clamemus in cælum, quia sub cælo omnia labor & dolor, vanitas & afflictio spiritûs. Denique prauum est cor hominis & imperscrutabile, proni sensus ejus in malum. Non est in me bonum, hoc est, in carne mea. Lex peccati in ea habitat, & aduersùs spiritum concupiscit. Postremò & cor meum dereliquit me, & corpus mortuum est propter peccatum. Sufficit autem diei quoque malitia sua, & est mundus ipse positus in maligno. Quàm nequam in omnibus sæculum præsens, quàm nequiter aduersùs animam sæcularia desideria militare noscuntur! Sunt & principes mundi hujus tenebrarum harum, spirituales nequitiæ, aëreæ potestates, & inter eas callidior cunctis animantibus serpens. Hæc ergo sub Sole omnia, hæc omnia sub cælo. Ad quod horum confugium facis? In quo horum omnium speras solatii aliquid, aliquid auxilii invenire? Si quæras *intra te*, aruit cor tuum, & oblivioni datum te reperis, tanquam mortuum à corde: Si *infra te*, corpus quod corrumpitur, aggravat animam: Si *circa te*, etiam terrena habitatio deprimit sensum multa cagitantem. Quære ergo *supra te*: sed cautus esto ventosa agmina transilire. Quia enim omne datum optimum, & omne donum perfectum nonnisi desursùm esse noverunt, medium iter latrunculi obsedêre. Transi ergo, transi per vigiles illas nequitias, quæ tam indefessè custodiunt & observant, ne quis in illam possit evadare Civitatem cælestem. Si te percusserint, si vulneraverint, dimitte eis pallium, quod in Ægypto olim Joseph adulteræ dereliquit: dimitte sindonem, ut cum Evangelico illo juvene profugias nudus ab eis. Numquid non solum pallium ejus & sindonem dederat Deus

in

b *Ibidem num.* 4. c *Ser.* 11. *super. Psal.* 90. *num.* 12. d *Ser.* 36. *divers. nu.* 1. e *Ser.* 24. *in Cant. nu.* 7. f *Ser.* 9. *super Psal.* 90. *n.* 7.

g *Ser.* 3. *in Vig. nat. Dom. nu.* 5. h *Ser.* 14. *super. Psal.* 90. *nu.* 4.

in manus impii, in cujus facultatem & carnem dans potestatem, *verumtamen animam* (ait) *illius serva*? Ita ergo sursùm cor, sursùm clamor, sursùm desideria, sursùm conversatio, & omnis expectatio tua desursùm sit. Clama in cælum ut exaudiaris, & qui in cælis est Pater mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te. Mittat interim auxilium de tribulatione, eripiat à tribulatione, glorificet in resurrectione.

§. II.

Nonne denique piè & fideliter intuentibus nobis cælum (i) vehementissimum quoddam incentiuum amoris, & provocatio flagrantissimi desiderii est visio ipsa tam lucidissimæ regionis cælestis? Non sunt stellæ Cæli similes glebis terræ. Inter splendorem Solis & caliginem soli hujus seu terræ non parua distantia est. Fortè tamen hîc quoque nonnulla, sed in suo genere pulchra videntur: & hæc ipsa undique mixta non pulchris, ut aurum in luto, gemma in sterquilinio, lilium inter spinas. Tota pulchra es patria mea, & macula non est in te: tota pulchra es, absque eo quod intrinsecùs latet. Quid illud? Nempè illi beati Angelici Spiritus, & Animæ Sanctorum, quæ jam ingredi meruerunt in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Sicut enim sunt corpora terrestria, sic sunt & corpora cælestia, sed longè verò alia cælestium gloria, quàm terrestrium: sic sunt cælestes spiritus & terrestres, nec minor sanè distantia inter eos. Angeli, Archangeli, Vitutes, Principatus, Potestates, Dominationes, Throni, Cherubim, & Seraphim. Benè nomina novi. Fortè hoc totum est. Quid enim amplius capiam terrigena de cælestibus, carnalis homo de spiritualibus & divinis? Verumtamen & si ignoro quid lateat in his tantis appellationibus, illud equidem certissimè novi, quòd magnum & mirabile aliquid sub hac tanta verborum majestate clausum sit & signatum. Non sine causa cælum hoc dicitur, planè eximium nescio quid celatur in eo. Celatur inquam, sed tamen non negatur fidei usquequaque. Proinde Beati spiritus [k] tribus modis veluti viis totidem nostra sunt consideratione vestigandi: *opinione, fide, intellectu*. Quorum *intellectus* rationi innititur, *fides* auctoritati, *opinio* sola verisimilitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatem, sed *fides* clausam & involutam, *intelligentia* nudam & manifestam. Cæterùm *opinio* certi nihil habens, verum per verisimilia quærit potiùs quàm apprehendit. Omninò in his cavenda est confusio (l) ne aut incertum opinionis fides figat, aut quod firmum fixumquè est fidei, opinio reuocet in quæstionem. Et hoc sciendum est, quia opinio si habet assertionem, temeraria est: fides si habet hæsitationem, infirma est. Item intellectus si signata fidei tentet irrumpere, reputatur effractor, scrutator Majestatis. Multi suam opinionem intellectum putauerunt, & errauerunt. Et quidem opinio potest putari intellectus, intellectus opinio non potest. Vnde hoc accidit? Profectò quia hæc falli potest, ille non potest. Aut si falli potuit: intellectus non fuit, sed opinio. Verus nempe intellectus certam habet nonmodò veritatem, sed notitiam veritatis. Possumus singula hæc tria ita definire. *Fides* est voluntaria quædam & certa prælibatio necdum propalatæ veritatis. *Intellectus* est rei cujuscunque invisibilis certa & manifesta notitia. *Opinio* est quasi pro vero habere aliquid quod falsum esse nescias. Ergo (ut dixi) fides ambignum non habet: aut si habet, fides non est, sed opinio. Quid igitur distat ab intellectu? Nempe quòd fides & si non habet incertum non magis quàm intellectus, habet tamen inuolutum, quod non habet intellectus. Denique quod intellexisti, non est de eo quod vltra quæras: aut si est, non intellexisti. Nil autem malumus scire, quàm quæ fide jam scimus. Nil supererit ad beatitudinem, cùm quæ jam certa sunt nobis fide, erunt æquè & nuda. His ita expeditis [m] age jam dirigatur consideratio in eam quæ sursùm est Jerusalem, quæ est mater nostra, ac totis tribus memoratis viis cautè & vigilanter vestigemus investigabilia: quatenus tamen licet, vel magis quatenùs nobis donabitur. Et primò quidem ciues Spiritus esse illic, potentes, gloriosos, beatos, distinctos in personas, dispositos in dignitates: ab initio stantes in ordine suo, perfectos in genere suo, corpore æthereos, immortalitate perpetuos, impassibiles, non creatos, sed factos, id est, gratiâ, non naturâ: mente puros, affectu benignos, religione pios, castimoniâ integros, unanimitate individuos, pace securos, à Deo conditos, divinis laudibus & obsequiis deditos. Hæc omnia legendo comperimus, fide tenemus. Quanquam de corporibus horum nonmodò unde sint, sed an aliquatenùs sint, hæret sententia aliquorum. Vnde si quis inter opinabilia magis id ponendum censuerit, non contendo. Porrò intellectu præditos, non fide, non opinione, sed intellectu capimus, quia non possunt hujus expertes, & Dei simul participes esse. Sunt & nomina quædam nota nobis similiter ex auditu, per quæ harum beatitudinum (etiam quæ non liquidò mortalium percepit auditus) officia, merita, gradus, ordines, utcunque à nobis coniici & discerni queunt. Sed enim quod ex auditu non est, jam non ex fide: nam *fides ex auditu*. Itaque opinando ista dixerimus. Ad quid enim Cælestium nomina innotuerunt, si ne opinari quidem saluâ fide aliquid licet de rebus quarum nomina sunt? Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim, & Seraphim: hæc nomina. Quæ significata eorum? Nullane inter illos spiritus qui simpliciter Angeli, & eos qui Archangeli nuncupantur, distantia?

§. III.

Quid ergo sibi vult (n) gradualis distinctio hæc? Putemus *Angelos* dici, qui singuli singulis hominibus dati creduntur: *missi in ministerium* (secundùm Pauli doctrinam) *propter eos qui hæreditatem capiant salutis*. De quibus Salvator: *Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Putemus his præesse *Archangelos*, qui conscii mysteriorũ divinorum nonnisi ob præcipuas & maximas causas mittuntur. Ex qui-

i *Ser. de S. Mart. num. 5.* k *Lib. 5. de Considerat. ad Eugen. Papam. cap. 3. num. 5.* l *Ibidem num. 6.*

m *Ibidem cap. 4. num. 7.* n *Ibidem num. 8.*

quibus magnus ille Archangelus Gabriel missus legitur ad Mariam: ob causam utique quâ major esse non potuit. Putemus super istos *Virtutes* esse, quarum nutu vel opere signa & prodigia in elementis sive ex elementis facta apparent ad commonitionem mortalium. Inde est fortassis quod cùm in Evangelio legas: *Erunt signa in Sole & Luna, & stellis*: paulò post habes: *Nam Virtutes cælorum movebuntur*. Hi nimirùm sunt Spiritus, per quos signa fiunt. Putemus *Potestates* superiores istis, quarum virtute potestas tenebrarum comprimitur, & coercetur malignitas aëris hujus: ne quantum vult noceat, ne malignari, nisi ut prosit, possit. Putemus *Principatus* his quoque prælatos, quorum moderamine & sapientiâ omnis in terris Principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, mutatur. Putemus *Dominationes* adeò cunctis supereminere præfatis ordinibus, ut respectu horum cæteri videantur esse omnes administratorii Spiritus, & ad istos tanquam ad Dominos referri regimina Principatuum, tutamina Potestatum, operationes Virtutum, revelationes Archangelorum, curam & providentiam Angelorum. Putemus *Thronos* alto etiam ab his evolasse recessu, qui ex eo quòd sedent, Throni dicuntur: & ex eo sedent, quòd sedet in eis Deus. Neque enim sedere in eis qui non sederent, posset. Quæris quid per illam sentiam sessionem? Summam tranquillitatem, placidissimam serenitatem, pacem quæ exuperat omnem intellectum. Talis est qui sedet in Thronis Dominus Sabaoth, judicans omnia cum tranquillitate, placidissimus, serenissimus, pacatissimus: & tales sibi constituit Thronos, simillimos sibi. Putemus *Cherubim* ex ipso sapientiæ fonte ore Altissimi haurientes, & refundentes fluenta scientiæ universis Civibus suis. Et vide ne is sit fons quem Propheta loquebatur: *Fluminis impetus lætificans civitatem Dei*. Putemus *Seraphim* Spiritus totos divino igne succensos succendere universa, ut singuli Cives singulæ sint lucernæ ardentes & lucentes: ardentes charitate, lucentes cognitione. O homo quàm bonum est nobis hîc esse (o) quàm fore melius, si quando tamen toti sequamur quò jam ex parte præcessimus. Præcessimus animo, & ne ipso quidem toto, sed ex parte, & parte quidem modica nimis. Affectus jacent mole corporea prægravati, & luto hærentibus desideriis, sola interim arida & tenuis consideratio prævolat. Et tamen ex tantillo quod jam datur, libet exclamare: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*. Quid si totam se colligat anima, & reductis affectibus è cunctis locis quibus captivi tenentur, timendo quæ non oportet, amando quæ non decet, dolendo vanè, gaudendo vaniùs: cum his ineat tota libertate volatum, pulset cum impetu spiritûs, & in pinguedine gratiæ illabatur? Nonne cùm cœperit circuire lucidas mansiones, & Sinum illum etiam Abrahæ curiosiùs perscrutari, & sub Altari (quodcunque illud est) Martyrum revisere Animas in prima Stola secundam patientissimè expectantes, multò magis tunc instabit loquens cum Propheta: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini, & visitem templum ejus?* Quidni ibi videatur cor Dei? Quidni ibi probetur quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta? *Bona* in se, *placens* in effectibus, *beneplacens* fruentibus, *perfecta* perfectis, & nihil ultra quærentibus. Patent ibi viscera misericordiæ, patent cogitationes pacis, divitiæ salutis, mysteria bonæ voluntatis, benignitatis arcana, quæ clausa mortalibus, etiam ipsis electis suspecta sunt. Id quidem salubriter, ne desinant timere, dum necdum dignè amare idonei inveniuntur. Cernere est in his qui *Seraphim* appellantur (p) quomodo amet qui unde amet non habet, sed est & qui nihil horum quæ fecerit, odit: quos salvandos fecit, quomodo foveat, quomodo provehat, quomodo amplexetur, quomodo delicta electæ juventutis & paleas ignorantiarum ejus ignis ille consumens, ipsam sibi purgatissimã & suo amore dignissimam reddat. Cernere est in *Cherubim* (qui plenitudo scientiæ dicuntur) Deum scientiarum Dominum esse, qui solus solam nesciat ignorantiam, qui totus sit lux, & tenebræ in eo non sint ullæ: qui totus sit oculus, & qui minimè aliquando fallitur, quia minimè clauditur: qui extra se non quærat lumen, cui admoveatur ut videat, ipse qui videt, ipse unde videt. Carnere est in *Thronis*, quàm non suspectus omni innocentiæ Judex sedeat in his, qui circumvenire nolit, circumveniri non possit, quippè qui sit amans & videns. Nec vacat sessio quæ tranquillitatis insigne est. De vultu tali judicium meum prodeat opto, cui insit amor, error absit, absit & perturbatio. Cernere est in *Dominationibus* quantæ sit Dominus Majestatis, cujus nutu imperium constat, & imperio Universitas atque æternitas termini sunt. Cernere est in *Principatibus* principium ex quo omnia, & quomodo à cardine ostium, sic ab ipso regi Vniversitatem. Cernere est in *Potestatibus*, quàm potestativè idem Princeps quos regit protegit, contrarias potestates arcens & propulsans. Cernere est in *Virtutibus* unam ubique æqualiter præstò esse Virtutem, perquàm omninò vivificam, efficacem, invisibilem, immobilemquè; omnia tamen moventem utiliter, tenentem fortiter. Quæ cùm in minùs usitata effecta apud mortales eruperit, miracula sive prodigia vocant. Cernere postremò & mirari est in *Angelis & Archangelis* veritatem atque experientiam vocis illius: *Quoniam ipsi cura est de nobis*: qui talium nos & tantorum non desinit jucundare visitationibus, instruere revelationibus, suggestionibus commonere, sedulitate solatiari. O beata regio supernarum Virtutum (p) ubi Beata Trinitas à beatis facie ad faciem videtur: ubi illa sublimia Agmina sublimi pennarum applausu clamare non cessant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Curre igitur spiritualis anima oculis desideriorum per regionem istam, & vide Regem gloriæ in decore suo gloriosum, stipatum legionibus Angelorum, Sanctorum ornatum agminibus, deponentem superbos, humiles exaltantem, damnantem dæmones, homines redimentem, & dic: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*.

§. IV.

o *Ibidem num.* 9.

p *Ibidem num.* 10.

§. IV.

Porrò quamvis ubique sit Deus [r] in cælo tamen orandus est, ibiquè orationis tempore cogitandus: ut mens nostra non Oratorii tecto, non aëris spatio, non ipsa retardetur nubium densitate, juxta eam formam quæ nobis à Christo tradita est, ubi ait: *Sic orabitis: Pater noster qui es in cælis*. Cælum enim quadàm prærogativà etiam Sedes sive thronus Dei vocatur: quia ad eam comparationem, qua Deum in cælis Angeli sancti & Electorum animæ vident, nos miseri & peregrini super terram vix solum nomen habere videmur. Videre enim nobis datur in terra ipsam exteriorem cæli pulchritudinem (s) non adire: internam quoque gloriam secretorum ejus etsi non comprehendere, conceditur tamē vel audire. Videmus patriam, sed à longe salutamus: odoramus illas delicias, sed non gustamus. Enimverò non sine causa Unigenitus qui est in sinu Patris (t) ipse nobis in regione hac umbræ mortis quam inhabitamus, cælestium gloriam Spirituum sanè per fidem enarrat. corporum verò cælestium per speciē manifestat. *Audi*, inquit, *filia & vide*? Et factum est. Quorsùm ista? *Inclina*, ait, *aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui*. Vult nos ponere contumaciam, discere obedientiam, apprehendere disciplinam. Vult nos etiam oblivisci posteriora, despicere inferiora, terrenas mores & vitia genuina deserere, cælestia sapere, superna quærere, anterioribus inhiare. Vult & illum tantum decorem domus suæ ingenuam concupiscere creaturam: quo scilicet in eandam imaginem transformetur de claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu, ac proinde concupiscat etiam Rex decorem illius, utique spiritualem. Sed in quo visus ille (inquies) vel auditus inclinare me aurem & obaudire monet? Nam quòd desiderium pariat, manifestum est. Sanè ergo considera universam hanc cælestium gloriam corporum [u] incessanter legibus obtemperare Divinis, nec unquam sibi positas in tam continuis motibus metas excedere temporum, aut locorum terminos transgredi constitutos. Sed & ipsos Spiritus tam sublimes audi omnes administratorios esse, & in ministerium mitti dignantissimum, ut ne indignum dicam: minimè tamen puto reperies in Scripturis aliquando quenquam illorum vel contradixisse mittenti, vel erga ipsos tam inferiores se (propter quos in ministerium mittebantur) saltem tenuiter fuisse commotum. Exempla sunt obedientiæ si diligenter attendas, eò sanè acceptabiliora, quò in materia digniori. Porrò inquies: (x) Ad quid Sanctis laus nostra, ad quid glorificatio nostra, ad quid nostra solemnitas? Quò eis terrenos honores, quos juxta veracem Filii promissionem honorificat Pater cælestis? Quò eis præconia nostra? Pleni sunt. Prorsùs ita est dilectissimi: Bonorum nostrorum Sancti non egent, nec quidquam eis nostra devotione præstatur. Planè quòd eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum. Vultis scire quantum intersit nostra? Ego in me, fateor, ex hac recordatione sentio desiderium vehemens inflammari, & desiderium triplex. *Primò desideranda est societas Sanctorum*. Vulgò dicitur: Quod non videt oculus, cor non dolet. Oculus meus, memoria mea, & cogitare de Sanctis, quodammodò eos videre est. Sic nempè portio nostra in terra viventium est, nec modica sanè portio: si tamen, ut decet, memoriam affectio comitetur. Sic inquam conversatio nostra in cælis est: verumtamen non sic nostra, sicut Sanctorum. Ipsorum enim substantia ibi est, nostra autem desideria: ipsi per præsentiam, nos per memoriam ibi sumus. Quandò & nos addemur ad Patres nostros? Quandò essentialiter præsentabimur eis? Hoc enim primum est desiderium, quod in nobis Sanctorum memoria vel excitat vel incitat magis, ut eorum tam optabili *societate* fruamur, & mereamur concives & contubernales esse Spirituum beatorum, misceri cætui Patriarcharum, cuneis Prophetarum, Senatui Apostolorum, Martyrum exercitibus numerosis, Confessorum collegiis, Virginum choris: in omnium denique colligi & collætari communione Sanctorum. Singulorum quippè recordationes (y) quasi scintillæ singulæ, imò ardentissimæ faces devotos accendunt animos, ut eorum & conspectum sitiant & complexum: adeo ut plerumque etiam inter eos esse se reputent, modò ad omnes simul, modò ad hos vel ad illos tota aviditate & vehementià corda vibrantes. Alioquin quid istud negligentiæ, quid pigritiæ, imò quid vecordiæ est, ut non crebris suspiriis & ferventissima affectione abrumpere hinc, & in illa tam felicia agmina Sanctorum jaculari animos studeamus? Væ nobis à duritia cordis nostri, væ à peccato Gentium, quas Apostolus memorat *sine affectione*. Præstolatur nos Ecclesia illa primitivorum, & negligimus: desiderant nos Sancti, & parvipendimus: expectant nos Justi, & dissimulamus. Excitemur aliquando, Fatres, charissimi resurgamus cum Christo, quæramus quæ sursùm sunt, quæ sursùm sunt sapiamus. Desideremus desiderantes nos, properemus ad præstolantes nos, expectantes nos votis præoccupemus animorum. Ecce enim nihil in hac nostra communione securitatis est, nihil perfectionis, nihil quietis: & tamen hîc quoque quàm bonum & quàm jucundum est habitare fratres in unum. Quidquid enim sive interiùs sive exteriùs molestum occurrit, ipso quoque germanorum consortio fratrum, cum quibus est nobis cor unum & anima una in Deum, tolerabilius invenitur. Quàm dulcior erit, quàm delectabilior, quàm beatior unio, ubi nulla suspicio esse poterit, nulla dissensionis occasio, ubi omnes perfecta charitas indissolubili fædere colligabit: ut sicut Pater & Filius unum sunt, sic & nos unum simus in ipsis. *Secundò desideranda est felicitas Sanctorum*. Non tantummodò societas [z] sed etiam *felicitas* nobis est optanda Sanctorum: ut quorum desideramus præsentiam, *gloriam* quoque ferventissimis studiis ambiamus. Neque enim perniciosa hæc ambitio, aut illius affectatio gloriæ ullatenùs periculosa est. Nam quod dicimus: *Non nobis Domine non nobis, sed Nomini tuo ad gloriam*, hujus temporis vox est, quando & ipsi

r *Ser. 25. diuer. n. 9.* s *Ser. de S. Mart. n. 5.* t *Ibidem n. 6.* u *Ibidem num. 7.* x *Ser. 5. de omn. San. num. 5.*

y *Ibidem num. 6.* z *Ibidem num. 7.*

ipsi Angeli clamant: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. *Noli me tangere* (ait Dominus) *nondum enim ascendi ad Patrem meum*: verbum gloriæ est. Nempe filius sapiens gloria est patris. Noli ergo, ait gloria, noli me tangere. Noli interim quærere gloriam, fuge potiùs: & vide omninò ne me tetigeris, donec perveniamus ad Patrem, ubi sit gloriatio omnis jam secura. Ibi ibi in Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur. Equidem utriusque, *scilicet viatoris & comprehensoris* (a) est Caput unum Christus: sed non uno modo membris omnibus exhibetur. Quibusdam enim ostenditur Caput hirsutum spinis, inclinatum in Cruce, ut humilientur pariter & compungantur. Quibusdam gloriosum apparet, ut ab ipso glorificentur, & ut in ipso glorientur facta ei similia, quem vident sicuti est. Hoc ergo est secundum nostrum desiderium (b) quod ex Sanctorum commemoratione flagrat in nobis: ut sicut illis sic nobis etiam Christus appareat vita nostra, & nos quoque cum ipso appareamus in gloria. Hanc ergo gloriam tota & tuta ambitione concupiscamus, ne fortè audiamus & nos: *Gloriam quæ ab invicem est quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis. Tertiò desideranda est intercessio Sanctorum*. Sanè [c] ut eam gloriam nobis sperare liceat, & ad tantam beatitudinem aspirare, summoperè nobis desideranda sunt *suffragia* quoque Sanctorum: ut quod possibilitas nostra non obtinet, eorum nobis intercessione donetur. *Miseremini mei, miseremini mei, saltē vos amici mei*. Nostis ipsi periculū nostrum, nostis figmentum nostrum, nostis ignorantiam nostram, & dolos adversariorū: nostis eorum impetus, & nostram fragilitatē. Vobis enim loquor qui in eadem tentatione fuistis; qui eosdem superastis conflictus, eosdem laqueos evasistis; qui didicistis ex his quæ passi estis, compassionem. Confido equidem & de *Angelis*, quòd nec ipsi suam visitare speciem dedignentur, maximè quia scriptum est: *Visitabis speciem tuam, & non peccabis*. Cæterùm etsi de eis mihi arbitror præsumendum, ob spiritualis utique substantiæ & rationalis formæ similitudinem: ampliori tamen fiducia ad eos mihi reor recurrendū, quos habere me noverim & in ipsa humilitate consortes, ut oporteat eos familiariùs & specialiùs misereri ossi de ossibus suis, & carni de carne sua. Hæc autem nostra & Sanctorum cohærentia est (d) ut nos congratulemur eis, ipsi verò cōpatiantur nobis: nos devota meditatione regnemus in eis, ipsi verò in nobis, & pro nobis militent pia interventione. Nec est quod de eorū pia erga nos sollicitudine dubitemus, quandoquidem non consummandi sine nobis, expectant nos usque dum retribuatur nobis: ut videlicet in novissimo die magnæ festivitatis omnia simul in virum perfectum cum suo tam Excelso Capite membra concurrant, & laudetur cum hæreditate sua Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus & laudabilis & gloriosus in sæcula. Amen.

a *Ibidem num.* 8. b *Ibidem num.* 9. c *Ibidem num.* 10. d *Ibidem num.* 11.

CAPUT. VII.

De triplici parabola, qua assimilatur Regnum cælorum terrenis rebus.

Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi. *Matt.* 13.

1. *Regnum cælorum assimilatur bono semini seminato in agro. Per bonum semen intelliguntur bona opera, quibus præparamus nobis locum in cælo.* 2. *assimilatur grano sinapis, per quod significantur tribulationes hujus vitæ: quarum tolerantiâ paratur nobis Regnum cælorum, & retributio æternitatis.* 3. *assimilatur thesauro abscondito in agro. Per agrum intelligitur corpus nostrum, faciens dignos pœnitentiæ fructus. Per thesaurum verò absconditum in agro significatur continentia carnis, & humilitas paupertatis, quibus acquiritur Regnum cælorum.*

§. I.

In illo die exiens Jesus de domo sedebat secùs mare, & congregatæ sunt ad eum turbæ multæ. Et locutus est eis multa in parabolis, dicens: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo, &c. Matt. 13.

Quotiescunque aliqua bona facimus jejunando, (a) orando, legendo, meditando, pro peccatis sive præ desiderio Christum videndi lugendo, visitando infirmum, saturando famelicum: toties ille locus beatus à Christo nobis præparatur in cælis. Suspiria [b] gemitus & fletus compunctionis, sunt species seminum justitiæ. *Seminate vobis* (inquit Propheta Oseas) *ad justitiam, metite spem vitæ*. Tu ergo seminasti tibi ad justitiam [c] si fudisti lachrymas, eleemosynas profudisti, cæterisquè te pietatis actionibus mancipasti, si jejuniis & vigiliis afflixisti corpus, si pectus tunsionibus & cælos clamoribus fatigasti. Hoc siquidem seminare est ad justitiam. Semina sunt bona opera, & bona studia: semina lachrymæ sunt. *Ibant* (inquit Propheta) *& flebant mittentes semina sua*. Sed quid? Semper flebunt? Absit. Sed *venient cum exultatione portantes manipulos suos*. Meritò *cum exultatione*, cùm reportant manipulos gloriæ. At istud, inquis, in resurrectione in novissimo die, & est nimis longa expectatio? Noli animo frangi, noli deficere à pusillanimitate spiritûs: habes interim de primitiis spiritûs, quod ad præsens in exultatione metas. *Seminate* (ait Oseas) *vobis ad justitiam, metite spem vitæ*. Non te modò mittit ad diem novissimum, quando res jam erit in re, & non in spe; sed de præsenti loquitur. Prorsùs magna lætitia erit, & exultatio multa nimis cùm vita venerit. Sed numquid [d] tantæ lætitiæ spes erit sine lætitia? *Spe gaudentes*, ait Apostolus. Et David non lætaturum sed lætatum se esse dixit, quòd in domum Domini se speraret iturum. Non dum vitam tenebat, sed spem profectò vitæ messuerat:

atque

a *Ser.6.in ult.Cœna n.*42. b *Ser.*2.*sup sal.Reg.num.* 14. c *Ser.* 37.*in Cant. num.* 2. d *Ibidem num.* 3.

atque in semetipso experiebatur veritatem Scripturæ perhibentes, quia nonmodò remuneratio, sed ipsa quoq; *expectatio justorum lætitia est*. Hanc parit in animo illius qui sibi ad justitiam seminavit, præsumptâ indulgentiâ peccatorum; si tamen ipsam indulgentiam efficacia attestatur acceptæ gratiæ ad vivendum sanctiùs deinceps. Omnis in vobis qui hæc sentit intra se actitari, scit quid loquitur Spiritus, cujus vox atque operatio minimè intra se unquam dissentiunt. Propterea ergo intelligit quæ dicuntur, quoniam quæ foris audit, intùs sentit. Nam qui in nobis loquitur, operatur in vobis, unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult: aliis quidem loqui, aliis autem operari quod bonum est. Quisquis itaque vestrûm (e) post illa amara & lachrymosa conversationis suæ primordia respirasse in spem, atque in quoddam serenum supernæ consolationis pennis gratiæ sublevatum se evolasse lætatur, is profectò jam metit suarum recipiens fructum temporaneum lachrymarum, & ipse vidit Deum, & audivit vocem dicentis: *Date ei de fructibus manuum suarum*. Nam quomodò non vidit Deum, qui gustavit & vidit quoniam suavis est Dominus? Quàm dulcem & suavem te sensit Domine Jesu, cui à te nonmodò peccata donata sunt, sed & munus sanctitatis indultum est: neque id solum, sed addita insuper ad cumulum bonorum vitæ æternæ promissio. Felix qui tantum jam messuit, habens interim quidem fructum suum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Meritò ille qui se invento flevit, gavisus est viso Domino, ad cujus utique miserationis intuitum tantos jam levavit manipulos, remissionem, sanctificationem, spem vitæ. O quàm verus est sermo, qui in Propheta David legitur: *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent*! Proinde & vos Fratres charissimi [f] exinanite vos, humiliate vos, seminate vos, perdite vos. Seminate corpus animale, & resurget corpus spirituale. Perdite animas vestras, & in vitam æternam servabitis eas. Vultis nosse quomodo id fecerit Apostolus ipse qui docuit. *Sive*, inquit, *mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis*. Quid ergo tibi? *Ego*, inquit, *factus sum tanquam vas perditum*. Benè seipsum perdit, qui nihil unquam pro se facit: sed omnis ejus intentio & omne desiderium tendit ad Dei placitum, & utilitatē fratrum suorum. *Infelix* enim *qui seminat in carne, quia de carne metet corruptionem*. Alibi verò scriptum est apud Esajam. *Beati qui seminant super omnes aquas*. Sed quomodo super omnes aquas? Fortè & super aquas de quibus legitur in Psalmo: *Et aquæ omnes quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini*: quæ sunt Virtutes Angelicæ, & cælestes populi. Ita planè: quoniam *spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*. Seminemus igitur hominibus [g] exemplum bonum per aperta opera: seminemus Angelis gaudium magnum per occulta suspiria, & cætera hujusmodi quæ solis eis sunt nota. Gaudium enim est Angelis Dei super uno peccatore pænitentiam agente. Hinc dicebat Apostolus: *Providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus*. Coram Deo dixit, coram eis qui vultui Dei assistunt. Ipsis enim maximè placet, cùm vos vident occultè orantes, aut ruminantes Psalmum aliquem, aut tale aliquid facientes. Sunt denique plurima quæ Angelis placent [h] & quæ in nobis invenire delectat: ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cælum gemitus, & orationes cum lachrymis & cordis intentione. Sic seminate & vos (i) sic fructificate charissimi. Seminate & vos, quia tam multi ante vos seminaverunt: fructificate, quia vobis seminaverunt. O genus Adam, quàm multi seminaverunt in te, & quàm pretiosum semen: quàm malè peribis, & quàm meritò, si perierit in te tantum semen, simul & seminantium labor! Cui perditioni traderis ab agricola, si in te perierint hæc universa? Seminavit in terra nostra tota *Trinitas*. Seminavit *Filius*: *Ipse enim est, qui exiit seminare semen suum*. Pater enim non exit, sed Filius à Patre processit, & venit in mundum: ut qui priùs erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipse pax nostra in utero Matris. Seminavit & *Spiritus Sanctus*, quia & ipse venit, *& apparuerunt discipulis dispertita lingua tanquam ignis*. Ita tota Trinitas seminavit, Pater scilicet *pacem* de cælo, Filius *veritatem*, Spiritus Sanctus *charitatem*. *Angeli* quoque seminarunt [k] quando cadentibus aliis ipsi steterunt. Dixit enim Lucifer: *Sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo*. O impudens! Millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt, & tu sedebis? *Cherubim* (ait Propheta) *stabant*, & non sedebant: quid laborasti, ut jam sedeas? *Omnes administratorii sunt spiritus missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*, & tu sedebis? Quid seminasti, ut jam metas? Non est tuum, non est tuum hoc, sed quibus paratum est à Patre. Quid eis invides? Profectò ipsi sedebunt, ipsi inquam vermiculi terræ judicantes sedebunt, & tu Lucifer nonmodò non stabis, sed judicandus adstabis. *Nescitis* (ait Apostolus) *quia & Angelos judicabimus*? Ipsi utique *ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*. Duo manipuli sunt quos quæris, honoris scilicet & quietis. Sessionem affectas & altitudinē, sed non sic, non sic: non colliges, quia non seminasti. Qui seminaverunt laborem & vilitatem, metent honorem pariter & quietem. Pro confusione enim sua duplici & labore, in terra sua duplicia possidebunt. *Sedebitis super sedes* (ait Dominus) *judicantes duodecim tribus Israël*. Ecce quies sessionis & honor judicii. Nam & ipse Dominus ad hæc noluit pervenire, nisi per humilitatem & laborem. Ipse est, ô inique, ipse est qui sessurus est in sede majestatis suæ similis Altissimo, & coaltissimus ei. Hoc utiq; cogitaverunt Angeli Sancti, qui cadente maligno apostasiæ illius non consenserunt: nobis relinquentes exemplum, ut quemadmodùm ipsi elegerunt ministrare, sic & nos faciamus. Nam etiam qui laborem fugiunt, honorem captant, illum se noverint imitari, qui sessionem altitudinemquè quæsivit: & si non satis terret eos illius culpa, terreat vel vindicta. Omnia enim in contrarium devenerunt, ut formatus sit ad illudendum ei, & ignis æternus præparatus est illi. Ad hæc vitanda, *prudentiam*

Hhh nobis

e *Ibidem num.* 4. f *Ser. de S. Benedicto n.* 8. g *Ibidem num.* 9.

h *Ser.* 1. *de S. Mich. Archang. num.* 5. i *Ser. de S. Bened. num.* 9. K *Ibidem num.* 10.

nobis ſeminaverunt ſancti Angeli, qui priùs eam aliis cadentibus tenuerunt. Sed & *Apoſtoli* (l) hanc ipſam *prudentiam* ſeminaverunt nobis, quando recedentibus aliis (qui ſapientiam hujus mundi quæ ſtultitia eſt apud Deum, & prudentiam carnis quæ mortem operatur, & inimica eſt Deo, ſequebantur) ipſi Domino adhæſerant. Scandalizati enim illi audientes de Sacramento Carnis & Sanguinis, ultra non ibant cum eo. Diſcipuli verò interrogati an & ipſi vellent abire? reſponderunt: *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*. Ac ſi dicerent: Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes Domine, & ea quæ ſunt ſuper omnia quæ mundus habere poteſt. Non ſolùm ipſa vita, ſed & promiſſio vitæ æternæ, & expectatio juſtorum lætitia es: & tanta lætitia, ut omne quod concupiſcitur, ei non valeat comparari. Hanc igitur *prudentiam* nobis Apoſtoli ſancti ſeminaverunt. *Martyres* verò manifeſtum eſt *fortitudinem* ſeminâſſe. Porrò veri *Confeſſores* ſeminaverunt *juſtitiam*, quam in omni vita ſua ſecuti ſunt. Hoc enim intereſt inter Martyres & Confeſſores, quod inter Petrum ſimul omnia relinquentem, & Abraham ſubſtantiam mundi in bonos uſus expendentem. Sic enim illi conſummati in brevi expleverunt tempora multa: iſti verò longa & multimoda traxêre martyria. *Virgines* ſanctæ planum eſt quia *temperantiam* ſeminârunt, quæ ſic libidinem calcaverunt. Et vos itaque dilectiſſimi (m) prudenter & utiliter eligite propter verba labiorum Domini, cuſtodire vias duras: illic ſeminantes, ubi ne minima quidem portio veſtri ſeminis valeat deperire. Sanè: *Qui parcè ſeminat*, non quidem non metet, ſed *parcè metet*. Nempè qui metit, mercedem accipit: & ſcimus quis promiſit, ne eum quidem, qui pro Nomine ſuo calicem aquæ frigidæ dederit ſitienti, mercede propria cariturum in regno Cælorum.

§. I I.

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminavit in agro ſuo. Matt. 13.

Sicut in illo beatitudinis Regno [n] ſe Electis ſuis exhibebit Dominus ad glorificationem, ita etiam ſe eiſdem ipſis exhibet in via peregrinationis ad juſtificationem: ut à quo ſcilicet glorificandi ſunt per ſpeciem, ab ipſo priùs juſtificentur per fidem, & tribulationem. Utilis tribulatio [o] quæ probationem operatur, ducit ad gloriam. *Cum ipſo ſum*, inquit, *in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*. Agamus Patri miſericordiarum, qui nobiſcum eſt in tribulatione, & in omni tribulatione noſtra nos conſolatur. Res enim (ut dixi) neceſſaria, tribulatio quæ in gloriam vertitur, triſtitia quæ mutatur in gaudium. Gaudium ſanè longum quod nemo tollit à nobis, gaudium multiplex, gaudium plenum. Res neceſſaria eſt iſta neceſſitas, quæ coronam parit. Non contemnamus, Fratres: ſemen modicum eſt, ſed magnus exinde fructus exurgit. Fortè inſipidum, fortè acerbum eſt, fortè granum ſinapis. Non conſideremus quæ videntur, ſed quæ non videntur in eo. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt. Prælibemus primitias gloriæ, Fratres chariſſimi, gloriemur in ſpe gloriæ magni Dei. Non ſolùm autem, ſed ut dicam expreſſiùs, gloriemur in tribulatione. In ea ſiquidem ſpes gloriæ eſt. Vide ſi non hoc ipſum docere voluit Apoſtolus cùm ſubjunxit: *Quoniam tribulatio patientiam operatur*. Manifeſtè advertere eſt in his verbis cùm præmiſiſſet Apoſtolus *gloriari in ſpe*: non aliud aliquid, ſed amplius eum addidiſſe dicendo: *Non ſolùm autem, ſed & gloriari in tribulationibus*. Non enim altera gloriatio commendatur, ſed additur ubi ſpes gloriæ, ubi ipſa ſpei gloriatio requiratur. Siquidem in tribulatione ſpes gloriæ, imò & ipſa in tribulatione gloria continetur: ſicut ſpes fructûs in ſemine, ſic & ipſe fructus in ſemine eſt. In hunc modum etiam modò regnum Dei intra nos eſt, theſaurus ingens in fictili vaſe, in agro vili. Eſt, inquam, ſed abſconditum eſt: felix homo qui ibi invenirit illud. Quis ille? Nempe qui meſſem magis cogitaverit quàm ſementem. Oculus fidei invenit hunc theſaurum, non ſecundùm faciem judicans, ſed videns quæ non apparent, ſed intuens quæ non videntur. Quàm veraciter Sanctus Paulus hunc theſaurum invenerat, quem volebat inveniri & ab aliis, cùm dicebat: *Momentaneum hoc & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis*. Non dixit remunerabitur, ſed *æternum pondus gloriæ operatur in nobis*. Latet gloria, Fratres mei, abſcondita nobis eſt in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc levi pondus ſublime & ſupra modum. *Æternum*, inquit (p) *gloriæ pondus*. Non enim nobis glorioſa veſtis, non glorioſa domus, ſed ipſa gloria promittitur. Si quid verò illorum aut ſimilium aliquando dicitur, figura eſt. Nam in veritate juſtorum expectatio, non aliquod lætum, ſed ipſa lætitia eſt. Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent & in vitiis homines; ſed luctus extrema occupat ejuſmodi gaudiorum, quòd gaudium in materia convertibili mutari neceſſe ſit re mutata. Accenditur cereus, non purum lumen eſt, ſed lucerna: ſiquidem ignis ipſe propria fomenta conſumit, nec niſi ipſa conſumptione fovetur. Porrò deficiente materia etiam ipſe ignis deficiet: & ubi illam videris prorsùs exuſtam, hunc quoque nihilominùs extinctum eſſe reperies. Sicut ergo flammæ illius noviſſima fumus occupat & caligo, ſic lætitia lætæ rei in triſtitiam commutatur. Nobis autem non favum mellis, ſed puriſſimum & liquidiſſimum mel repoſuit Deus; ipſam planè lætitiam, vitam, gloriam, pacem, voluptatem, amœnitatem, fælicitatem, jucunditatem & exultationem theſaurizavit nobis Dominus Deus noſter. Et hæc omnia unum, ut ſit participatio Jeruſalem in idipſum. Et hoc unum & idipſum non niſi ipſe eſt, dicente Paulo Apoſtolo: *Erit Deus omnia in omnibus*. Hæc eſt merces noſtra, hæc corona noſtra, hoc bravium noſtrum: ad quod utinam ſic curramus, ut comprehendamus. Fratres, Nunquam prudens agricola ſeminandi opportunitatem reputat longiorem

l *Ibidem num.* 1. m *Ser.* 9. *ſuper Pſal.* 90. *num.* 3. n *Ser.* 105. *diver. num.* 2. o *Ser.* 17. *ſuper Pſal.* 90. *num.* 3.

p *Ser.* 1. *diver. num.* 8.

rem, eò quòd futuræ messis desiderat ubertatem. Vestri autem dies non minùs utique quàm capilli omnes numerati sunt: & sicut pilus de corpore, sic & momentum de tempore non peribit. Habentes ergo talem promissionem, charissimi, non deficiamus aut fatigemur aliquando: nec grave causemur onus Christi, quod teste ipso *leve est*, vel jugum, quod revera *suave est*; sed ad omne quod videmur portare pondus diei, æternum gloriæ pondus cogitemus. Sed tamen (q) adhuc multi nobis dicunt: *Durus est hic sermo*. Ergone durum est momentaneum hoc & leve tribulationis, quod supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis? Durum est brevissimo & levissimo labore cruciatus illos & tormenta redimere, quæ nullus terminus finiat, nullus animus sufficiat cogitare? Utinam tantùm congregata bona perirent (r) & non deteriùs ipse quoque periret congregator eorum. Esset utique tolerabilius perituro, quàm peremptorio insudare labori. Nunc verò stipendia peccati est mors: & qui in carne seminat, de carne metet corruptionem. Nec enim opera nostra transeunt ut videntur, sed temporalia quæque velut æternitatis semina jaciuntur. Stupebit insipiens cùm ex hoc modico semine copiosam viderit exurgere messem, seu bonam, seu malam, pro diversa qualitate sementis. Perge nunc murmurare (s) & dicere: Longum est, grave est, non possum tam immania & tam diuturna portare. Apostolus *momentaneum & leve* perhibet esse quod toleras: & certè necdum à Judæis quinquies quadragenas una minus accepisti, necdum nocte ac die in profundo maris fuisti, necdum plus omnibus laborasti, postremò necdum planè usque ad sanguinem restitisti. Vide ergo quàm non sunt condignæ ad gloriam passiones. Quod tribulationis est, momentaneum est & leve: quod gloriæ, æternum est, & pondus etiam supra modum in sublimitate. Quid in incertum tibi dies & annos numeras? Transit hora, transit & pæna: nec accedunt sibi, sed cedunt potiùs & succedunt. Non sic gloria, non sic remuneratio, non sic merces ipsa laboris: nescit vicissitudinem, nescit finem, manet tota simul, & manet in æternum. *Cùm dederit* (ait Psalmista) *dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii, merces, fructus ventris*. Sufficit enim nunc cuique diei malitia sua, nec laborem suum poterit reservare sequenti, sed omnium merces laborum in una illa die reddetur, cui altera non succedit. *Reposita est mihi corona justitiæ* (ait Apostolus) *quam reddet mihi*, non illis, *in illa die justus judex*. Melior est enim dies una in atriis illis super millia. Guttatim aqua bibitur, liquando sumitur, per minutias transit: nam in remuneratione torrens est voluptatis & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen pacis. Flumen planè est, sed quod affluat, non quod fluat vel effluat. Flumen non est, quod transeat vel pertranseat, sed quod abundet. Promissionis quidem verbum tale est: (t) *Mensuram bonam & confertã & coagitatam & super effluentem dabunt in sinum vestrum*. An non plus pleno quodammodò tibi esse videtur quod superefluit? Porrò placidè audies plenum & plenius, si te legisse memineris, *in æternum, & ultra*. Ergo in cumulus aspirantis erit diei. Ipsa namque adiiciet ad mensuram inspiratæ plenitudinis, & ad inspirantis diei copiam, supra modum in sublime pondus gloriæ operans, ita ut redundet in corpora superefluens clarificationis adjectio. O dies (u) qui melior es in atriis Domini super millia, quando erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, cùm splendor lucis & fervor charitatis usque in altissima illa magnalia terrarum incolas illustrabit! Quis de te cogitare, nedum aliquid præsumat recitare?

§. III.

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum. Matt. 13.

Ager (x) est corpus nostrum. Huic dum adhuc dominantur passiones desideriorum, jacet incultus & & obnoxius maledicto. Spinas & tribulos germinat, quid intùs lateat ignoratur. Quis enim eo tempore idoneum reputet ferre dignos pænitentiæ fructus? Quid tam insipienter exponis anima corpus tuum? Nescis quid absconditum sit in eo. Quid nisi Regnum cælorum? Invenire est in eo salutis opera, quibus Regnum cælorum poteris adipisci. Eme ergo agrum, & à concupiscentiis tuis vendica corpus tuum, dato nimirùm precio fomentis & occasionibus ipsarum concupiscentiarum. Denique ager iste thesaurum habet in se absconditum [y] videlicet continentiam carnis. Preciosus siquidem thesaurus est possidere vas suum in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut gentes quæ ignorant Deum. Noli quærere thesaurum hunc inter spinas & tribulos sæcularis illecebræ, nec in sylvis ruditatis antiquæ. Non enim in sylva, sed in agro absconditus est. Quæras in agro, ubi saturantur ligna campi, & ubi passeres nidificant: id est, ubi in continentes resipiscunt, dignos pænitentiæ fructus facientes, prolem gignunt, non sibi tantùm, sed & aliis proficientes. Continentiam tibi credas esse necessariam, ut Spiritus Sanctus fiat in te fons aquæ salientis in vitam æternam. Aqua non sursùm salit, sed desursùm necesse est ut veniat. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre luminum*. Ergo quod salit in vitam æternam, à vita æterna profectò descendit. Unde licet aqua desursùm veniat, nisi continentẽ & integrum habeat conductũ, sursùm non redit, sed diffluit. Descendit in te Spiritus Sanctus, vivificavit animam tuam, ut in te saliat in vitam æternã. Continens necesse est ut sit corpus tuum, quatenùs obtures aures tuas ne audias sanguinem, & claudas oculos tuos ne videas malum: ne gratia de superis tibi collata, per minùs circumspectos sensus tuos foris effluat, spiritu tuo diffuso in vanitates & insanias falsas. Nota aliud esse continentem (z) aliud verò castũ. Luxuriosus & castus sibi repugnant. Luxuriosi est motus sentire, & motibus consentire: casti est nec motus sentire, nec motibus consentire, Continens est in medio utrobique sumens participium,

q Ser. 3. super Psal. 90. num. 3. r Tract. de Convers. ad Cleric. cap. 8. nu. 17. s Ser. 1. diver. nu. 7. t Ser. 72. in Cant. nu. 11.

u Ser. 3. in Vig. nat. Dom. nu. 7. x Ser. 65. diver. nu. 1. y Ser. de verb. [illegible]

pium, cum altero commune habens motus sentire, cum altero motibus non consentire. Iste existens in medio domûs, deorsùm luxurioso, sursùm verò collatus pudico, etsi non in munditia cordis perambulat, tamen in innocentia cordis decantat misericordiam & judicium. *Judicium*, quòd motus sentiat: *misericordiam*, quòd motibus non consentiat. Iste nolens dimittere Angelum magni consilii incipiente aurora novæ lucis, sed petens obnixè benedictionem perseverantiæ: etsi non omninò privari, claudicare tamen meretur altero pede. Qui sunt duo pedes? Motus sentire, & motibus consentire. Illud est naturale, istud est criminale. Licet ergo nondum ignorare possit pravos motus desideriorum, sed adhuc in ipso vigeat pes iste: per gratiam tamen supernæ benedictionis ita enervatur in ipso pes consensûs, quatenùs etsi ipse trahat, ipsi tamen inniti non possit. Non omninò sine eo, quia cum repentina cogitatione concurrit multoties quædam delectatio, quæ tamen cùm sentitur, gemitum magis quàm consensum extorquet. O quàm salubriùs ad tactum Angeli neruus fæmoris Jacob emarcuit (a) quàm Angeli superbientis in cælo intumuit, evanuit, ruit. Utinam & meum neruum Angelus tangat ut marcescat: si fortè ex hac infirmitate incipiam proficere, qui ex mea firmitate non possum nisi deficere. Lego profectò: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus*. Sic quoque Apostolus de suo nervo conquestus, quem Angelus non Domini sed Satanæ colaphizabat, responsum audivit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*. Quæ virtus? Ipse Apostolus respondeat: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*. Sed nondum forsitan intelligis de qua virtute specialiter dixerit, quia Christus omnes virtutes habuit. Sed cùm omnes habuerit, præ omnibus tamen unam, id est, humilitatem nobis in se commendavit, cùm ait: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde*. Invento ergo hujusmodi thesauro in agro paupertatis [b] ut in tuam thesaurus redigatur possessionem, vade & vende omnia quæ habes, & eme agrum illum. Quid est uende omnia quæ habes? Abrenuncia omnibus quæ possides, exiens ad Jesum extra castra, ut portes improperium crucis ejus: quatenùs tantæ humilitatis merito de nemore exiens (in quo involutæ sunt semitæ impiorum, qui in circuitu ambulant) agrum quem prædiximus possideas, in quo abjectis occupationibus curisquè sæcularibus, corpore composito & corde dilatato curras alacer viam mandatorum Dei, quæ quidem desiderabilia sunt & dulciora super mel & fauum. Quare? Quia in custodiendis illis retributio multa. Planè multa, quia custodientibus ea debetur vita æterna. Felix qui videbit majestatem Dei (c) quod utique vita æterna est, sicut & Veritas ait: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Reddet ei coronam justitiæ justus judex in illum diem, cui sanè altera non succedet. Tunc videbit & affluet, & mirabitur & dilatabitur cor ipsius. Quousque dilatabitur? Vsque ad videndam in se majestatem Dei. Nolite arbitrari Fratres, quòd illam vobis promissionem verbis explicare possimus. Sanctificamini hodie, & estote parati: crastina die videbitis & gaudebitis, & gaudium vestrum implebitur. Sæpiùs vos admoneo, Fratres, (d) quòd juxta Pauli sententiam promissionem habeat pietas vitæ ejus quæ nunc est pariter & futuræ. Unde & idem ait: *Habetis nunc quidem fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam*. Ipsa est quæ hoc loco promittitur, plenitudo ipsa longitudo dierum. *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum*. Quid enim tam longum, quàm quod æternum est? Quid tam longum, quàm quod nullo fine præciditur? Bonus finis vita æterna, bonus finis qui finem non habet. Et sanè cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Amplectamur itaque sanctificationem, quoniam bona est, quoniam finis ejus est vita sine fine. Sanctimoniam sectemur & pacem, sine qua nemo videbit Deum. *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum*. Dexteræ Dei est ista promissio, munus est dexteræ quam sibi olim Sanctus Job porrigi optabat: *Operi*, inquit, *manuum tuarum porriges dexteram*: delectationes sunt in dextera hac usque in finem. Hanc nimirum & ille sibi porrigi optavit & obtinuit dexteram, de quo Psalmista ait: *Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi*. Manifestiùs denique Sapiens dixit: *In sinistra eius divitiæ & gloria, in dextera eius longiturnitas vitæ*. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Hæc enim vita quâ vivimus, magis mors est: nec simpliciter vita, sed vita mortalis. Moritur homo dicimus, quando morti certissimè appropinquat. Quid verò agimus ex quo primùm incipimus vivere, nisi morti appropinquare, & incipere mori? Sed & *dies qualescumque vitæ huius pauci & mali sunt*, sicut sanctus Patriarcha Jacob testatur. Ibi verè vivitur, ubi vivida vita est & vitalis. Ibi dies boni, ubi interminabilis longitudo dierum. Gratias ei qui tam nonmodò fortiter, sed & suaviter disponit universa. Eorum nempè paucitas dierum finietur brevi, quorum sufficit cuique malitia sua. Ubi autem dierum bonitas, æternitas quoque non deerit. Christus æternitas est [e] quia *hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Cognitio igitur Patris & Jesu Christi (f) vita æterna est: & ubi vita æterna, ibi sempiterna voluptas. Hæc est vita æterna, Fratres, (g) ut Patrem cognoscamus verum Deum, sed & quem misit Jesum Christum, verum nihilominùs & unum cum eo Deum super omnia benedictum in sæcula. Amen.

CAPUT. VIII.

De tribus parabolis, quibus assimilatur Regnum cælorum terrenis rebus.

1. *Regnum cælorum assimilatur fermento abscondito in farina satis tribus. Per fermentum intelligitur fides Mariæ quam immisit in illa tria sata, quæ significant commixtionem Verbi & animæ & carnis in Christo. Proponuntur ad ædificandam fidem nostram tres illæ mixturæ, quibus coniunctæ sunt invi-*

a *Tract. de gr. ad humil. cap. 9. num. 25.* b *Ser. de verb. Sap. nu. 12.* c *Ser. 5. in Vig. nat. Dom. num. 6. & 7.*

d *Ser. 17. super. Psal. 90. num. 1.* e *Epist. 18. num. 3.* f *Ser. 2. de nat. Dom. nu. 4. tom. 6. pag. 616.* g *Ser. 9. sup. Psal. 90. nu. 9.*

invicem Deus & homo, Mater & Virgo, fides & cor humanum. 2. Regnum cælorum assimilatur preciosæ margaritæ, per quam non solùm designatur dulcedo contemplatiuæ vitæ præsentis, sed etiam promissio felicitatis futuræ in qua sunt æterna bona, scilicet abundantia, sapientia, potentia. 3. Regnum cælorum assimilatur sagenæ congreganti pisces bonos & malos. Per pisces bonos & malos significantur Electi vocandi ad Cælum, & reprobi deiiciendi ad infernum. Ostenditur quatuor esse causas, ob quas Justi gaudebunt in die iudicii: 1. ob evasionem reprobationis 2. ob securitatem suæ beatitudinis, 3. ob comparationem suæ felicitatis cum infelicitate impiorum, 4. ob Divinæ justitiæ perfectam æmulationem.

§. I.

Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Matt. 13.

INter omnia quæ rectè unum dicuntur (a) arcem tenet Vnitas Trinitatis, quâ tres personæ una substantia sunt. Secundo loco illa præcellit, quâ è converso tres substantiæ una in Christo persona sunt. Porrò hæc & quæcunque alia dici una possunt, summæ illius Vnitatis imitatione, non comparatione, una appellari, vera sobriaquè probat consideratio. Nec abducimur ab hac Vnitatis professione, assertione trium: cùm in hac Trinitate non recipiamus multiplicitatem, sicut nec solitudinem in Vnitate. Quamobrem cùm dico *Vnum*, non me Trinitatis turbat numerus, qui essentiam non multiplicat, non variat, nec partitur. Rursùm cùm dico *Tria*, non me argvit intuitus Vnitatis, quæ illa quæcunque tria seu illos tres, nec in confusionem cogit naturæ, nec in singularitatem redigit. Idem me sentire fateor & de illa Vnitate (b) cui secundum ab ista inter cætera una honorem dedi. Dico in Christo Verbum & Animam & Carnem sine confusione essentiarum unam esse personam, & item absque præjudicio personalis Vnitatis in sua numerositate manere. Nec negauerim hanc ad illud quoque genus vnitatis pertinere, quâ anima & caro unus est homo. Decuit quippè familiariùs similiùsquè cum hominis convenire constitutione, quod pro homine constitutum est sacramentum. Decuit & cum summa quæ in Deo est & Deus est Vnitate congruere, ut quomodo ibi tres personæ una Essentia, ita hîc convenientissima quadam contrarietate tres essentiæ sint una persona. Videsne pulchrè inter utramque Vnitatem hanc collocari; in eo utique qui constitutus est Mediator Dei hominisquè Homo Christus Jesus? Pulcherrima inquam convenientia, ut salutare sacramentum congrua quadam similitudine ambobus respondeat, & saluanti videlicet & saluato. Ita hæc Vnitas duarum consistens media vnitatum, alteri succumbere, alteri præeminere cognoscitur, quantum superiore inferior, tantum inferiore superior. Tantam denique tamquè expressam Vnionis vim in se præfert ea persona (c) in qua Deus & homo unus est Christus, ut si duo illa de se invicem prædices, non erraveris: Deum videlicet Hominem, & Hominem Deum verè catholicèquè pronuncians. Non autem similiter vel carnem de animâ, vel animam de carne, nisi absurdissimè prædicas, etsi similiter anima & caro unus sit homo. Nec mirum si non æque potis (*potens*) anima sit sua illa vitali, etsi non parùm valida intentione connectere, atque suis affectibus astringere sibi carnē, ut sibi astringit Divinitas hominem illum, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Longa catena & fortis ad stringendum est divina prædestinatio: ab æterno est enim. Quid longius æternitate? Quid Divinitate potentius? Inde est quòd nec morte incidente ullatenùs intercidi hæc Vnitas potuit, etsi Carne & Anima ab inuicem separatis. Sed & illa tria sata de Euangelio mixta & fermentata in panem unum (d) si quis ad hæc tria dixerit pertinere, non incongruè id mihi facere videbitur. Quàm benè ea mulier fermentavit, ut nec divisione quidem facta Carnis & Animæ, à Carne vel Anima Verbum divideretur! Mansit & in separatione inseparabilis Vnitas. Nec enim quæ ex parte contigit separatio, potuit Vnitati præscribere permanenti in totis tribus. Sive conjunctis sive disiunctis duobus, nihilominùs perseueravit in tribus Vnitas personalis. Æquè unus Christus unaquè persona, Verbum & Anima & Caro, etiam mortuo homine perduravit. In utero Virginis commixtio hæc & fermentatio facta est: & ipsa mulier quæ miscuit, & fermentavit. Nam fermentum non immeritò fortassè dixerim *Fidem* Mariæ. Felix mulier (e) benedicta in mulieribus, in cujus castis visceribus superueniente igne Sancti Spiritus coctus est panis Angelorum, quem manducet homo. Felix inquam mulier, quæ in hæc tria sata immisit fidei suæ fermentum. Siquidem fide concepit, fide peperit. Et ut ait Elizabeth: *Beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei à Domino*. Nec mireris quòd fide ejus mediante vnitum dixerim Verbum Carni, quando quidem & Carnem ipsam de ejus carne suscepit. Sanè ne hoc quidem præsenti expositioni obviare potest, quod de cælestis Regni dicitur similitudine. Neque enim indignum videtur, si Cælorum regnum *Fidei* Mariæ comparatur, qua & reparatur. Nemo potest venire ad æternam beatitudinem (f) nisi per fidem. Quod tamen non fit (g) nisi revelante Spiritu per fidem homini æternum Dei propositum super sua salute futura. Quæ sanè revelatio non est aliud, quàm infusio gratiæ spiritualis, per quam dum facta carnis mortificantur, homo ad regnum cælorum præparatur, quod caro & sanguis non possident. Cæterùm Fides (h) quæ hæc operatur ad vitam, in Dei visione jam non erit fides, sed veritas. Ibi enim absorbebitur fides, cùm id videbitur quod supra omnia diligetur. Non opus erit credere, quod nobis licebit plena cognitione percipere. O dies (i) qui melior es in atriis Domini super millia, quando erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, cùm splendor lucis & feruor charitatis usque in altissima illa magnalia terrarùm inco-

a *Lib. 5. de considerat. ad Eugen. Papam. cap. 8. num. 19.* b *Ibidem cap. 9. num. 20.*

c *Ibidem num. 21.* d *Ibidem cap. 10. num. 20.* e *Ser. 2 in nat. Dom. nu. 4.* f *Tract. de modo bene viven. cap. 1.* g *Epist. 107. nu. 9.* h *Lib. 3. de amore Dei cap. 3. n. 47.* i *Ser. 3. in Vigil. nat. Dom. n. 7.*

incolas illuſtrabit! Quis de te cogitare nedum aliquid præſumat recitare? Interim tamen ædificemus, Fratres, fidem noſtram, ut ſi mirabilia quæ nobis reſervantur in cælis, videre non poſſumus, ſaltem mirabilia quæ propter nos in terris facta ſunt, aliquantulùm contemplemur. Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa Majeſtas in aſſumptione noſtræ carnis: ita ſingulariter mirabilia, & mirabiliter ſingularia, ut talia nec facta ſint, nec facienda ſint ampliùs ſuper terram. Conjuncta quippè ſunt invicem Deus & Homo, Mater & Virgo, Fides & cor humanum. Admirabiles iſtæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodò tam diverſa, tamquè diviſa ab invicem, invicem potuerunt conjungi! Et *primam* quidem intuere (k) & attende mixturam. Sicut enim in illa ſingulari Divinitate Trinitas eſt in perſonis, Unitas in ſubſtantia: ſic in iſta ſpeciali commixtione trinitas eſt in ſubſtantiis, in perſonis unitas. Et ſicut ibi perſonæ non ſcindunt Unitatem, Unitas non minuit Trinitatem: ita & hîc perſona non confundit ſubſtantias, nec ſubſtantiæ ipſæ perſonæ diſſipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem, opus mirabile, opus ſingulare inter omnia, & ſuper omnia opera ſua. Verbum enim & Anima & Caro in unam convenère perſonam: & hæc tria unum, & hoc unum tria, non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ. Hæc eſt prima & ſuperexcellens mixtura, & hæc prima inter tres. *Secunda* mixtura eſt, Virgo & Mater (l) admirabilis planè & ſingularis. A ſæculo enim non eſt auditum, quòd virgo eſſet quæ peperit, quòd Mater eſſet quæ virgo permanſit. Nunquam juxta rerum ordinem virginitas, ubi fæcunditas prædicatur; nec fæcunditas, ubi virginitas integra conſervatur. Sola hæc eſt, in qua virginitas & fæcundi- obviaverunt ſibi. Ibi ſemel factum eſt, quod factum non fuerat, nec fiet in æternum: quia nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. *Tertia* mixtura eſt Fides & cor humanum: & hæc quidem primâ & ſecundâ inferior eſt, ſed non minùs forſitan fortis. Mirum enim eſt quomodò cor humanum his duobus *Fidem* accommodavit, quomodò credi potuit quòd Deus Homo eſſet, quòd Virgo manſerit, quæ peperiſſet! Sicut ferrum & teſta jungi non poſſunt, ſic & hæc duo nequeunt commiſceri, ſi non miſceat glutinum Spiritus Sanctus. Ergone credendum eſt quòd iſte Deus ſit, qui ponitur in præſepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium neceſſitatum injurias patitur, qui flagellatur, qui conſpuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in ſepulchro, & inter duos lapides concluditur, excelſus & immenſus? Illane Virgo erit, quæ lactat puerum, cui etiam maritus continuus comes eſt, in convivio, in thalamo: qui ducit illam in Ægyptum, reducit ab Ægypto, & ſolus cum ſola tam longinquam tamquè ſecretam conficit viam? Quomodò potuit hoc perſuaderi generi humano, univerſo Orbi terrarum? Et tamen tam facilè, tam potenter perſuaſum eſt, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Juvenes & virgines, ſenes cum junioribus elegerunt mille mortibus mori, quàm vel ad momentum ab iſta Fide deficere. Et ideo Sponſa ait: (m) *Tenui eum, nec dimittam*. Ita eſt, extunc & deinceps non deficit genus Chriſtianum, nec Fides de terra, nec charitas de Eccleſia. Venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit, eò quòd fundata eſſet ſupra petram: petra autem eſt Chriſtus. Itaque nec verboſitate Philoſophorum, nec cavillationibus Hæreticorum, nec gladiis Perſecutorum potuit Eccleſia aut poterit aliquando ſeparari à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Domino Jeſu; adeo fortiter tenet quem diligit anima ſua, adeo illi adhærere Deo bonum eſt. *Glutino bonum eſt*, ait Eſaias. Quid hoc tenacius glutino, quod nec aquis diluitur, nec ventis diſſolvitur, nec ſcinditur gladiis? Denique aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.

§. II.

Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa autem unâ precioſâ margaritâ abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Matt. 13.

Securè negotiabor [n] præcipiente Domino meo: *Negotiamini dum venio*. Non enim parvum mihi fiduciæ robur præſtat, quòd ille ſummus Imperator negatiator meus factus, & negotium meum ſine otio egit quamdiu fuit in terris, & precioſarum mercium ſarcinas portans ad Patrem, ipſi vultui Dei, & quid emit & quid redemit & unde redemit, oſtendit. Et tu, o homo, eſto negotiator [o] & precioſas margaritas quære. Si precioſiſſimam unam margaritam inveneris, etiam tunc vende quidquid habes, & eme eam. Quæ eſt autem una tam precioſa margarita? Ego unam hanc nihil aliud quàm veritatem arbitror eſſe. Quærit ille bonas margaritas, qui in opere ſalutis ſuæ non eſt contentus inferioribus bonis, ſed ſumma quæque & excellentiora perquirit. Quod tamen non aliter fit (p) niſi tibi ſapiat Deus. Quæras ergo neceſsè eſt ſapientiam per quam tibi ſapiat Deus, & mundus deſipiat. Sapientia per precioſam ſignatur margaritam, quam ſi invenit homo, vadit & vendit univerſa quæ habet, & emit eam. Utinã guſtares & ſentires quàm dulcis eſt Dominus. Utinam guſtares panem qui de cælo deſcendit, habentem omne delectamentum & ſuavitatem ſaporis. Profectò ſi quid haberes, venderes, & comparares eam. Dulcedinem vita præcedit (q) ſpes ſequitur. Non enim ſapis niſi vivas, nec ſperabis niſi vivas & ſapias. Et ſapor ſedes eſt dulcedini, guſtus ſapori. De illa vita Joannis Evangelium loquitur: *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*. Quidni vivat, qui vitam manducat? *Ego ſum*, inquit, *vita*. Et: *Beatus qui manducat panem hunc in regno Dei, quod intùs eſt*. Regnum Dei eſt charitas, gaudium, pax. E vita, & panis, & charitas, unum ſunt. Magnæ deliciæ charitas, quæ foras mittit timorem. Qui manet in hac charitate, & manducat eam, & manducatur ab ipſa. Ipſa eſt quæ paſcit inter lilia, paſcit & paſcitur & nos & à nobis. Quo-

k *Ibidem num.* 8. l *Ibidem num.* 5.

m *Ser.* 79. *in Cant. nu.* 4. n *Ser. de S. Nicol. nu.* 3. *tom.* 6. *pag.* 792. o *Ser.* 65. *diver. num.* 2. p *Ser. de Verb. ſap. num.* 12. & 13. *tom.* 6. *pag.* 774. q *Ser.* 1. *ſuper. Sal. Reg. num.* 4.

Quomodò, inquis? Si diligit Deus nos, in se traiicit nos, & è converso. Cibus iste charitas Dei, & Deus virtutum, & scientiarum fons, vitam præstat animæ quæ nunc est, & futuram. Deus est omne bonum [r] & summum bonum: etiam dulcedo & dulcedinis genus generalissimum est. *Qui edunt me, adhuc esurient*, inquit: *& qui bibunt me, adhuc sitient*. Quare? Quia bonus & dulcis est. Bonus Deus Israël rectis corde, sed & dulcis & rectus. Nec bonitas nec justitia sine rectitudine. Qui bibit de illa, sitiet iterùm: de ista qui biberit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Siquidem apud ipsum fons vitæ, & ipse fons vitæ: etiam fluminis impetus qui lætificat civitatem Dei. Esto civitas Dei, & lætificabit te impetus hic: parat enim in dulcedine sua pauperi Deus. Fructus enim dulcis gutturi, & guttur ejus suavissimum, ineffebilia omnia. Hic calculus est, quem nemo scit, nisi qui accipit. Sunt enim in illa internæ festivitatis gaudia, quæ quotidie mentibus nostris per inspirationem sui amoris imprimit interna & æterna dulcedo. *Nota* (inquit Dominus) *feci vobis omnia quæcunque audivi à Patre meo*. Et ad Moysen: *Omne bonum ostendam tibi*: Omnia quæ audivit à Patre, & quæ promittit Moysi, unus *denarius* est, qui promittitur laborantibus in vinea: & *una illa* est, quam petiit David: & *unum illud* est, quod necessarium est. *Mel* est quod sugit Israël de petra, & *oleum* de saxo durissimo. *Gaudium* est quod nemo tollit. *Osculum* est de quo scriptum est: *Osculetur me osculo oris sui*. Internæ suavitatis gustus *dulcedo* est, & *manna* absconditum. Cui comporatum omne dulce, amarum: omne decorum, fædum: omne jucundum, triste: omne preciosum, vile: sordidum omne, quod desiderabile est in oculis amatorum mundi fluentis. Nam preciosam margaritam (datis omnibus terrenarum rerum delectamentis) Sancta sanctorum Virgo Maria comparavit, & nobis in Filio suo præparavit, & præparat semper interventu suo nobis orantibus oleum effusum dulcedinis hujus. Quis hanc margaritam [s] abiiciat? Quin potiùs dabo omnia, omnes cogitationes & affectus mentis commutabo & comparabo illam mihi. Manna enim est [t] omnem saporem habens & odoris delectationem: & requies est vera & sincera, suavis & salubris, jucunda & sancta. Hæc promissio [u] est vitæ præsentis. Nam promissionem futuræ vitæ quis explicet? Si expectatio justorum lætitia, & tanta lætitia est, ut omne quod desideratur in sæculo, non valeat ei comparari: ipsum quod expectatur, quid erit? *Oculus non vidit, Deus absque te* (inquit Esaias) *quæ præparasti expectantibus te*. Æterna bona illa bona sunt [x] quæ nec oculus vidit, nec auris audivit: & quæ nunquam exeunt ab illa patria, quæ nescit nisi gaudium & jubilationem. Ibi nihil deest, ecce *abundantia* qua impleatur humana cupiditas, Quæ est ista copia, ubi nihil quod nolis sit, totum sit quod velis? *Fiat pax* (ait Propheta ad Jerusalem) *in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*. In illis utique turribus, quæ (juxta Apocalypsim Joannis) gemmis ædificabuntur, ubi adipe frumenti non cortice sacramenti satiabit nos Deus. Quod si nihil deerit nobis, aliquid autem nobis latuerit, numquid erit gloria consummata? Ideo nihil latebit nos, & ecce *sapientia* qua curiositas hominis satietur. O Sapientia, qua tunc omnia quæ in cælo & quæ in terra sunt, perfectissimè cognoscemus, in ipso fonte Sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes. Non metuam suspiciones, non timebo consilia, quia Civitas illa (juxta Joannem) purissimo vitro similis erit: ut sicut per vitrum lucidissimè cernimus, sic aliorum conscientias clarissimè videamus. Quid si & nihil defuerit, & nihil latuerit, maneat autem timor & anxietas admittendi? Ideo nihil terret, & ecce *potentia* qua humana infirmitas roboretur. *Qui posuit* (inquit Propheta) *fines tuos pacem, & confortavit seras portarum tuarum*, ita ut nullus inimicus intret, nullus exire possit amicus. Ubi ergo summa *abundantia*, summa *sapientia*, summa *potentia* est: puto quòd nihil desit plenitudini beatitudinis, quantum spectat ad summam felicitatis humanæ. Hæc sunt bona Æternitatis. Hæc cogitemus, hæc ruminemus, & juxta præceptum legis revocemus ruminationem, quia sic vivitur, & in talibus vita spiritus nostri. Sic enim cogitatio sancta servabit nos, ut dicamus cum sancto David: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, Domine adjutor meus, & redemptor meus*. Felix cujus meditatio in conspectu Domini est semper [y] qui in corde suo delectationes dexteræ Domini usque in finem sedula cogitatione revolvit. Quid enim grave illi poterit videri, qui semper mente tractat, quòd non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cujus oculus semper videt bona Domini in terra viventium, semper videt æterna præmia? *Tibi dixit cor meum* (Propheta loquitur Domino) *tibi dixit cor meum: exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*. Quis mihi tribuat, ut omnes surgentes stetis in excelso, & videatis exultationem quæ ventura est vobis à Domino?

§. II.

Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quam cùm impleta esset educentes & secùs littus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt, &c. Matt. 13.

Misericordia significatur per sagenam missam in mare [z] & ex omni genere piscium congregantem. Sagena siquidem misericordiæ per mare fraternæ charitatis trahitur, & bonos & malos pisces, id est, tam amaras quàm dulces affectiones contrahit, omnibus se conformans, & omnium in se tam adversa quàm prospera traiiciens, flens cum flentibus, gaudens cum gaudentibus. Quæ tandem veniens ad littus, quando videlicet de servitute corporis hujus liberabitur in libertatem gloriæ filiorum Dei, quidquid amarum, quidquid triste, quidquid adversum est, destruet & exuet; cui nimirùm erit lætitia, & lux lucebit perpetua. Quòd Congregationem mare dixerim, non tibi videatur absurdum: quæ nimirùm flante aura tentationis, procellis turbationum mul-

r Ibidem num. 5. s Tract. de vite myst. cap. 3. num. 8. t Ser. 4. super. Psal. 90. num. 2. u Ibidem nu. 3. x Ser. 16. di ver. nu. 7.

y Ser. 4. de Ascens. Dom. num. 7. z Ser. de verb. Sap. num. 16.

multoties eliditur. In qua sunt quamplures qui ascendunt usque ad cælos præsumendo, & descendunt usque ad abyssos desperando: quorum anima in ipsis tabescente turbantur & moventur sicut ebrii, & omnis sapientia, imò conscientia eorum devoratur. Sed licet mirabiles elationes maris, mirabilis tamen in altis Dominus: quia etsi quandoque in navi dormire sustineat, novit tamen surgere in tempore opportuno, & eo imperante fluctibus & mari, redit tranquillitas magna. Volo proinde(a) ut in unitate quisque sic maneat, non quasi unus ex omnibus, sed quasi cum omnibus unus. Latum expandat sinum, ex omni genere affectionum claudat intra viscera sua, omnibus omnia fiat, & congaudere paratus & compati, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Erit enim cùm ad littus veniens, malos pisces à sagena charitatis excludet, & quidquid molestum est, foras mittetur. Legimus in Psalmo: (b) *Cadent à latere tuo mille* (ait Dominus) *& decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. Verumtamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis*. Ita oro Domine, ita fiat. Cadant illi, & non cadam ego: paveant illi, & non paveam ego: confundantur illi, & non confundar ego. Evidentiùs siquidem paucis hoc loco verbis (c) & animæ mihi immortalitas commendatur, & ipsius quoque fides adstruitur corporeæ resurrectionis. Nempè ruentibus illis futurus sum ipse qui videam: & ne isti quoque, quibus eorum novissimam intuear retributionem, oculi mei defuturi sunt. Neque enim simpliciter oculis, sed *oculis* (ait) *tuis considerabis*: istis utique qui nunc languent præ inopia, & deficiunt dum speras in Deum tuum. Et verè, Fratres, deficiunt oculi dum speramus. *Quod enim videt quis, quid sperat? Spes* (inquit Apostolus) *quæ videtur, non est spes*. Ipsis ergo jam tunc considerabis oculis, quos modò quidem nec levare audes ad cælum, ipsis planè qui toties interim fluunt lachrymis, ac crebris compunctionibus atteruntur. Nec enim novos tibi instaurandos oculos putes, sed tuos utiq; restaurandos. *Et retributionē peccatorum* (d) *videbis*. Hoc planè eis grave tormentum, & magnus quidam malorum cumulus erit. Fortè enim quodcunque solatium videretur eorum quos tam malitiosè impugnaverint, in tormentis suis vel conscientiam latere, vel ipsos saltem declinare posse conspectus. Verumtamen etsi illis ex hac nostra consideratione immensum quoddam miseriæ pondus accedat, nobis quæ necessitas erit, quæ utilitas, quæ voluptas? Quid enim modò tam irreligiosum, imò quid tam inhumanum & execrabile videretur, quàm cruore quantumlibet inimicorum sive impiorum pascere velle oculos, & oblectare aspectus suppliciis miserorum? Attamen sicut videbit peccator & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet (priùs enim benedicti vocabuntur in regnum Dei, quàm maledicti in caminum deiicientur ignis æterni, quo videlicet acriùs doleant videntes quid amiserint) sic justi quoque videbunt & lætabuntur considerantes quid evaserint. In illa ergo tanta separatione quemadmodùm hædis agnorum divisio gravissimi livoris occasio fiet: sic Electis è regione consideratio reproborum, immensa quædam materia gratiarum actionis & laudis fiet. Vnde enim Iusti tam magnificè gratias agerent, nisi cùm illa inexcogitabili fælicitate qua perfruuntur, ipsam quoque retributionem cernerent injustorum, à quibus equidem solâ misericordiâ Redemptoris segregatos sese esse fidelissimè & devotissimè recordantur? Vnde verò impii tanto animi furore tabescerent, nisi in regnum summæ beatitudinis coram sese vidissent alios introduci: & tunc demùm in illos sese fætores, in illos horrores, in illos æterni incendii cruciatus, in illas denique immortalis mortis miserias gemerent esse damnatos? *Ibi enim* (inquit Dominus) *erit fletus, & stridor dentium*. Fletus quidem ob ignem qui non extinguitur, stridor verò ob vermem qui non moritur. Planè fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum nempè tormentorum immanitas, stridorē dentium vehementia ipsa tabescentis invidiæ & obstinata malignitas extorquebit. Ita ergo retributionem peccatorum videbis, ne videlicet ignarus tanti periculi, ingratus aliquādo Liberatori posse fieri videaris. Non solùm autem [e] sed & *securitas perfecta justorum* erit visa retributio peccatorum: quo videlicet nec humanam aliquando, nec diabolicam ultra vereri malitiam possint, qui nimirùm cadentibus à latere suo mille & decem millibus à dextris suis, non modò eos cadere viderint, sed & cadere in gehennam. Putas enim timere adhuc non poterunt, & callidiorem cunctis animantibus serpentem habere suspectum, præsertim seductæ quondam in paradiso non immemores mulieris: nisi cum toto jam corpore suo ultricibus traditum flammis, & inter se & eum magnū planè jam chaos firmatum esse conspicerent? *Tertiū* quoque hoc nihilominùs peccatorū tibi consideratio ipsa præstabit (f) ut ex comparatione deformitatis eorum eminentiùs gloriosiùsquè resplendeas. Sic nimirùm sibi invicem collata contraria, suæ quidem utrumque videntur suscepisse augmentum aliquod qualitatis, ut album nigro si conferas, & hoc candidius, & illud tetrius apparebit. Sed audi certius super hoc testimonium propheticum sermonem: *Lætabitur* (ait) *justus cùm viderit vindictam*. Ut quid ita? *Manus suas lavabit in sanguine peccatoris*. Planè non inquinabit in sanguine, sed lavabit: ut unde ille cruentus magis, inde iste nitidior videatur: & unde ille plùs sordet, inde iste pulchriùs elucescat. Nullam fortè ex his tribus causis (g) humanus refugere vel modò inveniatur affectus: sed non propter aliquid horum Sapientia (Christus) in eorum ridebit interitu, quod tamen sine ulla dubitatione factura est. Nempè ipsa prædicit, quæ mentiri omninò non potest: *Quia vocavi & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret*. Et post pauca: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cùm vobis id quod timebatis advenerit, cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit*. Quid ergo in insipientium interitu Sapientiæ credimus placiturum, nisi justissimam suam dispositionem, & irreprehensibilem ordinem rerum? Sanè quod Sapientiæ tunc pla-

a Ser. 65. diver. num. 3. b Ser. 8. sup. Psal. 90. num. 1.
c Ibidem num. 2. d Ibidem num. 7.
e Ibidem num. 8. f Ibidem num. 9. g Ibidem num. 10.

placebit, sapientibus quoque placeat necesse est universis. Non igitur tibi durum videatur fore quod dicitur, *Oculis tuis considerabis*: quando & ridebis in eorum interitu: non quòd velut quadam immanitate crudelitatis in ipsa tibi ultione complaceas, sed quòd modus ipse pulcherrimus divinæ ordinationis ultra quàm credi possit, justitiæ zelatorem & & amatorem æquitatis oblectet. Itaque oculis tuis considerabis [h] & retributionem peccatorum videbis. *Primò* quidem ob tuam evasionem, *secundò* ob omnimodam securitatem, *tertiò* quoque ob comparationem, *quartò* ob ipsius justitiæ perfectam æmulationem. Erit enim jam tunc non misericordiæ, sed judicii tempus: nec ulla omninò credenda est erga impios futura illic miseratio, ubi nec ulla speranda est correctio. Procul erit humanæ infirmitatis ista mollities, qua tamen interim pro tempore charitas utitur ad salutem, amplissimo quodam videlicet expansæ sagenæ sinu & bonos & malos colligens pisces, id est affectus jucundos pariter & molestos. Verùm hoc quidem in mari: nam in littore solos eliget bonos, sic videlicet gaudens cum gaudentibus, ut ex hoc jam cum flentibus flere non possit. Alioquin quommodò in nobis judicabitur hic mundus, nisi hujus teneræ affectionis obliti, introductique fuerimus in cellam vinariam, secundùm eum qui dixit: *Introibo in potentias Domini*: *Domine memorabor justitiæ tuæ solius*? Nec modò quidem considerare permittimur personam pauperis, aut misereri ejus in judicio: sed cum molestia licèt coercendus ejusmodi pietatis affectus, & æquitatis est dictanda sententia. Quantò magis ubi nulla animi colluctatio, ubi nulla poterit subintrare molestia, oportet impleri quod dictum est: *Absorpti sunt juncti petræ judices eorum*? Absorpti planè in affectum justitiæ, & petræ soliditatem cui juncti sunt imitantes. Quod nobis quoque conferre dignetur ipse [i] qui constitutus est Rex vivorum & mortuorum. Amen.

CAPUT IX.

De aliis tribus parabolis, quibus Regnum cælorum assimilatur triplici rei terrenæ.

1. *Regnum cælorum assimilatur vineæ, per quam significatur populus Fidelium, quorum custos est Ecclesia. Ostenditur unde nam colligenda sit divina invitatio ad caram animarũ. Reprehenditur eorum audacia, qui licèt animæ suæ sint incurii, ambiunt tamen curam animarum. Per denariũ designatur vita æterna, qui reddetur singulis juxta discretionem meritorum suorum.* 2. *Regnum cælorum assimilatur homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Per regem intelligitur Deus Pater, & per filium designatur Unigenitus Dei Filius, qui desponsavit sibi Ecclesiã in sponsam suam. Ostenditur quantã ipse habeat curam & amorem erga eam.* 3. *Regnum cælorum assimilatur decem virginibus. Docemur ut prudentiam quinque virginum, quæ acceperant oleum in vasis suis cum lampadibus, imitemur, cavendo vanam gloriam in operibus bonis. Per dormitionem virginum intelligitur somnus Sanctorum quiescentium in sepulchris. Ostenditur, sonum illius tubæ quæ excitabit mortuos ad judicium, lætum fore justis, horribilem verò impiis. Afferuntur tres causæ, quæ solent in præsenti vita frustrari quærentes Deum.*

§. I.

Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Matth. 20.

SI spirituali sensu *vineas* Ecclesias (a) id est Fideles interpretamur populos, juxta Prophetæ sensum dicentis, *Vinea Domini Sabaoth domus Israël est*: incipiet fortassis elucere nobis quomodo Sponsæ Ecclesiæ minimè indignum sit fieri custodem in vineis. Puto quidem quòd & non parva insuper & in hoc ipso apparebit prærogativa, si quis diligentiùs curet advertere quantum ubique per Orbem in hujusmodi vineas dilataverit terminos suos à die illa, qua Hierosolymis à filiis matris suæ expugnata est, & exturbata unà cum prima illa novella plantatione: multitudinem dico credentium, quorum legitur fuisse *cor unum, & anima una*. Et ipsa est vinea quam modò fatetur se minimè custodisse, sed non ad insipientiam sibi. Nec enim ita inde evulsa in persecutione fuit, ut non alibi plantaretur, atque aliis locaretur agricolis, qui reddant fructus ejus temporibus suis. Non prorsùs, non periit, sed migravit, etiam crevit & dilatata est, tanquam cui benedixit Dominus. Denique leva oculos tuos, & vide si non *operuit montes umbra ejus, & arbusta ejus cedros Dei*: si non *extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus*. Nec mirum, *Dei enim ædificatio est, Dei agricultura est*. Ipse fæcundat, ipse propagat, ipse putat & purgat eam ut fructum plus afferat. Quandò nempe suâ destitueret curâ vel operâ, quam plantavit dextera ejus? Non planè habenda est neglectui vinea in qua Apostoli palmites, Dominus Jesus vitis, & Pater ejus agricola est. In fide plantata, in charitate mittit radices, defossa sarculo disciplinæ, stercorata pœnitentium lachrymis, rigata prædicantium verbis; & sic sanè exuberans vino in quo est lætitia (sed non luxuria) vino totius suavitatis, nullius libidinis. Ergo ex illa una vinea (b) quam sævæ persecutionis visa est delevisse tempestas, quantæ in universa terra propagatæ vineæ refloruerunt? Et in his omnibus custos proposita Sponsa Ecclesia est, ut non contristetur quòd primam vineam non custodivit. Consolare filia Sion: si cæcitas ex parte contigit in Israël, quid tu perdis? Mirare mysterium, & noli plangere detrimentum. Dilata sinum, & collige plenitudinem Gentium. Dic civitatibus Iudæ: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, & indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes*. Moysi sanè oblatum est à Deo, si prævaricatorem populum vellet

h Ibidem num. 11. i Ser. 24. divers. num. 4.

a Ser. 30. in Cant. num. 3. b Ibidem num. 4.

dimittere, & divinæ expo nere ultioni, ipsum quidem fieri posse in gentem magnam, sed ille renuit. Quare? Ob nimiam profectò dilectionem qua illi fortiter devinctus populo tenebatur, & quoniam non requirebat quæ sua sunt, sed Dei honorem, & non quod sibi utile foret, sed quod multis. Et ille quidem sic. Ego autem [c] consilio secretiori puto hoc munus divinitùs pro sui magnitudine servatum esse Sponsæ, ut ipsa potiùs & non Moyses mitteretur in gentem magnam. Non enim oportebat amicum Sponsi præripere Sponsæ benedictionem, & propterea non quidem Moyses, sed nova Sponsa cui dicitur: *Ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*. Ipsa, inquam, prorsùs missa est in gentem magnam. Num in majorem potuit quàm in Universitatem? Et facilè Universitas cessit portanti pacem, gratiam offerenti. Denique [d] Sponsæ dicitur: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni*. Quis hoc dicit? Absque dubio Sponsus Christus. Tempus est faciendi (inquit) ô sponsa, quia *hyems transiit*, quando nemo operari poterat. *Imber* quoque (qui inundatione facta operiebat terram, culturas impediebat, & vel sata necabat, vel seri vetebat) *abiit & recessit*. *Flores apparuerunt in terra nostra*, vernalem profectò temperiem adesse signantes, operandi commoditatem, frugum vicinitatem ac fructuum. Deinde subdit ubi & quid primùm operari oporteat: *Tempus* (inquiens) *putationis advenit*. Ad Vineas ergo excolendas Sponsa ducitur. Quæ ut possint uberioribus fructibus respondere colonis, ante omnia necesse est sarmenta sterilia proiici, succidi noxia, putari superflua. Hæc juxta literam. Nunc jam videamus (e) quid istiusmodi quasi historico schemate spiritualiter nobis innuatur intelligendum. Et *Vineas* quidem Animas esse vel Ecclesias, simulquè hujus rei rationē quænam sit dixi vobis jam & audistis, nec opus habētis iteratò audire. Ad has itaq; revisendas, corrigendas, instruendas, salvandas, Anima perfectior invitatur; quæ tamen id ministerii sortita sit non sua ambitione, sed vocata à Deo tanquā Aaron. Porrò invitatio ipsa quid est, nisi intima quædam stimulatio charitatis, piè nos solicitantis æmulari fraternam salutem, æmulari decorem domûs Domini, incrementa lucrorum ejus, incrementa frugum justitiæ ejus, laudem & gloriam Nominis ejus? Istiusmodi itaque circa Deum religiosis affectibus quoties is, qui Animas regere aut studio prædicationis ex officio intendere habet, hominem suum interiorem senserit permoveri: toties pro certo Sponsum adesse intelligat, toties se ab illo ad Vineas invitari. Ad quid? nisi ut evellet & destruat, & ædificet & plantet. Verùm quoniam operi huic [f] sicut & omni rei sub cælo non omne tempus suppetit & aptum est, addit is qui invitat, *tempus putationis advenisse*. Adesse hoc noverat qui dicebat: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum*. Vitiosa sine dubio atque superflua, omne denique quod offendiculum dare, & impedire fructum salusalutis possit, putare jam & resecare monebat, sciens quia tempus putationis advenerit. Ideo & ajebat fideli cuidam cultori: *Argue, increpa, obsecra*. In primo & secundo horum putationem vel extirpationem, in ultimo plantationem indicens. Et hæc quidem Sponsus per os Pauli de tempore operandi. Sed audi quid per proprium os de temporum consideratione sub alio quidem rerum schemate & nomine cum nova Sponsa sit locutus: *Nonne vos dicitis* (inquit) *quia quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, & videte regiones quia albæ sunt jam ad messem*. Item: *Messis quidem multa, operarii pauci: rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*. Sicut igitur ibi metendi Animarum segetes tempus adesse monstrabat, ita & hîc Vineas æquè intelligibiles, id est Animas vel Ecclesias tempus putandi advenisse denunciat: id forsitan inter utrasque res volens vocabulorum diversitate distingui, ut *messes plebes*, *vineas Congregationes* sanctorum cohabitantium intelligamus. Miror audaciam plurimorum [g] quos videmus de suis vineis (*animas dico*) non colligere nisi spinas & tribulos, vineis tamen Dominicis etiam se ingerere non vereri. Fures sunt & latrones, non custodes neque cultores. Hoc illis. Væ autem mihi etiam nunc à periculo vineæ meæ, imò magis nunc, quando pluribus intentus, minùs circa unam diligens minûsquè solicitus fieri cogor. Nec sepem circumdate, nec torcular fodere in ea licet. Heu destructa est maceria ejus, & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam. Patet exposita tristitiæ, iracundiæ atque impatientiæ pervia. Demoliuntur eam sedulæ quædam vulpeculæ instantium necessitatum. Irrumpunt undique anxietates, suspiciones, solicitudines. Turbæ discordantium, causarum molestiæ rarâ horâ desunt. Non est prohibendi facultas, non copia declinandi, sed nec orandi spatium. Quo imbre lachrymarum perfundere sufficiam *sterilitatem animæ meæ*? vineæ meæ volui dicere, sed de Psalmo 34. sic incidit propter usum, & sensus idem est. Nec piget erroris qui admonet similitudinis, quia non de vinea sermo est, sed de anima. Ergo anima cogitetur, cùm vinea legitur. Siquidem sub hujus specie & nomine illius sterilitatas deploratur. Quibus ergo lachrymis rigabo sterilitatem vineæ meæ? Omnes palmites ejus arverunt præ inopia, jacent sine fructu, eò quòd non habeant humorem. Jesu bone, quos fasciculos sarmentorum ex eis in tuo quotidie Sacrificio ustio contriti cordis mei te teste absumit? Sit obsecro sacrificium tibi spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus ne despicias. Cùm enim legatur [h] Adam in loco voluptatis ab initio positus ut operaretur, quis sanum sapiens filios ejus in loco afflictionis ad feriandum positos arbitretur? Operemur ergo, sed cibum qui non perit: operemur opus salutis nostræ. Operemur in vinea Domini, ut denarium diurnum accipere meramur. Nam hominibus merita locavit Dominus in opere (i) secundùm illud: *Dignus est operarius mercede sua*: & quia *unusquisque secundùm proprium laborem accipiet*, sive qui in fide *plantat*, sive qui *rigat* quod planta-

c *Ibidem num.* 5. d *Ser.* 58. *in Cant. n.* 1. & 2. e *Ibidem num.* 3. f *Ibidem num.* 4.

g *Ser.* [illegible] *in Cant. num.* 3. h *Ser.* 15. *divers. num.* 1. i *Ser.* 78. *in Cant. num.* 1.

tatum fuerit. Licèt autem Electis pariter omnibus unus idemquè denarius vitæ æternæ reddendus sit (k) in ipsa tamen sicut stella à stella differt in claritate, & alia claritas est Solis, alia claritas Lunæ, alia stellarum: sic erit & resurrectio mortuorum. Et quamvis domus una sit, diversæ tamen in ea sunt mansiones, ut videlicet quantum quidem ad æternitanitatem & sufficientiam, & qui parum, non minoretur; & qui multum, non abundet: quantum verò ad eminentiam & discretionem meritorum, unusquisque accipiat secundùm suum laborem, ne quid omninò pereat quod in Christo sit seminatum.

§. II.

Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Matt. 22.

Cûm dies instaret nuptiarum (l) consuluit Pater Filium quam vellet ducere sponsam. Ille se elegisse & prælegisse Ecclesiam respondit à sæculo. At Pater: Sed captiva, inquit, tenetur in Ægypto, ibiquè servit in luto & latere, venundata sub peccato. Induratum est cor Pharaonis super eam, & aggravata est manus ejus: nec dimittet eam nisi in manu forti. Et ego (inquit Filius) manus tua & brachium fortitudinis tuæ, intrabo Ægyptum in manu forti & brachio extento, & liberabo eam. Et ut obstruam os loquentium iniqua, & redimam eam à calumniis hominum: appendam in statera juxta precium quo venundata est sub peccato, voluntatem scilicet peccati, & è contra precium Sanguinis mei: & invenietur illa minus habens, & perveniet ad victoriam judicium meum. At Pater: Planè, inquit, perveniet: sed lex est conjugii, sponsæ requirere assensum. Requiretur, inquit Filius. Inveni David servum meum, virum secundùm cor meum: mittam eum cum cithara ut loquatur ad cor ejus, & advocet eam, & demulceat animos ejus in luto Ægypti assuetos & putrefactos. Missus David Ægyptum ingreditur, & præparatum habens dulcissimum Epithalamii canticum, erucravit de corde suo hoc verbum bonum: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam: & obliviscere populum tuum & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* Jussus etiam Esaias è vestigio subsequitur, vidensquè illam in vinculis captivitatis: *Consurge*, inquit, *consurge, induere fortitudinem brachii Domini. Elevare, elevare, consurge Jerusalem, solve vincula colli tui captiva filia Sion.* Cùmquè etiam multi alii intrassent Patriarchæ & Prophetæ (m) omnes eadem nunciantes; tandem aliquando intelligens illa gratiam Dei, surgensquè de pulvere, dixit: *Recordatus es mei Domine Deus meus. Misereris, cujus misereris: & misericordiam præstas, cujus misertus eris.* Et subsequens tanquam sapiens illa Abigail: *Quis*, inquit, *me det in ancillam servorum Domini mei, ut lavem pedes servorum Domini mei?* Moxquè exurgens sicut ipsa Abigail, ascendit super asinam, id est, subdidit sibi carnem suam, & secuta est servos Regis. Occurrit Sponsus festiuus & hilaris: tenensquè manum dexteram ejus, & in voluntate sua deducens eam, & cum gloria suscipiens eam, introduxit in civitatem Regni sui, & in cubiculum genitricis sui. Et in lectulo charitatis suæ eã collocans, & gratiæ suæ ornamentis eam condecorans, lævamq; suam sub capite ejus ponens, & dexterâ suâ eã amplexans, inquit: *Desponsavi te mihi in fide,* (n) *desponsavi te mihi in judicio & justitia, desponsavi te mihi in misericordia & miserationibus.* Nec tu me elegisti, sed ego elegi te: nec ut te eligerem, tua inveni merita, sed præveni. Ita ergo in fide desponsavi te mihi, & non in operibus legis: desponsaviquè in justitia, sed justitia quæ est ex fide, non ex lege. Restat ut judices judicium rectum inter me & te: judicium quo te desponsavi, ubi constat intervenisse non tuum meritum, sed meum placitum. Hoc est autem judicium, ut tua merita non extollas, non præferas opera legis, non jactes pondus diei & æstûs, quæ magis in fide & in justitia quæ est ex fide, nec non in misericordia & miserationibus nosceris desponsata. Quæ autem verè sponsa est agnoscit ista [o] & utramque gratiam confitetur. *Primò* quidem eam quæ prima est, qua & præventa est: secundò verò & subsequentem gratiam confitetur. Ait itaque nunc: *Dilectus meus mihi, & ego illi*: principium dilecto tribuens. In consequentibus, Ego, inquit, *dilecto meo, & dilectus meus mihi*: consummationem illi æquè concedens. Nunc jam videamus quid dicat: *Dilectus meus mihi*. Si enim hoc recipitur ut subaudiamus, *intendit*, sicut Propheta ait: *Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi*: ego autem in verbo isto sentio nescio quid non planè exiguum, nec mediocris prærogativæ. Sponsa enim locuta est (p) & dixit Sponsum intendere sibi. Quæ est Sponsa? & quis est Sponsus? Hic Deus noster est: & illa (si audeo dicere) nos sumus cum reliqua quidem multitudine captivorum, quos ipse novit. Gaudeamus. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Nos sumus in quos intendit Deus. Omnes proinde nos ad spirituales nuptias vocati sumus [q] in quibus utique Sponsus est Christus Dominus: unde canimus in Psalmo: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Sponsa verò nos ipsi sumus, si non vobis videtur incredibile, & omnes simul una sponsa, & animæ singulorum quasi singulæ sponsæ. Sed quando hoc sentire poterit fragilitas nostra de Deo suo, quòd eo affectu se diligat, quo diligitur sponsa à Sponso? Multùm enim hæc sponsa Sponso suo inferior genere est, inferior specie, inferior dignitate. Attamen propter Æthiopissam istam de longinquo Filius æterni Regis advenit: & ut sibi desponsaret illam, etiam mori pro ea non timuit. Moyses quidem Æthiopissam duxit uxorem, sed non potuit Æthiopissæ mutare colorem. Christus verò quam adamavit ignobilem adhuc & fædam, gloriosam sibi exhibuit Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam. Verè ipsa est (r) quam præscivit & prædestinavit ante sæcula Deus Pater, præparavitquè dilecto Filio suo delicias sempiternas in sæculis æternis, ut sit sancta & immaculata in conspectu ejus. Unde autem tibi, ô anima humana [s] unde tibi hoc? Unde tibi tam inæstimabilis gloria, ut

Iii 2 ejus

K *Ser. 9. super Psalm. 90. num. 4.* l *Parabola de Chrst. & Eccl. num. 1. tom. 2. par. 2. pag. 542.* m *Ibidem num. 2.*

n *Ser. 67. in Cant. n. 11.* o *Ibidem num. 12.* p *Ser. 68. in Cant. n. 1.* q *Ser. 2. in Dom. 1. post. oct. Epiph. num. 2.* r *Ser. 78. in Cant. n. 8.* s *Ser. 2. in Dom. 1. post. oct. Epiph. num. 3.*

ejus sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli prospicere? Unde tibi hoc, ut ipse sit Sponsus tuus, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur, ad cujus nutum universa mutantur? Siquidem ipse ait: (t) *Desponsavi te mihi in fide, desponsavi te in judicio & justitia*: (ejus, non tuam intellige) *desponsavi te in misericordia & miserationibus*. Si non fecit ille quod Sponsus, si non tanquam Sponsus amavit, si non zelatus est tanquam sponsus: noli acquiescere sponsam te arbitrari. Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi (u) ut sis socia mensæ, socia regni, socia denique thalami, ut introducat te Rex in cubiculum suum? Vide jam quid de Deo tuo sentias: vide quantum de Deo præsumas. Vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti te æstimavit, imò qui tanti te fecit. De latere enim suo te reformavit, quando propter te obdormivit in Cruce, & somnum mortis excepit. Propter te à Deo Patre exivit, & matrem Synagogam reliquit: ut adhærens ei, unus cum eo spiritus efficiaris. Et tu ergo audi filia & vide, & considera quanta sit erga te dignatio Dei tui: & obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Desere carnales affectus, sæculares mores dedisce, à prioribus vitiis abstine, consuetudines noxias obliviscere. Quid enim putas? nonne stat Angelus Domini qui secet te mediam, si fortè (quod avertat ipse) alterum admiseris amatorem. Jam enim desponsata es illi (x) jam nuptiarum prandium celebratur: nam cœna quidem in cælo & in aula æterna paratur. Verumtamen numquid ibi vinum deficiet? Absit. *Inebriabimur ibi ab ubertate domûs Dei, & torrente voluptatis ejus potabimur*. Paratum est profectò illis nuptiis flumen vini, vini inquam, quod lætificat cor hominis. Siquidem fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Hic est torrens voluptatis tuæ Domine Jesu (y) qua delicatam illam & gloriosam civitatem Jerusalem quæ sursum est, jugiter potas, lætabunda ebrietate facis æstuare, ut tibi jubilent hymnum incessabilem lucida illa & flammea organa in voce exultationis & sono epulantis: cujusquè desiderabilibus guttis refocillari sitibundæ fauces exulis populi tui jugiter expectant, Domine. Sinito Pater, ut catelli bibant de stillis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

§. III.

Simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, & sponsæ, &c. Matt. 25.

Sponsus Christus est [z] ad cujus vocem qui amicus est stat & audit, & gaudio gaudet propter vocem Sponsi. Huic nos despondit Apostolus, qui ait: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*. Virgo utique Christus est & Virginis Filius, & virginem conjugem vult habere. Tu si habes Angelicam (plus dico vobis) Christi Matrisque suæ gratiam, hilaresce, tripudia, & in amplexus Christi festinabunda gestiens illud amatorium clamâ suspirans: *Osculetur me osculo oris sui*. Si te viderit ob amorem suum Sponsus marcescere, si pallescere, si calescere impatienti desiderio: accelerabit copulæ diem, offeret oscula, junget amplexus. O lætam diem nuptiarum! O felicem sponsam tali conjugio! Carpe oscula ô beata sponsa, junge amplexus, canta: Ecce quod concupivi jam video: quod amavi jam teneo: ipsi sum juncta in cælis, quem in terris posita totâ devotione dilexi. *Simile erit regnum cælorum decem virginibus*: [a] quas Rex cælorum si sibi cum lampadibus luminosis occurrerint, in illum cælestem thalamum intra asylum cubiculi introducet. Sed quid facimus, quia quinque sunt fatuæ, & quinque prudentes? Puto autem quòd & plures, & prudentium numerum longè superet multiplicitas fatuarum. Cæterùm omnes acceptis lampadibus exierunt obviam Sponso & sponsæ. *Exierunt*. Unde exierunt? Planè de substantia & sæculari conversatione, juxta illud Esaiæ: *Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis*. Denique vobis dicitur, filiæ Sion [b] animæ sæculares, debiles, delicatæ filiæ non filii, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi: *Egredimini filiæ Sion*. Egredimini de sensu carnis, ad intellectum mentis: de servitute carnalis concupiscentiæ, ad libertatem spiritualis intelligentiæ. Egredimini de terra vestra, & de cognatione vestra, de domo patris vestri. Exierunt autẽ virgines cum lampadibus (c) lumbos habentes præcinctos & lucernas in manibus ardentes: ut & castitatis cingulum astringatur in corpore, & ad utilitatem proximi & gloriã Dei Patris lux exempli clareat in operatione. Sic Gedeon in lagunculis lampades occultãs, sed in hora certaminis fractis vasculis demonstrans, repentina luce hostes terruit, & vertit in fugam. Terrentur enim principes tenebrarum visa luce bonorum operum, quia stare ante lucem tenebræ non possunt. *Prudentes enim virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*. Vide prudentiam virginum istarum: sciebant noctem fore productam, & nescientes quâ horâ noctis Sponsus veniret, non contentæ oleo lampadum, etiam in vasis oleum sumunt: ut si fortè illud quod erat in lampadibus annihilaretur & deficeret, de eo quod in vasis reposuerant ad custodiam luminis, lampades implerent. Oleum in lampade, est opus bonum in manifestatione. Sed dum videtur à proximis claritas operis, dum mirantur & laudant, extollitur plerumque & assurgit elatus animus operantis: & dum in se & non in Domino gloriatur, lumen lampadis annullatur, & carens fomento congruo lampas quæ coram hominibus clarè lucet, coram Domino tenebratur. Prudentes verò virgines præter oleum quod in lampadibus habent, oleum aliud in vasis reponunt: quia nimirùm sanctæ animæ dum Sponsi præstolantur adventum, dum toto desiderio ei clamant quotidie, *Adveniat regnum tuum*: præter illa opera quæ proximis lucent ad Dei gloriam & videntur, aliqua in occulto, ubi solus Pater videt, opera faciunt: ut si fortè illa quæ conspicua & clara sunt, flatus humanæ laudis extinxerit, oleum occultæ con-

t *Ser. 5. in dedicat. Eccles. num. 11.* u *Ser. 2. in Dom. 1. post Oct. Epiph. nu. 3.* x *Ibidem nu. 4.* y *Ser. de Pass. Dom. nu. 24.* z *Ser. in Parabol. Euang. de X. virg. num. 1. tom. 6. pag. 777.*

a *Ibidem num. 2.* b *Ser. 2. in Epiph. Dom. num. 2.* c *Ser. in parabol. Euang. de X. virg. num. 3.*

conscientiæ suffragetur. Hæc est gloria filiæ Regis ab intus, dum plùs de oleo quod in vasis conscientiæ dilucescit, quàm de eo quod lucet deforis, gloriatur: periisse æstimat omne quod cernitur, nec id dignum judicat remuneratione, quod favores hominum prosequuntur. Latenter igitur quæ prævalet operatur, petit secretum, orationibus pulsat cælum, fundit lachrymas testes amoris, & cum Dilecto illo suo suspirio gemituquè fabulatur. Hæc est gloria, sed ab intus, sed invisa filiæ Regis & amicæ. Hoc oleum fatuæ virgines non habent: quia nisi ad nitorem vanæ gloriæ & favorem hominum bona non operantur. Hoc oleum in quo prudentes confidunt, in abditis conscientiarum vasculis reponunt. *Moram autem faciente sponso* [d] *dormitaverunt omnes & dormierunt*. Dormiunt virgines bonæ in Domino, & in Christi pectore dulce reclinatorium habentes, mane illud ultimum præstolantur. *Mane* (inquit Propheta David) *astabo tibi & videbo*. O quàm jucundo interim sopore sopiuntur, quarum caro in spe requiescit, & in spe spiritus hilarescit. Libet inter hæc meminisse quod Sanctus Germanus Pontifex Altissiodorensis Romam petens dum Eduam devenisset, ad tumulum Sancti Cassiani divertit, quem proprio vocans nomine: *Quid* (inquit) *agis Frater charissime?* Et ille de tumulo: *Dulciter* (inquit) *in pace requiesco, & adventum Redemptoris expecto*. Ecce prudentium virginum somnus, quibus cælicus dicit Spiritus, *ut requiescant à laboribus suis*. Non autem hoc fatuis virginibus dicitur, nec talis interim sopor earum est. Neque enim à laboribus requiescunt, quarum caro videt corruptionem, ut ingradiatur putredo in ossibus earum, & subter eas scateat. Et hoc quidem caro. Anima verò sepulta in inferno quomodò dormit conturbata, quæ in tormentis posita aret siti, nec sperat guttam refrigerii, & resurrectionis diem & adventum Judicis malè sibi conscia perhorrescit? *Dormitaverunt* igitur *omnes* [e] *& dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei*. O clamorem prudentibus virginibus omni modulatione omnibusquè modulis dulciorem: *Ecce Sponsus venit!* Putas vox ista est Filii Dei, quam cùm venerit beata illa hora, omnes qui in monumentis sunt audient, & qui audierint vivent? Erit fortassis vox ista illius tubantis Archangeli, in cujus voce & in novissima tuba Dominus descendet de cælo. Canet enim tuba, ad cujus clangorem (ut Hieronymi verbis utar) totus timebit mundus. Fragor item tubæ illius, dum tubabit Angelus, dum expergiscentur homines, tartara etiam tenebrosa concutiet. Audient miseri qui ibi sunt, qui in illo tenentur ergastulo, audient tunc illi qui nunc audiunt & facere nolunt: *Exite obuiam ei*. Magnus quidem clamor, quoniam ut Sibylla dicit, quando tuba sonitum tristem dimittet ab alto orbe: quando & Dominus cælum advocabit desursùm, & terram discernere volens, id est populum suum ante se, & prudentes virgines ab infatuatis separare. Advocabit cælum desursùm, ut Virtutes illæ cælorum de suis sedibus moveantur, & omnes Angeli cum eo ad judicandum congregentur. Advocabit cælum desursùm, id est spiritus animasquè justorum, quibus ante dictum fuerat, ut requiescerent sustinentes tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus fratrum eorum. Tunc cælesti illa habitatione relicta, Sanctæ illæ Animæ suis corporibus redditæ, tantò tutiùs quantò incorruptiùs gaudebunt. Tunc in momento, in ictu oculi (juxta Ezechielem) in campo pleno ossibus mortuorum ossa ad ossa, & nervi ad nervos, & juncturæ ad juncturas denuò colligentur; quia surget corpus spirituale quod seminatum est animale: & resurgens à mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Tunc in articulo diei illius veniente Sponso clamor magnus omnes excitabit dormientes, & clamabit virtute magna & efficacissima: *Exite obviam mei*. Exite dormientes, & in occursum Judicis festinate. Tunc plangent super se omnes tribus terræ. *Tunc dicent montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos*. Exite de tumulis quos conscientiæ memoria non accusat, & videte Judicem benè sibi conscii & boni meriti gaudentes.

§. IV.

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ [f] *& ornaverunt lampades suas*: id est conscientias cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus. *Arguam te*, (inquit Dominus) *& statuam te contra faciem tuam*. Posuimus nos peccata nostra post dorsum nostrum dum hìc viveremus, & tanquam de actibus nostris nulla esset ante Tribunal Christi facienda discussio, per negligentiam peccata multa oblivioni tradidimus. Sed qui ait, *Statuam te contra faciem tuam*, id est totam vitam tuam, quidquid cogitatu actuquè peccasti, ante tuæ faciem mentis adducam: quæ cùm omnia simul videris, dicam: *Hæc fecisti & tacui*. Sic fieri arbitror horâ illâ, tale judicium fieri, Veritate (quæ Christus est) in cordibus singulorum judicante. Heu, quanta tunc in mentem venient, quæ nunc vel nulla putantes, inconfessa atque impurgata relinquimus! Quod metuens pius ac prudens Rex Ezechias: *Recogitabo tibi*, inquit, *omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Recogitabo, id est iterùm cogitabo, ne aliquid fortè oblitus sim, neque aliquid injudicatum & indiscussum remaneat. Ornant ergo lampades prudentes virgines oleo [g] quod in vasis reposuerant: sed fatuarum virginum lampades extinguuntur, & quia tenebrarum opera fecerant, in tenebris remanserunt. *Date nobis* (inquiunt) *de oleo vestro*. Stulta petitio! Uix justus saluabitur, & vix etiam Sanctis justitiæ suæ oleum sufficit ad salutem, quantò minùs & sibi & proximis? Noë & Daniel & Job nec filium liberabunt, sed sicut anima quæ peccaverit ipsa morietur: sic anima quæ justitiam fecerit, sola saluabitur. *Responderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis*. Tardatum est: jam enim nequaquam justitiæ oleum venundatur. Jam Prophetæ & Apostoli aliiquè Doctores, qui hoc distrahere & habere venale habebant, à tali mercimonio quiescunt, nec jam ulteriùs dicunt: *Sumite Psalmum, & date tympanum*. Quid plura? *Quæ paratæ erant, intraverunt* cum

d Ibidem num. 4. e Ibidem num. 5.
f Ibidem num. 7. g Ibidem num. 8.

cum eo ad nuptias. Virgines ad nuptias intrant, quas introducet Rex in cubiculum suum: quia earum speciem concupivit. Ibi de cælesti cella vinaria promitur & propinatur vinum nouum, quod pariter bibet & ministrabit Filius hominis. *Et clausa est janua*. (h) Quæ janua? Illa quæ nunc patet venientibus ab Oriente & Occidente, ut recumbant cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cælorum. Illa quæ ait: *Eum qui venerit ad me, non eiiciam foras*. Ecce quomodo patet nunc, quæ tunc in æternum claudetur. Veniunt homicidæ, & admittuntur: veniunt publicani & meretrices, & recipiuntur: veniunt sodomitæ, molles, adulteri, fures & quicunque hujusmodi, & patens eis janua non negatur. Multus enim est ad ignoscendum, præstabilis super malitia qualicunque & quantacunque. Tunc autem quid dicet? *Clausa est janua*, janua pietatis & misericordiæ Christi. Quæ nunc lachrymis, gemitibus, suspiriis & precibus pænitentium facilè patet, tunc clausa est: nullius tunc pænitentia, nullius oratio, nullius gemitus ampliùs admittetur. Clausa est illa janua, quæ Aaron post idolatriam recepit: quæ David post adulterium & post homicidium admisit: quæ Petrum post trinam negationem non solùm non repulit, sed claves suas ei observandas tradidit. Proinde Sponsus dicit: (i) *Quærite & invenietis: & qui quærit invenit*. Propheta quoque Jeremias loquitur ad eum: *Bonus es Domine animæ quærenti te*. Et item sanctus Esaias: *Quærite Dominum, dum inveniri potest*. Quomodò autem implebuntur Scripturæ? Neque enim quæ hìc inducitur quærens, una est ex his quibus ipse ait: *Quæretis me, & non invenietis*. Sed attendite tres esse causas quæ interim occurrunt, & quærentes frustrari solent: cùm aut videlicet non in tempore quærunt, aut non sicut oportet, aut non ubi oportet. Si enim omne tempus aptum est ad quærendum, cur ergo dicit Propheta: *Quærite Dominum dum inveniri potest?* Erit absque dubio cùm inveniri non poterit, & ideo addit: *Ut invocetur dum propè est*: quia futurum est, jam non propè futurum. Aquo enim tunc non requiretur? *Mihi* (inquit) *curvabitur omne genu, &c.* Nec tamen invenietur ab impiis, quos ultores Angeli arcebunt profectò & tollent ne videant gloriam Dei. Frustra inclamabunt & fatuæ virgines, minimè prorsùs jam ad eas exit, *clausâ januâ*. Sibi proinde dictum putent illæ: *Quæretis me, & non invenietis*. Cæterùm nunc tempus acceptabile (k) nunc dies salutis sunt, tempus planè & quærendi & invocandi, quando plerumque & antequam invocetur adesse sentitur. Audi denique quid polliceatur. *Antequam me invocetis* (inquit) *dicam: Ecce adsum*. Nec latuit benignitas hæc & facilitas temporis quod nunc est, illum qui in Psalmo loquitur: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua*. Quòd si per bona opera quæritur Deus, ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, præsertim quia Dominus apertè prænunciat venire noctem, quando nemo potest operari. Servemus quoque in vasis oleum (l) ne fortè (quod absit) clausas jam nuptiarum januas frustra pulsantes, verbum audiamus amarum, & deintùs nobis Sponsus respondeat: *Nescio vos*. Adhuc tamen mors posita est nonmodò secùs iniquitatem, sterilitatem, vanitatem, sed & secùs introitum ipsius etiam voluptatis. Quocirca opus est *fortitudine* adversùs tentamenta peccati, ut rugienti leoni resistamus fortes in fide, & ignita ipsius jacula hoc ipso clypeo viriliter repellamus. Opus est *justitiâ*, ut operemur bonum. Opus est *prudentiâ*, ne cum fatuis virginibus reprobemur. Opus est denique *temperantiâ*, ne voluptatibus indulgentes, audiamus aliquando quod miser ille epularum pariter & vestium splendore finito, dum misericordiam precaretur audivit: *Memento fili, quòd recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris*. Planè terribilis est Deus in consiliis super filios huminum: sed si terribilis est, etiam misericors invenitur, dum futuri formam judicii non occultat. *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur*. Et palmes qui fructum non fecerit, excidetur. Virgo cui defuerit oleum, à nuptiis excludetur. Et qui bona receperit in hac vita, cruciabitur in futura. Quod si fortè contingat in uno quolibet simul hæc quatuor inveniri, ea planè extrema desperatio est. *Vigilate itaque* (m) *quia nescitis diem neque horam*: quia vigilantibus & orantibus, non dormientibus & pigritantibus regnum cælorum præstatur per Dominum nostrum Jesum Christum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT X.

De duodecim portis Civitatis Jerusalem, scilicet Regni Cælestis.

Ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam habentem portas duodecim. Ab Oriente portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab Occasu portæ tres, & ab Aquilone portæ tres. *Apoc. 21.*

1. *Ostenditur, Orientalem plagam cælestis Jerusalem habere tres portas, per quas designatur triplex Innocentia. Prima innocentia est secundùm potestatem, secunda est secundùm ætatem, tertia est secundùm voluntatem.* 2. *Ostenditur, Meridionalem plagam habere tres portas, per quas intelligitur triplex Justitia. Prima justitia est secundùm debitum, secunda est secundùm meritum, tertia est secundùm propositum.* 3. *Ostenditur, Occidentalem plagam habere tres portas, per quas triplex significatur Pænitentia. Prima pænitentia vocatur gratuita, secunda vocatur spontanea, tertia vocatur coactitia.* 4. *Ostenditur, Aquilonarem plagam habere tres portas, per quas designatur tripartita Misericordia. Prima misericordia vocatur exterior, consistens in distributione eleemosynæ: secunda vocatur interior, consistens in confessione sacramentali: tertia vocatur posterior, consistens in contritione cordis.* 5. *Ostenditur, per quatuor portas Cælestis Jerusalem designari totidem portas, scilicet Orientalem, Meridionalem, Occidentalem, & Aquilonarem. Prima designat Innocentiam: per*

h *Ibidem num. 9.* i *Ser. 75. in Cant. num. 3.* k *Ibidem nu. 4.*
l *Tract. de convers. ad Cleric. cap. 10. num. 21.*

m *Ser. in parabol. Evang. de X. virg. num. 9.*

hanc portam ingrediuntur parvuli baptizati. Secunda significat Justitiam: per hanc portam Apostoli & Martyres ingressi sunt. Tertia designat Pœnitentiam: per hanc portam ingrediuntur pœnitentes. Quarta designat Misericordiã Dei: per hanc portam ingrediuntur latrones & fures, si tamen confessi & communicati libenter susceperint pœnam mortis pro suis sceleribus. Ostenditur, quatuor esse genera hominum obtinentium regnum cælorum.

§. I.

Considerandum nobis est (a) & delectabiliter recolendum, quid Joannes Apostolus Christi familiaris amicus inter cęteros Discipulos dilectus, & mysteriis cælestibus ultra omnes imbutus, de gloriosa & æterna civitate Jerusalem dicat: *Ab Oriente*, inquit, *ejus porta tres, & à Meridie porta tres, & ab Occidente porta tres, & ab Aquilone porta tres.* Orientalis plaga tres portas habere describitur: *Innocentia* tripartita esse dignoscitur. Est enim Innocentia secundùm potestatem, & est Innocentia secundùm ætatem, & est Innocentia secundùm voluntatem. *Primò potestativam* innocentiam Christus habuit, qui solus veraciter dicere potuit: *Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.* Venit diabolus (b) non princeps creaturarum, sed peccatorum; non lucis, sed tenebrarum; non vitæ, sed mortis; non gaudii, sed mæroris: *Et in me non habet quidquam*, id est, nihil est in me quod ad eum pertineat. Ipse enim peccatum non fecit, nec unquam voluit, sed nec peccare unquam potuit. Ad eum venit, ut videret si in eo maculam peccati aliquam inveniret: viderat eum trabeâ nostræ mortalitatis indutum, morti vicinum, & in eo se credidit aliquid invenire quod ei in morte posset obiicere. Sed miser ille deceptus est, quia in eo nihil invenit proprium, sed per ipsum & jus quod habebat in aliis, amisit antiquum. Denique (c) de Christo scriptum est: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Peccatum quippè nec contraxit, nec commisit: quia & illa ejus Nativitas, qua de Deo Patre ante secula genitus est Deus, est ineffabilis: & illa nihilominùs Nativitas, qua de Maria Virgine in fine temporum natus est homo, est incomprehensibilis: ejus quoque vita, qua in mundo conversatus est, extitit singularis. Et fortassis propterea ipse se lilium appellavit (d) quòd totus versetur in liliis, & omnia quæ ipsius sunt, lilia sint, conceptio, ortus, conversatio, eloquia, miracula, Sacramenta, Passio, Mors, Resurrectio, Ascensio: quid horum non candidum, & non suavissimè redolens? Tanta denique in *Conceptione* refulsit superni luminis claritas de supervenientis abundantia Spiritûs, ut ne ipsa quidem Virgo Sancta sustinvisset, si non sibi obumbratum foret à virtute Altissimi. Porrò *Ortum* candidavit incorrupta virginitas Mariæ, *Conversationem* innocentia vitæ, *Eloquia* veritas, *Miracula* puritas cordis, *Sacramenta* pietatis arcanum, *Passionem* patiendi voluntas, *Mortem* libertas in moriendo, *Resurrectionem* Martyrum fortitudo, *Ascensionem* exhibitio promissionum. Potestativa quidem innocentia [e] id est, prima innocentiæ porta cæteris est clausa, sed soli Christo aperta, testante Ezechiele Propheta: *Porta*, inquit, *Orientalis omnibus claudetur, solus enim Princeps ingredietur & egredietur per eam.* *Secundò* innocentiam secundùm *ætatem* illi possident, qui tam per imbecillitatem corporis, quàm per indiscretam simplicitatem cordis malum perpetrare nesciunt, nec possunt. *Tertiò* innocentia secundùm *voluntatem* illorum est, qui etsi in levibus quibusdam peccatis (sine quibus hæc vita aut vix aut nullatanùs transigi potest) aliquando delinquunt, innocentiæ tamen puritatem in bona voluntate conservant. Prima igitur innocentia est malum facere non posse: altera malum facere nescire: ultima facere malum nolle.

§. II.

Et à meridie porta tres. [f] Meridiana plaga, per quam designatur *Justitia, tres* portas habet: quare & ipsa Justitia tripartita est. Est enim Justitia secundùm debitum, & est Justitia secundùm meritum, & est Justitia secundùm propositum. *Primò* quidem justitia secundùm *debitum* est omnium Fidelium, & maximè Monachorum: quia isti de die in diem satagunt reddere vota, quæ distinxerunt labia sua, Prophetæ David consilium sequentes, qui dicit: *Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* Regula Sancti Benedicti omni homini proponitur[g] imponitur nulli: prodest si devotè suscipitur & tenetur, non tamen si non suscipitur, obest. Quod autem in voluntate est suscipientis, non in voluntate proponentis, voluntarium meritò dixerim, non necessarium. Attamen hoc ipsum quod dico voluntarium, si quis ex propria voluntate semel admiserit & promiserit deinceps tenendum, profectò in necessarium sibi ipse convertit: nec jam liberum habet dimittere, quod ante tamen non suscipere liberum habuit. Ideoquè quod ex voluntate suscepit, ex necessitate jam tenebit: quia omninò necesse est eum reddere vota sua quæ distinxerunt labia sua, & ex ore suo aut condemnari jam aut justificari. Cæterùm felix est necessitas, quæ cogit in melius. Omnia proinde Sancti Benedicti Instituta, exceptis sanè nonnullis de spiritualibus, verbi causâ, charitate, humulitate, mansuetudine, quæ non tam ipsum constat instituisse quàm Deum, & ob hoc penitùs non esse mutanda: de cętero reliqua universa non profitentibus quidem monita tantùm seu consilia censenda sunt, nec gravant non observata: cùm tamen profitentibus in præcepta, prævaricantibus in crimina fiant, sive illis voluntaria vel ficticia, istis necessaria & tanquam naturalia non immeritò reputantur. Ita sanè necessaria dixerim, ut ex eis minimè præjudicetur necessariis rationalibusquè dispensationibus. Cæterùm justè exigitur ad solvendum [h] qui non cogitur ad vovendum. *Secundò* justitia secundùm *meritum* illorum est [i] qui penè illicita nulla committunt, nec tamen licitis uti volunt: sed ea quæ retrò sunt obliviscentes, & ad anteriora sese extendentes, per san-

a *Ser. de 12. portis cælest. Ierusal. nu. 4. tom. 6. pag. 550.* b *Ser. 10. in ultim. Cæna. num. 74.* c *Ser. de 12. port. Civit. Ierusalem. nu. 5.* d *Ser. 72. in Cant. num. 7.*

e *Ser. de 12. port. Civit. Ierusal. num. 4.* f *Ibidem num. 5.* g *Tract. de præcept. & dispensat. cap. 1. num. 2.* h *Epist. 2. nu. 6.* i *Ser. de 12. port. Civit. Ierusal. num. 5.*

sancta desideria indefessis fidei passibus, quotidianisquè profectibus ad perfectionis culmen ascendunt. Revera hi tales tam feliciter quàm fiducialiter dicere possunt cum Psalmista: *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, justi intrabunt in eam*. Et illud cum Sancto Paulo Apostolo: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*. Sed quo pacto eam quam sibi repositam præsumit (k) coronam vocat justitiæ? An quoniam justè, jam & ex debito requiritur quodcunque vel gratis promittitur? Denique ait: *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum servare*. Dei promissum, suum appellat depositum: & quia credidit promittenti, fidenter promissum repetit. Promissum est quidē ex misericordia, sed jam ex justitia persoluendum. Est ergo quam Paulus expectat, corona justitiæ; sed justitiæ Dei, non suæ. Justum quippè est ut reddat quod debet. Debet autem quod pollicitus est. Et hæc est justitia de qua præsumit Apostolus, promissio Dei: ne si hanc contemnens, suam velit statuere, justitiæ Dei non sit subiectus: cujus tamen suę justitiæ ipsum Deus volvit habere consortem, ut & coronæ faceret promeritorem. In eo enim sibi justitiæ consortem & coronæ statuit promeritorem, cùm operum quibus erat illa repromissa corona, habere dignatus est coadiutorem. Porrò coadiutorem fecit, cùm fecit volentem, hoc est, suæ voluntati consentientem. Itaque voluntas in auxilium, auxilium verò reputatur in meritum. *Tertiò* justitiam secundùm *propositum* illi retinent (l) qui quamvis superfluis cogitationibus affligantur, & illecebrosis cupiditatibus abstrahantur, dum tamen peccato pro viribus resistere curant, suiquè propositi vigorem inviolabili tenore conservant, dum cuncta adversantia evenire pro suis meritis sibi humiliter confitentur: omnia sibiipsis in bonum cooperari creduntur. De talibus enim per Apostolum scriptum est: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt sancti*. In quo verbo non te terreat sanctitatis nomen (m) quando non secundùm meritum sed secundùm propositum, non secundùm affectionem sed secundùm intentionem sanctos vocat, juxta illud Prophetæ: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*. Illam enim quam putas sanctitatem ne ipse quidem Paulus corruptibili adhuc gravatus corpore arbitrabatur se comprehendisse. *Vnum autem*, inquit, *quæ retrò sunt oblitus, ad ea quæ ante me sunt extendens, sequor ad palmam supernæ vocationis*. Uides quia licet nondum apprehendisset braviū, habebat tamen propositum sanctitatis. Et tu ergo si proposueris in corde tuo declinare à malo, & facere quod bonum est, tenere quod accepisti, & proficere semper in melius, sed & si quid aliquando minùs rectè egeris (ut est humana fragilitas) non in eo persistere, sed pænitere & corrigere quantùm prævales; eris sine dubio sanctus es tu, sed cui interim clamare necesse sit: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*.

§. III.

Et ab Occidente portæ tres. [n] Occidentalis plaga, per quam designatur *Pænitentia*, tres portas habere describitur, quia pænitentia tripartita esse dignoscitur. Est enim pænitentia gratuita, & est pænitentia spontanea, & est pænitentia coactitia. *Primò* pænitentiam *gratuitam* Joannes Baptista & plusquam Propheta exhibuit: qui ab Archangelo Gabriele promissus, & Spiritu Sancto in utero sanctificatus, cunctisquè mortalibus qui ante eum fuerant, veridica Saluatoris voce est prælatus. Hic talis & tantus cùm esset, sicut de Justo (*scilicet Sancto Benedicto*) legitur, plùs appetiit mala mundi perpeti, quàm laudes: malens pro Deo fatigari laboribus, quàm vitæ hujus blandimentis perfrui: & soli Deo vacare cupiens relicta domo rebusquè patris, desertum petiit, & penè admirabilem pænitentiæ formam posteris sequendam proprio exemplo reliquit. Hæc pænitentia idcirco gratuita vocatur, quia gratis sufffertur, imò offertur: quia pænitentiæ regula est, ut qui illicita nulla commisit, licitis utatur ut sibi placuerit. Quis sic Eremum concupivit? [o] Quis ita sublimiter legitur conversatus? Quis pænitentiam & regnum cælorum primus ostendit? Post peccatum Adæ [p] ac post illius diluvii vastationem solemnem, electa est Justorum infinita propè pluralitas, cum quibus Deus facie ad faciem locutus fuisse dignoscitur. Transfertur *Enoch*, eligitur *Noë*, vocatur *Abraham*, *Isaac* diligitur, *Jacob* Deum facie ad faciem contemplatur, *Joseph* salvator mundi vocatur: Nec tamen in sermone Dei ad illos vel illorum ad homines facto, fit aliqua mentio de regni cælestis perpetua mansione. *Moyses* assumitur in Ducem populo Judæorum, Pharaoni in Deum constituitur: facit Deus per ipsum in Ægypto magnalia, mirabilia in terra Cham, terribilia in Mari rubro. Ascendit Moyses in caliginem in qua erat Deus, & datur ei in monte multiplex præceptorum auctoritas: loquitur cum Deo quasi homo ad vicinum suum: non est occultatum à Moyse, quod fecit Deus in occulto; & gloriosum nomen Adonai (quod omnibus fuerat obvelatum) ei revelatur: Sed in his omnibus regni cælorum memoria nec nominatur, nec auditur. Astat *Aaron* summus Sacerdos potentis virgæ gestarius, unctus & delibutus cælestium sacrariorum unctione: succedit *Josue*, & omnis illa Judicium multitudo: Nec est vel ulla tenuis facta mentio regni cælestis. Invenit Dominus *David* virum sanctum secundùm cor suum, Salamonem filium ejus sapientiā cumulat singulari, & omnem illum prophetalem chorum Spiritus Sanctus ordinat & infundit: Et nihil de cælestis regni gloria prophetatur. Claudit *Elias* cælum annis tribus, & mensibus sex: Elisæus etiam mortuus mortuum vitæ restituit: Et ab his nec vel ulla scintilla beatæ mansionis cælestis elucet. Quid plura? A principio mundi usque ad Joannem universitatis humanæ electionem recollige, & nec in sermone vel opere illius Sanctuarii poteris reperire dulcedinem. Veni ergo ad Joannem Baptistam (q) & audi vocem exultationis, vocem novitatis, vocem

k *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 19 num. 51.* l *Ser. de 12. port. Civit. Jerusal. num. 5.* m *Ser. 38. diuer. num. 2.*

n *Ser. de 12. port. Civit. Jerusal. num. 6.* o *Ser. de Sanc. Ioan. Bapt. nu. 12. tom. 6. pag. 150.* p *Ibidem. nu. 7.* q *Ibidem nu. 8.*

cem lætitiæ, verbum misericordiæ, sermonem gloriæ, largitatem gratiæ, quod celaverat Deus, tacuerat Angelus, latuerat Patriarchas, Prophetæ nescierunt. *Pœnitentiam* (inquit Joannes) *agite: appropinquavit enim regnum cælorum*. Verbum pænitentiæ dulce & gloriosum; verbum regni cælorum lætum & adorandum, illi soli primo conveniens, qui primus novi Testamenti fundamenta posuit. *Secundò* pænitentiam *spontaneam* illi habent [r] qui post commissa peccata, post perpetrata flagitia, cùm à Sole justitiæ illustrantur, jam non ex necessitate sed ex voluntate sua Domino confitentur: voluntariâ solertiâ caventes, ut non regnet peccatum in eorũ mortali corpore, sed regnet justitia. Et qui priùs exibuerant sua membra servire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, nunc exhibent ea servire justitiæ in sanctificationem: & qui filii noctis erant dum opera tenebrarum sectabantur, per dignos fructus pænitentiæ filii lucis efficiuntur. *Tertiò* pænitentia *coactitia* est tepidorum, & mei similium: qui nullo igne charitatis accensi, nullo fervore devotionis animati, spiritum libertatis nondum sequuntur; sed in corpore consuetæ pusillanimitatis sese versãtes, spiritu servitutis iterùm deprimuntur, & ad explendum regularium observantiarum debitum modum vix Prælatorum severitate compelluntur. Nullatenùs tamen de talibus desperandum est; quia si susceptum semel Christianæ servitutis jugum patienti perseverantia ferant, in patientia sua possidentes animas suas, in cælestem Jerusalem per portam pænitentiæ intrant.

§. IV.

Et ab Aquilone porta tres. (s) Aquilonaris plaga, per quam designatur *Misericordia*, tres portas habet: quarum prima est Exterior, altera Interior, tertia Posterior, id est, ultima. *Prima* porta misericordiæ *exterior* est in *eleemosynarum distributione*: quia mundi hujus amatores Christum duntaxat in fundamento habentes, quamvis rerum temporalium lucris toto mentis desiderio inserviant, & per omnia carnis suæ voluptatibus obedire non timeant horâ tamen mortis instante, dum peccatorum suorum respectu & sempiternæ ultionis metu introrsùs concutiuntur, quæ injustè acquisiverant & illicitè possederant, pro salute animarum suarum egenis & pauperibus Deoquè famulantibus erogant. Credendum est itaque eos qui ejusmodi sunt, sanctæ Ecclesiæ suffragiis atque etiam Fidelium beneficiis multùm juvari, dum ab eis recipiunt opem intercessionis, quos secundùm Domini præceptum sibi fecerant amicos de mammona iniquitatis, ut ab eis reciperent æterna, quibus largiti sunt temporalia. Habent Evangelia & perfectionis consilium (t) & remedium infirmitatis. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*: hæc perfectio est. Siquidem Filius hominis ubi caput reclinaret, non habebat. Petro & Joanni nec argentum nec aurum erat. Paulus victu simplici vestituquè contentus, hæc ipsa labore manuum acquirebat. Sed non omnes capiunt verbum hoc, sicut nec consilium castitatis. Quid dicitur populo? *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*. Verba Domini sunt, & quod loquitur, tale est. Firma equidem stat immobilisquè sententia, eos qui *volunt in hoc seculo divites fieri, incidere in tentationem laqueumquè diaboli*: sed quia misereor super turbam, & ipsum quoque camelum (quod homo non potest) per foramen acûs traducere possum. Cavete saltem à verbo aspero, qui laqueum venantium minimè declinatis. Vestite nudum, egenum alite, visitate infirmum, ne fortè audire contingat sermonum durum, asperum verbum, auditionem malam: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*. Ac si manifestiùs dicat: Væ vobis divites, qui habetis consolationem vestram. Attamen unum jam superesse videtur: Communicate eam pauperibus quorum est regnum Dei, ut cùm venerit hora eorum, reminiscantur, & deficientes vos recipiant in tabernacula sua: & consolationem suam, quã modò prudenter expectant, dum vestram vos ipsi præripitis, misericorditer communicent desolatis. *Mensuram* enim *bonam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinus eorum*. Regnum itaque cælorum (u) pauperum est: & est regiæ potestatis beare pro voluntate amicos. *Facite* (inquit Dominus) *vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*. Et hæc quidem terrena sunt (x) sed cælestia mercantur. Sic itur ad astra. Talibus hostiis promeretur Deus. Istorum est enim regnum cælorum, qui vobis in terra viventium reddere poterunt pro his terrenis vitam & gloriam sempiternam. *Secunda* porta misericordiæ *interior*: dicitur *omnis Confessio* (y) quia hoc habet Fides Catholica & pietas Christiana, quoniam peccatorum quisque quamlibet immundus, quamlibet sit sceleratus, si instante mortis articulo per veram Confessionem emundatus fuerit, pænas æterni incendii nullatenùs est intraturus: quia si omnia in Confessione lavantur, profectò confitentes à regno misericordiæ non excluduntur. Dicit enim Propheta David: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi: & tu remisisti impietatem peccati mei*. Confessio igitur (z) est peccatoris vita, justi gloria. Video David dicentem: *Peccavi*, & audientem: *Transtulit Dominus peccatum tuum à te, & non morieris*. Considero Mariam Magdalenam, si non verbis, tamen operibus publicè sua crimina confitentem, & Dominum pro ea respondentem: *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multùm*. Respicio Principem Apostolorum negantem timidè, amarissimè flentem, Christum verò illum respicientem. Felicem Latronem intueor se accusantem, Christum verò excusantem, & Dominum promittentem: *Hodie mecum eris in paradiso*. O quàm sublimis est ista confessio, per quam de patibulo ad Regnum, de terra ad Cælum, de cruce Latro damnatus ac crucifixus ad Paradisum ascendit! *Tertia* misericordiæ *posterior* porta vocatur *contritio cordis*: (a) quia cùm respectu summæ clementiæ cor peccatoris compungitur, oculis Divinæ pietatis quasi sacrifi-

r *Ser. de 12. port. Civit. Jerusal. num. 6.* s *Ibidem nu. 7.* t *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 3. num. 8.*

u *Epist. 103. num. 1.* x *Epist. 209.* y *Ser. de 12. port. Civit. Jerus. num. 7.* z *Ser. 40. diver. num. 2.* a *Ser. de 12. port. Civit. Jerus. num. 7.*

crificium vespertinum offertur. Ille quoque cujus natura pietas, cujus opus misericordia est, multos de talibus salvare creditur. Hæc porta idcirco *posterior* appellatur, quia post omnes alias succurrere probatur. Nam si largitio eleemosynarum non adsit, & oris Confessio desit: Deus tamen qui absconditorum est cognitor, cor contritum & humilitatum non spernit, sed spiritus humiliati sacrificium quandoque libens suscipit, juxta quod Sancti Spiritus organum Ezechiel Propheta ait: *In quacunque hora ingemuerit peccator, salvus erit.* Et hæc est (b) gratia Crucis Christi, & virtus. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat.* Quantum verò mihi videtur, vox Christi resurgentis est ista. Ac si dicat: Velit nolit Judæus, vivo ego. Nolo mortem peccatoris, qui mori volui pro peccatoribus. Volo ut fructuosa sit mors mea, & copiosa per eam redemptio.

§. V.

Cæterùm Dominus quoque dicit: (c) *Contendite intrare per angustam portam: quia arcta & angusta est via, quæ ducit ad vitam.* O quàm terribiliter & salubriter vox ista summæ Veritatis tardos & tepidos viatores, pusillanimes & desides ascensores terruit: quæ ipsis etiam perfectissimis discipulis libero volatu cælestem Jerusalem intraturis contentionem, portæ singularitatem, ingressûs difficultatem, electorum paucitatem interposuit! *Arcta est* via inquit, *quæ ducit ad vitam. Arcta* est siquidem in peccatorum ablutione, sed multò *arctior* est in carnis animæquè separatione, *arctissima* verò est in extrema Judicis examinatione. Attamen *benedictus: Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*: qui terrori consolationem miscuit, ne desperemus: angustiæ latitudinem opposuit, ut præsumamus, præsumendo curramus, currendo perveniamus. Nam alibi ipse Dominus ait: *Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Jsaac, & Jacob in regno cælorum.* Propheta quoque & præco veritatis, homo secundùm cor Dei David dicit: *Dicant qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos, à solis Ortu & Occasu, ab Aquilone & Mari.* Per solis Ortum designans *Innocentiam*, per Meridiem *Justitiam*, per Occidentem *Pænitentiam*, per Aquilonem *Misericordiam*. *Primò* quidem ab *Oriente* (d) id est, per *portam Innocentiæ* Innocentes sunt ingressi: qui ante scientes mori quàm loqui, pro Domino sunt trucidati. An verò (e) de Innocentium coronis quis dubitet? Ille pro Christo trucidatos Infantes dubitet inter Martyres coronari, qui regeneratos in Christo non credit inter adoptionis filios numerari. Alioquin quandò coævos sibi pueros Puer ille qui natus est nobis non contra nos, propter se pateretur occidi (quod utique solo nutu poterat prohibere) nisi melius aliquid eis provideret? ut quemadmodùm cæteris infantibus tunc quidem Circumcisio, nunc verò Baptismus sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem, sic nihilominùs pro eo susceptum martyrium illis sufficeret ad sanctitatem. Si quæris eorum apud Deum merita ut coronarentur, quære & apud Herodem crimina ut trucidarentur. An forè minor Christi pietas, quàm Herodis impietas, ut ille quidem potuerit innoxios neci dare, Christus non potuerit propter se occisos coronare? Hi sunt planè Martyres tui Deus, vt in quibus nec homo nec Angelus meritum invenit, singularis tuæ prærogativa gratiæ evidentiùs commendetur. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Per hanc portam *Innocentiæ* (f) etiam ingrediuntur paruuli per Baptismum renati: qui Sacramento regenerationis accepto, si mox aut paulò post à corpore soluuntur, proculdubio ad cælestem Jerusalem per portam Innocentiæ ingrediuntur. *Secundò à Meridie*, id est, *per portam Justitiæ* Apostoli & Martyres sunt ingressi. Et rectè perfecti omnes *Meridiei* comparantur, quia & ibi morosior est statio Solis, & feruentior ardor caloris, & copiosior splendor lucis. Sol justitiæ in ipsis non occidit nec tepescit, sed invalescit & incalescit, sicut scriptum est: *Sapiens sicut sol permanet, stultus ut luna mutatur.* Porrò splendor operis & fervor dilectionis, quantus in ipsis fuit Sanctis, elucescit, nec tam indiget expositione quàm imitatione. *Tertiò ab Occidente*, id est, per portam *Pænitentiæ* Maria Magdalena est ingressa: quæ merito peccatorum suorum ante fuerat habitatio dæmonum, sed respectu divinæ gratiæ postmodùm compuncta flendo & pænitendo, & Salvatorem suum singulari amore colendo, facta est Sancti Spiritus templum. Per hanc etiam portam ingrediuntur pænitentes: qui quasi in occiduis partibus conversantes, & de interioribus tenebris ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine properantes, cùm à Sole justitiæ illustrantur, si omnibus pompis Satanæ & operibus tenebrarum perfectè abrenunciant, in supernam Jerusalem per portam pænitentiæ intrant. *Quartò ab Aquilone* (g) id est, per *portam Misericordiæ* ingressus est Latro ille Evangelicus, qui de profundo iniquitatis & ignorantiæ sola Dei bonitate eductus, in ipso mortis articulo ab ore putei gehennæ in deliciosam Paradisi amænitatem est reductus. Per hanc portam ingrediuntur forsitan & illi, qui per totam vitam suam flagitiis & iniquitatibus servientes, cùm morti pro suis sceleribus addicuntur, si plenam satisfactionem de malorum suorum perpetratione per veram cordis contritionem offerunt Deo, in Cælestem Jerusalem per portam misericordiæ quandoquè intraturi sunt. Scriptum est enim: *Quacunque hora peccator ingemuerit, salvus erit.* Et alibi: *Ubi te invenero, ibi te judicabo.* Iterùm: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Restat quoque videndum istæ quatuor quàm contrariæ & quàm oppositæ sibi inveniantur, videlicet Innocentia pænitentiæ, Justitia misericordiæ, & è converso. Nam qui innocens est, non quærit pænitentiam, & qui pænitens est, non habet innocentiam: similiter qui justus est, non advocat misericordiam, & qui miser est, non possidet justitiam. Porrò (h) quatuor sunt genera hominum regnum cælorum possiden-

b *Ser. 13. diuer. num. 1.* c *Ser. de 12. port. Civit. Ierus. nu. 1.* d *Ibidem num. 2.* e *Ser. in natali Sancl. Innocent. num. 2.*

f *Ser. de 12. port. Civit. Ierus. num. 2.* g *Ibidem num. 3.* h *Ser. 99. diver.*

dentium. Alii violenter *rapiunt*, alii *mercantur*, alii *furantur*, alii ad illud *compelluntur*. *Primò* quidem illi *rapiunt* regnum cælorum, qui derelinquunt omnia, & sequuntur Christum. De quibus dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. *Secundò* illi *mercantur* regnum cælorum, quibus loquitur in Evangelio Dominus: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*. Tales dicuntur mercatores, quia dant in præsenti pauperibus temporalia quæ possident, ut in futuro recipiant ab eis æterna. Necesse est enim omnes, qui in futuro judicio examinandi sunt, vel esse Judicis amicos, vel apud Judicem intercessores habere amicos. Habent ergo primum beatitudinis locum, qui intercedunt: habent & hi pro quibus intercedunt, secundum beatitudinis locum. *Tertiò* sunt alii qui nonnulla bona occultè faciunt, pro quibus merentur regnum cælorum: sed tamen *furari* illud dicuntur, quia laudem humanam vitantes, solo divino testimonio contenti sunt. Horum figuram tenuit mulier illa Evangelica, quæ fluxum sanguinis patiens cogitavit intra se dicens: *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero*. Quo dicto accessit occultè & tetigit, & salva facta est. *Quartò* alii sunt qui *compelluntur*, verbi gratiâ, pauperes necessarii, quos scilicet hîc ignis paupertatis Deo dispensante purgat, ne in futuro ignis judicii puniat. De quibus scriptum est: *Compelle intrare, ut impleatur domus mea*. Compelluntur & multi alii, variis necessitatibus & oppressionibus afflicti: qui mirâ Dei providentiâ dum tẽporalem pœnam si non libenter tamen patienter sustinent, vitam consequuntur æternam. Sufficit enim ad salutem (i) corporis molestias patienter ferre: sed cumulus est, etiam libenter in fervore spiritûs eas amplecti. Regnum cælorum pauperum est: (k) & est regiæ potestatis beare pro voluntate amicos. *Facite* (inquit Dominus) *vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiant vos in æterna*. In quorum numero indignos nos servos Nominis sui (l) ipsa constituere dignetur misericordia, quæ ab æterno est & usque in æternum super electos, in medio quidem aliquatenùs ostendens liberum arbitrium, meriti gratiâ; principium & finem omninò soli vendicans sibi: ut sit nobis *Alpha & Omega* Dominus Deus noster, & pro utroque jure clamemus: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Amen.

DEO GRATIARUM ACTIO,
ET BEATO BERNARDO,
Servo ejus dulci & fideli.

S. Bonavent. Conclus. tract. medit. de vita Christi.

i *Ser. 25. divers. num. 5.* k *Epist. 103. num. 1.* l *Ser. 4. de verb. Esa. num. 4.*

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Duodecima,

De ultimo fine hominis, ſcilicet Beatitudine, quam nobis fructificavit Crux & Paſſio Chriſti.

Nunc habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. S. Paul. Rom. 6.

CAPUT I.

De vita æterna hominis, quæ conſiſtit in clara viſione Dei.

Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti *Jeſum* Chriſtum. *Joan.* 17.

1. *Oſtenditur quid ſit videre Deum ſicuti eſt. Docemur mundare oculum noſtrum à triplici ſorde, id eſt à concupiſcentia carnis, à concupiſcentia gloriæ temporalis, à conſcientia præteritorum delictorum: ut mereamur videre Deum in cælis.* 2. *Oſtenditur, magnam fore excellentiam oculorũ quibus videbimus Deum, ſi interim fluant lachrymis, & crebris compunctionibus atterantur. Docemur, oculos noſtros mundandos eſſe fide, obedientiâ, ſanctimoniâ vitæ, ut mereamur poſt reſurrectionem noſtram videre Deum.* 3. *Oſtenditur, tripliciter nos fruituros Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipſis, & ipſam cognoſcentes in ſemetipſa Sanctam Trinitatem. Agitur de Beatitudine hominis quoad animam, ſecundùm triplicem naturam, rationalem, concupiſcibilem, & iraſcibilem.*

§. I.

Scimus quoniam cùm apparverit ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. 1. Joan. 3.

STUDIOSIS mentibus Verbum ſponſus frequenter apparet nunc (a) & non ſub una ſpecie. Quid ita? Profectò quoniam nondum videtur *ſicuti eſt*. Nempè illa viſio ſtat, quia forma ſtat quæ tunc videtur. Eſt enim, nec ullam capit ex eo quod *eſt*, *fuit*, *erit*, mutationem. Tolle nempè *fuit* & *erit*, unde jam tranſmutatio aut viciſſitudinis obumbratio? At quidquid veniens ex eo quod *fuit*, non ceſſat tendere in id quod *erit*, tranſitum ſanè habet per *eſt*, ſed omninò non eſt. Nam quomodò eſt, quod nunquam in eodem ſtatu permanet? Solum proinde verè eſt, quod nec à *fuit* præciditur, nec ab *erit* expungitur: ſed ſolum atque inexpugnabile remanet ei *eſt*, & manet quod eſt. Nec *fuit* ſanè tollit illi eſſe ab æterno, nec *erit* eſſe in æternum: ac per hoc ſibi vendicat verum eſſe, id eſt increabile, interminabile, invariabile. Cùm igitur ipſe qui ſic eſt, imò qui non ſic aut ſic eſt, videtur ſicuti eſt, ſtat ut dixi illa viſio, quia nulla eam interpolat viciſſitudo. Et tunc ille de Evangelio unus omnibus, qui ſic vident, denarius redditur in vna ſpecie quæ offertur. Nam & quod apparet, ut invariabile in ſe eſt, ita invariabiliter intuentibus præſtò eſt: & quibus apparet, nil videre deſiderabilius volunt, nil poſſunt videre delectabilius. Quando ergo illa vel faſtidiet aviditas, vel ſe ſubtrahet ſuavitas, vel fraudabit veritas, vel deficiet æternitas? Quod ſi in æternum extenditur videndi copia pariter & voluntas: quomodò non plena felicitas? Nil quippè aut deeſt jam ſemper videntibus, aut ſupereſt ſemper volentibus. At talis viſio non eſt vitæ præſentis, ſed in noviſſimis diebus reſervatur, his duntaxat qui dicere poſſunt: *Scimus quia cùm apparuerit ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Et nunc quidem apparet quibus vult, ſed ſicut vult, non *ſicuti eſt*. Non Sapiens, non Sanctus, non Propheta videre illum *ſicuti eſt* poteſt aut potuit in corpore hoc mortali, poterit autem in immortali, qui dignus habebitur. Oſtendet nobis Filius, ut pollicitus eſt, *ſemetipſum* (b) non in forma ſervi, ſed in forma Dei. Oſtendet etiam nobis *Patrem & Spiritum Sanctum*, ſine qua nimirùm viſione nihil ſufficeret nobis: quoniam *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcamus verum Deum, & quem miſit Jeſum Chriſtum*, & in eis (quod non eſt dubium) etiam Spiritum

S. Bernard. Abb. juxta ejus libror. edit. authore Horſtio in VI. Tom. impreſſ. Pariſiis an. 1667. a *Ser. 31. in Cant. num. 1.*

b *Ser. 4. de omn. Sanct. num. 3.*

ritum utriusque. Transiens quippè ministrabit nobis, novas utique & usque ad tempus illud nobis penitùs inexpertas delicias manifestæ suæ contemplationis. Undè & Beatus Joannes in Epistola sua: *Nunc*, inquit, *filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus*. Et addit: *Scimus autem quoniam cùm apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Et ipse Dominus ait: (c) *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Beati planè & omninò beati, qui videbunt in quem desiderant Angeli prospicere, quem videre vita æterna est. Tibi dixit cor meum, exqvisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Quid enim est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quandò adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo? Væ mihi ab immunditia cordis mei, qua impediente necdum mereor ad beatam illam visionem admitti. Quanta sollicitudine, Fratres, quanto studio danda est opera ut mundari possit oculus, quo videndus est Deus? Et ego quidem triplici sorde inquinari me sentio, concupiscentiâ *carnis*, & concupiscentiâ *gloriæ temporalis*, & *præteritorum* conscientiâ *delictorum*. Sunt enim in anima motus quidam utrorumque desideriorum, quos nec ratione nec viribus extinguere possum, quamdiu sum in hoc sæculo nequam, & in corpore mortis teneor alligatus. Attamen contra sordes istas duas *Orationis* oppono remedium, & propterea sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri: qui solus mundus est, & potest facere mundum de immundo conceptum semine. Sic & contra peccati conscientiam remedium *Confessionis* est institutum, & omnia in Confessione lavantur. Ecce hæc sunt quæ mundant oculum cordis, *Oratio & Confessio*. Porrò, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Videbunt quidem in fine sæculi facie ad faciem: videbunt etiam nunc, sed per speculum & in ænigmate: & nunc cognoscent ex parte, perfectè postea cognituri. Videtur & hîc (d) sed sicut videtur ipsi, & non sicuti est. Nam neque hoc luminare magnum (Solem loquor istum quem quotidie vides) vidisti tamen aliquando sicuti est, sed tantùm sicut illuminat (verbi causâ) aërem, montem, parietem. Quod nec ipsum quidem aliquatenùs posses videre, si non aliqua ex parte ipsum lumen corporis tui pro sui ingenita serenitate & perspicuitate cælesti lumini simile esset. Non denique alterum membrum corporis capax est luminis, ob multam utique dissimilitudinem. Sed nec ipse oculus cùm turbatus fuerit, lumini propinquabit, nimirum ob amissam similitudinem. Qui ergo turbatus serenum nullatenùs Solem videt propter dissimilitudinem, serenus aliquatenùs videt propter nonnullam similitudinem. Profectò si pari prorsùs puritate vigeret, videret omninò inoffensa facie eum sicuti est, propter omnimodam similitudinem. Ita & Solem justitiæ illum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo sicut illuminat illuminatus potest, tanquam in aliquo similis: sicuti est, omninò non potest, tanquam nondum perfectè similis. Propterea dicit Propheta: *Accedite ad eum & illuminamini, & facies vestræ non confundentur*. Ita sanè, sed si quantum satis est illuminamur, ut *revelata facie speculantes gloriam Dei, in eandem imaginem transformemur de claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu*, ait Apostolus. Ergo accedendum est ad eum, non irruendum (e) ne irreverens scrutator Majestatis opprimatur à gloria. Nec locis sanè accedendum est, sed claritatibus, ipsisquè non corporeis, sed spiritualibus tanquam *à Domini Spiritu*. A Domini planè, & non à nostro, quamvis in nostro. Qui itaque est clarior, ille propinquior: esse autem clarissimum, pervenisse est. Porrò jam præsentibus non aliud est videre sicuti est, quàm esse sicuti est, & aliqua dissimilitudine non confundi. Sed id tunc, ut dixi, quando *videbimus eum sicuti est*.

§. II.

Neque simpliciter oculis (f) sed *oculis tuis considerabis*, ait Dominus in Psalmo 90. Istis utique oculis qui nunc languent præ inopia, & deficiunt dum speras in Deum tuum. Et verè, Fratres, deficiunt oculi dum speramus. *Quod enim videt quis, quid sperat? Spes* (inquit Apostolus) *quæ videtur, non est spes*. Ipsis ergo jam tunc considerabis oculis, quos modò quidem nec lavare audes in cælum: ipsis planè considerabis oculis, qui toties interim fluunt lachrymis, ac crebris compunctionibus atteruntur. Nec enim novos tibi oculos instaurandos putes, sed tuos utique restaurandos. Quid tamen de oculo dixerim, etsi minutissima, eminentissima tamen excellentissimaquè humani corporis portione? Reposita est in sinu nostro beata spes, ex promissione utique Veritatis, nec *capillum quidem de capite periturum*. Fortè tamen idcirco signanter visio promittitur oculorum (g) quòd hoc quidem summum interim animæ desiderium videatur, ut videat bona: *Credo* (inquit Propheta) *videre bona Domini in terra viventium*. Supremas nimirùm corporis sui fenestras supernæ aperiri desiderat Veritati, per speciem ambulare gestiens potiùs quàm per fidem. Sanè fides ex auditu, non ex visu. Denique *substantia est sperandarum rerum, argumentum non apparentium*. Et in fide ergo sicut & in spe deficit oculus, auris proficit sola. *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, ait Propheta: sed quandoque etiam oculum revelabit. Erit quando jam non dicetur: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam*: Sed *leva* potiùs *oculos tuos & contemplare*. Quid? Planè *jucunditatem & exultationem, quam thesaurizat super te Dominus Deus tuus*. Quid? Planè nonmodò ea quæ interim quidem etsi non videre adhuc & audire, tamen & credere potes: verumetiam quod sicut non vidit oculus, sic nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus diligentibns se. Nimirùm tanta capiet oculus resurrectionis, quanta nec auditus nec animus ipse nunc capiat. Dignum quippè fuerat (h) per superiores oculorum fenestras veritatem intrare ad animam: sed hoc nobis ô anima, servatur in posterum, cùm videbimus facie ad fa-

c Ser. 1. de omn. Sanct. num. 13. d Ser. 31. in Cant. num. 2.

e Ibidem num. 3. f Ser. 8. super. Psal. 90. num. 2. g Ibidem num. 3. h Ser. 28. in Cant. num. 5.

ciem. Nunc autem unde irrepsit morbus, inde remedium intret, & per eademmet sequatur vestigia vita mortem, tenebras lux, venenum serpentis antidotum veritatis:& sanet oculum qui turbatus est, ut serenus videat quem turbatus non potest. Auris primò facta est mortis janua, prima aperiatur & vitæ. Auditus qui tulit, repararet visum: quoniam nisi crediderimus, non intelligemus. Ergo auditus ad meritum, visus ad præmium. Unde Propheta: *Auditui meo*, inquit, *dabis gaudium & lætitiam*: quòd fidelis retributio auditionis sit beata visio, & beatæ meritum visionis sit fidelis auditio: *Beati* (ait Dominus) *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Porrò fide oportet mundari oculum qui videat Deum, quemadmodùm habes: *Fide mundans corda eorum*. Interim verò dum necdum paratus est visus, auditus excitetur, auditus excipiat Veritatem. Felix cui Veritas attestatur dicens: *In auditu auris obedivit mihi*. Dignus qui videam, si priùs quàm videam, obedisse inveniar. Securus videbo eum, ad quem me munus obedientiæ præcesserit. Ob hanc denique tam vehementem animæ concupiscentiam videndi (i) scilicet quod audit & credit, alium quoque evidentissimum futuræ præconem resurrectionis ipsorum propriam mentionem fecisse arbitror oculorum: *Rursùm* (ait Job) *circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum: quem visurus sum ego ipse & non alius, & oculi mei conspecturi sunt*. Et adjecit: *Reposita est hæc spes mea in in sinu meo*. Fortè tamen considerandum est attentiùs quod ait, *Oculi mei*, [k] sicut & in Psalmo, *Oculis tuis considerabis*. Numquid enim mei esse oculi nunc videntur? Planè non mei. Nonnunquã sanè visi sunt fuisse mei, quod ipsi quoque ad eam pertinere noscantur, quam malè servaturus accepi paternæ substantiæ portionem. Nempe velociter profligata est, universam citiùs dissipaui. Occupauit membra omnia lex peccati, liberè intrabat mors per fenestras meas, cujus nimirùm factus eram seruus etiam ego ipse. Deinde numquid meus tunc oculus erat, quando deprædabatur animam meam? Sed & tu quonam modo tuos esse dixeris oculos [l] quos sanè toties somnus occupat, fumus turbat, exiguus pulvis fuaciat, noxius humor obnubilat, dolor acerbus excruciat, vel ipsa demùm nouissima mors excæcat? At tunc planè tui erunt, quando omnia ista non erunt, ut verè iam tuis oculis considerare sit, quibus nimirùm pro libitu deinceps vtaris ad omnia tam liberè quàm securè. Neque enim avertendi de cætero erunt oculi ne videant vanitatem, quòd purissimam videant veritatem: multò minùs intrabit per fenestras mors, quòd ipsa quoque inimica novissima destruatur. An verò times eos è tanta plenitudine luminis, ubi singuli justi tanquam singuli Soles ful geant, aliquando caligaturos fore? Timendum id planè esset, si non ipsos quoque oculos sicut cætera humani corporis membra resurrectio glorificaret. Dominus Deus ait: [m] *Et ostendam illi salutare meum*. Nimirùm extunc videre merebitur quod optavit, cùm sibi Rex gloriæ gloriosam exhibebit Ecclesiam, non habentem maculam ob splendorem diei, sed ne rugam ob omnimodam plenitudinem sui. Alioquin ad illius fulgorem luminis sicut non impurus, sic nec turbatus quidem in aliquo animus vel inquietus assurgit. Inde est quòd nunc quoque sanctimoniam & pacem sectari præcipimur, quòd sine his nemo videat Deum. Cùm ergo repleverit in bonis desiderium tuum, ut non aliud sit quod requiras, serenato penitùs ex ipsa plenitudine animo, videre jam poteris serenitatem illam, illam plenitudinem Majestatis, similis Deo factus, quòd videas eum sicuti est: aut fortè jam plenus omni gloria in semetipso, etiam foris salvationem quam operatus est Deus, & plenam Majestate ejus omnem terram undiq; circumspiciet deliciosissimi sæculi habitator. Ad hoc quoque referri posse videbitur quod adjecit: *Et ostendam illi salutare meum*. Ac si diceret: (n) Non jam in fide erudiam, non jam exercebo in spe, sed specie adimplebo. *Ostendam illi salutare meum*, ostendam illi Iesum meum, ut in æternum jam videat in quem credidit, quem dilexit, quem semper optavit. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*. Ostende nobis salutare tuum, & sufficit nobis. Qui enim videt illum, videt & te: quia ipse in te, & tu in ipso es. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscamus te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*.

§. III.

Tripliciter in æterna illa (o) & perfecta Beatitudine fruemur Deo. *Primò* quidem videntes eum in omnibus *creaturis*: *secundò habentes* eum in *nobisipsis*: *tertiò*, quòd his omnibus ineffabiliter jucundius sit atque beatius, ipsam quoque *cognoscentes in semetipsa Trinitatem*, & gloriam illam sine ullo ænigmate mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vita æterna & perfecta, ut cognoscamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, & videamus Deum sicuti est: id est, nonmodò sicut inest nobis videlicet aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso. Unde duo illa velut circumjacentia esse videntur quæ prædiximus, & quasi cortex tritici. Hæc verò cognitio est summa Beatitudinis, tritici medulla, adeps frumenti, quo nimirùm Civitas sancta Jerusalem satiatur. Verùm quàm magna est Beatitudo illa, tam abscondita ab oculis nostris! Nec enim oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quanta claritas, quanta suavitas, quanta jucunditas maneat nos in illa cognitione. Pax Dei est illa, quæ exuperat omnem intellectũ, quantò magis omnem sermonem nostrum? Quod ergo nulli datum est experiri, nullus conetur effari. *Mensuram* (ait Dominus) *plenam & confertam & coagitatam & supereffluentẽ dabunt in sinus vestros*. *Plenam* vniuersitate creaturarum, *confertam* in interiore homine nostro, *coagitatam* in exteriore homine nostro, *supereffluentẽ* in Deo ipso. Ibi cumulus felicitatis, ibi supereminens gloria, ibi supereffluens Beatitudo. Nam quomodo videndus sit in *creaturis* (p) & quomodo in nobis habendus sit, possumus vel ex parte coniicere, ex ipsis nimirùm quas accepimus jam pri-

i *Ser. 8. super Psal. 90. nu. 3.* k *Ibidem n. 4.* l *Ibidem n. 6.* m *Ser. 17. super Psal. 90. num. 6.*

n *Ibidem num. 7.* o *Ser. 4. de omn. Sanct. num. 4* p *Ibidem num. 5.*

primitiis ſpiritùs. Cognitio autem illa omninò adhuc nobis incognita eſt, mirabilis facta eſt, confortata eſt, ut non poſſimus ad eam. At verò quemadmodùm in *creaturis* videndus ſit Deus, poſſumus aliquatenùs intelligere, nimirùm cùm & modò videatur in ipſis: unde & Philoſophi [Apoſtolo teſte] *per ea quæ facta ſunt Dei inuiſibilia intellectu conſpexère*. Tanta ſiquidem hæc formarum varietas(q)atque numeroſitas ſpecierum in rebus conditis, quid niſi quidam ſunt radii Deitatis, monſtrantes quidem quia verè *ſit* à quo ſunt, non tamen *quid ſit* prorsùs diffinientes? Itaque de ipſo vides, ſed non ipſum. Cum autem de eo quem non vides, cætera vides, ſcis indubitanter exiſtere quem oportet inquirere, ut inquirentem non fraudet gratia, negligentem ignorantia non excuſet. Verùm quantumcunque proficiat quis intelligendo conſpicere (r) quàm potentiſſimè, quàm prudentiſſimè, quàm benigniſſimè Majeſtas æterna omnia fecerit, cuncta regat, nunc creet omnia, nunc regat & ordinet vniverſa: prorsùs modicum ab eo quod eſt, comprehendit. Veniet autem tempus, quando jam ſequemur Agnum quocunque ierit, & in omnibus conſequemur creaturis, ut in omnibus gaudeamus, quod eſt gaudium Domini Dei noſtri. Gaudeamus ſanè in omnibus, ſed non aliunde quàm de ipſo: ſicut & ipſe non aliis fruitur, ſed ſemetipſo. Iam verò quemadmodùm in nobis ipſis habendus ſit (s) & hoc vel ex parte poſſumus cogitare. Conſtat enim Animarum triplicem eſſe naturam: unde & Sapientes mundi hujus Animam humanam, *Rationalem*, *Iraſcibilem*, *Concupiſcibilem* eſſe tradiderunt. Quam vtique triplicem vim Animæ ipſa quoque natura & quotidiana experientia nos docent. Porrò quemadmodum circa *Rationale* noſtrum & ſcientia & ignorantia conſtat tanquam habitus & priuatio, ſic & circa *Concupiſcibile* deſiderium & contemptus: & circa id quod dicitur *Iraſcibile*, & lætitia pariter & ira verſatur. Implebit ergo Deus *Rationale* noſtrum *luce ſapientiæ*, ita ut penitùs nobis nihil deſit in vlla ſapientia. Implebit *concupiſcibile* noſtrum *fonte iuſtitiæ*, ut omninò deſideremus eam, & ea penitùs repleamur, ſicut ſcriptum eſt: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*. Nulla enim alia res implere poteſt deſiderium Animæ, nulla alia præter juſtitiam beatificare Animam poteſt. Cùm ergo repleuerit Deus *concupiſcibile* noſtrum iuſtitiâ, quidquid reſpuere debet Anima reſpuet, quidquid debet concupiſcere concupiſcet: & ex omnibus id magis appetet, quod magis fuerit appetendum. Meritò denique Concupiſcibili noſtro juſtitiam attribuimus, ex quo nimirùm aut juſti aut injuſti reputamur. Iam verò quod dicitur in nobis *Iraſcibile*, cùm repleverit illud Deus, perfecta erit in nobis tranquillitas, & in ſummam jucunditatem atque lætitiam replebitur *pace divina*. Hæc eſt planè requies Domini non interciſa [t] non circa aliquid certum reſtricta: quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem quærit & inuenit. Nam & bona ei placent in ſeipſis, & delectatur nihilominùs bona ordinatione malorum. Diligit miſericordiam & judicium: necmodò in bonorum gloria ſibi complacet, ſed in ipſis quoque vtpote juſtis ſuppliciis impiorum. Quid ergo? Putasne poterit humana anima in hoc gaudium Domini ſui, & in hanc eius requiem intrare, ut & ipſa quoque in omnibus delectetur: nec aliqua jam priuata affectione contrahatur in rugam, ſed tranſeat in affectum quendam generalem atque divinum? Poterit ſine dubio, ſi fidelis inveniatur ſuper pauca quæ accepit militiæ ſuæ tempore, id eſt, ſuper artus, ſuper ſenſus, ſuper appetitus ſuos quos ſuſcepit regendos, ut in his probetur quàm fidelis ſit Dño ſuo. Porrò uide (u) ſi non etiam in his tribus perfecta (quantum ſanè ad Animam ſpectat) Beatitudo conſiſtat, quando *ſcientia* jam non inflat propter *juſtitiam*, iam non contriſtat propter *lætitiam*, ut ceſſet proverbium illud: *Qui apponit ſcientiam, apponit & dolorem*: quoniam *juſtitia* nec indiſcreta erit propter ſcientiam, nec oneroſa propter lætitiam: quando *lætitia* nec inepta erit propter ſcientiam, nec impura propter juſtitiam. Tunc demùm cognoſcet anima ſicut cognita eſt (x) tunc amabit ſicut amata eſt: & gaudebit Sponſus ſuper ſponſam, cognoſcens & cognitus, diligens & dilectus, Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen.

CAPUT II.

De eſſentia & attributis Divinis, quæ clarè & intuitivè videbuntur à nobis in beatitudine futura vita æterna.

Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam videbimus eum ſicuti eſt. *Joan. 1. Epiſt. 3.*

1. *Oſtenditur, præmium noſtræ beatitudinis fore viſionem eſſentiæ & attributorum Divinorum. Docemur, eſſentiam & principium propriè convenire ſoli Deo. Quæritur quid ſit Deus? Ex quo, per quem, & in quo ſunt omnia.* 2. *Confutatur hæretica opinio aſſerens in Divinitate quaternitatem. Oſtenditur, Deum eſſe Unum & Trinum: necnon perſonarum pluralitatem in Deo conſurgere ex proprietatibus, eſſentiam tamen eſſe unam & ſimplicem. Docemur, ſicut in Deo unam ſubſtantiam eſſe in tribus perſonis, ſic in Chriſto tres ſubſtantias, Verbum ſcilicet & animam & carnem, in vnam coaleſcere perſonam.* 3. *Oſtenditur, Deum eſſe finem, ſalutem, & voluntatem omnipoentem: necnon longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum. Longitudo eſt Dei æternitas, latitudo charitas, ſublimitas potentia, profundum ſapientia.*

§. I.

Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem. Paul. 1. Corint. 3.

Præ-

q *Ser. 31. in num. 3.* r *Ser. 4. de omn. Sanct. n. 5.* s *Ibidem n. 6.* t *Ser. 3. de omn. Sanct. Num. 3.* u *Ser. 4. de omn. Sanct. num. 6.* x *Ser. 82. in Cant. num. 8.*

PRæmium est videre Deum (a) vivere cum Deo vivere de Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus: habere Deum, qui est summum bonum. Et ubi est summum bonum, ibi est summa felicitas, summa jucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, & secura æternitas: ibi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, & omnis beatitudo. Est ibi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas. Sunt ibi gaudia, lætitiæ, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor, & concordia dulcis. Sic cum Deo homo beatus erit, in cujus conscientia peccatum inventum non fuerit. Videbit Deum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur ad jucunditatem. In æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Sicut habebit permanendi æternitatem, sic cognoscendi facilitatem, & requiescendi felicitatem. Civis siquidem tunc erit homo illius sanctæ Civitatis Jerusalem, cujus Angeli cives sunt, Deus Pater templum, Filius ejus splendor, Spiritus Sanctus charitas. Porrò (b) sicut nunc viventia omnia Solis claritate perfunduntur, & ab invicem perfundi videntur: & sicut nos invicem hîc vivere videmus, sic in illa vita videbitur Deus à singulis in omnibus, & ab omnibus: in singulis, non quod corporalibus oculis videatur Divinitas, sed præsentiã Divinitatis glorificatio corporũ demonstrabit manifesta quadam sui gratia. Non tamen videbit tunc Majestatem (c) qui contempserit interim sanctitatem: non orietur ei Sol gloriæ, cui Sol justitiæ ortus non fuerit: nec illucescet ei dies crastina, cui non luxerit hodierna. Nimirùm idem ipse, qui hodie quidẽ nobis factus est à Deo Patre justitia, apparebit cras vita nostra, ut & nos cum eo appareamus in gloria. Hodie enim parvulus nascitur nobis, ut non apponat homo magnificare seipsum, sed convertatur magis, & efficiatur sicut parvulus: cras exhibebitur magnus Dominus & laudabilis nimis, ut ipsi quoque magnificemur in laude, cùm videlicet erit unicuique laus à Deo. Nimirùm quos hodie justificaverit, cras magnificabit, & consummationi sanctitatis succedet visio Majestatis. Nec inanis erit visio, quæ non nisi in similitudine constat: *similes enim ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Hodie tanquam in speculo nos in eo videmus, dum nostra suscipit: cras videbimus eum in nobis, quando jam sua donabit, cùm ostendet nobis seipsum, & assumet nos ad seipsum. Quis est iste? (d) Non sanè occurrit melius, quàm *QUI EST*. Hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum, ipso tamen injungente: *QUI EST misit me ad vos*. Meritò quidem. Nil competentius æternitati, quæ Deus est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, *EST*. Nempe hoc est ei *Esse*, quod hæc omnia esse. Si & centum talia addas, non recessisti ab *Esse*. Si ea dixeris, nihil addidisti: si non dixeris, nihil minuisti. Si vidisti hoc tam singulare, tam summum *Esse*, nonne in comparatione hujus quidquid hoc non est, judicas potiùs non esse quàm esse. Quid item est Deus? *Sine quo nihil est*. Tam nihil esse sine ipso, quàm nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodammodò ipse solus est, qui suum ipsius est, & omnium esse. Quid est Deus? *Principium*. Et hoc ipse de se responsum dedit in Evangelio Joannis. Multa in rebus dicuntur principia, sed respectu posteriorum. Alioquin si ad aliquid præcedens respicias, ipsum potiùs principium dabis. Quamobrem si quæras verum simplexquè principium, invenias oportet quòd principium non habuerit. Ex quo universum cæpit, ipsum profectò minimè cæpit. Nam si cæpit, aliunde cæperit necesse est. A se enim cæpit nihil. Nisi fortè quis putaverit, quod non erat, dare sibi potuisse, ut esse inciperet: aut fuisse aliquid, antequam esset. Quod utrumque quia ratio non consentit, constat nihil sibimet extitisse principium. Quod verò aliud principium habuit, primum non fuit. Verum ergo principium nequaquam cæpit, sed totum ab ipso cæpit. Quid est Deus? [e] *Cui sæcula nec accesserunt, nec decesserunt, nec coæterna tamen*. Quid est Deus? *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, ait Paulus Apostolus. *Ex quo omnia*: creabiliter, non seminabiliter. *Per quem omnia*: ne alium auctorem atque alium opificem arbitreris. *In quo omnia*: non quasi in loco, sed quasi in virtute. *Ex quo omnia*: tanquam uno principio, Auctore omnium. *Per quem omnia*: ne alterum inducatur principium, artifex. *In quo omnia*: ne tertium inducatur, locus. *Ex quo omnia*, non de quo, quia non est materia Deus. Efficiens causa est, non materialis. Frustra Philosophi materiam quærunt: non eguit materiâ Deus. Non enim officinam quæsivit, non artificem. Ipse per se, in se omnia fecit. Unde? De nihilo. Nam si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia. Absit ut de sua incorrupta incorruptibiliquè substantia tam multa fecerit, & si bona, corruptibilia tamen. Quæris si in ipso omnia, ipse ubi? Nihil non minus invenio. Quis capiat locus? Quæris ubi non sit? Neque hoc quidem dixerim. Quis sine Deo locus? Incomprehensibilis est Deus: sed non parum apprehendisti, si hoc tibi de eo compertum est, quod nusquam sit, qui non clauditur loco: & nusquam non sit, qui non excluditur loco. Suo autem sublimi atque incomprehensibili modo, sicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est. Denique (sicut ait Evangelista) *in mundo erat*. Aliàs verò, ubi erat antequam mundus fieret, ibi est. Non est quod quæras ultra ubi erat: præter ipsum nihil erat. Ergo in seipso erat.

§. II.

Quid est Deus? (f) *Quo nihil melius cogitari potest*. Si approbas: non oportet assentiaris esse aliquid, quod Deus sit, & quod Deus non sit. Hoc enim sine dubio melius. Quomodò non melius Deo, si Deus non est, quod dat Deo ut sit? At melius illam Diviuitatem qua dicunt Deum esse, non aliud quàm Deum esse fatemur. Non est ergo in Deo nisi Deus. Quid? inquiunt: Negas Deum habere Divi-

a *Tract. de cognit. hum. condit. cap. 4. num. 12. tom. 5. pag. 387.*
b *Lib. 2. de amore Dei cap. 15. n. 44.* c *Ser. 5. in Vig. Nat. Dom. num. 3.* d *Lib. 5. de Consid. ad Eugen. Pap. cap. 6. n. 13.*

e *Ibidem num. 14.* f *Ibidem cap. 7. num. 15.*

vinitatem? Non: sed quod habet, hoc est. Negas divinitatem Deum esse. Non: sed non alia, quàm quæ ipse est. At si tu aliam invenisti, adjuet me Trinitas Deus, adversùs illam vel quaternitatem totâ me contumaciâ erigo. Quaternitas orbem disterminat, non signat Deitatem. Deus Trinitas est, Deus trium singula personarum. Si quartam divinitatem adiicere placet, interim ego hanc quæ Deus non est, persuasi mihi minimè adorandam. Puto quòd & tu nempè *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Gloriosa verò divinitas, quæ sibi honorem non audeat arrogare divinum. At meliùs quartum hoc omninò respuimus, quàm sine honore recipimus. Multa dicuntur esse in Deo, & quidem sanè catholicèquè, sed multa unum. Alioquin si diversa putemus, non quaternitatem habueris, sed centenitatem. Verbi gratiâ, dicimus magnum, bonum, justum, & innumera talia: sed nisi omnia unum in Deo & cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum. Mihi verò non deest [g] quod cogitem melius ejusmodi Deo tuo. Quæris quid? Mera simplicitas. Vero judicio, natura simplex multiplici antefertur. Scio quod ad hæc respondere solent: Non multa (inquiunt) sed unam tantùm divinitatem, quæ omnia illa sunt, Deo ut sic conferre asserimus. Asseritis ergo & si non multiplicem, duplicem Deum: & non ad merum simplex pervenistis, neque ad id, quo melius cogitari non potest. Tam non est simplex quod vel uni fuerit obnoxium formæ, quàm nec virgo vel uni cognita viro. Securus loquor: ne is quidem qui vel duplex est, erit meus. Habeo enim meliorem. Esto quòd hunc numeroso & multiplici anteponam, sed planè præ simplici sperno. Meus Deus ipse catholicè est. Tam non habet hoc & illud, quàm non hæc & illa. Est qui est, & non quæ est. Purus, simplex, integer, perfectus, constans sibi; nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se; nihil ex se deponens in eis, non habens quod ad numerum dividat, non quæ colligat ad unum. Unum quippè est, sed non unitum. Non partibus constat, ut corpus: non affectibus distat, ut anima: non formis subſtat, ut omne quod factum est: sed neque formæ, ut istis visum est. Magna laus videlicet Deo, ut se ab informitate vindicet, formâ unâ esse contentum. Hoc est dicere, cætera pluribus, Deum non nisi uni debere quod est. Quid? Cujus beneficio sunt quæ sunt, ipse se pro suo esse alterius beneficio inclinabit? Laus ista (ut vulgò dicitur) blasphemiam valet. An non pluris est nullo indigere, quàm uno? Habe reverentiam Deo, ut quod pluris est, illi tribuas. Si cor tuum usque huc ascendere potuit, Deum tuum infra quomodò collocabit? Ipse sibi forma, ipse sibi essentia est. In hoc interim gradu suspicio illum: & si alter potior appareret, illum potiùs darem. Numquid verendum ne cogitatio transvolet illum? Quantumcunque in altum proficiat, ultra est. Infra (quod) homo cogitare possit altissimum quærere, ridiculum est: statuere, impium est. Ultra, non citra quærendus est. Ascende si potes adhuc ad cor altiùs (h) & exaltabitur Deus. Non est formatus Deus, forma est. Non est affectus Deus, affectio est. Non est compositus Deus, merum simplex est. Et ut liquidò noveris, quid simplex dicam, idem quod unum. Tam simplex Deus quàm unus est. Est autem unus, & quomodo aliud nihil. Si dici possit, unissimus est. Unus est Sol, quòd non sit alter: una est Luna, quòd æquè altera non sit. Atque id quidem Deus, sed plus. Quid plus? Unus est etiam sibi. Et hoc vis tibi declarari? Idem est semper, & uno modo. Non sic unus Sol, non sic una Luna. Clamat uterque non esse se unum sibi: ille motibus, illa & defectibus suis. Deus autem nonmodò unus sibi, sed & in se unus est. Nihil in se nisi se habet. Non ex tempore alterationem habet, non in substantia alteritatem. Hinc de eo Boëtius: Hoc verè est unum, in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud præter id quod est. Neque enim subjectum fieri potest: forma enim est. Compara uni huic omne quod unum dici potest, & unum non erit. Trinitas est tamen Deus. Quid ergo? Destruimus quod dictum est de unitate, quia inducimus Trinitatem? Non: sed statuimus unitatem. Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum Sanctum: non tamen tres Deos, sed unum. Quid sibi vult iste (ut sic loquar) absque numero numerus? Si tria, quomodò non numerus? Si unum, ubi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerem, & quid non numerem. Substantia una est, personæ tres sunt. Quid mirum, quid vel obscurum in hoc? Nihil, si personæ seorsùm à substantia cogitentur. Nunc verò cùm tres illæ personæ illa substantia sint, & illa una substantia tres illæ personæ, quis numerum neget? Nam verè tres sunt. Quis numeret tamen? Nam verè unum sunt. Aut si tu facile explicatu id putas dicendo tres, dicito quid numerasti? Naturas? Una est. Essentias? Una est. Deitates? Una est. Non hæc, sed personas numero, inquis. Quæ non sint illa una natura, illa una essentia, illa una substantia, illa una divinitas? Catholicus es, minimè hoc dabis. Personarum proprietates (i) non aliud quàm personas, ipsasquè non aliud quàm unum Deum, unam divinam substantiam, unam divinam naturam, unam divinam & summam Majestatem fides catholica confitetur. Numera ergo, si potes, aut sine substantia personas, quæ ipsa sunt: aut sine personis proprietates, quæ ipsæ sunt. Aut si dividere quis conetur vel personas à substantia, vel proprietates à personis, nescio quomodò Trinitatis se profiteri cultorem possit, qui in tantam rerum numerositatem excesserit. Dicamus itaque tres, sed non ad præjudicium unitatis. Dicamus unum, sed non ad confusionem Trinitatis. Neque enim nomina vacua sunt, nec absque significantia cassæ voces. Quærit quis: Quomodò illud quod Catholicum esse dicimus, possit esse? Sufficiat ei tenere sic esse. Atque hoc non rationi perspicuum, nec tamen opinioni ambiguum, sed fidei persuasum. Sacramentum hoc magnum est, & quidem venerandum, non scrutandum. Quomodò pluralitas in unitate sit, & hac unitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc, temeritas est: credere, pietas est: nosse, vita est, & vita æterna. Nec abducimur ab hac unitatis professione, assertione

g *Ibidem num.* 16. h *Ibidem num.* 17.

i *Ibidem cap.* 8. *num.* 15. & 19.

Trium, cùm in hac Trinitate non recipiamus multiplicitatem, sicut nec solitudinem in unitate. Quamobrem cùm dico *Vnum*, non me Trinitatis turbat numerus, qui essentiam non multiplicat, non variat, nec partitur. Rursùm cùm dico *Tria*, non me arguit intuitus Unitatis, quæ illa quæcunque tria seu illos tres, nec in confusionem cogit naturæ, nec in singularitatem redigit. Idem me sentire fateor (k) et de illa unitate, cui secundum ab ista inter cætera una honorem dedi. Dico in Christo Verbum & Animam & Carnem, sine confusione essentiarum unam esse personam, & item absque præjudicio personalis unitatis in sua numerositate manere.

§. III.

Fortè substomacharis (l) si adhuc pergimus quærere quid est Deus? tum quia toties jam quæsitum est, tum quia diffidis inventum iri. Dico tibi: Solus est Deus, qui frustra nunquam quæri potest, nec cùm inveniri non potest. Doceat te de hoc experimentum tuum: aut si non, experto credito, non mihi, sed sancto Prophetæ Jeremiæ qui ait: *Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te*. Quid ergo est Deus? Quod ad universum spectat, *Finis*: quod ad electionem, *Salus*: quod ad se, ipse novit. Quid est Deus? *Voluntas omnipotens*, benevolentissima virtus, lumen æternum, incommutabilis ratio, summa beatitudo: creans mentes ad participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, illuminans ad cognitionem, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem. Quid est Deus? (m) Deus est *longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum*. Quid inquis? Tenemus te quaternitatis (quam abominatus es) professorem? Minimè. Abominatus sum, & abominor. Visus sum protulisse plura, sed unum est. Unus Deus signatus est pro captu nostro, non pro suo statu. Divisus est hic, non ille. Voces diversæ, semitæ multæ: sed Unum per eas significatur, Unus quæritur. Non divisiones substantiæ in quaternario isto expressæ sunt, non dimensiones, quales in corporibus intuemur: non distinctio personalis, qualem in Trinitate adoramus: non numerus proprietatum, qualem personis ipsis inesse fatemur, etsi non aliud à personis. Alioquin hoc singulum horum in Deo, quod quatuor simul: hæc quatuor ipsa, quod singulum est. Nobis autem quia non possumus cum Deo simplicitate contendere, dum contendimus apprehendere Unum, occurrit veluti quadruplicatum. Facit hoc speculum & ænigma, per quod solum interim videre datur. *Cum autem videbimus facie ad faciem, videbimus eum sicuti est*. Nec enim jam tunc fragilis acies mentis nostræ quantumlibet vehementer intendens, aliquatenùs resiliet, dissilietuè in suam pluralitatem. Colliget se magis, adunabit, conformabitquè Unitati illius, vel potiùs Unitati illi, ut una uni facies respondeat faciei. Nempe *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Beata visio, ad quā meritò suspirat Propheta, qui ait: *Exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*. Et quia adhuc in quærendo res est, interim ascendamus quadrigam istam, utpote infirmi & imbecilles, indigentes tali vehiculo. Ascendamus si fortè vel sic apprehendamus, in quo apprehensi sumus: id est, hujus ipsius vehiculi rationem. Nam hoc monitum habemus ab ipso auriga, & primo currus hujus exhibitore, ut studeamus *comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum*. Comprehendere dixit, non cognoscere: ut non curiositate contenti scientiæ, totâ curâ fructui inhiemus. Non in cognitione est fructus, sed in comprehensione. Alioquin *scienti bonum & non facienti* (ut ait Jacobus Apostolus) *peccatum est ei*. Et ipse Paulus in alio loco: *Sic currite*, inquit, *ut comprehendatis*. Quid sit comprehendere, inferiùs declarabo. Quid igitur est Deus? [n] *Longitudo* inquam. Quid ipsa? *Æternitas*. Hæc tam longa est, ut non habeat terminum, non magis loci quàm temporis. Est & *Latitudo*, Et ipsa quid? *Charitas*. Quibus & ista terminis angustetur in Deo, qui nihil odit horum quæ fecerit. Denique *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*. Ergo & inimicos concludit sinus ille. Nec hoc quoque contentus, sed evadit in infinitum. Omnem nonmodò affectionem, sed & cognitionem excedit, adiiciente Apostolo & dicente: *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi*. Quid plus dicam? Æterna est. Nisi quod hoc plus forsitan est, quia æternitas est. Vides tantam esse *Latitudinem*, quantam & *Longitudinem*? Utinam sic videas non tantam esse, sed ipsam id esse unam quod alteram, non minus unam quàm duas; nec plus duas quā unam. Deus æternitas est, Deus charitas est: *Longitudo* sine protensione, *Latitudo* sine distensione. In utroque pariter locales quidem excedit temporalesquè angustias, sed libertate naturæ, non enormitate substantiæ. Tali modo immensus est qui omnia fecit in mensura: & quamvis immensus, hic tamen modus est ipsius immensitatis. Quid item Deus? [o] *Sublimitas & profundum*. In altero supra omnia, in altero infra omnia. Liquet in Deitate nusquam claudicare æqualitatem, stare eam undique firmiter, constare immobiliter sibi. *Sublime* potentiam, *profundum* sapientiam ejus considera. Ex æquo & ista respondent sibi, dum & sublimitas inattingibilis, & profunditas æquè inscrutabilis cognoscatur, Paulo Apostolo admirante & exclamante: *O altitudo divitiarū sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ illius*! Libet & nos exclamare cum Paulo horum utrumque intuentes in Deo, & cum Deo simplicissimam unitatem: O Sapientia potens, attingens vbique fortiter! O potentia sapiens, disponens omnia suauiter! Res una, effectus multiplex, operationesquè diversæ. Et illa una res est *longitudo* propter æternitatē, *latitudo* propter charitatem, *sublimitas* propter majestatem, profunditas propter sapientiam. Novimus hæc. [p] Num ideo & arbitramur nos comprehendisse? Non ea

k *Ibidem cap.* 9. *n.* 20. l *Ibidem cap.* 11. *n.* 24. m *Ibidem cap.* 13. *num.* 27.

n *Ibidem num.* 28. o *Ibidem num.* 29. p *Ibidem cap.* 14. *n.* 30.

ea diſputatio comprehendit, ſed ſanctitas: ſi quomodo tamen comprehendi poteſt quod incomprehenſibile eſt. At niſi poſſet, non dixiſſet Apoſtolus: *Ut comprehendamus cum omnibus Sanctis*. Sancti igitur comprehendunt. Quæris quomodò? Si ſanctus es, comprehendiſti & noſti. Si non: eſto, & tuo experimento ſcies. Sanctum facit affectio ſancta, & ipſa gemina, Timor Domini ſanctus, & ſanctus Amor. His perfectè affecta anima, veluti quibuſdam duobus brachiis comprehendit, amplectitur, ſtringit, tenet, & ait: *Tenui eum, nec dimittam*. Et *Timor* quidem ſublimi & profundo, *Amor* lato & longo reſpondet. Quid tam timendum eſt quàm Poteſtas, cui non potes reſiſtere? Quid tam timendum eſt quàm Sapientia, cui abſcondi non potes? Poterat minùs timeri Deus, alterutro carens. Nunc autem perfectè oportet timeas illum, cui nec oculus deeſt omnia videns, nec manus potens omnia. Quid item tam amabile eſt quàm Amor ipſe, quo amas, & quo amaris? Amabiliorem tamen juncta æternitas facit, quæ dum non excidit, foras mittit ſuſpicionem. Ama igitur perſeueranter & longanimiter, & habes longitudinem. Dilata amorem tuum vſque ad inimicos, & latitudinem tenes. Eſto etiam in omni ſolicitudine timoratus, & ſublime profundumquè apprehendiſti. Aut ſi mavis quatuor æquè tuis [q] divinis quatuor reſpondere: facis hoc, ſi ſtupes, ſi paves, ſi ferves, ſi ſuſtines. *Stupenda* planè eſt ſublimitas Majeſtas, *pavenda* abyſſus judiciorum: *fervorem* exigit charitas, æternitas *perſeverantiam* ſuſtinendi. Quis *ſtupet*, niſi qui contemplatur gloriam Dei? Quis *pavet*, niſi qui ſcrutatur profundum ſapientiæ? Quis *fervet*, niſi qui meditatur charitatem Dei? Quis *ſuſtinet* & perſeverat in amore, niſi qui æmulatur æternitatem charitatis? Nempè æternitatis quandam imaginem perſeverantia præſefert. Denique ſola eſt perſeverantia cui æternitas redditur, vel potiùs quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſaluus erit*. Quod nobis conferre dignetur ipſe [r] qui conſtitutus eſt Judex vivorvm & mortuorum. Amen.

CAPUT III.

De viſione gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, qua fruentes Angeli diligunt eum: & de illa viſione Majeſtatis Domini, quam vidit Iſaias Propheta.

Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, in quem deſiderant Angeli proſpicere. 1. *Petr.* 1.

1. *Oſtenditur, viſionem gloriæ Chriſti eſſe cauſam Angelis diligendi eum. Agitur de natura & proprietatibus Angelici amoris erga Chriſtum Dominū, iuxta ſingulos Spirituum cæleſtium Ordines.* 2. *Oſtenditur, Chriſtum Deum noſtrum eſſe plenam beatitudinem Angelorum & hominum. Deſcribitur felicitas vitæ æternæ, quæ præparata eſt diligentibus Deum. Docemur mundare oculum cordis, quo videndus eſt Deus.* 3. *Exponitur viſio majeſtatis Chriſti Domini quam vidit Eſaias, atteſtans ſe vidiſſe Dominum ſedentē ſuper ſolium excelſum & eleuatum: necnon terram plenam majeſtate Domini, ac templum repletum ejs quæ ſub ipſo erant. Per ſolium excelſum & elevatum deſignatur Angelorum celſitudo ſtabilis, & hominum elevatio miſericors. Per terram ſignificatur corpus noſtrum gloriâ reſurrectionis veſtiendum. Per templū verò intelligitur regnum cælorum, hominibus ſubiectis Deo & humilibus replendum poſt reſurrectionem generalem.*

§. I.

Supereſt (a) ut juxta promiſſum Patris ſemel adhuc clarificetur Filius ſuus, eaquè erit plenitudo gloriæ, cui non queat amplius addi, cui non poterit ſimilis inveniri ne in cæleſtibus quidem Agminibus. Cui enim aliquando Angelorum dictum eſt: *Sede à dextris meis*? Nonmodò autem de numero Angelorum, ſed nec de ſuperioribus quidem reliquis beatorum ordinibus Spirituum omninò quis repertus idoneus eſt ad capeſſendam ſuper excellentem hanc gloriam. Ad neminē prorsùs illorum facta eſt vox illa gloriæ ſingularis, nemini vocis in ſe efficientiā experiri datum eſt. Sive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates, profectò *deſiderant in eum proſpicere*: non ſe illi comparare præſumunt. Attamen (b) *Angelica creatura* irrepercuſſâ mentis acie intuetur divinorum judiciorum abyſſum multam, quorum ſummæ æquitatis ineffabili delectatione beata gloriatur inſuper affectui ea mancipari per ſuum miniſterium, ac palàm fieri: & propterea diligit meritò Dominum Chriſtum. *Nonne omnes* [ait Apoſtolus] *adminiſtratorii ſpiritus ſunt, miſſi in miniſterium propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis*? Porrò *Archangelos* (ut eis aliquid differentius ab his qui ſimpliciter Angeli ſunt, tribuamus) mirabiliter credo delectat, quòd ipſis quoque æternæ Sapientiæ conſiliis familiariùs admittuntur, eademquè per ipſos locis quoque ſuis atque temporibus ſummo moderamine diſpenſantur: & hæc cauſa eſt, quòd diligunt Dominum Chriſtum & ipſi. Illæ quoque beatitudines quæ *Virtutes* ex eo forſan appellatæ ſunt, quòd virtutum ac prodigiorum ocultas perpetuaſquè cauſas felici curioſitate rimari ac mirari divinitùs ordinatæ, ſigna quæ & quando volunt ex omnibus elementis terris potenter exhibeant: & ipſæ ergo exinde non immeritò inardeſcunt diligere Dominum virtutum, & Dei Virtutem Chriſtum. Plenū quippè eſt ſuavitatis & gratiæ, incerta ex occulta ſapientiæ in ipſa Sapientia intueri: plenum nihilominus honoris & gloriæ, eſt cauſarum in Dei Verbo abſconditarum mundo ſpectandas mirandaſquè in manu ipſorum dirigi efficientias. Sed & illi Spiritus qui *Poteſtates* nominantur, dum Crucifixi noſtri Diuinam Omnipotentiam ubique fortiter attingentem intueri ac magnificare delectantur, exturbare & debellare dæmonum hominumquè contrarias poteſtates pro his qui hæreditatem capiunt ſalutis, accipiunt poteſtatem. Et hi nonne juſtiſſimam habent cauſam ut diligant Dominum Jeſum? Sunt & ſuper iſtos *Principatus*, qui ipſum altiùs ſpeculantes & liquidò per- vi-

q *Ibidem num.* 31. r *Ser.* 24. *diuer. num.* 4.

a *Ser.* 76. *in Cant. num.* 5. b *Ser.* 19 *in Cant. num.* 2. & 3.

videntes universitatis esse principium, & primogenitum omnis creaturæ: tanta proinde principatûs dignitate donantur, ut vbique terrarum habeant potestatem quasi de summo quodam rerum cardine regna & principatus & quaslibet pro arbitrio mutare & ordinare dignitates, pro quorumque meritis facere primos novissimos, & novissimos primos; deponere de sede potentes, exaltare humiles. Et hæc istis quoque est ratio diligendi. Sed diligunt & *Dominationes*. [c] Cur? Nescio quid subtilius sublimiusquè indagare de Christi interminabili atque irrefragabili dominatu, laudabili quadam præsumptione feruntur; quòd scilicet ubique universitatis non solùm potens sed & præsens, supra infraquè obsequi rectissimæ volvntati suæ cursus temporum, motus corporum, nutus mentium, ordine vtique pulcherrimo cogat: idquè cura tam vigili, ut ne puncto quidem aut iota vni (ut dicitur) horum omnium debitum subtrahere famulatum vllatenùs liceat: opera tamen tam facili, ut turbationem seu anxietatem vllam omninò Gubernator non sentiat. Intuentes ergo Dominum Sabaoth tanta cum tranquillitate omnia judicantem, intensissimæ suavissimæquè contemplationis stupore nimio sed sensato apti, in illud Divinæ claritatis tam ingens pelagus recipiunt sese in secretiori quodã miræ tranquillitatis recessu: ubi tanta pace ac securitate fruuntur, ut quiescentibus ipsis pro reverentia prærogatiuæ tanquam verè *Dominationibus* ministrare & militare videatur cætera multitudo beatorum Spirituum. *In Thronis* sedet Deus. [d] Et puto quòd his Spiritibus supra omnes qui memorati sunt, & justitior causa & copiosior sit materia diligendi. Etenim si intres hominis Regis cuiuscunque palatium, nonne cùm plenum sit sellis, scamnis, cathedrisquè, regia sedes in eminenti posita cernitur? Et non est necesse quærere ubi Rex sedere solitus sit: nimirùm mox occurrit manifesta sedes ejus, cæteris altior ornatiorquè sedilibus. Sic quoque omnis decoris ornatu cunctis aliis præeminere Spiritibus istos intellige, in quibus speciali quodam stupendæ dignationis munere Diuina elegit residere Majestas. Quòd si sessio significat magisterium: puto illum qui unus est nobis Magister in cælo & in terra, Dei Sapientiam Christum, cùm aliàs quidem ubique attingat propter munditiam suam, specialiùs tamen istos atque principaliùs tanquam propriam sedem suâ illustrare præsentiâ, & inde tanquam de solemni Auditorio docere Angelum, docere hominem scientiam. Inde Angelis divinorum notitia judiciorum, inde consiliorum Archangelis: ibi Virtutes audiunt quando & ubi & qualia proferant signa. Ibi denique universi sive sint Potestates, sive Principatus, sive Dominationes, discunt profectò quid ex officio debeant, quid pro dignitate præsumant, & (quod præcipuè cautum est omnibus) accepta potestate ad propriam voluntatem seu gloriam non abuti. Illa tamen cæli agmina quæ *Cherubim* nuncuparetur (e) si eis sui vocabuli servetur interpretatio arbitror nil habere quod ab ipsis aut per ipsos accipiant, cùm de ipso fonte ad plenum haurire liceat; ipso ea agmina per se Domino Jesu dignanter introducente in omnẽ plenitudinem veritatis, & thesauros sapientiæ scientiæq; (qui in eo omnes absconditi sunt) largissimè revelãte. Sed nec ea agmina quæ appellata sunt *Seraphim* arbitror nil habere quod ab ipsis aut per ipsos accipiant, quippe quæ adeò ipsa Charitas Deus in se traxit & absorbuit, atque in eundem rapuit sanctæ affectionis ardorem, ut unus cum Deo esse spiritus videantur: instar profectò ignis, qui aërem quem inflammat dum suum ei calorem totum imprimit induitquè colorem, non ignitum, sed ignem fecisse cernitur. Amant itaque præcipuè contemplari in Deo illi quidem Spiritus (qui vocantur Cherubim) *scientiam* cujus non est numerus. Seraphim verò amant contemplari in Deo *charitatem* quæ nunquam æquitatẽ excidit. Unde & nomina ista sortiti sunt ex eo quippe in quo præeminere videntur. Nam Cherubim quidem plenitudo scientiæ: Seraphim verò incendentia vel incensa dicuntur. Diligitur ergo *ab Angelis* Deus (f) ob judiciorum suorum summam: æquitatem ab *Archangelis* ob consiliorum summam moderationem. Porrò diligitur Deus à *Virtutibus* ob benignissimam exhibitionem miraculorum, per quæ incredulos dignantissimè trahit ad Fidem. A *Potestatibus* verò diligitur ob illã justissimæ potentiæ vim, qua solet à piis malignantiũ propulsare & arcere crudelitatem. Verùm à *Principatibus* diligitur Deus ob æternam & originalem illam virtutem, qua dat esse & essendi principium omni creaturæ superiori & inferiori, spirituali et corporali, attingens à fine usque ad finem fortiter. A *Dominationibus* quoque diligitur Deus ob placidissimam voluntatem, qua licet ubiq; dominetur in fortitudine brachii sui, virtute tamen potentiori pro sua ingenita lenitate & imperturbabili tranquillitate disponit omnia suaviter. Diligitur & à *Thronis* Deus, ob benevolentiam magistræ Sapientiæ sine invidia sese communicantis, & unctionem quæ gratis docet de omnibus. Cæterùm à *Cherubim* propterea diligitur, quia Deus scientiarum Dominus est, & sciens quid cuique opus sit ad salutem, discretè providèquè dona sua dignè poscentibus prout novit expedire distribuit. A *Seraphim* quoque diligitur, quia Deus Charitas est, & nihil odit eorum quæ fecit, & vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hi ergo omnes Spirituum Ordines prout capiunt diligunt.

§. II.

Præterea sublimis quædam visio (g) prophetico nobis sermone describitur: *Vidi* (inquit Esaias) *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum*. Magnum spectaculum, Fratres: & beati oculi qui viderunt. Quis non toto desiderio concupiscat tantæ Majestatis gloriam contemplari? Hoc quippe Sanctorum omnium unicum semper desiderium fuit. Ipse est enim *in quem desiderant Angeli prospicere*. Omnes lætantur in lætitia & exultatione: [h] omnes delectantur de Deo, cujus aspectus pulcher est, cujus facies decora, eloquium dulce. Delectabilis est ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad perfruendum. Ipse per se placet, & per se sufficit ad meritum, sufficit ad præmium: nec extra illum

c *Ibidem num. 4.* d *Ibidem num. 5.* e *Ibidem num. 6.*

f *Ibidem n°. 7.* g *Ser. 1. de verb. Esaiæ.* h *Tract. de cognit. hum. condit. cap. 4. num. 12.*

illum quidquam quæritur, quia totum in illo invenitur quidquid desideratur. Semper libet eum aspicere, semper habere, semper in illo delectari, & illo perfrui. In illo clarificatur intellectus ad cognoscendam veritatem, & purificatur affectus ad diligendam veritatem. Et hoc est totum bonum hominis, nosse scilicet & amare Creatorem suum. Quæ ergo nos angit vesania vitiorum sitire absinthium [i] hujus mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium, impiæ tyrannidis ferre dominium: & non magis convolare ad Sanctorum felicitatem, ad Angelorum societatem, ad solennitatem supernæ lætitiæ, ad jucunditatem contemplativæ vitæ, ut possimus intrare in potentias Domini, & videre superabundantes divitias illius bonitatis ejus? Ibi vacabimus, & videbimus quàm dulcis est Dominus, & quàm magna multitudo dulcedinis ejus. Videbimus gloriæ decorem, Sanctorum splendorem, & Regiæ potestatis honorem. Cognoscemus Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus Sancti benignissimam clementiam: & ita habebimus notitiam illius summæ Trinitatis. Nunc corpora per corpus videmus, imagines etiam corporum spiritu cernimus: tunc verò ipsam Trinitatem puro mentis intuitu videbimus. O beata visio videre Deum in seipso, videre in nobis, & nos in eo felici jucunditate, & jucunda felicitate! Quidquid desiderabimus, totum habebimus, nihil amplius desiderantes. Et quidquid videbimus, amabimus, ipso amore beati: beati dulcedine amoris, & suavitate contemplationis. Hæc erit summa illius contemplationis, hæc erit summa illius felicitatis: quoniam intelligetur in suo puro esse sincera Divinitas, comprehendetur in ea incomprehensibilis Trinitas. Patebunt arcana Divinitatis, videbitur & amabitur Deus: & hæc visio & delectatio totum cor hominis implens & satians, tota erit illius beatitudinis consummatio. Una erit omnium lingua, jubilatio indefessa, unus affectus, amor æternus. Patebit veritas, implebitur charitas: & erit integra corporis & animæ societas. Fulgebit sicut sol humanitas glorificata: quieta erit & concors carnis & spiritus societas. Angelorum & hominum commune erit gaudium, unum eloquium, unum convivium. Non languebit amor, nec liquefiet dilectio. Præsentibus omnibus bonis, nulla erit dilationis afflictio, quoniam beatifica Divinæ majestatis præsentia omnibus erit omnia: & erit communis omnium omnipotentia, sapientia, pax, justitia, & intelligentia. Non erit in illa pace diversitas linguarum, sed pacifica & concors concordia morum & affectuum. In torrente illius voluptatis nihil ultra appetet cumulata satietas, tanta erit felicitas. Ibi siquidem erit cumulus felicitatis, supereminens gloria, & superabundans lætitia. *Beati mundo corde* [k] *quoniam ipsi Deum videbunt*. Magna promissio, Fratres mei, & totis desideriis affectanda. Hæc enim visio confirmatio est, sicut Joannes Apostolus ait: ***Nunc filii Dei sumus**, sed nondum apparuit quid erimus*. ***Scimus** quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Hæc visio vita æterna est, sicut ipsa in Evangelio Veritas ait: ***Hac est vita æterna**, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Odibilis macula quæ beatam nobis adimit visionem, & execrabilis negligentia qua dissimulamus interim illius oculi mundationem. Ut enim corporeus nobis visus aut humore interiori, aut exterioris injectione pulveris impeditur: sic & intuitus spiritualis interdum quidem propriæ carnis illecebrâ, interdum curiositate seculari & ambitione turbatur. Quod quidem non minùs nos experientia propria quàm divina pagina docet, ubi legitur scriptum: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem*. In utroque tamen solum quod hebetat & confundit obtutum, peccatum est: nec aliud inter oculum & lucem, inter Deum & hominem separare videtur. Quamdiu enim in hoc corpore sumus, peregrinamur à Domino: non utique corporis est culpa, hujus scilicet quòd gerimus corpus mortis: magis autem quòd corpus peccati sit caro, in qua bonum non est, sed potiùs lex peccati. Interdum tamen corporeus oculus non adhuc festuca manente, sed jam sublatâ aliquandiu caligare videtur, quod quidem & ipsum in interiori oculo ille qui in spiritu ambulat, sæpiùs experitur. Neque enim ubi ferrum extraxeris, continuò vulnus redditum est sanitati, sed tunc primùm necesse est adhibere fomenta, & operam dare curationi. Nemo ergo sentinam ejiciens, mundatum sese protinùs arbitretur, quinimò noverit se multis purificationibus egere. Nec modò lavandum est aquâ, sed & purgandum & examinandum igni, ut dicat: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxit nos in refrigerium*. *Beati* ergo *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: nunc quidem per speculum & in ænigmate, in futuro autem facie ad faciem, ubi nimirùm faciei nostræ fuerit consummata munditiès, ut sibi eam exhibeat gloriosam non habentem maculam neque rugam. Proinde & vos (l) *sanctificamini hodie, & estote parati: die enim crastina videbitis majestatem Dei in vobis*. Hoc est quod ait Patriarcha Jacob: *Cras mihi respondebit justitia mea*. Hodie enim justitia colitur, cras respondebit: hodie exercetur, cras fructificabit. Alioquin quod non seminaverit homo, nec metet. Nec enim tunc videbit Majestatem, qui contempserit sanctitatem. Nec orietur ei Sol gloriæ, cui Sol justitiæ ortus non fuerit. Nec illucescet ei dies crastina, cui non luxerit dies hodierna. Nimirùm idem ipse est, qui hodie quidem nobis factus est à Deo Patre justitia, apparebit cras vita nostra, ut & nos cum eo appareamus in gloria. Et quos hodie justificaverit, cras magnificabit, & consummationi sanctitatis succedet visio majestatis. Nec inanis visio, quæ nonnisi in visione constat: *similes* enim *ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Sed mundus quemadmodùm nec nunc videt [m] ita nec tunc videbit Deum in sua majestate fulgentem. Quis est iste mundus maledictus, à quo videri non poterit Deus? Maledictus inquam, maledictus, & ultraquam dici potest, maledictus erit, qui Dominum Christum æternaliter non videbit. Mundus eum non videbit, mundus, id est, mundi amator. Amatores enim mundi, mundi nomine vocantur. Nemo se seducat quicunque diligit mundum

i *Ibidem. num. 13.* k *Tract. de convers. ad Cleric. cap. 17. num. 32.*

l *Ser. 5. in Vig. Nat. Dom. num. 1. & 3.* m *Ser. 9. in ult. Cant. num. 56.*

dum (mihi credat) non diligit Deum: & si non diligit, unde videbit? Qui non diligit Deum, cæcus est: videre Deum non potest, qui non habet cor purum, cor mite, cor mansuetum, cor charitatis dulcedine plenum. Oculorum lumen amisit, nec ipsum veri luminis Auctorem videbit. Si ergo Deum videre desideras, cor tuum ab omni lepra peccati mundificare non negligas. Memento ore Veritatis fuisse prolatum: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quid dulcius [n] quid gloriosus, quid beatius quàm illum videre facie ad faciem? Cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur: quem sancti Angeli vident & videre desiderant semper, & nunquam de ejus visione satiantur, qui est decor cæli, dulcedo paradisi, fides viventium, spes morientium, & salus omnium Jesus Christus Dominus Deus noster.

§. III.

Sed quid putamus, Fratres. (o) quale est illud Solium, de quo Esaias inquit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum?* Neque enim Altissimus in manifestis & manufactis inhabitat. Nulla omninò materia corporalis apta tanto solio, tanto habitatori videtur. Vivis est construenda lapidibus fabrica spiritualis, quam vera & æterna Vita sua inhabitare dignetur. Quod si minùs tanto ædificio sufficit Angelica creatura, prævaricatorum utique minorata præcipitio: suscitet certè de terra inopem, & Solium gloriæ compleat. Et fortassis propterea Esaias ipse qui vidit, nonmodò excelsum Solium, sed & elevatum quoque describit, ut proinde & Angelorum stabilis celsitudo, & hominum misericors elevatio designetur. Itaque (p) Solia duo Deus habet: Angelicam substantiam, quæ est excelsum solium; & humanam naturam, quæ est solium elevatum. Denique (q) contemplator noster de eo quem super solium viderat, ait: *Plena erat majestate ejus omnis terra.* Adveniat regnum tuum, ut majestate tua sicut cælum repletur, repleatur & terra. Vt quid enim princeps hujus mundi (*diabolus*) tanto ubique furore debacchatur, nisi quia terra data est in manus impii? Sed & hæc est hora ejus, & potestas tenebrarum. Erit cerè quando qui in cælo locum non habuerit, & ab ipsa quoque terræ superficie exturbabitur, miser cavernis utique subterraneis recludendus. Hinc quoque Propheta David Sanctorum prosperitate præmissa, de maligno & Angelis seu membris ejus adiecit & ait: *Non sic impii non sic, sed tanquam pulvis quem proiicit ventus à facie terræ.* Nulla jam tunc tentandi facultas erit, inquietandi nulla libertas, possibilitas nulla nocendi. Replebitur *majestate ejus omnis terra*, quando jam voluntatis ejus transgressio nulla erit. Magis autem quando creatura ipsa liberabitur à servitute corruptionis hujus, propter quam ingemiscit & parturit usque adhuc. Erit enim cælum nouum, & terra nova: ut quaquà vetteris oculos, in ipsa tibi rerum facie Divina videatur quodammodò resplendere majestas. Sed & est tibi altera quædam terra propinquior (r) & super hac amplior justiorquè sollicitudo. Nemo quippè carnem suam odio habuit. Consolare ergo eam, ut & ipsa requiescat in spe: audiens nimirùm quia replebitur majestate Domini omnis terra. Quomodò enim nunc carnem nostram, dilectissimi, majestas Divina repleat, cùm & magnus ille Paulus primitias tantùm spiritûs habens ingemiscat miserabiliter satis & dicat: *Scio quia non est in me, hoc est in carne mea bonum?* Et certè jam non dominabatur peccatnm in ejus mortali corpore. Nota tamen adhuc & corpus mortale perhiberi, & peccati quoque solum dominium negari. Erat enim etiam tunc lex peccati in membris ejus, quam quidem majestatis plenitudo cùm venerit excludet. Non solùm autem, sed & novissima inimica destruetur mors. Replebitur ergo majestate Domini terra nostra, quando prorsùs de medio fiet & peccati omnis sensus, & debitum mortis. Replebitur inquam omnis terra nostra Domini majestate, quando resurrectionis gloriâ vestietur, induet immortalitatis stolam, configurabitur denique claritati corporis Christi. *Saluatorem* siquidem *expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Quid adhuc murmuras caro misera? quid adhuc recalcitras, & adversùs spiritum concupiscis? Si te humiliat, si castigat, si redigit in servitutem, id profectò in tuo genere non minùs tua interest quàm ipsius. Quid eis invides, qui de operibus vermium & murium pellibus ingloriam planè gloriam mendicare non erubescunt, cultu indigno viris, interdicto & mulieribus, semetipsos dehonestantes potiùs quàm ornantes? Reforment ipsi, aut magis certè deforment corpora sua: te (si fueris corpus humilitatis) reformabit idem artifex qui formavit. Illam (si non desipis) præstolare manum, ut quod fecit, ipsa reficiat. Jam verò (s) quid in ipsa prophetica visione sequatur attende. *Et ea* (inquit Esaias) *quæ sub ipso erant, replebant templum.* Propterea sanè dixi: Humiliare sub potenti manu Dei, ut exaltet te in tempore visitationis. Uide ut sub ipso inveniaris, alioquin non esse poteris cum ipso. Quid enim putas, indifferenter admittet homines in illud tantæ Beatitudinis templum, qui ne ipsos quidem Angelos indifferenter reliquit in eo? Aut non discernet inter glebas, qui discrevit inter stellas? Examinabit certè argentum, qui ipsum quoque aurum probavit & reprobavit. Qualem ergo putas necesse est hominem inveniri, qui repudiati locum Angeli sortiatur? Planè immunem ab omni iniquitate, sed ab ea maximè quæ in ipso Angelo quoque non ad levem offensam, non ad momentaneam iram inventa est, sed ad odium sempiternum. Semel turbavit superbia regnum illud cælorum, concussit muros, etiam prostravit ex parte, & parte non modica. Quid ergo? Faciléne deinceps admittenda videtur? Numquid non odit Civitas illa cælestis & vehementer hujusmodi pestem abominatur? Certi estote Fratres, eum qui superbis non pepercit Angelis, nec hominibus parciturum. Non est contrarius sibiipsi, non est personarum acceptator, similia sunt judicia ejus. Sola ei placet humilitas sive in Angelo, sive in homine: & qui sedet in throno, solos eligit subditos, è quibus repleat templum. Scriptum quippe est: *Quis sicut Domi-*

n *Ibidem num. 59.* o *Ser. 1. de verb. Esai. num. 3.* p *Libr. Sent. n. 43. tom. 6. pag. 1006.* q *Ser. 2. de verb. Esai n. 1.* r *Ibidem n. 2.*

s *Ibidem num. 3.*

Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? Vide autem ne fortè Michaëlis verbum sit, superbo illi dicenti: *Similis ero Altissimo*, in faciem resistentis. Michaël quippè interpretatum dicitur: *Quis ut Deus?* Benè ergo Propheta (t) cùm dixisset vidisse se *Dominum super solium excelsum & elevatum*, (ne fortè aut excelsum intelligeres de eo dictum qui ait: *Ascendam super altitudinem nubium*: aut elevatum referres ad eos homines qui in superbiam eriguntur:) addit: *Et ea quæ sub ipso erant replebant templum*: ut manifestè intelligas non eam altitudinem commendari quæ extollitur adversùs Deum, sed eos in templo sive in Solio fore qui sub eo sunt, alios quidem excelsos stabilitate solida, alios ex imo levatos miseratione Divina. Ab initio creaverat Angelos Deus (u) in quibus beati illius Templi plenitudo constaret: sed non in omnibus beneplacitum est ei, quia & *in ipsis* (ut scriptum est) *Angelis suis reperit pravitatem*. Fuit quippè in eis qui diceret: *Ponam sedem meam ad Aquilonem*: & populum qui sibi crederet habuit. Miser ipse, qui sine Deo esse maluit potiùs quàm sub Deo, miseri & illi qui videntes furem cucurrerunt cum eo. Exierunt infelices, & vacuus relictus est locus, quem accipiet alter. Propter hoc enim Deus creavit homines ab initio (x) qui supplerent locum illum, & ruinas Jerusalem restaurarent. Sciebat enim nullam Angelis desertoribus patere redeundi viam. Nempè novit *superbiam Moab, quòd superbus est valdè*: & superbia ejus pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ. At verò hominis vice nullam postea condidit creaturam Deus, innuens ex hoc ipso redimendum adhuc hominem: quippè quem supplantavit aliena malitia, ideoquè prodesse ei potest charitas aliena. Ita, Domine, obsecro, complaceat tibi ut ervas me, quoniam ego infirmus sum. Quoniam de terra mea furtim sublatus sum, & hîc innocens in lacum missus sum. Non penitùs quidem innocens: sed quantùm ad eum qui me seduxit, innocens aliquatenùs. Mendacium mihi persuasum est, Domine: veniat veritas ut possit falsitas deprehendi, & cognoscam Veritatem, & Veritas liberabit me: si tamen deprehensæ falsitati penitùs renunciavero, & cognitæ adhæsero Veritati. Nonne Deo (y) subjecta eris anima mea? Alioquin nec tibi locus erit in Templo, quia *quæ sub ipso erant, replebant templum*. Frustra pulsabunt fatuæ virgines, in vanum clamabunt ubi impletæ fuerint nuptiæ discumbentium, & janua clausa erit. Infelix anima, cui à nuptiis illis contigerit excludi, Infelix de quo clamabitur: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei*. Ut quid enim lucem hunc temporalem miser ille videt, qui gloriam Dei non merebitur intueri? Utinam nihil unquam vidisset oculus meus, si illâ (quod avertat Deus) frustrandus est visione. Eant superbi, insolescant magis, extollantur, inflentur, appetant semper in cumulo apparere: ut cùm venerit æquitatis linea, à plenitudine ejiciantur. Tu verò non sic, sed Deo subjecta esto anima mea, subjecta sanè ex animo, subjecta ex fervore devotionis, quia *Seraphim stabant super illud*. Cum quibus stemus & nos hodiè, Fratres, nec dimoveamur à Templo isto, in quo omnes dicunt gloriam, qui gloriam contemplantur Domini nostri Jesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT IV.

In quo continuatur expositio visionis propheticæ.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant. *Esa. 6.*

1. *Ostenditur, per duos Seraphim stantes super solium Dei, designari creaturam Angelicam & humanam. Demonstratur, homines Seraphim fabricatos esse in contumeliam Luciperi, ut ibi stent, ubi corruit ille. Statio Seraphim denotat immutabilitatem, volatus verò significat alacritatem. Duæ alæ quibus volant, designant agnitionem & devotionem.* 2. *Ostenditur, per velationem capitis & pedum Dei, designari mysterium latens quid ante mundum fuerit, quidvè futurum sit post consummationem mundi. Docemur quidnam in Deo cogitandum sit, & quomodò tribuantur Deo membra, scilicet os, pedes, & manus. Quæritur quomodò Deus adsit animæ devotæ, & qua via intret ad eam?* 3. *Ostenditur, Seraphim ideo velare alis caput & pedes Dei, ut nec alta Dei, nec profunda ejus contemplari valeat Luciper: cui tamen relinquitur medium aliquid videndum ad invidendum. Per binas alas, quibus Seraphim volare dicuntur, designatur vivacitas naturæ & efficacia gratiæ, sive intellectus & affectus, quibus feruntur in Deum: vestigantes alta potentiæ ejus, & profunda sapientiæ ejus. Caput Dei designat Majestatem suam, pedes denotant ejus judicia inscrutabilia. Alæ quibus velatur Caput Dei, indicant in Seraphim admirationem & venerationem. Alæ quibus velantur pedes Dei, designant prudentiam & fidelitatem in Seraphim.*

§. I.

Isaias postquam Dominum sese vidisse testatus est super Solium residentem (a) addit *Seraphim stare supra illud*. Seraphim quidem, dilectissimi, sicut frequenter audistis, nomen est supernorum Spirituum, Ordinis unius de novem summi atque supremi. Verùm hoc loco (ut arbitror) non in ea ponitur significatione, præsertim cùm innumera illa sint Agmina, hîc duo tantùm Seraphim describantur. Et ego quidem, Fratres, si licet in hac parte unicuique abundare in suo sensu (b) in duobus Seraphim duplicem arbitror intelligi creaturam rationabilem, Angelicam scilicet & humanam. Nec miteris hominem Seraphim factum esse, memento quia Creator & Dominus Seraphim factus est Homo. Ad contumeliam tuam ô superbe, qui creatus inter Angelos, inter Angelos stare non meruisti; ecce Rex noster novos in terra Angelos fabricaturos advenit. Nec frustra in terris visus est Homo cælestis (c) cùm de

t Ibidem num. 4. u Ibidem num. 5. x Ser. 1. de Advent. Dom. num. 5. y Ser. 2. de verb. Esai. num. 5.

a Ser. 2. de verb. Esai. num. 1. b Ibidem num. 2. c Ser. 27. in Cant. num. 7.

de terrenis cœlestes quàm plurimos fecerit sibi similes, ut sit quod legitur: *Qualis cœlestis, tales & cœlestes*, Atque ut tabescas ampliùs (d) & livore proprio torquearis; non qualescunque nec inferiores alicujus Ordinis Angelos, sed Seraphim fabricaturus advenit. Audi enim quid ipse Dominus loquatur: *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?* vult ergo Seraphim fabricari, ut ibi stent, ubi tu corruisti. *Seraphim* (inquit Esaias) *stabant super illud.* Ut quid ergo tu qui manè oriebaris Lucifer, in veritate non stetisti, nisi quia Seraphim non fuisti? Seraphim quippe ardens vel incendens interpretatur. Tu verò habuisti miser lucem, sed ardorem non habuisti. Bonum erat tibi si ignifer magis esses quàm Lucifer, nec tam immoderato appetitu lucendi, ut eras frigidus ipse, frigidam quoque eligeres regionem. Dixisti enim: *Ascendam super altitudinem nubium, sedebo in lateribus Aquilonis*. Quid festinas manè oriri Lucifer? quid gloriaris super sidera, quibus aliquando clariùs rutilare videris? Brevis omninò gloriatio tua erit. Sequitur Sol justitiæ, quem te esse vana simulatione jactabas, cujus fervore pariter & splendore in nihilum redactus omninò dispareas. Frustra quoque paras venturum in fine sæculorum Dominum tanquam veri Solis ortum in damnato illo quem assumpturus es homine prævenire, & extolli super omne quod dicitur aut colitur Deus: quia & tunc adventûs ejus illustratione penitùs destrueris. Ipse est Antichristus (e) qui se non solùm diem, sed & meridiem mentietur, & extolletur supra id quod dicitur aut quod colitur Deus: quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui, utpote verus & æternus meridies, sponsus & advocatus Ecclesiæ. Luna habet absque fervore splendorem (f) sed & ipsum mutuatur à Sole, ideoquè tam frequenter imò & semper mutatur, nec unquam in eodem statu permanet. Sic profectò stultus ut luna mutatur, sapiens permanet ut sol. Ille inquam stultus, qui in decore suo perdidit sapientiam, id est, qui refriguit in splendore. Cecidit ergo Lucifer ut fulgur de cælo (g) *Seraphim verò stabant super illud*. Stant planè Seraphim: quia charitas nunquam excidit. Stant attoniti & suspensi in contemplatione Domini sedentis in throno: stant in æterna incommutabilitate, & æternitate incommutabili. Tu sedere tentasti ô impie, propterea tui moti sunt pedes, & effusi gressus tui. Filius est qui sedet in throno, Dominus Sabaoth, cum tranquillitate judicans omnia. Sola sedet Trinitas, quæ sola habet immutabilitatem: sola est, apud quam non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Seraphim verò stant immobiles quidem, sed suo modo, non in ejus comparatione. Stant extendentes se & intendentes in eum, in quem prospicere concupiscunt. Qui sedere præsumpsit, seipso voluit esse contentus, unde solam hodie quoque malitiam esurit: quia solam habet hanc à semetipso. Cùm loquitur mendacium, de proprio loquitur; quia mendax est, & pater ejus. Quod audis de verbo mendacii, intellige & de opere malitiæ. Et licet malè sibi in malo complaceat, sufficere tamen sibi nunquam poterit nec in ipso. Sola proinde sedet Trinitas summa, quæ sola in se est: & ideo sola verè est, sola se fruitur, sola nullius eget, sola sufficit sibiipsi. Deinde Propheta Jsaias cùm dixisset *Seraphim stare*, (h) adjunxit & ait: *Sex alæ uni, & sex alæ alteri*. Quid sibi volunt alæ istæ, Fratres? Ergone etiam cùm hyems transierit, & sedebit Rex super solium, volandum adhuc erit & ipsis Seraphim, ut possint diversis occurrere necessitatibus diversorum, ab imminentibus liberare periculis, opem ferre laborantibus, in tribulatione positos consolari? Absit ut in illo æternæ Beatitudinis regno necessitas, aut periculum, aut labor, aut tribulatio sit, cui oporteat subueniri. Ad quid ergo tunc alæ? Placet mihi statio illa, omninò sic volo manere, nec aliquid prorsùs admitto quo mihi stabilitas illa depereat. Verumtamen scio beate Jsaias, quòd Propheta es tu, & spiritum eius habens qui abundantiâ pietatis excedit hominum nonmodò merita, sed & vota. Salua mihi sit illa tam amata stabilitas: jam si quid *alæ istæ* ad Beatitudinem addiderint, non recuso. Credo autem sicut in statione immutabilitatem, sic & in volatu alacritatem promitti, ne videlicet insensibilis quædam & quasi lapidea stabilitas æstimetur. Sed dicas: Et si alas habere necesse est, quare tam multas? Quid sibi vult multiplicitas ista pennarum? Audi quod sequitur. *Duabus alis velabant caput, & duabus velabant pedes, & duabus volabant*. In quibus verbis videre mihi videor, quòd de statione dictum est, volatu manifestiùs explicari. Quò enim Seraphim volant, nisi in eum cujus ardent amore? Vide flammam quasi volantem & stantem simul, nec miraberis jam Seraphim stantes volare, stare volentes. Sed quia diximus quò volant, (i) ipsas quoque quibus volunt alas exigere religiosa curiositas vestra videtur. Certius posset & credibilibus testimonium perhibere ille cui datum est & videre. Ego tamen opinor non incongruè pennas istas & *Agnitionem* & *Devotionem* intelligi posse, quibus in eum qui supra ipsos est, Seraphim rapiuntur. Levat quippè *cognitionis* ala, sed sola non sufficit. Ruit citiùs qui unâ tantùm alâ volare contendit: & quò magis attollitur, pejùs colliditur. Experti sunt hoc Philosophi gentium: *qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*. Denique traditi in reprobum sensum, usque in ipsas etiam passiones ignominiæ corruerunt. Adeo verò probatur illa sententia: Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi. Sic & zelus absque scientia, quò vehementiùs irruit, eò graviùs corruit, impingens nimirùm atque resiliens. Ubi verò intelligentiam *charitas*, agnitionem *devotio* comitatur, volet securè quisquis ejusmodi est, volet sine fine, quia volat in æternitatem.

§. I.

Jam super ea quæ præmittitur (k) capitis & pedum velatione extat à Patribus probata sententia, Dei caput pedesquè velari, eò quòd lateat quid ante mundum fuerit, quidvè futurum sit post consummationem. Et hoc quidē pro eo, quòd distinctè in latinis Codi-

d *Ser. 3. de verb. Esai. num. 2.* e *Ser. 33. in Cant. num. 16.* f *Ser. 3. de verb. Esai. num. 4.* g *Ibidem num. 5.*

h *Ser. 4. de verb. Esai. num. 1.* i *Ibidem num. 2.* k *Ibidem. num. 3.*

Codicibus scriptum est: *Caput ejus, & pedes ejus*. Testatur autem Interpres noster in Hebræo verbum esse commune, quòd interpretari possit ejus & suam, ut Seraphim (juxta Hebræi sermonis ambiguitatem) vel faciem pedesquè Dei, vel suam faciem ac pedes operire dicantur. Unde & mirum videri potest, cur è duobus eum magis in interpretatione elegerit sensum, quem visionis ipsius consequentia minùs videtur admittere, ut videlicet & velarent pariter caput pedesquè sedentis, nisi quòd Originis expositionem secutus est in hac parte. Quod si de ipsis quoque Seraphim licet accipere (l) sic pinge ea ut operto capite & pedibus, solum appareat corpus medium, sed & ipsum quoque non penitùs, propter eas nimirùm alas quibus volare perhibentur. Considero siquidem quasi quoddam caput & corpus & pedes meos in verbis Apostoli, quibus ait: *Quos enim præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui: & quos qrædestinavit, hos & vocavit: quos autem vocavit, hos & justificavit: & quos justificavit, hos & magnificavit*. Ita initium meum solius gratiæ est, & non habeo quid mihi in prædestinatione attribuam sine vocatione. Non sic sanè ab opere justificationis alienus sum, operatur & illud gratia, sed planè mecum. Videsne quemadmodùm Seraphim in medio appareat aliquatenus? Porrò consummatio quidem & ipsa solius gratiæ est: nec est mihi in hac parte, vel cũ ea sive in ea gloriari, quasi coadiutor videar aut cooperator. Velat itaque Seraphim caput suum duabus pennis, si & veraciter cognoverit, & humiliter fateatur quia misericordia eum sola prævenerit. Velat & pedes alis æquè duabus, si misericordiæ quoque quæ subsecutura est, nec ignarus extiterit nec ingratus. Quam sanè capitis & pedum velationem & nunc quoque negligere non oportet, licet tunc maximè perficienda sit quando Judex sedebit super solium, & astantes sibi Seraphim & agnitione veritatis subtiliùs illustrabit, & inflãmabit vehementiùs charitatis ardore. In quorũ numero indignos nos servos Nominis sui, ipsa de qua locuti sumus constituere dignetur misericordia, quæ ab æterno est & usque in æternum super Electos, in medio quidem aliquatenùs ostendens liberum arbitrium, meriti gratiã: principium & finẽ omninò soli vendicans sibi, ut sit nobis Alpha & Omega Dominus Deus noster. Credendus autem est & cogitandus Deus quædam vita perpetua [m] vivens in se, & omnia vivificans, omnia intelligens, omnemquè creans intelligentiam, sapiens & ipsa Sapientia, Veritas fixa, justitia indeclinabilis, summa virtus, perfecta bonitas, divinitas, æternitas, magnitudo, immensitas, summa essentia, à qua omne esse, summa & æterna substantia, non subiecta in prædicamentis vocum aut cogitabilium: sed omnium rerum causa efficiens, & superessentiale principium. Item cogitandus est Deus simplex, purus, integer & perfectus, nihil habens quod in numerum transeat, nihil trahens à tempore vel à loco: sic in omni loco est, ut non includatur nec excludatur à loco. Cogitandus est Deus sine forma visibili, sine specie corporali, sine compositione partium, sine distinctione membrorum. *Ex quo omnia* causaliter, non materialiter: *in quo omnia*, non ut in loco, sed in virtute. Sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine situ præsidens, sine habitu continens, omnia disponens. Disponit enim ut Sapientia, operatur ut Virtus, amat ut Charitas, revelat ut lux, miseretur ut pietas, scit ut veritas, judicat ut æquitas, præsidet ut majestas. Porrò spiritus est Deus [n] & nullis simplex illa substantia membris distincta est corporeis. Sed enim & *os* habet Deus, quo docet hominem scientiam: & *manum* hebet, qua dat escam omni carni: & *pedes* habet quorum terra scabellum est, ad quos nimirùm peccatores terræ conversi atque humiliati satisfaciunt. Hæc, inquam, habet Deus omnia per effectum, non per naturam. Invenit profectò apud Deum & verecunda confessio, quò se humiliando deiiciat: & prompta devotio, ubi se innovando reficiat: & jucunda contemplatio, ubi excedendo quiescat. Omnia omnibus est qui omnia administrat, nec quidquam est omnium propriè. Nam quod in se est, lucem habitat inaccessibilem, & pax ejus exuperat omnem sensũm, & sapientiæ ejus non est numerus, & magnitudinis ejus non est finis: nec potest eum videre homo ut vivat. Non quòd longè ab unoquoque sit qui esse omniũ est, sine quo omnia nihil: sed (ut tu plus mireris) & nil eo præsentius, nil incomprehensibilius. Quid nempè cuique rei præsentius, quàm esse suum? Quid cuique tamen incomprehensibilius, quàm esse omnium? Sanè esse omnium dixerim Deum, non quia illa sunt quod est ille, sed quia ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia. Esse est ergo omnium quæ facta sunt, ipse Factor eorum, sed causale, non materiale. Tali proinde modo dignatur illa Majestas suis esse creaturis, omnibus quidem quòd sunt, animantibus autem quòd & viuunt: porrò ratione utentibus lux, rectè vero utentibus virtus, vincentibus gloria. Fateor & mihi adventasse Verbum Deum [o] & pluries. Cùmquè sæpiùs intraverit ad me, non sensi aliquoties cùm intraverit. Adesse sensi, adfuisse recordor, interdùm & præsentire potui introitum ejus, sentire nunquam, sed ne exitum quidem. Nam unde in animam meam venerit, quòvè abierit denuò eam dimittens: sed & qua vel introierit vel exierit, etiam nunc ignorare me fateor secundùm illud: *Nescit unde veniat, aut quò vadat*. Nec mirum tamen, quia ipse est, cui dictum est: *Et vestigia tua non cognoscentur*. Sanè per *oculos* non intravit, quia non est coloratum: sed neque per *aures*, quia non sonvit: & neque *per nares*, quia non aëri miscetur sed menti, nec infecit aërẽ, sed fecit. Neque verò *per fauces* intravit, quia non est mansum vel haustum. Nec *tactu* comperi illud, quia palpabile non est. Qua igitur introivit? An fortè nec introivit quidem, quia non *de foris* venit. Neque enim est unum aliquid ex iis quæ foris sunt. Porrò nec *de intra* me venit, quoniam bonum est, & scio quoniam in me non est bonum. Ascendi etiam *superius* meum, & ecce supra hoc est Verbum eminens. Ad *inferius* quoque meum curiosus explorator descendi, & nihilominùs infra inventum est. Si *foras* aspexi, extra omne exterius meum comperi illud esse: si *intus*, & ipsum interiùs erat. Et cogno-

l Ibidem num. 4. m Libr. 3. de amor. Dei cap. 10. num. 40.

n Ser. 4. in Cant. num. 3. & 4. o Ser. 74. in Cant. num. 5.

vi verum quidem esse quod legeram: *Quia in ipso vivimus, movemur, & sumus.* Sed ille beatus est, in quo est ipsum, qui illi vivit, qui eo movetur.

§. III.

Esaias de duobus Seraphim dicit: *Sex alæ uni, & sex alæ alteri.* (p) Ad quid multiplicitas ista pennarum? *Duabus*, inquit, *velabant caput ejus, & duabus pedes, & duabus volabant*, Grande mysterium, & profundum utique sacramentum. Attentas in vobis hæc verba desiderant aures, sed multò magis disertam in nobis linguam exigunt, maximèquè animum spiritualem. Dico vobis tamen utcunque quod sentio: nec sanè affirmans dico, sed coniectans quodammodò & opinans. Quid enim æstimare vetat, deiecto Lucifero ad pervigiles excubias Seraphim cōstitutos esse: sicut eiecto homine (teste Scriptura) Cherubim ad custodiam posuit Deus? Nec incongruè forsitan Cherubim flammeus traditur gladius, ut à ligno vitæ incisio pariter & incensio (quibus nihil est carni terribilius) manum prohibeant corporalem. Porrò Seraphim tantùm alas accipiunt, quarum velamine arceant oculum spiritualem. Denique *duabus*, inquit, *velabant caput ejus, & duabus pedes*: ut nec alta Dei, nec profunda ejus iniquus ille Luciper valeat contemplari. Erit cùm revelabitur gloria Domini, sed non erit hoc nisi factum fuerit ante quod scriptum est: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* Interim sanè velatur caput, velantur pedes, ut medium quidem aliquid eidem impio videndum, sed ad invidendum utique relinquatur. Et velantur alis, quæ nimirùm sic illum arceant, ut Seraphim sustineant & sustollant. Quærendum tamen priùs quibus alis volare dicantur Seraphim (q) quia *duabus*, inquit, *volabant*. Nec incongruè forsitan duas istas alas *naturæ* & *gratiæ* dicimus: præsertim cùm priùs quoque in his ipsis Seraphim etiam Solii celsitudo & elevatio à nobis fuerit assignata. Vivaci siquidem per naturam *intellectu*, & ferventi nihilominùs *affectu* per gratiam in eum qui supra ipsos est extenti jugiter & intenti, stare quidem (ut diximus) per ministerium, sed & volare per studium perhibentur. Licet enim velent caput Domini, velent etiam pedes, sed sibi ista non velant, magis autem sedulè volant & volitant inter ista: & alta potentiæ ejus, & profunda sapientiæ vestigantes. Nec sanè scrutatores sunt Majestatis, ut proinde opprimantur à gloria: quòd non minùs diligant, quàm intelligant, utpote quos ille regit & agit Spiritus qui scrutatur etiam alta Dei. Superbus ille Lucifer lucem præferens non ignem habens alteri tantùm innixus alæ, casum facere potuit, non volatum. Exultavit enim lucidus esse, non feruidus, non incensus, quod Saraphim sonat. Non ergo stetit, quia contempsit: sed nec volare potuit, quia præsumpsit. Sustulit eum naturæ vivacitas, sed in suam planè perniciem, quippè quem defectus gratiæ mox deiecit. Nec dissimilis sanè eorum casus, qui cùm cognovissent Deum, non glorificaverunt aut gratias egerunt: quo tandem merito traditi sunt in reprobum sensum, & obscuratum est insipiens cor eorum. Denique & ipsi eorum principi (*diabolo*) interpositum est velamen, quòd nulla jam naturæ vivacitate pertranseat, ut ipsius qui super Solium sedet, caput aut pedes valeat intueri. Siquidem Seraphim stantes & astantes duabus alis caput velant, & duabus pedes. Non est corporalis divina substantia (r) nec in formam hominum membris distincta corporeis. Spiritus est Deus: & quæ de eo dicuntur, spiritualiter vestiganda sunt. Alioquin quis nobis revelabit hoc caput & pedes istos quos geminis alis Seraphim velant, nisi Spiritus ipse qui novit omnia quæ in eo sunt, & scrutatur etiam alta Dei? Ego enim opinor ipsa esse, quæ in hoc loco *capitis* nomine designantur. Itaque secundùm hunc sensum *Caput* ejus est *Majestas* ejus, potestas ejus est sempiterna virtus atque Divinitas. *Caput* ejus juxta illud propheticum, *Justitia tua sicut montes Dei.* Nempè quod sequitur: *Justitia tua abyssus multa*, non incongruè fortè videbitur *pedum* posse appellatione designari. Sunt enim velut quidam pedes ejus, investigabiles viæ ejus, inscrutabilia judicia ejus, profundum sapientiæ, & irreprehensibilis quædam, sed incomprehensibilis dispositio ejus. Sanè apud Angelos justitia recta, pura, & firma est, sublimis quidem, sed adhuc longè inferior quàm Divina. Non enim innata est eis, sed à Deo collata: ut natura ipsa, quod ex se est, nonmodò justitiæ, sed etiam injustitiæ capax inveniatur. Numquid non ista est pravitas quædam quam in Angelis suis vera illa Justitia legitur invenisse? *Non enim justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, ait Job qui Dei justitiam minimè ignorabat. Nec ait omnis homo, sed *omnis vivens*: fortè, ut ne ipsos Angelicos eum noveris Spiritus excepisse. Viuunt enim & ipsi tantò veriùs, quantò propiùs astant ei apud quem est fons vitæ. Nihilominùs etiam justi sunt, sed ex eo, non coram eo: munere ejus, non in ejus comparatione. Ipsa enim sibi justitia est, cujus voluntas non tam æqua quàm ipsa æquitas. Et utraque non aliud quàm ipsa substantia est. Illa ergo justitia verissimè sicut mons est, quæ recta est, quæ pura est, quæ firma est, & ut ita dixerim, etiam substantia est. Quanta enim in hoc capite Domini latet altitudo? Quanta gloria est, quantaquè sublimitas in hoc umbroso & condenso monte reposita? Quibus tamen putamus alis hoc caput Seraphim velant (s) ut nulla suæ subtilitate naturæ, nulla rationis perspicacitate nequam oculus diaboli in illius queat irrumpere veri luminis claritatem? Duabus (ni fallor) alis, suæ videlicet ipsorum gloriæ, & felicitatis. Ineffabiliter siquidem delectantur in *admiratione* contemplationis illius, nec minùs gloriantur in ipsius *veneratione*. Iniquus ille Lucifer admirationem quidem, sed non venerationem habens, quia subdi noluit per venerationem, figi non valvit per admirationem. Denique admirationem ipsam in æmulationem convertit, nec venerari dignatus, sed conatus est imitari. Quàm meliùs Seraphim sua ipsa admiratione felices, veneratione etiam venerabiles fiunt, veram in ipso habentes gloriam, cui servire regnare est, & apud quem omnis qui se humiliat exaltatur? Et nunc audi quemadmodùm his duabus alis ipsum quod diximus *caput* Domini, ne iniquus ille Luciper inspiciat, velare Seraphim videantur.

Quo-

p *Ser. 5. de verb. Esa. num. 7.* q *Ibidem num. 8.*

r *Ibidem num. 9.* s *Ibidem num. 10.*

Quoties enim sursùm dirigit aciem, in Angelicam statim felicitatem & gloriam malignus ille offendit, & offundit oculum pessimus humor livor proprius, ut penetrare ultra non possit. Sic nimirùm quasi gemino quodam velamine ne sublimiora prospiciat invidus præpeditur, ad illorum (quos superiores habere dolet) modò quidem felicitatem, modò gloriam, modò utramque simul, reverberata acie contabescens. Quis enim tam gravis pruritus oculi, quàm invidia est? Nec verò aliis livor invidus quàm alienâ gloriâ & felicitate torquetur. Sed & *pedes* Domini (t) quibus nimirùm impenetrabilem judiciorum ejus abyssum, & dispositionis ejus diximus vias investigabiles designari, duabus æquè alis velant Seraphim. Ego autem dico, *prudentiâ & fidelitate*. Cùm enim & fideles ministri sint pariter & prudentes, sic divina negocia gerunt, & saluti provident electorum, ut malignus ille deprehendere omninò non possit. Ex hoc *pedum* velamento factum reor, ut nesciens Dominum gloriæ fecerit crucifigi: ex hoc velamento quotidie fieri reor, ut salutis nostræ negociis ignorans serviat & invitus, serò postmodùm plangens quòd dum obesse voluit, inventus est profuisse. Sic nimirùm per administratorios Spiritus illuditur ejus astutia, quòd & fideles sint qui detegere nolint, & prudentes qui norint tegere divina erga nos providentiæ & dispositionis arcana. Cæterùm [u] sicut è supremis duabus alis nequissimus ille Lucifer admirationem habuit, sed non venerationem, ut diximus: sic è mediis quoque spiritualem ei intellectum natura, sed non etiam gratia affectum dedit. Sed nihilominùs ex infimis istis facilè satis animadvertere est, quàm inventus sit fidelitatis expers, non autem similiter caruisse prudentiâ. Nisi tu fortè alium aliquem putas esse, qui dictus est callidior cunctis animantibus serpens. Fortè etiam non incongruè dicimus, quoniam eo ipso tam irrevocabilis casus ejus, irreparabilisquè collisio fuerit, quòd ex his quas diximus alis, sicut in parte dextera nulla affuerit, sic in læva nulla defuerit. Non ita sanè duo illi Seraphim quos prophetica nobis visio commendavit stantes, & adstantes Domino majestatis. Cujus etiam duabus (ut dictum est) alis *caput* velant; ipsa equidem sua *admiratione* in qua delectantur feliciter, ac *veneratione* in qua sublimiter gloriantur. Duabus etiam pedes alis velant, *fidelitate* videlicet atque *prudentiâ*. Porrò duabus alis volant, *naturæ* ut diximus perspiciâ, & efficaciâ gratiæ. Sanè *mediam* quasi quandam *longitudinem* nudã visibilemquè relinquunt, longanimitatem dico & benignitatem Dei ad pænitentiam homines invitantis. Omnibus enim cernere est quemadmodùm solem suum super bonos & malos oriri faciat, & pluat super justos & injustos. Hac nimirùm charitate verus ille Salamon quasi quædam media sua constravit propter filias Jerusalem: ut quibus altiora se quærere, & profunda vestigare non licet, in his saltem mediis valeant exerceri, & ad sublimium subtiliumquè exinde rerum contemplationem promoveri aliquando mereantur. Cæterùm nequissimus ille ex hac visione & in præsenti torquetur acriùs, & graviùs cruciabitur in futuro. Primùm quidem quòd ipsam nobis *longanimitatem* benignitatis divinæ invideat, deinde quòd nequaquam sibiipsi hac saltē occasione provideat, ut ad pænitentiam adducatur. Ipse est Antichristus (x) qui se non solùm diem, sed & meridiem mentietur, & extolletur supra id quod dicitur aut quod colitur Deus, quē Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui, utpote verus & æternus meridies, Sponsus & advocatus Ecclesiæ, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT V.

De Beatitudine animæ nostræ pariter & corporis.

Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum Corpori claritatis suæ. *Paul. ad Philip.* 3.

1. Docemur, in opere redemptionis nostræ duo consideranda esse, modum & fructum. Modus est exinanitio Dei: fructus verò est repletio animæ nostræ juxta triplicem naturam, scilicet rationem, voluntatem, & memoriam. Ratio recipiet lucem inextinguibilem: voluntas pacem consequetur imperturbabilem: memoria fonti indeficienti æternaliter inhærebit. Fons est Pater, lux Filius, pax Spiritus Sanctus. Item triplex vis animæ, scilicet rationale, concupiscibile, irascibile, implebitur luce sapientiæ, fonte justitiæ, pace divina. 2. Docemur, corpus ex quatuor elementis compactum habiturũ quatuor dotes, immortalitatem, impassibilitatem, agilitatem, pulchritudinem. Immortalitas consistit in non moriendo ultra. Impassibilitas consistit in non patiendo ullas miserias. Agilitas consistit in velocitate. Pulchritudo consistit in claritate. 3. Docemur, ut sit nobis prima sollicitudo reparandarum animarum nostrarum, si volumus inveniri Christi membra in cælo. Ostenditur, curam animæ redundare in corpus, salutemquè corporis pendere ex salute animæ: nec non plenam fore quietem animæ & corporis in beatitudine æterna, in qua corpus fulgebit sicut claritas solis. Excitamur ad desiderandam felicitatem patriæ cælestis. Ostenditur quis nostrûm sit capax æternæ felicitatis.

§. I.

IN opere nostræ redemptionis (a) duo potissimùm quæ nunc occurrunt, vestris studiis intimare curabo. Et hoc quàm paucis ad compendium potero memor illius sententiæ: Da occasionem sapienti, & sapientior erit. Duo ergo illa sunt modus & fructus. Et *modus* quidē Dei *exinanitio* est: ipse semetipsum exinanivit usque ad carnem, ad mortem, ad Crucem. *Fructus* verò nostri de illo *repletio* est. Hoc meditari sanctæ spei seminarium est, illud summi amoris incentiuum. Utrumque profectibus nostris necessarium est, ne aut spes mercenaria sit, si amore non comitetur: aut amor tepescat, si infructuosus putetur. Porrò fructum talem expectamus nostri amoris (b) qualem ipse quem amamus promisit: *Men-*

t Ibidem num. 11. u Ibidem num. 12.

x Ser. 33. in Cant. nu. 16. a Ser. 11. in Cant. num. 3. b Ibidem num. 4.

suram (inquiens) *plenam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*. Mensura ista (ut audio) erit sine mensura. Sed velim scire cujusnam rei futura sit illa mensura, vel potiùs illa immensitas quæ repromittitur? *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te*. Dic nobis tu qui præparas, quid præparas? Credimus, confidimus, revera sic promittis, *replebimur in bonis domûs tuæ*. Sed quibus, quæso, bonis vel qualibus? Fortè frumento, vino, oleo, auro, atque argento, lapidibusuè pretiosis? Sed hæc novimus & vidimus, & videmus & fastidimus. Id quærimus, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor hominis ascendit*. Hoc placet, hoc sapit, hoc delectat inquirere, quodcunque est illud. *Erunt* (inquit) *omnes docibiles Dei: & ipse erit omnia in omnibus*. Vt audio, plenitudo quam expectamus à Deo, non erit nisi de Deo. Quis verò comprehendat [c] quàm magna multitudo dulcedinis in brevi isto sermone comprehensa sit: *Erit Deus omnia in omnibus?* Vt de corpore taceam, in *anima* tria intueor, *Rationem*, *voluntatem*, *Memoriam*: & hæc tria ipsam animam esse. Quantum cuique horum in præsenti seculo desit de integritate sua & perfectione, sentit omnis qui ambulat in spiritu. Quare hoc, nisi quia Deus nondum est omnia in omnibus? Hinc est quòd & *Ratio* sæpissimè in judiciis fallitur, & *voluntas* quadruplici perturbatione jactatur. Laborat quippè [d] voluntas humana quadruplici morbo vitiorum, scilicet timoris, concupiscentiæ, propriæ iniquitatis, ignorantiæ. *Timore* enim victa, in vitium cogitur: *concupiscentiâ* illecta, in vitium trahitur: propria *iniquitate* voluntariè vitium sequitur: *ignorantiâ* seducta, in vitium labitur. Sed & *memoria* [e] multiplici oblivione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura subiecta est non volens, in spe tamen est. Nam qui replet in bonis desiderium animæ, ipse *Rationi* futurus est plenitudo lucis, ipse *Voluntati* multitudo pacis, ipse *Memoriæ* continuatio æternitatis. O *veritas*, charitas, æternitas! O beata & beatificans Trinitas, ad te misera mea trinitas miserabiliter suspirat, quoniam à te infeliciter exulat. Discendens à te quantis se intricavit *erroribus*, *doloribus*, *timoribus*. Heu me qualem pro te commutavimus trinitatem? *Cor meum conturbatum est*, & inde *dolor*: *dereliquit me virtus mea*, & inde *pavor*: *& lumen oculorum meorum non est mecum*, & inde *error*. En quàm dissimilem Trinitatem ô animæ meæ trinitas exulans offendidisti! Verumtamen [f] *quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi*: cùm *error* videlicet à Ratione, à Voluntate *dolor*, atque à Memoria *timor* omnis recesserit; & successerit illa quam speramus mira *serenitas*, plena *suavitas*, æterna *securitas*. *Primum* illud faciet Veritas Deus, *secundum* Charitas Deus, *tertium* summa Potestas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus; *Ratione* recipiente lucem inextinguibilem, *Voluntate* pacem imperturbabilem consequente, *Memoria* fonti indeficienti æternaliter inhærente. Uideritis vos rectène primum illud Filio, Spiritui Sancto sequens, Patri ultimum assignetis: sic tamen ut nihil horum vel Patri vel Filio vel Spiritui Sancto subtrahatis, ne cui fortè personarum aut plenitudinem minuat distinctio, aut proprietatem tollat perfectio. *Beati mundo corde* [g] *quoniam ipsi Deum videbunt*. Beati planè, & omninò beati qui videbunt in quem desiderant Angeli prospicere, quem videre vita æterna est. Denique ait Dominus: [h] *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvulus iste* (se autem dicit, qui est fons vitæ, in quo habitat & unde manat plenitudo omnium gratiarum) *non intrabitis in regnum cælorum*. Para proinde riuulos, aggeres terrenæ & elatæ cogitationis disperge, conformare Filio hominis, non primo homini Adam: quia fons gratiæ in *cor* hominis carnalis scilicet & terreni non ascendit. *Oculum* quoque purga, ut videre possis merissimam lucem: & *aurem* tuam inclina ad obediendum, ut quandoque pervenias ad quietem perpetuam, & pacem super pacem. *Lux* enim est propter serenitatem, *pax* propter tranquillitatem, *fons* propter affluentiam & æternitatem. Fontem assigna *Patri*, ex quo nascitur Filius, & procedit Spiritus Sanctus: Lucem assigna *Filio*, qui est utique candor vitæ æternæ, & lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum: Pacem assigna *Spiritui Sancto*, qui nimirùm super humilem & quietum requiescit. Nec hoc dico tanquam propria ista sint singulorum, nam & Pater lux est, ut sit Filius lumen de lumine: & Filius pax est, pax nostra qui fecit utraque unum: & Spiritus Sanctus fons est aquæ salientis in vitam æternã. Jam verò quemadmodùm in nobis habendus sit Deus [i] possumus vel ex parte cogitare. Constat enim animarum triplicem esse naturam: unde & Sapientes mundi hujus animam humanam, *Rationalem*, *Irascibilem*, *Concupiscibilem* esse tradiderunt. Quam utique triplicem vim animæ ipsa quoque natura & quotidiana experientia nos docet. Porrò quemadmodùm circa *rationale* nostrum & scientia & ignorantia constat, tanquam habitus & privatio: sic & *circa concupiscibile* desiderium & cõtemptus constat: & circa id quod dicitur *irascibile*, & lætitia pariter & ira versatur. Implebit ergo Deus *rationale* nostrum *luce sapientiæ*, ita ut penitùs nobis nihil desit in ulla sapientia. Implebit *concupiscibile* nostrum *fonte justitiæ*, ut omninò desideremus eam, & eâ penitùs repleamur, sicut scriptum est: *Beati qui esuriunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Nulla enim alia res implere potest desiderium animæ, nulla alia præter justitiam beatificare animam potest. Cùm autem repleverit Deus concupiscibile nostrum justitiâ, quidquid respuere debet anima respuet, quidquid debet concupiscere concupiscet: & ex omnibus id magis appetet quod magis fuerit appetendum. Infirmiori palato cordis [k] & animæ languenti adhuc quidē dura & insipida res videtur esse justitia: sed qui gustaverunt, ecce ipsi sciunt quàm beati sunt qui esuriunt illam, *quoniam ipsi saturabuntur*. O verè felix & gloriosa satietas! O sanctum convivium! O desiderabiles epulæ! ubi nimirùm anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium, quoniam satietas summa, & summum inerit desiderium. Meritò quoque *concupiscibili* nostro justitiam attribuimus [l] ex quo nimirùm aut justi aut

c *Ibidem num. 5.* d *Ser. 6. de diuer. tom. 6. pag. 862.* e *Ser. 11. in Cant. num. 5.* f *Ibidem num. 6.*

g *Ser. 1. de omn. San. num. 3.* h *Ser. 4. in Vig. nat. Dom. nu. 9.* i *Ser. 4. de omn. Sanct. num. 6.* k *Ser. 1. d. omn. San. num. 11.* l *Ser. 4. de omn. San. num. 6.*

aut injusti reputamur. Jam verò quod dicitur in nobis *irascibile*, cùm repleverit illud Deus, perfecta erit in nobis tranquillitas, & in summam jucunditatem atque lætitiam replebitur *pace divina*. Et vide si non etiam in his tribus perfecta (quantum sanè ad animam spectat) beatitudo consistat: quando *scientia* jam non inflat propter justitiam, jam non contristat propter lætitiam: quoniam *justitia* nec indiscreta erit propter scientiam, nec onerosa propter lætitiam: quando *lætitia* nec inepta erit propter scientiam, nec impura propter justitiam.

§. II

Sed in his omnibus[m] nihil adhuc exterior homo noster accepit, scilicet *corpus nostrum*. Ipsi ergo, ut *inhabitet gloria etiam in terra nostra*, & juxta Prophetam David *repleatur majestate Domini omnis terra*: quatuor sunt quærenda, quem nimirùm constat ex elementis quatuor esse compactum. Sunt autem quatuor partes corporis[n] in quibus singulis maximè vigent singula elementa. Nam in oculis est *ignis*: in *lingua*, quæ vocem format, est *aër*: in *manibus*, quarum propriè tactus est, est *terra*: in membris *genitalibus* est *aqua*. Has quatuor partes corrumpit quadripartita pestis: oculos scilicet *curiositas*, linguam *loquacitas*, manus *crudelitas*, genitalia *voluptas*. Nec mireris tamen [o] quòd pluribus indigere videtur exterior homo noster qui miserior est, cùm & in Psalmo legeris dicente Propheta: *Sitivit anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea?* Habeat ergo terra nostra *immortalitatem*, ne jam timeat denuò se in pulverem redigendam. Resurgens enim corpus nostrum jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Jam securus expecto promissam mihi gloriam incorruptionis in carne mea[p] quandoquidem conservata per eum est incorruptio etiam in Matre sua. Facile erit ei per quem Mater ipsa incorruptionē non perdidit pariendo, ut & corruptibile hoc incorruptionē induat resurgendo. Sed quid proderit [q] si fortè contingat in æternum vivere in miseriis & ærumnis passibilitatis hujus, qua nimirùm incessanter corruptibile hoc corpus affligitur: & si non semel, utique semper moritur? Habeat certè etiam aliquando omnimodam *impassibilitatem*: ab humoribus enim inordinatis causas ajunt procedere passionum. Arbitror hoc Prophetam David sensisse [r] cùm diceret: *Introibo in potentias Domini: Domine memorabor justitiæ tuæ solius*. Sciebat profectò cùm introiret in spirituales potentias Domini, exutum se iri universis infirmitatibus carnis, ut jam nil de carne haberet cogitare, sed totus in spiritu memoraretur justitiæ Dei solius. Tunc pro certo singula Christi membra dicere poterunt de se, quod Paulus ajebat de Capite: *Etsi cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus*. Nemo ibi se cognoscet secundùm carnem, *quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*. Non quòd carnis substantia illic futura non sit, sed quòd carnalis omnis necessitudo sit defutura, carnisquè amor amore spiritûs absorbendus: & infirmæ quæ nunc sunt humanæ affectiones, in divinas quasdam potentias habeant commutari. Tunc sagena charitatis, quæ nunc tracta per hoc mare magnum & spatiosum ex omni genere piscium congregare non desinit, cùm perducta ad littus fuerit malos pisces foras mittens, bonos solummodò retinebit. Si quidem in hac vita ex omni genere piscium intra sinum suæ latitudinis charitatis rete concludit, ubi se pro tempore omnibus conformans, omniumquè in se sivè adversa sive prospera traiiciens, ac sua quodammodò faciens, non solùm gaudere cum gaudentibus, sed etiam flere cum flentibus consuevit. Sed cùm pervenerit ad littus, velut malos pisces omne quod triste patitur foras mittens, sola quę placere & jucunda esse poterunt, retinebit. Numquid enim tunc verbi gratiâ Paulus aut infirmabitur cum infirmis, aut vretur pro scandalizatis, ubi scandala & infirmitas procul erunt? Aut certè lugebit eos qui ante non egerunt pænitentiam, ubi certum est sic neminem sanè fore qui pæniteat, quomodò qui peccet non erit? Absit autem ut vel eos qui ignibus æternis cum diabolo & Angelis ejus deputandi sunt, plangat & defleat in illa civitate quam *fluminis impetus lætificat, cuius diligit Dominus portas super omnia tabernacula Iacob*: quòd videlicet in tabernaculis etsi quandoque gaudetur de victoria, laboratur tamen in pugna, & plerumque periclitatur de vita. In illa autem patria cælesti nulla prorsùs admittetur adversitas siue tristitia, quemadmodùm de illa canitur: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*. Et rursùm: *Lætitia sempiterna erit eis*. Denique quomodò misericordiæ recordabitur, ubi memorabitur justitiæ Dei solius? Proinde vbi jam non erit miseriæ locus aut misericordiæ tempus, nullus profectò esse poterit miserationis affectus. Absit ut in cælo credatur locus esse tristitiæ (s) sicut nec culpæ. Nemo ibi delinquere, nemo lugere potest: sicut nec in terra quidem pæna vlla fuisset, nisi iniquitas præcessisset. In cælo vtique sola justitia, sola nihilominùs lætitia est: in inferno solum peccatum est, & pæna peccatis porrò in medio vtraque inveniuntur, atque ideo neutra consummata. In multis offendimur, quia in multis offendimus omnes. Quoniam enim nullus in cælo passionis locus esse poterat vel doloris, propterea sanè Unigenitus Dei Patris passione sua hominem redempturus, sicut carnem in qua pateretur (qui pati non poterat in Divinitate) suscepit: sic etiam in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, vt humiliaret semetipsum in loco afflictionis. Denique desiderat corpus nostrum etiam *leuitatem & agilitatem* (t) secundùm eam nimirum quam habet ex aëre portionem. Tanta utique futura credenda est corporum leuitas & agilitas beatorum, ut possint, si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem. Constat quoque [u] clauso exiisse tumulo rediuiuum Christi Corpus, quod clauso Virginis vtero natum processit in vitam: & ad Discipulos clausis introiuit ianuis in conclaui. Nec fuit difficile etiam Angelo per clausum ostium penetrare in

m *Ibidem num. 7.* n *Ser. 74. diuer.* o: *Ser. 4. de omn. San num. 7.* p *Ser. 4. in Vig. Nat. Dom n. 4.* q *Ser. 4. de omn San. n. 7.* r *Epist. 11. n. 9. & tract. de dilig.* Deo *cap. 15. n. 39. & 40.* s *Ser. 34. diuer. n. 2.* t *Ser. 4. de omn. San. num. 7.* u *Ser. 1. de Resurrect. Dom. num. 5.*

in abdita Virginis (x) qui vtique ex subtilitate substantię suæ hoc habet in natura, ut nec seris ferreis ejus arceatur ingressus quocunque suus eum impetus ferat. Angelicis enim Spiritibus parietes non obsistunt, sed cuncta illis visibilia cedunt, cuncta æquè corpora quantumlibet solida vel spissa penetrabilia sunt eis ac pervia. Quid vltra deest (y) ad perfectam corporis beatitudinem? Sola vtique *pulchritudo*. Hanc perfectissimam habitori, non immeritò possimus attribuere ei parti quam habemus ab igne. *Salvatorem enim expectamus* (ut ait Apostolus) *qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, exibens quod pollicitus est cùm dicit: *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*. Sic ergo replebit animas nostras Deus, cùm perfecta in eis *scientia* fuerit, perfecta *iustitia*, perfecta *lætitia*. Sic replebitur majestate omnis terra, cùm fuerit *corpus incorruptibile*, *impassibile*, *agile*, configuratum denique Corpori *claritatis* suæ. Et vide ne fortè isti sint septem panes, quibus quatuor hominum millia Salvator legitur satiasse, è quibus eiusdem numeri sportas plenas Apostoli reservandas sustulerunt. Nunc enim reficimur panibus istis, cùm iucunda meditatione beatam spem ruminamus; donec veniat; cùm jam non de spe, sed de re ipsa & exhibitione gaudentes, quasi plenas sportas recipere pro panibus singulis mereamur.

§. III.

Cæterùm si Christi membra volumus inveniri (z) sequendum nobis est sine dubio Caput nostrum: ut videlicet prima nobis reparandarum sit sollicitudo animarum, pro quibus ipse jam venit, & quarum priùs mederi studuit corruptioni. Corporis verò curam illi tempori magis reservemus, & differamus in illum diem, quo reformandi corporis gratiâ est venturus, sicut meminit Paulus Apostolus dicens: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Tempus hoc animabus, non corporibus est assignatum; [a] dies salutis vtique, non voluptatis. *Omnia tempus habent*, animabus nunc operam dare necesse est. Nam *in carne qui seminat, solam metet corruptionem*. At *nemo* (inquiunt) *carnem suam odio habuit?* Verum est: sed zelum habens absque scientia, dum prodesse festinat, invenitur obesse. Cùm judicium carnis ex anima pendeat, carni nihil potest vtilius, quàm salus animæ provideri, ut videlicet in tempore sit respectus illius; & socia passionis, felicitatis quoque consortium mereatur. Unde Apostolus inquit: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Requiesce in hac spe misera caro: qui propter animam venit, pro te quoque venturus est: qui reformavit illam, tui quoque non obliviscetur in finem. Regeneretur interim anima & tanquam præscita & prædestinata à Domino, conformis fiat imagini Filii ejus in mansuetudine cordis & humilitate. Ipsius enim merito te quoque noveris aliquandò regenerandam & conformandam Corpori ejus in gloria & claritate. Hinc ipse sic ait: [b] *In regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos*. Seminatur enim corpus animale, resurget corpus spirituale: seminatur in ignominia, surget in gloria. Ubi jam tunc mors victoria tua? Siquidem & tu inimica novissima destrueris. Corpus enim resurrectionis jam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Sed & dolor & gemitus omnis abscedet, quoniam *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorum, & jam non erit ampliùs neque luctus, neque clamor: sed nec vllus dolor, quoniam priora transierunt*. Felices lachrymæ, quas benigna manus Conditoris absterget: & beati oculi, qui in talibus liquefieri fletibus elegerunt potiùs quàm elevari in superbia, quàm omne sublime videre, quàm avaritiæ & petulantiæ famulari. Sedebit igitur *corpus immortilitatis & impassibilitatis* gemina quadam felicitate dotatum, liberum ab omni necessitate, ab omni corruptione securum, alienum & immune ab omni concupiscentia, plenum gloriâ, configuratum denique claritati Corporis Christi. Sedebit & *anima* sicut nihil metuens, sic nec cupiens vltra: nimirùm plena beatitudine & secura plenitudine fruens, nullos jam cogitationum fluctus, nullos tentationum conflictus, nullos affectionum sentiens motus: sed æternæ illi incommutabitati prorsùs immersa, & sic adhærens Deo, ut vnus jam spiritus sit facta cum eo. Replebitur quoque omnis terra nostra Domini majestate (c) quandò resurrectionis gloriâ vestietur, induet immortalitatis stolam, configurabitur denique claritati Corporis Christi. *Salvatorem siquidem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Tunc fulgebunt iusti [d] ita ut videri possint docti pariter & indocti: *fulgebunt* enim *sicut Sol in regno Patris eorum*. *Erit autem claritas Solis septemdliciter* (ait Dominus per os Isaiæ) id est, *sicut lux septem dierum*. Adveniens enim Salvator reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum Corpori claritatis suæ: si tamen priùs fuerit cor reformatum, & configuratum humilitati cordis ipsius. Propter quod dicebat: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. O quàm gloriosum est regnum illud [e] in quo Reges congregati sunt & convenerunt in vnum, ad laudandum scilicet & glorificandum eum, qui super omnes est Rex regum & Dominus dominantium. De cujus splendidissima contemplatione *fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris eorum*. Proinde interim illuc spiritus dirigendus est [f] quò est iturus. Illuc festinare debemus, vbi semper vivamus, & vbi mori ampliùs non timeamus. Si sic amamus istam labilem & caducam vitam, ubi cum tanto labore vivimus; ubi comedendo, bibendo, dormiendo vix carnis necessitatibus satisfacimus: multò magis amare debemus vitam æternam, ubi nullum laborem sustinebimus, vbi summa semper jucunditas, summa felicitas, felix libertas, & felix beatitudo est: ubi similes erunt homines Angelis Dei, & *fulgebunt iusti sicut Sol in regno Pa-*

x Ser. 3. super missus num. 1. y Ser. 4. de omn. San. n. 7. z Ser. 6. de Adv. Dom. num. 1. a Tract. de vit. & mor. Cler. cap. 12. n. 38.

b Ibidem cap. 14. n. 41. c Ser. 2. de Verb. Esai n. 1. d Ser. 4. de Adv. Dom. n. 3. & 5. e Ser. 4. super missus n. 2. f Tract. de cognit. condit. hum. cap. 14. n. 37.

Patris eorum. Qualis putas tunc erit splendor animarum, quando Solis splendorem habebit lux corporum? Nulla erit ibi tristitia, nulla angustia, nullus dolor, nullus timor, nullus ibi labor, nulla mors: sed perpetua sanitas semper ibi perseverat. Non suggerit ibi malitia [g] nec carnis miseria: nulla est ibi ægritudo, nulla omninò necessitas. Non est ibi fames, non sitis, non frigus, non æstus, non lassitudo jejunii: nec ulla est ibi tentatio inimici, nec peccandi voluntas, nec delinquendi facultas, sed totum lætitia, totum exultatio possidet. Homines quoque Angelis sociati sine ulla carnis infirmitate in perpetuum manebunt. Ibi erit jucunditas infinita, beatitudo sempiterna, in qua qui semel suscipitur, semper tenetur. Ibi est requies à laboribus, pax ab hostibus, amænitas de novitate, securitas de æternitate, suavitas atque dulcedo de Dei visione. Et quis non illic habitare vehementer desideret & propter *requiem*, & propter *pacem*, & propter *amænitatem*, & propter *æternitatem*, & propter Dei *visionem*? Nullus est ibi peregrinus, sed quicunque illuc venire merebuntur, securi in propria patria manebunt, semper læti, & semper satiati de visione Dei. Sed ad hæc quis idoneus? [h] Profectò verus pænitens, bonus obediens, amabilis socius, fidelis servus. I. *Verus pænitens* semper in labore & dolore, dolet de præteritis, laborat pro futuris cavendis. Vera siquidem pænitentia est, sine temporis intermissione de peccatis dolere. Sic plangit commissa, ut non committat plangenda. Irrisor namque est & non verus pænitens, qui adhuc agit quod pæniteat. Si ergo vis verus pænitens esse, cessa à peccato, & noli ampliùs peccare: quoniam inanis est pænitentia, quam sequens coinquinat culpa. II. Omnis *bonus obediens* dat suum velle & suum nolle, ut possit dicere. *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*: Paratum quodcunque præceperis facere, paratum ad nutum nutu citiùs obedire, paratum tibi vacare, proximis ministrare, meipsum custodire, & in cælestium contemplatione requiescere. III. *Amabilis socius* omnibus est officiosus, & nulli onerosus. Omnibus est *officiosus*, quia devotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum; Domini seruus, proximi socius, mundi dominus. Superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad seruitium. Nulli est *onerosus*, sed inferiora redigit ad vtilitatem mediorum, & ad honorem superiorum: superiora sequens, inferiora trahens: ab illis possessus, ista possidens. IV. *Fidelis servus* est in contemplatione *Dei*, & custodia sui. Custodiæ ergo tuæ adhibe priùs omnem diligentiam. Deinde intelligens te nunquam posse sufficere ad te custodiendum tuâ industriâ, divinam implora clementiam. Itemquè ad contemplandam in te Creatoris tui voluntatem bonam & beneplacentem atque perfectam, Angelicam exora tutelam, patrociniumquè omnium cum Christo regnantium super te roga: curre per singulos, supplica singulis, & simul omnibus clama & dic: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei*: recipite fugitivum vestrum sed fratruelem, sed consanguineum in Sanguine Redemptoris. En pauper stat ad ostium, clamat & pulsat, aperite pulsanti, & conducite eum vsque ad Regem: ut prostratus coram eo indicem ei omnes miserias & omnes necessitates quas patior. Porrò (i) quantò plùs aliquis hic *Deo* obediens fuerit, tantò ampliorem ab eo mercedem recipiet in cælo: quantòquè ampliùs *Deum* amabit, tantò propiùs videbit quem cernere cupit. *Da* ergo operam internæ lectioni [k] ut legas, inspicias, & cognoscas teipsum: legas, ut diligas *Deum*, ut pugnes & vincas mundum & omnem inimicum: quatenùs labor convertatur in requiē, luctus in gaudiū: & post tenebras huius vitæ videas ortū surgentis auroræ, videas etiam meridianum Solem justitiæ, in quo Sponsum cum sponsa prospicies, vnum eundemquè *Dominum* gloriæ, qui viuit & regnat per infinita sæcula. Amen.

g *Ibidem num.* 38. h *Ibidem cap.* 4. *num.* 14.

i *Ibidem cap.* 14. *num.* 39. k *Ibidem cap.* 15. *n.* 41. a *Ser.* 2. *de omn. San. n.* 1. b *Ibidem num.* 2.

CAPUT. VI.

De felicitate Animarum Sanctarum jam quidem perfruentium quiete, sed adhuc præstolantium resurrectionem corporum suorum.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis. *Apoc.* 14.

1. *Ostenditur, felicitatem Animarum Sanctarum consistere in beata requie qua perfruuntur, nondum tamen habentes plenam lætitiā ob expectationem resurrectionis corporum. Sancti triplici gaudio exultant, scilicet de recordatione transactæ virtutis, de exhibitione præsentis quietis, & de certa expectatione futuræ resurrectionis.* 2. *Ostenditur, triplicem esse statum Sanctorum, in carne, sine carne, & in felicitate consummata: scilicet in tabernaculis, in atriis, & in domo Dei, in qua erit felicitas Sanctorū consummata post resurrectionem generalem. Sancti habent desiderium naturale ad sua corpora, sine quibus non consummabuntur.* 3. *Ostenditur, Animas Sanctorum quiescentium sub Altari clamare ad Deum pro consummatione. Per Altare illud intelligitur Sacrosancta Humanitas Christi, sub qua feliciter quiescunt beatæ animæ. Ostenditur quanta sit claritas & gloria humanitatis Christi, de cuius contemplatione resplendent Sancti in cælo regnantes.*

§. I.

OPeræ precium puto de communi Sanctorum felicitate [a] in qua beatâ jam requie perfruuntur, & futurâ quam præstolantur consummatione, adivuante Spiritu Sancto sermonem facere charitati vestræ: ita sanè, ut non opinionis propriæ coniecturas, sed diuinorum librorum sequar auctoritatem, ne prophetare videar de corde meo, sed innitar quoad potero testimoniis Scripturarum. Legimus [b] in Propheta David: *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus beneficit tibi, quia eripuit animam meam de morte*, ocu-

oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu. Et in alio Psalmo ait: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium*. Multa quoque similia in divinarum reperiisse mihi videor serie Scripturarum verba hominum, qui liberatos se esse non sine multa admiratione lætantur: verba vtiq; perfectæ securitatis & felicitatis immensę, vocem gratiarũ actionis & lætitiæ, quã pro meo sapere his qui luteas adhuc domos inhabitant, & in sudore vultus sui comedunt panem svum, omninò non arbitror convenire. Quis enim eorum gloriabitur castum se habere cor? Quis audeat gloriari contritum esse laqueum, liberatos pedes à lapsu, reclamante nimirùm Apostolo, & dicente: *Qui stat, videat ne cadat*? Unde & de semetipso: *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*? Et alio in loco: *Fratres*, inquit, *ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ retrò sunt oblitus, & in ea quæ ante me sunt extentus, sequor ad palmam*, &c. Itemq; *Ego*, ait, *sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*. Hæc tamen planè tuba militiæ est, hæc verba ducis strenui fortiter dimicantis. Nam superiora quidẽ verba potiùs sunt triumphantis, aut certè necdum quidem triumphantis, sed cum victoria jam redeuntis de prælio, & futuram magni triumphi diem lætâ ac securâ conscientiâ præstolantis. Quid enim loquitur reuersus de prælio miles (c) servus fidelis? *Conuertere jam*, inquit, *anima mea in requiem tuam*. Dum enim in corpore mortis Domino militares, nulla requies erat, tum pro labore certaminis, tum pro periculo exitus adhuc incerti. Hinc excitabat tumultus tentationum, inde succumbendi metus grauiùs sollicitabat. Habebat tamen, Fratres, & tunc gloriam miles Christi, licèt & requiem non haberet. Ait siquidem strenvus ille & fortis miles: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. Quod conscientiæ testimonium non sic intelligendum puto, tanquam ipsa sibi conscientia attestetur. Non enim qui seipum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Est ergo testimonium conscientiæ in quo gloriatur Apostolus, non quod perhibeat conscientia, sed quod loquitur Spiritus veritatis in ipsa, testimonium perhibens spiritui nostro quòd filii Dei sumus. Est enim testimonium conscientiæ non perhibentis, sed percipientis. Cùm enim veritas applaudit, cùm justitia attestatur, Dei sine dubio commendantis vox est, & Spiritus Sancti testimonium perhibentis: ac si decertanti viriliter militi Rex svus, pro cujus amore & honore decertat, propè assistens lætus applaudat, laudet fortia facta, proximam clamitet victoriam, parata jam præmia & coronam polliceatur æternam. In quo testimonio gloriatur siquidem probatus & streneus miles, minimè tamen quiescit, sed tantò acriùs viriliùsquè decertat. Itaque dum adhuc militant (d) gaudent vtique electi Dei, sed tantùm de primitiis spiritûs, qui & infirmitatem eorum adjuvat virtute sua, & pusillanimitatem sua consolatur attestatione. Unde & Apostolus: *Non est*, inquit, *regnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*. Iam verò consummato militiæ tempore gaudium habent Sancti etiam in spiritu suo, donec adueniat dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini sui, gaudium habituri & in ipso corpore suo. Sic habemus in Psalmo: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo*. Unde? Planè ex his quæ seqvuntur: *A fructu frumenti, vini & olei sui*. Audiuit enim eiusmodi anima vocem dicentis: *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus*. Vnde & Ioannes scribere jubetur in Apocalipsi: *Beati mortui qui in Domino moriuntur*. Quare beati? *Amodò enim jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis*. Unde & in Psalmo eis quæ supra posuimus verbis adiunctum est: *In pace in idipsum dormiam & requiescam*. Et de *operibus* habemus in Apocalipsi: *Opera enim illorum seqvuntur illos*. Ad quid verò sequntur, nisi ut laudent eos in portis? Ad quid seqvuntur, nisi ut multiplicentur à fructu eorum, & accipientes de fructu manuũ suarum, saginentur vituli quos ex prophetico testimonio cùm reædificabuntur muri Ierusalem, super Altare Domini nouimus imponendos? Interim quippè sub Altari eos esse & non supra, ipse nos doceat Joannes, cuius testimonium credibile factum est nimis, qui (ut scribit in Apocalipsi) sub Altari ipso eorum voces audivit. Adhuc ergo signatum est super eos lumen vultus Dominici, & licet non plenam, habent tamen lætitiam multam in corde suo, donec veniat dies illa qua implebit eos lætitiâ cum vultu suo, Interim inquam convertuntur Animæ illæ in requiem suam, donec veniat dies qua inrroire mereantur in requiem Domini. Adhuc laudant eas in portis opera sua, , donec veniat cùm erit vnicuique laus à Deo. Videtis, Fratres, quanta est vnitas Scripturarum, quàm vno sensu & eisdem penè verbis de Beatitudine loquantur Animarum. Jam verò nemo ex vobis paruam aliquam requiem [e] aut lætitiam suspicetur eorum, qui ab omni penitùs molestia liberi recogitant annos suos in dulcitudine animæ suæ: lætantur pro diebus quibus humiliati sunt, annis quibus viderunt mala: cum jucunda admiratione & mira jucunditate considerant pericula quæ euaserunt, labores quos pertulerunt, certamina quæ vicerunt. Et pro his omnibus certa & indubitata fide expectant beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & Salvatoris sui, qui resuscitabit corpora eorum configurata proprii Corporis claritati. Quanta est felicitas eorum (f) quàm immensa lætitia, qui nimirùm triplici gaudio, de *recordatione* transactæ virtutis, de *exhibitione* præsentis quietis, de certa *expectatione* consummationis exultant? Nam de *futura illa consummatione* habemus vocem eorum in fine ejus Psalmi de quo superiùs loquebamur. Dicunt enim singulæ Animæ illæ, quibus jam datũ est ad hanc requiem pervenire: *In pace in idipsum dormiam & requiscam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me*. Singulariter inquam in spe, non jam inter spem & metum, vbi priùs non sine solicitudine & anxietate plurima fluctuabant. Sic & de *præsenti* Sanctorum *requie* habemus in alio Psalmo scri-

c *Ibidem num. 3.* d *Ibidem num. 4.*

e *Ibidem num. 5.* f *Ibidem num. 6.*

ſcriptum: *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi*. Benè, inquam, fecit, quamvis necdum optimè. Deuique audi quàm benè: *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu*: id eſt, à peccato omni, & à peccati pæna: à timore quoque & à periculo recidendi penitùs liberauit. Hoc eſt ſuauiſſimum animæ ſtratum, quod nullis jam lauet aut riget lachrymis, quando abſterget Deus omnem lachrymā ab oculis ejus. Hoc *cubile* animæ eſt, in quo jam non compungitur, nec convertitur in ærumna ſua dum configitur ſpina. Exiit enim de terra illa, quæ ſpinas ei & tribulos germinabat. Hoc planè *ſtratum* animæ eſt, quod minimè jam verſatur in infirmitate ejus: quoniam vniuerſa quæ infirmitatis erant, pariter tranſierunt. Hæc eſt inquam animæ ſuauiſſima & ſaluberrima *requies*, conſcientia munda, quieta ſecura. Sit ergo beatæ animæ *culcitra* conſcientiæ ſuæ puritas, ſit *capitale* tranquillitas, ſit *opertorium* ejus ſecuritas: ut in hoc interim ſtrato dormiat delectabiliter, feliciter requieſcat. Jam verò de recordatione *tranſactæ virtutis* (g) habes in Pſalmo manifeſta verba Sanctorum, quæ ſuperiùs quoque commemoraui. Conſiderant enim, & multa cum admiratione recogitant à quibus laqueis quantiſquè periculis divino meruerint auxilio liberari, & exultantes in Domino dicunt: *Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſraël, niſi quia Dominus erat in nobis: cùm exurgerent homines in nos, fortè viuos deglutiſſent nos. Torrentem pertranſiuit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem*. Et addunt: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum*. Sed & verba quæ jam tempore ſuæ reſolutionis inſtante loquebatur Apoſtolus, de eo in quo nunc fæliciter requieſcit ſtatu præſumpta, videntur & nunc ei multò meliùs convenire: nunc enim jam ſecurè loquitur: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem juſtus judex*. Hæc ſunt dico vobis Fratres mei, hæc modò ſunt vniuerſa Sanctorum negocia, hic cibus, hic ſomnus eorum: & propterea voluit Spiritus Sanctus ſcribi verba ea quæ protulimus, cæteraquè ſimilia, ut ex his aliquatenùs innoteſceret nobis ſtatus Sanctorum. Longè aliter tamen afficiuntur in hujuſmodi meditationibus, & multò ampliùs delectantur, quàm noſtra aut cogitatio capere, aut explicare queat oratio. Quod autem reſtat adhuc de eadem materia, ſermoni alteri reſeruemus.

§. II.

Advertiſtis, ni fallor, [h] ex his quæ præcedenti ſermone ſunt dicta, tres eſſe Sanctarum ſtatus animarum. *Primum* videlicet in corpore corruptibili, *ſecundum* ſine corpore, *tertium* in beatitudine conſummata. *Primum* denique in tabernaculis, *ſecundum* in atriis, *tertium* in domo Dei. *Quàm dilecta* (inquit Propheta) *tabernacula tua Domine virtutum*: multò magis tamen atria concupiſcibilia, ſecundùm quod addit: *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini*. Sed quoniam in ipſis quoque atriis nonnullus (ut audiſtis) defectus eſt, *Beati omninò qui habitant in domo tua Domine*. O admirabilis domus (i) & dilectis tabernaculis & atriis concupiſcibilibus præferenda! Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Verumtamen multò magis *beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*. Siquidem glorioſa dicta ſunt de te domus Dei. *In tabernaculis* enim gemitus eſt pænitentiæ, *in atris* guſtus lætitiæ, *in te* ſatietas gloriæ. Hæc quidem eſt infima domus *orationis*, media *expectationis*, tu gratiarum *actionis & laudis*. Felix profectò qui hìc declinaverit à malo quod eſt culpa, & fecerit bonum: ut illic à malo quod eſt pæna liberetur, & in te recipiat bonum. Hìc nimirùm primitiæ ſpiritûs, illic diuitiæ, in te plenitudo, vbi bona illa menſura conferta & coagitata & ſupereffluens detur in ſinus veſtros. *Lætatus ſum* planè *in his quæ dicta ſunt mihi*, Fratres, (k) *quoniam in domum Domini ibimus*. Quod ſi quæritis unde id tam fiducialiter præſumam? Inde ſine dubio, quòd jam multi ex nobis in *atriis* ſtent expectantes donec recipiant corpora ſua, donec impleatur numerus fratrum. In illam enim beatiſſimam domum nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis: id eſt, nec Sancti ſine plebe, nec ſpiritus ſine carne. Neque enim præſtari decet integram Beatitudinem, donec ſit homo integer cui detur, nec perfectione donari Eccleſiam imperfectam. Propterea cùm reſurrectionem expectarent corporum, acceperunt divinum reſponſum dicens: *Suſtinete adhuc modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum veſtrorum*. Acceperunt jam ſinguli ſingulas ſtolas, ſed non veſtientur duplicibus donec veſtiamur & nos, quemadmodùm de Patriarchis & de Prophetis ait Apoſtolus: *Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non ſine nobis conſummarentur*. Stola enim *prima* ipſa eſt quam diximus felicitas & requies animarum: *ſecunda* verò ſtola eſt immortalitas & gloria corporum. Unde & dicunt: *Vindica Domine ſanguinem ſanctorum tuorum qui effuſus eſt*: non tanquam vindictæ cupidi, nec de propriæ vltionis zelo hæc dicunt, ſed ex deſiderio reſurrectionis & glorificationis corporum ſuorum, quam nimirùm uſque in diem judicii differendam eſſe non dubitant. Sed unde hoc tibi ô miſera caro, ô fæda & fædida caro unde tibi hoc? Animæ ſanctæ, quas propria Deus inſigniuit imagine, te deſiderant: quas redemit proprio Sanguine, te expectant: & ipſarum ſine te compleri lætitia, perfici gloria, conſummari Beatitudo non poteſt. Adeo ſiquidem viget in eis deſiderium hoc naturale, ut nedum tota earum affectio liberè pergat in Deum, ſed contrahatur quodammodò, & rugam faciat dum inclinantur deſiderio tui. Unde & Beatus Joannes (qui multa nobis de eo ſtatu, in quo fæliciter beatæ animæ requieſcunt, per ſpiritum reſerauit:) *Sine macula* (inquit) *ſunt ante thronum Dei. Sine macula*, inquam, ſed necdum ſine ruga: donec veniat dies, cùm ſibi glorioſam Chriſtus exhibebit

Nnn Eccle-

g *Ibidem num. 7. & 8.* h *Ser. 3. de omn. Sanct. num. 1.*

i *Ser. 4. in dedicat. Eccleſ. num. 4.* k *Ser. 3. de omn. Sanct. num. 1. & 2.*

Ecclesiam non habentem maculam neque rugam. In his namque qui adhuc *militant*, nec sine macula quidem Ecclesia est: quoniam nemo mundus à sorde, nec infans cujus est unius diei vita super terram: quam vtique vitam beatus Job militiam esse testatur. In his verò qui *sub Altari* Domini requiescunt, jam quidem sine macula est Ecclesia, sicut habes in Psalmo: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur*, inquit, *sine macula.* Hic ergo requiescet in monte Domini qui ingreditur sine macula: qui verò fuerit sine ruga, exaltabitur *supra montem*. Christus Dominus mons est [l] mons vtique coagulatus, & mons pinguis: mons est sublimitate, coagulatus multorum congerie, pinguis charitate. Magnus mons est, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt: in quo tota humanitas veritas, tota Divinitatis inhabitat plenitudo: in quo omnia instaurantur quæ in cælis sunt & quæ super terram, ut sit Deus omnia in omnibus. Sed si vis scire (m) quando erunt sine ruga Animæ sanctæ, quando extendentur cæli sicut pellis quæ dilatatur penitùs, ut nec minima quidem ruga inveniatur in ea: tunc sine dubio quando jam sequentur Agnum quocunque ierit. Uerè enim extendi & dilatari necesse est Animas, quibus vbique sequendus est Agnus. Nos autem si festinamus in illam ingredi requiem (n) per multas tribulationes nobis transeundum est. Et priùs quidem donec sumus in tribulatione, magnum nobis videtur aspirare ad requiem, tanquam nihil simus amplius desideraturi. Verùm non erit nobis requies, ne in requie ipsa, à desiderio gloriæ, à desiderio resurrectionis. *Amodò* (inquit Joannes Apostolus) *jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* A labore ergo requiescunt, qui in Domino moriuntur, sed non requiescunt interim à clamore. Martyres vtique (o) cùm judicii diem postularent, non tanquam vindictæ cupidi, sed perfectionem desiderantes Beatitudinis quam tunc habituri sunt, acceperunt divinum responsum: *Sustinete adhuc modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum vestrorũ*. Acceperunt quidem jam singulas Stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. Vadia tenemus & obsides ipsa eorum corpora, sine quibus consummari non possunt, nec ea recipient sine nobis. Unde de Patriarchis & Prophetis ait Apostolus: *Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur*. Denique (p) sub throno Dei clamant animæ occisorum: quia & si nihil habeant quod molestet, nondum tamen totum habent quod delectet, donec requiem resurrectio, donec sabbatum Pascha sequatur.

§. III.

Hæc est autem beata spes (q) quam expectant animæ sanctæ & licet in gratiarum actione versentur pro ea felicitate in qua requiescunt, adhuc tamen orant & clamant ad Deum pro ea consummatione quam præstolantur. Unde quemadmodùm sine macula quidem vetustatis, sed non sine ruga contractionis eas diximus esse: sic ad gratiarum actionem jam pervenisse videntur, sed necdum ad vocem laudis, quoniam perfectum perfectos laudare docet, ut laudetur cum hæreditate sua: quando autem jam & ipsi laudabunt eum, tunc erit vnicuique laus à Deo. Unde & Propheta David signanter futuri temporis verbo vsus videtur: *Beati*, inquiens, *qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Nam & Beatus Joannes in Apocalipsi non vocem laudis, sed potiùs vocem precis audivit. Sic enim habes: *Sub altari Dei audivi voces occisorum*. Quas voces? *Vindica Domine sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est*. Vox precis, non laudis est ista. Sed quousque à longè circumdamus Altare istud, & veremur accedere? Desiderat (ni fallor) Charitas Vestra audire sacramentum Altaris hujus, & sacrum secretumquè nosse mysterium. Sed quis ego sum, qui Sanctorum cubiculum facilè audeam temerarius perscrutator irrumpere? Quasi verò non legerim scrutatorem Majestatis opprimendum à gloria? Verumtamen Altare ipsum ego pro meo sapere [r] nihil aliud arbitror esse quàm Corpus ipsum Domini Salvatoris. Credo autem quod & ego super hoc sensum ejus habeam, præsertim cùm audiam eum in Euangelio promittentem: *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. Interim ergo sub Christi Humanitate fæliciter Sancti quiescunt (in quam nimirùm desiderant etiam ipsi Angeli prospicere) donec veniat tempus quando jam non sub Altari collocentur, sed exaltentur super Altare. Sed quid dixi? Numquid Humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel Angelorum assequi poterit quis, nedum superare? Quonam igitur modo super Altare dixerim exaltandos eos, qui nunc sub Altari quiescunt? Uisione vtique & contemplatione, non prælatione. Ostendet enim nobis Filius, (ut pollicitus est) semetipsum, non in forma servi, sed in forma Dei. Ex Evangelio collige claritatem [s] quam nunc habet Deus Homo secundùm hominem clarificatus, qui appropinquante tempore quo transiturus erat de hoc mundo ad Patrem, assumpsit Petrum & Joannem & Jacobum, & ascendit super montem Thabor, *& transfiguratus est ante eos, & splendida facta est facies eius sicut sol, & vestimenta ejus sicut nix.* Et apparentibus Moyse & Elia, cùm intuerentur claritatem vultûs ejus, ferre fulgorem non poterant, sed timentes valdè & consternati animis, quasi exanimes lapsi sunt super terram. Si autem tanti iubaris, tam radiosi splendoris, humanis obtutibus tam importabilis claritas apparere dignatus est, Corpore adhuc mortalitati obnoxio, & membris nondum corruptionis exutis: quantam claritatem credere inesse debemus Filio Dei in forma Hominis assumpti, jam glorificati, jam super cælos cælorum exaltati, jam constituto in die virtutis suæ, in splendoribus sanctorum, vbi Pater iucunditatem & exultationem thesaurizans ait: *Ante Luciferum genui te*. Ibi reuera lucet, in die virtutis suæ, in die æternitatis suæ. Hanc nimirùm

l *Ser. 33. diuer. n. 8.* m *Ser. 2. de omn. San. n. 2.* n *Ser. 3. in Dom. Palm. n. 5.* o *Ser. 2. in Vig. Nat. Dom. n. 5.* p *Ser. 3. in Dom. Palm. n. 5.* q *Ser. 3. de omn. San. n. 4.*

r *Ser. 4. de omn. San. n. 3.* s *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 7. n. 21.*

diem nulla nox interpolat (t) nulla interrumpit obscuritas, nulla caligo sequestrat. Ibi circumdatur abysso luminis, ibi immensum pelagus claritatis. Ibi ipse Christus tanquam sol refulget in clypeos aureos, & replendent montes ab eo. Ibi illustrantur ab eo Sancti. Vnde Propheta ait: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis*. Et rursùm scriptum est: *In circuitu tuo Domine lumen est, quod nunquam deficiet: ibi requiescunt Sanctorum animæ* Et iterum: *Sanctum est verum lumen & admirabile ministrans lucem his, qui permanserunt in agone certaminis, recipiunt à Christo splendorem sempiternum, in quo assiduè felices lætantur*. Martyres cupiunt dissolui [u] & esse cum Christo, certi, vbicunque est corpus, illò sine mora congregatum iri & aquilas. Mox inquam ibi exultant iusti in conspectu Dei, & delectantur in lætitia. Ibi ibi benignissime Jesu, ibi statim ut de hoc sæculo nequam sanctus quisque eripitur, adimpletur lætitiâ cum vultu tuo. Magna vis prorsùs amoris (x) illas animas Sanctorum Martyrum introrsùm rapuerat, quæ sua corpora foris exponere, & tormenta contemnere valuerunt. At profectò doloris acerrimi sensus non potuit non turbare serenum, etsi non perturbare. Quid autem jam solutas corporibus? Immersas ex toto credimus immenso illi pelago æterni luminis, & luminosæ æternitatis. Sed si (quod non negatur) velint sua corpora recepisse, aut certè recipere desiderent & sperent, liquet proculdubio necdum à seipsis penitùs immutatas, quibus constat necdum penitùs deesse de proprio, quo vel modicè intentio reflectatur. Donec ergo absorpta sit mors in victoria, & noctis vndique terminos lux perennis invadat & occupet vsquequaque, quatenùs & in corporibus gloria cælestis effulgeat: non possunt ex toto Animæ seipsas exponere, & transire in Deum, nimirùm ligatæ corporibus etiam tunc, etsi non vitâ vel sensu, certè affectu naturali, ita ut absque his nec velint nec valeant consummari. Sanctorum ænimæ terrenis exutæ corporibus [y] quæ jam ad sedes æthereas euolaverunt, licet bibant, non tamen adimplentur, non tamen inebriantur. Quamvis enim multa Beatitudine perfruantur, expectant tamen resurrectionem mortuorum corporum, ut cùm in terra sua duplicia possederint, sempiternâ perfundantur lætitiâ. Modò enim illis singulis singulæ stolæ albæ datæ sunt, & iniunctum est ut sustineant tempus adhuc modicum, donec impii conterantur duplici contritione, & justi gemina beatitudine coronentur. Cùm ergo nondum habeant quod habere desiderant, inebriari non possunt, sed est eis illa visio potus: ut sicut absque laborare bibitur, ita sine labore quiescatur, donec satientur cùm apparverit gloria sua. Cùm autem resurgemus in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi, & gloriosa illa civitas margaritis ornabitur, & sicut lætantium omnium habitatio erit in ea: tunc adimplebit nos lætitiâ cum vultu suo, *quia videbimus eum sicuti est*. Tunc inebriabimur ab vbertate domus suæ, & torrente voluptatis suæ potabit nos, dicetquè nobis: *Bibite & inebriamini charissimi*: quia & anima illuminationem, & corpus glorificationem jure perpetuo possidebunt. Quod ipse nobis largiri dignetur (z) qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

t Ibidem num. 22. u Epist. 98. num. 8. x Tract. de diligen. Deo cap. 10. num. 29. & cap. 11. n. 30. y Ser. 41. diuer. num. 12.

CAPUT VII.

De cælesti convivio, in quo epulantur Animæ Sanctorum in regno Dei.

Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. *Cant. 5.*

1. *Ostenditur, contemplationem pro diverso temporum statu vocari cibum, potum, & ebrietatem. Comedunt qui in carne degunt: bibunt qui sunt carne exuti; ebrietas reservatur animæ simul & corpori post resurrectionem. Ostenditur, corpus tripliciter cooperari animæ in bonum: primò ad fructum pænitentiæ, secundò ad requiem, tertiò ad consummationem. Agitur de triplici statu hominis, quorum primus est ante mortem, secundus post mortem, tertius post resurrectionem.* 2. *Ostenditur, Christum celebrare triplex convivium electis suis; in primo cibat laborantes ante mortem: in secundo potat quiescentes post mortem: in tertio inebriabit regnantes post resurrectionem. Docemur, electos Dei in hac vita positos esse inter duas mensas mundanorum, & Cælestium: qui ab utraque probibentur professionis voto, & corporis vinculo.* 3. *Ostenditur, botrum vitis nostræ, id est Christi, designare fructum redemptionis nostræ qui comeditur in præsenti vita, & bibetur in futura. Per comestionem delectatio mentis, per potum gaudia vitæ æternæ significantur. In præsenti vita omnia parcè dantur, in futura autem vita copiosè sine mensura accipiuntur. Septem sunt quæ convivium cæleste perficiunt.*

§. I.

Regnum Dei conceditur, (a) promittitur, ostenditur, percipitur. Conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in justificatione, in glorificatione percipitur. Vnde est illud: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum Dei*. O quàm gloriosum est regnum illud (b) in quo Reges congregati sunt, convenerunt in vnum, ad laudandū scilicet & glorificandum eum, qui super omnes est Rex regum & Dominus dominantium. De cujus splendidissima contemplatione *fulgebunt justi sicut Sol in regno Patris eorum*. Notandum est autem (c) quòd contemplatio tribus modis pro diverso statu temporum distinguitur. *Primò* quidem vocatur cibus, *secundò* potus, *tertiò* ebrietas. Vnde & in sequentibus verbis electi quoque voce Sponsi inuitantur dicentis: *Comedite amici; & bibite, & inebriamini charissimi*. Priùs *comedunt*, dum in carne adhuc corruptibili degunt. Postmodùm verò corpore exuti, & in cælum translati jam bibe-

z Ser. 7 in vit. Cæna num. 52. a Ser. 21. diuer. num. 1. b Ser. 4. sup. ... sui num. 2. c Ser. 87. diuer. num. 4.

bibere dicuntur eadem quæ priùs comederant: quia jam per speciem contemplantur sine labore, quæ priùs per fidem crediderant, dum in corpore politi peregrinarentur à domino, & in sudore vultus sui vescerentur pane suo: sicut & nos faciliùs sumimus ea quæ bibimus, quàm illa quæ mandimus: quia in illis nonnullus labor, in his levis est transitus. In hoc ergo statu politi Sancti bibere quidem possunt, sed *inebriati* non possunt: quoniam à perfectissima contemplatione Divinitatis quodammodò retardantur, dum adhuc resurrectionem sui corporis in fine sæculi præstolantur. Qua facta ita corpus menti, & Deo mens inhærebit, ut jam deinceps nihil sit, quo ab interna ebrietate contemplationis revocari possit. Nec mirum si corpus jam gloriæ conferre videtur spiritui [d] quod & infirmum & mortale constat ipsi non mediocriter valuisse. O quàm verum locutus est Paulus Apostolus, qui dixit, *diligentibus Deum omnia cooperari in bonum*. Valet Deum diligenti animæ corpus suum infirmum, valet & mortuum, valet & resuscitatum. *Primò* quidem ad fructum pænitentiæ, *secundò* ad requiem, *tertiò* ad consummationem. Meritò sine illo perfici non vult, quod in omni statu in bonum sibi subservire persentit. Bonus planè fidusquè comes caro spiritui bono [e] quæ ipsum aut si onerat, juvat: aut si non juvat, exonerat: aut certè juvat, & minimè onerat. *Primus* status est quidem laboriosus, sed fructuosus. *Secundus* status est ociosus, sed minimè fastidiosus. *Tertius* status est gloriosus. Audi & Sponsum in canticis ad profectum hunc trimodum inuitantem: *Comedite amici*, inquit, *& bibite*, *& inebriamini charissimi*. Laborantes in corpore vocat ad *cibum*: jam posito corpore quiescentes ad *potum* invitat: resumentes corpora etiam ut *inebrientur* impellit; quos & vocat charissimos, nimirùm charitate plenissimos. Nam & in cæteris quos non charissimos sed amicos appellat, differentia est, ut hi quidem qui in carne adhuc gravati gemunt, *chari* habeantur pro charitate quam habent: qui verò soluti jam carnis compede sunt, eò sint *chariores*, quò & promptiores atque expeditiores facti ad amandum. Porrò præ utrisque meritò nominantur & sunt *charissimi*, qui receptâ jam secundâ stolâ (in corporibus utique cum gloria resumptis) tantò in Dei feruntur amorem liberiores & alacriores, quantò & de proprio nil jam residuum est, quod eos aliquatenùs sollicitet vel retardet. Quod quidem neuter sibi reliquorum statuum vendicat: cùm & in priori statu corpus cum labore portetur, & in secundo quoque non sine proprietate aliqua desiderii expectetur. Primò ergo fidelis anima comedit *panem* suum [f] sed heu, *in sudore vultus sui*. In carne quippè manens adhuc ambulat per fidem, quam sanè operari per dilectionem necesse est: quia si non operatur, mortua est. Dehinc carne exuta jam pane doloris non cibatur, sed *vinum amoris* tanquam post cibum pleniùs haurire permittitur: non purum tamen vinum, sed quomodo sub Sponsi nomine in canticis dictum legitur: *Bibi vinum meum cum lacte meo*. Vino enim divini amoris etiam tunc Anima suavitatem naturalis immiscet affectionis, qua nimirùm resumere corpus suũ, ipsumquè glorificatum desiderat. Æstuat quidẽ jam tunc sanctæ charitatis potata vino, sed planè nondum usque ad ebrietatem: quoniam temperat interim ardorem illum huius lactis permixtio. Ebrietas denique solet euertere mentes, atque omninò reddere immemores sui. At non ex toto sui oblita est, quę adhuc de proprio corpore cogitat suscitando. Cæterùm hoc adepto quod solum vtique deerat, quid jam impedit à seipsa quodammodò abire, & ire totam in Deum, eòquè sibi penitùs dissimillimam fieri, quò Deo simillimam effici donatur? Tum demùm ad craterem admissa Sapientiæ, illum de quo legitur: *Et calix meus inebrians quàm præclarus est*! quid mirum jam si *inebriatur* ab vbertate domûs Dei, cùm, nulla mordente cura, de proprio secura bibit purum & nouum illud vinum cum Christo in regno Patris ejus? Hæc autem sobria ebrietas vino charitatis efficitur (g) sicut Sponsus in cantico amoris insinuat dicens: *Comedite amici*, *bibete*, *& inebriamini charissimi*. In vita primùm *panem lachrymarum* in sudore vultus sui comedit anima militans Deo: post exitum hujus vitæ non pascitur pane doloris, quia jam non erit dolor neque luctus, quoniam priora transierunt: sed *amatorio poculo* reficietur & inebriabitur, juxta illud: *Et calix meus inebrians quàm præclarus est*! De hoc etiam calice credo Esaiam dixisse: *Ad te quoque filia Edom venit calix*, *& inebriaberis*. *Inebriabitur* ergo *ab vbertate domus Dei*, bibens vinum verum & nouum in regno Patris Christi. Paratum est profectò illis nuptiis flumen vini [h] vini inquam illius quod lætificat cor. Siquidem fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Habet quoque contemplatio (i) ex adipe frumenti solidum cibum sapientiæ pariter cum vino quod lætificat cor hominis, ad quæ Veritas perfectos inuitat dicens: *Comedite amici mei*, *& bibite*, *& inebriamini charissimi*. Heu mihi (k) Domine Deus virtutum quousque irasceris super orationem serui tui, cibabis me pane lachrymarum, & potum dabis mihi in lachrymis? Quis me inuitabit ad illud dulce charitatis conuiuium, ubi justi epulantur in conspectu Dei, & delectantur in lætitia ut jam non loquens in amaritudine animæ meæ, dicam Deo, *Noli me condemnare*: sed epulando in azimis sinceritatis & veritatis, lætus cantem in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini?

§. II.

Denique (l) convivium triplex celebrat Sapientia (*Christus Dominus*) & ex una complet charitate: ipsa cibans laborantes, ipsa potans quiescentes, ipsa regnantes inebrians. Quomodo autem in convivio corporali ante cibus quàm potus apponitur, quoniam & tali ordine natura requirit. Ita & hîc primò quidem ante mortem in carne mortali labores manuum nostrarum *manducamus*, cum labore quod glutiendum est masticantes: post mortem verò in vita spirituali jam *bibimus*, suavissima quadam facilitate quod percipitur colantes: tandem re-

d *Tract. de diligen. Deo cap. 11. num. 30.* e *Ibidem num. 31.* f *Ibidem num. 32.*

g *Lib. 7. de amore Dei cap. 21. num. 133.* h *Ser. 2. In Dom. 1. post Epiph. num. 4.* i *Tract. de grat. humil. cap. 2. num. 4.* k *Ibidem num. 5.* l *Tract. de diligen. Deo cap. 11 n. 33.*

redivivis corporibus in vita immortali *inebriabimur*, mira plenitudine exuberantes. Hæc pro eo quod Sponsus in canticis dicit: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi*. *Comedite* ante mortem, *bibite* poſt mortem, *inebriamini* poſt reſurrectionem. Meritò jam *chariſſimi*, qui charitate inebriantur: & meritò inebriati, qui ad nuptias Agni introduci merentur, edentes & bibentes ſuper menſam illius in regno ſuo, quando ſibi jam exhibet glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid hujuſmodi. Tunc prorsùs inebriat chariſſimos ſuos, tunc torrente voluptatis ſuæ potat, quoniam quidem in complexu illo arctiſſimo & caſtiſſimo Sponſi & Sponſæ, *fluminis impetus lætificat civitatem Dei*. Quod non aliud eſſe arbitror quàm Dei Filium: qui *tranſiens miniſtrat*, quemadmodùm ipſe promiſit, ut ex hoc jam *Juſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia*. Hinc illa ſatietas ſine faſtidio. Hinc inſatiabilis illa ſine inquietudine curioſitas. Hinc æternum illud atque inexplicabile deſiderium neſciens egeſtatem. Hinc denique ſobria illa ebrietas, vero, non mero ingurgitans: non madens vino, ſed ardens Deo. O verè felix (m) & glorioſa ſatietas! ô ſanctum convivium! ô deſiderabiles epulæ! ubi nimirùm anxietas nulla, nullum poterit eſſe faſtidium, quoniam ſatietas ſumma, & ſummum inerit deſiderium. Quæ etſi dentur ad plenitudinem (n) nunquam tamen ad ſatietatem. *Qui edunt me* (ait) *adhuc eſurient*. O Deus bone (quem amare, edere eſt) quomodò amantes te ſic reficis ut magis eſuriant, niſi quia tu ſimul cibus es & eſuries. Et qui te non guſtaverit, te prorsùs eſurire neſcit. Ad hoc ergo cibas, ut eſurire facias. *Eſurientes* (ait illa plena gratiâ) *implevit bonis*. Quibus bonis? Nolo à me quæras, quæ ſunt bona charitatis. Profectò æſtimo illa eſſe de quibus dicitur per Eſaiam. *Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti timentibus te*. Et Apoſtolus ait: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt eum*. Audis diligentibus præparata, & dilectionis bona fore non ambigas. In hac enim dilectione repoſitæ ſunt æternitatis deliciæ, & omnis cæleſtis ſuavitas. In hac ſunt *pax & patientia, longanimitas & gaudium in Spiritu ſancto*, & quidquid jucundum mente concipi poteſt, & ultra. Hoc, inquam, præparaſti diligentibus te: ſed abſcondiſti timentibus te, donec charitas foras velamen mittat timoris, & videre poſſint *quàm magna ſit multitudo dulcedinis tuæ*: quæ etſi replet, ſatiat nunquam. Verumtamen obiicies forſitan illud: [o] *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*: & illud quod Jeruſalem quæ ſurſum eſt, *adipe frumenti ſatiatur*. Sed ſatietatem ibi deſiderati abundantiam notare noveris, non deſiderii finem. Finis autem deſiderii (ut ait quidam) ſatietas eſt. Qui verò ſemper eſuriunt, liquet quòd ſatiati non ſunt. Eſt verè beata eſuries, quæ ſolum eſurit quod habet, & ſolū habet quod eſurit. Maria Virgo ait: (p) *Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes*: Prius humiliavit, poſtea pavit: prophetiæ ſpiritus eſt: futura jam quaſi præterita narrat: nondū enim bonis impleti ſunt eſurientes. Si enim bonis impleti ſunt: quomodò eſurientes, quomodò bonis impleti? Niſi fortè dicamus ſecundùm illud: *In quem concupiſcunt Angeli proſpicere*: qui tamen ſemper vident faciem Patris, & eſurientes ſunt, & impleti bonis habent deſiderium in ſatietate, & ſatietatem in deſiderio. Sed ſatietas illa eſt ſine faſtidio, & eſuries ſine cruciatu: imò ipſa beata eſuries ſemper ſatiat eos. Sed non ſicut in patria, ſic in via ſitiunt & eſuriunt juſtitiam. In patria ſaturabuntur, cùm manifeſtabitur gloria: & tamen etiā hîc in via eſurientes implentur bonis, hoc eſt, Spiritus ſancti donis. Ad hoc etiam paſcit nos Deus in via iſta, & eſurientes implet bonis, conſolationibus ſuis: ut tandem efficiamur Iſraël, id eſt, contemplativi. Contemplatio dicitur *cibus* in hac vita (q) ubi in ſudore veſcimur pane noſtro. *Potus* in futura vita, ubi liberè & ſine dolore ſumitur. *Ebrietas* in ultimo, cùm anima recepto corpore congaudebit. Unde dicitur: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi*. Propheta quoque David inquit: (r) *Juſti epulentur in conſpectu Dei*. Et de ſeipſo: *Satiabor*, ait, *cùm apparuerit gloria tua*. Sed & Dominus ad Apoſtolos ait: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam*. Sed ubi? *In regno meo*, inquit. Beatus planè qui manducabit panem in regno Dei. Hoc eſt celeberrimum & regale convivium (s) in quo juſti epulantur, & exultant in conſpectu Dei, & delectantur in lætitia. Nos verò mendici ſumus (t) præbendâ Dei viventes. Mendici, inquam, jacentes ante januam Regis prædivitis, ulceribus pleni, & cupientes ſaturari, imò & ſuſtentari de micis, quæ cadunt de menſa dominorum noſtrorum. Cæleſtes illos convivas dico (u) qui replentur ab ubertate domus Dei. Nempe delitiis affluunt (x) & menſuram accipiunt bonam & confertam & ſupereffluentem. Confidimus ergo quoniam erit qui det nobis. Chaos enim magnum & diſtantia multa inter liberalitatem & benignitatem Dei, & avari divitis crudelitatem. Unum adhuc dico (y) ut occaſionem vobis dediſſe videar, & cætera quoque ſimiliter advertatis. Nonne velut inter duas menſas poſiti epulantes hinc inde ſpectamus jejuni? Sic ſumus omninò, ſic ſumus. Unde ergo ſic poſitis riſus, unde jocus, unde levitas, unde ſuperbia, unde extollentia oculorum? An fortè non agnoſcimus menſas, non conſideramus epulas, delicias non videmus? Hinc mihi ſunt quos video delicioſè viventes in omnibus bonis ſenſibilis hujus mundi: inde contemplor alios quibus diſpoſuit Chriſtus regnum, ut edant & bibant ſuper menſam ejus in regno Patris ſui. Utrobique video ſimiles mei homines, fratres meos, & heu me, ad neutram licet extendere manum. Ab utraque menſa prohibeor, ab hac quidem profeſſionis voto, ab illa corporis vinculo: ut nec ad inferiorem audeam, nec ad ſuperiorem menſam accedere poſſim. Quid inter hæc reſtat niſi comedere panem doloris, ut ſint mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, ſi quis fortè cæleſtium convivarum miſericordiâ motus,

tus,

m *Ser. 1. de omn. Sanct. n. 11.* n *Libr. 2. de Amore Dei cap. 2. n. 10.* o *Ibidem nu. 11.* p *Ser. ſuper. Magnificat. nu. 9. tom. 6. pag. 558.* q *Lib. ſentent. num. 52. tom. 6. pag. 1009.* r *Ser. 2. de virg. Deip. num. 1.* s *Ser. 2. in Cœna. Dom. num. 7.* t *Ser. 1. de omn. San. num. 2.* u *Ser. 3. in dedicat. Eccl. num. 2.* x *Ser. 1. de omn. Sau. num. 2.* y *Ser. 39. diver. num. 2.*

tus, in os latrantis sub mensa catuli vel exigua aliqua delitiarum illarum fragmenta dimittat? Verumtamen (z) numquid ibi vinum deficiet? Absit. *Inebriabimur ibi ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ejus potabimur*. Paratum est profectò illis nuptiis flumen vini, vini inquam illius quod lætificat cor. Siquidem fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Interim dulce pigmentum apponitur invitatis de Cyprio vino (a) & preciosis & peregrinis (quia nobis adhuc inexpertis) speciebus conditum. *Botrus Cypri* (inquit sponsa) *dilectus meus mihi*. Botrus Cypri, Christus est secundùm Deitatem. Botrus Cypri, est Christus in Resurrectione. Botrus Cypri, est abundantia gaudiorum inebrians.

§. III.

Hîc advertendum puto (b) quòd Vitis nostræ fructus & comeditur & bibitur. Masticatur enim vua, bibitur verò vinum: quòd in vino continetur & in utroque usu jucunditas est, sed in vino & jucunditas & utilitas prolixior est, quod ad botri hujus (de quo locuti sumus) fruitionem mihi pertinere videtur. In præsenti enim vita hunc botrum masticamus, cùm suavitatem, jucunditatem, & utilitatem nostræ redemptionis dentibus intellectûs nostri discutimus; cùm Resurrectionis potentiam, Ascensionis gloriam, & adventus Spiritus Sancti utilitatem in cordis nostris consideratione versamus tanquam vuas in ore, fitquè de his nonnunquam aliqua lætitia cordi nostro. Erit autem Christus postquam cessaverit tempus, id est mutabilitas temporum, quando hæc jam non comedemus, sed bibemus, inæstimabilem de his perpetuam lætitiam consecuti. In comedendo enim aliquis labor est: quod verò bibitur, sine labore recipitur. Unde per comestionem delectatio quæcunque vel qualiscunque vel quantacunque significatur, quæ sine corpore non percipitur: sed semper aggravat animam. Per potum verò sine labore acceptum significantur gaudia illius loci & temporis, ubi & quando jam non erit luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam hæc omnia transierunt. Et ipse ab æterno stabilis, qui pro nobis ne velut umbra transiremus, transiens factus fuit, ministrabit nobis. Ibi etiam tunc jam non cum labore & timore & impedimento corporis mortis hujus comedemus, sed cum magna jucunditate bibemus vinum redemptionis nostræ: & secundùm naturam nobile vinum, quantò plus biberimus licet saturemur, tantò plus sitiemus admirantes & laudantes sine termino & sine intermissione bonitatem admirabilem Redemptoris nostri, quam in fructum redemptionis nostræ circa nos volvit exhibere. Et vide (c) si non ista differentia cibi & potûs nobis in verbis Sponsi in cantico amoris commendatur cum ait: *Comedete amici, & bibite, & inebriamini charissimi*. Præmonet enim *comedere*, quod utique ad præsentem vitam pertinet, in qua (sicut diximus) contemplatio labori actionis admixta est. In futura verò vita, quæ omni actione caret, gaudio tanquam *poculo* perfruemur. Bibemus enim & inebriabimur ab vbertate domûs Dei, & torrente voluptatis ejus potabimur: jam nos tunc esse Regis & Sponsi nostri *charissimos* liquidò cognoscentes, cùm aqua omnis laboris & actionis terrenæ in vinum divinæ contemplationis commutabitur, implebunturquè omnes hydriæ usque ad summum. Omnes enim implebuntur in bonis domus Domini, cùm illæ desiderabiles nuptiæ Sponsi, id est Christi, & Sponsæ, id est universalis Ecclesiæ celebrabuntur. Bibeturquè in summa lætitia cordis omnium clamantium Domino & dicentium: *Tu bonum vinum servasti usque adhuc*? Nos autem dicimus hanc lætitiam per cibum significari, cùm scriptum sit: *Ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*, licet expositio præcedentis auctoritatis etiam in hac possit locum obtinere. Si verò asserat aliquis indignum fore, ut tanta Vitis tantum laborata & laborans unum tantùm botrum produxerit, potest si vult ea quæ nos grana appellamus, botros appellare, & singulis aliquam granorum multitudinem adiungere. Verumtamen non irrationabiliter in præsenti botros Vitis inveniemus [d] si omnes Ecclesias, omnia Monasteria, omnes Congregationes quæ in universa Ecclesia sunt, volumus intueri. Hos enim botros quis produxit, nisi Vitis nostra? Nam & Christus & Ecclesia Vitis una sunt, sicut unum corpus singulæ Congregationes sunt singuli botri: grana verò singularitatem exprimunt personarum, & non inconvenienter, ut mihi videtur. Nam per exteriorem folliculum grani sive vuæ corpus exprimitur, per nucleos ossa, per liquorem anima figuratur vel sanguis, qui est sedes animæ. In morte hominis anima à corpore tanquam vinum de acino exprimitur: & si dignum fuerit, in regale defertur cellarium Paradisi cælestis, ut gaudium fiat Regi cælesti, & convivis suis Beatis qui ad nuptias Agni vocati sunt & perveniunt. Bibit enim & ipse Sponsus vinum proprium de vite sua, & de vinea sua, Ecclesia scilicet, cujus & ipse Caput est. Bibit & ipse sangvinem vuarum meracissimum, scilicet animas Sanctorum expressas, & separatas ab acinis in torculari crucis, in labore & siti, in frigore & nuditate, in vigiliis multis, & aliis exercitiis spiritualibus. Bibet has, id est sibi delectabiliter incorporabit, faciens ut unus spiritus secum effectæ cum ipso & in ipso à cunctis de cætero laboribus requiescant. Hinc commovetur intra me spiritus meus [e] spirans nimirùm ad illam patriam, in qua nec numerus est, nec mensura, nec pondus. Quãdiu enim in pondere & mensura & numero universa corporis & animæ bona recipio? Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo? Nam de corporali cibo ad Adam dictum est, & pervenit usque ad me: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Sed & cùm laboravero, panis datur mihi in pondere, potus in mensura, pulmenta in numero. Et de corporali quidem sic. Quid verò de spirituali? Utique antequam comedam, suspiro: atque utinam cùm suspiravero & flevero, vel fragmentum exiguum merear de cælesti convivio, & tanquam catellus edam de micis, quæ cadunt de mensa dominorum meorum. O Jerusalem civitas Regis magni, qui te ex adipe frumenti satiat, & quam fluminis impetus lætificat, in te nec pondus utiq; nec mensura, sed satietas est & affluentia

z *Ser. 2. in Dom. 1. post. oct. Epiph. num. 4.* a *Ser. 2. in Cœna Dom. num. 7.* b *Tract. de vite myst. cap. 46, num. 192.* c *Ibidem num. 193.* d *Ibidem. 194.* e *Ser. 1. in Septuag. num. 3.*

tia summa. Sed nec habes numerum; quippè cujus participatio ejus in idipsum. Ego verò qui totus sum in vicissitudine & numero, quandò veniam ad unam illam quam requiro? Quandò satiabor apparente gloria tua Domine? Quandò inebriabor ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ quandò potabis me? Nunc enim tam exigua sunt stillicidia stillantia super terram, ut nec glutire quidem possim salivam meam. O felix convivium (f) ubi Dominus mensæ est convivium & conviva: cui etiam non desunt plendida ministeria Angelorum. Sunt denique ibi septem (g) quæ illud dulce convivium perficiunt, & beatum faciunt: nimirùm loci amænitas, ministrorum dignitas, pulchritudo discumbentium, multiplicitas ferculorum, convivarum securitas, jubili assiduitas, convivii æternitas. Proinde meritò sponsa illò suspirat, (h) meritò inhiat loco pascuæ simul & pacis, sed quietis, sed securitatis, sed exultationis, sed admirationis, sed stuporis. Nam & me miserum heu longè agentem, & à longè salutantem, en ipsa ejus recordatio ad lachrymas provocat, planè juxta affectionem & vocem dicentium cum Propheta David: *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion*. Libet exclamare & me cum sponsa pariter & cum Propheta: *Lauda Deum tuum Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te: qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te*. Quis non illic vehementer cupiat pasci & propter *pacem*, & propter *adipem*, & propter *satietatem*? Nihil ibi formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit. Tota habitatio est *Paradisus*, dulce pabulum *Verbum*, opulentia multa nimis *Æternitas*. Sed hoc sermoni alteri reservetur: (i) ut semper quæ in mensa Sponsi nobis apponuntur, cum aviditate sumentes, eructemus in ipsius laudem & gloriam Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT VIII.

De gaudio Sanctorum epulantium & jubilantium in regno Dei: ac de triplici illo præmio Sanctarum Virginum, quod obtinebunt in regno cælesti.

Non est regnum Dei esca & potus: sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.
S. Paul. Epist. ad Rom. 14.

1. *Ostenditur, qualisnam sit cibus & potus in regno Dei. Reprehenduntur sæculares homines dediti delitiis & luxui: docenturquè ut faciant justitiam, si velint apprehendere gaudium perpetuū in altero sæculo. Duo sunt genera compunctionis: primum consistit in pænitentia pro peccatis, alterum in desiderio gaudiorum cælestium.* 2. *Ostenditur, magnam fore lætitiam Sanctorum in cælo, ubi cantabunt Deo psalmos suos.* 3. *ostenditur, solas Virgines cantaturas esse nouum Canticum in regno Dei. Docemur sectandam esse virginitatem & conservandam propter tria præmia vitæ æternæ. Primum est illud, quia Virgines sequentur Agnum quocunque ierit: secundum est, quia cantabunt canticum nouum.* 4. *Tertium præmium Virginum est illud, quia solis Virginibus dabitur Nomen sempiternum. Per hoc Nomen designatur specialis gloria Virginum, qua præeminent cæteris Sanctis. Ostenditur, quanto amore diligendus sit Christus à virginibus. Et quæritur quid sit illa Aureola, quæ dabitur eis in præmium virginitatis suæ.*

§. I.

Solet Apostolus Paulus in verbis esse brevis [a] in sententiis copiosus. Non ignorabat hoc B. Hieronymus tam eloquentiæ quàm sapientiæ dotibus approbatus, qui singula Pauli verba tonitrua judicabat. Tam signanter enim universa depromit, & sic intonat spiritu & virtute, ut in serie ordinem, in sensu plenitudinem, in utroque connexionem mirabiliter ostendat. *Non est* (inquit) *regnum Dei esca & potus: sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*. Quid ad hæc dicitis vos gulosi & luxuriosi, quorum Deus venter est, quorum omnis usus aut in ventre, aut sub ventre est: qui (ut ait Jacobus Apostolus) *in luxuriis enutristis corda & corpora vestra*? Audite audite, *quia esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & has destruet*. Væ vobis qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris; qui comeditis vitulum de armento, & bibitis vinum defæcatum, & primis ungimini unguentis. Filii hominum usquequò gravi corde, quia corpore pingui, ut quid diligitis vanitatem, & veritatem negligitis? Pinguedo carnis, deliciæ corporis, saturitas ventris, aut ante mortem vos deserent, aut vos in morte illas relinquetis. *Quoniam* (inquit Sanctus David) *cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet eum eo gloria ejus: sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos*. Quàm benè *sicut oves*? quia detracto vellere mundialium divitiarum, durè presseqnè detonsi, sempiternis nudi deputabuntur incendiis. *Mors depascet eos*: quia semper morientur ad vitam, & semper vivent ad mortem. Ergo hîc caro vermibus, illic anima ignibus deputatur: donec rursùs infælici collegio colligati, tormentis pænalibus socientur, qui socii fuerunt in vitiis. O delicate (b) qui delitiis & divitiis circumfusus atque confusus, confusionem expectas & mortem: *non est regnum Dei esca & potus*, non purpura & byssus, quia dives ille utroque circumfluus, in puncto ad inferna descendit. Quid ergo? *Sed justitia & pax & gaudium in Spiri tu Sancto*. Attendis & intendis quia gaudium in fine est? Sic fatui filii Adam & præcipiti saltu justitiam transilientes & pacem, rem finalem in principium convertere & pervertere vultis? Nemo enim est qui gaudere non velit. Nonstabit & non erit istud, quia sicut *non est pax impiis, sic nec gaudere impiis, dicit Dominus*. Non sic impii, non sic. Priùs est justitiam facere, inquirere pacem, & persequi eam: & sic demùm apprehendere gaudium, imò à gaudio comprehendi. Sic Angelicus ille conventus priùs justitiam fecit, cùm stetit in veritate, & veritatis

f Soliloq. S. Bernar. num. 5. tom. 6. pag. 1017. g Libr. 3. de amore Dei. cap. 24. num. 110. h Ser. 33. in Cant. num. 2. i Ser. 39. in Cant. num. 11.

a Ser. 19. diver. num. 1. b Ibidem num. 2.

tatis deservit desertorem. Post hæc illa pace firmati sunt, quæ exuperat omnem sensum: quia cùm diversis honoris primatibus ambiantur, nullus qui murmuret, qui invideat nullus. *Lauda tu Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion: quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem*. Lauda & laudes replica, quia munitissimis vectibus & inconvulsibilibus seris clausæ sunt portæ tuæ. Nullus inimicus intrat, nullus exit amicus: benedicti filii tui in te, omni benedictione spirituali in cælestibus cum Christo. Jam non est timor in finibus tuis, quia posuit Deus fines tuos pacem: nullæ ibi tentationes, nulla sese cogitationum turma confundit; quia versipilis ille & tortor longè est à muris tuis & à filiis tuis. Et ille qui idem est, omnia in identitate consolidat atque conjungit. *Cujus participatio* (inquit Propheta) *in idipsum*. Hoc jam tertio hauriunt aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, & nudis (ut ita dicàm) oculis Divinitatis intuentur essentiam, nulla corporeorum phantasmatum imaginatione decepti. Ecce gaudium in fine, sed sine fine. Miseri nos [c] qui ab illa fælici regione repulsi, in hanc descendimus imò cecidimus vanitatem. *Filii Sion* (ait Propheta Jeremias) *incliti & amicti auro primo, quomodò reputati sunt in vasa testea*? *Filii Sion*, illius videlicet speculativæ civitatis quam ædificavit Dominus, ut videatur in gloria sua: *filii* supernæ Jerusalem, quæ libera est mater nostra: *incliti* per dignitatem conditionis, amicti auro primo per divinitatis imaginem. Quomodò ergo ex his nos quidem reputati sumus in vasa testea, in hæc lutea & fragilia corpora degeneravimus? Exhibent enim Angeli justitiam Deo, pacem inter se, gaudium sibi. Sic & tu homo noli priùs rapere quod tuum est, & *justitiam* quam Deo debes, & pacem quam proximo debes, contemnere. Justitia virtus est, qua redditur unicuique quod suum est. Tu non solùm justitiam, sed multas & multiplices justitias debes Creatori. *Justus* enim *Dominus, & justitias dilexit*. Sed cùm justitiam feceris [d] fac & *pacem*. Sic procedentibus erit gaudium in Spiritu Sancto. Loquar quod expertus novit, inexpertus ignorat: animalis enim homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei. Numquid non plerumque orantibus nobis omnia viscerum succutiuntur occulta ad memoriam gaudii illius, quod est in Jerusalem quæ sursùm est, quæ est mater nostra: & lachrymarum undâ vultus meditationum se perfundit? O si duraret! *Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ*. Verè in principio lætitiæ, quia finis illic repositus est. Exigit planctum à nobis (e) pænitentia præteritæ conversationis: exigit fletum desiderium futuræ Beatitudinis. *Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte* (ait Propheta) *cùm dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus*? Parùm ei placet hujus vitæ novitas, quæ necdum vetera plangit, necdum plangit admissa peccata, necdum plangit tempus amissum. Si non plangis, planè non sentis animæ vulnera, conscientiæ læsionem. Sed nec futura satis gaudia concupiscis, si non quotidiè satis postulas ea cum lachrymis: minùs tibi nota sunt, si non renvit consolari anima tua, donec veniant. In persona diligentis & suspirantis ac desiderantis animæ (f) dicit Jeremias: *Divisiones aquarum deduxit oculus meus*. Duo sunt genera compunctionis principaliter: quia Deum sitiens anima priùs timore compungitur, postea amore. Priùs enim se in lachrymis afficit: quia dum multitudinem malorum suorum cogitat, pro his perpeti æterna supplicia pertimescit. Cùm verò longo tempore fuerit in mærore doloris consumpta, quædam jam de præsumptione veniæ securitas nascitur, & in amore cælestium gaudiorum animus inflammatur: & quæ priùs flebat ne duceretur ad supplicium, postea amarissimè flet, quia incolatum suum in hac vita videt prolongatum. Nonne hæc est mutatio dexteræ Excelsi? Et certè non est mirum si flet & dolet se esse in hoc exilio, cùm contemplatur qui & quales sint Angelorum chori pulcherrimi, quæ illa societas beatorum Spirituum, quæ jucunditas æternæ visionis Dei. Veniant ab Oriente & Occidente (g) & recumbant cum Abraham & Jsaac & Jacob in regno cælorum. Veniant veniant tribus tribus Domini, testimonium Jsraël ad confitendum nomini Domini. Veniant & recumbant, epulentur & delectentur in lætitia, & unus ubique resonet in voce exultationis & confessionis sonus epulantis. Quando conscindes saccum meum Domine Jesu (h) & circumdabis me lætitiâ, ut cantet tibi gloria mea, & non compungar? Principium gaudii illius quod hìc quandoque sentimus, stilla est, guttula est, de flumine illo est descendens, cujus impetus lætificat civitatem Dei. Quandoquè veniet tempus, ut perennibus gaudiis nos in ipso Divinitatis fonte profundiùs immergamus, ubi unda undam sine intercapedine & interpolatione continuet? Quandò veniam & apparebo ante faciem Dei? Quandò transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei? Quando sicut audivimus, sic videbimus in Civitate Domini virtutum.

§. II.

Et verè sicut audivimus (i) sic videbimus, & plura horum. Audivimus quidem gloriosa dicta de civitate Dei, & de ejus inhabitatoribus: sed valdè gloriosiora & laudabiliora videbimus civitatis ad quam ibimus. Muri ejus & plateæ ex auro purissimo, & turres ejus gemmis ædificatæ, & omnes lapides ejus desiderabiles, propugnacula ejus ex lapide jaspide: fundata est in sapphiris, & portæ ejus nitent margaritis, & omnis circuitus muri ejus ex smaragdo & lapide precioso. Omnes inhabitatores lætissimi & jucundi: quia lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt. Non erit ibi mors, neque luctus, neque clamor, neque languor, sed nec senium, nec fraus, nec terror hostium: sed una vox lætantium, & unus ardor cordium: ô quàm securus! Quia sedent omnes in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & requie opulenta. O

opu-

c *Ibidem. num. 3.* d *Ibidem nu. 5.* e *Ser. 2. in Quadrag. nu. 4.*

f *Lib. 3. de amore Dei. cap. 34. nu. 110.* g *Ser. 15. in Cant. nu. 3.* h *Ser. 19. divers. num. 6.* i *Soliloqu. S. Bernar. num. 4. tom. 9. pag. 1016.*

opulenta opulentia multa nimis æternitas! Quidquid delectat, ad nutum adest: quidquid contristat, procul abest. Ibi sonant jugiter organa Sanctorum. Ibi dulcis symphonia resonat musicorum. Ibi Angeli & Archangeli hymnum Deo decantant ante thronum Dei. O Beata regio supernarum Virtutum [k] ubi Beata Trinitas à beatis facie ad faciem videtur: ubi illa sublimia Agmina sublimi pennarum applausu clamare non cessant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Ibi ipse Deus populo suo est sertum exultationis [l] & corona lætitiæ. Ipse eorum merces: ipse pastor & pascua. Ibi pascuntur nec fastidiunt: eructatur eis omnis jucunditas. Ipse omnis suavitas, omnis libertas, & ut breviter dicam, est eis omnia in omnibus. O quàm dulcia coram eo resonant Cantica canticorum. Auditur hinc & inde: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis*. Et ut dicam breviùs, non est ibi locus ubi non cantetur canticum lætitiæ, & per omnes vicos ejus ab universis dicitur: *Laus, honor & gloria, & benedictio, & omnis gratiarum actio Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen*. O quàm gloriosum est regnum illud [m] in quo Reges congregati sunt, convenerunt in unum, ad laudandum scilicet & glorificandum eum, qui super omnes est Rex regum, & Dominus dominantium! O admirabilis domus [n] & dilectis tabernaculis & atriis concupiscibilibus præferenda! *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*. Verùm multò magis *beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Audiamus quoque (o) Esajam dicentem: *Montes & colles cantabunt coram Deo laudes*. Quinam isti, nisi cæli inhabitatores Spiritus? In his (secundùm Prophetam David) verè *montibus sanctis* tanquam in prima omnium creata sapientia, fundamenta civitatis Domini ab initio firmiter stabilita consistunt: quæ utique una est in cælo & in terra, licet ex parte peregrinans, & ex parte regnans. Et ex his nihilominùs (juxta Esajam) tanquam quibusdam vitalibus cymbalis benè sonantibus jugis resonat gratiarum actio & vox laudis, suavi & incessabili voce implentibus, quod ex eodem Propheta paulò ante memoravimus: quia *montes & colles cantabunt coram Deo laudes*. Quis dabit mihi infantes & lactentes (p) quorum ex ore laudem suam perficiat Deus? Cælum non habet infantes, habet Ecclesia quibus & dicit: *Lac vobis potum dedi, non escam*. Et hi ad laudem quasi complendam à Propheta invitantur, dicente: *Laudate pueri Dominum*. Tu putas Deum nostrum totam habiturum suæ gloriæ laudem, donec veniant qui in conspectu Angelorum psallant sibi? *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala*. Hoc genus lætitiæ cæli nescierunt nisi per Ecclesiæ filios: hoc nemo unquam lætatur, qui nunquam non lætatur. Opportunè post tristitiam gaudium subit, post laborem quies, post naufragium portus. Placet cunctis securitas, sed ei magis qui timuit. Jucunda omnibus lux, sed evadentibus de potestate tenebrarum jucundior. Transisse de morte ad vitam, vitæ gratiam duplicat. Pars mea hæc in cælesti convivio, & seorsum ab ipsis Spiritibus beatis. Audeo dicere expertem meæ beatitudinis ipsam beatam vitam, nisi si dignetur fateri, quòd per charitatem eâ in me fruetur & per me. Aliquid sanè videtur etiam perfectioni illi accessisse ex me, neque hoc parum. Denique gaudent Angeli ad pænitentiam peccatoris. Quod si deliciæ Angelorum lachrymæ meæ, quid deliciæ? Omne opus ipsorum est laudare Deum, sed deest laudi, si desint qui dicant: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*. Audiamus denique vocem hominis dicentis: (q) *Domine salvum me fac*. Quare? fortè ne ardeat in inferno, fortè ne fraudetur præmio? Non, inquit, sed *Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini*. Non, inquit, quæro salutem ut pænas vitem, aut in cælo regnem: sed ut te in æternum cum illis laudem, de quibus scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Servus dicit: *Vadam ad portas inferi*. Mercenarius dicit: *Non videbo Dominum Deum in terra viventium*. Filius dicit: *Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini*. Cui simile est illud: *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino*. Et qui timet ire ad portas inferi, & qui Deum cupit videre propter quietem sui, uterque profectò quærit quæ sua sunt. Porrò qui Psalmos cantare desiderat in domo Domini, non sua vel pericula fugit, vel lucra appetit, sed illum proculdubio diligit, quem laudare gestit cunctis diebus vitæ suæ. Quod si dies plurimos divisiones dicimus gratiarum (r) quomodò non in multiplici gloria dierum intelligitur multitudo? Postremò evidentiùs audi sine ulla vicissitudine dies multos. *Erit lux lunæ sicut lux solis*, (ait Propheta Isaias) *& lux solis septempliciter sicut lux septem dierum*. Istis (ni fallor) cunctis diebus vitæ suæ Psalmos suos cantate in domo Domini Rex fidelis optabat. Erit enim devotos esse Deo ad singula tantæ & tam multiplicis gloriæ munera, & in omnibus semper gratias agere, quasi cunctis diebus vitæ suæ Psalmos dicere nomini Dei sui. Jesu bone (s) quantam meis naribus & auribus sanctus Propheta David infudit suavitatem in ructu & cantu suo de oleo lætitiæ, quo unxit te Deus Deus tuus præ consortibus tuis ex myrrha & gutta & cassia à vestimentis tuis à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo? Utinam me digneris occursu tanti Vatis & amici tui in die solemnitatis & lætitiæ, quando egredietur de thalamo tuo epithalamium suum canes in psalterio jucundo cum cithara, affluens deliciis, respersus & respergens universa istiusmodi pulvere pigmentario. In illa die, vel potiùs in illa hora, nam hora est si quando est, & fortassis ne hora quidem, sed horæ dimidium, juxta illud Scripturæ: *Factum est silentium in cælo quasi media hora*: ergo in illa hora replebitur gaudio os meum, & lingua mea exultatione, dum singulos non dico Psalmos, sed versus singulos sentiam ructus, & quidem odoriferos super omnia aromata. O si mei peccatoris (t) meminerit Jesus Christus in beneplacito

Ooo popu-

k *Ser. 42. diuer. num. 7.* l *Soliloq. S. Bernardi num. 4.* m *Ser. 4. super missus. num. 2.* n *Ser. 4. in dedicat. Eccl. num. 4.* o *Ser. 53. in Cant. num. 4. 5. & 6.* p *Ser. 68. in Cant. num. 5.*

q *Ser. 3. diuer. num. 9.* r *Ser. 17. super Psal. 90. num. 5.* s *Ser. 67. in Cant. num. 7.* t *Ser. 4. super missus. num. 2.*

populi ſui, cùm venerit in regnum ſuum! O ſi me in illa die, quando traditurus eſt regnum Deo Patri, viſitare dignabitur in ſalutari ſuo, ad videndum ſcilicet in bonitate electorum ſuorum, ad lætandum in lætitia gentis ſuæ, ut laudetur etiam à me cum hæreditate ſua. Præſtet hoc nobis tuo interventu ô Maria (u) Filius tuus Jeſus Chriſtus Deus & Dominus noſter. Quis enim tam idoneus, ut loquatur ad cor Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut tu felix Maria, quæ in ſecretiſſimis amplexibus amantiſſimi Filii tui ſuaviter recubas in meridie ſempiterno, ejuſquè familiariſſimo colloquio cum plena cordis lætitia perfrueris. Te igitur Domina exorante, renovetur ut aquilæ juuentus noſtra, ut novi nova voce novum canticum novis civibus aggregati illic ubi nova ſunt omnia, jubilum ſempiternum celebrantes in cymbalis jubilationis concinamus.

§. III.

Ego Joannes audivi vocem de cælo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni: & vocem quam audivi ſicut citharædorum citharizantium in citharis. Et cantabant quaſi canticum nouum ante ſedentem, & ante quatuor animalia, & ſeniores: & nemo poterat dicere canticum niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocunque ierit. Apoc. 14.

Nouum quidem canticum illud [x] quod ſolis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipſam virginum Reginam cum cæteris, imò primam inter cæteras eſſe cantaturam nemo eſt qui ambigat. Puto autem illam præter illud quod ſolis licet, cum omnibus tamen virginibus ei (ut dixi) commune erit, dulciori quodam atque elegantiori carmine lætificaturam eſſe civitatem Dei. Cujus utique dulciſonos depromere vel exprimere modulos, ne ipſarum quidem virginum ulla digna invenietur: quia ſoli meritò decantandum ſervabitur, quæ ſola de partu, & partu divino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu, non in ſe, ſed in ipſo quem peperit. In laudibus virginum ſingulariter canitur[y] quòd *ſequuntur Agnum quocunque ierit*. Quibus ergo laudibus judicas dignam Virginem Mariam, quæ etiam præit. Offerantur Regi virgines [z] ſed poſt eam: nam primatum ſola vendicat ſibi. Tria ſunt præmia futuræ vitæ, propter quæ acquirenda [a] votiva virginitas eſt conſervanda. *Primum præmium* futuræ vitæ Chriſti virginibus ſingulariter acceſſurum eſt [b] quia *ſequentur Agnum quocunque ierit*. Beatus Joannes Evangeliſta in Apocalipſi ſua vidit duodecies duodena millia Sanctorum citharædorum illibatæ virginitatis in corpore, viriditatis inviolatæ in corde, quòd ſequantur Agnum Sponſum virginum quocunque ierit. Ecce virginum præmium ſingulare, quia *ſequuntur Agnum quocunque ierit*. Quò ire putamus hunc Agnum, quò nemo ſequi eum vel audeat vel valeat niſi virgines? Quò inquam putamus eum ire? in quos ſaltus? in quæ prata? Illuc æſtimo, ubi ſunt vera gaudia, non gaudia hujus mundi vana, inſana, mendacia, nec gaudia qualia in ipſo regno Dei cæteris Sanctis præſtantur: ſed à cæteris ſorte diſtincta gaudia virginum Chriſti, de Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, gaudia propria virginum Chriſti. Non ſunt eadem non virginum, id eſt eorum qui non ſunt virgines, quamvis tamen ſint Chriſti. Nam ſunt aliis gaudia alia, ſed nullis talia. Sequimini ô virgines Agnum quocunque ierit, quia Agni caro utique Virgo eſt. Hoc enim in ſe retinuit cùm eſſet in corpore, quod non abſtulit Matri. Virgo enim ex Virgine conceptus eſt: & natus Virgo de Virgine, & poſt nativitatem cum Virgine Matre permanſit Virgo, auctor & cuſtos, & amator virginitatis ac remunerator largiſſimus Dominus Jeſus Chriſtus. Meritò igitur (c) eum ſequimini ô virgines etiam in hac vita virginitate cordis & carnis quocunque ierit. Quid eſt enim ſequi, niſi imitari? Quia *Chriſtus paſſus eſt pro nobis relinquens vobis exemplum* (ſicut ait Petrus Apoſtolus) *ut ſequamini veſtigia ejus*. Hunc in eo quiſque ſequitur, in quo imitatur, in quo multùm ad imitandum proponitur omnibus, virginitas autem carnis non omnibus. Non enim habent quid faciant, ut virgines ſint. Sequantur itaque Agnum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiſerunt, non quocunque ierit, ſed quocunque ipſi poterunt. Poſſunt autem in omnibus virtutibus, niſi cùm in decore virginitatis inceditur. Quomodò enim poſt eum ibunt itinere virginali, qui hîc amiſerunt, quod nullo modo recipiunt? Vos ergo ô Virgines ejus, ite poſt eum, quæ propter hoc quocunque ierit ſequimini eum, tenendo perſeveranter quod voviſtis, ardenter facite quod poteſtis, ne virginitatis bonum vobis pereat, cui ſemel perditæ, facere nihil poteſtis ut redeat. O quanta cum admiratione, quanto cum gaudio videbit vos cætera multitudo Sanctorum, quæ Agnum ad hæc ſequi non poteſt. Videbit, nec invidebit: & collætando vobis, quod in ſe non habet, habebitur in vobis. Agnus quippe ille, quem vos quocunque ierit ſequimini, nec eos deſeret, qui eum non valent ſequi, quæ vos poteſtis. Omnipotentem Agnum loquimur, qui vos præibit, & ab eis non abibit, cùm erit Deus omnia in omnibus: & qui minus habebunt à vobis, non horrebunt. Vbi enim nulla invidentia eſt, concors eſt differentia. Præſumite itaque, confidite, roboramini, & permanete in eo quod voviſtis, & reddite Domino Deo veſtro vota perpetuæ continentiæ, non tantùm propter ærumnas præſentis ſæculi vitandas, ſed multò magis propter futuri ſæculi delicias ſingulares, quas vobis ſpiritualiter Agnus noſter Chriſtus tranſiens miniſtrabit. *Secundum præmium* futuræ vitæ erit illud (d) *quia virgines cantabunt canticum nouum* ante thronum Dei & Agni, quod præter virgines nemo poteſt dicere. O felices virgines, & cæteris feliciores virgines, quæ affertis ad illas Agni nuptias æternales canticum nouum, quod cantabitis in citharis veſtris, non utique tale, quale cantat vniverſa terra, ut dicitur:

u *Ser. 3. de Virg. Deip. num. 7.* x *Ser. 2. ſuper miſſus num. 1.* y *Ser. 1. ſuper. miſſus. num. 7.* z *Ser. 1. de Virg. Deip num. 10.* a *Tract. de vite myſt. cap. 32. nu. 117.* b *Ibidem cap. 31. n. 122.*

c *Ibidem num. 123.* d *Ibidem num. 125.*

tur: *Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra*: sed tale canticum cantabitis, quale nemo potest dicere nisi vos. Audiet tamen, & delectabitur omnis multitudo fidelium vestro proprio & tam excellenti dono, Vos autem quæ & dicetis & audietis, quia illud dicetur à vobis, feliciùs exultabitis, & jucundiùs regnabitis. Quis istam felicitatem poterit explicare? imò quis humana mente concipiet tantæ exultationis jubilum? Jam si omnes virgines canticum istud cantabunt, numquid illa Virgo virginum primiceria non cantabit? Cantabit utique, & tantò jucundiùs, quantò castior cæteris est. Præbebitquè toti choro virginũ in cantando exemplum, quas ad virginitatis amorem suo incitavit exemplo. Cantabunt ergo virgines in illa jucunditate festiva canticum suum in cor Agni Virginis Sponsi sui, à quo ut tale canticum cantare possent, acceperunt. Quid autem? Numquid & ipse Agnus non solùm aliarum virginum cætum, sed etiam ipsam Virginem Matrem suam superexcellens, à quo habent non solùm ut sint virgines, sed etiam sint? numquid, inquam, Sponsus virginum Virgo, Virgo optimus non etiam cantabit? imò verò & ipse cantabit, & jucundissima illa vox Verbi Patris æterni, cum omnibus, præ omnibus, in omnibus audietur. O fælicissimum canticum! O festivitatem jucundissimam comparatione & fine carituram! Quis ad illud non anhelet? Quis laborare contemnat, ut illuc perveniat, ubi tantarum virginum canticum nouum audiat: ubi mirabiliter præ cæteris virginibus redundantem vocem Matris Agni percipiat: vbi & ipsum Agnum piissimum & dulcissimum melos totum melleum audiat concinentem? Si enim *eloquia Domini*, (teste Psalmista) & in ipso corpore mentis existentis unicuipiam tam dulcia sunt, *ut mel & fauum* superent: quantâ putas ea verba dulcedine superabundare debere, ubi omnis mortalitas, omnis timor, omnis dolor procul transierunt: ubi amaritudinis nullus relinquitur locus, sed omnes torrente voluptatis divinæ potabuntur, inebriati ab ubertate domus ejus? Maxima quidem erit omnibus felicitas, canticum virginum Agni dulcissimum audientibus: abundantior tamen erit virginibus Christi cum ipso Agno cantantibus.

§. IV.

Ego Joannes vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis. Apoc. 14.

Tertium præmium futuræ vitæ erit illud, quia nomen sempiternum dabitur virginibus Christi. Ostenditur enim nobis [e] quodnam sit hoc præmium testimonio Jsaiæ dicentis: *Eunuchis*, id est virginibus meis *dabo in domo mea & in muris meis locum nominatum multò meliorem, quàm filiorum atque filiarum*: *nomen sempiternum dabo eis, quod nunquam deficiet*. O sublime meritum virginum! O gloriam excellentem! O præmium spirituale! Legant & intelligant, memoriæquè commendent verbum hoc, verbum bonum & suave virgines omnes, parvi pariter & puellæ gaudeant: & perseveranter currant, qui jam continentiam voverunt, donec comprehendant. Audiant qui nondum voverunt, & delectentur in altitudine præmiorum, ut voveant etiam ipsi votum castitatis castissimo Jesu: ut semitam virginitatis altissimam & arctissimam apprehendant, per quam incedentes bravium accipiant hujus Nominis sempiterni, & locum multò meliorem quàm qui filios & filias ex se genuerunt, incolere mereantur. Quid per hoc designetur *Nomen*, quod Dominus promittit se suis daturum virginibus? Vtique gloria propria excellensquè significatur, quæ erit virginibus non communis cum multis, quamvis in eodem regno constitutis. Nam ideo fortassis *Nomen* dictum est, quòd eos quibus datur, distinguit à cæteris, sicut homines propriis nominibus distinguuntur. Licet enim omnes ad vitam æternam prædestinati in uno regno sint mansuri, & uno Deo fruituri: tamen *sicut* (ait Apostolus) *stella differt à stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Hæc sunt merita diversorum Sanctorum. Nam sicut commune est omnibus sideribus esse in cælo, & tamen alia est gloria Solis, alia lunæ, alia stellarum: sic in ipsa vita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum. Proinde Ecclesia (f) prævidens illam in cælestibus discretam unitatem futuram, devotissimè læta decantat: *Plateæ tuæ Jerusalem sternentur auro mundo, & super omnes vicos alleluia cantabitur.* Audiens enim *plateas* & *vicos*, coronas & glorias diversas intellige. In *auro*, quo uno metallo illa civitas ornata describitur, & uno *alleluia* quod cantandum perhibetur, dissimilium specierum similem pulchritudinem, & multarum mentium unam devotionem attende. Denique *in domo Patris æterni* (g) *mansiones multæ sunt*: ubi non vivet alter altero prolixiùs, quia omnes habebunt vitam æternam. In multis autem habitationibus honoratur alius alio clariùs. Quantâ putas ibi gloriâ fulgebunt virgines Christi, cordis simul & mentis puritate Christum sequentes? Quis Sanctorum chorus meliùs lunæ comparatur quàm Virgines? Solæ sequentur Solem justitiæ Christum & Agnum Patris quocunque ierit. Vnde & solæ illi similes sunt atque simillimæ. Honorabuntur ergo præ cæteris in eodem regno existentibus splendore quidem excellentiori, sicut lunam videmus præ cæteris sideribus præeminere: possidebuntquè in domo Domini locum multò meliorem, quàm cæterorum filiorum & filiarum qui virginitatis merito non sunt insignes. Pergite itaque (h) sancti Dei pueri & puellæ, mares & fæminæ, cælibes & innuptæ: pergite perseveranter usque in finem. Laudate Dominum dulciùs, quem cogitatis uberiùs: sperate feliciùs, cui seruitis instantiùs: amate ardentiùs, cui placetis attentiùs. Non sint in vobis incentiva ulla vitiorum, sed totum hominem vestrum vestro Sponso consecrate simul & conservate specioso formâ præ filiis hominum. Si nuptias contempsistis filiorum hominum (i) ex quibus filios hominis gigneretis, tantò magis corde amate Filium hominis speciosum formâ præ filiis hominum. Inspicite pulchri-

 tudi-

e *Ibidem num.* 128.

f *Tract. de vit. & mor. Relig. cap.* 4. *num.* 11. g *Tract. de vita myst. cap.* 3. *num.* 126. h *Ibidem num.* 129. i *Ibidem nu.* 132.

tudinem amatoris vestri, & hoc ipsum quod in eo derident superbi, inspicite quàm pulchrum sit interioribus luminibus. Inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, Sangvinem morientis, præcium & commercium redimentis. Hæc quanti valeant, cogitate: hæc in statera charitatis appendite: & quidquid amoris in nuptias vestras impendendum habetis, illi rependite qui non pulchram carnem, sed interiorem vestram pulchritudinem quærit, qui vobis dedit potestatem filios Dei fieri. Uidete autem quanta securitate amatis eum, cui displicere falsis suspicionibus non timetis. Vir & uxor invicem se amant, quia in se manifestè vident signa charitatis: sæpè tamen de se aliquid mali invicem suspicantur, quia sua occulta invicem non contuentur. Non ita est de amatore vestro dulcissimo Jesu ac desiderabili, in quo nihil invenietis, quod reprehendere possitis: nec vobis timendum est, quòd falsò aliquid mali de vobis suspicetur, qui renes intuetur & corda. Si ergo magnum amorem conjugibus deberetis, quantùm amare debetis eum, propter quem coniuges habere noluistis? Totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus fixus est in Cruce: semper habentes in mente, quantam vobis exhibuit charitatem, qui vos sibiipsi inviolatos tam in corpore quàm in anima consecravit: quantam vobis & quàm specialem gloriam præparavit, quos sic sublimavit in terris. Specialem, inquam, gloriam, specialem *coronam* donabit vobis in cęlis, quam nostri Majores *Aureolam* appellant. Quam idcirco ab auro æstimo nominatam, ut ipsum coronæ nomen, quæ vobis dabitur in præmium virginitatis, insinuet excellentiam gloriæ virginalis. Quid inquam dabitur sacris virginibus Christi? Cæteris Sanctis ut præemineant, sicut aurum cætera metalla præcellit. Dicit enim Esaias: *In die illa erit Dominus corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.* Attende quòd corona fit de auro & de lapidibus preciosis, sertum de floribus, puta rosis, violis, & hujusmodi similibus. Attende quàm magnum est ipsum Deum habere pro corona, & virgines non tantùm habebunt Deum pro corona, id quod est commune omnibus glorificatis: sed habebunt pro capillo florido exultationis prærogativam spiritualis excellentiæ, quæ in virginibus in patria cælesti apparebit. Quid autem est ille *locus* multò melior, quàm filiorũ Dei? Quid illud *Nomen sempiternum*? Quid *Aureola*? Magnum est valdè, & inexplicabile inexpertis: & propterea cum magna aviditate currendum, cum magna fortitudine perseverandum est eis, qui soli fruendo poterunt hoc experiri. Omitto denique *coronam* quam vobis, ô virgines, Dominus præparavit in æternum. Sileo *repromissiones* quæ vos in posterum manent, quòd felices sponsæ admittendæ estis revelata facie speculari gloriam Sponsi vestri: quòd vos sibi exhibiturus est gloriosas, non habentes maculam neque rugam, aut aliquid hujusmodi: quòd æternis excepturus amplexibus, ponet lævam sub capite vestro, & dextera illius amplexabitur vos. Prætereo *locum* nominatum, quem virginitatis prærogativâ singularem à filiis & filiabus in regno estis proculdubio sortituræ. Sileo & *canticum* illud *novum*, quod Virgo cum virginibus singulari nihilominùs dulciquè modulamine cantaturæ lætabuntur in ipso, & lætificabunt civitatem Dei cantantes, & cursitantes, & sequentes Agnum quocunque ierit. Illud siquidem nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod vobis præparatum est, & cui vos præparari oportet. Ipse autem det vobis ea quæ dicuntur [1] non solùm tenere memoriter, sed & ardenter diligere, & efficaciter adimplere, Sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

λ Epist. 113. num. 3.

CAPUT IX

De Beatitudine cælesti, quæ consistit in vnione hominis cum Deo suo.

Rogo Pater, ut quos dedisti mihi, sint vnum in nobis, sicut tu & ego vnum sumus.
Joan. 17.

1. *Ostenditur, tria esse opera Dei magna, creationem nostram, redemptionem, & glorificationem. In primo opere conglutinata sunt sibi limus terræ & spiritus vitæ, scilicet caro & anima. In secundo opere facta est conjunctio ex tribus, dum Verbum & Anima & Caro in unã convenerunt personam. In tertio opere fiet vnio hominis cum Deo. Ostenditur, salutem nostram consistere tam in justificatione præsenti, quàm in glorificatione futura.* 2. *Ostenditur quid sit manere in Christo, cum Christo, juxta Christum, longè à Christo. Primum est in via, secundum in patria, tertium in hoc sæculo, quartum in inferno.* 3. *Agitur de Vnitate Dei Patris cum Filio, & de vnione hominis cum Deo. Per illam substantialis Vnitas designatur, per istam spiritualis vnio. Et ostenditur quænam sit differentia inter utramque. In cælo homo eò similior fiet Deo, quò intentio voluntatis purior & ab omni affectione defæcatior erit.*

§. I.

Magna opera Domini. Psal. 110.

MAgna quidẽ sunt omnia opera Dei, fratres, [a] siquidem magnus & ipse: sed ad nos maximè spectant, quæ in eis maxima esse videntur. Hinc est quod psallit Propheta David, dicens: *Magnificavit Dominus facere nobiscum.* Denique quàm magnificè nobiscum agat, specialiter tria quædam ejus opera clamant: primæ scilicet nostræ *Creationis*, præsentis *Redemptionis*, futuræ *Glorificationis*. Quàm magnificata sunt in singulis opera tua Domine! Tuum est virtutem operum tuorum annunciare populo tuo, nos ipsa saltem opera non silemus. Triplicem, Fratres, commixtionem in his tribus considerare est cælestis planè operis, & divinæ virtutis. Nam in *primo* opere conditionis nostræ de limo terræ plasmavit hominem Deus, & inspiravit in faciem ejus spiritum vitæ. Qualis artifex, qualis unitor

1 *Ser. 77. in Cant. num. 8.* a *Ser. 2. in Nat. Dom. num. 1. & 2.*

tor rerum, ad cujus nutum sic conglutinantur sibi *limus* terræ, & *spiritus* vitæ? Limus quidem jam ante creatus erat, quando in principio creavit Deus cælum & terram. At spiritus sanè non communem, sed propriam habet conditionem: nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur. Agnosce ô homo dignitatem tuam, agnosce gloriam conditionis humanæ. Compacta & confœderata sunt in te caro & anima: illa plasmata, hæc inspirata. Sed cujus interest hæc commixtio? Cui hac vnione præstatur? Charitatem mihi conjunctio ista commendat, charitatem in ipsa conditionis propriæ pagina lego. Charitatem in ipso statim principio non solùm prædicat, sed ingerit mihi manus benignissima Creatoris. Sanè cùm prima ex duobus facta sit (b) *secunda* jam conjunctio fit ex tribus, ut discas ex hoc ipso ad sacramentum accedere Trinitatis. *Verbum* enim, quod erat in principio apud Deum & Deus erat; *Anima*, quæ de nihilo creata est & ante non erat; *Caro* de massa corruptionis sine corruptione aliqua divino segregata artificio (qualis nulla jam caro erat) vinculo indissolubili in personæ coëunt Vnitatem. Habes in his tribus genus potentiæ: quod non erat, *creatum*: quod perierat, *reparatum*: quod super omnia erat, paulòminùs ab Angelis *minoratum*. Jam quid futurum sit in vnione *tertia* [c] quis loquetur? Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Consummatio erit illa, cùm tradiderit Christus regnum Deo & Patri: & erunt duo non jam in carne vna, sed in spiritu vno. Etenim si adhærens carni Verbum, factum est caro; multò magis qui adhæserit Deo, vnus spiritus erit cum eo. Et in hac quidem vnione media, humilitas exhibetur, & humilitas magna nimis: in ea verò vnione quam expectamus, ad quam suspiramus, perfecta nobis reposita glorificatio est. Siquidem de spe præmiorum [d] testimonium Domini est *Ascensio*, quia ascendit propter glorificationem nostram. Hoc in Psalmo habes, dicente Propheta: *Beatus quem elegisti & assumpsisti, habitabit in atriis tuis*. Et ipse Dominus ait: (e) *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum*. Ac si dicat: In hac die eripiam eum, quando nihil jam vltra quod vel corpori vel animæ faciat, mundus habebit. Sanè glorificatio diem vltimum manet, diem resurrectionis, quando surget in gloria quod in ignominia interim seminatur, Audi denique (f) quanam gloria ipse glorificabit. *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum*. Ac si manifestiùs dicat: Scio quid desideret, scio quid sitiat, quid sapiat ei. Non ei aurum vel argentum sapit, non voluptas, non curiositas, non dignitas aliqua sæcularis. Omnia detrimentum facit, omnia aspernatur & arbitratur ut stercora. Exinanivit penitùs semetipsum, nec se ex his patitur occupari, quibus nouit se non posse repleri. Non ignorat ad cujus imaginem conditus sit, cujus magnitudinis capax sit: nec sustinet de modico crescere, ut de maximo minuatur. Itaque *longitudine dierum replebo eum*, quem nisi lux vera reficere, nisi æterna implere non potest. Siquidem nec longiturnitas illa terminum, nec claritas illa occasum, nec satietas illa fastidium habet. Erit enim securitas de æternitate, gloriatio de veritate, exultatio de satietate. Proinde concupiscamus illam longitudinem dierum (g) suspiremus ad delectationes illas: ut sicut breue est omninò tempus, etiam pauci videantur nobis dies præ amoris magnitudine. *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Iucunda promissio, & votis omnibus amplectenda. Non enim astabimus quasi inanes & vacui spectatores, nec gloria quasi extrinsecùs reuelabitur nobis, sed in nobis. Videbimus enim Deum facie ad faciem, sed non extra nos, quia in nobis erit, vtique omnia in omnibus. Nimirùm plena erit glorià illà etiam omnis terra, quantò magis anima ipsa replebitur? *Replebimur* (inquit Propheta) *in bonis domus tuæ*. Et quid dico quòd non aderit nobis gloria, sed inerit? Nunc quoque in nobis est, sed tunc reuelabitur. Duo sunt (h) in quibus consistit nostra salus, Iustificatio & Glorificatio: altera initium, altera perfectio est. In illa labor, in hac autem fructus laboris est. Et nunc quidem justificatio fit per fidem, nam glorificario erit per speciem. Quanta autem sit in futura vita glorificatio Sanctorum, humanus interim non potest attingere intellectus. De illa enim scriptum est: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, &c.* Hac ergo interim omissa, quoniam vires nostras excedit: de justificatione quæ nunc agitur, aliquid ad ædificationem vestram, quod necessarium visum est, loquamur. Ipsa est enim via, per quam fit transitus ad glorificationem, dicente Apostolo: *Quos prædestinauit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, hos & glorificavit*. Neque enim poterit obtineri glorificatio, nisi justificatio præcesserit: cùm ista meritum, illa præmium sit. Hoc in Evangelio docuit Dominus, qui cùm discipulis evangelizaret regnum Dei, primùm eis proposuit justitiam, dicens: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*. Notandum est autem, (i) quòd sicut in illo Beatitudinis regno præsentem se electis suis exhibebit Dominus ad glorificationem, ita etiam se eisdem ipsis exhibet in via peregrinationis ad justificationem: ut à quo scilicet glorificandi sunt per speciem, ab ipso priùs justificentur per fidem. Et hoc est quod dicit Dominus: [k] *Iterùm veniam & accipiam vos ad meipsum, ut vbi sum ego & vos sitis*. Quod est dicere: Apparebo in judicio, & introducam vos in illas mansiones, ut ibi mecum maneatis in æternum. O summa, ô fælix beatitudo, habitare cum Christo! Quis ad hanc fælicitatem, ad hanc tam gloriosam beatitudinem pervenire valebit? Quis erit tam felix? quis sic summè beatus erit, ut possit regnare cum Christo, videre gloriam ejus, & pulchritudinem ejus? *Beati* planè (l) & omninò beati, qui videbunt in quem desiderant Angeli prospicere, quem videre vita æterna est. Ideoquè maximè opus est puritate intentionis (m) qua soli mens vestra Deo & placere appetat, & valeat inhærere. Neque enim aliud est inhærere Deo, quàm videre

Deum:

b *Ibid. num. 4.* c *Ibid. num. 6.* d *Ser. 1. in Annun. B. M. nu. 4.* e *Ser. 26. sup. Psal 90. num. 2.* f *Ser. 17. sup. Psal. 90. num. 6.*

g *Ser. 1. diuer. n. 4.* h *Ser. 105. diuer. n. 1.* i *Ibid. nu. 2.* K *ser. 6. in vlt. cæna. n. 42.* l *ser. 1. de omn. San. nu. 13.* m *ser. 7. in cant. n. 7.*

Deum: quod solis mundicordibus singulari felicitate donatur.

§. I I.

Dominus Jesus dixit Discipulis suis, (n) & per eos cunctis fidelibus suis: *Manete in me, & ego manebo in vobis*. O quàm magna sublimitas! ô magnæ sublimitatis auctoritas, hominem habitare cum Angelis, terram & puluerem elevari in cælos, hominem tolli de stercore iumentorum, & aggregari cœtibus Angelorum: imò creaturam manere in Creatore, facturam in Factore, redemptum in Redemptore, servum in Domino, peccatorem in Justo, factum ex limo, in eo qui omnia fecit ex nihilo: transitorium manere in Æterno, miserum in summè Beato: imò in eo qui omnia beata, & cuncta sanctificat sancta, qui est Veritas & Vita & Gloria sempiterna, gaudium mundi, jucunditas cæli, dulcedo paradisi, & beata æternitas, & æterna felicitas, Christus scilicet Dominus Jesus. Ipse charitas est (o) & qui manet in charitate, in Deo manet, & ipse in eo. Notandum verò est, quòd aliud est manere *in* Deo, & aliud est manere *cum* Deo, aliud est manere *juxta* Deum, aliud est manere *longè* à Deo. *Primum* partim est in via, & partim in patria: *secundum* totum est in patria: *tertium* totum est in hoc sæculo: *quartum* totum est in inferno. Videamus ergo quid sit manere *in* Deo, ut in eo manere delectet, ut non longè post futurum mereamur cum illo manere. *Primò* manere *in* Deo est ex amore illi soli adhærere, ipsum ex toto corde diligere, necnon illius præcepta in omnibus & per omnia observare, ejus amori nihil præponere, & pro illius amore cuncta nec nata etiam reputare. Ille non dubitet manere *in Christo*, cui præter ipsum cuncta vilescunt, & ei ipse solus dulcescit. O quanta felicitate dotatur, quanta beatitudine fœcundatur, cui præter Christum omnia vilescunt, & ipse Christus solus mellescit! Ipse Christus solus sic in cordibus nostris favescat, & cuncta transitoria nobis fallescant, ut nil præter illum nobis jam libeat, nec libescere jam valeat. Ut ergo, Fratres mei, (p) in Christo & cum Christo mereamur manere: ipse Christus lux vera, bonitas & vita, gaudium mundi, pietas immensa, sit totum desiderium nostrum, & omnis spes nostra: ut certi simus, quia adhuc cum Christo manebimus, & vbi nunc est & nos cum illo erimus. Sed qui dicit se in Christo manere, debet ambulare sicut ille ambulauit. Præsertim verò humilitatem magnã teneamus in omnibus, ut in humilitatis Auctore manere possimus, & quàm citiùs cum ipso esse, & cum ipso regnare valeamus. Omnis enim qui in illo manet ex dilectione, non dubitet & non hæsitet, quia cum illo manebit ex dilectionis retributione. *Secundò* (q) jam vidimus supra quid sit manere cum Christo, nunc autem quid sit manere cum illo necesse est videamus. Manere cum illo est esse vbi ille est, cum illo in gloria felici gaudere, in throno perennitatis regnare, illum facie ad faciem contemplari, sicut faciunt Angeli sancti, & post resurrectionem corporum eum visuri sunt omnes electi, juxta illud Apostoli: *Cùm enim apparuerit Christus vita nostra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria*. Deus licet vbique æqualiter totus sit per suam simplicem substantiam (r) aliter tamen in rationalibus est creaturis, quàm in cæteris: & ipsarum aliter in bonis, quàm in malis est per efficaciam. Ita sanè est in irrationalibus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per *cognitionem*, sed à bonis tantùm capitur etiam per *amorem*. In solis ergo bonis ita est, ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Nam dum suas voluntates ita justitiæ subdunt, ut Deum non dedeceat velle quod ipsi volunt: per hoc quòd ab ejus voluntate non dissentiunt, Deum sibi specialiter jungunt. E*mmanuel* [s] interpretatur nobiscum Deus. *Aue gratia plena* (ait Angelus ad Mariam, *Dominus tecum*. In plenitudine *gratiæ* nobiscum est, in plenitudine *gloriæ* erimus nos cum eo. Descendit ut propè sit his qui tribulato sunt corde, ut nobiscum sit in tribulatione nostra. Erit autem quando rapiemur in nubimus obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus; si tamen curemus interim eum habere nobiscum, ut sit comes viæ, qui patriæ redditor est futurus. Siquidem & Latro (t) meruit à Domino suo audire: *Hodie mecum eris in paradiso*. O vox dulcis, ô vox delectabilis, *Hodie mecum eris in paradiso*! O Domine Jesu, quid dulcius, quid delectabilius, quid jucundius quàm esse tecum in paradiso? Nihil prorsùs, penitùs nihil. Quid ergo dicam, quid faciam, qui adhuc in hujus peregrinationis ærumna constitutus, tam longè exulo à deliciis paradisi Dei mei? O bone Jesu, esto mihi Jesus. Recole Salvator quid & propter quid passus es, & miserere mei. Ipsa te cogat pietas, ut mala nostra superes parcendo, & voti compotes nos tuo vultu saties. Tu esto meum gaudiũ, qui es futurus præmium: sit mea in te gloria in sęculum sęculi. *Tertiò* videamus [u] quid sit manere *juxta* Deum. Manere *juxta* eum & non in illo nec cum illo, est non esse in via fidei & spei & charitis, sed in via erroris: non esse in via præcepti, sed in via peccati. Iste inquam si non est in Christo vel cum Christo, tum juxta eum est: quia & citò potest errorem deserrere, & in Christo per fidẽ & spem & charitatem continuò feruere. Liberum arbitrium habet: illud ad diligendum Deum dirigere potest. Pulsat Dominus ostium ejus, illi aperiat, & intrabit Dominus ad eum: in eo manebit, & ipse in eo. *Quartò* manere *longè* à Deo, est per sententiam damnationis ab eo recessisse: quamuis & alio modo vtrumque possit intelligi. Nos ergo in illo maneamus, ut fructum boni operis semper facere mereamur. Aliter enim nisi in illo manserimus, fructum facere nequimus. Ipsa veritas dicit, & mutari non potest: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis*. Et: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet*. Valde enim timendum est illud quod sequitur: *Si quis in me non manserit*, &c. Si quis non manserit in Domino Jesu Christo, expelletur de consortio Sanctorum, & are-

n *Ser. 11. in vlt. Cœna nu. 83.* o *Ibid. num. 88.* p *Ibid. num. 89.* q *ibid. num. 90.*

r *Ser. 7. sup. missus num. 4.* ſ *Ser. 17. sup. Psal. 90. num. 4.* t *Ser. 4. in vlt. Cœna num. 30.* u *Ser. 11. in vlt. cœna nu. 90.*

arescet præ timore & expectatione damnationis perpetuæ: & ministri tartarei apprehendent illum, & in ignem mittent perpetuum, sine fine arsurum.

§. III.

Porrò audiamus Christum Dominum dicentem: (x) *Ego in Patre, & Pater in me est*. Non potuit expressiùs substantiæ Vnitas commendari. Vbi enim vterque in altero, nihil quasi exterius licet nihil interius cogitari, simplicissimam magis credi necesse est in ambobus substantię Vnitatem. Verumtamen aliquatenùs huic simile est quod dicitur: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: nisi quòd hîc quidem spiritualis quædam vnio designatur, secundùm quod Apostolus ait: *Qui adhæret Deo*, non quidem vnum, id est, non vna substantia, sed *vnus spiritus est*: Illic verò naturalis potiùs & substantialis Vnitas designatur. Vnde & habes in Evangelio: *Ego & Pater vnum sumus*. Si ipse Filius in Patre ita esset (y) ut non tamen in ipso Pater, aut ita Pater in ipso esset, ut non esset ipse in Patre: audeo dicere quòd ipsorum citra perfectum Vnitas remaneret si, si tamen jam Vnitas esset. Nunc verò cùm & ipse in Patre, & Pater in ipso sit, non est quo claudicet Vnitas, sed verè perfecteque *Vnum* sunt ipse & Pater. Sic quoque anima cui adhærere Deo bonum est, non antè se existimet ipsi perfectè vnitam, nisi cùm & illum in se & se in illo manentem persenserit. Non quia vel tunc vnum dicatur cum Deo, sicut *vnum* sunt Pater & Filius: quamuis qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Legi hoc, sed illud non legi. Non dico de me qui nihil sum, sed planè nemo nisi demens siue de terra siue de cælo vsurpabit sibi illam Unigeniti vocem: *Ego & Pater vnum sumus*. Et tamen ego licet puluis & cinis, fretus quidem Scripturæ auctoritate minimè istud dicere verear, quia vnus cum Deo spiritus sum: si vnquam tamen certis fuero persuasus experimentis Deo me adhærere instar vnius illorum qui in charitate manent, ac per hoc in Deo manent, & Deus in eis. Nam de tali adhæsione puto dictum: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*. Quid ergo? Dicit Filius: *Ego in Patre, & Pater in me est, & vnum sumus*. Dicit homo: Ego in Deo, & Deus in me est, & vnus spiritus sumus. Denique [z] innuitur tibi vnitatum diversitas per *vnus* & *vnum*, quoniam nec Patri & Filio *vnus*, nec homini & Deo *vnum* poterit convenire. Tu si sapis occasione accepta eris sapientior, prudenter advertens, illic quidem per *vnum* Vnitatem substantiæ vel naturæ: hîc verò per *vnus* æquè vnitatem, sed ideo longè alteram, quia inter substantias & naturas: homini nempe & Deo sua cuique & natura & substantia est, cùm Patris Filiiquè constet penitùs esse vnam. Vides illam nec vnitatẽ esse, siquidem huic singulari summæque Vnitati comparetur? Nam quomodò vnitas vbi numerus naturarum, substantiarum diversitas? Et tamen vnus spiritus dicitur, & est cum Deo adhærens Deo: nec præjudicat rerum pluralitas vnitati huic, quam facit non confusio naturarum, sed voluntatum consensio. Porrò per charitatem homo in Deo [a] & Deus in homine est, dicente Joanne: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Consensio quædam hæc, ut sint duo in vno spiritu, jmò vnus spiritus sint. Homo & Deus (b) quia vnius non sunt substantiæ vel naturæ, *vnum* quidem dici non possunt, *vnus* tamen spiritus certa & absoluta veritate dicuntur, si sibi glutino amoris inhæreant. Quam quidem vnitatem non tam essentiarum cohærentia facit, quàm conniventia voluntatum. Ideo vox Sponsi est ad sponsam: (c) *Veni in hortum meum soror mea sponsa*. *Soror* siquidem est, quia ex vno Patre: *sponsa*, quia in vno spiritu. Nam si carnale matrimonium constituit duos in carne vna, cur non magis spiritualis copula duos conjunget in vno spiritu? Denique qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Quoniam autem Scriptura loquitur (d) Deum omnia fecisse propter semetipsum, erit profectò ut factura sese quandoque conformet & concordet Auctori. Oportet proinde in eundem nos affectum quandoque transire, ut quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sic nos quoque nec nos ipsos nec aliud aliquid fuisse vel esse velimus, nisi æquè propter ipsum, ob solam videlicet ipsius voluntatem, non nostram voluptatem. Delectabit sanè non tam nostram vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quàm quòd ejus in nobis & de nobis voluntas adimpleta videbitur: quod & quotidie postulamus in oratione cùm dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*. O amor sanctus & castus! ô dulcis & suauis affectio! O pura & defæcata intentio voluntatis, eò certè defæcatior & purior, quò in ea de proprio nil jam admixtum relinquitur: eò suavior & dulcior, quò totum divinum est quod sentitur. Sic affici, deificari est. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino, deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit, & colorem: & quomodo ferrum ignitum & candens ignis simillimum fit, pristinâ propriâquè formâ exutum: & quomodo solis luce perfusus aër in eandem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus quàm ipsum lumen esse videatur. Sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquescere, atque in Dei penitùs trasfundi voluntatem. Alioquin quomodo omnia in omnibus erit Deus, si in homine de homine quidquam supererit? Manebit quidem substantia, sed in alia forma, alia gloria, aliaquè potentia. Quando hoc erit? Quis hoc videbit? Quis possidebit? *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Domine Deus meus, tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*. Quid dulcius (e) quid gloriosius quid beatius quàm illum videre facie ad faciem? Cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur: quem Sancti Angeli vident, & videre desiderant semper, & nunquam de ejus visione satiantur, qui est decor cæli, dulcedo paradisi, fides viuentium, spes morientium, & salus omnium Jesus Christus Dominus noster. Ipse vinculis charitatis devinctus (f) ad suscipienda vincula passionis de cælo tractus est in terras: nos è contrario qui de terra trahi desideramus ad cælum, priùs passionis vinculum nostro Capiti colligemus, ut per hoc ad charitatis vincula per-

x *Ser. 5. de verb. Esa. num. 2.* y *Ser. 71. in Cant. num. 6.* z *Ibidem num. 7.* a *Ibidem num. 8.*

b *Ibidem num. 9.* c *Ser. 8. in cant. num. 9.* d *Tract. de diligen. Deo cap. 10. num. 28.* e *Ser. 9. in vit. cæna num. 9.* f *Tract. de vite myst. cap. 4. num. 18.*

pertinentes vnum efficiamur cum ipso, secundùm quod orauit Patrem dicens: *Rogo Pater, ut quos dedisti mihi*, confirmati in charitate *sint vnum in nobis, sicut tu & ego vnum sumus*. Quid hac vnitate gloriosius? Quid vltra vel optare vel habere poteris ô homo Christiane? Vnum cum Sponso Jesu tu eris. O felix, felicior, imò felicissima vnitas! Optemus totis desideriis, hujus charitatis vinculis Sponso & Domino nostro colligari: ita ut ejus sequentes vestigia illic pervenire posimus, ubi ipse est qui dixit: *Volo Pater ut ubi ego sum, illic sit & minister meus*. Ibi omnes Sanctos (g) perfecta charitas indissolubili fœdere colligabit ut sicut Pater & Filius vnum sunt, sic & nos vnum simus in ipsis. Hinc mentem & oculos pariter cum manibus [h] ad te Regina mundi, attolimus, & coram tuæ Celsitudinis gloria genuflectimus, cervicem inclinamus, ac plenis suspiriis ad te preces in cælum transmittimus. Ad te Domina nostra stillant oculi nostri, te devotionis clamore valido obsecramus: ut te Domina exorante (i) tollatur crassa nebula ab oculis nostris, ut reuelata facie gloriam Domini speculantes, in immensum illud pelagus divini luminis absorbeamur à Domini spiritu: ac Deo nostro in vinculis charitatis astricti vnum cum ipso efficiamur. Præstet hoc nobis tuo interventu, ô Maria, Filius tuus Jesus Christus Deus & Dominus noster, cui laus & gloria, & gratiarum actio in sempiterna sæcula. Amen.

CAPUT. X.

De consolatione Christifidelium, quam sumunt ex memoria Passionis Dominicæ, & ex perpetuo Sanctorum consortio.

Læua ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *Cant*. 2.

1. *Excitamur ad gaudendum de exhibitione redemptionis nostræ, & de promissione regni cælestis. Exponuntur verba Sponsæ dicentis: Laua ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Per lauam disignatur dilectio illa, quam nobis exhibuit Christus in passione sua: per dexteram intelligitur futura visio Dei*. 2. *Docemur, duas esse res quæ interim consolantur Ecclesiam, memoria Passionis Dominicæ, & spes futuræ communionis Sanctorũ. Ostenditur qualiter Deus Christus intendit Ecclesiæ, & hæc illi: & qualiter Deus ad complementum gloriæ suæ nobis quodammodò opus habet. Tota curia cælestis ac etiam Sancta Trinitas desiderant & expectant adventum nostrum, ad restaurandas ruinas supernæ Civitatis Jerusalem*. 3. *Exponuntur prædicta verba sponsæ. Per læuam designatur humilitas Christi, in qua exhibuit nobis charitatem quam oculus vidit: per dexteram intelligitur Divinitas, in qua exhibiturus est nobis illam maximam charitatem, quam præparauit diligentibus se. Item per læuam indicatur Passio Christi, per dexteram Resurrectio ejus. Mysteria Passionis Christi sunt quasi fructus temporis præteriti: Resurrectio verò sunt flores temporis futuri*. 4. *Ostenditur, Ecclesiam sumere exinde magnam consolationem, quòd Deus dignatus sit credentes in Christum adoptare in filios suos, & facere hæredes ipsius. Tria spei nostræ sunt motiua obtinendi regnum cæleste, charitas adoptionis, veritas promissionis, & potestas redditionis. Exponuntur tria verba Orationis Dominicæ: Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum*.

§. I.

Gaudete in Dño semper, iterum dico gaudete. Philip. 4.

VAs electionis Paulus (a) eructat verbum bonum, dicens: *Gaudete in Domino semper, iterùm dico, gaudete*. Gaudete, inquit, de exhibitione, iterùm gaudete de promissione: quoniam & res plena gaudio, & spes plena gaudio est. Est quidem gaudium de regno Dei [b] sed non præmium est. Est quidem gaudium de regno Dei, sed non gaudium carnale, non gaudium sæculare, non gaudium cuius extrema luctus occupat, sed in quod magis tristitia vertitur: non denique gaudium est eorum qui lætantur cùm malefecerint, & exultatio quæ in rebus pessimis est, sed gaudium in Spiritu Sancto. Vnde autem hoc gaudium interim, nisi de justitia & pace procedit? Ipsa ergo procedant tanquam cellulæ mellis, ut facilè adhuc liquorem suavitatis solidior possit materia continere. Erit quando magis jam ipso simplici melle fruemur, gaudium nostrum plenum & purum erit, ut nonmodò in Spiritu, sed de ipso quoque Spiritu gaudeamus. Erit quando omnimodis erit gaudium spirituale, ut nullis jam corporeis occasionibus excitetur, non operibus misericordiæ, non lachrymis pænitentiæ, non exercitationibus justitiæ, non probatione patientiæ, sed ipsâ magis præsentiâ Spiritûs, in quem desiderant etiam Angeli prospicere. Interim sanè velut salis loco sapientia mihi cætera condit, tanquam non sit & ipsa cibus. Interim priusquàm comedam suspiro, & nec tunc quidem permittor ut glutiam saliuam meam. Est enim sapiens, cui quæque res sapiunt prout sunt. Cui verò ipsa jam in se prout est sapientia sapit, is nonmodò sapiens, sed etiam beatus est. Nempè hoc est videre Deum sicuti est, atque hic est quidem fluminis impetus lætificans civitatem Dei: hic est torrens voluptatis, hæc est denique vbertas. Proinde fidelis anima & suspirat præsentiam inhianter (c) & in memoria requiescit suauiter: & donec idonea sit reuelata facie speculari gloriam Dei, Crucis ignominiâ gloriatur. Sic profectò, sic sponsa & columba Christi pausat interim, & dormit *inter medios cleros*, fortita jam impræsentiarum de memoria abundantiæ tuæ Domine Jesu pennas deargentatas, innocentiæ videlicet pudicitiæquè candorem: & sperans insuper adimpleri lætitiâ cum vultu tuo, vbi etiam fiant posteriora dorsi ejus in pallore auri, quando in splendoribus Sanctorum introducta cum gaudio, sapientiæ pleniùs fuerit illustrata fulgoribus. Meritò proinde jam nunc gloriatur, & dicit: *Læua ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. In *læua* reputans recordationem illius charitatis qua nulla ma-

h *Ser. 3. de Virg. Deip. num. 1.* i *Ibidem. num. 7.*

a *Ser. 4. in vig. nat. Dom. num. 1.* b *Ser. 18. ibidem. num. 1.* c *Tract. de diligen. Deo cap. 4. num. 12.*

major eſt, quòd Animam ſuam poſuit pro amicis ſuis. In *dextera* verò reputans beatam illam viſionem quam promiſit amicis ſuis, & gaudium de præſentia Majeſtatis. Meritò illa Dei & deifica *viſio*, illa divinæ præſentiæ inæſtimabilis delectatio in *dextera* deputatur, de qua & delectabiliter canitur: *Delectationes in dextera tua uſque in finem*. Meritò in *læva* admirabilis illa memorata & ſemper memoranda *dilectio* collocatur, quòd donec tranſeat iniquitas, ſuper eam ſponſa recumbat & requieſcat. Meritò ergo læva Sponſi ſub capite ſponſæ collocatur (d) ſuper quam videlicet caput ſuum reclinata ſuſtentet, hoc eſt, mentis ſuæ intentionem, ne incurvetur & inclinetur in carnalia & ſæcularia deſideria: quia *corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem*. Quid namque aliud faciat conſiderata tanta & tam indebita miſeratio, tam gratuita & ſic probata dilectio, tam inopinata dignatio, tam invicta manſuetudo, tam ſtupenda dulcedo? Quid, inquam, hæc omnia faciant diligenter conſiderata, niſi ut conſiderantis animam ab omni penitùs pravo vindicatam amore, ad ſe mirabiliter rapiant, vehementer afficiant: faciantquè præ ſe contemnere, quidquid niſi in contemptu horum appeti non poteſt? Nimirùm proinde in odore unguentorum horum ſponſa currit alacriter, amat ardenter, & parum ſibi amare ſic amata videtur, etiam cùm ſe totam in amore perſtrinxerit. Nec immeritò. Quid magnum enim tanto & tanti repenſatur amori, ſi pulvis exiguus totum ſe ad redamandum collegerit, quem illa nimirùm Majeſtas in amore præveniens, tota in opus ſalutis ejus intenta conſpicitur? Denique *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*. Haud dubium quin de Patre dicat. Item *Tradidit in mortem animam ſuam*. Nec dubium quòd Filium loquatur. Ait & de Spiritu Sancto: *Spiritus Paracletus quem mittit Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis*. Gaudete ergo (e) quia jam percepiſtis dona *ſiniſtræ*: iterùm gaudete, quia expectatis præmia *dexteræ*. *Læva* (inquit Sponſa) *ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. *Læva* quidem levat, *dextera* ſuſcipit. *Læva* medetur & juſtificat, *dextera* amplectitur & beatificat. In *læva* ejus merita, in *dextera* verò præmia continentur. *In dextera* inquam deliciæ, in *ſiniſtra* ſunt medicinæ. Sequitur: (f) *Delectationes in dextera tua uſque in finem*. *Siniſtra* Dei, vita præſens eſt. Et quia pro ſiniſtro ducitur, quidquid non multum curamus, ideo per ſiniſtram præſens vita accipitur, in qua Dominus electos ſuos ſic ab impiis permittit flagellari, ut etiam patiatur occidi. An non tibi videntur oblivioni dari qui dicunt: *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis: quare faciem tuam avertis, obliviſceris inopiæ noſtræ?* Per *dexteram* verò illa beata vita deſignatur, quæ neſcit niſi gaudia, de qua nihil aliud dicere poſſumus, niſi quia *glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei*. Ibi ſunt delectationes illæ, quas nec oculus vidit, nec auris audivit: nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Uſquequò autem? *Uſque in finem*. Quis iſte finis eſt? Finis ad juſtitiam, eſt Chriſtus omni credenti. Finis ille eſt, de quo Sapiens dicit: *Attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*. Deum enim cernere, finis eſt conſummatus. Ipſe eſt finis, ad quem cùm venerimus nihil amplius ſitiemus, Jeſus Chriſtus Sponſus Eccleſiæ. Ipſa eſt *læva* (g) Chriſtus Jeſus, & hic crucifixus: nam *dextera* quidem Chriſtus Jeſus, & hic glorioſus. Jam quidem tenemus *ſiniſtram*, (h) ſed adhuc clamare neceſſe eſt: *Operi manuum tuarum porriges dexteram*: nam *delectationes in dextera tua uſque in finem*. Domine oſtende nobis dexteram, & ſufficit nobis. *Gloria* (inquit Propheta) *& divitiæ in domo ejus*, utique qui timet Dominum. Sed in domo tua Domine quid? Profectò gratiarum actio, & vox laudis. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Ad hanc domum (i) ſi pervenire deſideras ô homo, ſic concupiſcat & deficiat anima tua in atria Domini, ſicut Propheta clamat: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. Ibi enim electi non guttatim (k) non interpolatim percipient divinæ contemplationis dulcedinem: ſed torrente voluptatis indeſinenter repleti, habebunt gaudium quod nemo tollet ab eis, & pacem incommutabilem, pacem in idipſum.

§. II.

Conſolamini, conſolamini populе meus, dicit Deus veſter. Eſa. 40.

Eccleſiam (l) tempore & loco peregrinationis ſuæ duæ res conſolantur. De præterito quidem *memoria Paſſionis* Chriſti: de futuro autem, quòd ſe in *ſortem Sanctorum* cogitat & confidit recipiendam. Ambo hæc veluti antè & retrò oculata inſatiabili deſiderio contuetur; & uterque illi intuitus admodùm gratus, uterque eſt illi refugium, à tribulatione malorum & dolore integra conſolatio: cùm nonſolùm quid ſibi expectandum, ſed & unde id ſit præſumendũ noverit. Expectatio læta nec dubia, quæ Chriſti morte firmata eſt. Cur paveat ad præmii magnitudinem, quæ precii dignitatem conſiderat? Quàm libens mente inviſit foramina illa, per quæ ſibi Sacroſancti Sangvinis preciũ fluxit. Quàm libens cavernas perambulat & diverſoria & manſiones quæ ſunt in domo Patris multæ atque diverſæ, in quibus habet collocare filios ſuos pro quorumque diverſitate meritorum. Et nunc quidem Eccleſia (quod ſolum interim poteſt) ſolâ in his memoriâ requieſcit, cæleſte habitaculum quod deſurſùm eſt, jam animo induens. Erit autem cùm implebit ruinas, cùm cavernas & corpore inhabitabit & mente, cùm vacua domicilia quæ antiqui reliquerunt habitatores, ipſa ſuæ univerſitatis illuſtrabit præſentiâ, nec ulla ultra apparebit caverna penitùs in cæleſti maceria, felici

d *Ibidem num.* 13. e *Ser.* 4. *in Vig. Nat. Dom. num.* 1. f *Ser.* 41. *diver. num.* 13.

g *Ser.* 4. *in Vig. Nat. Dom. num.* 7. h *Ibidem num.* 8. i *Ser.* 1. *in dedicat. Eccl. num.* 7. k *Tract. de modo oran. cap.* 13. *nu.* 16. *tom.* 5. *pag.* 483. l *Ser.* 62. *in Cant. num.* 1.

decætero perfectione sui atque integritate gaudente. Inde, est quòd Dominum Sabaoth dilectum suum dicit, (m)& eum qui cum tranquillitate judicat omnia, sibi intendere gloriatur. Dicit enim: (n) *Dilectus meus mihi*: subaudiamus *intendit*: ut sit sensus: *Dilectus meus intendit mihi, & ego illi*. Quanquam tamen nec solus ego id senserim nec primus, cùm Propheta David ante me dixerit: *Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi*. Habes apertè intentionem Domini ad Prophetam: habes & Prophetæ ad Dominum in eo quod ait: *Expectans expectavi*. Nam qui expectat, intendit: & expectare, intendere est. Quidni glorietur Ecclesia? (o) Audivit Dominum dicentem sibi: *Numquid mater potest oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui*. Denique oculi Domini super justos. Et quid Ecclesia nisi congregatio justorum? Quid ipsa, nisi generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Sponsi Christi? Non enim ille intendit huic, & non ista illi. Propterea utrumque ponit dicens: *Ille mihi, & ego illi. Ille mihi*, quia benignus, & misericors est: *ego illi*, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia: ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi, ego illius honori. Ille saluti meæ, ego illius voluntati. Ille mihi & non alteri, quoniam una sum columba ejus: ego illi, & non alteri. Nec enim audio vocem alienorum, nec acquiesco dicentibus mihi: *Ecce hic est Christus*: aut, *Ecce illic est*. Hæc Ecclesia. Quid singulis quisque nostrûm? Putamusne in nobis quempiam esse, cui aptari queat quod dicitur: Quid dixi in nobis? Ego autem & de quovis intra Ecclesiam constituto, si quis hoc quærat, non omninò reprehendendum censuerim. Nec enim una unius ratio est atque multorum. Denique non propter animam unam, sed propter multas in unam Ecclesiam colligendas, in unicam astringendas Sponsam Deus tam multa & fecit & pertulit, cùm operatus est salutem in medio terræ. Charissima illa est una uni, non adhærens alteri sponso, non cedens alteri sponsæ. Quid ista non audeat apud tam ambitiosum amatorem? Quid non ab illo speret qui se quævit è cælo, vocavit à finibus terræ? Necmodò quæsivit, sed acquisivit. Adde & de modo acquisitionis in Sangvine acquisitoris. Aliàs verò (ut assolet) propterea magis præsumit, quoniam prospiciens in futurum non ignorat quoniam Dominus se opus habet. Quæris ad quid? Ad videndum in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, ut laudetur cum hæreditate sua. Nec parum hoc opus existimes, nullum dico tibi remanebit opus perfectum, si hoc nutârit. Nonne de statu & consummatione Ecclesiæ finis omnium pendet? Tolle hanc, & frustra inferior ista creatura revelationem filiorum Dei expectat. Tolle hanc, & neque Patriarchæ, neque Prophetæ aliqui consummabuntur, cùm Paulus asserat Deum ita providisse pro nobis, *ne sine nobis consummarentur*. Tolle hanc, & ipsa Sanctorum Angelorum pro imperfectione sui numeri gloria claudicabit, nec Dei civitas de sui integritate gaudebit. Vnde ergo implebitur propositum Dei, & mysterium voluntatis ejus, magnumquè illud pietatis sacramentum? Nec sanè reparabitur hæreditas (p) donec reparentur hæredes. Vnde & juxta Apostoli testimonium, *ingemiscit quoque & parturit usque adhuc*. Nec soli utique huic mundo, sed & Angelis & hominibus spectaculum facti sumus. *Me*, inquit, *expectant justi, donec retribuas mihi*. Et *Martyres* cùm judicii diem postularent (non tanquam vindictæ cupidi, sed perfectionem desiderantes beatitudinis, quam tunc habituri sunt) acceperunt divinũ responsum: *Sustinete adhuc modicũ tempus, donec compleatur numerus fratrum vestrorum.* Acceperunt quidẽ jam singuli singulas stolas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur & nos. Vadia tenemus & obsides ipsa eorum Corpora, sine quibus consummari non possunt, nec ea recipient sine nobis. O si cognosceremus & nos quomodò expectant, & quantùm desiderant adventum nostrum, quàm sollicitè quærunt, quàm libenter audiunt bona de nobis! Expectant, inquam, nos, (q) usque dum retribuatur nobis: ut videlicet in novissimo die magno festivitatis omnia simul in virum perfectum cum suo excelso Capite membra concurrant, & laudetur cum hæreditate sua Jesus Christus Dominus noster. Quid tamen de his loquor (r) qui didicerunt ex his quæ passi sunt, compassionem, quando & ipsi nos *Angeli* sancti desiderant? Nonne de vermiculis istis, & de pulvere isto restaurandi sunt muri cælestis Jerusalem? Putatis quantùm desiderant Cives cælestes instaurari Civitatis suæ ruinas? Quomodò solliciti sunt ut veniant lapides vivi, qui coædificentur eis? Quomodò discurrunt medii inter nos & Deum, fidelissimè portantes ad eum gemitus nostros, & ipsius nobis gratiam devotissimè reportantes? Planè non dedignabuntur ut simus eorum socii, quorum facti sunt ministri. Nonne enim omnes administratorii sunt spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? Festinemus obsecro. dilectissimi, festinemus, tota nos multitudo cælestis Curiæ expectat. Exultare Angelos fecimus, quando conversi sumus ad pænitentiam; proficiamus, & festinemus complere de nobis eorum lætitiam. Currite Fratres, currite: (s) non soli Angeli, sed & ipse Angelorum vos *Creator* expectat. Nuptiæ paratæ sunt, sed nondum plena est domus: adhuc expectantur, de quibus nuptiæ impleantur. Expectat vos *Deus Pater* & desiderat, non solùm propter nimiam charitatem suam qua dilexit vos: (unde & Unigenitus, qui in sinu Patris est, ipse enarravit: *Pater*, inquiens, *amat vos*.) sed propter semetipsum, sicut loquitur per Prophetam Ezechielem: *Propter memetipsum ego faciam, non propter vos*. Quis enim implendum dubitet quod promisit Filio suo, dicens: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Non implebitur hæc promissio, donec novissima inimica destruatur mors. Nam de *Filio* quis nesciat, quantùm desideret fructum Nativitatis, & totius vitæ quam gessit in carne, denique fructum crucis & mortis suæ, precium Sangui-

nis

m *Ser. 65. in Cant. num. 3.* n *Ser. 67. in Cant. num. 9.* o *Ser. 68. in Cant. num. 3. & 4.*

p *Ser. 2. in Vig. Nat. Dom. nu. 5.* q *Ser. 5. de omn. Sanct. n. 11.* r *Ser. 2. in Vig. Nat. Dom. num. 6.* s *Ibidem num. 7. & 8.*

nis preciosi? Nonne traditurus est regnum Deo & & Patri, quod acquisivit? Nonne ei restauraturus est creaturas suas, pro quibus Pater illum misit in terras? Expectat nos & *Spiritus Sanctus*. Est enim charitas & benignitas, in qua prædestinati sumus ab æterno: nec dubiũ quin prædestinationem suam velit impleri. Ergo quia paratæ sunt nuptiæ, & omnis nos Curiæ cælestis frequentia desiderat & expectat, curramus non quasi in incertũ, curramus desideriis, & profectu virtutum. Proficere, proficisci est. Dicamus singuli: *Aspice in me, & miserere mei, secundùm judicium diligentium nomen tuum*. Non sicut ego merui, sed sicut illi decreverint, miserere. Dicamus item: *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat*. Itemquè: *Fiat voluntas tua*. Scimus quoniam scriptum est: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Aut quis accusabit adversùs electos Dei? An non licet* (inquit Dominus) *mihi facere quod volo?* Hæc sit interim consolatio nostra, charissimi, donec egrediamur, & Dominus sit nobiscum. Qui magnâ suâ misericordiâ ad beatam illam egressionem, & ad clarum illud cras nos perducat: ut cum gaudio salutari suscipiamus coronam Regis nostri, ipso præstante qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

§. III.

Gaudete in Domino semper: iterùm dico, gaudete. Philip. 4.

Sanctus Paulus vas electionis (t) quod de plenitudine Christi acceperat, eructat verbum bonum: *Gaudete in Domino semper: iterùm dico, gaudete*. Gaudete, inquit, de exhibitione, iterùm gaudete de promissione: quoniam & res plena, & spes plena gaudio est. Gaudete, quia jam percepistis dona sinistræ: gaudete, quia expectatis præmia dexteræ. *Læva*, inquit Sponsa, *ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Læva quidem medetur & justificat, dextera amplectitur & beatificat. In læva ejus sunt merita, in dextera verò continentur præmia. In dextera denique deliciæ, in sinistra sunt medicinæ. Proinde (u) crucis & Passionis Christi insignia sint mihi præsentia, ut *læva* ejus dilectionis (qua nemo unquam majorem habuit) sit sub capite meo, ne videlicet mens mea ad carnalia incurvetur desideria: donec *dextera* Divinitatis ejus amplexetur me, ut absorbeatur hoc quod mortale est à vita, & mortale hoc immortalitatem, & corruptibile hoc induat incorruptionem. *Lævam* in hoc loco Humanitatem Christi accipio, in qua nobis exhibuit charitatem (ut diximus) qua nemo majorem habet, ponens Animam suam etiam pro inimicis suis. *Dextera verò* est Divinitas, qua desidero amplexari. Tunc enim *satiabor* (inquit Propheta) *cùm apparuerit gloria tua*. Et: *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: quia delectationes in dextera tua usque in finem*. Cæterùm quantùm dextera sinistræ præcellit (x) quantùm videlicet æterna caducis, incorruptibilia corruptibilibus, immortalia mortalibus: tantùm necesse est præcellere charitatem (quam nobis exhibiturus est in gloria suæ *Divinitatis*) charitati illi quam nobis exhibuit in miseria suæ *Humanitatis*. Hanc enim & oculus vidit, & auris audivit, & in cor hominis ascendit, non quam præparavit diligentibus se. Sed dices: Quænam est illa charitas? Audi. Licet majorem hac dilectione nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis: ipse tamen suam posuit pro inimicis. Cùm enim adhuc inimici essemus, reconciliavit nos Deo in Sanguine suo. Si hoc fecit Homo, quid faciet Deus? Si hoc fecit pauper, quid faciet dives? Si hoc fecit pro inimicis, quid faciet pro amicis? Si hoc fecit in via, quid faciet in patria? Si hoc fecit in exilio, quid faciet in Palatio? Si hoc fecit in terra, ubi sui eum non receperunt: quid faciet in Cælo, ubi ei omnes obediunt? Sicut autem Mediator noster duas naturas, (y) Humanitatem videlicet & Divinitatem conjunxit in una persona: ita singula ejus opera ad hanc, sive illam necesse est pertinere naturam. Ad hanc siquidem miseria, sed ad illam pertinet potentia. Quidquid ergo miseriæ passus est, ex homine contraxit. Quidquid potenter operatus est, à Patre habuit. Humanitate igitur & Divinitate altrinsecùs positis, duo habes media, Passionem & Resurrectionem. Illa est misericordiæ & miseriæ: ista est potentiæ. Vis annunciari inter pennas columbæ, id est, inter perfectos Ecclesiæ, quorum videlicet exemplo infirmi roborantur, depressi sublevantur: dormias necesse est inter medios cleros, idest, inter Passionem & Resurrectionem, hinc stipatus fructibus, hinc fulcitus floribus. Fructus ad Passionem, flores ad Resurrectionem pertinent. Judæus sanè, sive paganus [z] nequaquam talibus aculeis incitatur amoris, quales Ecclesia experitur, quæ ait: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Monimenta Passionis [a] fructus agnosce quasi anni præteriti, omnium utique retrò temporum sub peccati mortisquè imperio decursorum, tandem in plenitudine temporis apparentes. Porrò autem Resurrectionis insignia, novos adverte flores sequentis temporis, in novam sub gratia reviresçentis æstatem, quorum fructum generalis futura Resurrectio in fine parturiet sine fine mansurum. Hæc mala, hi flores [b] quibus Sponsa Ecclesia se interim stipari postulat & fulciri, credo sentiens facilè vim in se amoris posse tepescere & languescere quodammodò, si non talibus jugiter foveatur incentivis: donec introducta quandoque in cubiculum sui Sponsi, diu cupitis excipiatur amplexibus, & dicat: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexata est me*. Sentiet quippè tunc & probabit universa dilectionis testimonia, quæ in priori adventu tanquam de *sinistra* dilecti sui Jesu acceperat, præ multitudine dulcedinis amplexantis *dexteræ* contemnanda, & omninò jam quasi subtùs habenda. Sentiet quod audierat: *Caro non prodest quidquam, spiritus est qui vivificat*. Probabit

t *Ser. 4. in Vigil. Nat. Dom. num. 1.* u *Ser. de verb. Sap. num. 5. tom. 6. pag. 770.*

x *Ibidem num. 6.* y *Ibidem num. 7.* z *Tract. de diligen. Deo cap. 3. num. 7.* a *Ibidem num. 8.* b *Ibidem num. 10.*

quod legerat: *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum.* Quod verò sequitur, *Memoria mea in generatione sæculorum*: hoc dicit, quia quamdiu stare præsens cernitur sæculum, in quo generatio advenit, & generatio præterit, non deerit Electis consolatio de memoria, quibus nondum de præsentia plena refectio indulgetur. Unde scriptum est in Psalmo: *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt*: haud dubium quin hi, quos paulò superiùs dixerat: *Generatio & generatio laudabit opera tua.* Memoria ergo in generatione sæculorum, præsentia in regno cælorum. Ex ista glorificatur jam assumpta electio, de illa interim peregrinans generatio consolatur. Vtinam autem [c] circa hos duos Adventus jugi meditatione versemini, ruminantes in cordibus vestris quantum in priori adventu præstiterit Dominus noster Jesus Christus, quantum promiserit in secundo. Vtinam certè dormiatis inter medios cleros. Hæc sunt enim duo brachia Sponsi Jesu, inter quæ sponsa dormiens aiebat: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Nam *in sinistra quidem ejus* (sicut alibi legimus) *divitiæ & gloria*: *in dextera longiturnitas vitæ.* Denique (d) jucundè complectur, dum in Psalmo spondetur repletio tam jucunda. *Longitudine* (inquit Dominus) *dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.* Ideo sæpiùs vos admoneo, Fratres, quòd juxta Pauli sententiam, *promissionem habeat pietas, vitæ ejus quæ nunc est, pariter & futuræ.* Unde & idem Apostolus ait: *Habetis nunc quidem fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Ipsa est, quæ hoc loco promittitur, plenitudo, ipsa longitudo dierum. Quid enim tam longum, quàm quod æternum est? Quid tam longum, quàm quod nullo fine præciditur? Bonus finis vita æterna: bonus finis, qui finem non habet. Et sanè cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Amplectamur itaque sanctificationem, quoniam bona est, quoniam finis ejus vita sine fine. Sanctimoniam sectemur & pacem, sine qua nemo videbit Deum. *Longitudine* (inquit) *dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.* *Dexteræ* Dei est ista promissio, munus est dexteræ quam sibi olim sanctus Job porrigi optabat: *Operi*, inquit, *manuum tuarum porriges dexteram.* Delectationes in *dextera* hac usque in finem. Hanc nimirùm & ille sibi porrigi optavit & obtinuit dexteram, de quo Psalmista ait: *Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi.* Manifestiùs autem sapiens dixit: *In sinistra illius divitiæ & gloria, in dextera ejus longiturnitas vitæ.* Audiamus deniq; Sponsam (e) in Cantico canticorũ fiducialiter loquentẽ: *Læva ejus* (haud dubium quin Sponsi) *sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Transcendit enim beata anima Christi Incarnationem & humanitatem, quæ nimirùm *læva* ejus jure vocatur: ut Divinitatem ejus & majestatem ejus, quam non incongruè *dexteram* nominat, sublimiùs contempletur. De cujus splendidissima contemplatione (f) fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. O si & mei peccatoris meminerit Jesus in beneplacito populi sui, cùm venerit in regnum suum! O si me in illa die, quando traditurus est regnum Deo & Patri, visitare dignabitur in salutari suo, ad videndum scilicet in bonitate Electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, ut laudetur etiam à me cum hæreditate sua.

§. IV.

Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum. Matt. 6.

Fidelis oratio [g] cujus ipsa primordia & Divinæ adoptionis, & terrenæ peregrinationis admoneant, ut hoc scienties, quòd quamdiu non sumus in cælo peregrinamur à Domino, gemamus intra nosmetipsos adoptionem filiorum expectantes, præsentiam utique Dei Patris. Postquam Vnigenitus Dei [h] non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, hominis quoque dignatus est fieri filius, & habitu inventus ut homo: non immeritò jam de cælesti generatione exiguitas humana præsumit. Neque enim indignum est Deo, eorum fieri Patrem, quorum se Christus fecerit fratrem. Hinc est quòd Beatus Joannes (qui sæpiùs nobis ac studiosiùs hanc commendat adoptionem filiorum Dei) in ipso quoque Evangelii sui principio inquit: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Quanta dignatio Dei [i] Deum Patrem hominum esse? quanta hominum gloria, Dei filios esse & hæredes? Nam si filii, & hæredes. *Beati pacifici* [k] *quoniam filii Dei vocabuntur.* Meritò beatificatur nomine filii, quòd opus filii impleverit, ut post suam non ingratus reconciliationem, etiam alios reconciliet Patri suo. Siquidem qui benè ministraverit, bonum sibi gradum acquirit; nec in domo Patris gradus melior credendus est esse quàm filii. Si enim filii, & hæredes: hæredes quidẽ Dei, cohæredes autem Christi, ut quemadmodùm dicit Joannes Euangelista: *Vbi ipse est, ibi sit & minister suus.* Tria considero in quibus tota spes mea consistit [l] *charitatem* adoptionis, *veritatem* promissionis, *potestatem* redditionis. Murmuret jam quantùm voluerit insipiens cogitatio mea dicens: Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria, quibusvè meritis speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptavit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione: licet enim ei facere quod vult. Hic est funiculus triplex qui difficilè rumpitur, quem nobis à patria nostra in hunc carcerem usque demissum firmiter (obsecro) teneamus: ut ipse nos sublevet, ipse nos trahat & pertrahat usque ad conspectum gloriæ magni Dei.

Quòd autem petimus ut *sanctificetur nomen ejus* [m] omninò jam supra nos in ejus notitiam concupiscimus. Ubi nimirùm nobis in nobis & felix securitas & secura fælicitas fuerit, in eum qui supra nos est, totâ jam spiritûs vehementiâ rapiemur. Sed non novit nomen ejus [n] qui illud assumit in vanum, qui

c Ser. 4. de Adven. Dom. num. 1. d Ser. 17. *super. Psal.* 90. *n.* 1. e Ser. 4. *de omn. San. num.* 3. f *Ser.* 4. *super Missus num.* 1.

g *Ser.* 2. *de Virg. Deip. num.* 1. h Ser. 1. *in. Oct. Pasch. num.* 1. i *Ser.* 26. *in Cant. num.* 15. k *Tract. conuers. ad Cleric cap.* 15. *num.* 21. l *Ser.* 3. *in Dom.* 6. *post. Pen.. num.* 7. m Ser. 6. *in Quadrag. num.* 5. n Ser. 15. *super. Psal.* 90. *num.* 6.

qui dicit ei: Domine, Domine, & non facit quæ dicit ipse. Non novit nomen ejus, qui eum non honorat ut Patrem, nec ut Dominum timet. Non novit nomen ejus, qui ad vanitates & insanias falsas convertitur. *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, & non respexit in vanitates & insanias falsas*. Hoc nomen cognoverat qui dicebat: *Non enim est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat salvos fieri*. Nos quoque si novimus Nomen sanctum quod invocatum est super nos, desiderandum utique est nobis, ut semper sanctificetur: atque ita orandum juxta doctrinam utique Salvatoris: *Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum*. Nomen ejus [o] est gloria ejus. Et illa quando non sancta? Fieri tamen dicitur sancta gloria ejus, cùm in sanctitate glorificatur à nobis: sicut & voluntatem ejus, quæ æterna est, in nobis, ut nostra fiat, fieri postulamus. Hoc ergo primum fieri petimus quod maximum est, ut nobis gloriæ illius innotescat sanctitas illibata. Exinde quod ad nos spectat, optamus & regni potestatem propter securitatem, & voluntatis ejus in nobis perfectionem propter jucunditatem.

Secundū est quod quotidie petimus in oratione [p] cùm dicimus Deo: *Adveniat regnum tuum*. Regnum hoc necdum ex toto pervenit ad nos. Quotidiè tamen paulatim adventat, sensimquè in dies magis ac magis dilatat terminos suos, in his duntaxat, quorum per Dei adjutorium interior homo renovatur de die in diem. Inquantùm ergo regnum gratiæ dilatatur, intantùm peccati potestas minuitur. Inquantùm verò minus est adhuc propter corpus mortis quod aggravat animam, & ob necessitatem terrenæ inhabitationis utique deprimentis sensum multa cogitantem: necesse habent etiam qui perfectiores in hac mortalitate videntur, confiteri & dicere: *In multis offendimus omnes: & si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est*. Quapropter orant & ipsi sine intermissione dicentes: *Adveniat regnum tuum*. Quod non erit vel in ipsis consummatum, quousque peccatum nonsolùm non regnet in eorum mortali corpore, sed nec sit omninò, nec esse possit in immortali jam corpore. Veni interim Domine Jesu, [q] aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu (qui debes) in ea. Venit enim avaritia, & vendicat in me sibi sedem: jactantia cupit dominari mihi: superbia vult mihi esse rex: luxuria dicit, Ego regnabo: ambitio, detractio, invidia & iracundia certant in meipso de meipso, cujus ego potissimùm esse videar? Ego autem quantùm valeo resisto. renitor quantùm juvor; Dominum meum Jesum reclamo, ipsi me defendo, quia ipsius me esse juris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo, & dico: Non habeo regem nisi Dominum Jesum. Veni ergò Domine, disperge illos in virtute tua, & regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Jacob. Porrò attendamus in regulam Dei: [r] *Regnum Dei*, inquit, *intra vos est*: hoc est, non exteriùs in vestimentis aut alimentis corporis, sed in virtutibus interioris hominis. Unde Apostolus: *Regnum Dei non est esca & potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu Sancto*. Et rursùs: *Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute*. Nolite ergo ulteriùs evagari in exterioribus (s) diffusi in vanitates & insanias sæculi: sed reversi ad vos intrate ad cor vestrum, ubi sine dubio regnum Dei est. *Regnum* enim *ejus intra vos est*. Quid est hoc regnum? Sana & libera voluntas hominis, ita se conformans voluntati Dei, ut nihil velit, quod sciat ei displicere: nihil nolit, quod sciat ei non placere. Quis ex nobis est [t] qui juxta interpretationem nominis Jacob, supplantet diabolum de corde suo, luctetur cum vitiis & concupiscentiis suis, ut non regnet peccatum in suo mortali corpore: sed regnet in eo Jesus, & nunc quidē per gratiam, in æternum verò per gloriā? Beati in quibus Jesus regnabit, quia & ipsi cum eo regnabunt, & regni ejus non erit finis. Princeps est Christus [u] & magnus Princeps, cujus ne ipsi quidem dæmones possunt effugere principatum. At illorum regnum in seipsis divisum desolabitur. Christi autem regnum integrum atque perfectum manebit: & regni ejus non erit finis.

Denique [x] ubi non sanctificatur Nomen Jesu Christi? Ubi jam regnum ejus non venit, quando *in nomine Jesu omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum*. *Scio te quis es, Sanctus Dei*, ait etiam ipse malignus dæmon. At longè aliter & dissimili prorsùs affectione Nomen istud sanctificatur in cælis, ubi tam inenarrabili jucunditate clamatur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*. Sic & regnat non in terra solùm, verumetiam in gehenna, imperium habens vitæ & mortis. Sed omninò dissimiliter regnat in his qui inviti serviunt, & qui voluntariè famulantur. Primus homo erat positus in actione & meditatione, [y] sine passione habens actionem, habens etiam sine labore meditationem. Dico autem quando positus fuit in paradisum, ut operaretur & custodiret illum. Verùm hinc quoque si non caderet, erat aliquando promovendus ut sola jam frueretur contemplatione. Felix quidem cujus animam corpus non aggravabat, quia non corrumpebatur: sed longè felicior si ad hoc pervenisset, ut minoratus actu, pleniùs perfectiùsquè perciperet sapientiam, gratis diligens corpus, tanquam in nullo indigens corpore. Esset enim hic pulcherrimus ordo, & erit adhuc quando erit. Neque enim aliquatenùs desperandum est, ut videlicet sicut anima Deo, sic animæ caro dicere videretur: *Quoniam bonorum meorum non eges: adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo*. Nam quod de corporum reformatione, & conformatione claritati corporis Christi expectamus, ex abundantiori quodammodò & mensuræ supereffluentia erit, ut feliciter quidem in ipsius glorificatione, sed non principaliter gaudeamus. Nunc autem in regione corporum habitantes, [z] corporibus sumus obnoxii: & ex quo dissipaverunt legem Domini primi Parentes nostri, nonmodò faciendi tempus est, sed etiam patiendi, & omnium nostrûm ampliùs labor & dolor. Propterea Jeremias Propheta de seipso ait: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus*. Gemamus

o *Ser. 6. in Quadrag. num. 5.* p *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 4. num. 12.* q *Ser. 4. super missus num. 2.* r *Tract. de vit. & mor. Relig. cap. 6. num. 15.*

s *Epist. 385. num. 5.* t *Ser. 4. super. missus num. 2.* u *Ser. 33. diver. nu. 7.* x *Ser. 2. diver. nu. 3.* y *Ibidem nu. 6.* z *Ibidem num 7.*

mus quoque & nos sub hoc onere, Fratres, & præsentes deploremus ærumnas: frequenter quisque nostrûm in vocem piæ querimoniæ erumpat & clamet: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Studeamus etiam furari aliquando nosmetipsos, & à pessimis occupationibus istis surripere vel ad horam, jaculari animos, vibrare corda in id quod suum est, & quod quantò naturalius, tantò suavius est. Hoc enim est quod dicitur: *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* Neque enim est oculorum visio ista, sed cordium, cùm Dominus dicat: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Proprium est hoc cordis bonum, nec servili ad hoc indiget instrumento: proprius enim animæ cibus est, de quo Propheta: *Aruit*, inquit, *cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Sanè quod dicimus, dictu facilius nihil est, in comparatione dicimus operum, quòd longè sit volubilior lingua quàm dextera, & leviùs hæc ad verbum, quàm ad actum illa moveatur. Alioquin & dictu & actu cogitatus facilior est, quòd in eo quidem suo ipsius ore loquatur anima, suis videat oculis, suis manibus operetur. Quamvis & hîc interdum laborare eam necesse est etiam in gemitu suo, & intra proprium quoque cubile compungi. Siquidem usque adeò vita nostra appropinquavit (qui solius utique passionis est locus) ut actionem passio, imò & ipsam quoque cogitationem actio & passio pariter occupârint. Nonne enim nobis quodammodò passivæ sunt actiones, & in cogitationibus etiam labor & dolor? Heu vitula Ephraim docta diligere trituram, assueta jugo, ignara quietis! Quandò veniam & apparebo ante faciem Dei? Quandò cessabunt hæc omnia; & jam non erit ampliùs neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor, neque labor ullus? Quandò inebriabit animam ubertas domûs Dei, & torrens ille indeficiens voluptatis Divinæ? Quandò totam sibi eam serenissimi contemplatio luminis vendicabit? Fratres, concupiscamus in atria Domini, crebrò suspiremus illuc. Patria nostra ipsa est, odoremus saltem & à longe salutemus eam. Levate corda vestra cum manibus quibusdam cogitationum (a) ut glorificatum Dominum videatis. Formate in cordibus vestris nonmodò Patriarcharum & Prophetarum tabernacula, sed omnes domus illius cælestis multiplices mansiones secundùm eum, qui circuibat immolans in tabernaculo Domini hostiam vociferationis, cantans, & Psalmum illum dicens Domino: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Circuite & vos charissimi, cum pietatis & devotionis hostia, visitantes animo sedes supernas, & multas quæ in domo Patris sunt mansiones: humiliter prosternentes corda vestra ante thronum Dei & Agni: cum reverentia supplicantes singulis ordinibus Angelorum: Patriarcharum numerum, cuneos Prophetarum, & Senatum Apostolicum salutantes: coronas Martyrum suspicientes, purpureis rutilantes floribus: redolentes liliis choros Virginum admirantes, atque ad mellifluum novi cantici sonum (quantùm prævalet infirmitas cordis) erigentes auditum. Obsecro vos Fratres mei, (c) delectetur in hujusmodi meditationibus anima vestra: quin etiam caro vestra interim requiescat in spe, Salvatorem expectans Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit illam configuratam corpori claritatis suæ. Sic enim ait Propheta: *Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Desiderabat quidem anima prophetalis adventum priorem, quo se noverat redimendam: sed multò ampliùs caro desiderabat adventum posteriorem, & glorificationem suam. Tunc enim implebuntur desideria nostra, & plena erit majestate Domini omnis terra. Ad quam gloriam, ad quam beatitudinem, ad quam denique pacem quæ exuperat omnem sensum, ipse suâ nos misericordiâ perducat, nec confundat nos ab expectatione nostra Salvator quem expectamus, Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

DEO GRATIARUM ACTIO,

ET BEATO BERNARDO,

Servo ejus dulci & fideli.

S. Bonavent. Conclus. tract. medit. de vita Christi.

---

a *Ibidem. num. X.* b *Ser. 4. de Ascens. Dom. num. 9.* c *Ser. 6. de Advent. Dom. num. 6.*

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Decima Tertia,

De Amore Dei.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, &c.
Luc. 10. Matt. 22. Deut. 6.

PROEMIUM.

CONSIDERA ô homo, (a) quantùm excedit ista Philosophia philosophiam Sapientium mundi hujus, quæ nimirùm stultitia est apud Deum. Hæc est Sapientia, (b) de qua dicit Apostolus: *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Charitas via est, & vita virtutum: (c) ipsa est via, & illic iter quo ostenditur salutare Dei. Unde Apostolus in prima Epistola ad Corinthios: *Adhuc viam*, inquit, *eminentiorem vobis demonstro*. Et item: *Scire etiam supereminentem scientiam charitatem Dei*. Ars est artium ars amoris, (d) cujus magisterium ipsa sibi retinuit natura, & Deus auctor naturæ: ipse enim amor à Creatore inditus, se docet, sed docibiles sui, docibiles Dei. Est quippe amor vis animæ naturali quodam pondere ferens eam in locum vel finem suum. Quod ergo naturale est, (e) justum profectò est primùm omnium Auctori deservire naturæ, unde & dictum est primum & maximum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis*. Hoc Dei præceptum (f) exactissimam observantiæ necessitatem habet implicitam. Potest enim aliquis se excusare, quòd vigilare aut laborare idoneus non sit: sed excusare se nullus potest, quòd amare non possit. De virginitate datur consilium, non præceptum: *Qui potest* (inquit Dominus) *capere capiat*. Et Apostolus: *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do*. Charitas autem à Deo præcipitur fortiter & obnixè, sine interminatione pœnali cordibus humanis inducitur. Mandavit equidem hoc mandatum Dominus custodiri nimis. Et ut ipsum cordibus nostris altiùs quàm clauum infigeret, velut crebros ictus sæpiùs inculcavit: primò ut diligeremus *ex toto corde*: postea subjungit, quòd *ex tota anima*: deinde adiecit, quòd *ex tota virtute nostra*. Sanè duritia cordis nostri hanc exigebat inculcationis instantiam, ut hoc præceptum ad nostrorum cordium interiora transiret, sicut duro stipiti clauus crebra infixione infigitur, donec etiam interiùs adigatur. O homo (g) quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Hæc est enim dilectionis virtus (h) in qua nec minimum opus respuitur, sine qua nec maximum acceptatur. Non prædicatio: *etsi linguis fiat Angelorum*. Non fides: *etiamsi montes transferat*. Non eleemosyna: *etiamsi omnes facultates in cibos pauperũ distribuat*. Non corporis afflictio: *etiamsi tradatur corpus ita ut ardeat*. Non missarum solemnia: quia *ante fratris reconciliationẽ munus offerri prohibetur*. Ipse enim amor hominum Deus est, cui omnis creatura meritò confitetur & dicit: *Bonorum meorum non eges*: sed hoc solum requirit ab omni homine, quod nulli constat esse difficile. Solus enim amor est, qui nomen difficultatis ignorat. Nec verendum (i) ne disparitas personarum claudicare in aliquo faciat convenientiam voluntatum, quia amor reverentiam nescit. Ab amando quippe amor, non ab honorando denominatur. Honoret sanè qui horret, qui stupet, qui metuit, qui miratur; vacant hæc omnia penes amantem. Amor sibi abundat, amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit & captivat affectus. Addo quòd Deus nonmodò amans, (k) sed amor est. Numquid honor? Contendat quis esse, ego non legi. Legi autem quia Deus charitas est, & non quia honor est, vel dignitas legi: non quia honorem

non

S. Bernard. Abb. juxta eius libror. edit. authore Horstio in VI. Tom. impr. Parisiis anno 1667. a *Ser. 7. diver. num. 1.* b *Lib. 2. de amore Dei. cap. 13. num. 39.* c *Lib. 3. de amore Dei. cap. 9. num. 36.* d *Lib. 2. de amore Dei. cap. 1. num. 1.* e *Tract. de diligen. Deo. cap. 8. nu. 23.* f *Lib. 3. de amore Dei. cap. 35. nu. 59.* g *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 17.* h *Lib. 3. de amore Dei. cap. 3. num. 16.* i *Ser. 83. in Cant. num. 3.* k *Ibidem num. 4.*

non vult Deus, qui ait: *Si ego Pater, ubi est honor meus?* Verùm id Pater. Sed si Sponsum se exibeat, puto quia mutabit vocem, & dicet: *Si ego Sponsus, ubi est amor meus?* Nam & ante ita locutus est: *Si ego Dominus, ubi est timor meus?* Exigit ergo Deus timeri ut *Dominus*, honorari ut *Pater*, ut *Sponsus* amari. Quid in his præstat? quid eminet? Nempe amor. Absque hoc, & timor pænam habet, & honor non habet gratiam. Servilis est timor, quamdiu ab amore non manumittitur. Et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Et quidem soli Deo honor & gloria, sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris condita non fuerint. Is per se sufficit, is per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium sibi est amor, præter se non requirit causam, non fructum. Fructus ejus est usus ejus. Amo, quia amo: amo, ut amem. Magna res est amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti semper ex eo sumat unde jugiter fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus & sensibus atque affectibus, in quo potest creatura etsi non ex æquo respondere Auctori, vel de simili mutuam rependere vicem. Verbi gratiâ: Si mihi irascatur Deus, num illi ego similiter reirascar? Non utique, sed pavebo, sed contremiscam, sed veniam deprecabor. Ita si me arguat, non redarguetur à me, sed ex me potiùs justificabitur. Nec si me indicabit, judicabo ego eum, sed adorabo: & salvans me non quærit à me ipse salvari, nec vicissim eget ab aliquo liberari, quia liberat omnes. Sid ominatur, me oportet servire: si imperat, me oportet parere, & non vicissim à Domino vel servitium exigere, vel obsequium. Nunc jam videamus de amore quàm aliter sit. Nam cùm amat Deus, non aliud vult, quàm amari: quippè non ad aliud amat nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos qui se amaverint. Solus igitur amor est (l) quem à nobis Deus exigit cùm aut beneficiis obruit, aut flagellis corripit, vel cõsiliis instruit, vel mandatis astringit. Plenitudo legis charitas est, & legem continet & Prophetas: quia quidquid divina lege indicitur, vel interdicitur, ad solum amorem reducit. Denique nondum tempus fidei advenerat (m) nondum innotuerat in carne Deus, objerat in cruce, prodierat de sepulchro, redierat ad Patrem: nondum, inquam, commendaverat in nobis suam multam dilectionem, cùm jam mandatum est homini *diligere Dominum Deum suum toto corde, tota anima, tota virtute sua*: id est, ex omni quod *est*, quod *scit*, quod *potest*. Nec tamen est injustus Deus, suum sibi vendicans opus & dona. Vt quid enim non amaret opus artificem, cùm haberet unde id posset? Et cur non quantum omninò posset, cùm nihil omninò nisi ejus munere posset? Ad hæc, quòd de nihilo, quòd gratis, quòd in hac dignitate conditum est; & debitum dilectionis manifestius facit, & exactum justiorem ostendit. Proinde cogor aliquid vobis de charitate scribere (n) atque supra meipsum præsumere, & super modum parvitatis meæ: imò (ut mihi sentire videor) de vacuo & quod habeo dare. Difficilè, dico vobis, acquiescit animus meus aliquid de charitate dicere, sentiens quod ad eam tractandam non cornec, non lingua sufficiat. Quomodo enim de amore loquitur homo, qui non amat, qui vim non sentit amoris? De aliis nempè copiosa in libris occurrit materia; hæc autem tota intùs est, vel nusquam est: quia non ab exterioribus ad interiora suavitatis secreta transponit, sed ab interioribus ad exteriora transmittit. Solus proinde de ea loquitur dignè, qui secundùm quod cor dictat, interiùs & exteriùs verba componit. Cæterùm (o) quia doctis & indoctis pariter in istiusmodi excusandi mos est, nec facilè scitur, quænam verè ex imperitia, quævè ex verecundia excusatio prodeat: accipite de mea paupertate quod habeo, ne tacendo philosophus puter. Ego enim fragmenta mea (p) quæ mihi collegeram, sine invidia communicabo, ne fortè incurram maledictionem absondentis frumenta in populis. Superest (q) ut jam distribuam quæ paravi. Vos autem considerate potiùs dantem Dominum, quàm ministrum distribuentem.

CAPUT. I.

De duplici causa diligendi Deum: & de quatuor gradibus amoris.

Diliges Dominum Deum tuum. *Deut.* 6. *matt.* 22. *mar.* 12. *Luc.* 10.

1. *Ostenditur quonam suo merito Deus sit diligendus. Docemur, Deum ideo meruisse diligi à nobis, quia ipse prior dilexit nos. Dilectio Dei etiam Angelos comprehendit, dans eis ne laberentur tunc, quando alii lapsu superbiæ corruerunt.* 2. *Ostenditur quonam nostro commodo diligendus sit Deus. Docemur, diligendum esse Deum absque præmii intuitu. Ostenditur, appetitum hominis esse insatiabilem, adepto etiam quocunque bono, quod minus est summo. Deus est efficiens & finalis causa diligendi Deum.* 3. *Ostenditur, quatuor esse gradus amoris. Primus gradus est ille, quo diligit homo se propter se. Secundus est, cùm homo propter se diligit Deum, tunc quando exercetur tribulationibus. Tertius est, cùm* Deus *propter se diligitur ab homine experiente divinam suavitatem. Quartus amoris gradus est, cùm nec seipsum diligit homo nisi propter Deum. Perfectio charitatis non competit homini in hac vita, sed in patria cælesti.*

§. I.

Vultis à me audire (a) quare & quomodò diligendus sit Deus? Et ego dico: *Causa* diligendi Deum, Deus est. *Modus*, sine modo diligere. Estne hoc satis? Forrassis utique, sed Sapienti. Cæterùm si & insipientibus debitor sum, ubi sat est dictum Sapienti, etiam illis gerendus mos est. Itaque propter tardiores idem profusiùs quàm profundiùs repetere non gravabor. Ob duplicem ergo causam Deum dixerim propter seipsum diligendum: sive quia

l *Libr. 3. de amore Dei cap. 12. num. 15.* m *Tract. de dilig. Deo cap. 5. nu. 15.* n *Proemio Libri. 3. de amore Dei. tom. 5. pag. 524.*

o *Præfat. Tract. de diligen Deo.* p *Ser. 3. in Dom. 6. post. Pent. n. 1.* q *Ser. 1. de omn. Sanct. num. 3.* a *Tract. de diligen. Deo. cap. 1.*

quia nihil *justiùs*, sive quià nil diligi *fructuosiùs* potest. Duplicem siquidem parit sensum, cùm quæritur de Deo, cur diligendus sit. Dubitari namque potest quid potissimùm dubitetur: utrumnam, quo suo *merito* Deus, aut certè quo nostro sit *commodo* diligendus? Sanè utrumque idem responderim: non planè aliam mihi dignam occurrere causam diligendi ipsum, præter ipsum. Et priùs de *merito* videamus. Multùm quippe meruit Deus de nobis, qui & immeritis dedit seipsum nobis. Quid enim melius seipso poterat dare vel ipse? Ergo si Dei meritum quæritur, cùm ipsum diligendi causa quæritur, illud est præcipuum: quia ipse prior dilexit nos. Dignus planè qui redametur, præsertim si advertatur *quis*, *quos*, *quantùmquè* amaverit. *Quis* enim? Num is cui omnis spiritus confitetur: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*? Est vera hujus charitas majestatis, quippe non quærentis quæ sua sunt. *Quibus* autem tanta charitas exhibetur? *Cùm adhuc* (inquit Apostolus) *inimici essemus*, *reconciliati sumus Deo*. Dilexit ergo Deus, & *gratis*, & *inimicos*. Sed *quantùm*? Quantùm dicit Joannes: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Et Paulus: *Qui proprio*, ait, *Filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum*. Ipse namque Filius pro se: *Majorem*, inquit, *charitatem nemo habet, quàm ut animam suã ponat quis pro amicis suis*. Sic meruit amari Justus ab impiis, Summus ab infimis, ab infirmis Omnipotens. Sed dicet aliquis: Ita quidem ab hominibus, sed ab Angelis non ita? Verum est, quia necesse non fuit. Cæterùm qui hominibus subvenit in tali necessitate, servavit Angelos à tali necessitate. Et qui homines diligendo tales fecit ne tales remanerent, ipse æquè diligendo dedit & Angelis ne tales fierent. Quomodo enim in principio erat Verbum (b) sed Verbum erat apud Deum, factum est etiã quatenùs esse inciperet & apud homines: sic nihilominùs in principio sapientia erat, erat justitia, erat sanctificatio, erat redemptio, sed Angelis; ut esset & hominibus, fecit eum hæc omnia Pater, & fecit quod Pater. Denique *qui factus est* (inquit Apostolus) *nobis sapientia* à Deo, non ait simpliciter, qui factus est sapientia, sed *qui factus est nobis sapientia*: quoniam quod erat Angelis, factus est & nobis. At *Angelis*, inquis (c) quomodò *redemptio* fuerit, non video? Nec enim auctoritas Scripturarum uspiam assentire videtur eos aliquando aut peccato extitisse captivos, aut morti obnoxios ut necessariam haberent redemptionem, exceptis duntaxat illis qui superbiæ lapsu irremediabili corruentes redimi deinceps non merentur? Si itaque Angeli nunquam redempti sunt, alii utique non egentes, alii non promerentes; illi quidem quia nec lapsi sunt, hi autem quia irrevocabiles sunt: quo pacto tu dicis Dominum Jesum Christum eis fuisse redemptionem? Audi breviter. Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur; sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens. Et hac ratione fuit æquè utrique redemptio, solvens illum, & servans istum. Liquet ergo Sanctis Angelis Dominum Christum fuisse redemptionem, sicut justitiam, sicut sapientiam, sicut sanctificationem: & nihilominùs tamen hæc ipsa quatuor esse factum propter homines, qui invisibilia Dei non nisi per ea quæ facta sunt intellecta conspicere possunt. Sic ergo omne quod erat Angelis, factus est nobis. Quid? Sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio. *Sapientia* in prædicatione: *justitia* in absolutione peccatorũ: *sanctificatio* in conversatione, quam habuit cum peccatoribus: *redemptio* in passione, quam sustinuit pro peccatoribus. Quibus hæc palàm sunt (d) palàm arbitror esse, & cur Deus diligendus sit à nobis: hoc est, unde diligi meruerit. O homo (e) quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Quare diligentem te non diligas? Diligamus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Vis audire *modum* dilectionis ejus, vis nosse effectum? *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. *Proprio Filio suo non pepercit Deus*, *sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Audi & ipsum Filium: *Majorem*, inquit, *hac*, *dilectionem nemo habet*, *ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Dilige ergo ô homo dilectorem tuum: dilige eum *non tantùm verbo & lingua*, *sed opere & veritate*. Dilige eum *ex toto corde tuo*, *& ex tota anima tua*, *& ex totis viribus tuis*, *& ex omni mente tua*. Dic: *Diligam te Domine fortitudo mea*, *firmamentum meum*, *& refugium meum*, *& liberator meus*. Verè liberator, quia liberasti animam meam à perditione. O homo (f) hîc demùm vide quo modo, imò quàm sine modo à nobis Deus amari meruerit: qui (ut paucis quod dictum est repetam) prior ipse dilexit nos, tantus & tantùm, & gratis, tantillos & tales. Et quod in principio dixisse me memini, *modum* esse diligendi Deum, sine modo diligere. Denique cùm dilectio quæ tendit in Deum, tendat in immensum, tendat in infinitum: (nam & infinitus Deus est & immensus) quisnam, quæso, debeat finis esse nostri vel modus amoris? Quid quòd amor ipse noster non jam gratuitus impenditur, sed rependitur debitus? Amat ergo immensitas, amat æternitas, amat supereminens scientiæ charitas: amat Deus, cujus *magnitudinis non est finis*, cujus *sapientiæ non est numerus*, cujus *pax exuperat omnem intellectum*, & vicem rependimus cum mensura? *Diligam te Domine fortitudo mea*, *firmamentum meum*, *refugium meum*, *liberator meus*: & meum denique quidquid optabile atque amabile dici potest. Deus meus, adjutor meus, diligam te pro dono tuo, & modo meo minus quidem justo, sed planè non minus posse meo. Qui etsi quantùm debeo, non possum tamen ultrà quàm possum. Potero verò plus cùm plus donare dignaberis, nunquam tamen, prout dignus haberis. *Imperfectum meum viderunt oculi tui*, sed tamen *in libro tuo omnes scribentur*, qui quod possunt faciunt, etsi quod debent non possunt. Satis, (quantùm reor), apparet, & quonam modo Deus diligendus sit, & quo merito suo. Quo, inquam, merito suo? Nam quanto, cui sanè appareat? quis dicat? quis sapiat?

b *Ser. 22. in Cant. num. 5.* c *Ibidem. num. 6.*

d *Tract. de diligen. Deo. cap. 2. num. 2.* e *Tract. de 3. præcep. myst. cap. 6. num. 17.* f *Tract. de diligen. Deo. cap. 6. num. 16.*

§. II

Nunc quo nostro *commodo* diligendus Deus sit[g] videamus. Sed quantum est & in hoc videre nostrûm ad id quod est? Nec tamen quod videtur tacendum est, etsi non omninò videtur ut est. Superiùs, cùm propositum esset *quare* & *quomodo* diligendus sit Deus, duplicem dixi parere intellectum id quod quæritur, *quare*: ut aut quo *suo merito*, aut quo *nostro commodo* diligendus sit, vtrumlibet quæri posse perinde videatur. Dicto proinde de *merito Dei*, non prout dignum ei, sed prout datum mihi: superest ut nunc de *præmio* quod item dabitur, dicam. Non enim sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmii intuitu diligendus sit. Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est. Quippe non quærit quæ sua sunt. Affectus est, non contractus: nec acquiritur pacto, nec acquirit. Spontè afficit, & spontaneum facit. Verus amor seipso contentus est. Habet præmium, sed id quod amatur. Nam quidquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quò amoris finis pertendit, non per quod tendit. Paulus non evangelizat ut comedat, sed comedit ut evangelizet: eò quòd amet non cibum, sed Evangelium. Verus amor præmium non requirit, sed meretur. Præmium sanè necdum amanti proponitur, amanti debetur, perseveranti redditur. Sed & præposterus ordo est[h] ante meritum exigere præmium, & ante laborem sumere cibum, cùm dicat Apostolus: *Qui non laborat, non manducet*. Denique in rebus inferioribus suadendis, (i) invitos promissis vel præmiis invitamus, & non spontaneos. Quis enim munerandum hominem putet, ut faciat quod & spontè cupit? Nemo, verbi causâ, conducit aut esurientem ut comedat, aut sitientem vt bibat, aut certè matrem ut paruulum lactet filium vteri sui. An verò quis putet prece vel precio quempiam commovendum suam ipsius vel sepire vineam, vel arborem circumfodere, vel structuram propriæ domus erigere? Quantò magis Deum amans anima, aliud præter Deum sui amoris præmium non requirit? Aut si aliud requirit, illud procertò, non Deum diligit. Inest omni vtenti ratione (k) naturaliter pro sua semper æstimatione atque intentione appetere potiora, & nulla re esse contentum, cui quod deest judicet præferendum. Nam & qui, verbi gratiâ, vxorem habet speciosam, petulanti oculo vel animo respicit pulchriorem: & qui veste preciosa indutus est, preciosorem affectat: & possidens multas divitias, invidet ditiori. Videas jam multos prædiis & possessionibus ampliatos, adhuc tamen in dies agrum agro copulare, atque infinita cupiditate dilatare terminos suos. Videas & qui regalibus domibus amplissimisquè habitant palatiis, nihilominùs quotidiè conjungere domum ad domum, & inquieta curiositate ædificare, diruere, mutare quadrata rotundis. Quid homines sublimatos honoribus, an non insatiabili ambitione magis ac magis totis viribus conari ad alteriora videmus? Et horum omnium idcirco non est finis: quia nil in eis summum singulariter reperitur vel optimum. Et quid mirum si inferioribus & deterioribus contentus non sit, qui citra summum vel optimum quiescere non potest? Sed hoc stultum & extremæ dementiæ est, ea semper appetere quæ nunquam non dico satient, sed nec temperent appetitum: dum quidquid talium habueris, nihilominùs non habita concupiscas, & ad quæque, quæ defuerint, semper inquietus anheles. Ita enim fit, ut per varia & fallacia mundi oblectamenta vagabundus animus inani labore discurrens fatigetur, non satietur: dum quidquid famelicus ingluticrit, parum reputet & id quod superest devorandum, semperquè non minùs anxiè cupiat quæ desunt, quàm quæ adsunt, latè possideat. Quis enim obtineat vniuersa? Quanquam & modicum id quod quisque cum labore obtinuerit, cum timore possederit, certus quidem non sit quando cum dolore amittat, certus autem quòd quandoque amittat. Sic directo tramite voluntas peruersa contendit ad optatum, festinat ad id vnde possit impleri. Imò verò his anfractibus ludit secum vanitas, mentitur iniquitas sibi. Si ita vis adimplere quod vis, hoc est, si illud apprehendere vis, quo apprehenso nil jam amplius velis: quid tentare opus est & cætera? Curris per deuia, & longè ante morieris, quàm hoc circuitu peruenias ad optatum. Hoc ergo in circuitu impii ambulant [l] naturaliter appetentes vnde finiant appetitum, & insipienter respuentes vnde appropinquent fini. Fini dico, non consumptionis, sed consummationis. Quamobrem beato fine consummari, sed consumi vacuo labore accelerant, qui rerum magis specie quàm Auctore delectati, priùs vniuersa percurrere, & de singulis cupiunt experiri, quàm ad ipsum curent vniuersitatis Dominum pervenire. Et quidem pervenirent, si quandoque voti compotes effici possent, ut omnia scilicet præter omnium principium vnus aliquis obtineret. Ea namque suæ cupiditatis lege, quâ in rebus cæteris non habita præ habitis esurire, & pro non habitis habita fastidire solebat: mox omnibus quæ in cælo & quæ in terra sunt obtentis & contemptis, tandem ad ipsum proculdubio curreret, qui solus deesset omnium Deus. Porrò ibi quiesceret: quia sicut citrà nulla reuocat quies, sic nulla vltrà jam inquietudo solicitat. Diceret procertò: *Mihi autem adhærere Deo bonum est*. Diceret: *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Et item: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Sic ergo (ut dictum est) ad id quod optimum est, quivis cupidus perveniret: siquidem antè, quod citrà cupit, assequi posset. Dixi supra, [m] Causa diligendi Deum, Deus est. Verum dixi: nam & efficiens est & finalis. Ipse dat occasionem, ipse creat affectionem, desiderium ipse consummat. Ipse fecit, vel potiùs factus est, ut amaretur: ipse speratur amandus feliciùs, ne in vacuum sit amatus. Ejus amor nostrum amorem & præparat & remunerat. Præcedit benignior, rependitur justior, expectatur suauior. Dives est omnibus qui invocant eum, nec tamen habet quidquam seipso melius. Se dedit in meritum, se servat in præmium, se apponit in refectionem animarum sanctarum, se in redem-

g Ibidem cap. 7. num. 17. h Ser. 46. in Cant. num. 5. i Tract. de dilig. Deo cap. 17. num. 17. k Ibidem num. 18.

l Ibidem num. 19. m Ibidem num. 22.

demptionem distrahit captivarum. *Bonus es Domine animæ quærenti te*. Quid ergo invenienti? Sed enim in hoc est mirum, quòd nemo te quærere valet, nisi qui priùs inuenerit. Uis igitur inveniri, ut quæraris: quæri, ut inueniaris. Potes quidem quæri & inveniri, non tamen præveniri. Nam etsi dicimus, *Manè oratio mea præveniet te*: non dubium tamen est, quòd tepida sit omnis oratio quam non prævenerit inspiratio. Dicendum est jam unde inchoet amor noster, quoniam vbi consummetur, dictum est.

§. III.

Amor (n) est affectio naturalis vna de quatuor. Notæ sunt, non opus est nominare. Quod ergo naturale est, justum quidem foret primùm omnium Auctori deservire naturæ, unde & dictum est primum & maximum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum*. Sed quoniam natura fragilior atque infirmior est, ipsi primùm imperante necessitate compellitur inservire. Et est amor carnalis, quo ante omnia homo diligit seipsum propter seipsum. Nondum quippè sapit nisi seipsum, sicut scriptum est: *Priùs quod animale, deinde quod spirituale*. Nec præcepto indicitur amor iste, sed naturæ inseritur. *Quis* nempè *carnem suam odio habuit*? Porrò facit se diligi Deus [o] qui & cætera bona facit. Facit autem sic. Qui naturam condidit, ipse & protegit. Nam & ita condita fuit, ut habeat jugiter necessarium protectorem, quem habuit & conditorem: ut quæ nisi per ipsum non valuit esse, nec sine ipso valeat omninò subsistere. Quod ne sanè de se creatura ignoret, ac proinde sibi (quod absit) superbè arroget beneficia Creatoris, vult hominem idem Conditor alto quidem salubriquè consilio tribulationibus exerceri, ut cùm defecerit homo, & subvenerit Deus, dum homo liberatur à Deo, Deus ab homine ut dignum est honoretur. Hoc enim dicit: *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me*. Fit itaque hoc tali modo ut homo animalis & carnalis, qui præter se neminem diligere nouerat, etiam Deum vel propter se amare incipiat, quòd in ipso nimirùm (ut sæpè expertus est) omnia possit, quæ posse tamen prosit: & sine ipso possit nihil. Amat ergo jam Deum [p] sed propter se interim adhuc, non propter ipsum. Est tamen quædam prudentia scire quid ex Dei adiutorio possis, & ipsi servare te insensum, qui te tibi servat illæsum. At si frequens ingruerit tribulatio, ob quam & frequens ad Deum conversio fiat, & à Deo frequens liberatio consequatur: nonne etsi fuerit ferreum pectus, uel cor lapideum toties liberati, emolliri necesse est ad gratiam liberantis, quatenùs Deum homo diligat non propter se tantùm, sed & propter ipsum? Ex occasione quippè frequentium necessitatum crebris necesse est interpellationibus Deum ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari quàm suavis est Dominus. Jta fit ut ad diligendum purè Deum, plùs jam ipsius gustata illiciat suavitas, quàm vrgeat nostra necessitas; jta ut exemplo Samaritanorum dicentium mulieri quæ adesse Dominum Jesum nunciauerat: *Jam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus & scimus quia ipse est verè Salvator mundi*: jta inquam & nos illorum exemplo carnem nostram alloquentes dicamus meritò: Jam non propter tuam necessitatem Deum diligimus, ipsi enim gustavimus & scimus quoniam suauis est Dominus. Est enim carnis quædam loquela necessitas, & beneficia quæ experiendo probat, gestiendo renunciat. Denique sic affecto jam, de diligendo proximo implere mandatum non erit difficilè. Amat quippe *veraciter* Deum, ac per hoc quæ Dei sunt. Amat *castè*, & casto non grauatur obedire mandato: *castificans magis cor suum* (ut scriptum est) *in obedientia charitatis*. Amat *justè*, & mandatum justum libenter amplectitur. Amor iste meritò *gratus* est, quia gratuitus. *Castus* est, quia non impenditur verbo neque linguâ, sed opere & veritate. *Justus* est, quoniam qualis suscipitur, talis & redditur. Qui enim sic amat, haud secùs profectò quàm amatus est, amat; quærens & ipse vicissim non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, quemadmodùm ille nostra vel potiùs nos & non sua quæsiuit. Sic amat qui dicit: *Confitemini Domino quoniam bonus*. Qui Domino confitetur non quoniam sibi bonus est, sed quoniam bonus est; hic verè diligit Deum propter Deum, & non propter seipsum. Non sic amat ille de quo dicitur: *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei*. Iste est *tertius* amoris gradus, quo jam propter seipsum Deus diligitur. Felix [q] qui meruit ad quartum gradum vsque pertingere, quatenùs nec seipsum diligat homo nisi propter Deum. *Justitia tua Deus sicut montes Dei*. Amor iste mons est, & mons Dei excelsus. Revera *mons coagulatus, mons pinguis*. *Quis ascendet in montem Domini? Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Factus est in pace locus iste, & habitatio hac in Sion. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est*. Caro & sanguis, vas luteum, terrena inhabitatio quādò capit hoc? Quandò huiuscemodi experitur affe ctum, ut divino inebriatus amore animus, oblitus sui, factusquè sibi-ipsi tanquam vas perditum, totus pergat in Deum, *& adhærens Deo vnus cum eo spiritus fiat*, & dicat: *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*? Beatum dixerim & sanctum, cui tale aliquid in hac mortali vita rarò interdùm, aut vel semel, & hoc ipsum raptim, atque vnius vix momenti spatio experiri donatum est. Te enim quodammodò perdere tanquam qui non sis, & omninò non sentire teipsum, & à teipso exinaniri, & penè annullari, cælestis est conuersationis, non humanæ affectionis. Et si quidem è mortalibus quispiam ad illud raptim interdùm (ut dictum est) & ad momentum admittitur: ego puto [r] non antè sanè perfectè impletum iri, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua*: quousque ipsum *cor* cogitare jam non cogatur de tempore, & *anima* eidem in hoc statu vivificando & sensificando intendere desinat, & *virtus* ejusdem relevata molestiis, in Dei potentia roboretur. Impossibile namque est tota hæc ex toto ad Deum colligere, & divino infigere vultui, quamdiu

n *Ibidem cap. 8. num. 23.* o *Ibidem num. 25.* p *Ibidem cap. 9. num. 26.*

q *Ibidem num. 27.* r *Ibidem num. 29.*

diu ea huic fragili & ærumnoso corpori intenta & distenta necesse est subseruire. Cæterùm in corpore spirituali & immortali, in corpore integro & placido placitoquè & per omnia subiecto spiritui, speret se anima *quartum* apprehendere amoris gradum, vel potiùs in ipso comprehendi, quippè quod Dei potentiæ est dare cui vult, non humanæ industriæ assequi, Tunc, inquam, summum obtinebit facilè gradum, cùm in gaudium Domini sui promptissimè & auidissimè festinantem, nulla jam retardabit carnis illecebra, nulla molestia conturbabit. Tunc prorsùs inebriabit charissimos suos Sponsus, (s) tunc torrente voluptatis suæ potabit, quoniam quidem in complexu illo arctissimo Sponsi & sponsæ, fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Quod non aliud esse arbitror quàm Dei Filium, qui *transiens ministrabit*, quemadmodùm ipse promisit: ut ex hoc jam justi epulentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. Hinc illa satietas erit sine fastidio. Hinc insatiabilis illa erit sine inquietudine curiositas. Hinc æternum illud atque inexplicabile erit desiderium justorum nesciens egestatem. Hinc denique sobria illa erit ebrietas, vero, non mero ingurgitans: non madens vino, sed ardens Deo. Ex hoc jam *quartus* ille amoris gradus perpetuò possidebitur, cùm summè & solus diligetur Deus, quia nec nosipsos jam nisi propter ipsum diligemus: ut sit ipse præmium amantium se, præmium æternum amantium in æternum. Præmium est videre Deum (t) vivere cum Deo, vivere de Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus. Denique veniente quod perfectum est, (u) euacuabitur quod ex parte est: eritquè ad alterutrum casta & consummata dilectio, agnitio plena, visio manifesta, coniunctio firma, societas individua, similitudo perfecta. Tunc cognoscet anima sicut cognita est, tunc amabit sicut amata est: & gaudebit Sponsus super sponsam, cognoscens & cognitus, diligens & dilectus, Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT. II.

De prærogatiua charitatis, & ejus dimensione.

Charitas non quærit quæ sua sunt. 1. *Corin.* 13.

1. *Ostenditur quanta sit prærogatiua charitatis, & quæ sit differentia inter seruum, mercenarium, & filium. Lex Dei immaculata designat charitatem. Charitas in Sancta Trinitate comparatur osculo. Charitas Deus non est qualitas, sed substantia. Agitur de lege propriæ voluntatis seruorum, & mercenariorum.* 2. *Ostenditur, filios Dei nequaquam esse sine lege charitatis. Agitur de quatuor amoris gradibus: quorum quartus nullatenùs apprehenditur in hac vita, sed in futura reservatur. Ostenditur qua nam ratione amor sit languor animæ, qui non satiatur nisi visione Dei. Amor Dei in via, est minor illo qui erit in patria.* 3. *Exponitur amoris longitudo, latitudo sublimitas, profunditas. Ostenditur qualiter divino amori se coaptat reciprocus amor hominis in præsenti vita: & qualiter in altera vita supplebitur communione Sanctorum insufficientia nostra. In cælo domus Dei construitur ex viuis lapidibus, Angelis scilicet & hominibus. Lapides isti duplici sibi cohærent glutino, cognitionis videlicet & dilectionis.*

§. I.

Illa vera & sincera est charitas, (a) & omninò de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta fatenda est procedere, qua proximi bonum æquè vt nostrũ diligimus. Nam qui magis aut certè solum diligit suum, conuincitur non castè diligere bonum, quod vtique propter se diligit, non propter ipsum. Et hic talis non potest obedire Prophetæ David, qui ait: *Confitemini Domino quoniam bonus*. Confitetur quidem quia fortassis bonus est sibi, non autem quoniam bonus est in se. Quapropter noverit in se dirigi illud ab eodem Propheta opprobrium: *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei*. Est qui confitetur Domino quoniam *potens* est: & est qui confitetur quoniam *sibi bonus* est: & est item qui confitetur quoniam *simpliciter bonus* est. *Primus* seruus est, & timet sibi. *Secundus* mercenarius est, & cupit sibi. *Tertius* filius est, & defert Patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, vtrique pro se agunt. Sola quæ in filio est *charitas, non quærit quæ sua sunt*. Quamobrem puto de illa dictum esse in Psalmo: *Lex Domini immaculata, conuertens animas*: quòd sola videlicet sit, quæ ab amore sui & mundi auertere possit animam, & in Deum dirigere. Nec timor quippè nec amor privatus convertunt animam. Mutant interdùm vultum vel actum, affectum nunquam. Facit quidem nonnunquam & *seruus* opus Dei: sed quia non spontè, in sua adhuc duritia permanere cognoscitur. Facit & *mercenarius*, sed quia non gratis, propria trahi cupiditate convincitur. Sit itaque seruo sua lex, timor ipse quo constringitur. Sit sua mercenario cupiditas, qua & ipse arctatur, quando tentatur abstractus & illectus. Sed harum nulla aut sine macula est, aut animas convertere potest. Charitas verò convertit animas, quas facit & voluntarias. Porrò in eo eam dixerim immaculatam (b) quòd nil sibi de suo retinere consueuit. Cui nempe de proprio nihil est, totum profectò quod habet, Dei est. Quod autem Dei est, immundum esse non potest. Lex ergo Dei immaculata charitas est, quæ non quod sibi vtile est quærit, sed quod multis. Lex autem Domini dicitur, siue quòd ipse ex ea viuat, siue quòd eam nullus nisi ejus dono possideat. Nec absurdum videatur, quòd dixi etiam Deum vivere ex lege, cùm non aliâ quàm charitate dixerim. Quid verò in summa & beata illa Trinitate summam & ineffabilem illam conseruat Vnitatem, nisi charitas? Lex est ergo, & lex Domini charitas, quæ Trinitatem in vnitate quodammodò cohibet, & colligat in vinculo pacis. Denique audite attentiùs (c) quod sapit suauiùs, & gustatur rariùs, & intelligitur difficiliùs. Mihi videtur (ut paulò altiùs inchoem) ineffabile quoddam atque inexpertum omni creaturæ *osculum* designasse, qui ait: *Nemo novit*

s *Ibidem cap.* 11. *num.* 33. t *Tract. de congit. human. condit. cap.* 4. *num.* 12. u *Ser.* 82. *in Cant. num.* 8.

a *Tract. de diligen. Deo cap.* 12. *num* 34. & *Epist.* 11. *num.* 3. & *seqq.* b *Ibid. num.* 25. c *Ser.* 8. *in Cant. num.* 1. & 2.

novit Filium nisi Pater: & nemo novit Patrem nisi Filius, aut cui voluerit Filius reuelare. Pater enim diligit Filium, & singulari dilectione amplectitur, summus æqualem, æternus coæternum, vnus Vnicum. Sed enim non minori ipse Pater à Filio affectione astingitur, quippè pro cujus amore & moritur, ipso attestante cùm ait: *Vt sciant omnes quia diligo Patrem, surgite eamus*: haud dubium quin ad passionem. Illa itaque mutua Gignentis Genitiquè cognitio pariter & dilectio, quid nisi *osculum* est suavissimum, sed secretissimum? Ego procertò ad tantum & tam sanctum divini amoris arcanum ne ipsam quidem Angelicam admitti arbitror creaturam. Etenim, Paulo hoc ipsum sapiente, pax illa exuperat omnem etiam Angelicum sensum. Vnde si rectè Pater *osculans*, Filius *osculatus* accipitur: non erit abs re *osculum* Spiritum Sanctum intelligi, vtpote qui Patris Filiiquè imperturbabilis pax sit, gluten firmum, individuus amor, indivisibilis vnitas. Porrò (d) cùm ait Joannes: *Deus charitas est*: Spiritus Sanctus specialiter charitatis nomine designatur. Ipse est amor Patris & Filii, & suauitas & vnitas, & osculum & amplexus, & quidquid amborum commune esse potest. Nemo tamen me æstimet (e) charitatem hîc accipere qualitatem, vel aliquod accidens: (alioquin in Deo dicerem, quod absit, esse aliquid quod Deus non est:) sed substantiam illam divinam: quod utique nec nouum nec insolitum est, dicente Joanne: *Deus charitas est*. Dicitur ergo rectè & charitas, & Deus, & Dei donum. Itaque charitas dat chariratem, substantiua accidentalem. Vbi dantem significat, nomen substantiæ est: ubi donum, qualitatis nomen est. Hæc est lex æterna, creatrix & gubernatrix vniuersitatis. Siquidem in pondere & mensura & numero per eam facta sunt vniuersa, & nihil sine lege relinquitur: cùm ipsa quoque lex omnium sine lege non sit, non tamen alia quàm seipsa: qua & seipsam etsi non creauit, regit tamen. Cæterùm (f) *seruus* & *mercenarius* habent legem, non à Domino, sed quam ipsi sibi fecerunt: ille Deum non amando, iste plùs aliud amando. Habent inquam legem non Domini, sed suam: illi tamen quæ Domini est subiectam. Et quidem suam sibi quique legem facere potuerunt, non tamen eam incommutabili æternæ legis ordini subducere potuerunt. Tunc autem dixerim quemque sibi fecisse suam legem, quando communi & æternæ legi propriam prætulit voluntatem: peruersè utique volens suum imitari Creatorem, ut sicut ipse sibi lex, suiquè juris est, jta is quoque seipsum regeret, & legem sibi suam faceret voluntatem: graue vtique & importabile iugum super omnes filios Adam, heu inclinans & incuruans ceruices nostras, adeò ut vita nostra inferno appropinquaverit. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Quo vtique premor, & penè opprimor, jta ut nisi quia Dominus adiuuit me, paulominùs habitâsset in inferno anima mea. Sub hoc onere gravatus gemebat Iob cùm dicebat: *Quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?* Ubi dixit, *factus sum mihimetipsi grauis*: ostendit quòd lex ipse sibi esset, nec alius hoc quàm sibi ipse fecisset. Quod autem loquens Deo, præmisit, *posuisti me contrarium tibi*: Dei se tamen non effugisse legem indicauit. Hoc quippè ad æternam justamquè Dei legem pertinuit, ut qui à Deo noluit suauiter regi, pænaliter à seipso regeretur: quiquè spontè jugum suaue & onus leue charitatis abiecit, propriæ voluntatis onus importabile sustineret inuitus. Miro itaque & justo modo æterna lex fugitiuum suum & posuit contrarium, & retinuit subiectum: dum videlicet nec justitiæ pro meritis legem evasit, nec tamen cum Deo in sua luce, in sua requie, in sua gloria remansit, subiectus potestati, & submotus fælicitati. Domine Deus meus cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? ut abiecta graui sarcina propriæ voluntatis, sub leui onere charitatis respirem: nec jam *seruili* timore coërcear, nec *mercenaria* cupiditate illiciar, sed agar Spiritu tuo, spiritu libertatis quo aguntur filii tui, qui testimonium reddat spiritui meo, quòd & ego sim vnus ex filiis, dum eadem mihi lex fuerit quæ & tibi; & sicut tu es, jta & ipse sim in hoc mundo? Hi siquidem, qui hoc faciunt quod ait Apostolus: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis*: proculdubio sicut Deus est, & ipsi sunt in hoc mundo: nec serui aut mercenarii sunt, sed *filii*.

§. II.

Itaque nec filii sunt sine lege: [g] nisi fortè aliquis aliter sentiat propter hoc quod scriptum est: *Iustis non est lex posita*. Sed sciendum est, quòd alia est lex promulgata à spiritu seruitutis in timore, alia à spiritu libertatis data in suauitate. Nec sub illa coguntur esse filii, nec sine ista esse patiuntur. Vis audire quia justis non est lex posita? *Non accepistis* (ait Apostolus) *spiritum seruitutis iterùm in timore*. Uis audire quòd tamen sine lege charitatis non sint? *Sed accepistis* (inquit) *spiritum adoptionis filiorum*. Denique audi justum vtrumque de se fatentem, & quòd non sit sub lege, nec tamen sit sine lege. *Factus sum* (inquit idem Apostolus) *his qui sub lege erant, quasi sub lege essem: cùm ipse non essem sub lege. His qui sine lege erant, tanquam sine lege essem: cùm sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi*. Unde aptè non dicitur, justi non habent legem, aut justi sunt sine lege: sed *iustis non est lex posita*, hoc est, non tanquam inuitis posita, sed voluntarijs eò liberaliter data, quò suauiter inspirata. Unde & pulchrè Dominus: *Tollite*, ait, *jugum meum super vos*. Ac si diceret: Non impono inuitis, sed vos tollite si vultis. Alioquin non requiem, sed laborem invenietis animabus vestris. Bona jtaque est lex charitas, & suauis, [h] quæ non solùm leuiter suauiterquè portatur, sed seruorum & mercenariorum leges portabiles ac leues reddit. Quas vtique leges non destruit, sed facit ut impleantur, dicente Domino: *Non veni soluere legem, sed adimplere*. Illam temperat, istam ordinat, vtramque leuigat. Nunquam erit charitas sine timore, sed casto: nunquam sine cupiditate, sed ordinata. Implet ergo charitas legem *serui*, cùm infundit deuotionem: implet & *mercennarii*, cùm

d *Lib. 3. de amore Dei cap. 12. num. 41.* e *Tract. de diligen. Deo cap. 12. num. 35.* f *Ibidem num. 36.*

g *Ibidem cap. 14. num. 37.* h *Ibidem num. 38.*

eā m ordinat cupiditatem. Porrò timori permixta devotio ipsum non annullat, sed castificat. Pœna tantùm tollitur, sine qua esse non potuit dum fuit seruilis: & timor manet in sæculum sæculi castus & filialis. Nam quod legitur, *Perfecta charitas foras mittit timorem*: pœna intelligenda est, quæ servili nunquam deest timori, vt diximus: illo scilicet genere locutionis, quo sæpè causa ponitur pro effectu. Denique cupiditas tunc rectè à superveniente charitate ordinatur, cùm mala quidem penitùs respuuntur, bonis verò meliora præferuntur, nec bona nisi propter meliora appetuntur. Quod cùm plenè per Dei gratiam affecutum fuerit, diligetur corpus & vniuersa corporis bona tantùm propter animam, anima propter Deum, Deus autem propter seipsum. Verumtamen quia carnales sumus [i] & de carnis concupiscentia nascimur, necesse est ut cupiditas nostra vel amor noster à carne incipiat: quæ si recto ordine dirigitur, quibusdam suis gradibus duce gratia proficiens, spiritu tandem consummabitur: quia *non priùs quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale*. Et priùs necesse est portemus imaginem terrestris, deinde cælestis. In *primo* ergo gradu diligit seipsum homo propter se. Caro quippè est, & nihil sapere valet præter se. Cùmquè se videt per se non posse subsistere, Deum quasi sibi necessarium incipit per fidem inquirere & diligere. Diligit itaque in *secundo* gradu Deum, sed propter se, non propter ipsum. At verò cùm ipsum cæperit occasione propriæ necessitatis colere & frequentare, cogitando, legendo, orando, obediendo: quadam huiuscemodi familiaritate paulatim sensimquè Deus innotescit, consequenter & dulcescit: & sic gustato quàm suavis est Dominus, transit ad *tertium* gradum, ut diligat Deum non jam propter se, sed propter ipsum. Sanè in hoc gradu diu statur: & nescio si à quoquam hominum *quartus* gradus in hac vita perfectè apprehenditur, ut se scilicet diligat homo tantùm propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt: mihi, fateor, impossibile videtur. Erit autem proculdubio, cùm introductus fuerit seruus bonus & fidelis in gaudium Domini sui, & inebriabitur ab vbertate domus Dei. Quasi enim miro quodam modo oblitus sui, & à se penitùs velut deficiens, totus perget in Deum: & deinceps adhærens ei, vnus cum eo spiritus erit. Arbitror hoc sensisse Prophetam cùm diceret: *Introibo in potentias Domini: Domine memorabor justitiæ tuæ solius*. Sciebat profectò cùm introiret in spirituales potentias Domini, exutum se iri vniuersis carnis infirmitatibus, ut jam nil de carne haberet cogitare, sed totus in spiritu memoraretur justitiæ Dei solius. In hac equidem vita [k] *panem lacbrymarum* in sudore vultus sui comedit anima militans Deo: post exitum verò huius vitæ non pascitur *pane doloris*, quia jam non erit dolor neque luctus, quoniam priora transierunt: sed amatorio poculo reficietur & inebriabitur, juxta illud: *Et calix meus inebrians quàm præclarus est!* Inebriabitur vtique ab vbertate domus Dei, bibens vinum merum & nouum in regno Patris Christi. Interim autem anima bibit vinum suum *cum lacbrymis in mensura*, donec Rex introducat eam in cellam vinariam, ut ipsam sibi cellam efficiat, & ordinet in ea charitatem. Illa siquidem nunc diligens, sed non dilectionis fructum percipiens, & in solis affectibus se exercens, modò dicit: *Vulnerata charitate ego sum*. Et ad Angelos & ad Sanctos loquitur dicens: *Adiuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, dicite ei quia amore langueo*. Mirum tamen est [l] quomodò amor siue charitas languor sit sponsæ vel animæ, cùm charitas operiat multitudinem peccatorum. Et cùm Maria Magdalena, *quia multùm dilexit*, ab infestatione septem dæmoniorum, id est, septem criminalium languore sanata sit. Porrò amor languor est, dum anima amans desiderati dilatione torquetur, dum Sponsi suspirat amplexus: sed *qui sanat omnes infirmitates tuas* ô anima mea, tuum languorem sui frutione curabit, quando se tibi ad habendum, ad videndum, ad fruendum, facie reuelata præstabit, & nunquam decæterò separaberis ab osculo & amplexu illius. *Gaudebit* equidem *Sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus*. Tunc languoris angustiam fructus amoris excludet. Languor enim excidet, sed non amor: quia *charitas nunquam excidit*. Amor igitur nunc languor est, dum cruciatur desiderio videndi. Erit autem satietas, quando jucundabitur vsu desiderii. Vtendi enim desiderium tantùm distat ab vsu desiderii, quantùm appetitus à plenitudine voti, & quantùm fames à satietate. Sanè Deus sicut nunc imperfectè *& ex parte cognoscitur*: [m] sic etiam imperfectè diligitur. Cognitio enim quam de Deo in præsenti vita habemus, si comparetur ad notitiam patriæ, quando revelata facie videbimus Deum, quando videbitur in gloria sua, quando ostendet faciem suam: sicut ingressus lucis matutinæ per tenuissimam rimam, si ad meridianum splendorem conferatur, quando Sol lucet in virtute sua: sic est dilectio Dei, quæ in hac peregrinatione habetur, quasi scintilla ignis exigua est ad magnum illius amoris ignem, quo justi cum Seraphim in illa superna Jerusalem igne charitatis ardebunt. Nunc enim *est ignis in Sion*: tunc verò *caminus erit in Jerusalem*. O amor sanctus & castus! (n) ô dulcis & suavis affectio! O pura & defæcata intentio voluntatis, eò certè defæcatior & purior, quo in ea de proprio nil jam admixtum relinquitur: eò suauior & dulcior, quò totum divinum est quod sentitur. Sic affici, deificari est. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino, deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit & colorem: & quomodo ferrum ignitum & candens ignis simillimum fit, pristinâ propriâquè formâ exutum: & quomodo Solis luce perfusus aër in eandem trasformatur luminis claritatem, adeò ut non tam illuminatus quàm ipsum lumen esse videatur. Sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquiescere, atque in Dei penitùs transfundi voluntatem.

§. III.

Cùm autem in amore Dei erga nos (o) sint teste Apostolo, *longitudo, latitudo, sublimitas, & profun-*

i *Ibidem. cap. 25. nu. 39.* k *Lib. 3. de amore Dei cap. 31. nu. 103.*

l *Ibid. cap. 32. nu. 104.* m *Ibid. cap. 33. nu. 106.* n *Tract. de dilig. Deo cap. 10. num. 28.* o *Lib. 3. de amore Dei cap. 33. num. 106.*

fundum; charitati divinæ humana dilectio pro suæ insufficientiæ modulo non se coaptat. Deus equidem non superficialiter diligit nos, non simulatoriè, non mediocriter: sed plenè, sed sincerè, sed medullitùs, ut & nos *comprehendere possimus cum omnibus Sanctis*, quæ sint tantæ charitatis altitudo, longitudo, latitudo, & profundum. *Altitudo* est excellentia gloriæ, quam *præparavit Deus diligentibus se*, cujus æstimatio *in cor hominis non ascendit*. *Profunditas* ejus, est inclinatio majestatis à Patris coæqualitate, exinanitio Filii usque ad formam servi, & usque ad mortem & ignominiam crucis. *Longitudo* ejus est sine initio, & sine fine. Dilectio enim ejus nec incipit, nec desinit, *qui ante mundi constitutionem elegit nos in dilecto Filio suo*. Et sicut scriptum est: *Misericordia ejus ab æterno, & usque in æternum super timentes eum*. *Latitudo* ejus est ampla & extensa, & diffusa in omnem benevolentiæ modum. Ipse enim *vult omnes homines salvos fieri* per ipsum. Proprio enim Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: ipsumquè nobis donans, (teste Apostolo) *nobis donavit omnia in eo*. Sic etiam pari vicissitudine [p] charitas hominis se Divinæ charitati conformi divisione coaptat. *Alta* est, dum æterna & cælestia contemplatur. *Profunda* est, dum ab homine propter Deum vilitas & abjectio affectatur. *Longa* est, dum finaliter perseverat. *Fides* enim *& spes atque scientia*, &c. *evacabuntur*: *charitas autem nunquam excidit*. *Lata* est, quia læta est, quando in delectatione justitiæ cor hominis dilatatur. *Lata* est, cùm extenderit se non solùm ad Deum & proximum, sed etiam amore pio amplectitur inimicum. *Lata* est, cujus mandatum latum est, dicente Propheta: *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis*. O lata & dilatans charitas, *quàm magna est domus* tua, *& ingens locus possessionis* tuæ! cujus latitudinem & longitudinem & altitudinem & profundum comprehendunt Sancti, ut & nos in eadem sagena charitatis possimus pariter comprehendi. Dilatat itaque charitas in sanctis tentorium suum, ut si Deum & proximum dilexerimus, recipiamur in communi exultatione Sanctorum. Quocirca non angustemur in visceribus nostris (q) non coarctemur intra limites quantulæcunque lætitiæ nostræ: credamus in Spiritum Sanctum, Sanctam Catholicam Ecclesiam, Sanctorum communionem, ut *imperfectum nostrum videant oculi tui* Jesu, & in beneplacito tuo Sanctorum communione nostra insufficientia suppleatur. Si enim in Sanctis dilexerimus Deum, & ipsi pro suorum exigentia meritorum nobis communicabunt beatitudinem apud Deum. Ubi enim in medio diligentium se *erit Deus omnia in omnibus*, necesse est, ut affectus communes gaudiorum communio comitetur. Non solùm itaque proximi, sed tota Christi beatitudo, communione amoris & exultationis, atque alieni participatione gaudii, nostra erit. Quod ergo minus beatitudinis in me habiturus sum, de beatitudine aliena supplebo. Bonum enim, quod in Deo vel in proximo diligam, diligendo faciam meum, ut perfectio gaudii alieni meum suppleat defectum. Vis (r) ut familiari exemplo rei hujus faciam fidem? Audi. Videt mater filium suum (quem super omnia diligit) Regali unctione ac diademate Imperiali sceptroquè & infulis augustalibus insignitum: quanta est matris dilectio, tanta est exultatio ejus. Et sicut filii honorem & gaudium, atque populares applausus, omniumquè congratulationem sibi mater appropriat: sic in terra viventium unusquisque beneficio charitatis omnium beatitudini coexultat. O communio charitatis, ô dulcedo amoris, ô securitas, ô requies, ô sabbatum delicatum, ô æternæ felicitatis introitus, quàm preciosiorem omnibus thesauris, desiderabiliorem omnibus divitiis, elegantiorem omnibus regnis operatur *charitas de puro corde & bona conscientia, & fide non ficta*! Quis mihi dabit hoc amatorio poculo inebriari, hoc lethargo sopiri, ut totus à corde meo mortuus, totus à me translatus in amorem Dei & proximi, inter has duas sortes, *in pace in idipsum dormiam & requiescam*? Quis me sanctæ illi communioni adscribet, ubi jucunditas Angelorum transfunditur in omnes, & ab omnibus refundetur in Deum? *Eritquè Deus omnia in omnibus*, ut sit ipse universis diligentibus eum, amor, vita, pax, gaudium, quies, claritas, securitas, & jubilatio, satietas omnium desideriorum æterna & consummata gloriæ beatitudo. Jam ergo benedictionem expectemus in fine (s) quando aperiet manum suam, & implebit omne animal benedictione. Nam in benedictione sunt præmia. In benedictione tota complebitur gratia sanctificationis, quando jam in domum transibimus non manufactam æternam in cælis. Ipsa est quæ construitur vivis ex lapidibus, Angelis scilicet & hominibus. Simul enim ædificatio & dedicatio ipsa complebitur. Disjuncta nimirùm ligna & lapides domum non faciunt, nec in eis habitare quis potest. Sicut verò sola conjunctio domum facit: sic cælestium Spirituum perfecta unitas, sine ulla sibi divisione connexa integram & congruam Deo reddit habitationem, quam ineffabiliter beatificat inhabitans gloria majestatis. Quis enim sic sciret universa Regum consilia, aut quis eorum omnia dicta vel facta sic nosset, quomodo palatii ligna & lapides, si non deesset illis intelligentiæ sensus? Itaque cælestis illius Curiæ lapides vivi ac rationabiles divinis intersunt consiliis, & Trinitatis mysteria norunt, audiuntquè verba ineffabilia quæ non licet homini loqui. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*. Quantò enim plùs vident, plùs intelligunt, plùs agnoscunt: tantò plùs diligunt, tantò magis laudant, tantò ampliùs admirantur. Verùm (t) quia cohærere quidem sibi domum illam & perfectè connexam esse jam diximus, superest ut juncturam & connexionem ipsam aliquatenùs exprimamus. Legimus in Esaia: *Glutino bonum est*. Duplici sibi igitur cohærent lapides illi glutino, *cognitionis* scilicet plenæ, & perfectæ *dilectionis*. Tantò siquidem majori ad se invicem dilectione copulantur, quantò ipsi charitati quæ Deus est, viciniores assistunt. Sed nec ulla separare eos ab invicem suspicio potest, ubi nihil omninò quod in altero sit, alterum latere paritur penetrans omnia radius veritatis. Quoniam enim *qui adhæret*

p *Ibidem num.* 107. q *Ibidem num.* 108. r *Ibidem num.* 109.

s *Ser.* 1. *in dedicat. Eccl. num.* 6. t *Ibidem num.* 7.

ret Deo, *unus spiritus est cum eo*: nihil dubium est, quin perfectè adhærentes ei beati Spiritus cum eo pariter & in eo penetrent universa. Nos quoque pro viribus inhæreamus Deo, (u) quia bonum est illi adhærere. Adhæreat tibi Domine Jesu anima mea:& ita tibi adhæreat,ut à te eam recedere nunquã permittas, sed ad te quàm citiùs consolandam perducas. Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT III.

De origine Amoris, & de ejus progressu, fortitudine, & insatiabilitate.

Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. *Cant.* 8.

1. *Ostenditur, Amorem castum homini naturaliter inditum esse, sed vitio carnis corruptum degenerâsse. Agitur de ortu & profectu amoris per succedentes sibi ætates hominis usque ad senectam uberem. Homo repræsentat in se quandam Trinitatis similitudinem, per memoriam scilicet, rationem, & voluntatem.* 2. *Ostenditur, Amorem sanctum præ omnibus virtutibus esse fortem & insuperabilem. Amor est virtus quasi omnipotens. Agitur de differentia amoris & charitatis: nec non de elogiis & effectibus charitatis.* 3. *Ostenditur, castum Amorem esse insatiabilem, nec contentum quiescere nisi quod amat possideat. Deus non potest perfectè amari ab eo, qui non contemnit mundum. Sublimis gradus amoris non est diutinus & stabilis in hac vita. Visitatio divina licet delectat animam, molestat tamen vicissitudo. Animæ devotæ omne solatium hujus sæculi est fastidiosum, præterquàm divinum. Amor castus nulla impossibilitate frænatur.*

§. I.

1 ARs est artium ars amoris,(a) cujus magisterium ipsa sibi retinuit natura,& Deus auctor naturæ. Ipse enim amor à Creatore inditus (nisi naturalis ejus ingenuitas adulterinis aliquibus affectibus præpedita fuerit) se docet, sed docibiles sui, docibiles Dei. Est quippe amor vis animæ naturali quodam pondere ferens eam in locum vel finem suum. Omnis enim creatura sive spiritualis sive corporea, & certum habet locum quò naturaliter fertur, & naturale quoddam pondus quod fertur: pondus enim (ut ait quidam verè Philosophus) non semper fert ad ima, ignem sursùm, aquam deorsùm, & sic & de cæteris. Nam & hominem agit pondus suum naturaliter spiritum ferens sursùm, corpus deorsùm, unumquodque in locum vel finem suum. Quis enim corporis locus? *Terra* (inquit Dominus Deus) *es, & in terram ibis*. De spiritu verò in libro sapientiæ: *Et revertetur*, inquit, *spiritus ad eum qui creavit eum*. Vide hominem dissolutum, quomodò totus pondere suo fertur in locum suum: cùm res benè & ordine suo procedit, spiritus redit ad Deum, qui creavit eum: corpus ad terram, nec in terram solùm, sed in elementa ex quibus compactum & formatum erat. Cùm enim quiddam in eo *terra*, quiddam *aqua*, & quiddam *aër* sibi vendicet; cùm naturalis compactionis naturalis sit dissolutio, pondere suo unumquodque recurrit ad suum elementum, & tunc plena facta est dissolutio, cùm horum omnium in locum suum facta fuerit restitutio. Quæ utrum corruptio, vel putredo, & non potiùs (ut dictum est) resolutio vocanda sit, judicet qui vult. Et cùm horum nihil à naturæ suæ tramite aberret, sola misera anima & degener spiritus cùm per se naturaliter contendat, peccati vitio corrupta nescit vel difficilè discit ad suum redire principium. Naturali quidem pondere suo semper eò impellitur cùm beatitudinem desiderat, beatitudinem somniat nonnisi beatus esse quærit. Beatus autem ille & non alius, cujus est Dominus Deus ejus: sed beatitudinem quærens non in regione sua, nec in via sua, longè aberrat à naturali intentione sua. Ideoquè amissa doctrina sua naturali, opus jam habet doctore homine qui de beatitudine, quæ naturaliter quæritur, amanda doceat, admonendo ubi & quo & in qua regione & qua via quæratur. Amor ergo, ut dictum est, (b) ab Auctore naturæ naturaliter est animæ humanæ inditus: sed postquam legem Dei amisit, ab homine est docendus. Non est autem docendus ut sit tanquam qui non sit, sed ut purgetur, & quomodo purgetur: & ut proficiat, & & quomodo proficiat, ut solidetur, & quomodo solidetur, docendus est. Vnde acturi de amore [c] prout dederit ipse cujus amori operis ipsius sudat intentio, primùm quasi à primordiis ipsius narrationis seriem inchoantes, quasi per succedentes sibi ætates profectuum ejus processum ordiamur, usque ad senectam uberem, quæ non est plena senilis doloris, sed plena misericordiæ uberis. Sicut enim secundùm ætatum incrementum vel decrementum puer mutatur in juvenem, juvenis in virum, vir in senem, secundùm qualitatum mutationes, etiam ætatum nomina mutantes: sic secundùm virtutum profectum voluntas crescit in amorem, amor in charitatem, charitas in sapientiam. Nec debet latere de Amore, de quo agimus, quibus ortus sit natalibus, quâ nobilitatis lineâ insignitus habeatur, vel quo oriundus loco. Primus igitur ejus *nativitatis locus* Deus est. Ibi natus, ibi alitus, ibi provectus, ibi civis est non advena, sed indigena: à Deo enim solo amor datur, & in ipso manet, quia nulli nisi ipsi & propter ipsum debetur. Porrò si de *natalibus ejus* agitur, sciendum est quòd cùm Trinitas Deus hominem crearet ad imaginem suam, quandam in eo formavit trinitatis similitudinem, in qua & imago Trinitatis creatricis reluceret: & per quam nouus ille mundi incola, simili naturaliter ad simile recurrente principio suo, Creatori suo indissolubiliter inhæreret, si vellet: ne multiplici creaturarum varietate illecta, abstracta, distracta, creata illa trinitas inferior à summa Trinitatis creatricis unitate recederet. Etenim cùm in faciem novi hominis spiraculum vitæ, *spiritualem* vim, id est, intellectualem, quod sonat spiratio & spiraculum; & *vitalem*, id est, animalem, quod sonat nomen vitæ, infudit, & infundendo creavit: in ejus quasi quadam arce vim memo-

u *Ser.* 3. *in ult. Cæna. num.* 24. a *Lib.* 2. *de Amore Dei. cap.* 1. *n.* 1.

b *Ibidem num.* 2. c *Ibidem cap.* 2. *num.* 3.

memorialem collocavit, ut Creatoris ſemper potentiam & bonitatem memoraret: ſtatimquè & ſine aliquo moræ interſtitio, Memoria de ſe genuit Rationem: & memoria & ratio de ſe protulerunt Voluntatem. Memoria quippe habet & continet quò tendendum ſit, Ratio quid tenendum ſit, Voluntas pertendit. Et hæc tria unum quidem ſunt, ſed tres illæ efficaciæ, ſicut in illa ſumma Trinitate una eſt ſubſtantia, tres perſonæ. In qua Trinitate ſicut Pater eſt genitor, Filius genitus, & ab utroque Spiritus Sanctus procedens: ſic ex memoria ratio gignitur, ex memoria & ratione voluntas procedit. Ut ergo Deo inhæreret creata in homine rationalis anima, memoriam ſibi vendicat Pater, rationem Filius, voluntatem ab utroque procedentem, ab utroque procedens Spiritus Sanctus. Ecce liquet quibus ſit orta natalibus Volũtas [d] cujus nativitatis ſit, cujus adoptionis, cujus dignitatis, cujus nobilitatis. Quæ cùm præveniente & cooperante gratia, Spiritui ipſi Sancto (qui Patris & Filii amor eſt & voluntas) bono ſui aſſenſu incipit inhærere, tunc vehementer incipit velle quod Deus vult, & quod volendum memoria ſuggerit & ratio: & vehementer volendo efficitur amor. Nihil enim aliud eſt Amor quàm vehemens in bono voluntas: per ſe enim voluntas ſimplex eſt affectus, ſic anima rationali indutus, ut ſit capax tam boni quàm mali, bono replendus cùm adjuuatur à gratia; malo, cùm ſibi dimiſſus deficit in ſemetipſo. Ne enim à Creatore aliquid animæ deeſſet humanæ, libera in utramvis partem data eſt ei voluntas: quæ cùm adjuvanti concordat gratiæ, virtutis accipit profectum & nomen, & amor efficitur: cùm ſibi dimiſſa ſeipſâ ſecundùm ſeipſam frui vult, ſui in ſeipſa patitur defectum; & quot habet vitia, tot vitiorum ſortitur nomina, cupiditatis, avaritiæ, luxuriæ, & alia hujuſmodi. Primo itaque profectu ſuo voluntas [e] quaſi in Pythagoricæ literæ bivio libera conſtituta, ſi ſecundùm dignitatem naturalium ſuorum erigitur in amorem, ſecundùm naturalem virtutum ſuarum ordinem de amore (ut dictum eſt) in charitatem, de charitate proficit in ſapientiam. Sin autem, nullo ordine ſui, juſta tamen ordinatione Dei, præcipiti acta ruinâ, tenebris confuſioni s obruta ſepelitur in inferno vitiorum, niſi à gratia ei fuerit ſubventum. Si verò in imo inferni relicta ſurſùm cæperit greſſum attollere, & gratiam ſequen s deducentem & enitentem, & adulta fuerit in amorem, jam in juuentutis conſtituta fortitudine à ſpiritu timoris (quo hactenùs ut puer timebat pænam) in ſpiritum pietatis incipit proficere, in eum à quo incipit jam novam guſtare gratiam, piè jam incipiens amare Deum & colere, de quo ſcriptum eſt: *Pietas eſt cultus Dei.* Quid ſit pietas quæris? [f] Vacare conſiderationi. Dicas forſitan in hoc diſſentire me ab illo, qui pietatem definivit cultum Dei? Non eſt ita. Si benè conſideras, illius ſenſum meis expreſſi verbis, etſi tamen ex parte. Quid tam pertinens ad cultum Dei, quàm quod ipſe hortatur in Pſalmo: *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus?* Quod ſanè in partibus conſiderationis præcipuum eſt. Hæc eſt quæ in proſperis adverſa præſentit, in adverſis non ſentit: quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ eſt. Hîc ergo juuenis non ætatis, ſed virtutis [g] naturalem fortitudinem exerat & virtutem, nec juuentutis (licet à ratione ea veretur corrumpere) naturalia perdat incentiva.

§. II.

Fortis eſt ut mors dilectio. Cant. 8.

En ad manum eſt fortitudo amoris quam quærimus, [h] cui reſiſtere nemo eſt qui poſſit. Omnia ſibi ſubiicit, omnia ſuis profectibus ſervire cogit. Inimicos amando ſuperat, & ſibi amicos efficit vel invitos. Nam etſi habeat æmulos, inimicos omninò non habet. Nullum enim inimicum habere poteſt, qui nulli novit inimicari. Sicut enim amicitia nonniſi duorum amicorum eſt: ſic inimicitia nonniſi duorum inimicorum eſt. Qui enim odit diligentem ſe, non tam inimicus dicendus eſt quàm iniquus. Sola enim charitas eſt, quæ in adverſis non deficit: quia *patiens eſt*. Quæ injurias non rependit: quia *benigna eſt*. Quam felicitas aliena non cruciat: quia *non æmulatur*. Quam conſcientia mala non pungit: quia *non agit perperam*. Quæ in honore non extollitur: quia *non inflatur*. Quæ in abiectione non confunditur: quia *non eſt ambitioſa*. Quam cupiditas non coarctat: quia *non quærit quæ ſua ſunt*. Quã contumeliæ non provocant: quia *non irritatur*. Quam ſiniſtræ ſuſpiciones non fædant: quia *non cogitat malum*. Quam aliena mala non lętificant: quia *non gaudet iniquitate*. Quam errores non cæcant: quia *congaudet veritati*. Quam perſecutiones non frangunt: quia *omnia ſuffert*. Quam perfidia non indurat: quia *omnia credit*. Quam deſperatio non abſorbet: quia *omnia ſperat*. Quam mortis ſeperatio non intercidit: quia *non excidit*. Quid mirum ſi morte non vincitur, [i] quæ *fortis eſt ut mors*: imò fortior morte eſt charitas, quæ ipſam quoque mortem mori coëgit in morte Redemptoris noſtri? Denique vis amoris ratione non compeſcitur: quia teſte Apoſtolo, *ſupereminet ſcientiæ*. Majeſtate non terretur: quia *foràs mittit timorem*. Miſeriis non reprimitur: quia *in infirmitate perficitur*. Prorsùs virtus omnipotens charitas eſt, quæ ipſas miſerias facit potentes, dum convertit ea in adjutorium, quæ parata ſunt ad nocendum. Quâ ſuffulti ſancti milites Chriſti, impavidi & certi de victoria in mediis periculis incedunt tutiſſimi, nec dæmonem, nec hominem metuentes. Hinc Paulus periculis plurimis enumeratis [k] quibus inclytè triumphaverat, triumphi cauſam adjungit, dicens: *Et in his omnibus ſuperamus propter illum, qui dilexit nos.* Securus inter frendentiũ undiq; hoſtium fulgurantes haſtas, & circumvolantia ſpicula cum charitate dormit, quę ſola potens eſt *ignita nequiſſimi tela extinguere*. Quippè *peccatorũ multitudinem operit*, & tentationum muſcis prævalebit. Prævalet & ſubiicit illum Iebuſæum populum, cæteroſquè Chananitidæ prolis *ſervire facit in tributo*. Et in materia exercendæ virtutis, majoris profectò potentiæ eſt, erectum hoſtem deiicere, quàm conantem reprimere. Charitatis proprium eſt, tentationes non perimere ne inſurgant: ſed cùm ſurrexerint ſternere ut non procedant. Itaque non

Rrr tam

d Ibidem num. 4. e *Ibidem num. 5.* f *Lib. 1. de conſiderat. ad. Eugen. Papam. cap. 7. num. 3.*

g *Libr. 2. de Amore Dei. cap. 2. num. 5.* h *Libr. 3. de Amore Dei. cap. 1. num. 1.* i *Ibidem num. 2.* k *Ibidem num. 3.*

tam virtus potens, quàm virtutum potentia dicenda est, eò quòd ab illa omnes aliæ accipiant, ut verè virtutes sint. Hæc est vita fidei, spei robur, & omnium intima vis & medulla virtutum. Hæc est quæ vitam ordinat, affectus inflammat, informat actus, excessus corrigit, mores componit, valens ad omnia, & omnibus prævalens: quæ ipsam quoque Dei Omnipotentiam quodammodò reddit impotentem. Nonne hæc est [l] quæ in Moyse divinæ justitiæ & potentiæ obstans, prævaluit in fortitudine? *Dimitte me* (inquit Dominus) *ut irascatur furor meus contra populum istum*. Audi, *dimitte*, & Dominum teneri non dubites: nec aliunde, quàm amoris fortitudine. Quæris cujus? Illius utique servi fidelis, qui in populum majorem major fieri, & gloriosior esse renuit: nec carnali ut assolet devictus affectu, sed ne in Dei gloriam rueretur venenatis spiculis blaphemorũ. *Ne quæso* (ait Moyses) *dicant Ægyptii: Callidè eduxit eos, ut interficeret in montibus*, nec potuit in terram introducere quam promisit. Quidni cesserit justitia, cesserit potentia, ubi charitas de corde puro non tam rogabat, quàm urgebat? Charitas igitur sua fortitudine extentam Dei manum, ne feriat, continet, Satanam sub pedibus conterit, *& super inimicorum capita carbones congerit*, potens non solummodò *adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs principatus & potestates tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cælestibus*. In adversis fortis, sed fortior in prosperis. Solus enim est amor Christi, qui ridentis & irridentis fortunæ impuræ blanditias spernit & conspuit, sapore dulciori delectatus: cujus respectu omnis dulcedo amara est, omnis jucunditas mæror est, omne pulchrum est fædum, omne suave est molestum. Sciendum autem est [m] quòd inter amorem & charitatem talis est differentia; qualis inter genus & speciem. Est quidam amor bonus, & est quidam amor malus, & est amor mediocris. Amor *bonus* ipsa charitas est, qua diligimus Dominum Deum supra nos, & supra omne quod est; & proximum nostrum tanquam nosmetipsos. Amor *malus* est charitatis inimicus, utpotè cænosus, lubricus & fornicarius. Isti duo amores contrariorum & oppositorum inter se habitudinem sortiuntur: unus meritum, alius suo possessori acquirit supplicium: alius pœnam, alius gloriam: alius mortem, alius vitam: alius paradisum, alius infernum: alius Deum, alius diabolum. Amor *mediocris* est, qui nec charitati connectitur, nec amore cænoso fædatur: sicut est amor filiorum, parentum & cognatorum, & aliarum rerum quæ justè & sine periculo possidentur. Nos ergo, Fratres, [n] qui à Christo Christiani vocamur & sumus, spretis omnibus terrenis, transitoriis atque caducis cum totis amatoribus cæcis, illi soli adhærere cupientes, in fraterna charitate fundemur, ut illius mereamur vocari & esse discipuli, qui Apostolis suis & nobis per ipsos mandavit, dicens: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinvicem*. In hoc enim discernuntur filii lucis à filiis tenebrarum, discipuli Christi à discipulis diaboli, si gremium charitatis invicem & ad omnes extendunt. Extra sinum amoris, nullum valet relinquere charitas: omnia complectitur, & continet universa: atque se erogat cunctis communem. Charitas est affectio mentis, brachiis amoris Christum astringens. Charitas est amor immensus, cælum terramquè complectens. Charitas est invincibilis amor, qui nunquam minis vel suppliciis cedere novit. Charitas est indissolubile vinculum amoris & pacis. Charitas est contemptus mundi, & amor Dei. Charitas regina virtutum ad nullius vitii pavet occursum, dotata Sanguinis Christi censu, in fronte vexillum bajulans Crucis, cunctos adversarios in fugam convertit; nec est qui possit resistere viribus ejus. Huic nil mali accidere potest, sed semper & ubique manet secura. Hæc est charitas arma & scutum, quod rogat Propheta David in certamen positus Dominum accipere, cùm dicit: *Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi*. Isto scuto se gaudebat protectum fuisse idem Propheta cùm dicebat: *Domine ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*. Quicunque tali clypeo protectus fuerit, hostium cuneos penetrabit securus. Ista charitas est lapis adamantinus qui frangi non potest: & cuncta frangentia frangit. Ista Charitas est fortis armatus, qui inimicum sua virtute prosternit: & hostem suum nequissimum cum omni exercitu suo, gladio utraque parte acuto perimit & occidit. Hæc est amica Regis æterni, quæ non timet intrare ad eum confidenter, intrare lectulum Salamonis: & quiescere dedignatur, nisi super pectore Christi. Ideo ait sponsa: [o] Non quiesco, nisi *osculetur me osculo oris sui*. Gratias de osculo pedum, gratias & de osculo manûs: sed si cura est illi ulla de me, *Osculetur me osculo oris sui*. Non sum ingrata, sed amo. Accepi, fateor, meritis potiora, sed prorsùs inferiora votis. Desiderio feror, non ratione. Ne quæso causemini præsumptionem ubi affectio urget. Pudor sanè reclamat, sed superat amor. Nec ignoro quòd honor Regis judicium diligit: sed præceps amor nec judicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subiicitur. Rogo, supplico, flagito: *Osculetur me osculo oris sui*.

§. III.

Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Ecclesiast. 24.

Nunc jam [p] ad amoris insatiabilitatem accedamus. Sanè amoris fortitudinem illa efficit dulcedo, quam sentit, cujus tantillo gustu facilè Deum videns anima, cuncta contemnit, qui nisi in hujus mundi contemptu non potest amari: sciens dilectum invenire priùs non posse, quàm prætereuntis mundi figuram quodam despectu pertransierit. Hinc se in se totam perstringens, non tantùm ascensionis gradibus vel passibus utitur, sed inopinatis raptibus vel excessibus fertur, volans non vadens in illa sublima secreta cælestium. Vnde & Paulus non in tertium cælum se ascendisse, sed raptum fuisse perhibet: vbi sic afficitur eo quasi igni de Altari, dum animus divino inebriatus amore obliviscitur omnium, & totus pergit in Deum, gustans illud quod nemo novit nisi qui acci-

l *Ibidem num. 4. & 5.* m *Ser. 5. in ult. Cæna Dom. num. 32.* n *Ibidem num. 35.*

o *Ser. 9. in Cant. num. 2.* p *Lib. 3. de Amore Dei. cap. 2. nu. 6.*

accipit. At quoties illam felicitatem percipiat, istam nesciat miseriam necesse est: quæ utique simul esse non possunt. Ad hunc autem amoris gradum [q] etsi mortalibus interdum pervenire detur, diu tamen in eo stare anima prohibetur, donec corruptibilibus exuta exuviis liberè evaserit in libertatem gloriæ filiorum Dei. Nititur autem & trahitur illius desiderio faciei, quam juxta Prophetam Pater ut adamantem posuit, ut ferrea quæque corda attrahere possit. Tractus iste etsi suavem quandam habeat violentiam, magis tamen mortalitatis impotentiam notat, quæ mole gravata misera anima sæpè à suo volatu decidere cogitur, & deficere à conatu. Habent quidem amatorii spiritus corporis corruptione distenti, crebram de Dei visitatione lætitiam, sed nullam copiam: dum nec plena esse sinitur, nec morosa. Unde & quodam jucundo joco interim ludere videtur cum filiis hominum, à quibus dum teneri putatur, è manibus labitur: insectatus se patitur comprehendi, & disparens rursùs non videtur, donec denuò lachrymis & precibus vocatus revertatur: & ita licet delectet visitatio, molestat tamen vicissitudo. Sed quanto putas stupore perfunditur anima subtractâ illâ dulcedine, & ad hos sensuum laqueos captiva retracta? Nonne quasi de prima patria Spirituum pulsa in vallem corporum, in aliud quoddam ignotum sæculum sibi cecidisse videtur, longè dissimile priori; in quo charitas friget, sensualitas regnat, caligat oculus mentis, & sensus viget corporis? Mæret tunc, ex alto suspiria trahens, inde misera, unde beata efficitur. Nam quantò gratiora fuerat experta, tantò molestiùs fert ea sibi esse subtracta. Subtractio enim rei amatæ, augmentatio desiderii est. Et quod ardentiùs optas, tantò cares ægriùs. Et hic est languor amoris, qui non est aliud nisi tædium impatientis desiderii, quo necesse est affici mentem vehementer amantis, absente, quem amat. Frustra, ni fallor, [r] sic languentis animæ conatur quis exteriori solatio lenire dolorem, & mærorem temperare: cùm de intùs curari oporteat dulce vulnus amoris. Nullo proinde humano solatio mitigatur secreti doloris sacra amaritudo, cùm, sublato interiori dulcoris gustu, nil prosit exteriùs consolari: imò secundùm Beati Job sententiam, *Omnes consolatores reputat onerosos*. Sensit hoc qui dixit: *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei, & delectatus sum*. Felix tristitia, quæ non de creatura, sed de Creatore concipitur; quæ nulla præsentis vitæ luget incommoda. Dignum planè est, ut Deum totius consolationis habeat consolatorem, quæ rerum fluentium qualibet affluentia renuit consolari. Non est gratia citra Deum, unde possit solatium capere, quæ præter illum nil didicit amare. Habeant alii vana solatia sua, quibus dicitur: *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram*. Sibi solus consolator est, qui & inhabitator charitatis Deus: qui etsi justis nunquam desit ad meritum, plerumque tamen ad solatium abest. Illud utilius, istud jucundius est. Habetur quidem sed latet, dum sensum cordis minimè tangit illa suavitas habita, sed abdita. *Moram autem faciente*, quem desiderat, non jam cum fatuis virginibus dormitat vel dormit, sed crebris succensa suspiriis & gemitibus excitata, non valet ultra dissimulare tristitiam, nec ignem abscondere, qui triste pectus adurit. Non jam deliberat, non consulit rationem, non verecundatur, modum ignorat & ordinem; id omninò & solummodò satagente animo, quomodò redeat præsentata dulcedo, cujus quantamlibet festinationem reputat tarditatem. Amor Dei non capit de impossibilitate solatium. Omne enim desiderium tunc solet ratione mitigari, cùm desideratum impossibile sit haberi. Amoris tamen violentia nullâ impossibilitate frænatur. Nam etsi animam terrena inhabitatione pressam & immersam luto, illa felicitate ex integro frui omninò impossibile omni homini constet; nullum tamen sic amanti hæc impossibilitas præbet solatium, quominùs ardeat & æstuet habere quod optat. Quo tamen desiderio etsi ratio excedatur, non offenditur Deus, qui simile quiddam videtur innuisse præcepto sequenti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omni mente tua*. Quod tamen in hac vita mortali, vel potiùs morte vitali, à nemine posse impleri tam rationibus quàm authoritatibus constat. Ab omni tamen homine debere optari nemo est qui ambigat. Unde in justi descriptione dicitur: *In mandatis ejus volet nimis*. Velle nimis, est plus velle quàm posse. Quo sensu & ego dictum puto: *Adolescentulæ dilexerunt te nimis*. Quid enim *nimis*, nisi supra posse & vires? Infinitus quippè & immensus est Deus, in quem sic tendit amor eorum, ut nullus possit esse finis vel mensura amoris. Amat ergo sic amans anima, etsi nimis posse suo, minus tamen velle suo, nec capit de hac impossibilitate solatium, sed potiùs desiderii incrementum. *Concupivit* (ait Propheta *anima mea desiderare justificationes tuas*. Nec potuit satiari desiderio qui non visa desiderare concupivit. Fames enim animæ desiderium est. Sic verè Domini amans anima amore non satiatur. Quia Deus amor est, quem qui amat, amorem amat. Amare autem amorem circulum facit, ut nullus finis sit amoris. O quàm vehementissimo dilectionis affectu [s] beata illa mulier diligebat Christum Regem! *Domine* (inquit) *si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam*. Quem *eum* Maria? Cùm de nullo feceris mentionem: ad quem relationem facis? Putasne quòd in omnibus cordibus versetur ita memoria dilecti tui, sicut & in consistorio cordis tui? *Et ego*, inquit, *eum tollam*. Mira res! Hominem perfectæ ætatis, virum cujus corpori vix centum libræ sufficiunt unguentorum, tenerrima mulier portabis & tolles? Ardens & affecta locutio, quæ de puritatis amore refusa, promittit quod implere non potest: nihil enim amanti difficile esse videtur. Videtis igitur (t) quemadmodùm insuperabilis est charitas, omnia superans: ita & insatiabilis est, omnia vorans, & ex copia parit inopiam, dum ex prægustatis quidem delitiis ampliùs tamen in desideriis exardescit. Quæ etsi dentur ad plenitudinem, nunquam tamen ad satietatem. *Qui edunt me* (ait Dominus) *adhuc esurient*. Utique (u) propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. O Deus bone (x) quem amare edere est, quomodò amantes te sic re-

q *Ibidem num. 7.* r *Ibidem num. 8. & 9.*

s *Ser. de S. Mar. Magdal. num. 11.* t *Libr. 3. de Amore Dei. cap. 2. n. 10.* u *Ser. 3. super missus n. 6.* x *Lib. 3. de Amore Dei. cap. 2. n. 10.*

ficis, ut magis esuriant, nisi quia tu simul cibus es & esuries? Et qui te non gustaverit, te prorsùs esurire nescit. Aut si gustavit (y) & dulce non sapuit, sanum non habet palatum. Ipsa quippè Dei est Sapientia, quæ ait: *Qui comedit me, adhuc esuriet: & qui bibit me, adhuc sitiet*. Sed quomodò potest esurire vel sitire Christum, plenus quotidiè siliquis porcorum? Non potest bibere simul calicem Christi, & calicem dæmoniorum. Calix dæmoniorum superbia est: calix dæmoniorum detractio & invidia est: calix dæmoniorum crapula & ebrietas est. Quæ cùm impleverint vel mentem vel ventrem suum, Christus in eo non inueniet locum. Discipulis autem Christi amatoribus charitatis (z) dabitur ipsa multitudo dulcedinis, divitiæ æternæ beatitudinis, gaudia æternæ felicitatis. Quæ gaudia ipse nobis largiri dignetur, qui in Trinitate perfecta regnat & vivit Deus benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT. IV.

De duplici proprietate amoris, & de ejus triplici effectu.

Manete in dilectione mea. *Joan. 15.*

1. *Ostenditur liberalitas Dei, qua excitat nos ut eum* incessanter *diligamus. Omnia tum prospera tum adversa, & omnes creaturæ sunt nobis calcaria ad diligendum Deum. Duritia hominis non liquescens beneficiis, mollescit flagellis ad amorem Dei. Quæritur cur justi exerceantur adversis? Docemur ex creaturis eliciendum esse amorem Dei. Amor comparatur oculo casto.* 2. *Ostenditur, glutinum amoris tripliciter linire virum virtutis, ut & sibi, & proximo, & Deo* inseparabiliter *cohæreat ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Docemur, charitatem semel habitam amitti posse. Triplex est effectus amoris, quo cor humanum emollitur, dilatatur, & purgatur. Agitur de duplici lingua Dei & animæ, & de mutua confabulatione utriusque.* 3. *Ostenditur qualinam amore diligat nos Deus. Docemur, per amorem nos effici unum spiritum cum Deo. Solus amor comprehendit Deum incomprehensibilem. Deus solus propter seipsum amandus est à nobis.*

§. I.

HAbes in præmissis [a] quòd charitas & *insuperabiliter* pugnat, & *insatiabiliter* gustat. Nunc ad investiganda reliqua [b] stylus percurrat, quantùm ad tam digna aditum aperire dignabitur in dulcedine sua pauperi Deus. Solet tamen in his faciliùs patere ingressus piè pulsantibus, quàm subtiliter perscrutantibus. Pulsat qui affectat, qui orat, & pulsantibus aperitur. Non enim ambigendum est quin libenter pulsanti aperiat, qui nondum pulsantem hortatur ut pulset. Sic Deus priùs vult à se requiri etiam quod promittit. Et ideo quod dare disponit, priùs promittit ut rogandi ausum præbeat, & ut quod daturus erat gratis, devota promereatur oratio. In hoc nobis à nobis merita extorquens, dum nos prævenit tribuendo quod retribuamus, agit ne gratis tribuat. Planè dignus ut reametur qui nos sic prævenit in amando. *In hoc* (inquit Joannes) *est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos*. Præcedit igitur amor suus nostro quidem benignior, sed noster expenditur justior. Ipse enim adhuc ingratos gratis diligit, nos verò suo dono, non debito, constat diligere. Dat unde, & facit quare amatur, ut de suo & pro suo pariter diligatur. Et quidem donum illud prosequi omitto, eò quòd ineffabile est. Nam etsi sentiri à paucitate spiritualium possit, exprimi tamen à nemine potest. Solum enim illud *novit*, qui dat, & qui *accipit*, exclusis cæteris. Ipsis etiam accipientibus & habentibus suspecta est & incerta illa clausa collatio, idquè salubriter, ut præsumant. Sed nunc quæso reduc oculos ad hæc inferiora, quæ videntes plerique non vident: & adverte si non cuncta quæ vel nobis in *prosperis* serviunt, vel contra nos sæviunt in *adversis*, quædam sint charitatis calcaria urgentia quodammodò ad cursum amoris? Ad hoc enim omnia cursus sui finem dirigunt, ut humanis utilitatibus & oblectationibus occurrant, vel defectibus certè succurrant. Hoc cælum & terra, hoc mare & aëra, hoc circuitus temporis redivivis partubus antiqua innovans, dilapsa reformans, consumpta restaurans implere non cessat: ut sicut hæc continua communiaquè beneficia respuere nemo est qui possit, ita tantum beneficium diligere non sit, qui non debeat. Assentis forsan de *prosperis*: [c] & *adversa* quomodò amorem doceant vel exigant, tibi innotescere cupis. Cùm plerumque ingratitudo superbè sibi arrogat dona Conditoris: vult idem hominis Conditor alto salubriquè consilio hominem tribulationibus exerceri, ut cùm defecerit homo, & subuenerit Deus, ametur ab homine, ut dignum est. Hoc est quod dicit: *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Ex occasione quippè frequentium necessitatum, crebris necesse est interpellationibus Deum ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari quàm dulcis est Deus: sicquè cor ferreum (quod beneficiis emolliri nequibat) flagellis eruditum ad gratiam liberantis liquescat, discatquè Deum diligere, etsi non propter suam bonitatem, certè propter suam utilitatem propriam. Et hîc gradus amoris amare inchoantibus primus est. Jam verò amantibus infimus gradus est, cùm nec propter ipsum, sed propter nos, Deum diligimus. Liquet igitur quemadmodùm tantùm carnaliter & carnalia amantem ad Dei amorem adversa instruunt, & quodammodò cogunt. Sed & ipsis amore succensis, [d] non inferiori consilio interdum prospera subtrahuntur, & ingeruntur adversa: ut si fortè (quod vitare difficile est) blandiens prosperitas aliquam sibi subripuerit amoris particulam, succedens tollat adversitas, quæ sola juxta Joannis doctrinam veraciter docet, *non diligere mundum, nec ea, quæ in mundo sunt*. Sic Israëlitæ coguntur ab Ægyptiis Ægyptum egredi. Quia teste Beato Gregorio, dum mundus animum calamitatibus pulsat, nil aliud nisi ut

y *Epist. 2. num. 10.* z *Ser. 5. in vigil. cænæ num. 36.* a *Lib. 2. de amore Dei. cap. 4. num. 20.* b *Ibidem cap. 3. num. 12. & 13.*

c *Ibidem. num. 14.* d *Ibidem num. 15.*

ut non diligatur, clamat. Denique qua parte subripere possit Dei oblivio, [e] qui præter illos incircumscripti luminis radios, præter illos rivos incorruptæ dulcedinis quibus ineffabiliter animam influit, in rebus etiam visibilibus amanti se exhibere non cessat? Integer quippe amator Dei quocunque se vertit, familiarem secum habet admonitionem amoris. Rebus his pro speculis utitur, & in omne quod cernit, sui amoris resultat memoria: aspicit cuncta, & eum qui condidit, & quo condiderit fine. In his non tam admirabilem quàm amabilē sibi sentit, atq; ex arrha dilectionis quam præcontulit, sapienter æstimat quanta reservavit in dotem. Castus profectò columbinusque oculus amor est, qui in rebus usui humano concessis nulla libidine figitur, sed in transitoriis contemplatur æternum. Iste est oculus qui non clauditur: quia carnalitatis palpebrâ caret. Nullo turbatur iniecto: quia nihil admittit forinsecum. Nulla cæcatur caligine: quia trabes in eo non sunt ullæ. Nullo gravatur sopore, teste qui ait: *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Oculus rectus, oculus verè dexter, quem nulla deorsùm vertit sinistra intentio, nulla deorsùm inflectit terrena affectio. Oculus verè simplex & prudens, quem nulla concutit incerta suspicio, nulla detinet curiosa sollicitudo: illum incessanter intuens, *in quem Angeli desiderant prospicere*. Amor enim vehemens (ut ait Augustinus) non potest non videre quem amat. Quia amor oculus est, & amare videre est. Hoc oculo se vulneratum fatetur Sponsus qui ait: *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum*. Duos nempe oculos habet anima, *unum*, quo intelligit; *alterum*, quo inquirit. *Deus* (inquit Psalmista) *de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum*. Et horum duorum dexter oculus est amor, qui requirendo vulnerat. Neque enim ille *saliens in montibus & transiliens colles*, id est, omnem sensum superans, humanum videlicet & Angelicum, absque vulnere capitur duntaxat amoris. Videtur itaque ab amantibus Deus utroque oculo, [f] sed altero vulneratur, quando ubi intellectus caligat, amor penetrat: ubi ille repellitur, iste admittitur. Quippè perscrutari prohibemur, & plus sapere quàm oportet: sed amare etiam plus quàm possumus, præcipimur. Non potest etiam obtenebrari amoris oculus, quominùs videre possit quem amat, etsi non, *sicuti est*, quod teste Joanne servatur in præmium: sed certè sicut viator, quod in præsenti vita ad solatium indulgetur. Videtur autem à quolibet amante prout amat, ab alio quidem sic, ab alio verò sic, pro varietate affectuum quibus feruntur in ipsum. Alii ad Divinitatis arcana ferventiùs inhiant: alii Humanitatis mysteria securiùs admirantur, contemplantes altissimum consilium Dei super salutem generis humani. Totum tamen tutum est, quidquid amoris oculus intuetur, qui solus nunc videt ad meritum, visurus quandoque ad plenum, cùm sublato corruptionis nubilo, *faciem illam* (ut scriptum est) *videbit in jubilo*.

e *Ibidem num. 17.* f *Ibidem num. 19.*

§. II.

Habes in præmissis [g] quòd charitas *incessabiliter* videtur: nunc in manibus addere est, quòd *inseparabiliter* hæret. Adeò namque tenerum est amoris glutinum, ut non tam jungere quàm vnire dicatur. Prorsùs bonum glutinum est tripliciter liniens virum virtutis, ut *sibi, proximo, Deoquè* conveniat & cohæreat in veritate. *Primò* quidem homo per amorem vnus *sibi* efficitur: dum se intra se colligens, & reductis affectibus à cunctis locis quibus captivi tenentur, solum vnum incommutabiliter amat, nec ampliùs in diversa mutatur. Partitus enim per amorem in plura, nunquam sibi invenitur vnus & idem, sed semper sibi ipse est dissimilis: quia toties variari cogitur, quoties quod amat variatur. Qui enim labenti innititur, necesse est ut cum labente labatur. *Secundò* etiam *proximo* per charitatem vnitur homo: dum non solùm sine querela vivendo cum omnibus vnum studet effici, sed etiam omnium successibus coaptari, *gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, infirmari cum infirmis, & cum scandalizatus uri*, juxta quod scriptum est: *Socius in tribulatione & regno*. Sic multitudinis credentium erat cor vnum & anima una, quando nec voluntatum varietas, nec rerum proprietas animas dividebat: sed firmiter stringebat charitas, & suaviter cohibebat in vnitate spiritûs, in vinculo pacis. *Tertiò Deum homini & hominem Deo vnit virtus charitatis*, (h) non solùm illa ineffabili vnitate, quâ nostra natura vnitur Verbo æterno in vnitate personæ, quam efficit vtique illa charitas, qua ante mundi constitutionem nos dilexit: sed etiam de qua ait Apostolus: *Qui adhæret Deo, vnus spiritus est*. Profectò vnitas hæc amoris est, qua homo totis præcordiis & totis votis supernæ & æternæ voluntati conformis vnitur Deo, glutino quod non dissipabitur. Est enim charitas vinculum perfectionis, quo mentes fidelium arctissimo complexu sibi invicem adhærent, & suo capiti *Christo* per omnes juncturas connectuntur in vnum corpus, in mutuo participio bonorum omnium, ita ut fidenter quilibet dicere possit: *Particeps sum ego omnium timentium te, & custodientium mandata tua*. De hoc dictum puto: *Funiculus triplex difficilè rumpitur*. Triplex dicitur, eò quòd tripliciter liget, ut præfatus sum. Vis ut tibi funiculum triplicē describat Apostolus? *Finis*, inquit, *præcepti est charitas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. Solum *cor purum* est, quod supereffluere nescit. Nil faciliùs exposito fædatur, quod sola continet charitas ne frustra pateat. Porrò juxta Apostolum ille *conscientiam bonam* habet ad omnes, qui proximi bonum æquè ut propriū diligit: si quominùs, convincitur non habere illam, quæ non quærit quæ sua sunt. *Fides non ficta* illa est, quæ per dilectionem operatur: alioquin nonmodò fictam, sed etiam mortuam Jacobus Apostolus eam dicere non veretur. Et verè iste *triplex funiculus difficilè rumpitur*, quo vinctus Paulus ardenter dicit: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia?* an

g *Ibidem cap. 4. num. 20.* h *Ibidem. num. 21.*

an fames? an nuditas? Validum profectò vinculum est, cui nulla prævalet violentia, *inseparabiliter* continens amantem cum amato. Nemo tamen me æstimet cum illis sentire (i) imò desipere, qui charitatem semel habitam asserunt vltra perdi non posse. Quia si omnis qui habet charitatem, haberet perseuerantiam, frustra suos discipulos Dominus *Jesus* monuisset: *Manete in dilectione mea*. Sed & hoc indubitanter senserim, charitatem posse spontè deseri, non violenter auferri: offertur omni, aufertur nulli, ut nullus nisi suo vitio eâ careat. Vt autem hac mutua virtute in vnum concurrere possint affectiones amantium, cor amantis animæ liquefieri necesse est, vt transfundi possit & transformari in illum quem amat, & mutari in virum alterum: quemadmodùm aquæ stilla multo infusa vino, deficere à se tota videtur, dum alterius saporem induit & colorem. Hinc illi piè amantium crebri defectus, imò profectus, dum de se in se hihil sentiunt, nisi quòd in Christo *Jesu* sunt. Nosti quid dicere velim? Nemo te melius. Solum liquidum est quod omni formæ congruit, quod optimè convenit cordi amatoris. *Factum est* (ait Propheta) *cor meum tanquam cera liquescens*. Res liquescendo mollitur, (k) dilatatur, purgatur. Et nunc hunc triplicem effectum considera in amore, qui verè ignis divinus est, corda resolvens, purgans, & conflans in massam vnitatis: quemadmodùm varia metalla soluta igni concurrunt in vnum. Ad tactum cujus *mollitur* & cedit illa odiosa duritia, quæ est insensibilitas cordis, qua homo nec sentit se, nec alium, nec pietate flectitur, nec precibus inclinatur, exemplis non inducitur, minis non terretur, beneficiis duratur, flagellis non eruditur: frontosus ad turpia, pronus ad illicita, flecti vel subdi nescius, nisi cùm resistere non potest. Et in omnibus exemplum tibi sit duritia cordis. Emollitum autem cor iuxta Pauli doctrinam, *dilatatur* à dextris & à sinistris, vsquequaque diffunditur, subveniens pariter hostibus & amicis: atque grato quodam & spontaneo occursu omnibus occurrit, congaudens profectibus vel defectibus condolens proximorum. Fluit igitur, sed non effluit: quasi sic derivatur ad alios, ut à se aliquatenùs non recedat. Porrò cor liquefactum *purgari* necesse est (l) & ad purum excoqui, si quam habet scoriam, ipso amore, qui *ignis consumens est*: paleas *ignorantiæ & delicta iuuentutis* purgans, & purgatissimam faciens animam, & divino dignam conjugio, non habentem maculam neque rugam. Audi flammam vorantem: *Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multùm*. Denique *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, & nihil imputatur eis ad mortem. Omne autem quod ipse non imputaverit, sic est quasi non fuerit. *Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum*. Nam qui non habet, nemo est nisi ille solus *inter mortuos liber*. Sic calefactum & liquefactum cor facilè ad omnem dilecti *Jesu* sermonem compungitur & ebullit, experiens illud quod canitur: *Anima mea liquefacta est ut dilectus locutus est*. Et illud, quod in Evangelio legitur: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via?* O dulcis confabulatio Dei in anima & cum anima, quæ sine linguæ & labiorum formatur strepitu, & sine aure percipitur, & sub silentio. Solus qui loquitur, & cui loquitur audit illam, omnis alienus excluditur. In Epithalamio autē hoc (m) non verba pensanda sunt, sed affectus. Cur ita, nisi quod amor sanctus, quem totius huius voluminis vnam constat esse materiam, non verbo sit æstimandus aut linguâ, sed opere & veritate? Amor vbique loquitur: & si quis horum quæ leguntur cupit adipisci notitiam, amet. Alioquin frustra ad audiendum legendumquè amoris carmen ille, qui non amat, accedit: quoniam omninò non potest capere ignitum eloquium pectus frigidum. Quomodo enim Græcè loquentem non intelligit qui Græcum non novit, nec Latinè loquentem, qui Latinus non est, & ita de cæteris: sic lingua amoris ei qui non amat barbara erit, sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Spiritus est Verbum, (n) spiritusquè anima: habentquè linguas suas quibus se alterutrum alloquuntur, præsentesquè indicent. Verbi quidem lingua favor dignationis est: animæ verò lingua est fervor devotionis. Elingvis est anima atque infans, quæ hanc non habet, & non potest ipsi vllatenùs sermocinatio esse cum Verbo. Ergo huiuscemodi linguam suam cùm Verbum movet, volens loqui ad animam, non potest non sentire. *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad divisionem animæ & spiritûs*. Et rursùs cùm suam anima linguam movet, latere Verbum multòminùs poterit: non solùm quia vbique præsens est, sed propter hoc magis, quòd nisi ipso stimulante, devotionis lingua minimè ad loquendum moveatur. Verbo igitur dicere animæ: *Pulchra es*, & appellare *amicam*, infundere est, unde & amet & se præsumat amari. Ipsi verò animę Verbum vicissim nominare *dilectum*, & fateri *pulchrum* (quod amat, & quo amatur) est illi sine fictione adscribere & fraude, quod est mirari dignationem & stupere ad gratiam. Ita sanè locutio Verbi est infusio doni: & responsio animæ cum gratiarum actione est admiratio.

§. III.

Hinc est (o) quòd nos Domine te diligimus affectu amoris à te nobis indito. Tu verò Conditor omnium, & affectuum bonorum, & animarum afficiendarum, numquid accidenti vel incidenti amoris affectu amas quos amas: vel aliquomodo in aliquo afficeris, qui & omnes facis, & omnia? Absit. Absurdum est, procul à fide, alienum ab omnium Creatore. Quomodò ergo nos amas, si nos amore non amas? Sed amor tuus bonitas tua est, ô summe bone & summum bonum Spiritus Sanctus procedens à Patrè & Filio, qui ab initio creaturæ super aquas, id est, super mentes filiorum hominum fluctuantes, omnibus se offerens, omnia ad se trahens inspirando, aspirando, & noxia arcendo, providendo vtilia, Deum nobis & nos vniens Deo. Sic enim Spiritus Sanctus tuus (qui amor dicitur Patris & Filii, & vnitas, &

i. *Ibidem num.* 22. k *Ibidem num.* 23. l *Ibidem num.* 25.

m *Ser.* 79. *in Cant. num.* 1. n *Lib.* 3. *de amor. Dei. cap.* 7. *n.* 31 o *Lib.* 1. *de amor. Dei. cap.* 9. *num.* 13.

& voluntas) per gratiam suam in nobis inhabitans, & Dei in nobis charitatem commendans, & per ipsam ipsum nobis concilians, Deo nos vnit per inspiratam nobis voluntatem bonam: cuius bonæ voluntatis vehementia amor dicitur in nobis, quo amamus quod amare debemus, te scilicet. Nihil enim aliud est amor iste, quàm vehemens & benè ordinata voluntas. O Domine jam per inspiratam nobis gratiam (p) per Spiritum adoptionis tuæ, omnia quæ Patris sunt, nostra esse confidentes, ipso te nomine invocemus per adoptionis gratiam, quo Filius tuus vnicus per naturam. Sed quia hoc abs te totum est, cujus amare, hoc est benefacere: à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum à te est summe Pater luminum: tu teipsum amas in nobis, nos in te, cùm te per te amamus: & intantùm tibi vnimur, inquantùm te amare meremur: & participes efficimur orationis illius Christi Filii tui: *Volo ut sicut ego & tu vnum sumus, ita & ipsi vnum in nobis sint*. Genus enim tuum sumus Domine: genus Dei, sicut dicit Apostolus tuus transferens illam Ethnici sententiam de malo vase in bonum, ut nonnisi ipsam & uas bonum sapiat. *Genus* inquam, *sumus Dei, & Dii filii Excelsi omnes*, cognatione quadam spirituali magnam apud te vendicantes affinitatem, cùm per Spiritum adoptionis Filius tuus vnum nobiscum nomen sortiri non dedignatur, & cum ipso & per ipsum præceptis salutaribus moniti & divina institutione formati audemus dicere: *Pater noster qui es in cælis*. Amas itaque nos, inquantùm nos efficis tui amatores: & nos amamus te, inquantùm à te Spiritum tuum accipimus (qui est amor tuus) obtinens & possidens affectionum nostrarum recessus, & perfectè eos convertens in puritatem veritatis tuæ, & veritatem puritatis tuæ in plenum amoris tui consensum: ubi tanta sit coniunctio, tanta adhæsio, tanta dulcedinis tuæ fruitio, ut vnitas ab ipso Domino nostro Filio tuo vocetur, dicente, *Vt sint ipsi vnum in nobis*: tantæ dignitatis, tantæ gloriæ, ut subsequatur & dicat, *Sicut ego & tu vnum sumus*. O gaudium, ô gloriam, ô divitias, ô superbiam! Habet enim Sapientia & sui generis superbiam (q) quæ dicit. *Mecum sunt divitiæ, & gloria, & opes superbæ, & justitia*. Quid autem est absurdius vniri Deo amore, & non beatitudine? Beati enim verè & vnicè, & singulariter & perfectè beati, qui verè & perfectè amant te. Nullus autem & nullo modo beatus, qui non amat te. *Beatum* quidem *dixerunt populum, cui hæc sunt*: sed mentiuntur hac in parte, quia solus *beatus cui est Dominus Deus eius*. Quid enim est beatum esse, nisi non velle nisi bonum, & omnia habere quæcunque vult? Te igitur velle & vehementer velle, quod est amare & singulariter amare, qui amari non dignaris cum aliqua omninò re siue carnali, siue spirituali, siue terrestri, siue cælesti, quæ non ametur pro te: hoc demùm est non velle nisi bonum, hoc est habere quæcunque vult omnia, quia habet te quis, inquantùm amat te. Ergo & amore & beatitudine vniti Deo intelligimus, quod verè *Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua*. Ideoquè orationes nostras, vota & sacrificia, & omnia nostra offerimus tibi Deus Pater assiduè per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, credentes & intelligentes ex te, à te, & ad te, per ipsum nobis esse, quidquid nobis benè est, à quo ipsum esse habemus. Quæ omnia (r) per subministrationem Spiritus Sancti tui habitantis in nobis credimus, & intelligimus, quantùm intelligere fas est: qui (ut dictum est) conformans sibi & vniens spiritum nostrum, spirat in nobis quando vult, quomodo vult, quantùm vult: cujus sumus factura, creati in operibus bonis, existens sanctificatio nostra, justificatio nostra, amor noster. Ipse enim est amor noster, quo ad te pertingimus, quo te amplectimur, alioquin, ô incomprehensibilis majestas, comprehensibilis esse videris animæ te amanti. Licet enim nullus sensus cujuslibet animæ vel spiritûs te cõprehendat, tamen totum te quantus es comprehendit amor amantis: qui totum te amat quantus es, si tamen est totitas, vbi non est particularitas: si quantitas est ubi non est tantitas: si est comprehensibilitas, ubi hæc omnia non sunt. Sed cùm te amamus, afficitur quidem spiritus noster Spiritui Sancto tuo, per quem habitantem in nobis charitatem diffusam habemus in cordibus nostris. Cùmquè amor tuus, amor Patris ad Filium, amor Filii ad Patrem, Spiritus Sanctus habitans in nobis ad te est quod est; id est, amor omnem captivitatem Sion, id est animæ nostræ omnes affectiones in se convertens & sanctificans: tunc amamus te, uel tu amas te in nobis, nos affectu, tu effectu, vnum nos in te efficiens per vnitatem tuam, id est ipsum Spiritum Sanctum tuum, quem dedisti nobis: ut sicut non est aliud Patri nosse Filium, nisi hoc esse quod est Filius; nihil aliud Filio nosse Patrem, nisi hoc esse quod est Pater. Unde in Evangelio Filius ait: *Nemo novit Patrem nisi Filius, & nemo novit Filium nisi Pater*. Et sicut Spiritui Sancto nihil est aliud nosse vel comprehendere Patrem & Filium, quàm hoc esse quod est Pater & Filius. Ita nobis (qui ad imaginem tuam conditi sumus, & ab illa per Adam inveterati per Christum ad illam renovamur de die in diem) ut amantibus Deum nihil sit aliud amare & timere Deum, quàm esse, & vnum spiritum cum Deo esse. O adorande, tremende, benedicende, da eum nobis. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ*. Sanctificet nos sanctitas & santificatio tua, vniat nos vnitas tua, ut Deo qui est charitas, velut cognata quadam affinitate per charitatis nomen sociemur, & per virtutem nominis vniamur. O felicem & felicissimam animam (s) quæ Deo sic à Deo meretur affici, ut per vnitatem Spiritûs in Deo solum amet Deum, non suum aliquod privatum, nec nisi in Deo amet seipsum, & Deus in ipso amet, vel approbet quod amare vel approbare debet Deus, id est seipsum, imò quod solum debet amari, & à Creatore Deo & à creatura Dei. Amoris enim vel nomen vel affectus nulli competit vel debetur, nisi tibi soli, ô vere amor & amande Domine. Et hæc est in nobis voluntas Filii tui, hæc pro nobis oratio ejus ad te Deum Patrem suum: *Volo ut sicut ego & tu unum sumus, ita & in nobis ipsi unum sint*. Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est

p Ibidem num. 14. q Ibidem cap. 8. num. 15.

r Ibidem num. 16. s Lib. 1. de amore Dei. cap. 4. num. 9.

est pax, hoc est gaudium Domini, hoc est gaudium in Spiritu Sancto, hoc est silentium in cælo. Quamdiu quippe in hac sumus vita, hoc felicissimæ pacis silentio in cælo, id est in anima justi (quæ sedes est Sapientiæ) aliquando fruitur affectus: sed hora est dimidia vel quasi dimidia, intentio verò de reliquiis cogitationis diem festum perpetuum agit tibi. In illa autem beata & æterna vita, de qua dicitur: *Intra in gaudium Domini tui*: sola erit perfecta & æterna fruitio, & tantò felicior, quantò jam remotis omnibus quæ hoc tardare vel impedire videntur, amoris ejus indissolubilis æternitas, irrefragabilis perfectio, incorruptibilis erit beatitudo. Interim (t) veniat obsecro Domine Iesu ille Spiritus tuus Deus & Dominus meus, veniat in cor meum, & sic inebriet illud tuo amore, ut nullum alium præter te quæram amorem, nullam aliam præter te amem pulchritudinem, nullam præter te valeam gustare dulcedinem, qui es fauus mellis Deus est Homo: mel de Deo Patre, fauus de Virgine Matre. Mel in sinu Patris, fauus fractus in cruce. Mel impassibilis regnans cum Patre, fauus in sepulchro. Mel cum Patre & Spiritu Sancto regnans in cælo & in omni loco, benedictus per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT. V.

De laudibus Amoris, & quinque sensibus Animæ, qui eam mediante amore conjungunt Deo.

Deus charitas est: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *Ioan. Epist. 1. cap. 4.*

1 *Ostenditur, omnes virtutes esse inanes sine charitate. Charitas non potest esse sine fide & spe. Quinque amores comparantur quinque sensibus corporalibus totidemquè spiritualibus. Amor parentum comparatur tactui, amor socialis gustui, amor naturalis odoratui, amor inimicorum auditui, amor divinus visui.* 2. *Ostenditur, visum elevatum per lumē gloriæ ad videndum Deum esse naturale lumen animæ, habereque quamdam affinitatem cum amore Dei. Amor & ratio sunt duo oculi animæ ad videndum Deum. Ratio & amor invicem se adjuvant. Amor Dei extinguit amorem sæculi, & reddit hominem fortem ad quævis ardua, & indifferentem ad omnia. Cor hominis à terrenis expeditum, Deum amat super omnia, & in Deo solo quiescit, ac frequenter mentis excessum patitur.* 3. *Ostenditur, Deum exigere à nobis quatuor affectus, ut diligamus eum ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, & ex tota mente. Mens designat fruitionem sapientiæ, quæ in sapore quodam divino consistit. Docemur, corpus Christi mysticum esse Ecclesiam, cujus membra per Analogiam quinque sensuum exponuntur.*

§. I.

AMor illuminatus (a) charitas est: amor à Deo, in Deo, ad Deum. Charitas autem Deus est. *Deus* (inquit Ioannes) *charitas est*. Brevis est laus, sed concludens omnia. Quidquid de Deo potest dici, potest dici & de charitate; sic tamen, ut considerata secundùm naturas doni & dantis, in dante nomen sit substantiæ, in dato nomen qualitatis: sed per Emphasim donum etiam charitatis Deus dicatur, in eo quòd super omnes virtutes virtus charitatis Deo cohæreat, & assimiletur. De charitate quid dicemus? audivimus famam ejus, non novimus eam, non vidimus eam. Apostolus eam nouit, qui excellentiorem viam eam appellans, in laudem eius totum se effudit, dicens: *Et adhuc excellentiorem viā vobis demonstro. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit; sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas.* Aduc (b) in laudem charitatis loquamur. Amor in fide est & spe, charitas in seipsa est, & per seipsam. Potest etiam esse, ut fides & spes sint sine charirate: ut autem charitas fidem & spem in se contineat, non potest esse: fides enim quod amatur esse adserit, spes promittit. Amat igitur, qui in fide & spe amat, sicut amari potest quod creditur tantùm, & speratur: charitas creditum & speratum jam habet, jam tenet, jam complectitur. Amor igitur fidei & spei Deum videre desiderat, quia amat: charitas quia videt, amat. Ipsa enim est oculus, quo videtur Deus: habet enim anima etiam sensus suos, habet visum suum vel oculum, qui videt Deum. Sicut enim corpus habet suos quinque sensus, quibus animæ conjungitur vita mediante: sic & anima suos quinque sensus habet, quibus Deo conjungitur mediante charitate. Unde dicit Apostolus: *Nolite conformari huic sæculo, sed renovamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Hic ostenditur, quia per sensus corporis veterascimus, & huic sæculo conformamur: per sensum verò mentis renovamur in agnitionem Dei, in novitatem vitæ, secundùm voluntatem & beneplacitum Dei. Quinque enim sunt corporis sensus animales vel corporales, quibus anima corpus suum sensificat: ut ab inferiori incipiam, tactus, gustus, odoratus, auditus, visus. Similiter quinque sunt sensus spirituales, quibus charitas vivificat animam: id est, amor carnalis parentum, amor socialis, amor naturalis, amor spiritualis, amor Dei. Per quinque sensus corporis mediante vita corpus animæ conjungitur

t *Ser. 9. in vit. Canan nu. 66.* a *Lib. 2. de Amore Dei cap. 5. nu. 12.* b *Ibidem cap. 6. num. 15.*

gitur: per quinque ſenſus ſpirituales mediante charitate anima Deo conſociatur. Primò *tactui* comparatur *parentum Amor*: (c) quia affectus iſte promptus omnibus, & quodammodò groſſus & palpabilis, ſic ſe omnibus naturali quodam occurſu præbet & ingerit, ut effugere eum non poſſis, etiamſi velis. Tactûs enim ſenſus eſt totus corporalis, qui ex quorumlibet corporum conjunctione conficitur: ſi tamen unum eorum, aut utrumque vivat, ut tactus eſſe poſſit. Sicut enim quocunque te verteris, corpus tuum non poteſt eſſe ſine tactu: ſic nec anima tua ſine hoc affectu, propter quod in Scripturis amor iſte non multùm commendatur; imò ne ſit nimius coërcetur, dicente Domino: *Si quis non odit patrem ſuum, aut matrem ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Secundò *guſtui* comparatur *Amor ſocialis*, (d) amor fraternus, amor Sanctæ & Catholicæ Eccleſiæ, de quo ſcriptum eſt: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum!* Quia ſicut per guſtum vita adminiſtratur corpori, ſic illi mandavit Dominus benedictionem & vitam uſque in ſæculum: guſtus enim licet corporaliter exerceatur, ſaporem tamen introrsùs generat, quo anima afficitur; propter quod corporalis quidem maximè hic ſenſus, ſed tamen ex parte aliqua etiam animalis eſſe comprobatur. Sic & amor ſocialis, quia ex corporali cohabitatione in unum, ex ſimilitudine profeſſionum, ex parilitate ſtudiorum, aliiſquè hujuſmodi cauſis confæderatur, mutuiſquè officiis enutritur, maximè animalis eſſe videtur; ſed tamen ex magna parte & ſpiritualis eſt: quia ſicut ſapor eſt in guſtu, ſic affectus fraternæ charitatis flagrat in affectu. De quo ſcriptum eſt: *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbā Aaron: quod deſcendit in oram veſtimenti ejus: ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.* Tertiò *odori* comparatur *Amor naturalis*, (e) qui naturaliter ex ipſius naturæ ſimilitudine, & conſortio abſque omni ſpe recompenſationis omnem hominem diligit: qui ex occultis naturæ receſſibus veniens, & animæ ſe ingerens, nihil humanum ab eo patitur eſſe alienum. Senſus autem iſte magis animalis eſſe videtur quàm corporalis, id eſt, odoratûs: quia ad creandum eum interiùs corpus nihil agit præter levem inſtrumenti ſui narium attractum. Et ſicut hauſtus per corpus animam tantùm afficit, non corpus: ſic & amor naturalis magis ſpiritualis eſſe videtur, quàm animalis; quia præter ſolum connaturalis humanitatis reſpectum, non conſanguinitas, non ſocietas, nec aliqua in eo omninò neceſſitudo hujuſmodi conſideratur. Quartò *auditui* comparatur *Amor ſpiritualis*, (f) amor inimicorum. Auditus enim nihil interiùs, id eſt, intra corpus operatur; ſed exteriùs quodammodò, id eſt, ad aures pulſans animam evocat, ut exeat & audiat. Sic & amorem inimicorum in corde nulla vis naturæ, nulliusalicujus neceſſitudinis ſuſcitat affectus, ſed ſola obedientia, quæ per auditum ſignificatur. Ideoquè amor iſte ſpiritualis dicitur. Ideò etiam quia ad Filii Dei ſimilitudinem, & filiorum Dei proficit dignitatem, dicente Domino: *Benefacite his qui oderunt vos, ut ſitis filii Patris veſtri qui in cælis eſt.* Quintò *viſui* comparatur *Amor divinus*, (g) viſus enim principalis eſt ſenſus. Sicut enim inter omnes affectiones principatū obtinet amor divinus: ita à viſu oculorum cæteri ſenſus videre dicuntur, cùm ſolus videat oculus. Dicimus enim: Tange & vide, guſta & vide, & ſic de reliquis. Sicquè ab amore divino cætera dicuntur amari, quæ benè amantur, cùm luce clariùs conſtet nil debere amari niſi propter Deum: nec amari rem quæ propter aliud quid amatur, ſed id potiùs quod amatur unde eſt; *à quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur.*

§. II.

Porrò (h) ſicut viſus eſt vis quædam animæ mera & potens & pura: ſic & amor divinus *potens* eſt, quia magna operatur; & eſt *purus*, quia nihil inquinatum in eum concurrit. Non enim dignatur Deus amari cum aliqua alia re, quæ propter ipſum non amatur. Viſus item in eminenti corporis arce & inſigni capitis loco poſitus, & ſecundùm ipſius corporis formam infra habet, & ordine & dignitate, & virtutis potentiâ omnia cæterorum ſenſuum inſtrumenta; ipſoſquè ſenſus quoſdam (ut ita dicam) habet amabiliores & propinquiores, quoſdam verò corporales & remotiores: infimus enim omnium & cæteris ignobilior eſt tactus: & licet cōmunis eſſe videatur totius corporis, tamen propriè manuum eſt. Sic mens, quæ caput eſt animæ & principale ipſius mentis, ſedes eſſe debet amoris Dei, ut ſub ſe habeat & regat & illuſtret cæteros amores, nec ſit in eis quod ſe abſcondat à calore ejus, & à lumine ejus; quoſdam quidem ſpirituaiores habens & propinquiores, quoſdam verò carnaliores & animaliores & remotiores: cùm dilexerimus Dominum Deū noſtrum ex toto corde noſtro, & ex tota anima noſtra, & ex omnibus viribus noſtris, & proximum noſtrum ſicut noſipſos. Viſus [ut diximus] in digniori corporis loco ſedem habens, etiam ſuper ipſam animalitatis virtutem aliquid moliri videtur, & mentis vel memoriæ quantùm fas eſt geſtit imitari virtutem, uno horæ momento medium cæli pervolans, in uno momenti puncto plurima terrarum ſtadia tranſuolans. Sic & illuminatus amor Dei ſuam in anima chriſtiana ſedem obtinens, ad quandam divinæ potentiæ ſimilitudinem eam provehit: dum omnem creatura anguſtam & brevem imò nullam videri facit, ad comparationem Dei; dum confidit ſua eſſe omnia, quæ Patris ſunt; dum omnia ei cooperantur in bonum; dum ſive Paulus, ſive Cephas, ſive mors, ſive vita, ſive omnia quæ ſunt, ejus ſunt: & fidelis viri totus mundus divitiarum eſt. Viſus ergo ad videndū *Deum* naturale lumen animæ, (i) ab Auctore naturæ creatus, charitas eſt. Sunt autem duo oculi in hoc viſu ad lumen (quod Deus eſt) videndum naturali quadam intentione ſemper palpitantes, *Amor* & *Ratio*. Cùm alter conatur ſine altero, non adeo proficit: cùm invicem ſe adjuvant, multùm poſſunt, ſcilicet cùm unus oculus efficiuntur, de quo dicit Sponſus in Canticis: *Vulneraſti cor meum, ô amica mea, in uno oculorum tuorum.* In hoc autem plurimùm laborant ſuo unuſquiſque modo, quòd alter eorum id eſt *Ratio* dum videre non poteſt

Sſſ niſi

c *Ibidem cap. 7. num. 16.* d *Ibidem num. 17.* e *Ibid. nu. 18.* f *Ibidem num. 19.*

g *Ibidem num. 20.* h *Lib. 2. de amore Dei cap. 7. num. 20.* i *Ibidem num. 21.*

nisi in eo quod non est: *Amor* autem non acquiescit requiescere nisi in eo quod est. Quid est enim quòd *Ratio* omni conatu suo possit apprehendere vel invenire, de quo dicere audeat, hoc est Deus meus: intantùm enim solummodò potest invenire quid est, inquantùm invenit quid non est. Habet etiam *Ratio* suos quosdam tramites certos, & directas semitas quibus incedit. *Amor* autem suo defectu plùs proficit, suâ ignorantiâ plùs apprehendit. *Ratio* ergo per id quod non est, in id quod est, videtur proficere: *Amor* postponens quod non est, in eo quod est, gaudet deficere. Cùm tamen (ut dixi) invicem se adjuvant, & Ratio docet Amorem, & Amor illuminat Rationem; & Ratio cedit in affectum Amoris, & Amor acquiescit cohiberi terminis Rationis: magnum quid possunt. Sed quid est quod possunt? Sicut proficere proficiens in hoc, & hoc discere non potuit nisi experiendo, sic nec communicare potest inexperto: quia sicut dicitur in libro Proverbiorum, *In gaudio ejus non miscebitur extraneus*. Ratio majorem habet sobrietatem, Amor beatitudinem: inde quippe processit, & naturaliter in suum spirat principium. Ex hoc jam animam (k) suavitate hactenus & deliciis amoris tenerè enutritam, sed & nonnunquam paternæ pietatis disciplinis attritam: ex hoc jam, inquam, fortis ut mors dilectio peruadit animam dulci amoris gladio, ab amore & affectu sæculi sic occidens eam funditùs & interimens, sicut mors interimit corpus: intantùm ut dici de ea possit quod de Enoch, scilicet, quòd non invenitur in sæculi actibus, *quia transtulit eum Deus*; sed corpus morte sua mortificatur ab omnibus sensibus suis, anima autem morte sua proficit magis, & vivificatur, & roboratur in suis sensibus, fortiter & constanter & prudenter incedẽs jam in semitis suis, & in omnibus gressibus: & quocunque, hactenus ignorando, dubitando & palpando, vix audebat tendere pedem boni assensus. *Fortitudo enim simplicis est via Domini.* A sæculi verò actibus & affectibus sic mortificatur, sicut Paulus Apostolus, *Mihi*, inquit, *mundus crucifixus est, & ego mundo*. Cùm enim alter non curaret de altero: cùm suis ligati affectibus ad se invicem non poterant vel curabant accedere, sibi invicem crucifixi erant Paulus & mundus. Sed tamen cùm Pauli conversatio tota esset in cælis, non recusabat quandocunque necessaria erat hominibus in terris, propter quod cum gemitu dicebat: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo, multò magis meliùs*. Et ô quàm meliùs est esse cum Christo! esse enim Christum cum Paulo, sicut & ipse dixit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Sic, inquam, esse Christum cum Paulo, magna est Pauli securitas: esse verò Paulum cum Christo vel hîc per contemplationem, vel ibi per beatitudinis præsentiam, beata & gloriosa est Pauli fælicitas. Charitas ergo Dei sursùm eum attollebat, charitas verò proximi infra eum premebat, quasi à collo dependens. Unde sequitur & dicit: *Permanere autem in carne necessarium propter vos*. Affectus ergo charitatis Deo indissolubiliter inhærens, (l) & de vultu ejus omnia judicia sua colligens, ut agat vel disponat exteriùs, sicut voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta dictat ei interiùs: dulce habet in vultum illum semper intendere. & sicut in libro vitæ leges in eo sibi legere vivendi, & intelligere, illuminare fidem, roborare spem, suscitare charitatem. Jam enim & Spiritus Sanctus evidenter sanctam edocet animam, quid, quomodo sit faciendum: & Spiritus *fortitudinis* vires vel virtutes subministrat faciendi: Spiritus *consilii* disponit. Et cùm animo illi vacat Deo inhærere, Deo efficitur similis per devotionis pietatem, & per voluntatis unitatem. Cùm autem sic amor Christi totum absorbuerit affectum hominis, (m) ut negligens & immemor sui, non nisi Iesum Christum, & ea quæ sunt Iesu Christi sentiat, tunc demùm perfecta est in eo charitas. Huic quoque qui sic affectus est, non est onerosa paupertas, iste non sentit iniurias, ridet opprobia, contemnit damna, mortem lucrum reputat: imò nec mori se putat, cùm magis de morte ad vitam transire se sciat. Quem si amor Dei intrinsecùs ligatum tenet, nec ad modicum quidem exire exteriùs valet, sed interiùs in ejus desiderio flagrat tantò ampliùs, quantò familiariùs, & eò vehementiùs, quò frequentiùs. Qui sic in amore Dei jugiter delectatur, frequenter mentis excessus patitur, ab omnibus præsentibus & terrenis raptus, coram Deo præsentatur: & dum pulchritudinem ejus considerat, magnitudine pulchritudinis ejus attonitus, totus in ejus admiratione suspenditur. Miratur Regis gloriam, regni magnificentiam, supernæ Civitatis nobilitatem, & Civium felicitatem: contemplatur etiam gloriæ decorem, Dei bonitatem, internæ suavitatis dulcedinem, & æternæ quietis tranquillitatem. Meditatur Dei Patris potentiam, Filii sapientiam, Spiritus Sancti benignitatem, & Angelicæ naturæ beatitudinem: delectatur de Deo in Deum, dum ejus pietatem miratur, & decorem contemplatur. O quàm jucundum sentitur, si non esset tam modicùm raptus! Rapitur dum sola cælestia contemplatur, & contemplando jucundatur. Sed cùm ibi stare diutiùs conatur, subitò labitùr, & rediens ad se, nulli potest intimare quod vidit supra se: sed agnitione suavitatis illectus, gustatæ dulcedinis suavitatem, & illam cælestem infusionem lætitiæ spiritualis intra semetipsum miratur. Revoluit etiam in corde suo tacita mente incorporeæ lucis claritatem, & intimæ satietatis saporem, & illud internæ quietis secretum, & summæ tranquillitatis arcanum. In hujus contemplatione contemplationisquè dulcedine mens delectabiliter afficitur, & mirabiliter delectatur.

§. III.

Dominus excitans & provocans sanctam animam (n) ad intrandum in gaudium suum, inquit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota mente tua*. In his verbis (o) quatuor in Deum à nobis & toti exiguntur affectus. In eo quod dicit, *Ex toto corde*, totam sibi vendicat voluntatem: in *tota anima*, totum amorem. In *omnibus viribus*, virtutem designat charitatis: in *tota mente* fruitionem sapientiæ. Primùm enim ad Deum *voluntas* ani-

k *Ibidem num.* 22. l *Ibidem num.* 23.

m *Tract. de inter. domo cap.* 7. *num.* 16. & 17. *tom.* 5. *pag.* 41. n *Lib.* 2. *de amore Dei cap.* 9. *n.* 27. o *Ibidem cap.* 10. *num.* 28.

animam movet, *amor* promovet, *charitas* contemplatur, *sapientia* fruitur. Sapientia verò dignè *in mente* constituitur. Quæ cùm ideo mens dicatur, quòd meminit, vel eminet in anima: benè illi adscribitur virtuti, quæ super omnes eminet virtutes animæ. Est enim mens vis quædam animæ nostræ, qua inhæremus Deo & fruimur. Fruitio autem hæc in sapore quodam divino est, vnde & à sapore sapientia denominatur. Sapor autem iste in gustu quodam est. Gustum autem istum dignè nemo potest exprimere, nisi qui meretur gustare. *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*. Hoc gustu secundùm Petrum Apostolum gustatur Dei verbum, gustantur etiam divitiæ sæculi venturi. Jam ergo de gustu isto, qui saporem habet illum in quo sapientia sapit, subtiliùs inquirendum est, primùmquè dicendum: quia licet per gradus ad arcem sapientiæ venerit qui ascendit; tamen nisi ubique in omni gradu usque ad ultimum, Sapientia [sicut ipsa dicit in libro sui nominis] quærentes se quæsisset, & occurrisset in viis, ostendens se hilariter; nec voluntas monuisset, nec amor promovisset, nec charitati contemplatio, nec sapientiæ provenisset fruitio. Itaque sicut cæperamus [p] prosequamur de gustu. Corpus Christi universa est Ecclesia tam veteris quàm novi Testamenti. In hujus corporis capite, id est, prima & antiquiori & superiori parte, quæ est primitiva Ecclesia, quatuor sunt sensus, visus, auditus, odoratus, & tactus. *Oculi* sunt Angeli propter contemplationis subtilitatem. *Aures* sunt Patriarchæ propter obedientiæ virtutem. *Nares* vel odoratus sunt Prophetæ propter absentium notitiam. *Tactus* verò communis est sensus. Omnes hi sensus ante Mediatoris adventum in capite erant, sed languebant inferiori corpore emortuo propter unius sensus absentiam, id est, *gustûs*, sine cujus adminiculo nec vivere corpus poterat, nec sensus suæ vim vivacitatis obtinere. Quidquid enim ad totius corporis spectat alimentum, cunctis sensibus & universo corpori appone, suppone, circumpone: si solus gustus deerit, quid proderit? Infunde auribus, intrude naribus, vel per quamvis aliam partem, obesse poterit, prodesse non poterit. Gustum autem quædam sequitur saporis dulcedo, quam in interiori suo sentiens anima, modo quodam singulari & cæteris sensibus incommunicabili, quæ suscipit, cuncta discernit & dijudicat, sequè ac omnes sensus vegetat & confirmat. Gustus verò in capitis & corporis confinio, id est, in gutture positus, velut utrumque connectens, eum designat qui per conditionem carnis paulominùs est minoratus ab Angelis & Moyse & Elia, cæterisquè Patriarchis & Prophetis. Per exhibitionem patientiæ & humilitatis minorem se quodammodò fecit & humiliorem, cùm illi potenti virtute Dei & suos prosternerent inimicos, ipse verò suos doceret discipulos: *Si quis percusserit te in dexteram maxillam, præbe ei & alteram*. Hic enim post Prophetas veniens & Patriarchas (q) limes quidam legis & gratiæ, capitis & corporis, per mysteria Humanitatis suæ & Passionis & Resurrectionis, quæcunque in lege & Prophetis & Psalmis & hymnis salubria, quæcunque corpori vitalia vel utilia, quasi quoddam ipsius os degustans, id est, intelligens & per se intelligenda corpori traijciens Homo Christus, interiori quodam Divinitatis suæ sapore (quæ sapientia nobis factus est Sapientia Dei Christus) sapida ea habet, nobisquè facit sapida vel utilia. In se enim vivens, & per se totum corpus vegestans & conformans, gaudium sibi, gaudium Angelis facit de consummatione corporis: gaudium Patriarchis & Prophetis facit de visione diei suæ, sicut ipse dicit: *Abraham pater vester exultavit, vt videret diem meum, vidit & gavisus est*. Gaudium universo corpori facit & vitam, ita ut quodam mentis tripudio universali illo tactu spirituali vivificati & confirmati clamemus: *Quod vidimus & audivimus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ*. Ideoquè in omnibus orationibus nostris subiicimus, *Per Christum Dominum nostrum*: vel quia omnes orationes nostras & Sacrificia ad Deum Patrem dirigimus per eum, sicut per Meditatorem nostrum: vel quia quidquid speramus à Patre luminum, omne datum optimum, & omne donum perfectum, non per aurem, non per nares, sed per ipsum petimus infundi os nostrum, & gustum nostrum, & Sapientiam nostram: vt sumenti possit esse proficuum. Hic est *gustus*, [r] quem in Christo facit nobis Spiritus intellectûs, intellectus scilicet Scripturam & Sacramentorum Dei. Unde cùm post Resurrectionem Dominus Jesus discipulis apparuit: *Tunc* (inquit Evangelista Lucas) *aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas*. Cùm enim Scripturarum interiorem sensum & virtutem mysteriorum & Sacramentorum Dei cæperimus non solùm intelligere, sed etiam quadam (ut ita dicam) experientiæ manu palpare & tractare, quod non fit nisi quodam conscientiæ sensu, & experientiæ disciplinâ intelligentis; imò ut plus dicam, intùs in semetipsa legentis, & sentientis bonitatem Dei & virtutem, quam potenti bonitate cum efficaci virtute in filiis gratiæ, opus ipsius gratiæ operatur. Tunc demùm Sapientia quod suum est exequitur: tunc quos dignos judicat unctione sua docet de omnibus. Tunc apposito bonitatis sigillo Dei, omnia nostra peccata velut pacata unctione illitâ & emollitâ, imprimit & conformat. Et si qua dura, si qua rigida invenerit, inculcat & infringit, donec lętitiâ salutaris Dei receptâ, & sapientiæ Spiritu principali confirmata sancta anima, læta ad Deum decantet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo*. Unde & Dominus: *Hæc est*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*. Beata scientia, in qua continetur vita æterna. Vita ista ex illo gustu procedit, quia gustare, hoc est intelligere. Agamus gratias benignissimo & largissimo Salvatori, [s] qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem sui venire. Hæc est enim vita æterna, ut cognoscamus Patrem verum Deum, & quem misit Iesum Christum, qui unus cum eo verus est Deus super omnia benedictus in sæcula. Amen.

p *Ibidem num. 29.* q *Ibidem num. 30.*

r *Ibidem num. 31.* s *Ser. in Natali Sanct. Innocent. num. 3.*

CAPUT VI.

De ordinatione charitatis, modoquè diligendi proximum: & de duplici charitate, actuali, & affectuali.

Ordinavit in me charitatem. *Cant. 2.*

1. *Ostenditur, ordinationem charitatis consistere in modo diligendi consanguineos & amicos, fideles & infideles, ac etiam inimicos nostros. Excitamur ad amorem Dei, & dilectionem proximi.* 2. *Ostenditur, varia esse charitatis elogia. Charitas comparatur oleo, portæ speciosæ, & nubeculæ. Sine charitate nulla potest esse vera virtus. Docemur quanta sit sublimitas charitatis, necnon vis & efficacia ejus.* 3. *Ostenditur, charitatem consistere in actu & affectu. Affectualis charitatis præceptum in hac vita impleri nequit. De actuali charitate præceptum duntaxat datum est. Docemur triplicem esse affectionem, carnis, rationis, & sapientiæ. Item docemur, necessitate charitatis urgente postponenda esse spiritualia temporalibus.* 4. *Ostenditur, veram sapientiam illam esse, per quam unaquaque res sapit prout est: Deus homini, homo sibi, homini proximus, etiam inimicus. Docemur quomodo & quare inimicus diligendus sit. Proximus sic diligendus est à nobis, ut amoris causa semper sit Deus. Dilectio erga Deum tribus affectionibus excitatur. Triplex charitas exercenda est erga proximum. Afferuntur & alia motiva, propter quæ diligendus est proximus, etiamsi inimicus sit.*

§. I.

Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Cant. 2.

CElla vinaria (a) Ecclesia est, in qua est vinum Euangelicæ prædicationis. In hanc ergo cellam amica Sponsi, scilicet sancta anima introducitur, atque in ea charitas ordinatur: quia non sunt æqualiter omnia diligenda, sed differenter. Non debemus æqualiter omnia diligere, sed alia minùs, & alia magis. Nam scire quid facere debeamus, & nescire ordinem faciendi, perfecta scientia non est. Si non diligimus ea quæ diligere debemus, vel si diligamus ea quæ diligere non debemus, ordinatam charitatem non habemus. Et si plùs diligimus ea quæ minùs diligere debemus, vel si minùs diligimus ea quæ plùs diligere debemus, ordinatam charitatem non tenemus. Hæc est autem ordinata charitas, ut Deum ante omnia, & supra omnia diligamus. Deus diligendus est propter semetipsum, quia est summè bonus, & qui nos creavit ex nihilo. Charitas est dilectio, qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum. In *primo* loco diligitur Deus ante omnia, & super omnia. In *secundo* verò loco diligitur proximus in Deo, hoc est, in bono. Charitas habet duo mandata: *unum* pertinens ad dilectionem Dei, quod est maximū mandatum. *Alterum* verò pertinens ad dilectionem proximi, quod est simile huic, sicut scriptum est: *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut teipsum*. Ac si diceret: Ad hoc debes proximum tuum diligere, ad id quod diligis teipsum, scilicet ut bonus sit, & ut ad vitam æternam pervenire possit. Debemus etiam diligere propinquos nostros si boni sunt, & si Deo serviunt. Plùs debemus diligere extraneos, qui nobis sunt conjuncti vinculo charitatis Christi, quàm propinquos qui Deum non diligunt, nec Deo serviunt. Quare? Quia sanctior est copula cordium, quàm corporum. Ab hac denique charitate ordinata (b) omnis amor legitimus ordinem formamquè sortitur. Nec ordinata potest esse aliqua mentis affectio, nisi ab ea causam, & modum & ordinem sumat. De qua hac constantissia charitate Sapientia in libro suo nominis dicit: *Ab æterno ordinata sum*. Hæc ordinata à Deo ordinat Angelos in ministeriis suis. Hæc studia & exercitia justorum disponit in professionibus suis. Hac mediante *ordinata lex est per Angelos in manu Mediatoris*. Sine hac charitate amicitia inter homines ordinata esse non potest. Nam cùm Apostolus dicat: *Omnia secundùm ordinem fiant in vobis*: et iterum: *Omnia vestra in charitate fiant*: patet ea ordinem non habere, quæ in charitate non fiunt. Quemadmodùm ex multis diebus (c) annus efficitur: ita ex multis animabus cor unum & anima una charitatis igne conflatur. Et sicut annus multos dies complectitur: ita in singulis generibus hominum, multi nobis animorum junguntur unitione. Inprimis verò dilectio vera (d) naturali ordine ad domesticos nostri sanguinis derivetur. Quos diligere sicut ex natura necessariò tenemur: sic nimis inhumanum est, quòd à nostræ dilectionis sacrario repellantur. Nam teste Apostolo: *Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidei transgressor est, & est infideli deterior*. Hinc est, quòd hæc dilectio quæ ex natura proficiscitur, in mandatis quæ pertinent ad dilectionem proximi, primum locum sortitur, Deo præcipiente: *Honora*, inquit, *patrem tuum, & matrem tuam*. Hinc ad eos, qui nobis specialiter amicitiæ vel officii necessitudine copulantur, dilectio nostra progrediens, quodam sinu diffusiore laxatur. Verumtamen ista dilectio Pharisæorum justitiam non transcendit, quibus dictum est: *Diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Sanè & parentum & amicorum affectio quamvis servata, parum præmii consequatur: quippe cùm ad illam lex naturalis inducat, ad istam mutua obsequia nos provocent: utraque tamen si neglecta fuerit, cumulum damnationis importat. Veritas in Euangelio dicit: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Ut ergo in majorem amplitudinem dilectio nostra se porrigat, amplectatur & eos qui nobiscum Deo militant, & ejusdem vitæ professione nobis in vinculo pacis & spiritûs ritè cohærent. Deus equidem hujus dilectionis est causa efficiens, dum à capite in barbam Aaron, & usque in oram vestimenti unctio spiritualis emanat: ut qui ab uncto uncti à Christo Christiani vocantur, omnes in participium nominis Jesu communi vinculo charitatis invicem complectantur. Adhuc duo genera hominum restant,

a *Lib. de modo bene viven. cap. cap. 5. num. 12. & 13.*

b *Lib. 3. de amore Dei. cap. 9. num. 35. & 36.* c *Ibidem cap. 17. num. 59.* d *Ibidem. num. 60.*

ſtant, (e) quos in noſtræ dilectionis ſagenam concludamus. Eorum enim qui foris ſunt, Gentilium videlicet & Judæorum, Schiſmaticorum & Hæreticorum, neceſſe eſt ut ignorantiam doleamus: compatiamur & infirmitati, duritiam defleamus pio compaſſionis affectu, ſuccurrentes eis orationum ſuffragio, ut & ipſi in odore unguentorum noſtrorum currant in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Adhuc dilatat tentorium ſuum charitas, (f) & pallium, quod veteris legis tempore erat breve, ſic ampliat, ſic extendit, ut duos operire ſufficiat, dum inimicum ſuum animæ ſuæ nova Spiritus Sancti unione conglutinat. Hac dilectione filius Dei efficitur homo. Hac divinæ bonitatis imago pleniſſimè reparatur. *Diligite* (inquit Dominus) *inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt.* Hæc dilectio, dum inimicum ſimplici oculo intuetur, ſecuriſſimè dicere poteſt: *Dimitte nobis ſicut & nos dimittimus.* Ita dimittitur, qui dimittit: ſic filius Dei, ſic hæres Dei, & Chriſti cohæres efficitur. Charitas via eſt & vita virtutum: (g) ipſa eſt via eminentior, & illic iter quo oſtenditur ſalutare Dei. Unde Paulus Apoſtolus in prima Epiſtola ad Corinthios: *Adhuc viam,* inquit, *eminentiorem vobis demonſtro.* Et item: *Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Dei.* Præterea idem Apoſtolus, (h) enumeratis gradibus quibuſdam virtutum, de charitate protinùs addidit dicens: *Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Hæc eſt illa precioſa *margarita*, quam dum invenit ſponſa dilecti, *dedit omnia ſua & comparavit eam.* Hæc eſt illa *ſcala* quæ in ſomnis Jacob apparuit, quam uſque ad cælum tendi videbat, & per quam quidam deſcendebant. Per hanc enim & Angeli deſcendebant, & nos aſcendimus ad Angelos: quia ſine hac ſcala nullus ſcandere poteſt ad cæleſtia regna. Et in ipſo nixu ſcalæ ipſe Dominus Angelorum inventus eſt qui dicit: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Si inter nos dominabitur hæc regina virtutum, [i] profectò cognoſcent omnes puſilli & magni, quòd verè erimus diſcipuli Domini. Qui non habet charitatem, jam non eſt ejus qui dedit mandatum charitatis. Charitas eſt dilectio Dei & proximi. Et qui non diligit proximum, ſupereſt ut non diligat Deum. Et qui non diligit, odit. Qui autem odit fratrem ſuum, odit charitatis Auctorem. Nos ergo, Fratres, quos amor Chriſti congregavit in unum, *ex toto corde & ex tota mente diligamus Dominum Chriſtum, & proximum noſtrum tanquam noſipſos*: & pro illius amore non ſolùm amicos, ſed etiam inimicos diligamus, non tantùm diligentes, ſed etiam odientes. Hæc eſt ſchola Chriſti. Hæc eſt doctrina Spiritus Sancti. Si quis de hac ſchola exierit, & in hac doctrina non perſeveraverit, mihi credite, fratres, in æternum peribit. Proximos noſtros tunc diligimus *ſicut nos*, (k) ſi non propter aliquas utilitates noſtras, vel ſperanda beneficia vel accepta, vel propter affinitates vel conſanguinitates, ſed propter hoc tantùm quòd ſint noſtræ naturæ participes, diligamus. Proinde ſecundùm hoc nos omnes proximos diligamus, quantùm ad mores bonos, & ad vitam æternam conſequendam eorum ſaluti ſicut & noſtræ pro poſſe conſulendo, & eorum neceſſitatibus prout facultas ſuppetit, ſubveniendo. *Deum ex toto corde diligimus,* ſi illi ſoli ſecundùm noſtrũ poſſe placere contendimus: ſiquidẽ ipſe ſolus eſt deſiderium noſtrum, ſpes noſtra, intentio noſtra, totus amor noſter, tota charitas noſtra. Alioquin Deum non perfectè diligimus, nec charitatem tenemus. Et qui charitatem non habet, jam non eſt ejus, nec illum habebit in præmium ſui laboris, qui in hac ærumnoſa ſolitudine rectam ſemitam non tenuerit charitatis.

§. II.

Charitas eſt *oleum* quod omni liquori ſupernatat, (l) quod ſanat & illuminat, & quod omnem aſperitatem propria ſuavitate lætificat. Hoc oleo uncti Apoſtoli & Martyres ſuaviſſimam reputabant mortis amaritudinem & immenſam ſævitiam tormentorum. Chriſtus enim unctus à Deo præ participibus ſuis hoc oleo unxit ſuos, & exactoris jugum à facie olei computreſcere fecit. *Spiritus*, inquit, *Domini ſuper me, eò quòd unxerit me.* Charitas non ſolùm mortis & ſuppliciorum amaritudinem ſuavificat, ſed & ipſam mortem potentiſſimam morte mortificat. Nonne Chriſti charitas peremptoria erat mortis, cùm ipſe dux vitæ mortiſquè deſtructor comminaretur & diceret: *Ero mors tua, ô mors?* Imò fortior. Cùm enim mors vitam eripiat temporalem, nos ad vitam charitas introducit æternam. Illa nos à vita tranſitoria deiicit: hæc ad vitam & gloriam ſine fine manſuram reſtituit. Charitas eſt *porta ſpecioſa*, quæ in everſione Jeruſalem, portis aliis omninò deſtructis, integra & intacta permanſit. *Charitas enim nunquam excidit.* Hæc eſt *nubecula*, quæ ad preces Eliæ magnam excrevit in pluviam. Cùm enim aliquis Deum diligere *ex toto corde* incipit, ſtatim non ſolùm ad proximos, ſed etiam ad inimicos benevolentiæ ſtillicidia, & gratiæ fluenta diffundit. Nec mirum. Charitas enim eſt oleum viduæ, quod continuum ex diſtributione ſuſcepit incrementum. Charitas [m] eſt *radix omnium virtutum.* Sine charitate enim quodcunque facimus, nihil nobis prodeſt. Noſtrum ſtudium eſt vacuum, ſi non habemus charitatem: quia *Deus charitas eſt.* Ibi regnat cupiditas, carnalis, ubinõ eſt Dei charitas. Tunc homo eſt perfectus, quando eſt charitate plenus. Sine amore charitatis quamvis quiſque rectè credat, ad beatitudinem pervenire non poteſt. Tanta eſt etiam virtus charitatis, quæ ſi deſit, fruſtra habentur cæteræ virtutes: ſi adſit, rectè habentur omnia. Sola quidem eſt caſtitas, (n) quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore ſtatum quendam immortalitatis gloriæ repræſentat. Sola inter nuptiarum ſolemnia, morem beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubunt neque nubuntur: præbens quodammodò terris cæleſtis jam illius converſationis experientiam. Verùm (o) quantalibet venuſtate ſui caſtitas eminere appareat, ſine charitate tamen nec pretium

e *Ibidem. num.* 61. f *Ibidem num.* 62. g *Libr.* 3. *de amore Dei. cap.* 9. *num.* 36. h *Serm. in ult. Cæna. num.* 31. i *Ibidem. num.* 36. K *Ser.* 15. *in ult. Cæna num.* 112.

l *Lib.* 3. *de Amore Dei. cap.* 9. *num.* 37. m *Tract. de modo bene vivendi. cap.* 5. *num.* 14. n *Tract. de mor. & off. Episc. cap.* 3. *n.* 8. o *Ibidem num.* 9.

tium habet nec meritum. Nec mirum. Quod enim absque illa bonum suscipitur? *Fides*? Sed nec si montes transferat. *Scientia*? Sed ne illa quidem quæ linguâ loquitur Angelorum. *Martyrium*? *Nec si tradidero* (inquit Apostolus) *corpus meum ita ut ardeam*. Nec absque illa quodlibet bonum suscipitur, nec cum illa quamlibet exiguum respuitur. Castitas sine charitate, lampas est sine oleo. Subtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, castitas non placet. Linguæ Angelorum & hominum, [p] sustentatio pauperum, atque martyrium, sine charitate nihil sunt. Prophetia prædicit, scientia comprehendit, fides credit: sed nec prophetia, nec scientia, nec fides etiamsi montes transferat, quidquam sine charitate valebunt. Sine charitate nihil prodesse potest, cum charitate verò nihil obesse. Charitatis beneficia impendenti peccata non obsunt: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Charitas est lex vitæ, disciplina morum, pax conviventium, gloria concordium, criminum abolitio, legis plenitudo, Sacræ Scripturæ compendium, præceptorum Dei consummatio, virtutum Virtus, & bonorum impletio meritorum. Omnia mandata vitæ, omnia justitiæ opera referuntur ad charitatem. Ex hac suum sortiuntur effectum, operum commendatio, devotæ orationes: & ab ipsa tanquam fructus ab arbore, tanquam ramus à vite *pendet tota lex, & Prophetæ*. Sicut enim fructus suum à palmite recipit alimentum donec ad maturitatem perveniat: sic boni operis fructus, sic sancta devotio, sic omne quod piè agitur, à charitate suum recipit initium & progressum. Denique illud admiratione dignum est, [q] quia sine charitate nihil est virtus, & ipsa unicuique virtutum exhibet ut sit virtus. Fides autem, quæ hæc operatur ad vitam, in Dei visione jam non erit fides, sed veritas. Ibi enim absorbebitur fides, cùm id videbitur quod super omnia diligetur. Non opus erit credere, quod nobis licebit plena cognitione percipere. Non erit etiam decæterò spei locus: nam Deo fruentes, non habebimus quod speremus. Hîc temperantia pugnat contra libidines, prudentia contra errores, fortitudo contra adversitates, justitia contra iniquitates. Porrò in charitate perfecta est castitas: ideo non est ibi libido, cui temperantia repugnet. In charitate perfecta est scientia: ideoquè ibi nullus est error, quem prudentia eliminet. In charitate vera beatitudo est: ideoquè ibi nulla est adversitas, quam fortitudo expugnet. In charitate omnia sunt tranquilla & æquata: ideoquè nulla est ibi inæqualitas, quam justificari oporteat. Denique nec fides virtus est sine dilectione: nec spes virtus est, nisi quod speratur, ametur. Quid est temperantia, nisi amor, quem nulla voluptas illicit? Quid cæteræ virtutes, nisi amor, qui quod suum est, unicuique distribuit? Sicut charitas est verè mentis humanæ requies [r] perfectumquè sabbatum: sic & sex virtutes prædictæ, *Fides, spes, temperantia, prudentia, fortitudo, justitia*, sunt quasi quidam dies operationis; *charitas* verò quædam luminosa & luminosissima dies est quietis, tranquillitatis & pacis. Quamobrem æmulamini charismata meliora, [s] ut bonos vos probetis æmulatores. Charisma peroptimum *charitas* est. Planè incomparabile, quod novæ sponsæ cælestis Sponsus toties inculcare curabat, nunc quidem dicens: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinvicem*. Nunc verò: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem*. Et: *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem*. Itemquè orans unum eos fore, sicut ipse & Pater unum sunt. Et vide si non ipse Paulus, qui te ad charismata meliora invitat, inter cætera charitatem in summo ponit: sive cùm fide & spe dicit eam esse majorem, & supereminentem scientiæ: sive cùm enumeratis pluribus aut mirabilibus supernæ gratiæ donis, tandem ad superexcellentiorem viam nos mittit: haud aliam profectò illam quàm charitatem diffiniens. Denique quidnam huic comparendum putemus, quæ ipsi præfertur martyrio & fidei transferenti montes? Non ero lucerna ardens [t] nisi toto corde, tota mente, & ex omnibus viribus meis diligam Dominum Deum meum. Sola enim est charitas quæ accendit ad salutẽ: sola est quam infundit & inflammat Spiritus, quem extinguere prohibemur. *Fortis est ut mors*, [u] non patientia aut spes, sed *dilectio*: non timor aut ratio, sed Spiritus fortitudinis est. Dicit patientia, Sic oportet fieri: quia timore urgetur. Dicit voluntas bona, Sic expedit, & sic agendum est: quia spei attrahitur ratione. Charitas verò quæ inflammatur à Spiritu, dicit, Neque sic oportet, neque sic expedit: sed sic volo inquit, sic cupio, sic desidero vehementer. Uidetis quanta sit sublimitas charitatis, videtis quanta securitas, quantaquè suavitas charitatis? Felix anima, quæ ad hunc charitatis pervenerit statum.

§. III.

Ordinavit in me charitatem, ait sponsa. Cant. 2.

Est charitas in *actu*, [x] est & in *affectu*. Et de illa quidem quæ *operis* est, puto datam esse legem hominibus, mandatumquè formatum. Nam in *affectu* quis ita habeat ut mandatur? Ergo *illa* mandatur ad meritum, *ista* in præmium datur. Cujus initium quidem profectumquè vitam quoque præsentem experiri divinâ posse gratiâ non negamus: sed planè consummationem defendimus futuræ fælicitati. Ego enim puto, [y] non ante sanè perfectè impletum iri, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua*: quousque ipsum *cor* cogitare jam non cogatur de tempore, & *anima* eidem in hoc statu vivificando & sensificando intendere desinat, & *virtus* ejusdem relevata molestiis, in Dei potentia roboretur. Impossibile namque est tota hæc ex toto ad Deum colligere, & divino infigere vultui, quamdiu ea huic fragili & ærumnoso corpori intenta & distenta necesse est subservire. Quomodò ergo illa lex jubenda fuit, [z] quæ implenda nullo modo erat? Aut si placet tibi magis de *affectuali* charitate datum fuisse mandatum, non inde contendo, dummodò acquiescas & tu mihi, quòd minimè in vita ista ab aliquo hominum possit

vel

p *Lib. 3. de amore Dei. cap. 0. num. 38.* q *Ibidem cap. 8. num. 47.* r *Ibidem num. 48.* s *Ser. 29. in Cant. num. 3.*

t *Ser. in Nat. S. Joan. Bapt. num. 8.* u *Ser. 1. de S. Andr. n. 1.* x *Ser. 50. in Cant. num. 1.* y *Tract. de dilig. Deo cap. 10. n. 29.* z *Ser. 50. in Cant. num. 1.*

vel poterit adimpleri. Quis enim sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fatetur non comprehendisse? Nec latuit Præceptorem, præcepti pondus hominum excedere vires: sed judicavit utile ex hoc ipso suæ illos insufficientiæ admoneri, & ut scirent sanè ad quem justitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impossibilia, non prævaricatores homines fecit sed humiles, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Accipientes quippè mandatum, & sentientes defectum, clamabimus in cælum, & miserebitur nostri Deus: & sciemus in illa die, quia non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam saluos nos fecit. Atque hoc dixerim, [a] si quidem consenserimus *affectualem* legem fuisse mandatam? Sed *actuali* id potiùs conveniri inde vel maximè apparere videtur, quòd cùm dixisset Dominus, *Diligite inimicos vestros*, mox de operibus infert: *Benefacite his qui oderunt vos*. Item Scriptura dicit: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi*: & hìc de actu habes, non de affectu. Sed audi item Dominum etiam de sui dilectione mandantem: *Si diligitis me*, inquit, *sermones meos servate*. Atque hìc quoque ad opera mittimur per injunctam observantiam mandatorum. Supervacuè autem de opere monuisset, si in affectione jam fuisset dilectio. Sic te ergo necesse est & illud accipere, quod juberis diligere proximum tuum sicut teipsum, etsi non ita apertè expressum sit. An non denique satis tibi esse judices adimplendum istud de proximi dilectione mandatum, si id perfectè observes, in quo omni homini rectè de lege naturæ præscribitur: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*? Et item illud: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Neque hoc dico, (b) ut sine affectione simus, & corde arido solas moveamus manus ad opera. Legi inter alia quæ scribit Apostolus magna & gravia hominum mala, hoc quoque adnumeratum, scilicet, *sine affectione*. Sed est affectio quam *caro* gignit, & est quam *ratio* regit, & est quam condit *sapientia*. *Prima* est illa, quam Apostolus legi Dei dicit non esse subiectam, nec esse posse. *Secunda* est, quam perhibet è regione consentientem legi Dei, quoniam bona est: nec dubium distare inter se contentiosam & consentaneam. Longè verò *tertia* affectio ab utraque distat, quæ & gustat & sapit quoniam suavis est Dominus: primam eliminans, secundam remunerans. Nam prima quidem dulcis, sed turpis: secunda sicca, sed fortis: tertia pinguis & suavis est. Igitur per secundam affectionem opera fiunt, & in ipsa charitas sedet, non illa affectualis quæ sale sapientiæ condita pinguescens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini; sed quædam potiùs actualis, quæ etsi nondum dulci illo amore suaviter reficit mentem, amore tamen amoris ipsius vehementer accendit. *Non diligamus* (ait Joannes Apostolus) *verbo neque lingua, sed opere & veritate*. Uides quomodò cautè medius incedit inter vitiosum atque affectuosum amorem, ab utroque pariter hanc distinguens actualem & salutiferam charitatem? Nec linguæ mentientis in hac dilectione recipit fictum, nec rursùm afficientis exigit sapientiæ gustum. *Opere*, inquit, *diligamus & veritate*: quòd videlicet moveamur ab benè operandum magis quodam vividæ veritatis impulsu, quàm sapidæ illius charitatis affectu. *Ordinavit in me* (c) *charitatem*. Quam putas harum? Utramque, sed ordine opposito. Nam *actualis* inferiora præfert, *affectualis* superiora. Etenim in benè affecta mente non dubium [verbi causâ] quin dilectioni hominis dilectio Dei præponatur, & in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus, cælum terræ, æternitas tempori, anima carni. Attamen in benè ordinata actione sæpè aut etiam semper ordo oppositus invenitur. Nam & circa proximi curam & plùs urgemur, & pluries occupamur: & infirmioribus fratribus diligentiori sedulitate assistimus: & paci terræ magis quàm cæli gloriæ jure humanitatis & ipsa necessitate intendimus: & temporalium inquietudine curarum vix aliquid sentire de æternis permittimur: & languoribus nostri corporis, postpositâ animæ curâ, penè continuò inservimus: & ipsis denique infirmioribus membris nostris abundantiorem honorem juxta sententiam Apostoli circumdamus. Per hoc quodammodò facientes verbum Domini, de quo habes: *Erunt novissimi primi, & primi novissimi*. Orantem denique hominem cum Deo loqui quis dubitet? Quoties tamen inde charitate jubente abducimur & avellimur propter eos, qui nostrâ indigent operâ vel loquelâ? Quoties piè cedit negotiorum tumultibus pia quies? Quoties bonâ conscientiâ ponitur codex ut operi manuum insudetur? Ordo præposterus, sed necessitas non habet legem. Agit ergo suum *actualis charitas* ordinem juxta patrisfamilias jussionem, incipiens à novissimis. Pia certè & justa, quæ non sit acceptrix personarum, nec precia consideret rerum, sed hominum necessitates. At non ita *affectualis*, nam à primis ipsa ducit originem. Est enim sapientia (d) perquam utique quæque res sapiunt prout sunt: ut (verbi gratiâ) quæ pluris natura habet, pluris quoque ipsa affectio sentiat, minora minùs, minima minimè. Et illum quidem ordinem charitatis veritas facit, hunc autem veritatis ordinem charitas vendicat sibi. Nam & vera in hoc est charitas, ut qui indigent ampliùs, accipiant priùs: & rursùs in eo chara apparet veritas, si ordinem tenemus *affectu*, quem illa tenet *ratione*. Tu ergo *si diligas Dominum Deum tuum toto corde, totâ animâ, tota virtute tua*, & amorem amoris illum quo contenta est charitas *actualis*, affectu ferventiori transiliens, ipso cominùs divino amore (ad quem is est gradus) accepto, plenitudine spiritûs totus ignescas: sapit tibi profectò Deus, etsi non dignè omninò prout est, (quod utique impossibile est omni creaturæ) certè prout tuum sapere est. Deinde sapies etiam ipse tu tibi prout es, cùm te senseris nil habere prorsùs unde te amas, nisi inquantùm Dei es: quippè qui totum unde amas, in illum effuderis. Sapies, inquam, tibi prout es, cùm ipso experimento amoris tui & affectionis quam ad teipsum habebis, nihil dignum te esse invenies, quod vel à teipso ametur, nisi propter ipsum, sine quo ipse es nihil.

§. IV.

a Ibidem num. 2. b Ibidem num. 3. c Ibidem num. 4. d Ibidem num. 5.

§. IV.

Jam verò *proximus*, (e) quem verè te oportet diligere tanquam teipsum, ut tibi & ipse sapiat prout est: haud aliud profectò sapiet tibi, quàm tu tibi, qui hoc est quod tu. Est enim homo. Qui itaque te non diligis nisi quia diligis Deum, consequenter omnes qui similiter diligunt eum, diligis tanquam teipsum. Porrò inimicum hominem, quoniam nihil est pro eo quòd non diligit Deum, non potes quidem diligere tanquam teipsum, qui Deum diligis: diliges tamen ut diligat. Non est autem idipsum, diligere ut diligat, & diligere quia diligit. Proinde ut tibi & ipse sapiat prout est, sapiet tibi non quidem quod est, qui utique nihil est: sed quòd futurus forsitan est, quod est propè nihili: quippè quod adhuc pendet sub dubio. Etenim de quo constat quòd ad amorem Dei non sit deinceps rediturus: sapiat tibi necesse est non propè jam nihil, sed nihil ex toto, utpote quod in æternum nihili est. Illo igitur excepto qui nonmodò jam non diligendus, insuper & odio habendus est, secundùm illud: *Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam?* Decæterò nulli vel inimicissimo homini negari quatulumcunque affectum charitas sanè in hacparte ambitiosa permittit. Quis Sapiens & intelliget hæc? Da mihi hominem [f] qui ante omnia quidem *ex toto se diligat Deum*: se verò *& proximum* inquantùm diligunt ipsum, inimicum autem tanquam aliquando forsitan dilecturum: porrò *parentes* carnis suæ germaniùs propter naturam: spirituales verò *eruditores* suos profusiùs propter gratiam, atque in hunc modum ad cætera quæque Dei ordinato intendat amore, despiciens terram, suscipiens cælum, vtens hoc mundo tanquam non vtens; & inter vtenda & fruenda intimo quodam mentis sapore discernens, ut transitoria transitoriè, & ad id duntaxat quod opus & prout opus est curet, æterna desiderio amplectatur æterno. Talem, inquam, da mihi hominem, & ego audacter illum Sapientem pronuncio, cui nimirùm quæque res revera sapiunt prout sunt, & cui in veritate atque securitate competit gloriari & dicere: *Ordinauit in me charitatem*. Sed fortassè (g) dicit aliquis: De hac dilectione vacillo: & quomodò diligendus sit proximus, minùs perfectè intelligo? Mori quidem non possum pro fratre, sicut Christus Dominus voluit mori pro nostra salute? Ad quem ego dico: Si non potes æquè ambulare cum Christo, saltem à longè imitare vestigia ejus. Si non vales diligere proximum tuum plusquàm teipsum, quod Christus fecit moriendo pro salute generis humani: saltem dilige eum tanquam teipsum, hoc faciendo illi quod ab eo tibi vis fieri. Sed dices fortè: Nec hoc possum, cùm id non imperandi, sed consulendi modo dictum sit: *Mandatum nouum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*? Si hoc observare non potes, vide ne facias alteri, quod tibi non vis fieri. Sic enim diligendus est proximus, ut in illo semper diligatur Deus. Si sic diligis proximum, complesti mandatum: sic enim debet diligi proximus, ut amoris causa sit semper Deus, non autem proximus. Porrò (h) sicut ejusdem charitatis duo sunt præcepta, ita sunt & desideria gemina, quibus impleantur ipsa præcepta. Aliud enim est desiderium quo Deus propter seipsum, aliud quo proximus diligitur in Deo, vel propter Deum. In illo nullus modus præscribitur, sed *ex toto corde, tota anima, tota virtute* diligitur Deus: in hoc autem præscribitur tibi quidam modus cùm dicitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Et notandum est, quòd ad illud excitatur mens humana specialiter tribus affectionibus ac provehitur: vnde & Deum diligere toto *corde*, tota *anima*, tota *virtute* jubetur. *Prima* quidem affectio est dulcis, *secunda* prudens, *tertia* fortis. Erga charitatem quoque proximi exercemur tripliciter, vel ut ædificetur ipsa charitas ubi non est, vel certè ne pereat, vel minuatur ubi est. Quisquis autem hanc puro affectu erga proximum operatur, illam proculdubio charitatem quæ Deus est, vlteriùs promeretur. Denique (i) sicut munditiam intra nos, erga proximum innocentiam convenit observari: sic & in nobis opera virtutis, & erga proximum exercenda sunt opera pietatis. Non ergo simus nobis inutiles, ne in vano receperimus animas nostras: non simus inutiles proximo nostro, ne in vano ei juràsse probemur. Nouit figmentum nostrum Spiritus qui loquebatur per Prophetam, nec de vtilitate proximi simpliciter voluit commonere dicens: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui non acepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo*. De juramento nos convenit, ut agnoscamus debitum, ut promissam fidem irritam facere vereamur. Omnes enim proximis jurati sumus, cum quibus vtique in Ecclesiæ venimus vnitatem. Et hæc est professio Fidei Christianæ, [k] ut qui viuit, jam non sibi viuat, sed ei qui pro omnibus mortuus est. Nec mihi dicat quis: Ei viuam, sed tibi non: quando quidem ille non solùm pro omnibus vixit, sed & pro omnibus mortuus est. Quomodò enim ei viuit qui negligit sic ab eo dilectos? Quomodò ei vivit qui legem ejus non implet, qui mandatum ejus non servat? Quæris legem? quæris mandatum? *Hoc est* (inquit Dominus) *mandatum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Et Apostolus ait: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*. Noli ergo putare gratuitum bonum quod exhibes proximo, ut liceat etiam dissimulare si velis. Debitor es sacramenti cautione, & propria professione teneris. Dilige etiam inimicos tuos propter Deum, (l) sicut scriptum est: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*. Dilige autem eos, (m) siue propter Sacramenta Ecclesiæ, quæ indifferenter quidem cum bonis suscipiunt; siue propter fidei æquè communem confessionem; siue ob fidelium corporalem saltem societatem; seu etiam propter spem futuræ salutis, à qua omninò non sunt (quamdiu hìc viuunt) vel tales desperandi, quantumlibet viuunt desperati. Dictum est [n] quòd

e *Ibidem num.* 6. f *Ibidem num.* 7. g *Ser.* 5. *in. vlt. Cant. num.* 34.

h *Ser.* 96. *diuer. nu.* 5. & 6. i *Ser.* 33. *diuer. nu.* 5. k *Ibid. nu.* 6. l *Lib. de modo viuen. cap.* 13. *num.* 40. m *Ser.* 25. *in cant. num.* 2. n *Ser.* 44. *in cant. num.* 4.

quòd ex consideratione suiipsius cuique veniat mansuetum esse ad omnes, dum homo consilio Sapientissimi Pauli, ut piè condescendere sciat præoccupatis in peccato, considerat seipsum, ne & ipse tentetur. An non hinc denique amor proximi radicem trahit, de quo in lege mandatur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum?* Ex intimis sanè humanis affectibus primordia ducit sui ortus fraterna dilectio, & de insita homini ad seipsum naturali quadam dulcedine tanquam de humore terreno sumit proculdubio vegetationem & vim, per quam spirante quidem gratia desuper fructus parturit pietatis: ut quod sibi anima naturaliter appetit naturæ consorti, id est alteri homini jure quodam humanitatis, vbi poterit & oportuerit non existimet denegandum, sed spontè ac libens impertiatur. Inest vtique naturę humanæ si peccato nō obsolescat, istiusmodi gratæ & egregię quasi suavitatis liquor, ut molliorem magis ad compatiendum peccantibus, quàm ad indignandum asperiorem sese sentiat & exhibeat. O Sapientia, [o] quæ attingis à fine vsque adfinem fortiter in instituendis & condendis rebus, & disponis omnia suaviter in beandis & ordinandis affectibus: dirige actus nostros prout nostra temporalis necessitas poscit, & dispone affectus nostros prout tua veritas æterna requirit, ut possit vnusquisque nostrûm securè in te gloriari & dicere: quia *ordinavit in me charitatem*. Tu es enim Dei Virtus & Dei Sapientia Christus sponsus Ecclesiæ Dominus noster super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT VII.

De diligendo Deo ob creationem nostram, & conservationem.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. *Deut.* 6. *Matt.* 22. *Luc.* 10.

1. *Ostenditur, beneficium creationis humanæ adeò magnum esse donum, ut magna res sit homo. Dignitas hominis creati ad imaginem & similitudinem Dei, inutilis est sine scientia: scientia verò sine virtute est noxia. Lege naturæ tenetur quisque homo diligere Deum super omnia. Infidelis non diligens Deum, inexcusabilis est. Præceptum dilectionis fortiùs obligat fideles novæ legis, quàm antiquæ.* 2. *Ostenditur, beneficium conservationis generis humani consistere in vsu creaturarum. Docemur, diligendum esse Deum ob innumera beneficia nobis collata, inter quæ sunt tria præcipua: Panis, Sol, & Aër. Tria in opere mundi sunt consideranda: quid sit, quomodò sit, & ad quid sit constitutus. Ex creaturis eliciendus est amor Dei.* 3. *Excitamur ad diligendum Deum, per quem sumus, vivimus, & sapimus. Docemur quomodo Deus sit diligendus secundùm tres animæ vires, intellectum, voluntatem, & memoriam. Ex quibus animæ viribus jubemur Deum diligere, ut diligamus eum toto corde, totâ animâ, tota mente. Dona & beneficia Dei nobis collata, meritò exigunt à nobis amorem Dei.*

o *Ser.* 50. *in Can. num.* 9.

§. 1.

Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Gen. 1.

Vide ô homo (a) quid tibi Deus erogavit, imò quod prærogavit & supererogavit. *Creavit* te *ad imaginem & similitudinem suam*. Ad *imaginem*, conferens tibi dona naturalia; ad *similitudinem*, largiens gratuita dona: ut mente excelleres, & omnia irrationalia ratione vinceres. Fecit te ut dictum est, ad imaginem suam & similitudinem Deus. Ad *imaginem*, ut haberes memoriam, intellectum, discretionem, & cætera naturalia dona: ad *similitudinem*, ut haberes innocentiam, justitiam, & alia gratuita dona. Fecit te Deus ad *imaginem* & cognitionem veritatis: ad *similitudinem* in amore virtutis. Vel certè factus es ad *imaginem* Dei, collatis tibi omnibus istis: ad *similitudinem* secundùm essentiam Deitatis factus es immortalis & indivisibilis. Denique agnosce ô homo dignitatem tuam, [b] agnosce gloriam conditionis humanæ. Est enim, tibi cum mundo corpus: sic enim decet eum qui constitutus est super vniversam hujus creaturæ corporeæ molem, aliqua ei similari ex parte. Sed est tibi etiam sublimius aliquid, nec omninò comparandus es cæteris creaturis. Compacta & confœderata sunt in te caro & anima: illa plasmata, hæc inspirata. Charitatem tibi coniunctio ista commendat: charitatem in hac ipsa conditionis propriæ pagina lege. Charitatem in ipso statim principio non solùm prædicat, sed ingerit tibi manus benignissima Creatoris. Parumne tibi videtur istud, (c) quia te facit? Cogita qualem te fecit. Nempè etiam secundùm *corpus* egregiam creaturam, sed secundùm *animam* magis, vtpotè imagine Creatoris insignem, rationis participem, capacem beatitudinis sempiternæ. Porrò secundùm ambo simul præ cæteris creaturis maximè admirandum, cohærentem sibi incomprehensibili artificio, investigabili sapientia Conditoris. Præterea (d) quærat homo eminentiora bona sua in ea parte sui, qua præeminet sibi, hoc est, in anima: quæ sunt dignitas, scientia, virtus. *Dignitatem* in homine liberum arbitrium dico: in quo ei nimirùm datum est cæteris non solùm præeminere, sed & prę-sidere animantibus. *Scientiam* verò dico, qua eandem in se dignitatem agnoscit, non à se tamen. Porrò *virtutem* dico, qua subinde ipsum à quo est, & inquirat non segniter, & teneat fortiter cùm invenerit. Itaque (e) geminum vnum quodque trium horum apparet. *Dignitatem* siquidem demonstrat humanam non solùm naturæ prærogativa, sed & potentia dominûs: quòd terror hominis super cuncta animantia terræ imminere decernitur. *Scientia* quoque duplex erit, si hanc ipsam dignitatem, vel aliud quodque bonum in nobis, & nobis esse, & à nobis non esse noverimus. Porrò *Virtus* & ipsa æquè bifaria cognoscetur, si Auctorem consequenter inquirimus, inventoquè inseparabiliter inhæremus per amorem. Dignitas ergo sine scientia non prodest: illa verò

a *Tract. de* 3. *præcip. myst. cap.* 1. *nu.* 3. & 4. b *Ser.* 2. *in Nat. Domini nu.* 1. & 2. c *Ser.* 14. *sup. Psal.* 90. *num.* 1. d *Tract. de diligen. Deo cap.* 2. *num.* 2. e *Ibidem num.* 3.

etiam obest, si virtus defuerit: quod utrumque ratio declarat subjecta. Habere enim quod habere te nescias, quam gloriam habet? Porrò nosse quod habeas, sed quia à te non habeas ignorare, habet gloriam, sed non apud Deum. Apud se autem glorianti dicitur ab Apostolo: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Nō ait simpliciter, quid gloriaris, sed addit, *Quasi non acceperis*: ut adserat reprehensibilem non qui in habitis, sed qui tanquā in non acceptis gloriatur. Liquet igitur (f) & absque scientia dignitatē esse omninò inutilem, & scientiam absque virtute damnabilē. Verùm homo virtutis, cui nec damnosa scientia, nec infructuosa dignitas manet, clamat Deo & ingenuè confitetur: *Non nobis*, inquiens, *Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Hoc est: Nil nobis ô Domine de scientia, nihil nobis de dignitate tribuimus, sed tuo totum, à quo totum est, Nomini deputamus. Hîc autem demonstrare satagimus [g] eos quoque qui Christum nesciunt, satis per legem naturalem ex perceptis bonis corporis animæquè moveri, quatenùs Deum propter Deum & ipsi diligere debeant. Nam ut breviter ea, quæ jam super hoc dicta sunt, iterentur: Quis vel *infidelis* ignoret suo corpori non ab alio in hac mortali vita ministrari necessaria, (unde videlicet subsistat, unde videat, unde spiret) quàm ab illo *qui dat escam omni carni*? Quis item vel *impius* putet alium ejus quæ in anima splendet humanæ *dignitatis* Auctorem, præter illum ipsum qui in Genesi loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram?* Quis alium *scientiæ* largitorem existimet, nisi æquè ipsum qui docet hominem scientiam? Quis rursùm munus sibi aliunde *virtutis* aut putet datum aut speret dandum, quàm de manu itidem Domini virtutum? Meretur ergo amari propter seipsum Deus etiam ab infideli: qui etsi nesciat Christum, scit tamen seipsum. Proinde inexcusabilis est omnis etiam infidelis, si non diligit Dominum Deum suum *toto corde, tota anima, tota virtute sua*. Clamat nempè intùs ei innata & non ignota rationi justitia, quia ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Recognosce anima mea (h) quòd quandoque non eras, & à Deo facta es: nihil ei dedisti, ut te faceret. Nihil enim dare poteras, quæ non eras. Cùm autem melius esset esse quàm non esse, gratis tibi esse contulit, omnibus illis præferens, quæ de non esse ad esse poterat perducere, nec perduxit. Adjecit tibi speciem, & cum essentia de nihilo prodierat de gratia Creatoris. Ipse sua te imagine & similitudine insignivit, & adhibuit cum pulchritudine vitam. Unde tibi tanta & tā gratuita & tam inaudita dignatio, ut fieres ad imaginem & similitudinem ejus, nisi ut simile tuum diligeres, & ei qui te gratuita dilectione prævenit, dilectione mutua conformares? Quid retribuam Domino pro omnibus his? (i) Infidem ratio urget & justitia naturalis totum se tradere illi à quo se totum habet, & ex toto debere diligere. Mihi profectò fides tantò plùs indicit amandum, quantò & eum meipso pluris æstimandum intelligo: quippè qui illum non solùm mei, sed & sui quoque ipsius teneo largitorem. Denique nondum tempus fidei advenerat, nondum innotuerat in carne Deus, obierat in cruce: nondum, inquam, cōmendaverat nobis suam multam dilectionem illam, de qua jam multa locuti sumus, cùm jam mandatum est homini *diligere Dominum Deum suum toto corde, tota anima, tota virtute sua*: id est, ex omni quod *est*, quod *scit*, quod *potest*. Nec tamen est injustus Deus, suum sibi vindicans opus & dona. Ut quid enim non amaret opus artificē, cùm haberet unde id posset? Et cur non quantùm omninò posset, cùm nihil omninò nisi ejus munere posset? Ad hæc, quòd de nihilo, quòd gratis, quòd in hac dignitate conditum est; & debitum dilectionis manifestius facit, & exactum justiorem ostendit. Ei ergo, ô homo, (k) cor & medullarum tuarum interiora exhibe ad diligendum, qui te diligere dignatus est: nihil tamen in te reperiens diligendum. Ama signaculum tuum, & imaginem tuam: qui ut expressiùs in te forma tui Creatoris appareat, ei qui charitas est, te fide & charitate conforma, & in materiam gratiarū beneficia ejus jugi meditatione cogita. Tam magnum quippe est hoc donum creationis, [l] quàm magna res homo. Sed quàm gratuitum putas? Planum est, quia nihil ante promeruit, qui penitùs nihil fuit. An postea sperabatur gratiam retributurus Auctori? *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. Non igitur necessariam retributurus gratiam ei qui sic per omnia sibi sufficit, sed devotas relaturus gratias ei qui sic meruit, sperabatur. Quidni gratias agat? Si quis oculorum lumen, si quis usum aurium, si quis narium, si quis manuum, si quis tibi pedem præpeditum aliquomodò reparasse videretur, si quis sopitam quavis occasione excitâsset in te rationem: quis non alius tibi vehementissimè succenseret, si quando fortè beneficii hujus immemorem, aut Benefactori deprehendisset ingratum? Enimvero Dominus Deus tuus ipsa etiam tibi instrumenta largitus, ex nihilo fecit hæc omnia. Nec modò fecit, sed & compegit etiā & formavit, ac suo quoque illustravit officio. Quomodò non is omni jure sibi gtatias exigit ampliores?

§. II.

Dominus sollicitus est mei. Psal. 39.

Neque hoc quidem, licet maximo, fuit contentus munere, (m) qui dedit ut esses, qui ante non fueras; adjecit etiam unde subsisteres, qui jam eras. Nec minùs liberaliter hoc, quàm illud mirabiliter est operatus. *Faciamus* (inquit) *hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Quid verò postea? *Et præsit piscibus maris, & bestiis terræ, &c.* Nam & cælestia sese elementa in usus creasse tuos ante docuerat. Nempè facta memorantur, ut essent *in signa, & tempora, & dies & annos*. Cui putas? Nulli utique nisi tibi. Cæteræ siquidem omnes creaturæ aut in nullo egent his omnibus, aut non intelligunt ea. Diligenter attende, ô homo, [n] quòd tibi universitas mundi de mandato obsequitur, omnis natura tuis famulatur obsequiis. Cælum, aër, terra, mare, & omnia quæ in eis sunt, tuis pariter necessitatibus & oblectamentis inserviunt. Annua revolutio flores fructusquè arborum, & herbarū rediviva innovatione

f *Ibid. nu.5.* g *Ibid. nu.6.* h *Lib.3. de amore Dei cap.21. num. 71.* i *Tract. de diligen. Deo cap.5. num. 15.*

k *Lib.3. de amore Dei cap. 21. num. 72.* l *Ser. 14. super Psal. 90. num. 1.* m *Ibid. num. 2* n *Lib.3. de amore Dei cap. 21. num. 71.*

ne reformat, atque habentibus & repullulantibus naturis germinum antiquitatis, continua Dei munera tibi circuitus temporum subministrat. Deus quoque extendit cælum (o) sicut pellem. Pulcherrima pellis, quæ in modum magni cujusdam tentorii universam operiens faciem terræ, Solis & Lunæ atque stellarum varietate tam spectabili humanas oblectat aspectus. Omnis itaque creatura (p) propter te facta est: *Cælum*, ut esset tibi patria, & delecteris in aspectu pulchritudinis ejus: *Terra*, ut delectabiles & pulcherrimos ferret tibi fructus: *Solem* & *Lunam* & cætera sydera tibi fecit lucentia: *dominium* dedit tibi super volucres cæli & bestias agri, & super pisces maris, ut omnibus his ad libitum tuum dominareris. Quibus hæc palàm sunt, [q] palàm arbitror esse, & cur Deus diligendus sit: hoc est, unde diligi meruerit. Quod si infidelibus hæc latent, Deo tamen in promptu est ingratos confundere super innumeris beneficiis suis, humano nimirùm & usui præstitis, & sensui manifestis. Nempè quis alius administrat cibum omni vescenti, cernenti lucem, spiranti flatum? Sed stultum est velle modò enumerare ea, quæ innumera esse non longè ante præfatus sum: satis est ad exemplum præcipua protulisse, *Panem*, *Solem*, & *Aërem*. Præcipua dico, non quia excellentiora, sed quia necessariora sunt, quippè corporis. O quàm copiosus in secundo hoc beneficio, (r) quàm liberalissimus fuit Deus! Quanta enim largitus est ad sustentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ex hoc jam ad correptionem, quanta etiam ad delectationem. Verùm hæc duo beneficia gratis, & dupliciter gratis fecit. Quid dico dupliciter gratis? Sine merito tuo, sine labore suo. Nempè *dixit, & facta sunt*. An idcirco minùs devotus, minùs obnoxius, minùs gratus es, quòd hæc quidem sicut pro nihilo, ita & de nihilo fecit? Perversi cordis est occasiones ingratitudinis vestigare. Nemo id facit nisi qui etiam gratis esset ingratus. Puto enim neutrũ tibi propterea minùs utile, quàm quod præstanti minimè difficile fuit. Alioquin si fortè quod ei laboriosum, tibi magis commodum ducis, ex teipso tibi judicium hoc: nec te alibi illud putem quàm apud te didicisse. Sic præstares libentiùs ipse fratri tuo absque incommodo tuo. Verùm etsi gratis præstare velles, nolles tamen ut hanc tibi ille prætenderet ingratitudinis causam. Denique tria in magno hujus mundi opere cogitare debes, (s) videlicet quid sit, quomodo sit, & ad quid sit constitutus. Et in *esse* quidem rerum inæstimabilis *potentia* commendatur: quòd tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. Sanè in *modo* ipsa *sapientia* singularis elucet: quòd hæc quidem sursùm, hæc verò deorsùm, hæc in medio ordinatissimè sint locata. Si verò *ad quid* factus sit mediteris, occurrit tam utilis *benignitas*, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè utilia sunt creata. Verumtamen & fuisse novimus ab initio, & adhuc multos esse videmus in filis hominum, qui in bonis inferioribus sensibilis mundi hujus tota sensualitate depressi, totos se dederunt his quæ facta sunt, quonã modo autem vel ad quid facta sint negligentes. Quid istos nisi carnales dicamus? Paucissimos esse jam arbitror: legimus tamen nonnullos quandoque fuisse, quibus summum studium fuit atque unica sollicitudo, modum & ordinem investigare factorum, adeo ut plerique nonmodò utilitatem rerum perquirere dissimulaverint, sed & ipsas magnanimiter spreverint, cibo parvissimo vilissimoque contenti. Ipsi quidem sese philosophos vocant, sed à nobis curiosi & vani rectiùs appellantur. Et ideo forsan de his, (t) qui cognoscentes Deum non tanquam Deum glorificaverunt, non legitur quòd Spiritu Sancto revelante cognoscerent: quia cùm cognoscerent, non amaverunt. Sic quippe habes: *Deus enim illis revelavit.* Nec enim adjunctũ est per Spiritum suũ, ne sibi sponsæ (*Ecclesiam dico*) osculum mentes impiæ usurparent, quæcõtentæ eâ quæ inflat, eam quæ ædificat nescierunt. Denique ipse Apostolus dicat per quid cognoverunt. *Per ea*, inquit, *quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Unde & constat quia nec perfectè cognoverunt Deum, quem minimè dilexerunt. Utrisquè igitur successerunt Viri prudentiores utrisque, (u) qui nimirùm & quæ facta sunt, & quomodo facta sunt transilientes, intenderunt aciem mentis, ut ad quid facta sunt viderent. Nec latuit eos quoniam *omnia propter seipsum fecit Deus, omnia propter suos electos*. Aliter tamen propter se, aliter propter suos. In eo quippe quod dicitur, *omnia propter se*, præveniens commendatur origo: in eo autem quod dicitur, *omnia propter suos*, magis exprimitur fructus sequens. Omnia fecit *propter semetipsum*, gratuita videlicet bonitate: omnia *propter electos suos* pro eorum scilicet utilitate; ut illa quidem efficiens causa sit, hæc finis. Hi sunt spirituales Viri, sic utentes hoc mundo tanquam non utentes, sed in simplicitate cordis sui quærentes Deum, ne illud quidem magnopere vestigantes, quonam modo mundialis hæc machina volveretur. Proinde totum quod es, (x) illi debes, à quo totum habes. Illi præcipuè Domino qui & te fecit, & benefecit tibi: qui tibi ministrat syderum cursus, aëris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis viribus serviendum est: ne fortè indignationis oculo te respiciat, & despiciat, & conterat in æternum & in sæculum sæculi. Hæc duo beneficia [y] non recedant à corde tuo, non ab ore, non à memoria, non ab affectione. Hæc cogita semper, in his jugiter delectare. His velut quibusdam stimulis urgens sollicita animam tuam, his facibus eam inflammare curato ad redamandum eum, qui tam multipliciter suum tibi erga te commendat amorem. Ipsi enim nos & amorem debemus, (z) & subiectionem cum omni reverentia & humilitate. *Amorem*, quia fecit nos, & benefecit nobis: *subiectionem*, quia super nos est, & hoc præcipit nobis, terribilis in consiliis super filios hominum. Denique qua parte subripere possit illius oblivio, (a) qui præter illos incircumscripti luminis radios, præter illos rivos incorruptæ dulcedinis quibus ineffabiliter animam influit, in

o *Ser. 27. in Cant. nu. 2.* p *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 1. n. 4.* q *Tract. de dilig. Deo cap. 2. nu. 2.* r *Ser. 14. super Psal. 90. num. 2.* s *Ser. 3. in die Pent. num. 3.*

t *Ser. 8. in Cant. nu. 4.* u *Ser. 3. in die Pent. nu. 4.* x *Ser 22. diuer. num. 9.* y *Ser. 14. super Psal. 90. num. 3.* z *Ser. 16. diuer. num. 4.* a *Lib. 3. de amore Dei cap. 3. num. 17.*

rebus etiam visibilibus amanti se exhibere non cessat? Integer quippe amator Dei quocunque se vertit, familiarem secum habet admonitionem amoris. Rebus his pro speculis utitur, & in omne quod cernit, sui amoris resultat memoria: aspicit cuncta, & eum qui condidit, & quo condiderit fine. In his non tam admirabilem, quàm amabilem sibi sentit: atque ex arrha dilectionis, quam præcontulit, sapienter æstimat quanta reservavit in dotem. Castus profectò columbinusquè oculus amor est, qui in rebus usui humano concessis nulla libidine figitur, sed in transitoriis contemplatur æternum.

§. III.

Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Joan. 15.

De dilectione Dei quò plùs bibo,(b) plùs sitio: & in ea saturari non possum, nec ego nec aliquis perfectè diligens Christum Deū. Ipsa quò plùs editur, plùs famem exauget: & quantò plùs ipsa bibitur, plùs sitim incendit. Ipsam quam inhabitat mentem sic inebriat, ut nil jam quærat vel diligat, nec diligere possit nec valeat præter eum, qui sic mundum dilexit, ut Filium suum Vnigenitum daret: ut omnis qui credit & diligit illum, non moriatur, sed vivat cum eo. Ad hanc nos dilectionem Auctor ipse inæstimabilis charitatis invitat, & in ea nos manere precatur & rogat. Ait enim: *Manete in dilectione mea.* Valdè omninò mihi amandus es, (c)per quem *sum, vivo, & sapio.* Si ingratus sum, & indignus. Dignus planè est morte, qui tibi Domine Iesu recusat vivere, & mortuus est: & qui tibi non sapit, desipit; & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Denique quid est homo, nisi quia tu innotuisti ei? Propter temetipsum Deus fecistis omnia; & qui esse vult sibi & non tibi, nihil esse incipit inter omnia. *Deum time, & mandata ejus observa: hoc est* (inquit Scriptura) *omnis homo*. Ergo si hoc est omnis homo, absque hoc nihil omnis homo. Inclina tibi Deus modicum id quod me dignatus es *esse*, atque de mea misera *vita* suscipe obsecro residuum annorum meorum: pro his verò annis quos viuendo perdidi (quia perditè vixi) cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Dies mei sicut umbra declinaverunt, & præterierunt sine fructu, impossibile est ut revocem; placeat ut recogitem tibi eos in amaritudine animæ meæ. Jam de *sapientia*, ante te omne desiderium meum, & propositum cordis mei: si qua esset in me, servarem ad te. Sed Deus tu scis insipientiam meam: nisi quod hoc ipsum fortasse sapere est, quòd & ego agnosco eam, & quidem ex munere tuo. Auge illud mihi minimè quidem ingrato pro munusculo, sed sollicito pro eo quod deest. Pro his ergo ita sum amans te quantùm possum. Oculi mei semper ad Dominum,(d) per quem *sum, vivo, & sapio*. O anima mea, (e)si vis amari à Deo, reforma in te imaginem suam, & amabit te: repara in te similitudinem suam, & desiderabit te. Consilio namque Sanctæ Trinitatis, ad imaginem & similitudinem suam creavit te Creator tuus, (quod nulli alteri ex creaturis donavit) ut tantò eum ardentiùs diligeres, quantò mirabiliùs ab eo te conditam intelligeres. Considera nobilitatem tuam, quoniam sicut Deus ubique est totus, omnia vivificans, omnia movens & gubernans: ita tu in corpore tuo ubique tota es, illud vivificans, movens & gubernans. Et sicut Deus est, vivit, & sapit: ita tu secundùm modum tuum, es, vivis, & sapis. Et sicut in Deo tres sunt personæ, Pater & Filius & Spiritus Sanctus: sic & tu habes tres vires, scilicet Intellectum, Memoriam & Voluntatem. Et sicut ex Patre generatur Filius, ex utroque procedit Spiritus Sanctus; ita ex intellectu generatur Voluntas, & ex his ambobus procedit Memoria. Et sicut Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus Sanctus: non tamen tres Dii, sed unus Deus, & tres personæ. Ita anima est intellectus, anima est voluntas, anima est memoria: non tamen tres animæ, sed una anima, & tres vires. Ex quibus animæ viribus quasi excellentioribus jubemur Deum diligere, ut *diligamus eum toto corde, totâ animâ, tota mente*: id est, toto intellectu, tota voluntate, & totâ memoriâ: hoc est, toto affectu, sine defectu, cum discretionis intuitu. Nec solus sufficit de Deo intellectus ad beatitudinem, nisi sit in amore ejus voluntas. Imò hæc duo non sufficiunt, nisi memoria addatur, quâ semper in mente intelligentis & volentis maneat Deus: ut sicut nullum potest esse momentum, quo homo non utatur vel fruatur Dei bonitate vel misericordiâ: ita nullum sit momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Porrò intellige dignitatem tuam nobilis creatura, (f) quoniam non solùm insignita es *Dei imagine*, verumetiam decorata es *similitudine*. Sicut enim Creator tuus, qui te ad similitudinem suam creavit, est charitas, bonus & justus, suavis & mitis, patiens & misericors: ita tu creata es, ut charitatem haberes, & esses munda & sancta, pulchra & decora, mitis & humilis. Quas virtutes quantò plùs in te habebis, tantò propinquior Deo eris, & majorem tui Creatoris geres similitudinem. Quid majus his tibi facere potuit, quàm ut ad similitudinem suam te conderet Factor tuus, & eisdem virtutum vestimentis te ornaret, quibus ipse ornatus est? Attende igitur diligenter primæ conditionis tuæ excellentiam, & venerandam Sanctæ Trinitatis imaginem in teipsa agnosce; honoremquè similitudinis divinæ, ad quam creata es, habere stude nobilitate morum, exercitiò virtutum, dignitate præmiorum: ut quando apparebit qualis sit, tunc similis ei apparere possis. Similis enim similem quærit: & qualem te paraveris Deo, talis necesse est appareat tibi Deus. Si autem naturalem pulchritudinem tuam in te reparaveris, *concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Deus tuus*. Multiplicavit in te dona sua; (g) adiecit enim pulchritudini tuæ vivere, sentire, discernere: & in omnibus quæ munificentia ejus tibi contulit, accipit indigentia tua gratiam ejus, non exigentia tui meriti antecessit. Desponsavit te fide, foris ornavit te sensibus quasi quibusdam præfulgentibus gemmis. Te verò interiùs quasi naturali pulchritudine sapientiâ insignivit. Novit quis ornatus tibi competentior esset, ideoquè dedit

b *Ser. 2. in vit. Cant. nu. 102.* c *Ser. 20. in Cant. nu. 1.* d *Tract. de inter. domo cap. 37. nu. 83.* e *Ibidem cap. 38. num. 84.*

f *Ibidem cap. 39. num. 85.* g *Lib. 3. de amore Dei cap. 21. nu. [illegible]*

dedit, quod te decuit; & intantùm, ut etiam propter hoc ipse te diligeret, qui hoc dedit. Sanè insana es si eum mediocriter amas, qui te tanto amore prævenit, qui tanta & tam preciosa largiens, majora etiam diligenti se pollicetur, quæ *nec oculus vidit, nec auris audivit*; quorum æstimatio *in cor hominis non ascendit*. Ex ejus munere pensare teneris quantùm sit diligendus, qui tantum diligit, ut nontantùm temerarium, sed etiam nefarium debeas reputare non solùm diligentem non diligere: sed tanti, tam potentis, tam præcellentis amorem totis visceribus, totis interioribus præcordiis non amplecti. Omnium pulcherrimus est Sponsus *speciosus* factus *præ filiis hominum*. Ama Sponsum, ama *Regem in decore suo, Regem virtutum, plenum gratiæ & veritatis, coronatum gloriâ & honore, Dominum majestatis*. Concupivit Rex decorem tuum, (h) & munera quibus te ornare dignatus est, in tuum ejus amorem inclinaverunt affectum. Sic amat te in muneribus suis. Proinde (i) studeas illi placere modis omnibus, quibus potes, qui te talem faceredignatus est, ut placeres, ut teipsam agnosceras, & tui gratiam Creatoris in tuæ pulchritudinis inspectione probares. Porrò Christus ascendit in cælum, (k) ut nos proveheret ad palatia cæli: & sedet ad dexteram Patris collocans, coronans, lætificans illic quos proprio Sanguine redemit, quos glutino sibi charitatis asseruit secum in eadem dextera Patris. Ipsum igitur Christum, sine modo, ultra modum, absque meta, vltra metam, assiduè, continuè, *toto corde, tota mente, totis viribus, totis virtutibus diligamus*, veneremur & amemus: ut ad ipsum pervenire, & cum eo regnare valeamus, qui cum Patre & Sancto Spiritu vivit Deus benedictus omni tempore sæculi. Amen.

CAPUT. VIII.

De diligendo Deo ob Incarnationem suam & Passionem.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum vnigenitum daret. *Joan.* 3.

1. *Ostenditur, dilectionem Dei in Incarnatione ejus & Passione præcipuè eluxisse erga nos. Deus secundùm sua attributa, eaquè terribilia & inimitabilia olim sæpius apparebat, nunc autem maximè in Incarnatione sua apparuit per charitatem. Deus & amat, & est amor ipse: amori ejus majestas cedit. Quanta sit vis amoris divini erga hominè, & quanti Deus fecerit hominem, ipse ostendit in assumptione carnis nostræ.* 2. *Ostenditur multiplices esse causas, propter quas Deus voluit incarnari: inter quas præcipua assignatur, ut scilicet amaretur à nobis. Meditatio Incarnationis Dominicæ est maximum incentiuum amoris. Docemur quid sit diligere Deum toto corde. Amor mundi & amor Dei sunt sibi invicem contrarii.* 3. *Ostenditur, Deum plus esse amandum ob redemptionem nostram, quàm ob creationem. Triplex est modus dilectionis, qua Christus dilexit nos: dilexit dulciter, sapienter, fortiter. Precium redemptionis nostræ est Sanguis Christi, quem ex charitate septies effudit: in Circumcisione, in horto sudans Sanguinem, in vellicatione genarum, in coronatione, in flagellatione, in fossione manuum pedumque, & in lateris apertura.* 4. *Traditur nobis doctrina, ut diligamus Christum dulciter, prudenter, fortiter: id est, toto corde, totâ animâ, tota mente. Hæc trifaria dilectio declaratur exemplo discipulorum Christi. Assignatur disparitas affectionis eorum, qui intuitu patientiæ Christi compunguntur, & qui zelo justitiæ ducuntur. Explicatur triplex amor, carnalis, rationalis, & spiritualis.*

§. I.

VIde ô homo (a) quid Deus tibi erogavit, imò quod prærogavit & supererogavit. Creavit, cùm non esses: recreavit, cùm perditus esses. Creavit, ut esses particeps beatitudinis suæ: recreavit, ne post lapsum permaneres exsors patriæ, & exsors fælicitatis æternæ. Qui te illibatum & integrum creaverat, [b] tibi multiplicis gratiæ dona sponsalia contulerat: tu verò amatoribus alienis adhærens, dedisti Sponso tuo libellum repudii, tuam integritatem exposuisti corruptoribus, & illicitos amplexus affectans, divaricabas pedes tuos spiritibus immundis. Ipse verò tam excellens, tam admirabilis, tam potens, tam insignis, post lapsum tam damnabilem, oculo te respexit misericordiæ. Ipse ut te de luto fæditatis erigeret, de suæ gloria majestatis descendit; ut tuæ corruptionis ignominiam aboleret, pro te dura & ignominiosa sustinuit; & ut te liberaret à morte, damnatissimæ se morti obtulit. Nec expressiùs, nec fideliùs, nec benigniùs exhibere potuit, quanto te diligeret charitatis affectu. Recole deniq; [c] recole quòd Deus Dei Vnigenitus pro salute tua inclinavit cælos & descendit: & ut te de luto fæcis erueret, quodam artificio ineffabili, manendo quod erat, usq; ad livores & vulnera passionis se à sua majestate deposuit. Verbum Dei in sublimi constitutum [d] ut ad nos descederet, propria benignitas invitavit, misericordia traxit. Et verè in nullo sic commendat Deus charitatem suam, [e] quomodo in mysterio Incarnationis suæ & Passionis. In nullo sic revelatur ejus pietas, in nullo sic apparet ejus benignitas, quomodo in Humanitate, Apostolo teste qui ait: *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei*. Apparuerat ante potentia in rerum creatione, [f] apparebat sapientia in earum gubernatione: sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in Humanitate. Innotuerat Judæis potestas in signis atque portentis, unde & in lege sæpiùs invenies: *Ego Dominus, Ego Deus*. Philosophis quoque abundantibus in sensu suo majestas Dei innotuit, quoniam juxta Apostoli verba, *quod notum est Dei, manifestum est in illis*. Verumtamen & Judæi potestate ipsa premebantur, & Philosophi scrutatores Majestatis opprimebantur à gloria. Potestas subiectionem, Majestas exigit admirationem, neutra imitationem. Appareat Domine bonitas cui possit homo (qui ad ima-

h Ibidem num. 74 i Ibidem cap. 22. num. 75. k Ser. 12. in ult. Cena. num. 101.

a Tract. de 3. præcip. myst. cap. 1. num. 3. b Lib. 3. de amor Dei cap. 23. num. 80. c Ibidem cap. 24. num. 85. d Ser. 2. in die Pent. nu. 2. e Ser. 29. ditu. nu. 3. f Ser. 1. in Nat. Dom. nu. 2.

imaginem tuam creatus est, conformari:nam Majestatem,potestatem, sapientiã, nec imitari possumus, nec expedit æmulari. Dilatetm isericordia terminos suos, extendat funes, expandat sinus, attingat à fine usque ad finem fortiter, disponens omnia suaviter. Restrictus est Domine judicio sinus tuus, solue cingulum, & veni miserationibus affluens & superfluens charitate. Ecce pax non promissa,(g)sed missa: non dilata, sed data: non prophetata, sed præsentata. Ecce quasi saccum plenum misericordiâ suâ Deus Pater misit in terram: saccum, inquam, in passione concidendum, ut effundatur quod in eo latet precium nostrum. Saccum utique etsi paruum, sed plenum. *Paruulus* siquidem *datus est nobis*: sed in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis. Postquam enim venit plenitudo temporis, venit & plenitudo Divinitatis, Uenit in Carne, ut vel sic carnalibus exhiberetur: & apparente Humanitate benignitas agnosceretur. Ubi enim Dei innotescit Humanitas, jam benignitas latere non potest. In quo enim magis commendare poterat benignitatem suã, quàm suscipiendo carnem meam? Meam, inquam, non carnem Adam: id est, non qualem ille habuit ante culpam. Rex ille diues & prædives exinanitus est: (h) Excelsus humiliatus est: Immensus abbreviatus est: & ab Angelis minoratus est: verus denique Deus & Dei Filius incarnatus est. Sed quo fructu? Nempè ut omnes ejus *paupertate* locupletemur: ejus *humilitate* sublevemur: ejus *minoratione* magnificemur: ejus *Incarnatione* adhærentes Deo incipiamus unus esse spiritus cum eo. Denique amicus fit de Magistro: (i) nec enim amicos discipulos diceret si non essent. Vides amori cedere etiam Majestatem? Ita est, Fratres, neminem suspicit amor, sed nec despicit quidem. Omnes ex æquo intuetur, qui perfectè se amant, & in seipso celsos humilesquè contemperat; necmodò pares, sed unum eos facit. Tu Deum forsitan adhuc ab hac amoris regula excipi putas, sed qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Quid miraris hoc? Ipse factus est tanquam unus ex nobis. Minus dixi, non tanquam unus, sed unus. Parum est parem esse hominibus, Homo est. O suavitatem, (k) ô gratiam, ô amoris vim! Itane Summus omnium unus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor est. Quæ est ista vis, quæso, tam violenta ad victoriam, tam victa ad violentiam? Denique *semetipsum exinanivit*, ut scias amoris fuisse quòd plenitudo effusa est, quòd altitudo adæquata est, quòd singularitas associata est. Venit Verbum ad carnem, [l] Deus ad hominem, *Verbum caro factum est*, & Deus factus est Homo. Inclinavit se Verbum ad carnem, Deus ad hominem. O mira & inexhausta bonitas? [m] ô inaudita & inæstimabilis pietas! Quis unquam, Fratres mei charissimi, poterit explicare sermone, aut stylo exarare & graphio: quanta pietate Auctor pietatis redundet, quanta largitate bonitatis ipse Auctor exuberet? Mihi credite, Fratres: Si omnes homines niterentur & Angeli, fontis tantæ pietatis non possent haurire vobis etiam unam minimam guttam, habito respectu ad ipsam abundantiam divinæ pietatis. Hæc est, inquam, maximæ immensitas pietatis, ingens eminentia bonitatis, quòd Creator omnium Deus *seipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*: manens Deus in homine, ut homo maneret in Deo. Hoc quippe est [n] propter quod exinanivit se formam servi accipiens, qui in forma Dei Patris æqualis erat: sed exinanivit Majestate & Potentiâ, non bonitate & misericordiâ. Quid tantoperè declaret ejus misericordiam, [o] quàm quòd ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quàm quod Dei Verbum propter nos factum est fænum? Domine quid est homo quia reputas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Hîc attendat homo quanta sit cura ejus Deo: hinc sciat quid de eo cogitet, aut quid sentiat. Non interroges ô homo ea quæ pateris, sed quæ passus est ille. Quanti te fecit ex his qui pro te factus est, agnosce, ut appareat tibi benignitas ejus ex Humanitate. Quantò enim minorem se fecit in humanitate, tantò majorem se exibuit in bonitate: & quantò pro me vilior factus est, tantò mihi charior est. *Apparuit* (inquit Apostolus) *benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*. Magna planè & manifesta benignitas, Dei humanitas: & magnum benignitatis indicium declaravit, qui humanitati addere nomen Dei curavit.

§. II.

Denique videamus breviter quæ sequuntur. (p) Nam etsi materia quidem copiosa invenitur & ubertima valdè, sed angustia temporis tantam sermonis longitudinem non admittit. Considerantibus ergo *quis venerit*, magna omninò & ineffabilis Majestas innotuit. Suspicientibus *unde venerit*, grandis planè patuit via, secundùm Esaiæ testimonium, qui prophetico præventus spiritu: *Ecce*, inquit, *nomen Domini venit de longinquo*. Porrò *quò venerit* intuentibus, apparuit inæstimabilis dignatio & penitùs inexcogitabilis, quòd in carceris hujus horrorem tanta descendere dignata est Celsitudo. Jam quis dubitet magnum aliquid *in causa* fuisse, ut Majestas tanta de tam longuinquo, in locum tam indignum descendere dignaretur? Planè magnum aliquid, quia misericordia magna, quia miseratio multa, qui a charitas copiosa. *Ad quid* enim venisse credendus est? Hoc namque est, quod oporteat jam perscrutari. Nec fanè laborandum est in hac parte, cùm manifestè adventus ejus causam jam & verba ipsius & opera clament. Venit quippe ut *agnosceretur*, (q) qui non agnoscebatur. Venit ut *crederetur*, qui non credebatur. Venit ut *timeretur*, qui non timebatur. Uenit ut *amaretur*, qui non amabatur. Sic qui præsens erat essentialiter, venit misericorditer ut agnosceretur *humanitas* ejus: crederetur *Divinitas* ejus: timeretur *potestas* ejus: amaretur *benignitas* ejus. Proinde videns Deus homines omninò carnales effectos, (r) tantam eis dulcedinem exhibuit in Carne, ut durissimi-

g Ser. 1. in Epiph. Dom. nu. 2. h Ser. 3. in Annunt. B. M. nu. 8. i Ser. 50. in Cant. num. 2. & 2. K Ser. 64 in Cant. nu. 10. l Ser. 9. in ult. Cœna num. 45. m Ser. 11. in ult. Cœna nu. 84.

n Ser. 1. in Nat. Dom. num. 2. o Ser. 1. in Epiph. Dom. num. 2. p Ser. 1. de Adven. Dom. num. 6. 7. & 8. q Ser. in Adven. Dom. num. 1. tom. 6. pag. 600. r Ser. 29. divers. num. 2.

mi cordis sit quisquis eum toto affectu non diligat. Volens siquidem nobilem creaturam hominem recuperare: Si, inquit, invitum cogero, asinum habeo, non hominem, quoniam quidem non libens veniet nec spontaneus ut possit dicere: *Voluntariè sacrificabo tibi*. Numquid asinis dabo regnum meum? Numquid de bobus cura est Deo? Ut ergo habeam voluntarium, terrebo eum, si fortè convertatur & vivat. Et comminatus est acerbiora quæ excogitari possunt, tenebras æternas, vermes immortales, ignem inextinguibilem. Cùm autem nec sic homo revocaretur, ait: Non solùm timidus, sed etiam cupidus est. Promittam ei quod potissimùm desiderabile videatur. Desiderant homines aurum & argentum, & similia: & super hæc omnia vitam desiderant. Manifestum est hoc, & valdè manifestum. Si, inquit, tantoperè desiderant miserã hanc laboriosam vitam & momentaneam, quantùm diligent vitã quietam, æternam, beatam? Promisit itaque vitam æternam, promisit quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Videns autem Deus (s) quòd nihil proficeret: Vnum, inquit, restat adhuc. Inest homini nõ solùm timor & cupiditas, sed & *amor*, nec quidquã est eo vehementius ad trahendum. Venit igitur in Carne, & tam amabilem se exhibuit, ut illam nobis impenderet charitatem, qua majorem nemo habet, ut animam suam daret pro nobis. Et verè in nullo sic commendat Deus charitatem suam, quomodò in mysterio Incarnationis ejus & Passionis: in nullo sic revelatur ejus pietas, in nullo sic apparet benignitas, quomodo in humanitate, Apostolo teste qui ait: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*. Porrò [t] ego hanc arbitror præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quòd voluit in carne videri, & cum hominibus Homo conversari: ut carnalium videlicet (qui nisi carnaliter amare non poterant) cunctas primò ad suæ Carnis salutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem. Nonne in hoc gradu adhuc stabant qui ajebant: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te?* Solo profectò corporalis præsentiæ amore reliquerant omnia, adeo ut salutaris futuræ Passionis & mortis ne audire quidem verbum æquanimiter sustinerent, sed nec gloriam ascendentis postmodùm nisi cum gravi mærore suspicere. Hoc enim est quod eis Dominus dicebat: *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum*. Itaque in sola interim gratia præsentis suæ Carnis eos ab amore omnis carnis suspenderat. Monstrabat autem postea eis altiorem amoris gradum, cùm diceret: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*. Puto hunc gradum ascenderat jam qui dicebat: *Etsi cognovimus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus*. Fortassis & Jeremias Propheta [u] in hoc ipso gradu amoris stabat cùm diceret: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus*. Nam quod subjungit, *Sub umbra ejus vivemus inter gentes*: mihi videtur ex persona incipientium addidisse, ut quiescant saltem in umbra, qui Solis ferre ardorem minùs validos se sentiunt: & Carnis dulcedine nutriantur, dum necdum valent ea percipere quæ sunt Spiritûs Dei. Vmbram siquidem Christi, Carnem reor esse ipsius, de qua obumbratum est & Mariæ, ut ejus objectu fervor splendorquè Spiritûs illi temperaretur. In Carnis ergo devotione interim consoletur, qui viuificantem Spiritum necdum habet, eo dumtaxat modo quo habent illi qui aiunt: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus*. Et item: *Et si cognovimus Christũ secundùm carnem, sed nunc jam non novimus*. Nam aliàs quidem nequaquam sine Spiritu Sancto vel in Carne diligitur Christus, etsi non in illa plenitudine. Cujus tamen mensura devotionis hæc est, ut totum cor illa suavitas occupet, totum sibi ab amore vniversæ carnis ac carnalis illecebræ vendicet. Hoc quippe *toto corde diligere* est. Alioquin si carnis meæ quamlibet consanguinitatem, vel voluptatem fortè præfero Carni Domini mei: (per quod me videlicet minùs ea implere contigat, quæ in Carne manens verbo & exemplo me docuit:) nonne liquidò constat, quòd toto nequaquam diligo corde, cùm id divisum habens partem impendere videar Carni ejus, partem intorquere ad propriam? Ergo ut breviter dicam, *toto corde diligere*, est omne quod blanditur de carne propria vel aliena, Sacrosanctæ Carnis ejus amori postponere. In quo & mundi æquè gloriam comprehendo, quia gloria mundi gloria est carnis: & qui in ea delectantur, carnales esse non dubium est. Dicitur quoque mundus amator mundi, [x] sicut est illud: *Adhuc modicum & mundus me jam non videt*. De hoc solo mundo, imò de solis immundis, scilicet amatoribus mundi dicitur: *Mundus non videt Deum. Nam qui diligit mundum, non est charitas Patris in eo*. Valdè sibi aduersantur adinvicem amor mundi, & amor Dei. Si amor mundi habitat, non est quo intret amor Dei. Amor Dei hominem revocat à mundo, amor verò mundi hominem à Deo. Vnus deiicit, alius extollit: Vnus suum possessorem diicit ad infernum, alius sublevat & transmittit in cælum. Amor mundi totum mundum quærit, & nunquam satiatur: imò quò plus habet, eò plus cupit semper habere. Amor Dei vnum cupit semper habere solum, illo contentus est, nihil aliud jam possidere peroptat. Amor Dei nihil aliud quærit nisi solum *Deum*. Valdè nobilis est amor iste, quia omne pulchrum dedignatur amare, præter inviolatæ pulchritudinis florem illum qui dicit: *Ego flos campi, & lilium convallium.* Omnia quæ sunt, quæ Christi non sunt, non solùm quærit, sed etiam tanquam stercora putrida abdicat & subsannat: cuncta spernit, cuncta despicit, omnia sibi vilescunt, quia ei solus Christus dulcescit.

§. III.

Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. 1. Corinth. 16.

Diligendus es mihi Domine Jesu, (y) *toto corde, tota anima, tota virtute*. Valdè omninò (z) mihi aman-

s *Ibidem num.* 3. t *Ser. 20. in Cant. num.* 7. u *Ibidem nu.* 8.

x *Ser. 9. in ult. Cana num.* 57. y *Ser. de Pass. Dom. num.* 19. z *Ser. 20. in Cant. num.* 1.

amandus es per quem sum, vivo, & sapio. Sed est quod me plùs movet, (a) plùs vrget, plùs accendit. Super omnia inquam reddit amabilem te mihi *Jesu* bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omninò amorem nostrum facilè vendicat totum sibi. Hoc opus inquam est, quod nostram devotionem & blandiùs illicit, & justiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs. Multùm quippè laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis Auctor assumpsit. Illa denique dixit & facta sunt, mandavit & creata sunt. At verò hîc & in dictis suis sustinuit cotradictores, & in factis observatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Ecce qnomodò dilexit. Addo quòd hanc ipsam dilectionem non reddit, sed addidit. Nam quis prior dedit, & retribuetur ei? Sed ut Sanctus Joannes Evangelista ait: *Non quia nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos*. Dilexit autem *dulciter*, (b) *sapienter*, *fortiter*. *Dulce* nempe dixerim, quòd carnem induit: *cautum*, quòd culpam cavit: *forte*, quòd mortem sustinuit. Nam quos sanè in Carne visitavit, carnaliter tamen nequaquam amauit, sed in prudentia spiritûs. *Spiritus* quippè *ante faciem nostram Christus Dominus*, æmulans nos Dei æmulatione, non hominis, & certè saniori quàm primus Adam Euam suam. Itaque quos in Carne quæsiuit, dilexit in spiritu, redemet in virtute. Plenum prorsùs omni suavitatis dulcedine, videre Hominem hominis Conditorem. At dum naturam *prudenter* selegit à culpa, etiam *potenter* mortem propulit à natura. In carnis assumptione condescendit *mihi*: in culpæ vitatione consuluit *sibi*: in mortis susceptione satisfecit *Patri*: amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis. Carnis quidem assumpsit veritatem, sed peccati similitudinem: dulcem prorsùs in illa exhibens consolationem infirmo, & in hac prudenter abscondens laqueum deceptionis diabolo. Porrò ut Patri nos reconciliaret, mortem fortiter & subiit & subegit, fundens precium nostræ redemptionis Sanguinem suum. *Primam* Sanguinis effusionem (c) legimus in *circumcisione*. Quando enim nomē ejus vocatum est Jesus, jam tunc mysticè significando, quòd effusione Sanguinis sui futurus nobis esset verus Jesus, id est, Salvator. O quanta charitas! ô quanta commendatio chariattis! Vix natus est cæli gloria, cęli divitiæ, cæli deliciæ dulcis Jesus: & ecce recenti ortui crucis ignominia, crucis dolor, crucis paupertas copulatur; sed redemit miseriam crucis, imperii nomen verum. Benè ergo in prima effusione Sanguinis Agni purissimi aptatum est ei hoc nomen Jesus, eò quòd jam tunc pro salute nostra Sanguinem fundere inciperet, qui in completione salutis nostræ totus erat effundendus. *Secunda* Sanguinis effusio [d] invenitur in *sudore sanguineo* orantis & agonizantis benigni Jesu. Scisso enim corde interiùs, scissa est & exteriùs pellis nostri Salamonis: effusus est sudor sanguineus super terram: rubricata est rosa passionis & charitatis Christi rubicundi Jesu. *Tertia* Sanguinis effusio (e) fuit in *vellicatione genarum*, cuius testimonium habemus in Esaia Propheta ex persona ipsius Crucifixi, dicente: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus*. Quod quidam exponunt de laceratione maxillarum, facta cum vnguibus impiorum *Judæorum*: quidam autem de extractione barbæ Domini. Potest vtrumque fuisse verum. Credo non sine aliqua Sanguinis effusione id peractum esse. *Quartam* Sanguinis purissimi effusionem in *coronatione* invenire possumus, (f) quando corona spinea non tam leviter imposita fuit, sed valdè impressa capiti dulcissimo Capitis mei dulcis Jesu. Satis enim consentit veritati, ut qui oderant Veritatem, non solùm opprobrium illius sed etiam supplicium requirant. Nec hîc puto quidem rivos Sanguinis defuisse, qui à capite irrisoriè & invidè coronati defluerent in collum simul & in faciem dulcis Jesu: quia si noluissent coronato pœnam simul cum irrisionibus irrogare, faciliùs de aliis ramis vel virgultis arboris alicujus potuerant plexisse coronam. Sed ut morum suorum aculeos demonstrarent, nunc gloriâ & honore coronatum, tunc spinarum aculeis coronaverunt Agnum mitissimum dulcem Jesum. *Quinta* Sanguinis effusio [g] invenitur in crudeli *flagellatione* mansuetissimi Agni Jesu. O cum quanta quantitate putas illum Sanctissimum Sanguinem ex conscisso Corpore & flagellato distillâsse in terram? O quantâ putas sævitiâ impiorum frementium, quanto fremitu sævientium flagellum putas fuisse dulcem Jesum, qui venerat ut nos à flagellis liberaret æternis? *Sexta* effusio Sanguinis (h) copiosissimè invenitur in *fossione clavorum*. Quis enim de fossis, imò & de perfossis manibus pedibusquè innocentis Jesu copiam Sacrati Sanguinis dubitet effluxisse? In torrentibus hujus Sanguinis rosa nostra (*Jesus*) purpurata est: quia verè hîc ardentissima charitas, hîc rubicundissima passio invenitur. In hac magnitudine passionis magnitudo consideretur charitatis: ardorē rosę charitatis, ruborem considera passionis. Intuere (i) & respice rosam passionis sanguineæ, quomodo rubet in indicium ardentissimæ charitatis. Contendunt passio & charitas: illa ut plùs ardeat, ista ut plùs rubeat. Sed mirabiliter per ardorem charitatis fit passio rubea, quia si non diligeret, non pateretur: & in passionis rubore maxima etiam & incomparabilis ostenditur charitas. Uerè Domine Jesu nimis excesisti: [k] quia cùm sis splendor paternæ gloriæ, & figura substantiæ ejus, pati dignatus es tormentum abiectissimæ passionis. *Septima* effusio Sanguinis (l) invenitur in *lateris apertura*. Nec illa effusio caret rosâ, quamuis ipsa subrubea sit propter mixturam aquæ, quia sicut narrat Evangelista: *Cùm vnus militum lanceâ latus ejus perforâsset, exivit Sanguis & aqua*. Ipse est enim qui venit per aquam, & non per aquam solùm, sed per aquam & Sanguinem optimus Jesus Christus. Foderunt (m) & perfoderunt non solùm manus, sed & pedes: latus quoque & Sanctissimi Cordis intima furoris lanceâ perforaverunt, quod jam dudum amoris lanceâ fuerat vulneratum. *Vulnerasti* (inquit Sponsus in Canticis canticorum) *cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum*. Mortuum

a *Ibidem num.* 2. b *Ibidem num.* 7. c *Tract. de vite myst. cap.* 36. d *Ibidem cap.* 37. e *Ibidem cap.* 38.

f *Ibidem cap.* 39. g *Ibidem cap.* 40. h *Ibidem cap.* 41. *nu.* 147. i *Ibidem.* 41. *nu.* 148. k *Ser.* 14 *fer.* 2. *Paschæ. nu.* 8. *tom.* 9. *pag.* 720. l *Tract. de vite myst. cap.* 41. *num.* 149. m *Ibidem cap.* 3. *num.* 7.

tuum nempè cor Domini Jesu, quia ulneratum possedit vulnus amoris, possedit mors amoris Domini cor Sponsi Jesu. Ergo nisi amâsset dulciter, [n] non me in carcere requisisset illa Majestas. Sed junxit affectioni & sapientiam, qua tyrannum diabolum deciperet: junxit & patientiam, qua placaret offensum Deum Patrem. Hi sunt modi quos vobis præmisi in Christo, ut commendabiliores haberetis.

§. IV.

Disce, ô Christiane, à Christo, [o] quemadmodùm diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. *Dulciter*, ne illecti: *prudenter*, ne decepti: *fortiter*, ne oppressi ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloriâ seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his *Sapientia* Christus. Ne seducaris spiritu mendacii & erroris, lucescat tibi *Veritas* Christus. Ne adversitatibus fatigeris, confortet te *Virtus* Dei Christus. Zelum tuum inflammet *charitas*, informet *scientia*, firmet *constantia*. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus zelus tuus: nec teporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit. Et vide ne fortè tria ista tibi & in lege tradita fuerint, dicente Domino: *Diliges Dominum Deum totum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Mihi videtur (si alius competentior sensus in hac trina distinctione non occurrit) amor quidem *cordis* ad zelum quendam pertinere affectionis, *animæ* verò amor ad industriam seu judicium rationis, *virtutis* autem dilectio ad animi posse referri constantiam vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum tuum *toto* & pleno cordis *affectu*: dilige *totâ rationis vigilantiâ* & circumspectione: dilige & *tota virtute*, ut nec mori pro ejus amore pertimescas, sicut scriptum est in verbis consequentibus: *Quoniam fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Sit suavis & dulcis *affectui* tuo Dominus Jesus, (p) contra malè utique dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodùm clauum clauus expellit. Sed sit nihilominùs *intellectui tuo* præuia lux, & dux rationi, non solùm ob cavendas hæreticæ fraudis decipulas, & fidei puritatem ab eorum versutiis custodiendam; verumetiam ut cautus quoque sit nimiam & indiscretam vehementiam in tua conversatione vitare. Sit etiam *fortis* & constans *amor* tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus. Ergo amemus affectuosè, circumspectè, & validè: scientes amorem *cordis* quem affectuosum dicimus, absque eo qui dicitur *animæ*, dulcem quidem esse, sed seducibilem; istum verò absque illo qui *virtutis* est, rationabilem esse, sed fragilem. Et vide in manifestis exemplis hoc ita esse ut dicimus. Cùm ægrè ferrent Discipuli, quòd de ascensuri Magistri discessu ab eodem ipso audierant, audierunt: *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem.* Quid ergo? Non diligebant de cujus discessione dolebant? Sed diligebant quodammodò & non diligebant. Diligebant dulciter, sed minùs prudenter. Diligebant carnaliter, sed non rationabiliter. Denique diligebant *toto corde*, non autem *totâ animâ*. Dilectio eorum contra salutem eorum. Vnde & aiebat Dominus: *Expedit vobis ut ego vadam*: culpans consilium, non affectum. Loquenti item de morte sua futura, (q) obuiare sibi conantem Petrum, qui eum tenerè diligebat, cùm ita ut meministis increpando repressit, quid in eo aliud quàm imprudentiam reprehendit? Postremò quid est, *non sapis quæ Dei sunt*: nisi, non sapienter diligis, humanum sequens affectum, contra divinum consilium? Et vocauit *Satanam*, eò quòd Petrus saluti etsi nesciens adversaretur, qui Salvatorem mori prohiberet. Unde & correctus, repetentem postmodùm triste verbum minimè jam mori vetuit, sed se commoriturum esse promisit. Non autem implevit, quia necdum ad tertium pervenerat gradum, in quo *virtute tota* diligitur. Erat totâ animâ doctus diligere, sed adhuc infirmus. Benè instructus fuit, sed parùm adjutus; non ignarus mysterii fuit, sed martyrii pavidus. Non planè illa fortis ut mors dilectio tunc fuit, quæ morti succubuit. Fuit autem postea, cùm ex promissione Jesu Christi indutus *virtute* ex alto, tanta tandem cæpit *virtute* diligere, ut in concilio prohibitus prædicare Nomen Sanctum, constanter prohibentibus responderet: *Obedire oportet magis Deo quàm hominibus.* Tunc demùm *tota virtute* dilexit Petrus, cùm nec vitæ suæ pepercit pro dilectione. *Majorem* siquidem *charitatem nemo habet, quàm si animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quam etsi minimè tunc posuit, jam tamen exposuit. Ergo nō abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec iniuriis frangi: toto corde, totâ animâ, tota virtute diligere est. Licet verò donum (r) & magnum donum Spiritus Sancti sit erga carnem Christi devotio, id est, *cordis affectus*: carnalem tamen dixerim hunc amorem, illius utique amoris respectu, quo non tam Verbum caro jam sapit, quàm Verbum Sapientia, Verbum Veritas, Verbum sanctitas, pietas, virtus, & si quid aliud quod sit huiusmodi dici potest. Et hæc nempe omnia Christus, qui factus est nobis sapientia à Deo & justitia & sanctificatio & redemptio. An tibi æquè & vno modo affecti videntur, is quidem qui Christo passo piè compatitur, compungitur, & movetur facilè ad memoriam horum quæ pertulit; atque istius devotionis suavitate pascitur; & confortatur ad quæque salubria, honesta, pia? itemquè *ille* qui justitiæ zelo semper est accensus, qui veritatem vbique zelat, qui sapientiæ fervet studiis; cui amica est sanctitas vitæ, & morum disciplina; cujus mores erubescunt jactantiam, abhorrent detractionem, invidiam nesciunt, superbiam detestantur, omnem humanam gloriam nonsolùm fugiunt, sed & fastidiunt & contemnunt, omnem in se carnis & cordis impuritatem vehementissimè abominantur & persequuntur, omne denique tanquam naturaliter & malum respuunt, & quod bonum est amplectuntur? Nonne si compares vtriusque affectiones, constat quodammodò illum superiorem respectu quidem hujus amare quasi carnaliter? Bonus tamen est amor iste *carnalis*, per quem vita carnalis excluditur, contemnitur & vincitur mundus. Proficitur autem

Vuu iii

o Ibidem num. 4. p Ibidem num. 5.

q Ibidem num. 6. r Ibidem num. 9.

in eo, cùm sit & *rationalis* amor: perficitur verò, cùm efficitur etiam *spiritualis* amor. Porrò *rationalis* amor tunc est cùm in omnibus quæ oportet de Christo sentiri, fidei ratio ita firma tenetur, ut ab Ecclesiastici sensus puritate nulla verisimilitudine, nulla hæretica seu diabolica circumventione aliquatenùs devietur. Itemquè cùm in propria conversatione illa cautella servatur, ut discretionis meta nulla superstitione vel levitate, vel spiritus quasi ferventioris vehementiâ excedatur. Et hoc esse *tota anima* mea Deum diligere, jam supra diximus. Quod si etiam adjuuantis Spiritus vigor tantus accedat,[s] ut nulla vi laborum vel tormentorum, sed nec mortis metu justitia vnquam deseratur, in hoc etiam *tota virtute* diligitur Deus, & est amor *spiritualis*. Quod nimirùm nomen huic specialiter amori congruere puto, ob prærogatiuam vtique plenitudinis spiritus qua præcellit. In his autem quæ sequuntur, dignetur nobis aperire thesauros misericordiæ suæ ipse custos eorum Jesus Christus Dominus noster. Qui viuit & regnat cũ Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amẽ.

CAPUT IX.

De diligendo Deo ob suam præsentiam, quam nobis quotidiè exhibet in Sacramento Eucharistiæ, in pignus amoris sui.

Sciens Iesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. *Ioan.* 13.

1 *Ostenditur, Jesum Corpus suum & Sanguinem dedisse nobis in pignus amoris sui, & in arrham futuræ gloriæ. Docemur quanta sit disparitas Angeli beati, & hominis viatoris. Ille ex adipe frumenti saginatur: iste pascitur cortice Sacramenti. Fides comparatur umbræ: umbra Christi est caro ejus.* 2 *Ostenditur quanta sit distinctio Corporis Dominici ab aliis cibis. Sumentes alios cibos incorporamus eos corpori nostro: sumentes verò Corpus Dominicum, Domino incorporamur, imò toti in ipsum Deum transimus. Docemur quanta sit excellentia & fructus Sacramenti Eucharistiæ. Describuntur nuptiæ spirituales, in quibus Christus est Sponsus; Anima verò hominis sponsa est.* 3 *Ostenditur, Corpus Dominicum manducare nihil aliud esse, quàm imitari eam conversationem quàm gessit in Carne: & manere in eo per charitatem, sicut & ipse manet in anima sibi devota. Docemur quanta sit in illa anima latitudo charitatis; quæ divinam præsentiam digna invenitur suscipere, & sufficiens capere. Docemur quibusnam indiciis præsentia Dei inanima deprehendi valeat. Duo operatur in nobis Sacramentum Eucharistiæ. Primò quidem sensum minuit in minimis peccatis: secundò in gravioribus tollit consensum.* 4 *Agitur de vtilitate præsentiæ divinæ, quâ Christus iuxta promissionem suam dignatur exhibere piis animabus. Ostenditur Christus variare vultum suum pro variis animæ piæ desideriis, apparens illi in forma sponsi, medici, viatoris, & patrisfamilias.*

s Ibidem num. 10.

§. I.

Accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditquè discipulis suis, dicens: Accipite & manducate. Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur. Matt. 26. & Luc. 22.

Scaturire videntur hæc verba teneritudinem amoris, [a] & quasi mustum quod dirumpit novas lagunculas, de medullis procedere diligentis. O verba (b) nimis affectuosa! O verba pungitiva & penetrativa usque ad animam! Anima mea liquefacta est in sermone isto, [c] sed & spiritus meus in præcordiis meis æstuat, jucunditatem hanc & exultationem solito vobis desiderio eructare festinans. Suaviter rumino ista verba, (d) & replentur viscera mea, & interiora mea saginantur, & omnia ossa mea germinant laudem. Hoc semel contulit Vniversitati: hoc quotidie singuli in nobis actitari sentimus. Super omnia Caro Domini verè est cibus, & cibus vitæ, panis vivus qui de cælo descendit. De Sacramento Corporis & Sanguinis Christi, nemo est qui nesciat hanc tantam & tam singularem alimoniam ea primùm die exhibitam, ea die commendatam deinceps frequentari. Christus enim pridie quàm pateretur, [e] discipulis suis hujus Sacramenti formam præscripsit, efficaciam exibuit, id est fieri præcepit. Formæ præscriptio in pane & vino consistit. Notate ordinem. Cùm adhuc cænaretur, à cœna surrexit, discipulorum pedes Dominus universorum lavit: dehinc ad mensam regressus ordinat Sacrificium Corporis & Sanguinis sui, seorsùm panem, seorsùm tradens & vinum. De pane ita dicens: *Accipite & comedite: hoc est corpus meũ.* De vino autem sic: *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionum peccatorum.* Notate. Christus in cæna illa erat munerans & munus, cibans & cibus, conviva & convivium, offerens & oblatio. Hoc autem fecit, (f) ut amaretur. Ejus amor nostrum & præparat & remunerat. Præcedit benignior, rependitur justior, expectatur suavior. Dives est omnibus qui invocant eum, nec tamen habet quidquam seipso melius. Se dedit in meritum, se servat in præmium, se apponit in refectionem animarum sanctarum, se in redemptionem distrahit captivarum. O suavitatem, [g] ô amoris vim! Itane Summus omnium unus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Gratulare Sponsa Ecclesia, [h] gaude incomparabiliter: præsidentem habes & rectorem Sponsum in præsentis exilii militia. Pignus amoris habes, arrham tenes, quibus feliciter Sponso Jesu tuo uniaris in patria. Gloriosa & amabilis Sponsa, in terra Sponsum habes in Sacramento, in cælis habitura es sine velamento. Et hîc & ibi veritas: sed hîc palliata, ibi manifesta. Hîc utique Sponsum habet Ecclesia suo ordine, nondum puritatis Majestate, vel æternitatis securitate. Hîc revera quasi dulce præludium, & jucunda desponsatio fit:

ibi

a *Ser. in fer. 2. Pasch. num. 18. tom. 6. pag. 725.* b *Ser. de excell. Sacram. numer. 6. tom. 6. pag. 734.* c *Ser. 6. in vig. Nat. Dom. num. 1.* d *Ser. 16. in Cant. num. 2. & Ser. 3. in Dom. Palm. num. 4.* e *Ser. de excellen. Sacram. num. 4.* f *Tract. de diligen. Deo. cap. 7. num. 22.* g *Ser. 64. in Cant. num. 10.* h *Ser. de excell. Sacram. num. 7.*

ibi nuptiale convivium, & beata fiet conjunctio: cùm de fide ad speciem, de calore panum ad æternalis convivii calorem transibimus. Habeo & ego Verbum Sponsum, (i) sed in Carne; & mihi apponitur Veritas, sed in Sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo saturatur grano: me oportet interim quodam Sacramenti cortice esse contentum, Carnis furfure, literæ paleâ, velamine fidei. Et hæc talia sunt quæ gustata afferunt mortem, si non de primitiis spiritûs quantulumcunque accipiant condimentum. Prorsùs mors mihi in olla, nisi ex Prophetæ farinula dulcorentur. Denique absque spiritu & Sacramentum ad judicium sumitur, & Caro non prodest quidquam, & litera occidit, & fides mortua est. Sed spiritus est qui vivificat, ut vivam in eis. At quantâlibet sanè abundantiâ spiritûs pinguescant ista, non pari omninò jucunditate sumitur cortex Sacramenti & adeps frumenti, fides & spes memoria & præsentia, æternitas & tempus, vultus & speculum, imago Dei & forma servi. Nempè in omnibus his fides locuples mihi, intellectus pauper. Numquid verò par sapor intellectui fideiquè, cùm sit in meritum ista, ille in præmium? Ideo Sponsa ait: (k) *Sub umbra ejus quem desideraveram sedi*. Vmbra ejus, Caro ejus; vmbra ejus, fides. Mariæ abumbravit proprii Filii Caro, mihi Domini fides: quanquam & mihi quoque quomodò non obumbrat Caro, qui in mysterio manduco eam? Et Sancta nihilominus Virgo fidei & ipsa experta est umbram, cui dictum est: *Et beata quæ credidisti*. Et Propheta Jeremias, *Spiritus* (inquit) *ante faciem nostram Christus Dominus, in umbra ejus vivemus inter gentes*. In umbra cum gentibus, in luce cum Angelis. In umbra sumus quamdiu per fidem ambulamus, & non per speciem. Et ideo justus in umbra est, qui ex fide vivit. At qui vivit ex intellectu, beatus est: quia non in umbra jam est, sed in lumine. Iustus erat David, & ex fide vivebat cùm dicebat Deo: *Da mihi intellectum ut discam mandata tua, & vivam*: sciens successurum fidei intellectum, intellectui revelandum lumen vitæ, & lumini vitam. Priùs est venire ad umbram, & ita ad id cujus umbra est pertransire: quoniam *nisi credideritis* (ait Isaias) *non intelligetis*. Unde ego puto (l) id significatum apud Prophetam Jeremiam ubi ait: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, in umbra ejus vivemus inter gentes*: quod scilicet videamus nunc per speculum & in ænigmate, & necdum facie ad faciem. At istud sanè donec *vivimus inter gentes*. Nam *inter Angelos* aliter: quando jam indifferenti omninò felicitate cum ipsis videbimus eum & nos sicuti est, hoc est, in forma Dei, & non in umbra. Quomodo namque apud veteres quidem umbram figuramquè dicimus extitisse, nobis autem per gratiam Christi in Carne præsentis ipsam per se illucescere veritatem: ita nos quoque respectu futuri sæculi in quadam interim veritatis umbra vivere nemo negabit; nisi qui non acquiescit Apostolo dicenti: *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*. Et illud: *Non arbitror me comprehendisse*. Quomodo enim non est distinctio ejus qui per fidem ambulat, & illius qui per speciem? Ergo justus ex fide vivit, beatus exultat in specie. Et ideo sanctus homo vivit interim in umbra Christi, Sanctus Angelus in splendore vultûs gloriæ gloriatur. Est tamẽ bona fidei umbra, quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci. Scriptum est enim: *Fide mundans corda eorum*. Fides itaque lucem non extinguit, sed custodit. Quidquid sanè est illud quod videt Angelus, hoc mihi umbra fidei servat, fideli sinu repositum, in tempore revelandum. An non expedit tenere vel involutum quod nudum non capis? Denique & Mater Domini vivebat in umbra fidei, cui dictum est: *Et beata quæ credidisti*. Habuit & de Christi Corpore umbram, quæ audivit: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Nec enim vilis vmbra, quæ de virtute Altissimi formatur. Est verè virtus in Carne Christi, quæ Virgini obumbravit: ut quod impossibile erat mortali fœminæ, objectu tamen involucri vivifici Corporis ferret præsentiam Majestatis, & lucem sustineret inaccessibilem. Virtus planè in qua omnis contraria fortitudo debellata est: & virtus & umbra fugans dæmones, tutans homines: aut certè virtus vegetans, umbra refrigerans. Vivimus proinde in umbra Christi, (m) qui per fidem ambulamus, & Carne ipsius pascimur ut vivamus. Caro enim Christi verè est cibus. Et vide ne propterea etiam describatur hoc loco apparens tanquam in Schemate pastorali, ubi illum Sponsa quasi unum quempiam de pastoribus videtur alloqui dicens: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Bonus *pastor qui animam suam dat pro ovibus suis*. Animam pro illis, Carnem illis. Illam in precium, istam in cibum. Res mira. Ipse pastor, ipse pascua est, ipse redemptio. Denique (n) audiamus ipsum: *Non veni*, inquit, *ministrari, sed ministrare, & animam meam dare pro multis*. Bonus planè minister, qui Carnem suam in cibum, Sanguinem in potum, Animam ministravit in precium.

§. II.

***Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*. Joan. 6.**

Hæc est salubris distinctio Corporis Dominici ab aliis cibis: (o) quia cùm alios cibos sumimus, eos corpori nostro incorporamus: cùm verò Domini Corpus in escam suscipimus, si dignè agimus, Domino incorporamur, imò toti in Deum transimus: quia *qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo*. Potesne æstimare, [p] qualenam vel quantũ est hoc Sanctum sanctorum, & Sacramentum sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum? Hæc sunt verè festa Paschalia, hæc sunt gaudia & fercula vitalia justorum, hæc sunt spirituales deliciæ justorum & sanctorum. Hîc bibuntur in loco uberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cælestis. Hîc efficitur una caro sponsa cum Sponso, unus spiritus sancta anima cum Christo. Experientia horum & similium, spiritus & vita est. Omnes nos (b) ad has spirituales nuptias vocati sumus: in

i Ser. 33. in Cant. num. 3. k Ser. 48. in Cant. nu. 6. l Ser. 31. in Cant. num. 9. & 12.

m Ibidem num. 11. n Ser. 54. in Cant. num. 1. o Tract. de 3. præcip. myst. cap. 12. num. 35. p Ser. de excell. Sacram. num. 10. q Ser. 2. in Dom. 1. post Oct. Epiph. num. 2.

in quibus utique nuptiis Sponsus est Christus Dominus, unde canimus in Psalmo: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. Sponsa verò nosipsi sumus, si non vobis videtur incredibile, & omnes simul una sponsa, & Animæ singulorum quasi singulæ sponsæ. Sed quando hoc sentire poterit fragilitas nostra de Deo suo, quòd eo affectu se diligat, quo diligitur sponsa à sponso? Non me capio præ lætitia, (r) quòd illa Majestas tam familiari dulciquè consortio nostræ se inclinare infirmitati minimè dedignatur, & superna Deitas animæ exulanti inire connubia, eiquè Sponsi ardentissimo amore captæ exhibere affectum non despicit. Sic sic in cælo esse non ambigo, ut lego in terra: sentietquè pro certo anima quod continet pagina, nisi quòd non sufficit ista omninò exprimere quantum capere illa tunc poterit, sed nec quantum jam potest. Quid putas illic accipiet, quæ hîc tanta familiaritate donatur, ut Dei brachiis amplecti se sentiat? Quid demùm post amplexum (s) nisi osculum restat? Si sic adhærerem Deo, quomodò non jam clamare liberet: *Osculetur me osculo oris sui*? Quis hoc dicit? (t) Sponsa. Quænam ipsa? Anima sitiens Deum. Sed pono diversas affectiones, ut ea quæ propriè Sponsæ congruit affectio distinctiùs elucescat. *Si servus* est, timet à facie Domini. *Si mercenarius est*, sperat de manu Domini. Si *discipulus est*, aurem parat magistro: si *filius est*, honorat patrē. *Quæ* verò osculum postulat, amat. Excellit in naturæ donis affectio hæc amoris: præsertim cùm ad suum recurrit principium, quod est Deus. Nec sunt inventa æquè dulcia nomina, quibus Verbi Animæquè dulces adinuicem exprimerentur affectus, quemadmodùm Sponsus & Sponsa: quippe quibus omnia communia sunt, nil proprium, nil à se divisum habentibus. Una utriusque hæreditas, una domus, una mensa, unus thorus, una etiam caro. Si ergo amare specialiter sponsis principaliterquè convenit, (u) non immeritò *Sponsæ* nomine censetur Anima quæ amat. Amat autem quæ osculum petit. Non petit libertatem, non mercedem, non hæreditatem, non denique vel doctrinam, sed osculum. More planè castissimæ sponsæ ac sacrum spirantis amorem, nec omninò volentis flammam dissimulare quam patitur, Vide enim quale præripiat sermonis exordium. Magnum quid à Magno petitura, nullo tamen (ut assolet) utitur blanditiarum fuco, nullis circumvolutionibus ad id quod desiderat ambit: Non facit proœmium, non captat benevolentiam: sed ex abundantia cordis repentè prorumpens, nudè frontosèquè satis, *Osculetur me*, ait, *osculo oris sui*. An non tibi quasi dicere manifestè videtur: Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Amat profectò *castè*: quia ipsum quem amat, quærit: non aliud quidquam ipsius. Amat *sanctè*: quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritûs. Amat *ardenter*: quia ita proprio inebriatur amore, ut Majestatem non cogitet. Quid enim? Respicit terram, & facit eam tremere: & ista se ab eo postulat osculari? Ebriane est? Ebria prorsùs. Et fortè tunc cùm ad ista prorupit, exierat de cella vinaria, quò se nimirùm introductum postmodùm gloriatur. Nam & David de quibusdam dicebat Deo: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos Domine*. O quanta amoris vis! quanta in spiritu libertatis fiducia! Quid manifestius, quàm quòd perfecta charitas foras mittit timorem? Verecundè tamen non ad ipsum Sponsum sermonem dirigit, sed ad alios tanquam de absente, *Osculetur me*, inquiens, *osculo oris sui*. O amor præceps, (x) vehemens, flagrans, impetuose, qui præter te aliud cogitare non sinis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te, te contentus. Confundis ordines, dissimulas usum, modum ignoras, totum quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilii judiciiquè videtur, triomphas in temetipso, & redigis in captivitatem. En omne quod cogitat Sponsa & quod loquitur, te sonat, te redolet, & aliud nihil: ita tibi ipsius & cor vendicasti & linguam. Sic nempè flagrans ac vehemens amor præsertim divinus, (y) cùm se intra se cohibere non valet, non attendit quo ordine, qua lege, quavè serie seu paucitate verborum ebulliat, dummodò ex hoc nullum sui sentiat detrimentum. Interdùm nec verba requirit, interdùm nec voces omninò ullas, solis ad hoc contentus suspiriis. Inde est quòd Sponsa sancto amore flagrans, idquè incredibili modo, sanè pro captanda quantulacunque evaporatione ardoris immensi quem patitur, non considerat quid & qualiter eloquatur: sed quidquid in buccam venerit, amore urgente non enunciat, sed eructat. Magna res est amor, (z) sed sunt in eo gradus. Sponsa in summo stat. Amant enim & filii, sed de hæreditate cogitant: quam dùm verentur quoquomodò amittere, ipsum à quo expectatur hæreditas, plùs reverentur, minùs amant. Suspectus est mihi amor iste, cui aliud quid adipiscendi spes suffragari videtur. Infirmus est amor iste, qui fortè spe subtracta extinguitur, aut minuitur. Impurus est amor, qui & aliud cupit. Purus amor mercenarius non est. Purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit. Sponsæ hic est amor, quia hoc Sponsa est quæcunque est. Sponsæ res & spes unus est amor. Hoc amore Sponsa abundat, hoc contentus est Sponsus. Nec is aliud quærit, nec illa aliud habet. Hinc ille Sponsus, & Spōsa illa est. Is sponsis proprius est amor, quem alter nemo contingat, nec filius quidem. Denique ad filios clamat: *Ubi est honor meus?* & non, Ubi est amor meus dicit, servans sponsæ prærogativam. Sed & jubetur homo honorare patrem suum & matrem suam, & de amore tacetur: non quia non amandi sint parentes à filiis, sed quia multi filiorum honorare parentes magis quàm amare affecti sunt. Esto quòd honor Regis judicium diligat, sed Sponsi amor, imò Sponsus amor solam amoris vicem requirit & fidem. Liceat proinde redamare dilectam. Quidni amet sponsa, & sponsa amoris? Quidni ametur amor? Meritò cunctis renuncians affectionibus aliis, [a] soli & tota incumbit amori, quæ ipsi respondere amori habet in redhibendo amore. Nam & cùm se totam effuderit in amorem: quantùm est hoc ad illius fontis perenne profluvium? Non planè pari ubertate fluunt amans & Amor, anima & Verbum Deus, sponsa & Spon-

r Ser. 52. in Cant. num. 2. s Ser. in fer. 4. hebd. Sanctæ num. 14. t Ser. 7. in Cant. num. 2. u Ibidem num. 3. & 4.

x Ser. 79. in Cant. num. 1. y Ser. 67. in Cant. num. 3. z Ser. 83. in Cant. num. 5. a Ibidem num. 6.

Sponsus, Creator & creatura, non magis quàm sitiens & fons. Quid ergo? Peribitne propter hoc, & ex toto evacuabitur nupturæ votum, desiderium suspirantis, amantis ardor, præsumentis fiducia, quia non valet ex æquo currere cum Gigante, dulcedine cum Melle contendere, lenitate cum Agno, candore cum Lilio, claritate cum Sole, charitate cum eo qui Charitas est? Non. Nam etsi minùs diligit creatura, quoniam minor est: tamen si ex tota se diligit, nihil deest ubi totum est. Felix anima, quæ meruit præveniri in tantæ benedictione dulcedinis. Felix anima, cui tantæ suavitatis complexum experiri donatum est. Quod non est aliud quàm amor sanctus & castus, amor dulcis & suavis, amor tantæ serenitatis, quantæ sinceritatis, amor mutuus, intimus, validusquè, qui non in carne una, sed uno planè in spiritu duos jungat, duos faciat, imò non duos, sed unum, Paulo ita dicente: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est*.

§. III.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Joan. 6.

Quid est manducare Christi Carnem [b] & bibere Sanguinem, nisi communicare passionibus ejus, & eam conversationem imitari, quam gessit in Carne? Ideo quotidie nobis [c] de memoria Passionis in Ecclesia replicatur: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*. Hoc est: Qui recolit mortem meam, & exemplo meo mortificat membra sua quæ sunt supra terram, *habet vitam æternam*. Hoc est: Si compatimini, & conregnabitis. Porrò & hoc designat illibatum illud Altaris Sacramentum, [d] vbi Dominicum Corpus accipimus: ut sicut videtur illa panis forma in nos intrare, sic noverimus per eam quam in terris habuit conversationem, ipsum intrare in nos ad habitandum per fidem in cordibus nostris. Cùm enim *justitia* ingreditur, ille ingreditur qui factus est nobis à Deo Patre justitia. Sed & qui manet in *charitate*, in Deo manet, & Deus in eo. Felix artifex charitas; (e) quæ Conditori suo talem domum potens est fabricare! O quanta illi Animæ latitudo, (f) quanta & meritorum prærogatiua, quæ Divinam in se præsentiam & digna invenitur suscipere, & sufficiens capere! Quid illa cui & spatia suppetunt, & deambulatoria ad opus quidem Majestatis? Non est profectò intricata forensibus causis curisuè sæcularibus, nec certè ventri & luxuriæ dedita: sed nec est curiosa spectandi, seu cupida omninò dominandi, vel etiàm tumida dominatu. Oportet namque primò quidem his omnibus vacuam esse Animam, ut cælum fiat atque habitatio Dei. Alioquin quomodò poterit vacare & videre quoniam ipse est Deus? Deinde necesse est eam crescere & dilatari, ut sit capax Dei. Porrò latitudo ejus, dilectio ejus, sicut dicit Apostolus: *Dilatamini in charitate*. Nam etsi Anima minimè, cùm sit spiritus, quantitatem corpoream recipit, tamen confert illi gratia quod negatum est à natura. Crescit quidem & extenditur, sed spiritualiter. Crescit non in substantia, sed in virtute. Crescit & in gloria. Crescit etiam in templum sanctum in Domino. Crescit denique & proficit in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Ergo quantitas cujusque Animæ æstimetur de mensura charitatis quam habet, ut verbi gratiâ, quæ multum habet charitatis, magna sit: quæ parum, parua: quæ verò nihil, nihil, dicente Paulo: *Si charitatem non habuero, nihil sum*. O dulcissime Jesu, [g] quàm excelsus tu es, qui *excelsior cælo es*. Et tamen intantùm te humiliare dignatus es, quòd animas humiles in habitaculum tibi elegisti. Ergò *domum tuam decet sanctitudo*. Hujus tam gloriosi & tam dilecti hospitis possumus sic considerare vtilitatem. Ipse mentis quam inhabitat torpentia excitat: quia præco est. Inquieta frænat: quia Magister est. Frigida accendit: quia Ignis est. Accensa moderatur: quia vnguentum est. Emollit rigida: quia ratio est. Fluxa restringit: quia medicina est. Sed fortè quærat aliquis, [h] & dicat: Si deletum est in baptismo quod contraximus à parentibus, cur adhuc manet cupiditatis fomes, & velut incentiuum quoddam peccati? cur, licet inviti, illicitos quosdam motus concupiscentiarum, & tanquam bestiales sentimus? Dixi vobis sæpiùs nec mente excidere debet, quoniam in casu primi hominis Adam cecidimus omnes. Cecidimus autem super aceruum lapidum, & in lutum: unde non solùm inquinati, sed etiam vulnerati & graviter quassati sumus. Lavari quidem citò possumus, ad sanandum verò opus est curatione multa. Lavamur igitur in baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ: & gratia hæc nobis confertur, ne jam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus: atque ita tanquam sanies inveterati vlceris removetur, dum tollitur damnatio, & responsum mortis, quod priùs inde manabat. Sed quis poterit tum effetos motus frangere? quis pruritum vlceris hujus ferro queat? Confidite, quia & in hoc gratia subuenit: & ut securi sitis, Sacramenti Dominici Corporis & Sanguinis preciosi investituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis: ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omninò consensum. Si quis vestrûm non tam sæpèmodò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi; gratias agat Corpori & Sanguini Domini Jesu Christi, quoniã virtus Sacramẽti operatur in eo: & gaudeat quòd pessimum vlcus accedat ad sanitatem. Porrò [i] de fructu hujus Sacramẽti satiatus homo mediante Sapientia Dei non solùm reconciliatur, sed etiam sapiens efficitur. Sapit enim ei quod manducat, manducat & bibit Corpus & Sanguinem Redemptoris sui, manna cæleste, panem Angelorum, panem Sapientiæ: & manducans transformatur in naturam cibi, quem manducauit. Corpus enim Christi manducare nihil est aliud quàm Corpus Christi effici, & templum Spiritus Sancti. Itaque per charitatem homo in Deo, (k) & Deus in homine est, dicente Joanne: *Qui manet in charitate,*

in

b Ser. 9. *super Psal.* 90. *num.* 3. c *Tract. de dilig. Deo cap.* 4. *n.* 11. d *Ser.* 2. *super Psal.* 90. *num.* 3. e *Ser.* 9. *in ult. Cœna. n.* 52. f *Ser.* 27. *in Cant. num.* 10.

g *Lib.* 3. *de Amore Dei cap.* 34. *num.* 111. h *Ser.* 1. *in Cœna Domini num.* 3. i *Lib.* 2. *de Amore Dei cap.* 13. *num.* 38. k *Ser.* 71. *in Cant. num.* 8.

in Deo manet, & Deus in eo. Consensio quædam hæc est, ut sint duo in vno spiritu, jmò vnus spiritus sint. Et hæc vnio(l)ipsis est communio voluntatum, & consensus in charitate. Felix vnio si experiaris, nulla si comparaueris. Vox experti: *Mihi autem adhærere Deo bonum est*. Bonum planè, si omni ex parte adhæseris. Quis est qui perfectè adhæret Deo, nisi qui in Deo manens tanquam dilectus à Deo, Deum nihilominùs in se traxit vicissim diligendo? Ergo cùm vndique inhærent sibi homo & Deus, inhærent autem vndiq; intima mutuaquè dilectione inviscerati alterutrum sibi: per hoc Deum in homine, & hominem in Deo esse haud dubiè dixerim. Talis quoque conformitas maritat animâm Verbo Deo, (m) cùm cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominùs ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfectè diligit, nupsit. Quid hac conformitate jucundius? Quid optabilius charitate? qua fit ut humano magisterio non contenta, per temet, ô anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familialiter percuncteris consultesquè de omni re, quantùm intellectu capax, tantum audax desiderio. Verè spiritualis sanctiquè connubii contractus est iste. Parum dixi contractus, complexus est. Complexus planè, ubi idem velle & nolle idem, vnum facit spiritum de duobus. Nec verendum, ne disparitas personarum claudicare in aliquo faciat convenientiam voluntatum, quia amor reverentiam nescit. Ab amando quippè amor non ab honorando denominatur. Meritò iniquus arguitur ille, (n) qui Dei similitudinem vsurpavit sibi, cùm diligendo iniquitatem neque possit se diligere, neque Deum. Sic enim habes: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Facta autem *de* medio iniquitate, quæ eam quæ ex parte est dissimilitudinem facit, erit vnio spiritûs, erit mutua visio, mutuaquè dilectio. Siquidem veniente quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est, eritquè ad alterutrum casta & consummata dilectio, agnitio plena, visio manifesta, coniunctio firma, societas individua, similitudo perfecta. Ad hoc quoque (o) referri posse videbitur quod Deus promisit, dicens: *Et ostendam illi salutare meum*. Non jam in fide erudiam, non jam excercebo in spe, sed specie adimplebo. *Ostendam illi salutare meum*: ostendam illi Jesum meum, ut in æternum jam videat in quem credidit, quem dilexit, quem semper optauit. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis*. Ostende nobis salutare tuum, & sufficit nobis, Qui enim videt Jesum, videt & te: quia ipse in te, & tu in ipso es. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Itaque tunc dimittes seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace, cùm viderint oculi mei salutare tuum, Jesum tuum, Dominum meum. Ipse enim dans seipsum mihi in viaticum, (p) demuò in resurrectione justorum se dabit in præmium.

§. IV.

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi, dicit Dominus. Matt. 28.

Notandum est, (q) quòd sicut in illo beatitudinis regno præsentem se electis suis exhibet Dominus ad glorificationem: jta etiam se nobis exhibet in via peregrinationis ad iustificationem: vt à quo scilicet glorificandi sumus per speciem, ab ipso priùs justificemur per fidem. Iustus eum [r] in lætitia & exultatione reperit: qui verò nondum justus est, non nisi in jeiunio & fletu & planctu eum reperiet. Nimirùm quod ait Dominus, *Cum ipso sum in tribulatione*, ad eum pertinet qui per fidem ambulat, non autem qui ad faciem jam pervenit. Equidem vtrisque est Caput vnum Christus, sed non vno modo membris omnibus exhibetur. Quibusdam enim Caput gloriosum apparet, ut ab ipso glorificetur, & in ipso glorientur facta ei similia, quem vident sicuti est. Quibusdam verò ostenditur Caput hirsutum spinis, inclinatum in cruce, ut humilientur pariter & compungantur. Denique (s) loquitur Christus in Psalmo: *Infixus sum in limo profundi*. Limum quidem nos esse manifestum est, quoniam de limo plasmati sumus. Sed tunc quidem limus paradisi fuimus, nunc verò limus profundi. *Infixus sum*, inquit, non pertransii, nõ recessi. *Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*. Ipse est enim Emmanue, quod interpretatur, Nobiscum Deus. Nobiscum vtique, sed per *sinistram* manum. Noli fugere Adam, (t) quia nobiscũ Deus. Ne timeas ô homo, nec audito Dei nomine terrearis, quia nobiscum Deus: nobiscum carnis similitudine, nobiscum vnitate. Itaque jam quidem tenemus sinistram manum, (u) sed adhuc clamare necesse est: *Operi manuum tuarum porriges dexteram*: nam *delectationis in dextera tua vsque in finem*. Domine ostende nobis dexteram, & sufficit nobis. Quandò adimplebis me Domine [x] lætitiâ cum vultu tuo? Gaudemus in te, quoniam visitasti nos oriens ex alto: iterùm gaudemus expectantes beatam spem in adventu secundo. Sed quando veniet plenitudo lætitiæ non de memoria, sed de præsentia: de exhibitione, non de expectatione? *Modestia vestra* (ait Apostolus) *nota sit omnibus hominibus*: *Dominus propè est*. Id quod sequitur, *Dominus propè* est, de *dextera* debet intelligi. Nam de *sinistra* ipse loquitur: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*. Propè est Dominus, Fratres mei, nihil solliciti sitis: in proximo est & citiùs apparebit. Nolite deficere, nolite lassari: quærite eum dum inveniri potest, invocate eum dum propè est. Propè est Dominus his qui tribulato sunt corde: propè est expectantibus eum in veritate. O quàm fidelis promissor, [y] quàm verax exhibitor, quàm munificus largitor! Dixisti Domine Jesu: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationẽ sæculi*. Hæc verè dixisti. *Propè est verbum* (ait Scriptura) *in ore tuo, & in corde tuo*. Verbum quod in principio erat apud Deum, in fine sæculorum dignatur esse Hominem. Hoc Verbum est in ore, est in corde. Quid

l *Ibidem nu. 11.* m *Ser. 83. in Cant. num. 2.* n *Ser. 82. in Cant. n. 8.* o *Ser. 17. super Psal. 90. num. 7.* p *Tract. de 3. precip. virtut. cap. 12. num. 36.*

q *Ser. 105. Diuers. nu. 2.* r *Ser. 5. de omn. Sanct. nu. 8.* s *Ser. 4. in vig. Nat. Dom. nu. 7.* t *Ser. 1. de Aduen. Dom. nu. 5.* u *Ser. 4. in vig. Nat. Dom. nu. 8.* x *Ibidem nu. 10.* y *Tract. de 3. præcip. virtut. cap. 12. num. 36.*

Quid propius? quid magis intrinsecum? Est *in ore* tuo: ergo *laus ejus semper in ore tuo sit*. Est *in corde* tuo: ergo *confitere ei in directione cordis, & noli oblivisci omnes retributiones ejus*. Quas retributiones ejus inquis? *Propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Sanat omnes infirmitates tuas. Redimit de interitu vitam tuam. Coronat te in misericordia & miserationibus. Replet in bonis desiderium tuum*: dans seipsum tibi in viaticum, qui se denuò dabit in præmium. Non enim adhuc illum dixerim apparere sicuti est, (z) quamvis non omninò aliud hoc modo exhibeat, quàm quod est. Neque tamen vel sic continuè præstò erit quamvis devotissimis mentibus, sed nec uniformiter omnibus. Oportet namque pro variis animæ desideriis divinæ gustum præsentiæ variari, & infusum saporem supernæ dulcedinis diversa appetentis animæ aliter atque aliter oblectare palatum. Denique advertisti in hoc amatorio carmine quoties mutaverint vultum, & in quanta multitudine dulcedinis suæ coram dilecta sponsa dignatus sit transformari, & quomodo nunc quidem instar verecundi *Sponsi* sanctæ animæ secretos petat amplexus, & osculis delectetur: nunc verò in oleo & unguentis *Medicum* exhibere appareat, nimirùm propter teneras & infirmas animas istiusmodi adhuc indigentes fomentis & medicamentis, unde & delicato adolescentularum nomine designantur. Nunc rursùm quasi *Viator* quispiam itinerantibus Sponsæ simul atque adolescentulis sese associans, jucundissimis confabulationibus suis à labore viæ omnem relevat comitatum, ita ut eo discedente loquantur: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu dum loqueretur in via?* Facundus comes, (a) qui in sermonum & morum suavitate suorum, tanquam in quadam suaveolentia spirantium unguentorum post se currere faciat universos. Unde & dicunt: *In odore unguentorum tuorum curremus*. Item aliquando occurrens quasi prædives aliquis *Paterfamilias* qui in domo sua abundet panibus, imò tanquam *Rex* magnificus & potens, qui Sponsæ pauperis videatur pusillanimitatem erigere, provocare cupiditatem, demonstrans illi omnia desiderabilia gloriæ suæ, divitias torcularium ac promptuariorum, hortorum & agrorum copias: demùm etiam introducens eam in ipsa secreta cubiculi. Nimirùm confidit in ea cor viri sui, & non est ex omnibus quod ab illa existimet abscondendum, quam redemit inopem, probavit fidelem, amplexatur amabilem. Atque ita non cessat sive hoc illo modo interno jugiter apparere conspectui quærentium se, ut sermo impleatur quem dixit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Et in his omnibus suavis & mitis & multæ misericordiæ apparet. *Nam in osculis* quidem affectuosum & blandum, *in oleo* autẽ & in unguentis clementem & affluentem visceribus pietatis & compassionis se exhibet. Porrò in *via* hilarem & affabilem, (b) plenum gratiæ & solatii se demonstrat: *in ostensione* verò *divitiarum* ac possessionum munificum se ac largum pro regia liberalitate remuneratorem demonstrat. Ita per omnem hujus carminis textum reperies Verbum Deum istiusmodi similitudinibus adumbrari. Unde ego puto id significatum apud Jeremiam Prophetam ubi ait: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, in umbra ejus vivemus inter gentes*: quòd scilicet videamus nunc per speculum & in ænigmate, & necdum facie ad faciem. Ideo suspirans Sponsa [c] dicit cum Moyse: *Ostende mihi teipsum*. Nec immeritò. Ipse enim Jesus, qui dulcis est in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere: dulcior apparebit in Deitatis visione. Verè dulcis *in voce*, de cujus ore lac & mel procedit: *diffusa est enim gratia in labiis suis*. Verè dulcis *in facie*: *speciosus enim est* non solùm *præ filiis hominum*, sed etiam præ millibus Angelorum. Verè dulcis *in nomine*: dulce enim est nomen & suave Jesus, consecratum ab æterno, nunciatum ab Angelo, prophetatum Salamonis oraculo, qui ait: *Oleum effusum nomen tuum*. Dulcis *in opere*: in celebratis utique miraculis, in peccatoribus conversis, in sacramento preciosæ mortis, quod humanæ blanditur infirmitati. In hoc enim charitas ampliùs præfulsit, pietas magis emicuit, gratia plùs radiavit. Cæterùm longè dulcior erit *in Deitatis visione*, (d) quando manifestabit seipsum residens super solium præ omnibus excelsum. Tunc satiabitur desiderium nostrum, quod Propheta David desiderans ajebat: *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Et alibi dicit: *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo*. Unde preciosior dicitur faciei visio, quàm speculi frequens imaginatio. Non enim pari omninò jucunditate sumitur cortex Sacramenti, & medulla frumenti: fides & species, memoria & præsentia, æternitas & tempus: speculum & vultus, imago Dei & forma servi. Hîc autem ambulamus per fidem, nondum per speciem. Interim deliciari & gaudere debemus in Sacramento Altaris, in cujus confectione fidelis minister invenit seipsum in medio Patris & Filii & Spiritus Sancti, adstantibus etiam ex omni latere supernis ordinibus Angelorum. O Salvator meus, (e) veniat obsecro tempus, quando revelatis oculis meis inspiciam quem nunc in Sacramento Altaris adoro: apprehendam & amplectar quem desidero, & in abysso amoris tui absorbear. Nihil mihi quæso sine te dulcescat, nil preciosum arrideat mihi. Sed da mihi bone Jesu in te vivere, & pro tuo amore mori, qui pro me dignatus es amaræ mortis subire tormentum. Amen.

CAPUT X.

De diligendo Deo in suis promissis, judiciis, & mandatis.

Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. *Deut. 6. Luc. 10.*

1 *Docemur, Deum in suis promissis diligendum esse ex tota anima nostra. Præmia amoris, quæ amatoribus Dei promittuntur post hanc vitam, sunt requies à labore, securitas à timore, gaudiũ à mœrore, resurrectio à morte, & vita æterna à transitu hujus vitæ. Promittitur regnum cælorum, refectio sempiterna, & visio*

z *Ser. 31. in Cant. num. 7.* a *Ibidem num. 8.* b *Ibidem nu. 9.* c *Ser. de excellen. Sacram. num. 7.* d *Ibidem num. 8.* e *Lib. 3. de amore Dei. cap. 24. num. 113.*

visio Divinitatis. 2 *Docemur Deum in suis judiciis diligendum esse* ex omnibus viribus nostris. *Duplex est judicium Dei. Unum est amabile, quo Deus electos flagellat in hoc sæculo, ut ipsa flagella in gloriam convertantur afflictis: alterum judicium est terribile, quo Deus parcit nunc reprobis, non miseraturus in futuro sæculo. Reprobi inter flagella murmurant: electi verò Deum laudant. Tribulatio operatur patientiam in afflictis, & parit fiduciam gloriæ æternæ. Item duplex est judicium Dei. Unum, quo in hac vita judicantur electi per varias tribulationes: alterum, quo reprobi judicabuntur per ignem & examen districti judicii.* 3. *Docemur Deum in suis mandatis diligendum esse* ex tota mente nostra. *Probatio charitatis procedit ex mandatis Dei, si in eis meditemur, si secundùm ea operemur, si in eorum executione versemur. Obedientia vera est observantia mandatorum divinorum. Vera obedientia non potest esse sine dilectione Dei. Mandata Dei non tam in memoria sunt habenda, quàm in moribus & operibus. Excitamur ad amorem Dei.*

§. I.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Luc. 10.

O Homo (a) quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Dilige ergo eum non tantùm verbo & lingua, sed opere & veritate. Dilige eum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Quàm affectuosè (b) quàm sincerè, quàm suaviter, quàm dulciter Deum diligere tenearis, Dominus per Moysen docet, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua.* Debemus diligere Deum ex toto corde, (c) id est, *ex toto intellectu*: & ex tota anima, id est, *ex tota voluntate*: & ex tota mente, id est, *ex tota memoria*: ut omnem intellectum & omnes cogitationes nostras & omnem vitam nostram ad eum dirigamus, à quo omnia bona habemus: ut nulla pars vitæ nostræ ociosa relinquatur, sed quidquid in animam venerit, illuc dirigatur ubi impetus dilectionis currit. Igitur Fratres charissimi, dignissimum est & valdè nobis necessarium, ut Deum in omnibus & super omnia diligamus, qui est summum bonum: summum verò bonum diligere summa est beatitudo. Quantò quisque Deum ampliùs dilexerit, tantò magis beatus erit. Qui Deum diligit, bonus est. Si bonus est, ergo beatus est. Vnde Sponsus in Canticis canticorum ait: *Fortis est ut mors dilectio.* Verè Dei dilectio fortis esse ut mors dicitur: quia sicut mors violenter separat animam à corpore, ita dilectio Dei violenter separat hominem à mundo & carnali amore. Verè Dei dilectio fortis est ut mors: quia dum per dilectionem Dei à vitiis mortificamur, quod mors agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio Dei in sæculi cupiditatibus. Amicitia vera non est, (d) nisi firmum in Deo habeat fundamentum. Eapropter cùm amicitia donum sit Dei, justum est ut qui ex dono Dei diligit, nihil præter Deum diligat: & *ut illuc flumina refluant unde fluunt*: nec rivus à suo fonte degeneret, qui de plenitudine gratiæ affluentis emanat. Illam siquidem unicè & singulariter veram atque perfectam amicitiam profitemur, per quam nos Deus amicos suos vocare dignatus est, si ejus præcepta fecerimus. *Vos*, inquit, *amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis.* Hæc Dei amicitia est charitas, qua *dilexit nos ante mundi constitutionem, & elegit nos in dilecto Filio suo.* Ipsa est fons omnium bonorum omniumquè donorum, quæ nobis à munificentia supercælesti proveniunt. Vt ergo Deus (e) cor nostrum totum in gratiam suæ dilectionis alliciat, & ut ab amore mundi prorsùs nos avellat, (cum amicus mundi sit inimicus ipsius) cor nostrum ad amorem suum paterna lenitate inuitat. Quod enim præcipimur Deum diligere ex *toto corde nostro*, ex *tota anima*, *ex tota mente*: perinde est ac si nos instruat Deus diligere *dulciter*, *prudenter*, & *fortiter*. Et quid dulcius est, (f) quàm jugis recordatio dispensationis ejus, per quam apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei? Super omnia, Christe Jesu, Passio tua te nobis amabilem facit, ipsa *propitiata est omnibus iniquitatibus nostris*. Effusione enim Sanguinis sine culpa, omnium culparum chirographa sunt deleta. Quia tamen (g) cordis amor totus est in affectu, & ne sit nimiùm præceps, expedit ut sapientiâ & discretione regatur. Præcipimur enim Deum totâ animâ, id est sapienter diligere. Porrò amor cordis (h) simile quoddam habet carnalis amoris: nam affectiones propriè cordis esse dicuntur. Anima verò aliquantò jam superius sonat, unde & meritò dicitur sedes sapientiæ, ut meritò videatur illi attribuendum prudenter diligere Deum. Cùm autem *ex toto corde* diligendus est Deus *in beneficiis suis*, (i) sicut superiùs perstrinximus: *ex tota anima* simili modo Deum in suis *promissis* amare tenemur. Ille quidem qui veritas est, qui salvare nos vult & scit & potest, promittit nobis requiem à labore, securitatem à timore, gaudium à mærore, resurrectionem à morte, vitam æternam à transitu hujus vitæ. Promittit regnum cælorum, refectionem in mensa Dei Patris. Promittit quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit diligentibus se. Fructum denique talem expectamus nostri amoris, (k) qualem ipse quem amamus promisit: *Mensuram*, inquiens, *plenam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*. Mensura ista (ut audio) erit sine mensura. Sed velim scire cujusnam rei futura sit illa mensura, vel potiùs illa immensitas quæ repromittitur? *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Dic nobis tu qui præparas, quid præparas? Credimus, confidimus, revera sic promittis, *replebimur in bonis domus tuæ*. Sed quibus, quæso, bonis vel qualibus? Fortè frumento, vino, oleo, auro atque argento, lapidibusvè pre-

a *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 17.* b *Lib. 3. de amore Dei cap. 25. num. 86.* c *Lib. de modo bene viuen. cap. 5. num. 12.* d *Lib. 3. de amore Dei cap. 9. nu. 25.* e *Ibidem cap. 25. n. 87.* f *Ibid. cap. 26. n. 88.* g *Ibidem cap. 27. nu. 91.* h *Ser. 29. diuer. num. 1.* i *Lib. 3. de amore* Dei *cap. 28. num. 94.* k *Ser. 11. in Cant. numer. 4.*

pretiosis? Sed hæc novimus & vidimus, & videmus & fastidimus. Id quærimus quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Hoc placet, hoc sapit, hoc delectat inquirere, quodcunque est illud. *Erunt* (inquit Scriptura) *omnes docibiles Dei*. Et: *Ipse erit omnia in omnibus*. Ut audio, plenitudo quam expectamus à Deo, non erit nisi de Deo. Porrò [l] promittit & seipsum: *Juravit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis*. Dives est omnibus [m] qui invocant eum: nec tamen habet quidquàm seipso melius. Se dedit in meritum, se servat in præmium, se apponit in refectionem animarum sanctarum, se in redemptionem distrahit captivarum. Sed ô Domine Jesu, [n] quid facies dilectoribus tuis? dic rogo quid facies? Sic dic ut audiam: nam & ego sum, licet peccator, qui diligo te. Quod erit præmium tuæ dilectionis, quisuè fructus tui amoris? dic & lætifica animam meam de præmio. Qui te diligit *ex toto corde* suo, illud attendit, illud expectat: pro eo quod tantùm differtur, gemit & quandoque plorat. Quod est illud præmium, dic ut alii audiant & intelligant: intelligant & quærant: quærant & inveniant: inveniant & accipiant: accipiant & teneant: teneant & ament: ament quantùm possunt. Quid dabis dilectoribus tuis? quid manifestabis illis? *Manifestabo eis meipsum*, inquit. Ubi sunt qui gemunt, ubi sunt qui lugent pro dilectione regni æterni, pro absentia Christi? Gaudeant & exultent: quia Jesus manifestabit se illis. O summum gaudium! ô immensa lætitia! Quid dulcius, quid gloriosius, quid beatius, quàm illum videre facie ad faciem? Cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur: quem Sancti Angeli vident, & videre desiderant semper, & nunquam de ejus visione satiantur. Nihil charius, nihil melius est, quàm ipse Dominus Jesus diligentibus se. Non promittit aurum, non argentum, non gemmas, non lapides pretiosos, non cælum, non terram; sed seipsum Creatorem omnium & Deum cunctorum: hoc est præmium amoris, meritum nostræ dilectionis, qui Dominum Jesum super omnia diligimus. In omnibus ergo promissionibus suis, [o] quæ omne desiderium superant, tota animæ possibilitate curramus. Licet enim sine modo debeat esse ad hoc hominis desiderium: tamen ex defectu hominis recipit in se modum. Quodsi desiderium ex defectu circa promissiones Dei modum excedat: non habet tamen hic excessus excessum, & est impatientia commendabilis, cùm spes quæ differtur, affligit animam. Amor ex desiderio juge recipit incrementum. David dilationem hanc impatientissimè ferens: *Quemadmodùm*, inquit, *desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Apostolus etiam patientiæ impatiens: *Coarctor*, inquit, *è duobus, desiderium habens dissolvi & esse cum Christo, multò magis melius*. Et notandum est quòd amor, qui procedit ex desiderio promissionis, proprius est animæ. Nam in Sanctorum desideriis hæc affectio animæ frequenter exprimitur, ut illud est: *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*. Et item: *Sitivit anima mea ad te Deus*. Et Isaias Propheta ait: *Nomen tuum Domine, & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte, sed & spiritus meus in præcordiis meis*.

§. II.

Diliges Dominum Deum tuum ex omnibus viribus tuis. Luc. 10.

Sicut enim ex beneficiis Dei [p] procedit affectio, qua Deum *toto corde* diligimus; & sicut ex promissionibus verò Dei desiderium surgit, quo mediante Deum *totâ animâ* affectamus: sic ex *Judiciis* Dei causam & judicium habet amor, quo Deum *tota virtute totisquè viribus*, id est, *fortiter* & *constanter* amamus. Est autem judicium Dei *desiderabile*, juxta illud: *Aspice in me & miserere mei, secundùm judicium diligentium nomen tuum*. Et est judicium *terribile*, de quo dicitur: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine*. Ex hoc horrendo judicio nemo Deum diligit, aut seipsum. Deus itaque justissimo judicio suo quibusdam hîc miseretur, non miserturus in futuro: quosdam autem flagellat tanquam iratus, ut ira ipsius & flagella afflictis in gloriam convertantur. *Dimittit illos* (ait Scriptura) *secundùm desideria cordis ipsorum, ut eant in adinventionibus suis, ut iniquitatem iniquitati apponant: ut qui in sordibus sunt, plùs sordescant*. De hac misericordia etiam Propheta David loquitur dicens: *Quis sapiens, & custodiet hæc, & intelliget misericordias Domini?* Et item: *Quis novit potestatem iræ tuæ? aut quis poterit præ timore tuo iram tuam dinumerare?* O *quàm magnificata sunt opera tua Deus! nimis profunda facta sunt cogitationes tuæ: vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc*. Propterea *prosperitas stultorum perdet eos*. Quodsi à Deo corrigantur, [q] neque mundantur, neque emendantur: sed est emundatio eis suæ destructionis occasio, juxta illud: *Destruxisti eos ab emundatione*. Isti inter flagella Dei murmurant & blasphemant, & pænis præsentibus pænas gehennales accumulant. Sancti verò Domini inter flagella, & flagella ipsius diligunt propter Deum, & gratias agunt Deo de judiciis ejus, se accusantes & cum Propheta dicentes: *Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero judicio fecisti: quia peccavimus tibi*: sed *da gloriam nomini tuo*. Talibus convenit illud propheticum: *Exultaverunt filii Judæ propter judicia tua Domine*. Sunt qui nonsolùm judicia Dei sustinent patienter, sed etiam ipsi seipsos judicant, & manum adjuvant flagellantis, accusant se, testificantur contra se, seipsos judicant, & propriæ sunt executores sententiæ. Judicium Dei [r] operatur patientiam in afflictis. *Tribulatio enim patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit*. Quando enim esset confusio, ubi est quod omnem spem & omnem fiduciam transcendit, æternæ scilicet gloriæ certitudo? Sub hac expectatione Propheta David dicebat: *Domine in judiciis tuis supersperavi*. Et item: *Judicia Domini vera, desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum, & dulciora super mel & favum*. Cur ergo *timebo in die mala*? Consultiùs est hîc puniri, hîc uri, hîc nos accu-

l *Lib. 3. de amore Dei. cap. 28. num. 94.* m *Tract. de dilig. Deo. cap. 7. num. 22.* n *Ser. 9. in ult. Cæna num. 58. & 59.* o *Lib. 3. de amore Dei cap. 28. num. 94. & 95.*

p *Ibidem cap. 29. num. 96.* q *Ibidem num. 97.* r *Ibidem num. 98.*

accusando & judicando torqueri, quàm incidere in manus Dei viventis, & in die tremenda damnationis æternæ supplicium à terribili & inexorabili Judice expectare. Et quia duplex est judicium Divinum: (s) vnum, quo in hac vita judicantur homines: alterum, quo in futura vita judicabuntur. Propterea quidam hîc judicantur per infirmitates & paupertates, & per varias tribulationes hujus sæculi, ne in futuro judicentur. Porrò quibusdam ad purgationem proficit temporalis pœna: quorundam verò hîc inchoatur damnatio, & illic paratur perfecta perditio. Quidam judicantur in hoc sæculo per tribulationem: quidam verò judicabuntur per ignem & examen districti Judicis: nec justitia justi secura erit. Inde est quod de Domino loquitur Job: *Innocentem & impium ipse consumit*. Consumitur quippe à Deo *innocens*, quando ipsa innocentia liquidiùs requisita, & divinæ innocentiæ comparata, nihil efficitur. Consumitur etiam à Deo *impius*, quando subtilitate divini examinis impietas illius requiritur, & de recto damnatur. Veniat quoque David (t) & dicat quænam ex fonte veritatis procedant judicia. Hoc certè videtur sensisse cùm diceret. *De vultu tuo judicium meum prodeat.* Neque enim vir sanctus judicium suum diceret, quod de vultu Dei, id est de veritate non prodiret. Noverat enim electos Dei Veritatis judiciis tanquam virgâ ferreâ regi, & quia sub eorum regimine se esse sentiebat, exultans psallebat: *Judicia Dei vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & favum*. A quibus ne fortè per incuriam devient, audiant vocem Dei Patris per eundem Prophetam comminantis: *Si in judiciis*, inquit, *meis non ambulaverint, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*. Hæc mysteria divini judicii reserabat cælestis regni Clavicularius (*Petrus*) cùm diceret: *Tempus est ut incipiat judicium de domo Dei. Si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio?* Et hoc de Electis dictum est. Cæterùm est aliud de reprobis judicium, quod nihilominus ab ipsa Veritate procedit. Unde & per Paulum dicitur: *Scimus enim quoniam judicium est secundùm veritatem in eos qui talia agunt*. Et utrumque quidem judicium complectitur ipsa Veritas, dicens: *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Utrumque autem judicium discernit cùm item dicit: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*. Christus in judicio (u) pro diversitate meritorum mitis ac suavis apparebit Electis: reprobis verò apparebit terribilis. In die judicii qualem unusquisque habuit conscientiam, talem Judicem habebit: ut Christo in sua tranquillitate manente, illis solis terribilis appareat, quos mala conscientia accusat. In hac vita tempus est acceptabile, & dies salutis. Vnde dicitur: *Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est.* In hac vita non videtur Judex, & est propè. In futura vita videbitur, & erit longè. Proinde Fratres charissimi, necesse est, ut quæramus Dominum toto corde & tota mente in hac præsenti vita, si eum invenire volumus in futura. Si eum in hac vita cum omni devotione quæsierimus, & à malis operibus recesserimus, in die judicii misericordiam à Domino consequemur, quia benignus & misericors est. De illo namque scriptum est: *Suavis Dominus universis, & miserationes eius super omnia opera ejus*. Igitur deprecemur ipsum terribilem ac justissimum Judicem cum lachrymis & omni devotione, ut in die judicii non reddat nobis secundùm iniquitates nostras, sed secundùm misericordias suas. Oremus, charissimi, (x) ut citò anticipent nos misericordiæ istæ, quia pauperes facti sumus nimis: quod tamen non de omnibus dico. Scio enim quamplurimos vestrûm ambulantes in dilectione qua Christus dilexit nos, & in simplicitate cordis quærentes illum. Sed sunt aliqui (quod tristis dico) qui nullũ adhuc in se dedêre indicium hujus tã salutaris anticipationis, ac per hoc nec suæ salutis, homines seipsos amantes non Dominum, & quærentes quæ sua sunt, non quæ Domini. Ait sponsa: (y) *Quæsivi quem diligit anima mea*. Nempè huc te provocat anticipantis benignitas illius qui te & prior quæsivit, & prior dilexit. Minimè prorsùs nisi priùs quæsita quæreres, sicut nec diligeres nisi dilecta priùs. Non in una tantùm benedictione, sed in duabus præventa es, *dilectione & quæsitione*. Dilectio est causa quæsitionis, quæsitio fructus dilectionis est & certitudo. Dilecta es, ne ad supplicium potiùs quæsitam suspiceris: quæsita es, ne frustra dilectam conqueraris. Utraque tam amica comperta suavitas & ausum dedit, & verecundiam depulit, & reditum persuasit, & movit affectum. Hinc zelus, hinc ardor iste quærendi quem diligit anima tua: quia profectò nec non quæsita quærere poteras, nec non quæsita nunc potes. Sed noli oblivisci (z) unde huc veneris. Et ut in me potiùs transfigurem quæ dicuntur, id enim tutius: Tune es, ô anima mea, quæ relicto viro tuo priore: cũ quo tibi benè fuerat, primam fidem irritam fecisti, jens post amatores tuos? Et nunc quoad libuit fornicata cum illis, fortè & contempta ab illis, audes impudens & frontosa velle reverti ad illum quem superba contempsisti? Quid? Digna latebris quæris lucem, & curris ad Sponsum, dignor plagis quàm osculis? Mirum si non pro Sponso judicem offendas. Felix qui ad hæc animam suam respondentem audierit: Non timeo, quia amo: quod non amata omninò non facerem. Itaque etiam amor. Nil dilectæ timendũ. Paveant illæ animæ quæ non amant. Quidni assiduè inimicitias suspicentur? Ego verò amans, amari me dubitare non possũ, non plusquàm amare. Nec possum vereri vultum, cujus sensi affectum. In quo? In eo quòd talẽ nonmodò quæsivit, sed & affecit, fecitquè certam proinde de quæsitu. Quidni respondeam in quæsitu, cui in affectu respondeo? Numquid irascetur quæsitus, qui etiam contemptus dissimulavit? Quinimò non repellet requirentem, qui & contemnentem requirit. Benignus est Spiritus Verbi, & benigna nunciat mihi, intimans & suadens de Verbi & zelo desiderioquè, quod utique sibi non potest esse absconditum. Scrutatur alta Dei, con-

s *Ib. de modo bene viven. cap. 71. nu. 165.* t *Ser. 96. de eis. n. 2.* u *Ib. de modo bene viven. cap. 71. num. 166. & 167.*

x *Ser. 24. in Cant. nu. 4.* y *Ibidem nu. 5.* z *Ibidem nu. 6. & 7.*

conscius earum quas cogitat cogitationes pacis & non afflictionis. Quidni animer ad quærendum experta clementiam, & persuasa de pace? Fratres, Hoc suaderi, à Verbo quæri est: persuaderi, inveniri est. Sed non omnes capiunt hoc verbum.

§. III.

Diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua. **Luc. 10.**

O homo (a) quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Vis audire modum dilectionis? Deus (b) *tota mente* diligendus est *in suis mandatis*. Vult enim Deus, ut tota mens hominis ita inclinet se ad obediendum, ut omnes sensus & affectiones suas impendat observantiæ mandatorum cælestium. Obedire siquidem Deo, est voluntati ejus per omnia consentire, & sic obediendo vivere: quia *vita est in voluntate ejus*. Cùm autem voluntas Dei exprimatur in mandatis ipsius, nec Deum quis possit diligere, nisi ejus diligat voluntatem; constat Deum neminem posse diligere, nisi diligat mandata ejus. Est denique probatio dilectionis ex mandatis Dei, si in eis *meditemur*, si secundùm ea *operemur*, si in eorum *exercitio versemur*. Quod insinuans Propheta David: *Meditabor*, inquit, *in mandatis tuis, quæ dilexi*: ecce sollicita meditatio. *Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi*: ecce diligens operatio. *Et exercebar in justificationibus tuis*: ecce justificans exercitatio. Primò de *meditatione* (c) scriptum est: *Quæ præcepit Deus tibi, hæc cogita semper*. Cogitentur siquidem mandata Dei, quàm sancta, quàm honesta sint, quàm dulcia, & quàm salubria, quàm jucunda quàm fidelia, *& confirmata in sæculum sæculi*. *Secundò* autem in *elevatione manuum* sancta *operatio* designatur, cui justus libenter insistit. Certus est enim quòd meritis ejus æterna retributio exuberantissimè respondebit. *Tertiò* jugis *exercitatio* luctam sibi habet annexam, laboremquè continuum. Justus enim pugnat ut coronetur, recepturus ab eo requiem, *qui fingit laborem in præcepto*. Est itaque probatio charitatis utrum vera sit, si homo mandata Dei dilexerit, si ei meditatione & operatione & operum exercitatione servierit, cui servire regnare est. Mandatorum siquidem obedientia nullius est meriti, nisi ex charitate procedat. Si enim annexæ sunt obedientia & charitas: ergo qui non diligit, nec mandata custodit. Audi eum qui Veritas est: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. Et adjungit manifestè insinuans, quòd si quis diligit, obedit: si non obedit, non diligit. Vera sanè obedientia est vera observantia mandatorum Dei. Propterea semper obedientia inseparabiliter charitati adhæret, propter quod scriptum est: *Qui offendit in uno, factus est omnium reus*. Quod in uno mandatorum breviter exponi potest, ut de similibus censura similis habeatur. Huic mandato, *Non occides*, ille qui non diligit & non occidit, mandatum quidem ad literam facit, sed non facit ad meritum mandati; quia non diligit. Legem enim facere, non est verba legis exteriùs sequi, sed mente & intentione obedienter implere. Quia ergo non est sincera obedientia, quæ ex vera dilectione non fit; non dicitur obedire, qui non diligit, licet non occidat: eò quòd legem opere tantùm, & non intentione pura custodiat. Qui autem ex charitate obedit, (d) legem mandatorum Dei adimplet, quam sine charitate omninò aliquis implere non potest: & ideo ipsa est *finis legis* mandatorum impletio, & terminus perfectæ consummationis. Felix (e) qui dicere Deo potest: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*. Felix (f) qui universis humanis studiis ac mundanis desideriis prætulit Deum timere, ejusquè observare mandata. Meritò quidem, Veræ etenim sapientiæ primum illud initium, secundum consummatio est; si tamen constat vobis non aliunde veram & consummatam esse sapientiam, quàm declinare à malo, & facere bonum: itemquè recedere à malo neminem posse perfectè absquè timore Dei, nec bonum opus omninò esse præter observantiam mandatorum. Habeamus, dilectissimi, hanc fælicitatem, (g) habeamus nostri Creatoris dilectionem. In hoc cognoscitur amator Christi, si servat præcepta Christi. Unde ait: *Qui habet mandata & servat ea, ille est qui diligit me*. Ac si dicat: qui habet in memoria & servat in vita: qui habet faciendo & servat perseverando: vel qui habet in sermonibus & servat in moribus: vel habet audiendo & servat faciendo, *Ille est qui diligit me*. Multi sunt enim qui Domini mandata habent, & ea minimè tenent. Multi habent in libro, sed ea non tenent in animo: multi in voce, sed non in opere; multi in memoria, sed non in vita: multi in verbo, sed non in exemplo. Illi profectò non sunt de dilectoribus Christi. Isti, inquam, plagis vapulabunt multis. Istis erit fletus & stridor dentium, ignis, sulphur & spiritus procellarum, pars pænæ eorum cum diabolo & angelis ejus. Sed diligentibus Christum magnum erit gaudium, magnum erit tripudium, magna exultatio, magna gloriatio. Dilectio, (h) per quam solam discernitur gens sancta à non sancta, & quòd causa sit dilectio, probatur in custodia sermonum, sicut dicit Dominus: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*. In hoc enim probatur dilectio Dei, scilicet in observatione & custodia mandatorum Christi: quia *probatio dilectionis, exhibitio est operis*. Ad hanc nos dilectionem Auctor ipse inæstimabilis charitatis invitat, (i) in ea nos manere precatur & rogat. Ait enim: *Manete in dilectione mea*. Ac si apertè dicat: Quia ego ea dilectione, qua me Pater diligit, vos diligo: eadem dilectione me vos diligere rogo. Et quoniam dilectio vestra me usque ad mortem perduxit, sed neque mors crudelissima ipsa à vestra charitate me sejunxit: me diligite, & in mea dilectione manete. Sed qualiter in ejus dilectione manere debeamus, sequitur & dicit: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in mea dilectione: sicut Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione*. Ac si diceret: (k) Ego præcepta Patris mei

a *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 17.* b *Lib. 3. de amore Dei cap. 30. num. 99.* c *Ibidem num. 100.*

d *Ibidem num. 101.* e *Ser. 23. in Cant. num. 17.* f *Ser. 1. in Cant. num. 1.* g *Ser. 9. in ultima Cœna num. 57. & 58.* h *Ibid. nu. 61.* i *Ser. 13. in ultim. Cœna nu. 102.* K *Ibidem num. 103.*

pro vestra salute servavi, & ideo maneo in ejus dilectione. Et vos præcepta mea pro meo amore servate: & sic manebitis in mea dilectione. O homo [l] quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Memento sanè (m) quod idem ait: *Si diligitis me, mandata mea servate*. Serva igitur mandata Creatoris tui, serva mandata Benefactoris tui, Redemptoris tui, Remuneratoris tui. Solus est amor, (n) quem à nobis Deus exigit, cùm beneficiis obruit. Plenitudo legis charitas est, & legem continet & Prophetas; quia quidquid divina lege indicitur vel interdicitur, ad solum amorem reducit. Solve igitur tributum amoris, & Domino noveris satisfactum. Hæc est (o) schola Christi. Hæc est doctrina Spiritus Sancti. Si quis de hac schola exierit, & in hac doctrina non perseveraverit: mihi credite Fratres, in æternum peribit. Frustra se Deum diligere dicit, [p] qui mandatis ejus suis operibus contradicit. Imò illum habet odio, qui ejus non obsecundat mandato. Ille qui charitatem non habet, qui ejus non servat sermonem, jam non est ejus. Quod ergo erit præmium istius? Ignis & sulphuris amnis, mors & infernus præmium ejus: utinam ille homo natus non esset, cui talis debetur hæreditas. Discipulis autem Christi, [q] amatoribus charitatis, dabitur ipsa multitudo dulcedinis, divitiæ æternæ beatitudinis, gaudia æternæ felicitatis: quæ gaudia ipse nobis largiri dignetur, qui in Trinitate perfecta regnat & vivit Deus benedictus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DEO GRATIARUM ACTIO,

ET BEATO BERNARDO,

Servo ejus dulci & fideli.

S. Bonavent. Conclus. tract. medit. de vita Christi.

PHI-

l *Tract. de 3. precip. myst. cap. 6. num. 27.* m *Ser. 14. super. Psal. 90. num. 2.* n *Lib. 3. de amore Dei cap. 3. num. 15.* o *Ser. 5. in ult. Cœna. num. 36.* p *Ser. 9. in ult. Cœna num. 60.* q *Ser. 5. in ultim. Cœna nu. 36.*

PHILOSOPHIÆ CHRISTIANÆ

Pars Decima Quarta,

De diligendo Jesu Christo crucifixo.

Nihil arbitratus ſum me ſcire inter vos niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. 1. Corinth. 2.

PROEMIUM.

Jeſus pridie quàm pateretur, accepit panem, gratias egit, benedixit, fregit, deditquè diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, & manducate. Hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Matt. 26. Luc. 22. Paul. 1. Cor. 11.

VERITAS Chriſtus [a] veram & ſimplicem nobis deſcribit formam divinæ & veræ Philoſophiæ, dicens ad Diſcipulos: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in mea dilectione. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea.* Porrò Chriſtus pridie quàm pateretur, [b] diſcipulis ſuis formam Sacramenti præſcripſit, & mandavit illud celebrandum, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* O verba nimis affectuoſa! O verba pungitiva & penetrativa uſque ad animam! *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.* Propheta etiam dicit: *Memoriam abundantiæ ſuavitatis eructabunt.* O ſummè pia & verè ſuavis memoria, annunciare mortem Domini donec veniat. Chriſtus quodammodò immolatur adhuc quotidie, [c] donec mortem ejus annunciamus. Novit autem quicunque rectè ſapit, [d] quantùm Chriſtianæ pietati expediat, quantùm Dei ſervum deceat Sacroſanctæ Paſſionis ipſius fideliùs recolere beneficia, ad fruendum ſuaviter in conſcientia, ad recondendum pleniùs per imitationem in memoria: quod eſt ſpiritualiter manducare Corpus Domini, & Sanguinem ejus bibere, ob amorem & reverentiam ejus, qui credentibus in ſe præcipit dicens: H*oc facite in meam commemorationem.* In quo etiam quàm impium ſit hominē tantæ pietatis Dei eſſe immemorem, palàm eſt omnibus: cùm amici morientis vel peregrè proficiſcentis commendatam ſibi ſub aliquo ſigno memoriam nefas ſit obliviſci. Siquidem hujus reverendæ Commemorationis Myſterium ſuo modo, ſuo tempore, ſuo loco celebrare licet paucis hominibus, quibus & hoc traditum eſt Myſterium. Rem verò Myſterii omni tempore & in omni loco dominationis Dei, modo quo traditum eſt, id eſt, debitæ pietatis affectu & ſanctæ imitanis effectu agere, tractare, & ſumere in ſalutem cunctis fidelibus in promptu eſt. Nam & Sacramentum ſicut accipit ad vitam dignus, ſic ad judicium & mortem propriam indignus accipit. Sacramentum enim ſine re Sacramenti, mors eſt ſumenti. Res verò Sacramenti etiam præter Sacramentum, vita æterna eſt accipienti. Quoties in Commemorationem ejus qui pro te paſſus eſt, piè ac fideliter Chriſtum imitando fueris affectus & devotus, toties Corpus ejus manducas, & Sanguinem ejus bibis. Et quamdiu in eo manes per *Amorem*, ipſe verò in te per *juſtitiæ & ſanctitatis operationem*: tam diu in ejus Corpore & in membris ejus computaberis. Habeamus ergo eorum quæ contemptibilia Chriſto ſunt illata, continuam & indeſinentem memoriam: non utique ocioſam, non tepidam, non torpentem; ſed compaſſionis ardore ſuper omnia plurimùm delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem. Vnde Propheta inquit: *Delectare in Domino*, ut ſpretâ mundi vitio-

rum

S. Bernard. Abb. juxta ejus libror. edit. authore Horſtio. in VI. Tom. impr: Pariſiis ann. 1667. a *Lib. 1. de amore Dei. cap. 9. num. 13.* b *Ser. de excellen. Sacram. num. 4. & 6.* c *Ser. 6. in vig. Nat. Dom. num. 6.* d *Ser. 2. in Cœna Dom. num. 9.*

rum omnium jucunditate, suavior ejus recordatio sit: *& dabit tibi petitiones cordis tui*, non carnis. Planè norunt fideles [e] quàm omninò necessarium habeant Jesum, & hunc crucifixum: dum admirantes & amplexantes supereminentem scientiæ charitatem in ipso, id vel tantillum quod sunt, in tantæ *dilectionis* & dignationis vicem non rependere confunduntur. Facilè proinde plùs diligunt, qui se ampliùs dilectos intelligunt. *Cui autem minus donatum est, minùs diligit*. Judæus sanè sive Paganus nequaquam talibus aculeis incitatur, quales Ecclesia experitur, quæ ait: *Vulnerata charitate ego sum*. Cernit Regem Salamonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Cernit vnicum Filium Patris crucem sibi bajulantem. Cernit cæsum & consputum Dominum majestatis. Cernit Auctorem vitæ & gloriæ confixum clavis, percussum lanceâ, opprobriis saturatum, tandem illam dilectam Animam suam ponere pro amicis suis. Cernit hæc, & suam magis ipsius animam gladius *Amoris* transverberat, & dicit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Hæc sunt quippe mala punica, quæ in hortum introducta Dilecti sponsa carpit ex ligno vitæ, à cælesti Sponso proprium mutuata saporem, colorem à Sanguine Christi. Hæc mala punica, [f] quibus sponsa se stipari postulat, credo sentiens facilè vim in se *Amoris* posse tepescere & languescere quodammodò, si non talibus jugiter foveatur incentivis. Vox languentis est: (g) *Stipate me malis, fulcite me floribus, quia amore langueo*. Initia siquidem virtutum *flores* sunt atque fructus honoris & honestatis. *Mala* verò maturiora patientiæ sunt exercitia & exempla. Stipatur itaq; Anima Christiana dum temporis præteriti fructus percipit, convertens in utilitatem propriã Christi flagella, opprobria & dolores, & cætera quæ passus est usque ad ignominiam Crucis. Intuens ergo hæc (h) credo satis agnoscit quare diligendus sit, hoc est, unde diligi mereatur. Super omnia (i) reddit amabilem te mihi, Iesu bone, Calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omninò *Amorem* nostrum facilè vendicat totum sibi. Hoc, inquam, est quod nostram devotionem & blandiùs allicit, & justiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs. Hoc denique & sapit dulciùs, [k] & tractatur securiùs, & auditur utiliùs. Proinde ego nostra fragmenta, (l) quæ mihi collegeram, sine invidia communicabo, ne fortè incurram maledictionem abscondentis frumenta in populis. Vtinam mihi (m) necesse non esset in his occupari. Vtinam aut alteri cura incumberet ista, aut certè (quod mallem) nemo in vobis esset, qui eâ indigeret, essentquè omnes docibiles Dei: & ego possem vacare & videre quoniam Sponsus est Deus. Nunc verò quem minimè interim non dico intueri, sed ne inquirere quidem licet (quod sine lachrymis non loquor) Regem in decore suo sedentẽ super Cherubim, super solium excelsum & elevatum, in ea forma qua æqualis Patri in splendoribus Sanctorum ante Luciferum genitus est, in qua & semper desiderant Angeli eum prospicere, Deum apud Deum: ipsum saltem Hominem homo hominibus loquor secundùm eam formam, in qua ut se manifestum nimia sua dignatione & dilectione præberet, minoratus ab Angelis in Sole posuit tabernaculum sum, tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Atque in similitudinem hominum factus [n] & habitu inventus ut homo, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens. Filius Dei erat: & factus est tanquam seruus. Non solùm formam servi accepit, ut subesset: sed etiam servi, ut vapularet: & servi peccati, ut pænam solueret, cùm culpam non haberet. Superest jam [o] ut distribuam quæ paravi: vos autem considerate potiùs dantem Dominum, quàm ministrum distribuentem. Ego enim quantùm in me est, nihil aliud sum quàm conseruus vester, qui vobiscum pariter & mihi & vobis (sicut ipse Dominus novit) mendico panem de cælo, & alimoniam vitæ. Ideoquè sit vobis Iesus semper in corde, [p] & nunquam imago Crucifixi ab animo vestro recedat. Hic vobis sit cibus & potus, dulcedo & consolatio vestra, lectio & meditatio vestra. Suavẽ enim magis quàm sublimem, (q) & unctum nonaltum loquar: qualem denique Spiritus Domini unxit, & misit evangelizare pauperibus, mederi contritis corde, prædicare captivis indulgentiam, & clausis apertionem, prædicare annum placabilem Domino. Jesus mihi sit via etiam in hoc opusculo, [r] & in omnibus actionibus meis, ut illo duce quæ gessero incipiam & finiam, ut annunciem nomen Domini in Sion, & laudem ejus in Jerusalem: ut dum convenerint populi in unum & reges ut serviant Domino, merear illum videre in bonitate electorum suorum, & lætari in lætitia gentis suæ, qui est benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT I.

De excellentia & effectu Scientiæ passionis Dominicæ.

Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. *Cant.* 1.

1. *Ostenditur, fasciculum myrrhæ designare Jesum, ejusquè Passionem. Hunc sponsa inter ubera sua commoraturum dicit, eò quòd levem præ amore ipsiusducat laborem & dolorem. Excitamur exemplo sponsæ, ut inter ubera nostra portemus Jesum crucifixum, dulcem sarcinam, quæ bajulum suum non gravat sed eleuat. Onus Christi etsi p·emere videatur, tamen portandum esse docemur exemplo Pauli Apostoli.* 2. *Docemur, ut plenitudinem scientiæ constituamus nobis in scientia seu meditatione passionis Dominicæ. Ad quam discendam opus est potiùs intima compunctione, quàm profunda investigatione. Scientia passionis Dominicæ operatur in nobis tria: pænitudinem seu dolorem de peccatis, correctionem vitæ, & sollicitudinem salutis nostræ. In pænitudine accenditur homo, in correctione ardet, in sollicitudine lucet, ut interiùs & exteriùs renovetur.* 3. *Ostenditur Philosophiam Christianam nihil aliud esse, quàm scire Iesum crucifixum, qui est magister scientiarum, & Dominus virtutum. & omnis boni fons. Scientia seu meditatio passionis Dominicæ*

e *Tract. de dilig. Deo cap.* 3. *num.* 7. f *Ibidem num.* 10. g *Lib.* 3. *de amore Dei cap.* 32. *num.* 105. h *Tract. de diligen. Deo. cap.* 5. *num.* 14. i *Ser.* 20. *in Cant. num.* 2. k *Tract. de dilig. Deo in præfat.* l *Ser.* 3. *in Dom.* 9. *post Pent. nu.* 1. m *Ser.* 22. *in Cant. n.* 3.

n *Ser. in fer.* 4. *hebd. san. num.* 10. o *Ser.* 1. *de omn. sanct. nu.* 3. p *Form. honest. vitæ nu.* 2. *tom.* 6. *pag.* 1024. q *Ser.* 22. *in Cant. num.* 3. r *Prolog. Sermonum in ult. Cæna.*

nica sunt delicia anima nostra, ad quas gustandas invitamur omnes. Docemur praeposterum esse desiderium scientia sacularis, si prius germen justitia non praecesserit ad animam. 4. Ostenditur duplicem esse scientiam, quarum una est inflans, altera contristans. Traditur regula discendi ea priùs, qua sunt necessaria saluti: nec non triplex modus discendi, quo ordine, quo studio, & quo fine quaque nosse oporteat. Exhortamur ad meditandum passionem Dominicam.

§. I.

AUdite cæli, (a) & auribus percipe terra, quantùm magnificauit nobiscum Deus misericordiam suam; & quis abyssum tam ineffabilis gratiæ consideravit? Quis de fonte tantæ dilectionis gustavit & non amavit? Dicit sponsa: [b] *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Hoc est: Sufficit mihi, nolo jam scire nisi JESUM, & hunc crucifixum. *Fasciculus myrrhæ* [c] *dilectus meus mihi*. Myrrha amara res dura & aspera tribulationum significat. Ea sibi, dilecti causâ, imminere prospiciens sponsa gratulabunda id loquitur, confidens se omnia viriliter subituram. *Ibant* (inquit Scriptura) *gaudentes discipuli à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Propterea denique non fascem sed fasciculum dilectum dicit, eò quòd leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat & doloris. Benè *fasciculus*, quia paruulus natus est nobis. Benè *fasciculus*, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. *Id enim* (inquit Apostolus) *quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostra, supra modum in sublimitate aternum pondus gloria operatur in nobis*. Non dixit remunerabitur, (d) sed *aternum pondus gloria operatur in nobis*. Latet gloria, abscondita nobis est in tribulatione: in momento hoc latet æternitas, in ho. levi pondus sublime & supra modum. Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, (e) qui modò est fasciculus myrrhæ. An non fasciculus, cujus jugum suave est & onus leve? Non quia leve in se, (nec enim levis passionis asperitas est & mortis amaritudo) sed levis tamen amanti. Et ideo non ait tantùm, Fasciculus myrrhæ dilectus meus: sed *mihi*, inquit, quæ diligo, fasciculus est. Unde & *dilectum* nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam, & quia *fortis est ut mors dilectio*. Fortis quippe est ut mors, (f) non patientia aut spes, sed dilectio. Non timor aut ratio, sed spiritus fortitudinis est. Dicit patientia: Sic oportet fieri; quia timore urgetur. Dic voluntas bona: Sic expedit, & sic agendum est; quia spei attrahitur ratione. Charitas verò quæ inflammatur à spiritu: Neque sic oportet dicit, neque sic expedit: sed sic volo, inquit, sic cupio, sic desidero vehementer. Videtis quanta sit sublimitas, videtis quanta securitas, quanta suavitas charitatis? Et ut sciatis non in se sponsam, (g) sed in Domino gloriari, neque de propria virtute, sed de Domini adjutorio præsumere fortitudinem, dicit illum inter vbera sua commoraturum, cui secura decantet: *Et si ambulavero in medio umbra mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es*. Utinam hujus abundantia pietatis (h) sic fragret quotidie etiam in naribus nostris, ut in veritate dicere possimus cum sponsa in Canticis: Fasciculum myrrhæ dilectum semper supra meum pectus portabo, O dulcis sarcina! Hæc sarcina, Fratres mei, [i] crux ipsa est beata scilicet passio Christi, quæ bajulum suum non gravat, sed levat: non deprimit, sed extollit: non quassat, sed erigit, & portat portantem, ubi Christus est in gloria Patris. Denique hæc sarcina facit jugum Christi suave, (k) & onus leve. Libet admirari quàm leve sit onus Veritatis. Num verè leve est, quod portantem non gravat, sed levat? Quid eo levius onere, quod non solùm non onerat, sed & portat omnem cui portandum imponitur? Hoc onus potuit uterum Virginis gravidare, gravare non potuit. Hoc onus ipsa quibus se præbuit sustentandum Senis Simeonis brachia sustentabat. Hoc etiam onus Paulum in gravi licet & corruptibili corpore positum rapiebat usque ad tertium cælum. Imitatores simus Pauli Apostoli, [l] sicut ipse Christi qui de se dicit: *Ego semper porto stigmata Jesu Christi in corpore meo*. Benè portabat characterem passionis Jesu Christi in corpore suo, cui mundus mortuus erat, & ipse mundo. Fuscus effectus est, quia decoloravit eum Sol passionis & charitatis Christi. Glorificate itaque dilectissimi, [m] & portate interim Christum in corpore vestro, onus delectabile, suave pondus, sarcinam salutarem: etiamsi premere aliquando fortè videtur, etiamsi interdum latera tundit & flagellat recalcitrantem; etiamsi quandoque in camo & freno maxillas constringit & coërcet, omninò feliciter. Esto ut jumentum, ô homo. *Homo* (inquit David) *cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Quid enim tantoperè vel plangit Propheta, vel arguit in homine similitudinem jumentorum, præsertim qui in alio quodam loco de se loqui & dicere Deo non sine quadam congratulatione videtur: *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*? Puto, imò non puto, sed scio similitudinem aliquam jumentorum homini commendari; sed planè non eam quæ non intelligendo, & quæ non insipientiæ, sed patientiæ imitatione constat. Neque enim succensentis similiter, sed ne plangentis quidem videretur vox si dixisset: Homo cùm sub onere Dei esset, non recalcitravit, ut jumentum factus est apud eum. Quis enim non illi jumento plurimùm invideret, (cujus in humili tergo ad commendationem ineffabilis suæ mansuetudinis dignatus est sedere Salvator) si cum illius tam preciosi oneris gestatione intelligentiam quoque tam singularis habuisset honoris? Ut jumentum igitur esto, minimè tamen jumentum, patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens; sapienter & delectabiliter cogitans tam ipsius oneris qualitatem, quàm propriam utilitatem. Magnus Ignatius Martyr, [n] Discipuli quem diligebat Jesus, auditor Ma-

a *Libr. 2. de amore Dei. cap. 10. nu. 66.* b *Ser. 45. in Cant. nu. 3.* c *Ser. 43. in Cant. num. 1.* d *Ser. 17. super Psal. 90. num. 3* e *Ser. 43. in Cant. num. 2.* f *Ser. 2. de S. Andr. num. 10.* g *Ser. 43. in Cant. num. 1.*

h *Ser. 11. in ultima Cœna num. 84.* i *Ibidem num. 85.* k *Epist. 72. num. 2.* l *Tract. de vite myst. cap. 5. num. 23.* m *Ser. 9. super. Psal. 90. num. 3.* n *Ibidem num. 4.*

Mariam in pluribus epistolis suis, quas ad eam scripserat, *Christiferam* consalutat. Egregius planè titulus dignitatis est iste & commendatio honoris immensi. Nempè cui servire regnare est, gestare hunc non onerari est, sed ornari. Cæterùm unde ei (de quo nunc loquebamur) Salvatoris asello verendum ullatenùs videbatur, ne sub illa tali sarcina deficere posset in via? An verò timendus ei erat aut luporum incursus, aut raptorum occursus, vel præcipitium seu periculum aliquod sub tanto Præside metuendum? Felix qui sic tulerit Christum, ut à Sancto Sanctorum in Sanctam Civitatem mereatur induci. Non est omninò quod timeat, ne vel in via aliquod offendiculum, vel repulsam in janua patiatur. Illi nempe jumento viam parabant fideles populi: huic verò jumento parant viam Angeli sancti: *quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*. Porrò non est prætereundum illud [o] quod dicit sponsa: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Ibi enim est cor. Et ubi est cor, ibi dilectio: & ubi dilectio est, ibi est dilecti Jesu Christi crucifixi mansio.

§. I I.

Et ego, Fratres, [p] ab ineunte mea conversione, pro acervo meritorum quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare & inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei Jesu Christi. Primùm videlicet fasciculum infantilium necessitatũ colligare curavi. Deinde laborũ quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo. Postremò periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumquè similium, quæ in salutem nostri generis humani Sylva Evangelica copiosissimè noscitur protulisse. Ubi sanè inter tot odoriferæ myrrhæ hujus ramusculos minimè prætermittendam putavi etiam illam myrrham, quâ in Cruce potatus est: sed neque illam myrrham, quâ unctus est in Sepultura. Quarum in *prima* applicuit sibi meorum amaritudinem peccatorum: in *secunda* verò futuram incorruptionẽ mei corporis dedicavit. Memoriam abundantiæ suavitatis horum eructabo quoad vixero. In æternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum. Has olim Sanctus David [q] cum lachrymis requirebat: *Veniant mihi*, inquiens, *miserationes tuæ, & vivam*. Has & alius quidam Sanctorum cum gemitu memorabat, dicens: Misericordiæ Domini multæ: quàm multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, & non viderunt: audire, & non audierunt. Ipsi laboraverunt, & ego in labores eorum introivi. Ego messui myrrham hanc quam illi plantaverunt. Mihi hic salutaris fasciculus servatus est. Nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. Hæc meditari dixi sapientiam: in his *plenitudinem scientiæ* mihi constitui. Plenitudo enim hujus scientiæ, [r] plenitudo est gloriæ, consummatio gratiæ, perpetuitas vitæ. Ad hujus verò scientiæ plenitudinẽ opus est potiùs intima cõpunctione, quàm profunda investigatione: suspiriis, quàm argumentis: crebris lamentationibus, quàm copiosis argumentationibus: lachrymis, quàm sententiis: oratione mentali, quàm lectione verbali: gratiâ lachrymarum, quàm scientiâ literarũ. Incomprehensibilis erat Deus & inaccessibilis, [s] invisibilis & inexcogitabilis omninò. Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quonam modo? inquis. Nimirùm jacens in præsepio, in virginali gremio cubans, in monte prædicans, in oratione pernoctans: & in cruce pendens, in morte pallens, liber inter mortuos: & in inferno imperans: seu etiã tertia die resurgens, & Apostolis loca clavorum victoriæ signa demonstrans, novissimè coram eis cæli secreta conscendens. Quid horum non verè, non piè, non sanctè cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito, & per omnia est Deus meus. Hæc ego meditari dixi sapientiam, & prudentiam judicavi eructare memoriam suavitatis. Etenim scientia ista (t) *in primo* gradu operatur *pænitudinem & dolorem*, ut risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mærorem convertat, & incipiant tibi displicere ea, quæ vehementer ante placuerant: ut illa specialiter horreas, quæ specialiter appetebas. Sic enim scriptum est: *Qui addit scientiam, addit & dolorem*: ut veracis & sanctæ scientiæ sit dolor subsequens argumentum. O homo si membrũ Christi es, (u) compatere Capiti tuo. Si frater Christi, es cõmorere fratri tuo. Plange, dole cùm gemitu & lachrymis super mortem pretiosam Unigeniti Dei Patris. Alioquin, si non doles, si non plangis, si non compatereris: deliras, degeneras, belluam sapis, lethargum pateris, hominem diffiteris. *In secundo* gradu [x] scientia ista operatur *correctionem*: ut jam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed coërceas gulam, jugules luxuriam, superbiam deprimas, & facias servire corpus sanctitati, quod iniquitati ante servierat. Pudeat sectari vanam gloriam membra, (y) quibus Caput suum tam inglorium exhibetur, non habens speciem aut decorem, vel aliquid ejusmodi. Pudeat sub spinato Capite membrum fieri delicatum, quòd omnis ei interim purpura non tam honoris sit, quàm irrisionis. Pænitudo etiam [z] sine correctione non proderit, sicut Sapiens ait: *Unus ædificans, & unus destruens, quid prodest eis nisi labor? Unus orans, & unus maledicens, cujus vocem exaudiet Deus? Qui enim baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eum, nihil proficit lavatio ejus*: sed juxta Salvatoris sententiam verendum est, *ne ei aliquid deterius contingat*. Sed quia hæc diutiùs haberi non possunt, nisi circa se multa circumspectione mens indefessa vigilet & attendat: ideò scientia ista in *tertio* gradu operatur *sollicitudinem*, ut jam sollicitus incipiat bono ambulare cum *Deo* suo, & ex omni parte scrutetur, ne vel levissima re tremendæ illius Majestatis offendatur aspectus. In *pænitudine* accenditur, in *correctione* ardet, in *sollicitudine* lucet, ut interiùs & exteriùs renovetur. Hic jam homo respirare incipit à tribula-

o *Ser.* 2. *in Cæna Dom. num.* 9. p *Ser.* 43. *in Cant nu.* 3. q *Ibidem num.* 4.

r *Tract. de inter. dom. cap.* 4. *num.* 93. s *Ser.* 2. *de Virg. Deip. num.* 11. t *Ser.* 3. *in Vig. Nat. Dom. num.* 4. u *Ser. de excellen. Sacram. num.* 6. x *Ser.* 3. *in Vig. Nat. Dom. nu.* 4. y *Ser.* 5. *de omn. Sanct. nu.* 9. z *Ser.* 3. *in Vig. Nat. Dom. num.* 4.

bulatione malorum & dolore, (a) & timoris magnitudinem ſpirituali lætitia temperare, ne in ſuorum enormitate ſcelerum abundantiori triſtitia abſorbeatur. Hinc etſi timet à Judice, ſperat tamen à Salvatore: cùm jam in animo ejus timor et lætitia obequitent & obuient ſibi, plerunque timor lætitiam ſuperet, lætitia ſæpiùs timorem excludat, & intra ſui gaudii concludat arcanum. Eelix conſcientia, in qua luctamen hujuſmodi indeſinenter conficitur, donec quod mortale eſt abſorbeatur à vita, donec avacuetur timor qui ex parte eſt, & ſuccedat lætitia, quod perfectum eſt: quia non timor ſempiternus, ſed lætitia ſempiterna erit ei. Jam verò ſic ardens & lucens, nondum in domo ſe eſſe confidat, ubi ſine omni timore ventorum accenſum lumen ſoleat deportari: ſed meminerit ſe eſſe ſub dio, & vtraque manu ſtudeat operire quod portat, nec credat aëri, etiamſi videat eſſe tranquillum. Repentè enim et hora qua non putaverit, mutabitur: & ſi vel ad modicum manus remiſerit, lumen extinguetur. Quod etſi etiā ardor portantis manus (ut quandoq; fieri ſolet) aduſſerit, eligat potiùs pati, quàm retrahere manus ſuas, quia in momento, in ictu oculi poterit exſufflari. Si eſſemus in domo illa non manufacta æterna in cælis, ubi nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, nihil eſſet timendum. Nunc verò tribùs maligniſſimis & validiſſimis ventis expoſiti ſumus, *carni*, *diabolo*, & *mundo*: qui conſcientiam illuminatam moliuntur extinguere, inſufflantes in cordibus noſtris deſideria mala, motus illicitos; & ita te repentè turbantes, ut vix prænoſcere valeas, unde venias, aut quò vadas. Ex quibus etſi duo ſæpiùs intermittunt, à tertio tamen nemo vnquam exufflandi inducias extorſit. Ideoquè vtriſque manibus & *cordis* & *corporis* anima eſt regenda, ne fortè quæ jam illuminata fuerat, extinguatur. Nec cedendum vel recedendum eſt, etiamſi gravis tentationum fervor vtriuſque hominis ſtatum vehementer afflixerit, ſed dicendum cum ſancto Propheta: *Anima mea in manibus meis ſemper*. Eligamus potiùs ardere, quàm cedere. Et ſicut quod in manibus noſtris tenemus, non facilè obliuiſcimur: ſic nunquam obliviſcamur negotium animarum noſtrarum, & illa cura principaliter vigeat in cordibus noſtris. Et quia Paſſio Chriſti [b] vltimum eſt refugium & ſingulare remedium. Proinde (c) ſi tentationum ſentis aculeos, exaltatum in ligno ſerpentem æneum intuere: & ſuge non tam vulnera, quàm vbera Crucifixi. Quid enim eſt tam efficax ad curanda conſcientiæ vulnera, [d] necnon ad purgandam mentis aciem, quàm Chriſti vulnerum ſedula meditatio?

§. III.

Hæc eſt mea (e) ſublimior interim philoſophia, ſcire JESUM, & hunc crucifixum. Cuius ſchola eſt in terris, (f) & cathedra in cælo. Ipſe eſt Magiſter & Dominus, (g) cujus ſchola eſt in terris, cathedra in cælis. Origo fontium (h) & fluminum omnium mare eſt: virtutum & ſcientiarum Dominus Jeſus Chriſtus eſt. Quis enim Dominus virtutum, niſi ipſe Rex gloriæ? Sed & juxta Annæ canticum, idem ipſe Deus ſcientiarum Dominus eſt. Continentia carnis, cordis induſtria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Nonſolùm autem, ſed & ſi quis callet ingenio, ſi quis nitet eloquio, ſi quis moribus placet, inde eſt. Inde ſcientiæ, inde ſapientiæ ſermo. Theſauri ſiquidem ſapientiæ & ſcientiæ ibi omnes abſconditi ſunt. Quid verò caſta conſilia, juſta judicia, ſancta deſideria, nonne riuuli fontis illius ſunt? Filius Altiſſimi ſcientiæ clavem habet: (i) imò ipſe eſt clavis David, qui claudit & nemo aperit. In eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. O ſi te vnquam (k) in ſchola pietatis ſub Magiſtro Jeſu merear habere ſodalem! O ſi mihi liceat purificatum priùs tui pectoris vaſculum ſupponere vnctioni quæ docet de omnibus! O quàm libens tibi partirer calidos panes, quos vtique adhuc fumigantes, & quaſi modò de furno (ut aiunt) recèns tractos, de cæleſti largitate crebrò Chriſtus crucifixus ſuis pauperibus frangit! Vtinam ſi quam mihi guttam quandoque de pluuia voluntaria, quam ſegregavit hæreditati ſuæ, ſtillare dignetur in dulcedine ſua pauperi Deus, mox eam tibi poſſem refundere, & rurſùs à te viciſſim recipere quod ſenſeris! Experto crede: aliquid amplius invenies in ſylvis, quàm in libris. Ligna & lapides docebunt te, quod à magiſtris audire non poſſis. An non putas poſſe te ſugere mel de petra, oleumquè de ſaxo duriſſimo. Nec deſunt foramina [l] per quæ effluant. Foderunt manus ejus & pedes, latuſquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleumquè de ſaxo duriſſimo, id eſt, guſtare & videre quoniam ſuavis eſt Dominus. Quàm ſalubriùs & tu diſceres Jeſum, (m) & hunc crucifixum. Quam vtique ſcientiam haud facilè niſi qui mundo crucifixus erit, apprehendit. Falleris ô homo, falleris ſi te putas invenire hanc ſcientiā apud mundi magiſtros, quam ſoli Chriſti diſcipuli, id eſt, mundi contemptores Dei munere aſſequuntur. Non enim hanc ſcientiam lectio docet, ſed vnctio: non litera, ſed Spiritus: non eruditio, ſed exercitatio in mandatis Domini. *Seminate* (inquit Propheta Oſeas) *vobis ad juſtitiam, metite ſpem vitæ, illuminate vobis lumen ſcientiæ*. Vltimam poſuit ſcientiam, tanquam picturam, (n) quæ ſtatum habere nequeat ſuper inane: & ideo illa duo præmiſit & ſubiecit illi, tanquam ſi ſolidum aliquid picturæ ſubſterneret. Vides quia non rectè proditur ad lumen *ſcientiæ*, [o] niſi juſtitiæ germen præcedat ad animam: ex quo formetur granum vitæ, & non palea gloriæ. Quid ergo? Nondum tibi ad juſtitiam ſeminaſti, nondum ſpei manipulos meſſuiſti, & veram te præſumis ſectari *ſcientiam*? Niſi fortè pro vera ſupponitur illa quæ inflat. O quàm plurimi hominum (p) ſalui facti ſunt placentes moribus atque virtutibus! Quantos enumerat Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, factos dilectos non in ſcientia literarum, ſed *in conſcientia pura & fide non ficta*? Omnes placuerunt Deo in vita ſua, vitæ meritis, non ſcientiæ. Petrus & Andreas & filii Zebedæi,

Yyy cæte-

a *Ibidem. num.* 5. b *Ser.* 22. *in Cant. num.* 9. c *Epiſt.* 352. *n.* 2. d *Ser.* 62. *in Cant. num.* 7. e *Ser.* 43. *in Cant. num.* 4. f *Ser. de S. Andr. num.* 2. *tom.* 6. *pag.* 784. g *Ser.* 40. *diver. n.* 1. h *Ser.* 22. *in Cant. num.* 1.

i *Ser.* 1. *de Advent. Dom. num.* 3. K *Epiſt.* 106. *num.* 2. l *Ser.* 61. *in Cant. num.* 4. m *Epiſt.* 108. *num.* 2. n *Ser.* 37. *in Cant. num.* 2. o *Epiſt.* 108. *num.* 2. p *Ser.* 36. *in Cant. num.* 1.

cæterique Condiscipuli omnes non de schola Rhetorum aut Philosophorum assompti sunt, & nihilominùs tamen Saluator per ipsos operatus est salutem in medio terræ. Non in sapientia quæ in ipsis esset plusquàm in cunctis viventibus, (quemadmodùm Sanctus aliquis de semetipso confessus est) sed in fide & lenitate ipsorum salvos fecit illos, etiam & Sanctos, etiam & Magistros. Denique notas mundo fecerunt vias vitæ, & non in sublimitate sermonis, aut in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed sicut placuit Deo per stultitiam prædicationis eorum salvos facere credentes, quia mundus eum in sua sapientia non cognovit. Hi sunt Magistri nostri, (q) qui à Magistro omnium vias vitæ pleniùs didicerunt, & docent nos usque in hodiernum diem. Quid autem docuerunt vel docent nos Apostoli Sancti? Non Platonem legere, non Aristotelis versutias inversare, non semper discere, & nunquam ad veritatis scientiam pervenire. Docuerunt nos vivere. Putasne parva res est scire vivere? Magnum aliquid, imò maximum est. Non vivit qui superbiâ inflatur, qui luxuriâ sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus: quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere, & appropinquare usque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, & mala pati, & bona facere, & sic perseverare usque ad mortem. Scientia sæcularis inebriat quidem, (r) sed curiositate, non charitate: implens, non nutriens: inflans, non ædificans: ingurgitans, non confortans. Denique pessimus est mons inflans scientia, [s] in quem tamen usque hodie videas tantâ concupiscentiâ plurimos repere filiorum Adam, ac si non noverit quantùm pater eorum in illius montis ascensu descenderit, imò quàm graviter ceciderit, quantùm tota dejecta sit & conquassata posteritas. Nondum sanata sunt vulnera quæ tibi in ascensu montis illius inflicta sunt, licet adhuc in patre lateres: & nunc iterùm in propria persona conaris ascendere, ut sit error novissimus pejor priore? Quænam miseris tam dira libido? *Filii hominum* (ait Psalmista) *usquequò gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* An ignoratis, *quoniam infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & stultos mundi elegit Deus, ut confundat Sapientes?* Non nos Dei comminantis terror revocat, perdituri sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobaturi: non primi patris exemplum, non denique sensus ipse noster, & duræ experientia necessitatis, cui sumus addicti per insipientem scientiæ appetitum. Ecce vobis, Fratres, montem demonstravimus, [t] non quem ascendatis, sed quem fugiatis. Ipse est in quem ascendebat qui voluit esse sicut Deus, sciens bonum & malum. Ipse est in quem usque hodie filii ejus accumulant & elevant, nihil invenientes tam vile, unde non velint montem elevare scientiæ. Videas alium literarum, alium mundialis curæ, istum placitationum displicentium Deo, illum servilis cujuslibet artis tam vehementer affectare scientiam, ut laborem non reputet, tantummodò ut possit aliquibus doctior reputari. Et tamen audiet: Nec si te ruperis apprehendes. In amaritudine morabitur oculus ejus, quoties videre contigerit, cui se posteriorem judicet, aut putet ab aliis reputari. Quid cùm intumuerit multùm? *Perdam* (inquit Dominus) *sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium.* Experti sunt hoc Philosophi gentium, (u) qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Denique traditi sunt in reprobum sensum, usque ad ipsas etiam passiones ignominiæ corruerunt. Adeo vera probatur esse illa sententia: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.*

§. IV.

Videar forsitan nimius esse in suggillatione scientiæ, (x) & quasi reprehendere doctos, ac prohibere studia literarum? Absit. Non ignoro quantùm Ecclesiæ profuerint & prosint Literati sui, sive ad refellendos qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos. Denique legi: *Quia tu repulisti scientiam, repellam & ego te, ut non fugaris mihi sacerdotio.* Legi: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Sed tamen scio ubi legerim: *Scientia inflat.* Et rursùm: *Qui apponit scientiam, apponit & dolorem.* Vides quia differentia est scientiarum, quando alia *inflans*, alia *contristans* est? Tibi verò (velim scire) quænam harum videatur utilior seu magis necessaria ad salutem, illane quæ tumet, an quæ dolet? Sed non dubito quin dolentem scientiam tumenti præferas: quia sanitatem, quam tumor simulat, dolor postulat. Qui autem postulat, propinquat saluti: quoniam *qui petit, accipit*. Denique qui sanat contritos corde, execratur inflatos, dicente Sapientia: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Et Apostolus ajebat: *Dico autem per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem.* Non prohibet sapere, sed plus sapere quàm oportet. Quid est autem *sapere ad sobrietatem?* Vigilantissimè observare, quid scire magis priùsuè oporteat. Tempus enim breve est. Est autem [quod in se est] omnis scientia bona, quæ tamen veritati subnixa sit: sed tu qui cum timore & tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, ea scire priùs ampliusuè curato, quæ senseris viciniora saluti. Nonne medici corporum medicinæ portionem diffiniunt eligere in sumendis cibis quid priùs, quid posteriùs, & quemadmodùm, quidquè sumi oporteat? Nam etsi bonos constat esse cibos quos Deus creavit, tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modum & ordinem non observes, reddis planè non bonos. Ergo quod dico de cibis, [y] hoc sentite & de scientiis. Sed meliùs mitto vos ad Magistrum Paulum Apostolum. Non est enim nostra ista sententia, sed illius; imò & nostra, quoniam veritatis. *Qui se* (inquit) *putat aliquid scire, nondum scit quomodò oporteat eum scire.* Vides quoniam

q *Ser. 1. de Sanct. Apost. Petro & Paulo. num. 3.* r *Ser. 9. in Cant. num. 7.* s *Ser. 4. de Ascens. Dom. num. 4.* t *Ibidem num. 5.*

u *Ser. 4. de verb. Esai. num. 2.* x *Ser. 36. in Cant. num. 2.* y *Ibidem num. 3.*

niam non approbat multa scientem, si sciendi modum nescierit? Vides, inquam, quomodò fructum & utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit *modum sciendi*? Quid, nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat. *Quo ordine*? Ut id priùs, quod maturius ad salutem est. *Quo studio*? Ut id ardentiùs, quod vehementius ad amorem est. *Quo fine*? Ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantùm ad ædificationem tuam uel proximi. *Sunt* namque qui scire volunt eo fine tantùm, ut sciant: & turpis *curiositas* est. Et *sunt* qui scire volunt, ut sciantur ipsi: & turpis *vanitas est*. Qui profectò non evadent subsannantem Satyricum, & ei qui ejusmodi est decantantem: *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter*. Et *sunt* item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causâ pro pecunia, pro honoribus: & *turpis quæstus est*. Sed *sunt* quoque qui scire volunt, ut ædificent: & *charitas* est. Et *sunt* item qui scire volunt, ut ædificentur: & *prudentia* est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ, quippè qui ad hoc volunt intelligere ut benefaciant. Reliqui omnes [z] audiant Jacobum Apostolum: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est ei*. Ac si per similitudinem dicat: Sumenti cibum & non digerenti, perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, (quæ est *memoria*) si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam artus animæ (mores scilicet atque actus) transfusa atque digesta, quatenus ipsa de bonis quæ noverit vita attestante & moribus bona efficiatur: nonne illa scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conversus in pravos noxiosquè humores? An non malus humor peccatum? an non mali humores pravi mores? An non inflationes & torsiones in conscientia sustinebit qui hujusmodi est, sciens videlicet bonum, & non faciens? An non responsum mortis & damnationis toties in semetipso habebit, quoties in mentem venerit sermo quem dixit Deus: *Servus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis*? Et vide ne fortè in persona talis animæ Propheta Jeremias plangeret dicens: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo*. Nisi quòd ipsa ingeminatio geminum videtur innuere sensum, ut præter hunc quem diximus, etiam alium requiramus sensum. Puto enim quòd in sua persona potuit hoc dixisse Propheta, quòd videlicet scientiâ plenus, & æstuans charitate, & omninò effundere cupiens, non inveniret qui curaret audire: & sic quasi oneri sua sibi scientia erat, quam communicare non poterat. Plangit itaque pius Ecclesiæ Doctor tam illos, qui scire contemnunt quomodò sit vivendum; quàm illos, qui scire contemnunt quomodò sit vivendum; quàm illos qui scientes quomodò sit vivendum, malè nihilominùs viuunt. Dicitur vulgò: (a) Qui benè se pascit, benè vivit. Sed mentita est iniquitas sibi: quia non benè vivit, nisi qui bonum facit. Advertisne jam quàm verum sensit Apostolus, quia *scientia inflat*. Proinde (b) sponsa dicit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Hoc est: Sufficit mihi, nolo jam scire nisi Jesum, & hunc crucifixum. Tu quoque si sapis, (c) imitaberis Sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens, quo possis dicere & tu: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Ibi enim (d) est cor. Et ubi est cor, ibi dilectio: & ubi dilectio, ibi dilecti Jesu est mansio. Proinde sit tibi Jesus semper in corde, [e] & nunquã imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio tua & meditatio tua. Semper cogita illum, nunc positum in præsepio, & pannis involutum: modò in templo Deo Patri à parentibus præsentatum. Nunc fugientem in Ægyptum, ibi diu in extrema paupertate & indigentia commorantem, & inde maximo cum labore redeuntem: modò in templo audientem Doctores & interrogantem, qui docet hominem scientiam; & postea parentibus subditum, cui jure omnis creatura subditur. Nunc esurientem in deserto & sitientem, qui est panis vitæ & fons sapientiæ, qui pascitur inter lilia, & implet omne animal benedictione: modò fatigatum ex itinere, sedere supra fontẽ, cum muliercula loquentẽ, totius mundi statum regentem. Postea factum in agonia prolixiùs orantẽ, & omnia omnibus sufficienter subministrantẽ: ab Angelo etiam ipsum, qui est dulcedo & consolatio Angelorum & hominum, consolationem nihilominùs recipientem. Deniq; cogita illum, qui est orbis sustentamentum, ad columnã ligatum & flagellatum. Cogita ipsum qui est Angelorum splendor, sputis illitum, palmis in facie percussum, coronâ spineâ coronatum, opprobriis saturatum. Ad ultimũ cogita illum cum iniquis reputatum, & pro te in Cruce pendentem & morientem, atque spiritum suum in manus Patris commendantem. Sic nimirùm erit *fasciculus myrrhæ dilectus tuus, sic inter ubera tua commorabitur*. Sic de omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini Dei tui colliga quasi fasciculum, ut amarum poculum lachrymarum tibi conficias. Alioquin (f) si non doles, si non plangis, si non compateris: deliras, degeneras, belluam sapis, lethargum pateris, hominem diffiteris. Avertat hoc à seruulis suis, [g] pro quorum salute induere dignatus est formam servi, Unigenitus Dei Patris, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT II.

De triplici utilitate Scientiæ passionis Dominicæ.

Nihil arbitratus sum me scire inter vos nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. *Paul.* 1. *Cor.* 2.

1. *Docemur, ut nobis perfectionem justitiæ constituamus in Scientia passionis Dominicæ, id est in meditatione ejus. Ex qua nobis quatuor proveniunt, sapien-*

z Iidem num. 4. & 5. a Ser. 1. de SS. Apost. Petr. & Pau. nu. 3.

b Ser. 45. in Cant. num. 3. c Ser. 43. in Cant. num. 2. d Ser. 2. in Cœna Dom. nu. 9. e Formula honest. vitæ nu. 2. & 3. tom. 6. pag. 1024. f Ser. de excellen. Sacramen. n. 6. g Ser. 3. in Nat. Dom. n. 6.

sapientia, justitia, meritum sanctitatis, & salus animæ. Duplici morti nostræ scilicet spirituali & corporali Christus una sua morte corporali ac voluntaria medelam attulit, dum & vitam nobis promeruit & justitiam. 2. Docemur, ut nobis divitias salutis constituamus in scientia seu meditatione passionis Dominicæ. Meditantes passionem Dominicam mira suavitate ac dulcedine reficiuntur. Fons omnium bonorum est meditatio passionis Dominicæ. Quatuor beneficia nobis conferuntur sub scapulis Jesu crucifixi: absconsio, protectio, obumbratio, alimentum. 3. Docemur, ut nobis copias meritorum constituamus in scientia seu meditatione passionis Dominicæ. Vulnerum Christi meditatio est expugnatio vitiorum, pariter & acquisitio virtutum. Merita nostra sunt miserationes Christi, necnon conceptio ejus & vita, mors & resurrectio, ascensio & missio Spiritus Sancti: quia omnia hæc donata sunt nobis. Ostenditur qualis cura meritorum nobis debeat esse. Nostra merita jungenda sunt meritis Christi. Merita sunt jejunia nostra, vigiliæ, opera misericordiæ, & cætera virtutum exercitia. Monemur, ne merita nostra habeant materiam præsumptionis & ingratitudinis.

§. I.

HÆc est sapientia [a] quam loquitur Paulus Apostolus: *Nihil arbitratus sum me scire inter vos nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*. Hæc est etiam mea [b] sublimior interim philosophia, scire JESUM & hunc crucifixum. Siquidem [c] veritatis Doctor depulit umbram ignorantiæ meæ, luce *sapientiæ* suæ. Per *justitiam* deinde quæ ex fide est, soluit funes peccatorum, gratis justificans peccatorem. Quo gemino beneficio inpleuit sermonem illum sancti David: *Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos*. Proinde recordabor dolorum ejus, [d] convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, clavorum, horumquè similium, quæ per eum & super eum abundantiùs transierunt. Hæc meditari [e] dixi sapientiam. In his *justitiæ perfectionem* mihi constitui. Quid enim [f] si multorum sim mihi conscius delictorũ? Nempe ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Etsi misericordiæ Domini ab æterno & usque in æternum, ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo. Numquid justitias meas? Domine memorabor justitiæ tuæ solius. Ipsa est enim & mea. Nempe factus es mihi tu justitia à Deo. Numquid mihi verendum est, ne non una ambobus sufficiat? Non est pallium breue, quod secundùm Prophetam Isaiam non possit operire duos. Justitia tua justitia in æternum. Quid longius æternitate? Et te pariter & me operiet largiter larga & æterna justitia. Et in me quidem operit multitudinem peccatorum, in te autem Domine Jesu quid nisi pietatis thesauros, divitias bonitatis? Hæ in foraminibus petræ sunt repositæ mihi: foramina petræ vulnera Christi interpretans. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ in illis, opertæ quidem, sed in his qui pereunt. Ut quid enim Sanctum detur canibus, vel margaritæ porcis? Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, etiam & apertis foraminibus introduxit in Sancta. Quanta in his multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioquè virtutum inveniatur? Passio tua Domine Jesu ultimum est refugium, (g) singulare remedium. Deficiente sapientia, justitia non sufficiente, sanctitatis succũbentibus meritis, illa succurrit. Quis enim de sua vel sapientia vel justitia vel sanctitate præsumat sufficientiam ad salutem? *Non quòd sufficientes* (inquit Apostolus) *simus cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*. Itaque cùm defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido, scio quid faciam. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Quid est (h) Calicem accipiam? *Anima mea desiderabit te in nocte, sed & spiritus meus in præcordiis meis. Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ meæ*. Quicunque enim invocaverit nomen Domini, saluus erit. Non solùm autem nomen, sed & memoriale Passionis ejus semper sit in desiderio animæ meæ, ut Passionis ejus particeps efficiar, si quoquomodò cognoscere potero sicut & agnitus sum. Sic ergo Calicem ejus accipi(i), quia monumenta passionis Dominicæ intra animæ meæ sinum, intra memoriæ meæ cellas semper revolvam. Aspiciam Regem Salamonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Aspiciam eum ligatum, flagellatum, consputum, saturatum opprobriis, clavisquè confixum. Hæc & alia patientis & morientis Domini mei Jesu memorialia memoriæ meæ arctiùs commendabo, & ad ea cogitationis revocans ruminabo diutiùs, ut impinguer devotiùs. Illumina oculos meos Domine Jesu, (i) ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore: & *sapiens* sum. Delicta juuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris: & *justus* sum. Deduc me Domine in via tua: & *sanctus* sum. Verumtamen nisi interpellet Sanguis tuus pro me, *saluus* non sum. Si autem [k] in mentem venerit tam potens tamquè efficax medicamentum, nulla jam possum morbi malignitate terreri. Nam de remissione quidem peccatorum [l] validissimum teneo argumentum Dominicam passionem. Vox siquidem Sanguinis ejus invaluit multò plùs quàm vox sanguinis Abel, clamans in cordibus electorum remissionem omnium peccatorum. *Traditus est* enim *propter peccata nostra*: nec dubium quin potentior & efficacior sit mors illius in bonum, quàm peccata nostra in malum. Peccavi peccatum grande, [m] turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerũ Domini Jesu recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem est, quod non Christi morte saluetur. Cùm enim gemina morte secundùm utramque naturam homo damnatus fuisset, [n] altera quidem spirituali & voluntaria, altera corporali & necessaria: utrique morti Deus Homo una sua corporali ac voluntaria morte benignè & potenter occurrit, illaquè una sua nostram utramque mortem damnavit. Meritò quidẽ. Nam ex duabus mortibus nostris, cùm altera nobis in culpæ meritum, altera in pænæ debitũ reputaretur,

a *Ser. 2. in Dom. 1. post. oct. Epiph. num. 1.* b *Ser. 43. in Cant. num. 4.* c *Ser. 22. in Cant. nu. 7.* d *Ser. infer. 4. hebd. San. nu. 11.* e *Ser. 43. in Cant. num. 4.* f *Ser. 61. in Cant. num. 5.*

g *Ser. 22. in Cant. num. 9.* h *Ser. de Verb. Sap. num. 4. & 5. tom. 6. pag. 769.* i *Ser. 22. in Cant. nu. 9.* k *Ser. 6. in Cant. nu. 3.* l *Ser. 1. in Annunc. B. M. nu. 4.* m *Ser. 61. in Cant. nu. 3.* n *Tract. de exhort. ad milit. templi. cap. 11. num. 20.*

tur, suscipiens pœnam & nesciens culpam, dum sponte & tantùm in Corpore moritur, & vitam nobis & justitiam promeretur. Alioquin si corporaliter non pateretur, debitum non solvisset: si non voluntariè moreretur, meritum mors illa non habuisset. Nunc autem si mortis meritum est peccatum, & peccati debitum mors, Christo remittente peccatum, & moriente pro peccatoribus, profectò jam nullum est meritum, & solutum est debitum. Sed unde rursùm confidimus. (o) quòd mortem abstulit? Hinc planè, quòd eam ipse qui non meruit pertulit. Qua enim ratione iterùm exigeretur à nobis, quod pro nobis ille jam soluit? Qui peccati meritum tulit, suam nobis donando justitiam: ipse mortis debitum soluit, & reddit vitam. Sic namque mortua morte revertitur vita, quemadmodùm ablato peccato redit justitia. Porrò mors in Christi morte fugatur, & Christi nobis justitia imputatur. Sed quæ, inquis, justitia est, (p) ut innocens moriatur pro impio? Non est justitia, sed misericordia. Si justitia esset, jam non gratis, sed ex debito moreretur. Si ex debito: ipse quidem moreretur, sed is pro quo moreretur, non viveret. At verò si justitia non est, non tamen contra justitiam est. Alioquin & justus & misericors simul esse non posset. Sed etsi justus (inquis) non injustè pro peccatore satisfacere valeat, quo tamen pacto etiam unus pro pluribus? Etenim satis esse videretur ad justitiam, si unus uni moriens vitam restituat? Hinc jam respondeat Apostolus: *Sicut enim*, inquit, *per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius hominis obedientiam justi constituuntur multi*. Sed fortè unus (inquis) pluribus justitiam quidem restituere potuit, vitam non potuit? *Per unum* (ait Apostolus) *hominem mors, & per unum hominem vita. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*. Quid enim? Unus peccavit, & omnes tenentur rei: & unius innocentia soli reputabitur uni? Unius peccatum omnibus operatum est mortem, & unius justitia uni vitam restituet? Itane Dei justitia magis ad condemnandum quàm ad restaurandum valuit? Aut plùs potuit Adam in malo, quàm Christus in bono? Adæ peccatum imputabitur mihi, & Christi justitia non pertinebit ad me? Illius me inobedientia perdidit, & hujus obedientia non proderit mihi?

§. II.

Hæc est mea [q] sublimior interim philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum. Totus siquidem mihi datus est, [r] & totus in meos usus expensus est. Se dedit in meritum, [s] se seruat in præmium, se apponit in refectionem animarum sanctarum, se in redemptionem distrahit captiuarum. Bonus pastor, (t) qui Animam suam dat pro ovibus suis. Animam pro illis, Carnem illis. Illam in precium, istam in cibum. Bonus minister, [u] qui Carnem suam in cibum, Sanguinem in potum, Animam ministravit in precium. Ipse laboravit sustinens, [x] manus ejus in laboribus servierunt. Denique languores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portavit, vir dolorum, pauper & dolens, tentatus per omnia absque peccato. Et in vita passivam habuit actionem, & in morte passionem activam sustinuit, dum salutem operaretur in medio terræ. Proinde memor ero quamdiu fuero, laborum illorum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum ejus, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumquè similium, quæ per eum & super eum abundantiùs transierunt. Hæc meditari (y) dixi sapientiam. In his mihi *divitias salutis* constitui. Ibi enim proculdubio (z) thesaurus ineffabilis desiderabilis charitatis latet. Ibi nova devotio invenitur: inde lacrymarum gratia extrahitur, discitur mansuetudo, patientia in adversis, compassio in afflictis. Ibi continentiæ nitor lucet, (a) & sinceræ veritatis intus *oculos cordis* irradiat. *Auditui* quoque dat gaudium & lætitiam dulcissima vox Consolatoris interni. Ibi quibusdam spei *naribus* influit jucundissimus odor agri pleni, cui Dominus benedixit. Ibi avidissimè *prælibabantur* incomparabiles deliciæ charitatis: & succisis spinis ac vepribus quibus antea pungebatur, unctione misericordiæ perfusus animus meditantis in conscientia bona feliciter requiescit. Ibi remedium vulnerũ est, (b) ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum, ibi profectuum copiæ repositæ sunt: ibi denique invenitur, quidquid accipere vel habere hominibus expedit, quidquid decet, quid quid oportet. Inveniet quoque locum tabernaculi admirabilis, (c) ubi panem Angelorum manducet homo: inveniet paradisum voluptatis plantatum à Domino: inveniet hortum floridum & amænissimum. Splendidissima inibi lilia vernat: [d] & cùm flores apparent, etiam vox turturis auditur. Illic nardus sponsæ fragrantissimum præstat odorem, & cætera quoque aromata fluunt, Austro spirante, Aquilone fugato. Ibi media est arbor vitæ, malus illa de Cãtico cunctis preciosior lignis sylvarum, cujus & umbra sponsam refrigerat, & fructus dulcis gutturi ejus. Ait enim (e) *Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios*. Meritò *sicut malus*, qui instar fructiferæ arboris & umbram refrigerii habet, & fert fructum optimum. An non verè fructiferum lignum cujus flores fructus honoris & honestatis? Denique lignum vitæ est apprehendentibus eum. Non comparabuntur huic omnia ligna sylvarum: quia etsi sint arbores pulchræ & magnæ, quæ opem ferre videantur orando, ministrando, exemplis juvando: solus tamen Dei Sapientia Christus crucifixus lignum est vitæ, solus panis vivus qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Ideo Sponsa ait: (f) *Sub umbra ejus quem desideraveram sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo*. Meritò ejus desideraverat umbram, de quo & refrigerium esset & refectionem pariter acceptu-

o *Ibidem num.* 22. p *Ibidem num.* 23. q *Ser.* 43. *in Cant. numer.* 4. r *Ser.* 3. *in Circumcis. num.* 4. s *Tract. de dilig. Deo cap.* 7. *nu.* 22. t *Ser.* 31. *in Cant. n.* 11. u *Ser.* 54. *in Cant. n.* 1.

x *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. num.* 11. y *Ser.* 43. *in Cant. num.* 4. z *Tract. de vite myst. cap.* 44. *num.* 169. a *Tract. de Convers. ad Cleric. cap.* 13. b *Ser.* 86. *in Cant. num.* 3. c *Tract. de Convers. ad Cleric. cap.* 12. *num.* 24. d *Ibidem. cap.* 13. *numer.* 25. e *Ser.* 48. *in Cant. num.* 5. f *Ibidem num.* 6.

ceptura. Nam cætera quidem sylvarum ligna etsi umbram solatii habent, sed non vitæ refectionem, non fructus perpetuos salutis. Unus est enim vitæ Auctor, unus mediator Dei & hominus Homo Christus Jesus crucifixus, qui dicit sponsæ suæ: *Salus tua ego sum.* Item: *Non Moyses* (inquit) *dedit vobis panem hunc de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Propterea ergo Christi potissimùm desideraverat umbram, quòd solus sit, qui non solùm ab æstu refrigerat vitiorum, sed & replet delectatione virtutum. Unde sponsa ait: (g) *Et fructus eius dulcis gutturi meo*: gustum contemplationis significans, quem obtinuerat per *amorem* suaviter sublevata. At istud in umbra, per speculum & in ænigmate. Erit cùm declinaverint umbræ crescente lumine, imò penitùs disparuerint, & subintrabit sicut perspicua ita & perpetua visio: eritquè nonmodò suavitas gutturi, sed & satietas ventri, sine fastidio tamen. Interim sit tibi Jesus in corde, (h) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Ipse namque (i) *scapulis suis obumbrabit tibi.* Credo in his scapulis geminam Dei promissionem intelligendam esse, vitæ scilicet hujus quæ nunc est, pariter & futuræ. Si enim solum promitteret regnum, & in itinere deesset viaticum, omninò cõquererentur homines & responderent: Magnum quidem est quod promittitur, sed perveniendi illuc nulla facultas datur. Propterea qui post hoc sæculum vitam promisit æternam, ipse dandum etiam in hoc sæculo centuplum providentissima pietate promisit. Sit ergo interim (k) meditatio nostra Christus, et hic crucifixus. Manna enim est (l) omnem saporem habens, et odoris delectationem: et requies est vera et sincera, suavis et salubris, jucunda et sancta. Hæc promissio (m) est vitæ præsentis. Sub his autem scapulis *quatuor* nobis beneficia conferuntur. Sub his enim scapulis Jesu crucifixi *abscondimur*, sub his in occursu accipitrum & miluorum protegimur, quæ sunt aëreæ potestates: sub his umbraculum salubre *refrigerat* nos, & repellit nimium Solis fervorem: sub his quoque *alimur* & fovemur. Ait enim Propheta in alio Psalmo: *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in in die malorum*: id est, dum adhuc dies mali sunt, & in terra aliena sumus, quæ data est in manus impii, in qua non est regnum pacis, nec Deus pacis regnat in ea. Nam si regnat, quid est quod orantes dicimus: *Adveniat regnum tuum?* Necesse igitur est abscondere interim si quid habemus boni, quoniam thesaurum regni cælorum qui invenit homo abscondit. An non timetis ne fortè hîc vili mercede recepta, in futuro mercedem non habeatis? Necessaria est ergo hæc *absconsio* non solùm ante oculos aliorum, sed etiam multò magis ante teipsum. Hoc enim habet Dominica illa sententia: *Cùm feceritis omnia quæ præcipiuntur vobis, dicite, Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus*: væ enim nobis si non fecissemus. Et hæc est utique magna virtus, & summa securitas, quando & piè vivis, & tamen plùs attendis quæ desunt tibi, quàm quæ obtinuisse videris, oblitus quæ retrò sunt, & extendens te in interiora. De *protectione* quoque (n) idem ait Propheta sic: *Obumbrasti super caput meum in die belli.* Sicut enim videns venientem accipitrem mater expandit alas suas, ut pulli subeant, & habeant tutum refugium: sic nobis parato & quodammodò dilatato sinu extensa est summa illa & ineffabilis pietas Domini nostri Jesu Christi crucifixi. Unde idem Propheta dicit: *Quoniam refugium meum es tu.* Hoc refugium qui declinat, (o) nihil mirum si effugere non meretur. Jam verò sub ipsis quoque scapulis [p] & *umbraculum* salubre & *protectionem* habemus. Sicut enim iste corporeus Sol licet bonus sit & valdè necessarius, tamen & fervor ejus si temperatus non fuerit, infirmo capiti, & splendor infirmis oculis nocet, nec est Solis culpa, sed infirmitatis: sic etiam Sol justitiæ est. Unde & dicitur in Scriptura: *Noli nimiùm justus esse.* Non quòd justitia bona non sit, sed quia dum adhuc infirmi sumus, opportet ipsa bona gratiâ temperari, ne fortè elationis aut indiscretionis vitium incurramus. Quid est quòd incessanter orantes & supplicantes non possumus ad eam quam desideramus gratiæ abundantiam pervenire? Putatis quia avarus aut inops factus est Deus, impotens aut inexorabilis? Absit hoc, prorsùs absit: sed ipse cognovit figmentum nostrum, & scapulis suis obumbrat nobis. Non tamen à petitione propterea cessandum est, quia etsi non dat ad satietatem, dat tamen ad sustentationem: etsi cavet nobis à fervore nimio, tamen fovet nos tanquam mater calore suo. Hoc est enim quartum beneficium, quod diximus sub scapulis ejus nobis præstari, ut tanquam pulli in calore materni corporis foveamur: ne foris vagantes moriamur, refrigescente nimirùm charitate, quæ non diffunditur in nobis nisi per Spiritum qui datur nobis. Sub his igitur pennis ejus securus sperabis, ut videlicet de exhibitione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum.

§. III.

Hæc est mea (q) sublimior interim philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum. Ad cumulum enim suæ pietatis [r] tradidit in mortem Animam suam, & de propio latere protulit precium satisfactionis, quo placaret Deum Patrem. Per quod illum planè ad se versiculum traxit: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Prorsùs copiosa: quia non gutta, sed vnda Sanguinis largiter per quinque partes corporis emanavit. Hæc meditari [s] dixi sapientiam. In his mihi copias meritorum constitui. Peccavi peccatum grande, (t) turbatur conscientia, sed non perturbabitur: quoniam vulnerum Domini Jesu recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Si ergo in mentem venerit tam potens tamquè efficax medicamentum, nulla jam possum morbi malignitate terreri. Et ideo liquet errasse illum (u) qui ait: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Nisi quòd non erat de membris Christi, nec pertinebat ad eum de Christi merito, ut suum præsumeret, suum diceret, quod illius esset tanquam rem capitis membrum.

Ego

g *Ibidem num.* 8. h *Formula honestæ vitæ num.* 2. i *Serm.* 4. *super Psal.* 90. *num.* 1. K *Ser.* 1. *de verb. Esaiæ num.* 2. l *Ser.* 4. *super Psalm.* 90. *num.* 2. m *Ibidem num.* 3. n *Ibidem nu.* 4.

o *Ser.* 9. *super Psal.* 90. *num.* 7. p *Ser.* 4. *super Psal.* 92. *num.* 4. q *Ser.* 43. *in Cant. num.* 4. r *Ser.* 22 *in Cant. nu.* 7. s *Ser.* 43. *in Cant. num.* 4. t *Ser.* 61. *in Cant. num.* 3. u *Ibidem num.* 4.

Ego verò fidenter quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei Jesu Christi crucifixi, quoniam misericordiâ affluunt: nec desunt foramina per quæ effluant. Ferrum pertransiit Animam ejus, & appropinquavit cor illius, ut non jam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clariùs quàm in vulneribus tuis eluxisset, quòd tu Domine Jesu suavis & mitis sis, & multæ misericordiæ? Majorem enim miserationem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro addictis morti & damnatis. Meum proinde meritum [x] est miseratio Domini Jesu Christi crucifixi. Non planè sum meriti inops, quàmdiu ille miserationum non fuerit. Quòd si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominùs ego in meritis sum. Quid enim si multorum sim mihi conscius delictorum? Nempe ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Verè vidimus gloriam ejus, (y) gloriam quasi Unigeniti à Patre: quia totum paternum est, quod de corde Patris Christus attulit nobis, ut nihil in Filio Dei nisi dulce, nisi paternum humani generis trepidatio suspicetur. A planta pedis usque ad verticem non erat in nobis sanitas: erravimus ab utero, in utero damnati antequam nati, quia de peccato & in peccato concepti. Christus ergo ibi primùm medicinam apposuit, (z) ubi primus vulneri patebat locus: & substantialiter utero Virginis illapsus, de Spiritu Sancto conceptus est, ut conceptionem nostram mundaret, quam spiritus malus etsi non fecerat, tamen infecerat: ut non esset etiam in utero vita ipsius ociosa, dum novem mensibus purgat vulnus antiquum, scrutans (ut vulgò dicitur) usque ad imum putredinem virulentam, ut sanitas sempiterna succederet. Et nunc jam operabatur salutem nostram in medio terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ. Placebitne tibi Domine Jesu, (a) ut dones mihi vitam tuam, sicut dedisti conceptionem? quia non solùm conceptio mea immunda est, sed & vita perversa, mors periculosa, & post mortem restat mors gravior, mors secunda. Non solùm (ait) conceptionem meam, sed & vitam meam, & hoc per singulos ætatum gradus infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, juventutis, tibi donabo, adiiciens mortem resurrectionem, ascensionem, & missionem Spiritus Sancti. Hoc autem ideo, ut *Conceptio* mea emundet tuam, *Vita* mea instruat tuam, mors mea destruat tuam, *Resurrectio* mea præcedat tuam, *Ascensio* mea præparet tuam, porrò *Spiritus* adjuvet infirmitatem tuam. Sic enim planè videbis & viam per quam ambules, & cautelam qua ambules, & ad quam ambules mansionē. In *Vita* mea cognosces vitam tuam, ut sicut ego paupertatis & obedientiæ, humilitatis & patientiæ, charitatis & misericordiæ indeclinabiles semitas tenui: sic & tu eisdem vestigiis incedas, non declinans ad dexteram neque ad sinistram. In *Morte* autem mea dabo tibi justitiam meam, dirumpens jugum captivitatis tuæ, & expugnans hostes qui sunt in via vel juxta viam, ut non apponant ampliùs nocere tibi. Sed quis scit (b) si data est mihi? Mihi data est, quia alteri dari non potuit. Numquid Angelo? Sed ille non eguit. Numquid diabolo? Sed ille non resurgit. Denique non in similitudinem Angelorum, absit autem ut in similitudinem dæmonum, sed in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, exinanivit semetipsum. Sed quo fructu Rex ille dives (c) & prædives exinanitus est? Nempe ut omnes ejus paupertate locupletemur. Porrò fructum talem expectamus nostri amoris, [d] qualem ipse quem amamus, promisit: *Mensuram* (inquiens) *plenam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*. Felix in sua universitate Ecclesia, (e) cujus omnis glotiatio impar est causæ, non pro his tantùm quæ illi jam facta sunt, sed pro his quoque quæ de illa adhuc oportet fieri. Nam & de meritis quid sollicita sit, cui de proposito Dei firmior suppetit securiorquè gloriandi ratio? Non potest seipsum negare Deus, neque non facere quæ jam fecit, (ut scriptum est) qui fecit quæ futura sunt. Faciet, faciet, nec deerit suo proposito Deus. Sic non est quod jam quæras quibusnam meritis speremus bona futura, præsertim cùm audias apud Prophetam Ezechielem: *Non propter vos, sed propter me ego faciam, dicit Dominus*. Sufficit ad meritum scire, quòd non sufficiant merita. Sed sicut ad meritum satis est, de meritis non præsumere: sic carere meritis, satis ad judicium est. Porrò constat infantium renatorum neminem carere meritis, sed Christi habere merita. Quibus se tamen indignos reddunt, si sua jungere non nequiverint, sed neglexerint: quod quidem periculum jam adultæ ætati est. Cùm enim consummatio fieri debeat de nobis, (f) sive etiam in nobis, non autem à nobis; creatio verò facta sit & sine nobis: sola quæ nobiscum quodammodò fit propter consensum voluntarium nostrum, in merita nobis reputabitur reformatio. Ipsa sunt jejunia nostra, vigiliæ, continentia, operaquè misericordiæ, cæteraquè virtutum exercitia: per quæ utique constat interiorem hominem nostrum renovare de die in diem. Merita proinde habere cures; (g) habita, data noveris: fructum speraveris Dei misericordiam, & omne periculum evasisti paupertatis, ingratitudinis, præsumptionis. Perniciosa paupertas est penuria meritorum: præsumptio autem spiritûs sunt fallaces divitiæ. Et ideo divitias & paupertatem ne dederis mihi Domine, ait Sapiens. Felix Ecclesia, cui nec merita sine præsumptione, nec præsumptio absque meritis deest. Habet unde præsumat, sed non merita. Habet merita, sed ad promerendum, non ad præsumendum. Ipsum non præsumere, nonne promereri est? Ergo eò præsumit securiùs, quò non præsumit: & non est quòd confundatur in verbo gloriæ, cui multa est materies gloriandi. Misericordiæ Domini multæ, & veritas ejus manens in æternum. Vis adhuc preciosiores divitias (h) & superexcellentem gloriam invenire? Habes charitatem in passione Christi. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam*

x *Ibidem num. 5.* y *Ser. 2. in die Pent. num. 3.* z *Ibidem num. 4.* a *Ibidem num. 5.*

b *Ser. in fer. 4. hebd. san. num. 10.* c *Ser. 3. in Annunc. B. M. num. 8.* d *Ser. 11. in Cant. num. 4.* e *Ser. 68. in Cant. num. 6.* f *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 14. num. 49.* g *Ser. 68. in Cant. num. 6.* h *Ser. 4. in vig. Nat. Dom. num. 7.*

suam ponat quis pro amicis suis. Hæ divitiæ salutis & gloriæ est Sanguis preciosus quo redempti sumus, & Crux Dominica, in qua cum Apostolo gloriamur: *Mihi*, inquit, *absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi*, Et dicebat: *Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum*. Ipsa est læva Christus Jesus, & hic crucifixus: nam dextera quidem Christus Jesus, & hic gloriosus. Gaudete, [i] quia jam percepistis dona sinistræ: gaudete, quia expectatis præmia dexteræ. *Læua* (inquit sponsa) *ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Læva quidem levat, dextera suscipit. Læva medetur & justificat: dextera amplectitur & beatificat. In læva ejus merita, in dextera verò præmia continentur. Hæc præmia nobis concedat ipse Christus, (k) qui sine fine vivit & regnat Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT III.

De quadruplici utilitate Scientiæ passionis Dominicæ.

Illuminate vobis lumen scientiæ. *Osea* 10.

1. *Scientia seu meditatio passionis Dominicæ propipinat nobis salutarem potum amaritudinis in lachrymis. Meditatio ruminat vulnera Christi: oratio fundit lachrymas. Excitamur ad plangendum super mortem Redemptoris nostri. Ostenditur quibusnam modis expugnetur duritia cordis, ut moveatur ad lachrymas. Proponitur nobis copiosa materia lugendi Christum passum.* 2. *Meditatio passionis Dominicæ suavem nobis confert unctionem consolationis: & reddit nos exultantes & præsumentes de venia. Consolationis & lætitiæ internæ testes sunt suspiria & lachrymæ, Commendatur donum lachrymarum, ad quas movet Spiritus Sanctus. Consolatio interna nihil aliud est, quàm procedens de spe veniæ gratia devotionis, & suavissima delectatio boni, quibus interim Dominus refrigerat animam afflictam. Commendatur nobis meditatio passionis Dominicæ, ob plurimas utilitates quæ ex illa proveniunt.* 3. *Meditatio passionis Dominicæ erigit nos in adversis, & reprimit in prosperis. Duo ubera sponsæ, inter quæ dicit commoraturũ dilectũ suum, designant & prosperitatem adversitatẽ. Memoria passionis Dominicæ est optimum in prosperis & adversis præsidium. Ostenditur quàm difficilè sit servare innocentiam in rebus prosperis: & quid plures magis rectè sapiunt in adversis, quàm in prosperis. Traditur regula servandi æqualitatẽ animi in prosperitate & adversitate.* 4 *Meditatio passionis Dominicæ tutũ nobis inter læta tristiaqui vitæ præsentis præbet cursum. Ostenditur quàm utilis sit vicissitudo prosperitatis & adversitatis: & quid significet coniunctio Processionis & Passionis, quæ fiunt in Dominica Palmarum. Exhortamur ad meditationem passionis Dominicæ, qua dulcoratur omnis amaritudo & adversitas.*

§. I.

HÆc est mea (a) sublimior interim philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum. Siquidem Dominus meus Iesus [b] post cætera inæstimabilis suæ erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi: quòd videlicet non nisi in dextera mihi propinare vellet. Foderunt manus ejus & pedes, (c) latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo. Sanè duro ad verba, [d] duriore ad verbera, durissimo ad crucis horrenda: quia in omnibus his sicut agnus coram tondente se obmutuit, & non aperuit os suum. Hæc meditari [e] dixi sapientiam. Ex his mihi fit interdum *potus* salutaris amaritudinis: ex his rursùm suavis mihi fit *unctio* consolationis. *Botrus Cypri* (f,) *dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. Si dilectus in myrrha, multò magis in botri suavitate. Ergo Dominus meus Iesus myrrha mihi in morte, botrus in resurrectione, seipsum mihi saluberrimum temperavit in potum, in lachrymis in mensura. Quoties in contemplatione Dominicæ passionis suspendimur, (g) toties ex recordatione tantæ admirationis in oratioue compungimur. Meditatio ruminat livores vulnerum, fixuras clavorum, lanceã & acetum, persecutorum sævitiam, mortem turpissimam, Corporis crucifixi sepulturam. Oratio fundit suspiria, piæ devotionis stillat aromata, tota resoluitur in lamenta. Sit tibi quoque Iesus in corde, (h) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Sic de omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini Dei tui colliga quasi fasciculum, ut amarum poculum lachrymarum tibi conficias. Si membrum Christi es (i) compatere Capiti tuo. Si frater Christi es, commorere fratri tuo. Plange, dole cum gemitu & lachrymis super mortem preciosam Unigeniti Dei Patris. Alioquin si non doles, si non plangis, si non compateris: deliras, degeneras, belluam sapis, lethargum pateris, hominem diffiteris. Cæterùm ut ampliùs movearis, imò ut magis incalescas in amorẽ tui Redemptoris, considera quæ sequuntur. Flevit & contristatus est propter me gaudium meum, (K) imò gaudium Angelorum Dominus Iesus: *qui* (ut ait Apostolus) *in diebus carnis suæ vota & supplicationes ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamare valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*. Audis cor non carneum, sed lapideum, illum magnum Iesum & optimum in diebus carnis suæ, quam pro me redimendo assumpserat, lachrymis immaduisse, & adhuc aridum permanes? O cor durum audis commoveri pro me ad lachrymas illum, qui in æternum stat & non commovebitur: nec adhuc tu ad lachrymas commoveris? Addam & ignem charitatis & passionis Sanguinem, si fortè calefias, si emolliaris, ut dulcissimo Iesu pro lachrymis suis & Sanguinis effusione

i Ibidem num. .. k Ser. 15. in ult. Cena num. 115.

a Ser. 43. in Cant. num. 4. b Ser 7. super Psal. 92. num. 15. c Ser. 6. in Cant. num. 4. d Ser. 2. in die Pent. num. 7. e Ser. 43. in Cant. num. 4. f Ser. 44. in Cant. num. 1. g Ser. in fer. 2. Paschæ num 2. tom. 6. pag. 717. h Formul. hon. vit. num. 2. & 3. i Ser. de excellen. Sacram. num. 6. k Tract. de vite myst. cap. 33. num. 137.

ſione ſolas ſaltem lachrymas rependas. Adhuc addam & malleum gravem, & cuneos ferreos incutiam tibi, ut ſcindaris. Nam ſi tu cor ſicut terra ſine aqua exaruiſſes, utique vel leviter poſſis emolliri ſolis perfuſum lachrymis lachrymantis Ieſu. Si autem à facie frigoris iniquitatum induratum es in rigorem lapidis, addo inſtrumenta fortia, malleum Crucis, & cuneos clavorum ferreorum, ut illis tibi incuſſis ſcindaris, & fontem lachrymarum ſalubrem effundas. Quod ſi nec adhuc commoveris ô cor durum & impœnitens, (l) durius es ſilice, qui in deſerto à Moyſe bis percuſſus virgâ emiſit aquas largiſſimas: præſertim cùm malleus Crucis Domini validior ſit ad feriendum, quàm virga Moyſi: & tres clavi ferrei tibi incuſſi efficaciores eſſe debeant ad aquam lachrymarum eliciendam, quàm percuſſio virgæ Moyſi geminata. Si verò & adhuc permanes inconcuſſum, eò quòd in adamantis duritiam ſis converſum, qui ſolo hædi ſanguine poteſt molliri: affero tibi hædi pariter & Agni incontaminati, optimi Ieſu Sanguinem copioſum, calore incomparabilis charitatis ferventem, qui ſua fortitudine illum adamantinum parietem inimicitiarum poſitum inter Deum & hominem, omninò comminuit & diſſoluit. Hujus ergo hædi & Agni copioſo Sanguine (m) ô cor adamantinũ inungere & immerge te: jace in illo ut caleſias, & caleſactũ molliaris, emollitũ verò fontem lachrymarum effundas. Denique ut validiùs compungamur, (n) ut ampliùs moveamur, & curramus per ſingula: revolvamus ſingula contexendo reſticulum, connexendo funiculum, connectendo faſciculum de omnibus & ſingulis, quæ facta referuntur de humili Dei Filio, & ſummo Patris Unigenito, de Redemptore piiſſimo, & amantiſſimo fratre noſtro. Occurrat itaque ſpiritualiter & ingerat ſeipſum cordibus noſtris Dominus Chriſtus, proditus & venditus à diſcipulo Iuda Iſcariote, à Judæis tanquam vile mancipium precio ſatis exiguo comparatus, captus, tractus & ligatus tanquam homo ſine adiutorio: ſciſſo etiam verberibus dorſo, vellicatis genis, facie ſputis illita, puncto vepribus Capite, ſaucio latere, terebratis palmis, pedibusquè confoſſis: qui tanquam jugulatori ſuo alludens, ſeipſum non reluctans expoſuit, & nudum Corpus quaſi incudem malleatorum ictibus patienter explicuit: dum pro nobis per hujus vitæ pelagus ad patriam de exilio transferendis, rapacibus piratis naulum propriæ mortis exoluit.

§. II.

Hæc meditari (o) dixi ſapientiam. Ex his mihi interdùm *potus ſalutaris amaritudinis*, ex his rurſùm ſuavis *unctio conſolationis eſt*. An non ſæpenumerò ſic ſentimus, (p) & ſic experimur orantes, nos qui noſtris quotidie adhuc exceſſibus tentamur præſentibus, mordemur præteritis? A quanta me amaritudine frequenter liberaſti adveniens Jeſu bone? Quoties poſt anxios fletus, poſt inenarrabiles gemitus & ſingultus, ſauciam conſcientiam meam unxiſti unctione miſericordiæ tuæ, & oleo lætitiæ perfudiſti? Quoties me oratio, quem penè deſperantem ſuſcepit, reddidit exultantem & præſumentem de venia? Sed ô Domine Jeſu, [q] quomodò comperiemus quando hæc facis, & quod ſignum adventus tui? Numquid hujus conſolationis & lætitiæ teſtes & nuncii ſunt ſuſpiria & lachrymæ? Si ita eſt: nova eſt Antiphraſis iſta, & ſignificatio inuſitata. Quæ enim conventio conſolationis ad ſuſpiria, lætitiæ ad lachrymas? ſi tamen iſtæ dicendæ ſunt lachrymæ, & non potiùs roris interioris deſuper infuſi ſuperfluens abundantia, & ad interioris ablutionis indicium exterioris hominis purgamentum: ut ſicut in Baptiſmo puerorum per exteriorem ablutionem ſignificatur & figuratur interior animæ ablutio; ita hîc è contra exteriorem ablutionem interior præcedat purgatio. O felices lachrymæ, per quas maculæ interiores purgantur, per quas peccatorum incendia extinguuntur! Beati qui ſic lugetis: quia ridebitis. In his lachrymis agnoſce ô anima Sponſum tuum Jeſum, amplectere deſideratum. Nunc torrente te voluptatis inebria, ſuge ab ubere conſolationis ejus lac & mel. Hæc ſunt miranda munuſcula & ſolatia, quæ dedit tibi Sponſus tuus Jeſus crucifixus: gemitus ſcilicet & lachrymæ. Adducit tibi potum in his lachrymis in menſura. Hæ lachrymæ ſint tibi panes die ac nocte: panes utique confirmantes cor hominis, & dulciores ſuper mel & favum. O Domine Jeſu, ſi adeo ſunt dulces iſtæ lachrymæ, quæ ex memoria ex deſiderio tui excitantur: quàm dulce erit gaudium quod ex manifeſta tui viſione capietur? Si adeo dulce eſt flere pro te, quàm dulce erit gaudere de te? Sed quid hujuſmodi ſecreta colloquia proferimus in publicum? Cur ineffabiles & inenarrabiles affectus verbis communibus conamur exprimere? Inexperti talia non intelligunt, niſi ea expreſſiùs legant in libro experientiæ, quos ipſa doceat unctio. Aliter autem litera exterior non prodeſt quidquam legenti. Modicùm ſapida eſt lectio exterioris literæ, niſi gloſſam & interiorem ſenſum ſumat ex corde. *Beati qui lugent*, (r) *quoniam ipſi conſolabuntur*. Quid aliud eſt hæc conſolatio, quàm procedens de ſpe veniæ gratia devotionis, & ſuaviſſima delectatio boni, & guſtus ſapientiæ licet exiguus, quibus interim benignus Dominus afflictam refrigerat animam? Sed guſtus ille nihil aliud eſt quàm irritamentum deſiderii, & incentiuum amoris, ſicut ſcriptum eſt: *Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient*. Itaque tu ſi peccata luxiſti, (s) bibiſti amaritudinem: ſi autem jam reſpiraſti in ſpem veniæ vita ſanctiori, mutata eſt tibi myrrhæ amaritudo in vinum quod lætificat cor hominis. Et fortaſſis hoc illud ſignificaverit quod Salvatori oblatum eſt in cruce vinum myrrhatum, & ideo noluit bibere, quoniam iſtud ſitiebat. Tu ergo poſt myrrhæ (ut dixi) amaritudines, vinum jucunditatis experiens, haud temerè & ipſe dicere poteris: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. Præmiſſum erat (t) in proximiore verſiculo: *Faſciculus myrrha dilectus meus mihi*, ſci-

Zzz

l *Ibidem num.* 138. m *Ibidem num.* 139. n *Ser.* 2. *in Cœna Dom. num.* 7. o *Ser.* 43. *in Cant. n.* 4. p *Ser.* 32. *in Cant. num.* 3.

q *Tract. de modo oran. c.* 5. *tom.* 5. *pag.* 477. r *Ser.* 1. *de omn. Sanct. num.* 10. s *Ser.* 44. *in Cant. num.* 1. t *Ser.* 2. *in Cœna Domini num.* 8.

ſcilicet Chriſtus ſecundùm Carnem: Botrus verò Cypri, Chriſtus eſt ſecundùm Deitatem. Faſciculus myrrhæ, Chriſtus in paſſione; Botrus Cypri, Chriſtus in reſurrectione. Faſciculus myrrhæ, multitudo afflictionum: Botrus Cypri, abundantia gaudiorum: illinc amaricans, iſthinc inebrians. Proinde (u) ſit interim meditatio noſtra Chriſtus, & hic crucifixus. Nil enim in hac vita dulcius ſentitur, (x) nihil avidius ſumitur, nil ita mentem ab amore mundi ſeparat, nil ſic animam contra tentationes roborat, nil hominem ita excitat & adjuvat ad omnem laborem, quàm contemplatio paſſionis Dominicæ. Inde holocauſta orationum (y) tanquam ex adipe vituli ſaginati impinguantur. Aſtat oranti Hominis Dei ſacra imago morientis in cruce, vel ſtringat neceſſe eſt animum in amorem virtutum, vel carnis exturbet vitia, fuget illecebras, deſideria ſedet. Qui ſimiliter afficiuntur, (z) ecce hi ſciunt quòd verè medicus ſit Dominus Jeſus crucifixus, *qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*. Qui experti non ſunt, credant inde eidem ipſi dicenti: *Spiritus Domini unxit me, ad evangelizandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde*. Si adhuc dubitant, accedant certè & probent, & ſic in ſemetipſis diſcant quid ſit, *Miſericordiam volo, & non ſacrificium*. Et quia verè nihil eſt, (a) quod ita ab omnium vitiorum impulſu & cogitatione cogitationem noſtram purificet, & in puritate conſervet, ſicut jugis memoria Crucis & Paſſionis Domini Jeſu.. Proinde colligamus nobis (b) de omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini Jeſu talem memoriam, talem delectationem, ut ſtigmata Crucifixi noſtri in memoria jugiter retinentes, ita in ipſo qui ſolus eſt dulcis delectemur, ut omnes per ipſum præſentis vitæ amaritudines ſuperemus, mundemur ab omni delicto, & in bonis operibus jugiter per humilitatis cuſtodiam conſervemur.

§. III.

Hæc eſt mea [c] ſublimior interim philophia, ſcire Jesum & hunc crucifixum. Fremit mundus, (d) premit corpus, diabolus inſidiatur, non cado: fundatus enim ſum ſupra firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbabitur: quoniam vulnerum Dñi Jeſu recordabor. Hæc meditari (e) dixi ſapientiam. Hæc me erigunt *in adverſis*, & *in proſperis* reprimunt. Quod & ſponſa (f) in Cantico amoris oſtendit, dicens: *Faſciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Quid eſt faſciculus myrrhæ? *Myrrha* amara amaritudinem paſſionis ſignificat: *Faſciculus* verò coadunationem multarum paſſionum oſtendit. Fit ergo Sponſus ſponſæ ſuæ faſciculus myrrhæ, quando ipſum multiplicibus affectum injuriis ad mentem reducit. Quæ ſunt autem ubera ſponſæ, inquis, inter quæ illum commoraturum affirmat? *Duo ubera* ſponſæ *proſperitas* & *adverſitas* ſunt. His tanquam uberibus nutritur, dum adverſitate fovetur, ne in proſperis elevetur. Ponit autem dilectum ſuum inter hæc ubera, dum illius & in adverſis & in proſperis recordatur. Quia verò Sponſa inter adverſa & proſpera verſans, (g) novit utrobique pericula non deeſſe: medium hujuſmodi uberum ſuorum vult hebere dilectum, cujus adverſùs utraq; continua protectione munita nec læta extollant, nec triſtitia deiiciant. Tu quoque ſi ſapis, imitaberis Sponſæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum faſciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit, ſemper in memoria retinens, & aſſidua meditatione revolvens, quo poſſis dicere & tu: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Licèt quidem multos frangat adverſitas, [h] tamen multò plures extollit proſperitas, ſicut ſcriptum eſt: *Cadent à latere tuo mille*, ſiniſtro licet, per quod deſignatur *adverſitas*: *& decem millia*, id eſt, multò plures: *à dextris tuis*, in quibus *proſperitas* deſignatur. Denique diligenter attende (i) quàm rarus ſemper extiterit, qui non vel modicè in *proſperitate* animum relaxaverit à ſui cuſtodia & diſciplina. Quandonam hoc incautis non fuit ad diſciplinam, quod ignis ad ceram, quod Solis radius ad nivem vel glaciem? Sapiens David, ſapiens Salamon fuit: ſed blandientibus nimis ſecundis rebus alter ex parte, alter ex toto deſipuit. Magnus qui incidens in adverſa, non excidit vel parùm à ſapientia. Nec minor, cui præſens fælicitas ſi arriſit, non irriſit. Quanquam faciliùs inveneris, qui ſapientiam retinuerunt contrariâ ſibi fortunâ, quàm qui proſperâ non perdiderunt. Proinde [k] ſequere Chriſtum aſcendentem Crucem, exaltatum à terra: ut non ſolùm ſuper te, ſed ſuper omnem quoque mundum mentis faſtigio colloceris, univerſa quæ in terris ſunt, deorſùm aſpiciens & deſpiciens, ſicut ſcriptum eſt: *Cernent terram de longè*. Nulla te mundi oblectamenta inclinent, nullæ adverſitates deiiciant. Abſit tibi gloriari niſi in cruce Domini Dei tui Jeſu Chriſti, per quem tibi mundus crucifixus eſt: ut quæ mundus appetit, crucem reputes: & tu crucifixus mundo, illis quæ mundus crucem reputat, toto inhæreas amore. Solus enim amor Chriſti, [l] qui ridentis & irridentis fortunæ impuræ blanditias ſpernit & conſpuit, ſapore dulciori delectatur; cujus reſpectu omnis dulcedo amara eſt, omnis jucunditas mæror eſt, omne pulchrum fædum eſt, omne ſuave moleſtum eſt. Cæterùm in die virtutis tuæ noli eſſe ſecurus, [m] ſed clama ad Deum cum Propheta, & dic: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me*. Porrò in tempore tentationis ſeu adverſitatis conſolare, & dic cum ſponſa. *Trahe me poſt te, in odore unguentorum tuorum curremus*. Sic te non deſeret ſpes in tempore malo, nec in bono providentia deerit, eriſquè inter adverſa & proſpera mutabilium temporum tenens quandam æternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem & inconcuſſam cõſtantis animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore: proindeque vendicans tibi etiam in hujus nutabundi ſæculi dubiis eventibus

u Ser. 1. de ve. D. Ejus num. 2. x Tract. de cognit. hum. condit. cap. 7. num. 22. y Ser. 20. in Cant. n. 9. z Ser. 32. in Cant. num. 3. a Tract. de vite myſt. cap. 44. n. 170. b Ibidem n. 172. c Ser. 43 in Cant. n. 4. d Ser. 61. in Cant. n. 3. e Ser. 43. in Cant. n. 4. f Tract. de vite myſt. cap. 4. n. 19.

g Ser. 43. in Cant. n. 2. h Ser. 2. in Dom. Palm. n. 2. i lib. 2. de conſideratione Eugen. PP. cap. 12. K Ser. 4. de Aſcen. Dom. n. 13. l lib. 3. de amore Dei cap. 1. n. 5. m Ser. 21. in Cant. num. 7.

bus certisquè defectibus perennis quodammodò incommutabilitatis statum, dum te cæperis renovare & reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quippe sicut ipse est, ita & tu eris in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus. In hoc, inquam, nobilis creatura facta ad imaginem & similitudinem ejus qui se fecit, antiqui honoris dignitatem receptare jam jamquè & recuperare se indicat, cùm sibi indignum ducit huic labenti sæculo conformari: magis satagens (juxta Pauli doctrinam) *in novitate sui sensus* in eam similitudinem in qua se conditam novit, ac per hoc etiam cogens (ut dignum est) sæculum istud quod propter se factum fuit, versa vice mirum in modum conformari sibi: dum omnia ei cooperari in bonum incipiunt, tanquam in propria & naturali forma, abjecta degeneri specie recognoscentia Dominum suum, cui ad serviendum creata fuère. Sic tibi ergo Jesus semper in corde,[n] & nunquam Imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Nulla enim nocebit adversitas, (o) si nulla dominetur iniquitas. Qui perfectè huic irascitur, cæteris non movetur, magis & amplectitur ea. Non interroges ô homo ea quæ pateris, [p] sed quæ passus est Christus. Ipse enim (q) ad Judæorum blasphemias humilis, ad vulnera patiens fuit, cùm intùs linguis, clavis exteriùs pungeretur.

§. IV.

Hæc meditari (r) dixi sapientiam. Hæc inter læta tristitiaquè vitæ præsentis viâ regiâ incedenti tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando. Si tristia semper acciderent, (s) quis sustineret? Si semper prospera, quis non contemneret? Sed rerum tanta gubernatrix Sapientia, horum pernecessaria vicissitudine eo moderamine Electis suis cursum vitæ temporalis alternat, ut nec adversa frangant, nec læta dissolvant: cùm potiùs & ista ex illis gratiora, & illa ex his tolerabiliora reddantur. Hinc est [t] quòd opportunè Processioni Passio conjuncta est, ut discamus in nulla lætitia hujus sæculi habere fiduciam: scientes quoniam extrema gaudii luctus occupat. Propterea non simus stulti, ut occidat nos prosperitas nostra, sed in die bonorum non immemores simus malorum: & è converso. Istis enim mixtum est præsens sæculum, non sæcularibus tantùm, sed etiam spiritualibus Viris. Nam secularibus viris aliquando quæ placent, quandoquè quæ displicent videmus accidere: & ipsis nihilominùs spiritualibus Viris non semper tristia, non semper læta succedunt, sed *vespere & mane dies unus*. Et illud: *Visitas eum diluculò, & subitò probas illum*. Et sicut amatores hujus mundi [u] multa patiuntur adversa: sic nec ipsis servis Dei omnia in hoc mundo optata succedunt. In die ergo malorum memores sunt bonorum, ne pusillanimes fiant & impatientes, sicut is de quo legimus in Psalmo: *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei*. In die quoque bonorum non immemores sunt malorum, ne extollantur, & dicant in abundantia sua: Non movebimur in æternum. Sicut enim sæcularium rerum prosperitas occidit stultum sæcularem, sic potest & abundantia spiritualis prosperitatis occidere indoctum spiritualem virum, atquè ideo non spiritualem. Spiritualis quippe dijudicat omnia. Unde audiamus hominem, [x] quem secundùm cor suum invenerat Deus. *Paratum*, inquit, *cor meum Deus, paratum cor meum*. Paratum ad adversa, paratum ad prospera: paratum ad humilia, paratum ad sublimia, paratum ad universa, quæcunque præceperis. Vis pastorem ovium facere? Vis constituere regem populorum? Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Quis sicut David fidelis ingrediens, (y) & egrediens, & pergens ad imperium Regis? Denique *paratum*, inquit, *cor meum, paratum cor meum*: non semel tantùm, sed & secundò, & vacare tibi, & proximis ministrare. Hæc planè est via regia, (z) quæ nec ad dexteram declinat, nec ad sinistram. Sit ergo (a) meditatio nostra Christus et hic Crucifixus. Hæc est enim, (b) quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit: quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est. Exiit quandoquè Christus, (c) & abscondit se à Judæis: nec volebat jam ambulare palàm in Judæa, quia quærebant eum interficere. Sciens autem quòd venerit hora ejus, tanquam potestatem habens, spontaneus ipse se obtulit passioni. Decebat nempè Pontificem nostrum tentari per omnia pro similitudine absque peccato, ut tanquam verus Homo & prospera hominum & adversa opportunè vitaret, opportunè susciperet, & utrarumque rerum in seipso nobis salutare præberet exemplum. Sicut enim *temperantia* est, præconia populi & sæculi hujus prospera declinare: sic interdum *justitia* est, certâ quidem dispensatione admittere ea. Persecutio quoque & temporalis omnis adversitas pro loco & tempore prudenter aliquando fugienda erit: cùm autem necesse fuerit, viriliter toleranda est. Unde Propheta in Psalmo ait: (d) *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino*. Non est fortitudinis ire ad inobedientiam, sed ab obedientia non abduci. Si tribulatio intonat, si persecutio resultat, si peccatores tibi laqueum ponunt, si maligni tuum iter impediunt: tu obedientiæ viam non deseras, sed dic: *Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua*. Item (e) dic cùm eodem Propheta: *Ego in flagella paratus sum*. Sit damnum, sit convitium, sit læsio corporalis, *paratus sum, & non sum turbatus*: quoniam dolor meus in conspectu meo semper. Manum tuam (f) misisti ad fortia? agendum est instanter, & constanter obediendum: nec inter verborum seu verberum asperitatem tam regalis est semita relinquenda, sed tenaciori est retinenda fervore. Nihil proficiet inimicus in eo, (g) quem crux Christi delectat, si carnalem suggesserit delectationem: & filius iniquitatis non apponet nocere ei, si ad exasperandum animum ejus quamlibet immittere tentaverit amaritudinem. Grata igno-

n *Formula honest. vit. num.* 2. o *Ser.* 13. *super Psal.* 90. *num.* 5. p *Ser.* 1. *in Epiph. num.* 2. q *Ser.* 1. *de Resurrect. Dom. num.* 3. r *Ser.* 43. *in Cant. num.* 4. s *Epist.* 136. t *Ser.* 2. *in Dom. Palm. num.* 1. u *Ibidem num.* 2.

x *Ser.* 2. *in Quadrag. num.* 5. y *Ser.* 3. *in Assumpt. B. M. nu.* 3. z *Ser.* 79. *diver.* a *Ser.* 1. *de verb. Esai. num.* 2. b *Lib.* 1. *de Considerat. cap.* 7. *num.* 8. c *Ser.* 3. *in Dom. Palm. n.* 1. d *Ser.* 41. *divers. num.* 8. e *Ser.* 13. *super Psal.* 90. *num.* 5. f *Ser.* 41. *divers. num.* 8. g *Ser.* 1. *de S. Andr. num.* 3.

ignominia crucis ei, [h] qui Crucifixo ingratus non est. Christus Dominus [i] pro peccatis nostris crucifixus est, & crucem amaram suis amatoribus dulcoravit. Proinde quid tam amarum, [k] quod in recordatione Dominicæ passionis non possit dulcescere? Quia verò [l] sponsa dicit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*: hoc est: Sufficit mihi, nolo jam scire nisi Jesum, & hunc crucifixum. Hunc quoque & vos dilectissimi [m] tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut et vobis inter ubera commoretur. Habete illum semper non retrò in humeris, sed ante præ oculis: ne portantes & non odorantes, & onus premut, & odor non erigat. Mementote, quia accepia eum Simeon in ulnis suis: Maria gestavit in utero, fovit in gremio: Sponsa sibi inter ubera collocavit. Et ne quid prætermittam, factum est verbum in manu Zachariæ Prophetæ, necnon & quorundam aliorum. Arbitror & Joseph virum Mariæ super genua frequenter illi arrisse. Hi omnes ante se eum habuerunt, & nullus retrò. Exemplo ergo sint vobis, ut & vos similiter faciatis. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes angustias Domini Jesu crucifixi, leviùs vestras portabitis, ipso auxiliante Ecclesiæ Sponso, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT IV.

De triplici fructu Scientiæ passionis Dominicæ.

Oramus & postulamus, ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes: in omni verbo fructificantes, & crescentes in scientia Dei. *Paul. ad Colos.* 1.

1. *Scientia seu meditatio passionis Dominicæ conciliat nobis Judicem mundi. Ostenditur quàm efficax sit consideratio vulnerum Christi quo ad spem Christianorum. Fructus passionis Dominicæ est reconciliatio hominis cum Deo, remissio peccatorum & justificatio, redemptio & liberatio de vinculis diaboli. Ingens consolatio provenit Christianis ex consideratione bonitatis Redemptoris nostri. Reconciliatio cum Deo facilis est nunc, sed postea difficilis erit. Ex magnitudine benignitatis Divinæ colligenda est severitas justitiæ in die judicii.* 2. *Scientia passionis Dominicæ repræsentat nobis Deum Hominem nonsolùm placabilem, sed & imitabilem, ut gestis ejus conformetur vita Christiana, sequendo vestigia ejus. Sequi vestigia Christi, est imitari ejus humilitatem. Excitamur ad meditationem passionis Dominicæ, ob plurimas rationes quæ afferuntur. Proponitur nobis ad imitandum vita Christi, quæ est speculum sanctitatis, & exemplar omnium virtutum.* 3. *Scientia seu meditatio passionis Dominicæ delectabiliter afficit, & mirabiliter delectat mentem humanam. Ostenditur quantùm expediat pietati Christianæ recolere beneficia passionis Dominicæ. Deliciæ spirituales, quas experiuntur meditantes passionem Dominicam, magis afficiunt quàm corporales. Aliis non sunt notæ nisi expertis: quibus tamen valdè timendum est, ne gratiam contemplationis relinquentes, convertantur ad carnales delicias contrarias spiritualibus.*

§. I.

HÆc est mea [a] sublimior interim philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum. Foderunt (b) & perfoderunt non solùm manus ejus & pedes, latus quoque & Sanctissimi Cordis intima furoris lanceâ perforaverunt. Hæc meditari (c) dixi sapientiam. Hæc mihi conciliant mundi Judicem, dum tremendum potestatibus mitem humilemquè figurant. Cogitabat cogitationes pacis, (d) & ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? At clavis reserans, clauus penetrans factus est mihi, ut videam Voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? Clamat clavus, clamat vulnus, quòd verè Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi. Nemo quidem hominum novit, (e) nec noscere ad plenum potest quid boni ad gratiam, quid congruentiæ ad sapientiam, quid decoris ad gloriam, quid commodi ad salutem: penes seipsam contineat hujus venerandi mysterii inscrutabilis altitudo, quam Propheta Habacuc considerans expavit, non penetravit: & Præcursor Domini indignum se judicavit qui penetraret. Cæterùm (f) si non licet perscrutari Divinæ sacramentum Voluntatis, licet tamen sentire effectum operis, fructum utilitatis percipere. Et quod licet scire, non licet tacere: quia *gloria Regum est celare verbum, & gloria Dei investigare sermonem*. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Ubi reconciliatio est, ibi remissio peccatorum. Nam si dicente Scriptura: *Peccata nostra separant inter nos & Deum*: manente peccato non est reconciliatio. In quo ergo remissio peccatorum? *Hic est calix* (inquit Dominus) *novi testamenti in meo sanguine, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*. Itaque ubi reconciliatio, ibi remissio peccatorum. Et quid ipsa nisi justificatio? Sive igitur reconciliatio, sive remissio peccatorum, sive justificatio sit, sive etiam redemptio, vel liberatio de vinculis diaboli à quo captivi tenebamur ad ipsius voluntatem: intercedente morte Unigeniti obtinemus, justificati gratis in Sanguine ipsius: *in quo* (sicut Apostolus dicit) *habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus*. Judæus proprias exercitet vires, (g) mihi probare licet quàm sit Voluntas Domini bona & beneplacens & perfecta. Ex ea sanè operis & temporis damna mihi resarcio. Ille pacto conventionis, ego placito Voluntatis initio credo, & non ad insipientiam mihi. Nam vita in Voluntate ejus. Illa mihi reconciliat Deum Patrem, illa hæreditatem restituit. Quantumcunque (h) gravis se ingerat memoriæ meæ recordatio scelerum meorum, quantumcunque me deterreat præteritæ vitæ meæ horribilis consideratio, faciant alii quod censuerint expedire. Ego semper sentiam in bonitate de dulcedine Domini mei Jesu

h *Ser. 25. in Cant. num. 2.* i *Ser. de Pass. Dom. nu. 1.* k *Tract. de vite myst. cap. 44. num. 171.* l *Ser. 45. in Cant. num. 3.* m *Ser. 43. in Cant. num. 5.*

a *Ser. 43. in Cant. num. 4.* b *Tract. de vite myst. cap. 3. nu. 7.* c *Ser. 43. in Cant. num. 4.* d *Ser. 61. in Cant. num. 4.* e *Tract. de error. Abailardi. cap. 8. num. 19.* f *Ibidem. num. 22.* g *Ser. 14. in Cant. num. 4.* h *Epist. 185. num. 8.*

Jesu Christi crucifixi: semper oculi mei ad misericordiam ejus, sciens nimirùm & quandoque in me experiens longè efficaciorem ejus dulcedinem ad consolandum, multoquè promptiorem ejus benignitatem ad indulgendum, quàm meam iniquitatem ad delinquendum. Scio utique, quia non est iniquitas sicut iniquitas mea. Sed è regione, non est dolor sicut dolor ejus. Si supra modũ peccavi, non despero, quia supra modum doluit, in quo respiro. Peccavi peccatum grande, [i] turbatur conscientia, sed non perturbabitur: quoniam vulnerum Domini Jesu crucifixi recordabor. Hæc mihi [k] conciliant mundi Judicem, dum tremendum potestatibus mitem humilemquè figurant. Si exasperatur Deus Pater immanitate sceleris mei, [l] mitigatur proculdubio in dolore satisfactionis Filii sui. Quia mitis & innocens Agnus in cruce pendens, utporè qui coram tondente se obmutuit, non improperat circumstantibus & insanientibus in eum: sed dulciter suggerit transeuntibus per viam, & respicientibus in eum. Sic enim scriptum est: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus*. Ipse est, [m] qui pacificavit in Sanguine suo quæ in cælis sunt, & quæ super terram, Mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus. Securus ergo suscipio Mediatorem Dei Filium, [n] quem agnosco & meum. Minimè planè jam mihi suspectus erit. Frater enim & caro mea est. Puto enim spernere me jam non poterit os de ossibus meis, & caro de carne mea. Benedictus sit Deus Pater, [o] qui propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, Filium suum dilectum, in quo ei benè complacuit, misit: per quem reconciliati pacem habemus ad eum, ut idem sit nobis reconciliationis hujus & Mediator & Obses. Tempus reconciliationis extunc cæpit, [p] & statum habuit, quousque patratum est mysterium nostræ redemptionis: quando immolata illa salutaris Hostia Christus nos reconciliavit, de quo verè scriptum est: *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus: & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio: non est inventus similis illi.* De quo etiã Apostolus ait: *Legatione fungimur, pro Christo rogamus reconciliamini Deo*. Et verè ab effectu cæpit hoc nomen reconciliationis. O dulcissima reconciliatio! [q] O satisfactio suavissima! O verè reconciliatio facilis, sed pertulis! O satisfactio parva, sed non parvipendenda! Etenim quàm facilis modò, tam difficilis erit postea. Et sicut modò nemo est qui reconciliari non possit, ita postpaululùm nemo qui possit: quoniam sicut benignitas apparuit ultra omnem spem, ultra omnem æstimationem: similem expectare possumus judicii districtionem. Noli ergo, ô homo, contemnere Dei misericordiam, si non sentire vis justitiam, sed iram, sed indignationem, sed æmulationem, sed furorem. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Ut enim scires quanta judicii districtio succedit, tanta illa mansuetudo prævenit. Ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem ultionis attende. Immensus est enim Deus & infinitus in justitia, sicut & in misericordia. Multus ad ignoscendum, multus ad ulciscendum. Sed misericordia quidem priora sibi vendicat: ut si voluerimus, districtio invenire non possit in quem sæviat. Propter hoc enim benignitatem prærogavit, ut per eam reconciliati severitatem videamus securi. Apis habet mellis dulcedinem, (r) habet etiam aculei punctionem. Apis verò illa est (*Christus*) quæ florigeram inhabitat patriam Angelorum. Hujus Apis mel & aculeum non ignorat, qui misericordiam Dei & judicium cum Propheta decantat. Attamen ad nos veniens solum mel attulit, & non aculeum, id est, misericordiam & non judicium: ita ut suadentibus quandoque Discipulis ut civitatem (quæ suscipere eum noluit) præciperet igne consumi, responderit, Filium hominis non venisse ut judicaret, sed ut salvaret mundum. Non habebat aculeum Apis nostra, scilicet Christus: quodammodò deposuerat illum, quando tanta indigna patiens, misericordiam exhibebat, & non judicium. Sed nolite sperare in iniquitate, nolite peccare in spe. Habet enim Apis nostra quandoque assumere aculeum suum, & acriter nimis infigere illum in medullas hominum peccatorum: quoniam Pater non judicat quemquam, sed Filio dedit omne judicium. Proinde (s) nunc videant eum peccatores in corona miseriæ, id est spinea, & compungantur. Videant eum filiæ Sion animæ affectuosæ in corona misericordiæ, & imitentur. Videbunt eum impii in corona justitiæ, & peribunt. Videbunt eum Sancti in corona gloriæ, & perpetualiter gaudebunt.

§. II.

Hæc est mea [t] sublimior interim philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum. Quoniam nihil sic valet (u) ad extirpandas voluptatum radices, quàm recordatio vulnerum Domini mei, qui stetit ante judicem, qui alapas accepit, qui flagellatus & consputus est: qui coronatus spinis, qui colaphis cæsus, qui suspensus in ligno, cui pendenti insultatum est: qui mortuus in Cruce, qui lanceâ percussus, qui sepultus est. Hæc meditari (x) dixi sapientiam. Hæc mihi conciliant mundi Judicem, dum tremendum potestatibus mitem humilemquè figurant: dum non solùm placabilem, sed & imitabilem repræsentant eum qui inaccessibilis est principatibus, terribilis apud reges terræ. Proinde dignum est, [y] & mihi multùm expedit compati, commori, consepeliri: passo, mortuo, & sepulto Jesu Christo. Ad hoc enim facta sunt hujusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Facit quidem mihi fortitudo, [z] facit similitudo, sed si accesserit etiam imitatio. Alioquin etiam exquiretur à me Sanguis justus, qui effusus est super terram: nec immunis ero ab illo tam singulari scelere Judæorum, quòd videlicet tantæ charitati ingratus fuerim: quòd spiritui gratiæ contumeliam fecerim: quòd Sanguinem testamenti pollutum duxerim: quòd conculcaverim Filium Dei. Hujusmodi autem imitatio (a) validissimum argumentum mihi est, quòd passio Salvatoris, & similitudo humanitatis in meam transeunt utilitatem.

i *Ser. 61. in Cant. num. 3.* k *Ser. 43. in Cant. num. 4.* l *Epist. 385. num. 8.* m *Ser. 1. de omn. sanct. num. 14.* n *Ser. 2. in Cant. nu. 4.* o *Ser. 5. in Nat. Dom. num. 1.* p *Tract. de 3. Præcip. myst. cap. 4. nu. 8.* q *Ser. 1. in Epiph. Dom. nu. 5.*

r *Ser. 2. de Adven. Dom. num. 3.* s *Ser. 50. diver. nu. 1.* t *Ser. 43. in Cant. nu. 4.* u *Ser. de S. Nicol Episc. nu. 7. tom. 6. pag. 729.* x *Ser. 43. in Cant. num. 4.* y *Ser. 2. in Cæna. Domini num. 6.* z *Ser. in fer. 4. hebd. San. num. 11.* a *Ibidem. num. 12.*

tem. Quia omne quod infirmum est Dei, (b) non de proprio inesse illi manifestum est, sed de nostro. Ex nobis assumpsit quæ pro nobis sustinuit, nasci, lactari, mori, sepeliri. Mea est mortalitas Nati, mea infirmitas Parvuli, mea expiratio Crucifixi, mea Sepulti dormitio. Quid retribuam Domino (c) pro omnibus quæ retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit, in secundo se. Et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Diligendus es mihi, Domine Jesu, (d) toto corde, totâ animâ, tota virtute: & tua mihi sequenda sunt vestigia, qui pro me mori dignatus es. Quid est enim sequi, (e) nisi imitari? quia *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum*, (sicut ait Apostolus Petrus) *ut sequamini vestigia ejus*. Hunc in eo quisque sequitur, in quo imitatur, in quo multùm ad imitandum proponitur omnibus. Sequuntur & consequuntur, (f) qui viam humilitatis Christi devoto mentis affectu perseveranter imitantur. Hujusmodi verè sequuntur eum qui ait: *Qui mihi ministrat, me sequatur*, id est, me imitetur. Quo fructu? *ut ubi sum ego* (inquit Dominus) *ibi sit & minister meus*. Fructus itaque hujus imitationis, mansio est æternæ beatitudinis. Porrò (g) Dominus ait: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Tria proposuit Christus animæ rationali ad imaginem Trinitatis factæ, scilicet *servitutem*, *vilitatem*, *asperitatem*. In *abnegatione* sui servitus, in *toleratione crucis* vilitas, in *imitatione Christi* designatur asperitas: ut quæ per inobedientiam de statu trinæ fælicitatis ceciderat, humiliata afflictione trinæ miseriæ per obedientiam resurgat. Ceciderat enim à seipsa, à societate Angelorum, à visione Dei: id est, à libertate, à dignitate, à beatitudine. Audiat ergo consilium, ut abnegando semetipsam, id est propriam voluntatem, sui libertatem recuperet: tollendo crucem suam, id est carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigendo, per continentiæ bonum recuperet societatem Angelorum: sequendo Christum, id est ejus Passionem imitando, recuperet claritatis ejus visionem: quia si compatimur ei, & conregnabimus. Hinc est (h) quod ait etiam ad Apostolus: *Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus meis, & ego dispono vobis regnum*. Quia ergo si compatimur, & conregnabimus, sit interim meditatio nostra, Fratres, Christus & hic crucifixus. Ipsum amplectamur brachiis quibusdam vicariæ dilectionis, ipsum sequamur studio piæ conversationis. Habeamus eorum quæ contemptibilia Christo sunt illata, (i) continuam & indesinentem memoriam: non utique ociosam, non tepidam non torpentem, sed compassionis ardore super omnia plurimùm delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem. Qui enim tanquam membrum Christi (k) dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Imitemur eum qui pro inimicis mori non dubitavit, (l) & oravit pro crucifixoribus: qui peccatum non fecit, & imposita sibi ab aliis patienter audivit: qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tanta sustinuit. Cogitemus ea quæ pro nobis pertulit Christus, (m) ut crebrò considerantes quanta sustinuit illa Majestas pro inutilibus servis, erubescamus non sustinere vel parva pro nobis. Quid enim est tam amarum, (n) quod in recordatione Dominicæ passionis non possit tibi dulcescere? Quid non suave tibi esse poterit, (o) cùm tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui Jesu, & rememoraberis primùm quidem illarum infantilium necessitatum, deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo: postremò periculorum in falsis fratribus, convitiorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisionum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumquè similium, quæ in salutem nostri generis triginta & tribus annis operatus & passus est in medio terræ. Non recedant hæc à corde tuo, (p) non ab ore, non à memoria, non ab affectione. Hæc cogita semper, in his jugiter delectare. His semper velut quibusdam stimulis urgens sollicita animam tuam, his facibus eam inflammare curato ad redamandum eum, qui tam multipliciter suum tibi erga te commendat amorem. Denique in omnibus virtutibus & bonis moribus, [q] semper propone tibi illud præclarissimũ speculũ sanctitatis, & perfectissimum exemplum, scilicet vitã & mortem Filii Dei & Domini nostri Jesu Christi crucifixi: qui de cælo ad hoc missus est, ut nobis præiret in via virtutum, & legem vitæ & disciplinæ suo nobis exemplo daret, & erudiret nos sicut semetipsum. Sicut enim naturaliter ad imaginem Dei creati sumus: ita ad morum ejus similitudinem pro nostra possibilitate conformemur, qui ejus imaginem peccato fædavimus. Quantò enim quilibet christianus se virtutum imitatione conformare Christo studuerit, tantò ei propinquior in patria, & similior in gloriæ claritate erit. Describe in corde tuo mores ejus, quàm humiliter se habuerit inter homines, quàm benignè inter discipulos, quàm modestè in comedendo & bibendo: quàm misericors fuerit super peccatores, quibus se similem fecit per omnia: quomodò nullum sprevit vel horruit, etiamsi esset leprosus: quomodò divitibus non adulabatur. Non anxius pro corporis necessitate erat. Quàm verecundus in visu, quàm patiens in contumeliis, quàm mitis in responsionibus fuerit. Non enim studuit se vindicare in verbo mordaci & amaro, sed blanda & humili responsione alterius malitiam sanabat. Item, quàm compositus in omnibus gestibus suis & moribus, quàm sollicitus fuerit in animarum salute: pro quarum salute, cùm Deus esset, nasci & mori dignatus est. Ideo etiam semetipsum exinanivit, (r) ut visus ab Ecclesia, adamaretur ab inope pauper, factus dilectus propter similitudinem. Non solùm autem, sed & propter veritatem & mansuetudinem & justitiam: denique quòd per eum scilicet promissiones adimpletæ sunt, quòd superbi dæmones unà cum principe suo judicati sunt, quòd iniquitates remissæ sunt. Talis ergo apparuit qui meritò amaretur

b *Ser. 75. in Cant. num. 7.* c *Tract. de diligen. Deo. cap. 5. nu. 15.* d *Ser. de Pass. Domini num. 19.* e *Tract. de vite myst. cap. 31. nu. 123.* f *Ser. 62. diver.* g *Ser. 63. diver.* h *Ser. 1. de verb. Isaiæ num. 2.* i *Ser. 2. in Cæna Domini num. 9.* k *Ibidem nu. 6.* l *Ser. 4. de Adven. Domini num. 7.*

m *Ser. 6. super. Psal. 90. num. 2.* n *Tract. de vite myst. cap. 44. num. 171.* o *Ser. 22. diver. num. 5.* p *Ser. 14. super Psal. 90. num. 3.* q *Opusculo intitulato, Ad quid venisti. cap. 24. tom. 6. pag. 1054.* r *Ser. 70. in Cant. num. 4.*

tur *verax* per ſe, *mitis* hominibus, *juſtus* pro hominibus. O verè amandum & totis medulis cordis amplectendum Sponſum! Quid jam cunctetur Eccleſia totam ſe tota devotione committere tam fido redditori, tam pio indultori, tam juſto propugnatori?

§. III.

Hæc eſt mea [s] ſublimior interim philoſophia, ſcire Jesum & hunc crucifixum. Ego enim fidenter quod ex me mihi deeſt, [t] uſurpo mihi ex viſceribus Domini, quoniam miſericordiâ affluunt: nec deſunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus ejus & pedes, latuſquè lanceâ foraverunt; & per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleumquè de ſaxo duriſſimo, id eſt guſtare & videre quoniam ſuavis eſt Dominus. Propterea hæc mihi in ore frequenter, [u] ſicut vos ſcitis: hæc in corde ſemper, ſicut Deus ſcit: hæc ſtylo meo admodùm familiaria, ſicut apparet. Hæc ego meditari dixi ſapientiam, (x) & prudentiam judicavi eructare memoriam ſuavitatis. Quoniam in horum contemplatione, [y] contemplationiſquè dulcedine mens delectabiliter afficitur, & mirabiliter delectatur. Novit quicunque rectè ſapit, (z) quantùm Chriſtianæ pietati expediat, quantùm Dei ſeruum deceat Sacroſanctæ Paſſionis ipſius fideliùs recolere beneficia, ad fruendum ſuaviter in conſcientia. Nihil ſanè eſt jucundius, [a] nihil utilius contemplatione paſſionis Dominicæ. Proinde ſit tibi Jesus ſemper in corde, (b) & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi ſit cibus & potus, dulcedo & conſolatio tua, mel tuum & deſiderium tuum, lectio tua & meditatio tua. Si tentationum ſentis aculeos, [c] exaltatum in ligno Serpentem æneum intuere; & fuge non tam vulnera quàm ubera Crucifixi. Quantò ampliùs in horum contemplatione delectaris, (d) & delectando admiraris: tantò libentiùs immoraris, tantò diligentiùs perſcrutaris, profundiùſquè illuminaris. Semper in illis inveniens quid mireris, & unde delecteris. Nuſquam eſt copioſior materia admirandi, & nuſquàm utilior cauſa delectandi. In his ergò vulneribus ſit tua admiratio & delectatio. Hujuſcemodi autem deliciæ mentis ſunt, (e) non ventris: animi, non corporis: ſpiritûs, non carnis: rationis, non ſenſualitatis: interioris, non exterioris hominis. Quas ut breviter aliquomodò deſcribam: Ipſæ ſunt abundans infuſio gratiæ ſpiritualis. Beata illa anima cui talis gratia infunditur, quæ in benedictionibus ſupernæ dulcedinis prævenitur, ut templum Dei & oraculum Spiritus Sancti efficiatur. Tali quippe animæ deeſſe non poſſunt divitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia, & ejuſdem ſalutis optimus theſaurus timor Domini. Quantò ſibi vicinior, (f) & naturali neceſſitudine charior anima carne ſua eſt, tantò acriùs doleat neceſſe eſt, & moleſtiùs ferat propriam quàm corpoream læſionem, ubi è ſtupore iſto & inſenſibilitate fuerit excitata: ſicut è contra delicias ſpirituales internamquè animi voluptatem ubi contigerit experiri, eò utique delectabiliùs amplectatur, jucundiùſquè fruatur oportet, quò propiùs & expreſſius eam tangunt, nec exteriùs mendicantur. Nemo quippè ex hominibus eo modo jumenti ſui, quo corporis ſui refectione poterit delectari. Placet quidem & illa, ſed longè aliter iſta ſapit, aliterquè ſentitur. Quæ quidem deliciæ ſpirituales non inter vitæ æternæ præmia, (g) ſed inter temporalis militiæ ſtipendia deputantur: nec ad futuram pertinent, ſed ad eam magis quæ nunc eſt Eccleſiæ promiſſionem: hoc enim centuplum eſt quod in hoc ſæculo ſæculi contemptoribus exhibetur. Nec tibi illud noſtro ſperaveris eloquio commendandum: ſolus enim Spiritus eſt qui revelat. Sine cauſa paginam conſulis, experientiam magis require. Sapientis eſt cujus precium neſcit homo, de occulis trahitur: nec in terra ſuaviter viventium invenitur iſta ſuavitas. Nimirùm ſuavitas Domini Jeſu Chriſti crucifixi eſt: niſi guſtaveris, non videbis. *Guſtate* (inquit Propheta) *& videte quoniam ſuavis eſt Dominus*. Manna abſconditum eſt: nomen nouum eſt, quod nemo ſcit niſi qui accipit. Non illud eruditio, ſed unctio docet: nec ſcientia, ſed conſcientia comprehendit. Noli ergo errare, (h) noli ſeduci, ut non magis in ſpiritualibus ſpiritum credas quàm in corporalibus oblectari. Vel humanam conſule rationem, ſi fides in te penitùs obdormivit. Denique [i] nemo ſanæ mentis ampliorem eſſe in vitiis credat quàm in virtutibus delectationem, præſertim cùm ſit Deus virtutum, totius veræ jucunditatis fons, lætitiæ & exultationis origo. Neque enim carni ſeu mundo aut maligno principi, ſed Chriſto crucifixo utique ſervire, regnare eſt. Audi hominem David de propria utique experientia perhibentem fidele teſtimonium veritati: *In via*, inquit, *teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis*. Quid erit in patria, ſi tanta eſt copia delectationis in via? Quid faciet in præſentia, [k] qui in ſola memoria delectatur? Quia ergo ſi compatimur, [l] & conregnabimus, ſit interim meditatio veſtra, Fratres, Chriſtus & hic crucifixus. Renuat (m) conſolari anima chriſtiana in aliis, ſi vult in Dei memoria delectari. Manna enim eſt, omnem ſaporem habens, & odoris delectationem: & requies eſt vera & ſincera, ſuavis & ſalubris, jucunda & ſancta. Nihil eſt jucundius, (n) nihil utilius gratiâ contemplationis paſſionis Dominicæ. Sed noverint qui hujuſmodi ſunt, (o) gratiam hanc præſtitam ſibi eſſe, non datam: ut in die bonorum memores ſint malorum, & in die malorum immemores ſint bonorum. Dico vobis: (p) Nihil eſt quod intantùm formidet, quiſquis hoc beneficiū contemplationis ſemel accepit, quàm ne gratiâ derelictus neceſſe habeat denuò egredi ad carnis conſolationes, imò deſolationes, rursûmque carnalium ſenſuum ſentire tumultus. Terribilis & nimis formidoloſa comminatio: *Egredere, & paſce hædos tuos*. Quod eſt: Indignum te noveris illa tua familiari & ſuavi rerum contemplatione cæleſtium, intelligibilium, divinarum. Quamobrem egredere de ſanctuario meo corde tuo, ubi ſecretos ſacroſquè veritatis ac ſapientiæ ſen-

s *Ser. 43. in Cant. num. 4.* t *Ser. 61. in Cant. num. 4.* u *Ser. 43. in Cant. num. 4.* x *Ser. 2. de Virg. Deip. num. 11.* y *Tract. de inter. domo cap. 7. num. 17.* z *Ser. 2. in Cæna. Domini nu. 9.* a *Tract. de inter. domo. cap. 41. nu. 93.* b *formula hon. vit. n. 2.* c *Epiſt. 351. num. 1.* d *Tract. de inter. domo cap. 41. num. 93.* e *Ser. 91. diver. n. 5.* f *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 19. n. 62.*

g *Tract. de Convers. ad Cleric. cap. 13. num. 25.* h *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 19. num. 63.* i *Ibidem cap. 20. num. 64.* k *Ser. 18. diver. num. 2.* l *Ser. 1. de verb. 3. Eſai. num. 2.* m *Ser. 4. ſuper. Pſal. 92. num. 2.* n *Tract. de inter. domo. cap. 41. n. 93.* o *Ser 3. in Circumcis. Domini. n. 10.* p *Ser. 35. in Cant. n. 2. & 1.*

sensus dulciter haurire solebas: & magis tanquam unus de sæcularibus, pascendis & oblectandis tuæ carnis sensibus intricare. In quibus omnibus non est nisi labor & dolor, atque afflictio spiritûs. Quæ enim anima semel à Domino Jesu didicit & accepit intrare ad seipsum, & in intimis suis Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem ejus semper: talis inquam anima nescio an vel ipsâ gehennâ ad tempus experiri horribilius pænaliusquè ducat, quàm post spiritualis studii hujus gustatam semel suavitatem exire denuò ad illecebras, vel potiùs ad molestias carnis, sensuumquè inexplebilem repetere curiositatem. Hujusmodi autem si diu ita permanserit sub onere, [q] aut opprimitur & succumbit, aut quodammodò in inferno est, ut nunquam ad plenum respiret in lucem miserationum Domini, nec in libertatem spiritûs, quæ sola facit jugum suave & onus leve. Quomodò ignis [r] & aqua simul esse non possunt: sic spirituales & carnales deliciæ in eodem se non patiuntur. Ubi crapulam ructantis inter pocula senserit Christus crucifixus, vina sua dulciora super mel & favum menti propinare non dignatur. Ubi curiosa ciborum diversitas, ubi divitis suppellectilis discolor varietas oculos pariter pascit & ventrem; Cælestis panis jejunam deserit mentem. Uæ autem his qui panem lapidem, [s] lapidem panem dicunt, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem: jugum Christi asperum, & esse sub sentibus delicias reputantes. Has delicias ego nolim. Opto magis gustare & videre quoniam suavis est Dominus. Foderunt manus ejus & pedes, (t) latusquè lanceâ foraverunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est gustare & videre quoniam suavis est Dominus. Cui tam pio, (u) tamquè utili ocio nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere est? Intercepto enim vitali spiritu, (x) dum suis destituta alimentis (*scilicet meditationibus*) vadit ad mortem anima, pro qua Christus mortuus est. Qui autem recolit mortem Christi, (y) & exemplo ejus mortificat membra sua quæ sunt super terram, habet vitam æternam. Hoc est: Si compatimini, & conregnabitis. Quod ipse nobis præstare dignetur, (z) cujus regnum & imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT V.

De triplici qualitate fructus benedicti, qui est Jesus Christus crucifixus.

Sub umbra illius quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo. *Cant.* 2.

1. *qualitas fructus arboris pomiferæ est odor. Jesus crucifixus est fructus benedictus in odore. Hujus fructus odorem longè ante præsenserat Patriarcha Isaac, sed præsentiam non agnouit. Postquam verò apparuit in carne fructus benedictus, tunc odor ejus sese ubique sparsit, ita ut ad odorandum eum omnes properarent. Ostenditur quanta sit efficacia hujus odoris, qui potenter traxit ad se mundum. Invitamur currere post Jesum in odore quatuor florum, violæ, lilii, rosæ, & croci: qui designant totidem virtutes, humilitatem, castitatem, charitatem, & abstinentiam. 2. qualitas fructus arboris est sapor. Iesus crucifixus est fructus benedictus in sapore. Per saporem huius fructus significatur gustus contemplationis passionis suæ, in qua cibus & potus paratur esurientibus. Sapientiam seu saporem boni primus bono perdidit peccando: sed eum restituit nobis Sapientia æterna Christus crucifixus. Excitamur ad meditandum fructum redemptionis nostræ, ut in eo latentem dulcedinem gustemus, gustando probemũ quàm suavis est Jesus crucifixus. 3. qualitas fructus arboris est species seu pulchritudo. Iesus est fructus benedictus in specie. Huius fructus species procedit ex liliis. Lilia sunt tres virtutes, veritas, mansuetudo, & justitia. Item lilia sunt conceptio & ortus, conversatio & eloquia, miracula & Sacramenta, passio & mors, resurrectio & ascensio Christi. Ostenditur quid operetur in nobis odor fidei: & quàm indignum sit Christiano non currere post Jesum propter ejus mansuetudinem & sapientiam, justitiam & sanctimoniam. Docemur Iesum esse pulchrum Angelis in Divinitate, nobis verò decorum in Humanitate ejus.*

§. I.

HÆc est mea (a) sublimior interim philosophia, scire JESUM & hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem lætus amplector mea inter ubera commorantem. Incomprehensibilis erat & inaccessibilis, (b) invisibilis & inexcogitabilis omninò. Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quonam modo, inquis, comprehendi voluit. Duobus animæ brachiis, [c] intellectu videlicet & amore, id est cognitione & dilectione veritatis, amplectitur & comprehenditur Christus crucifixus. Mihi hic (d) salutaris fasciculus servatus est. Nemo tollet eum à me, inter ubera mea commorabitur. Ibi enim (e) est cor. Et ubi est cor, ibi dilectio: & ubi dilectio, ibi dilecti Jesu mansio. Fit autem Sponsus sponsæ suæ fasciculus myrrhæ, (f) quando ipsum multiplicibus affectuum injuriis ad mentem reducit. Amor (g) suavitatem habet, unde ait Sponsa: *Et fructus eius dulcis gutturi meo*: gustum contemplationis significans, quem obtinuerat per amorem suaviter sublevata. Hic certè est fructus [h] beatus à principio ortus sui. Hic est Jesus Dei vivi Filius. Hic est Salvator Dominus Deus. Benedictus ergo (i) fructus iste est. Benedictus in *odore*, benedictus in *sapore*, benedictus in *specie*. Hujus odoriferi fructus *fragrantiam* sentiebat Patriarcha Jsaac, cùm dicebat: *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. An non verè benedictus, cui benedixit Dominus? Necdum adhuc speciem suam (k) ille flos agri induerat, & jam dabat *odorem* suum, quando eum ut hoc præ gaudio exclamaret præsensit spiritu, corpore marcens

q *Ser. 3. in Ascens. Domini num. 6.* r *Epist. 2. num. 10.* s *Ser. 97. diver. num. 3.* t *Ser. 61. in Cant. num. 4.* u *Lib. 1. de considerat. ad Eugen. cap. 8. num. 11.* x *Ser. 29. in Cant. num. 4.* y *Tract. de diligen. Deo. cap. 4. n. 11.* z *Ser. 2. super sal. Reg. n. 11.*

a *Ser. 43. in Cant n. 4.* b *Ser. 2. de Virg. Deip. nu. 11.* c *Epist. 18. nu. 3.* d *Ser. 43. in Cant. nu. 4.* e *Ser. 2. in Cæna Dom. nu 9.* f *Tract. de vite myst. cap. 4. num. 17.* g *Ser. 48. in Cant. num. 8.* h *Ser. 5. super. sal. Reg. num. 6.* i *Ser. 3. super. missus. nu. 6.* K *Ser. 47. in Cant. num. 3.*

cens sanctus & senex Patriarcha Jsaac caligans visu, sed odoratu sagax. Loquitur enim de illo [l] Scriptura sic: *Statimquè ut sensit vestimentorum ejus fragrantiam* (haud dubium quin Jacob) *ecce*, inquit, *odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Uestimenti fragrantiam sensit, sed vestiti præsentiam non agnovit: soloquè vestis tanquam floris odore forinsecùs delectatus, quasi fructus interioris dulcedinem non gustavit, dum & electi filii simul & sacramenti fraudatus cognitione remansit. Quò spectat hoc? Uestimentum profectò spiritus litera est, & Caro Verbi. Denique vir ille Jsaac, (m) qui suum filium Jacob tangens, & Christum sentiens: *Ecce*, inquit, *odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*: cùm hoc dicebat, habebat delicias suas sibi, nec cuiquam illas communicabat. *At ubi venit plenitudo temporis in quo misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*: tunc prorsùs odor ille qui in illo erat, sese ubique sparsit, adeo ut à finibus terræ ipsum sentiens clamaret Ecclesia: *Oleum effusum nomen tuum*: curreréntquè adolescentulæ in odore olei. Tanta vtique Ecclesiæ nares odoris suavitas replevit, [n] ut mox à quatuor mundi partibus excitata illa dulcedine, supernum properaret ad Sponsum, tanquam verè illa Regina Austri festinans à finibus terræ audire sapientiam Salamonis, opinionis siquidem odore provocata. Sanè & Ecclesia (o) non ante currere valuit in odore sui Salamonis, quousque is qui ab æterno ex Patre Sapientia erat, factus est ei in tempore à Patre Sapientia, quo ipsius odorem percipere posset. Sic justitia, sic sanctificatio, sic & redemptio nihilominùs ei factus est, ut horum quoque in odore currere posset: cùm hæc æquè omnia in se ante omnia esset. Nam & in principio quidem erat Verbum, sed tunc demùm ad videndum ipsum pastores venerunt festinantes, cùm nunciatum est factum. Denique & loquebantur adinvicem: *Transeamus usque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est: quod fecit Dominus, & ostendit nobis*. Et sequitur: *Quia venerunt festinantes*. Priùs non se movebant, dum Verbum erat tantùm apud Deum. At ubi Verbũ, quod erat in principio, factum est, ubi hoc Dominus fecit & ostendit, tunc venerunt festinantes, tunc cucurrerunt. Sic ergo omne quod erat etiam Angelis, factus est nobis. Quid? Sapientia, justitia sanctificatio, redemptio. *Sapientia* in *prædicatione*: *justitia* in *absolutione* peccatorum: *sanctificatio* in *conversatione*, quam habuit cum peccatoribus: *redemptio* in *Passione*, quam sustinuit pro peccatoribus. Ubi ergo hæc à Deo factus est, tunc Ecclesia odorem sensit, tunc cucurrit. Ecclesia inquam illa, (p) quæ secum habet consilium & Spiritum Sponsi & Dei sui, cui dilectus inter ubera commoratur, ipsam cordis sui sedem principaliter possidens & conservans. Nimirùm ipsa est quæ vulneravit Cor ejus, & in ipsam abyssum secretorum Dei oculum contemplationis immersit, ut & illi in suo, & sibi in ejus corde perennem faciat mansionem. Nam odor hinc suavissimus emanat, [q] qui corde contritos sanat, & vulnerum cicatrices consolidat. Odor iste omnium suavitatum in se continet monarchiam quia omnem balsami odorem excedit, & quidquid in odoribus continetur. Hunc tantum ac talem odorem si & tu toto cordis olfactu odorare non desieris, in æternum proculdubiò non peribis, quoniam est resurrectio & vita. Odor iste omnium odorum suavitas est Dominus Jesus crucifixus: odor bonus, odor suavissimus, melle & lacte dulcior, nectare suavior, gemmis & auro preciosior. Qui ergo salutem & gloriam, (r) divitias vel delicias concupiscunt, veniant omnes ad odorem hunc. Dabit enim *Jesus* crucifixus salutem: quia *Salutaris est*. Dabit *Christus* regnum, in quo gloria cum divitiis habetur: quia *unctus* est. Dabit *Nazarenus* delicias: quia *florens* est. Quid enim jucundius flore? Multi autem imò omnes id est omnium virtutum flores in nostro Nazareno sunt, quorum delectabili odore totum mundum traxit post se. Nam qui veniunt ad ipsum propter humilitatem, *violæ* ejus sequuntur odorem. Qui veniunt ad ipsum propter castitatẽ, *lilij* sequuntur odorem. Qui veniunt ad ipsum propter charitatem, Passionis *rosæ* sequuntur odorem. Qui veniunt ad ipsum propter abstinentiam *croci* sequuntur odorem. Ex his virtutibus optimi Jesu Christi crucifixi ubique prædicatores tanquam quodam precioso unguento effuso extraxerunt odorẽ ejus adolescentulæ quoque odore ejus mirifico delectatæ, cucurrerunt post unctum Jesum crucifixum. Et adhuc nimirùm currunt clamantes in toto corde suo: *Trahe nos post te, ut curramus in odorem unguentorum tuorum*: scientes quòd neque volentis, neque currentis, sed solius Dei miserentis est. Superat autem omnes odores omnium virtutum vncti Iesu odor crucifixi, ubi perfectio præcipuè afflorebat, & de floribus Vulnerum suorum inæstimabilem odorem effudit. Fracto enim alabastro mundissimi Corporis virginalis dulcis *Jesu*, effusum est unguentum Sacratissimi Sanguinis. Sit ergo [s] meditatio nostra, Fratres, Christus & hic crucifixus. Ipsum ponamus signaculum super cor, signaculum super brachium nostrum. Ipsum amplectamur brachiis quibusdam vicariæ dilectionis. Ipsum sequamur studio piæ conversationis. Habeamus illum semper non retrò in humeris, [t] sed ante præ oculis: ne portantes & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat.

§. II.

De sapore autem hujus fructus (u) quidam quod gustaverat taliter eructabat, dicens: *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*. Meritò proinde canit Ecclesia, (x) non illa quidem Ecclesia Sanctorum quæ in excelsis & in splendore est, sed quæ interim peregrinatur in terris: *Sub umbra ejus*, ait, *quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo*. Lucem quippè meridianam ubi pascit Sponsus, sibi petierat indicari, sed repressa est, & pro plenitudine luminis umbram, pro satietate interim gustum recepit. Denique non ait, sub umbra ejus quam desideraveram: sed, *sub umbra ejus quem*

l *Tract. de exhort. ad milit. templi cap. 7. n. 13.* m *Ser. 60. in Cant. num. 8.* n *Ser. 22. in Cant. num. 4.* o *Ibidem num. 5. & 6.* p *Ser. 3. in Vig. Nat. Dom. num. 1.* q *Ser. 4. in ultim. Cana num. 25.*

r *Tract. de vite myst. cap. 43. num. 161.* s *Ser. 1. de verb. Esai num. 2.* t *Ser. 43. in Cant. num. 5.* u *Ser. 3. super missus num. 6.* x *Ser. 2. de Vig. Deip. num. 2.*

quem desideraveram, sedi. Neque enim ipsius expetierat umbram, sed ipsum profectò meridiem, lumen plenum de lumine pleno. *Et fructus*, ait, *dulcis gutturi meo*; ac si dicat, gustui meo. Usquequò non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? Quousquè manet illa sententia: *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*? Et quidem suavis gustui, & dulcis gutturi, ut meritò etiam super hoc Sponsa proruperit in vocem gratiarum actionis & laudis. Amor (y) suavitatem habet. Unde ait sponsa: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo*: gustum contemplationis significans, quem obtinuerat per amorem suaviter sublevata. Denique de sapore hujus fructus (z) Propheta David quod gustaverat taliter eructabat, dicens: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te*. Ubi putas (a) absconditur? Nempe sub lingua sua, sub capite ejus quæ dicit: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Licet enim in promissione vitæ hujus quæ nunc est, dulcedo & multitudo dulcedinis, & magna quoque & perquàm magna sit multitudo: perfectio tamen non nisi in promissione futuræ vitæ erit. Porrò de sapore fructus hujus [b] ipse fructus de se, invitans nos ad se, ait: *Qui edit me, adhuc esuriet: & qui bibit me, adhuc sitiet*. Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium & sitientium justitiam, & esca & potus est. Deus siquidem omne bonum, (c) & summum bonum est: etiam dulcedo & dulcedinis genus generalissimum est. *Qui edunt me, adhuc esurient*: (inquit) *& qui bibunt me, adhuc sitient*. Quare? Quia bonus & dulcis est. Bonus Deus Israel rectis corde, sed & dulcis & rectus. Nec bonitas nec justitia sine rectitudine. Qui bibit de illa, sitiet iterùm; de ista qui biberit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Siquidem apud ipsum fons vitæ est, & ipse fons vitæ: etiam fluminis impetus est, qui lætificat civitatem Dei. Esto civitas Dei, ô Christiane, & lætificabit te impetus hic. Parat enim in dulcedine sua pauperi Deus. Fructus etiam dulcis gutturi, & guttur ejus suavissimum, ineffabilia omnia. Hic calculus est, quem nemo scit nisi qui accipit. Sunt enim in illa dulcedine internæ festivitatis gaudia, quæ quotidiè mentibus nostris per inspirationem sui amoris imprimit interna & æterna dulcedo Christus crucifixus. *Nota*, inquit, *feci vobis omnia quæcunque audivi à Patre meo*. Et ad Moysen: *Omne bonum ostendam tibi*. Omnia quæ audivit à Patre, & quæ promittit Moysi, unus *denarius* est, qui promittitur laborantibus in vinea: & *una* illa est, quam petiit David: & unum illud quod *necessarium* est. *Mel* est quod sugit Israel de petra, & *oleum* de saxo durissimo. Nec desunt foramina (d) per quæ effluant. Foderunt manus ejus & pedes, latusquè lanceâ foraverunt; & per has rimas licet tibi sugere mel de petra, oleumquè de saxo durissimo, id est, gustare & videre quoniam suavis est Dominus. Sit tibi itaque (e) Jesus semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio tua, & meditatio tua. *Manna* enim est (f) omnem saporem habens, & odoris delectationem; & requies est vera & sincera, suavis & salubris, jucunda & sancta. *Gaudium* est (g) quod nemo tollit. *Osculum* est, de quo scriptum est: *Osculetur me osculo oris sui*. Internæ suavitatis gustus *dulcedo* est, & *manna* absconditum, & *thesaurus* absconditus in agro. Cui comparatum omne dulce est amarum: omne decorum est fædum: omne jucundum est triste: omne preciosum est vile: sordidum est omne, quod desiderabile est in oculis amatorum mundi fluentis. Si quis sapientiam virtutis amorem diffinierit, [h] non à vero deviare videbitur. Ubi autem amor est, labor non est, sed sapor. Et fortè sapientia à sapore denominatur, quòd virtuti accedens quoddam veluti condimentum sapidam reddat, quæ per se insulsa quodammodò & aspera sentiebatur. Nec duxerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni diffiniat. Hunc saporem perdidimus ab ipso penè exortu generis nostri. Ex quo cordis palatum sensu carnis prævalente infecit virus serpentis antiqui, cæpit animæ non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare. Denique *proni sunt sensus hominis, & cogitationes in malum ab adolescentia*, hoc est, ab insipientia primæ mulieris Evæ. Ita insipientia mulieris saporem boni exclusit, quia serpentis malitia mulieris insipientiam circumvenit. Sed unde malitia visa est vicisse ad tempus, inde se victam dolet in æternum. Nam ecce denuò Sapientia mulieris (Virginis Mariæ) cor & corpus implevit, ut qui per fæminam deformati in insipientiam sumus, per fæminam reformemur ad Sapientiam. Et tunc assiduè Sapientia vincit malitiam in mentibus ad quas intraverit, saporem mali quem illa invexit, sapore exterminans meliori. Intrans Sapientia dum sensum carnis infatuat, purificat intellectum, cordis palatum sanat & reparat. Sano palato sapit jam bonum, sapit ipsa Sapientia, qua in bonis nullum melius est. Quid dicebas [i] ô Adam: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi*? Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quàm deleas culpam. Verumtamen Sapientia vicit malitiam, cùm occasionem veniæ, quam à te Deus interrogando elicere tentavit sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis invenit. Redditur nempè fæmina pro fæmina, prudens pro fatua, humilis pro superba: quæ pro ligno mortis, gustum tibi porrigat vitæ, & pro venenoso cibo illo amaritudinis, dulcedinem pariat fructus æterni. Quem fructum Ecclesia non solùm ex his (k) qui sunt sub tempore gratiæ, sed à mundi principio justè congregata dulcem sibi fore gratulatur, dicens de Sponso in cantico amoris: *Sub umbra illius quem desiderabat, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo*. Fructum igitur redemptionis nostræ [l] toto desiderio complectamur, & sæpiùs imò sine intermissione ad memoriam revocantes, latentem in ipso dulcedinem linguâ intellectus nostri degustemus, & in vase me-

y Ser. 48. in Cant. num. 8. z Ser. 2. super missus nu. 6. a Ser. 97. diver. num. 3. b Ser. 2. super missus num. 6. c Ser. 1. super Sal. Reg. num. 5. d Ser. 61. in Cant. num. 4. e Formula hon. vitæ num. 2. tom. 6. pag. 1024.

f Ser. 4. super Psal. 90. num. 2. g Ser. 1. super Sal. Reg. num. 5. h Ser. 85. in Cant. num 8. i Ser. 3. super missus n. 3. k Tract. de vite myst. cap. 46. num. 178. l Ibidem num. 184.

memoriæ nostræ recondamus Sanguinem rubicundi Jesu: quia ipse factus est nobis redemptio, quia per ipsum salvati & liberati sumus. Hoc fructu, quo redempta est à tyrannide diabolica, jugiter reficienda est fidelis anima, ne in hoc tædioso deserto deficiat, in quo sine intermissione laborat, suspirans ad illam terram lacte & melle manantem. Si autem frequens ingruerit tribulatio, (m) ob quam & frequens ad Deum conversio fiat, & à Deo frequens liberatio consequatur: nonne etsi fuerit ferreum pectus vel cor lapideum toties liberati, emolliri necesse est ad gratiam liberantis, quatenùs Deum diligat non propter se tantùm, sed & propter ipsum? Ex occasione quippè frequentium necessitatum, crebris necesse est interpellationibus Deum ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari quàm suavis est Dominus Jesus Christus crucifixus.

§. III.

Audisti de odore, (n) audisti de sapore fructûs, audi & de *specie*. Si enim fructus ille mortis non solùm suavis fuit ad vescendum, sed etiam (teste Scriptura) *delectabilis aspectu*: quantò magis hujus vitalis fructus vivificum decorem debemus inquirere, *inquem* (teste alia Scriptura) *desiderant etiam Angeli prospicere*? Cujus pulchritudinem in spiritu videbat, & in corpore videre cupiebat, qui dicebat in Psalmo: *Ex Sion species decoris ejus*. Et ne mediocrem tibi videatur commendâsse decorem, recole quod in alio Psalmo legis: *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum*. Porrò (o) subjungit Propheta dicens: *Specie & pulchritudine tua intende prosperè*. Unde species hæc & pulchritudo? Puto ex liliis. Quid speciosius lilio? Sic nihil formosius Sponso Jesu. Quæ sunt autem illa lilia, è quibus species decoris ejus? *Procede* (inquit Propheta) *& regna propter veritatem & mansuetudinem & justitiam*. Lilia sunt, lilia (inquam) orta de terra, nitentia super terram, eminentia in floribus terræ, fragrantitia super odorem aromatum. Ergo inter hæc lilia Sponsus Jesus crucifixus, & omninò ex his speciosus & pulcher. Aliàs enim (quod quidem ad carnis infirma spectat) non erat ei species neque decor. Bonum autem lilium *Veritas*, [p] candore conspicuum, odore præcipuum. Denique *candor* est lucis æternæ, splendor & figura substantiæ Dei. Lilium planè, quod ad novam benedictionem terra nostra produxit & paravit ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem Gentium. Donec sub maledicto fuit terra, spinas & tribulos germinavit. At nunc Veritas de terra orta est, Domino benedicente, speciosus omninò quidem flos campi, & lilium convallium. Agnosce Christiane lilium ex *candore*, qui mox in ipso exortu floris pastoribus de nocte emicuit, dicente Evangelio. *Quia Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos*. Bene *Dei*, quia non Angeli, sed Lilii candor ille aderat, sed illuc micabat ab usque Bethleem. Agnosce lilium & ex *odore*, quo & longè positis innotuit Magis. Et quidem stella apparuit, sed eam minimè Viri graves secuti fuissent, nisi intimâ quâdam suaveolentiâ orti Lilii traherentur. Est verè lilium Veritas, cujus odor animat fidem, splendor intellectum illuminat. Leva etiam oculos nunc in ipsam personam Domini, qui in Evangelio loquitur: *Ego sum veritas*. Et vide quàm competenter Veritas lilio comparetur. Si non advertisti, adverte de medio floris hujus quasi virgulas aureas prodeuntes, & cinctas candidissimo flore pulchrè ac decenter dispositio in coronam: & agnosce auream in Christo crucifixo Divinitatem humanæ coronatam puritate naturæ, id est Christum in diademate, quo coronavit Mater sua Virgo. Nam in quo coronavit eum Pater suus, lucem inhabitat inaccessibilem, nec posses in eo illum interim adhuc videre. Sed de hoc aliàs. Nunc verò [q] lilium Veritas est. Est & *Mansuetudo*. Est benè lilium mansuetudo, habens innocentiæ candorem, & odorem spei: *quoniam sunt reliquiæ* (inquit Propheta) *homini pacifico*. Bonæ spei vir mansuetus, nec minùs etiam in præsenti lucidũ quoddam vitæ est socialis exemplar. An non lilium est mansuetudo, quæ lucet officio, redolet spe? Adde quòd sicut Veritas de terra orta est, ita Mansuetudo. Nisi quis dubitet ortum de terra Agnum dominatorẽ terræ, illum Agnum qui ad occisionem ductus est, & non aperuit os suum. Nec tantùm Mansuetudo seu Veritas de terra orta est, sed & *Justitia*, Propheta dicente: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem, & justitia oriatur simul*. Quòd autem Justitia lilium sit, recordamini de Scriptura, quia *Justus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum*. Porrò hujus lilii candor cui non splendet, nisi cui non placet? Denique *Sol* est, non ille qui oritur super bonos & malos. Neque enim qui dicturi sunt, *Sol justitiæ non ortus est nobis*, lucem illius quandoque viderunt: viderunt autem quotquot audierunt: *Vobis autem qui timetis Deum, orietur Sol justitiæ*. Ergo candor hujus Lilii apud justos; fragrantia etiam ejus usque ad iniquos diffunditur, etsi non in bonum ipsis. Sunt multa apud Sponsum Jesum & alia lilia præter hæc [r] quæ ex Propheta inciderunt nobis, veritatem loquor & mansuetudinem & justitiam: nec erit difficile jam cuilibet vestrûm similia reperire per semetipsum in horto tam deliciosi Sponsi Jesu Christi crucifixi. Abundat & superabundat talibus. Quis illa enumeret? Nempe quot virtutes, tot lilia. Quis finis virtutum apud Dominum Virtutum? Quòd si plenitudo virtutum in Christo & liliorum, & fortassis propterea ipse se lilium appellavit, quòd totus versetur in liliis, & omnia quæ ipsius sunt, lilia sint: Conceptio, Ortus, Conversatio, Eloquia, Miracula, Sacramenta, Passio, Mors, Resurrectio, Ascensio. Quid horum non candidum, & non suavissimè redolens? Tanta denique *in Conceptione* refulsit superni luminis claritas de superveniente is abundantia Spiritus, ut ne ipsa quidem Virgo Sancta sustinuisset, si non sibi obumbratum foret à virtute Altissimi. Porrò *Ortum* candidavit incorrupta virginitas Mariæ, *Conversationem* innocentia vitæ,

m *Tract. de dilig. Deo cap. 9. num. 26.* n *Ser. 3. super missus num. 6.* o *Ser. 70. in Cant. num. 4.* p *Ibidem num. 5.*

q *Ibidem num. 6.* r *Ibidem num. 7.*

Eloquia veritas, *Miracula* puritas cordis, Sacramenta pietatis arcanum, *Passionem* patiendi voluntas, Mortem libertas non moriendi, *Resurrectionem* martyrum fortitudo, Ascentionem exhibitio promissionum. Quàm bonus fidei odor in his singulis, nostra quidem, qui candorem non vidimus, tempora & viscera replens. Et beati qui non viderunt, & crediderunt. Pars mea in his odor vitæ qui procedit ex ipsis. Infusus naribus meis apto quodam fidei instrumento, & quidem copiosiùs præ multitudine liliorum, sanè & exilium relevat, & patriæ cælestis desiderium assiduè innovat in visceribus meis. Verùm ille quam excusationem habet, [s] qui in odore horum non currit, nisi ad quem fortè odor minimè pervenit? Sed enim in omnem terram exivit odor vitæ: quoniam misericordiâ Domini plena est terra, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Ergo qui vitalem hanc sparsam ubique fragrantiam non sentit, & ob hoc non currit; aut mortuus est, aut putidus. Fragrantia fama est, prævenit opinionis odor, excitat ad currendum, perducit ad unctionis experimentum, ad bravium visionis. Vox una lætantium, omnium pervenientium: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum.* Omninò propter *Mansuetidinem* quæ in te prædicatur, currimus post te Domine Jesu, audientes quòd non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Porrò *Sapientiæ* tuæ odorem ex eo percipimus quòd audimus, quia si quis indiget sapientiâ, postulet eam à te, & dabis ei. Ajunt siquidem quòd des affluenter, & non improperes. At verò *Justitiæ* tuæ tanta ubiquè fragrantia spargitur, ut non solùm Iustus, sed etiam ipsa dicaris justitia, & justitia justificans. Tam validus denique es ad justificandum, quàm multus ad ignoscendum. Quamobrem quisquis pro peccatis compunctus esurit & sitit justitiam, credat in te qui justificas impium, & solam justificatus per fidem, pacem habebit ad Deum. *Sanctitatem* quoque suavissimè tua redolet non solùm Conversatio, sed & Conceptio. Peccatum siquidem non commisisti, nec contraxisti. Unde Sponsa (t) non est contenta semel dicere pulchrum, nisi repetat & decorum, inquiens: *Ecce tu pucher es dilecte mi, & decorus*: utique eminentiam decoris illa repetione designans. Aut certè in utraque Christi substantia dignum expressit omni admiratione decorem, in altera *naturæ*, in altera *gratiæ*. Quàm *pulcher* es Angelis tuis Domine Jesu in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus Sanctorum ante Lucifero genitus, splendor & figura substantiæ Patris, & quidem perpetuus minimèquè fucatus candor vitæ æternæ. Quàm mihi *decorus* es Domine mi Jesu in ipsa tui hujus positione decoris. Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti: ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plùs effulsit, ibi ampliùs gratia radiavit. Quàm spectabilis & stupendus es etiam Virtutibus supernis in conceptu de Spiritu, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentis, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus Sacramentorum. Quàm formosum & in mea forma te agnosco Domine Jesu, [u] non ob divina tantùm quibus effulges miracula, sed & propter veritatem & mansuetudinem & justitiam. Beatus qui te in his Hominem inter homines conversantem diligenter observans, seipsum præbet pro viribus imitatorem tui. Jam redemptionis odor [x] quantos currere facit? Cùm exaltaris à terra, tunc prorsùs omnia trahis ad teipsum. Passio tua ultimum est refugium, singulare remedium. Deficiente sapientia, justitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis, illa succurrit. Sit ergo meditatio nostra, Fratres, [y] Christus Iesus & hic crucifixus: quia si compatimur, & conregnabimus. Et nihil aliud (z) nisi ipsum solum de omni corde quæramus, & sic ad percipiendam hæreditatem quæ ipse est, perveniemus. Quod ipse nobis Christus largiri dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT VI.

De visione Salvatoris nostri in Cruce pendentis.

Videbunt in quem transfixerunt. *Zach.* 12. *& Joan.* 19.

1 *Ostenditur, duplicem esse visionem Salvatoris nostri: una est sublimis, altera suavis. Illa in Regno, ista in Cruce: illa in splendore, hæc in pallore seu nigredine. Docemur, ut considerantes nigredinem Crucifixi, venemur pulchritudinem ejus. Foris apparet deformis, intùs latet formosus. Jacob hædinis pellibus indutus præfigurabat Filium Dei suscepturum formam hominis. Laudatur fides Centurionis illius, qui advertens ex voce Jesu Crucifixi pulchritudinem ejus, confessus est Filium Dei. Ostenditur quanta sit prærogativa aurium in negotio Fidei.* 2 *Prosequimur sermonem de duplici visione Salvatoris nostri, quarum una indicat decorem, altera nigredinem. Docemur quomodo sit intelligendus niger simul & formosus Jesus crucifixus. Monemur, ut videamus nunc Jesum crucifixum in humilitate, si postea volumus eum videre in gloria. Ipse aliter Sanctis in patria, aliter nobis in via exhibetur. Excitamur ad auscultandum vocem Crucifixi non solùm invitantis nos, ut revertamur ad eum, & compatiamur ejus doloribus: verumetiam improperantis nobis ingratitudinem suorum beneficiorum, creationis & redemptionis.* 3 *Ostenditur, meditationem passionis Dominicæ esse singulare remedium contra cogitationes impuras. Ipsa est quæ ab omni impulsu vitiorum præservat mentem nostram, & purificat cogitationem nostram, ac in puritate conservat. Serpens à Moyse exaltatus, typus fuit nostri Jesu crucifixi. Memoria passionis Dominicæ est singulare antidotū contra tentationes & suggestiones diaboli.*

§. I.

HÆc est mea [a] sublimior interim philosophia, scire JESUM & hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Illud sublimius, istud sua-

s *Ser. 22. in Cant. num. 8.* t *Ser. 45. in Cant. n. 8. & 9.* u *Ser. 25. in Cant. num. 9.*

x *Ser. 22. in Cant. num. 8.* y *Ser. 1. de verb. Isa. n. 2.* z *Ser. 3. de vit. Cant. num. 50.* a *Ser. 43. in Cant. num. 4.*

suavius vel paratius. Incomprehensibilis erat & inaccessibilis, (b) invisibilis & inexcogitabilis omninò. Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quonam modo? inquis. Nimirùm in Cruce pendens, in morte pallens. Sublimis in Regno, (c) sed suavis in Cruce. In hac me visione præveniat, in illa adimpleat. *Adimplebis me* (ait Propheta) *lætitiâ cum vultu tuo*. Utraque visio salutaris, utraque suavis; sed illa in sublimitate, ista in humilitate. Illa in splendore, hæc in pallore est. Porrò (d) sublimis quædam visio prophetico nobis sermone describitur; *Vidi* (inquit Esaias) *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum*. Magnum spectaculum, Fratres, & beati oculi qui viderunt. Quis non toto desiderio concupiscat tantæ Majestatis gloriam contemplari. Hoc quippè Sanctorum omnium unicum semper desiderium fuit. Ipse est enim in quem desiderant Angeli prospicere; quem videre est vita æterna. Sed aliam audio Prophetæ ejusdem, & ejusdem Domini longè dissimilem visionem. Siquidem Esaias iste in alio loco sic loquitur: *Vidimus eum & non erat ei species neque decor, & æstimavimus eum tanquam leprosum*. Ubi illud primùm considerandum est, quòd illa visio propheticæ prærogativæ propria videatur, hæc autem visio communis est. Non sine causa sanè ibi, *vidi*, scriptum est; & hîc, *vidimus*: nisi ut illam quidem visionem excellentiæ singularis, hanc verò intelligas esse communem. Siquidem absque specie & decore vidit eum & sprevit Herodes; viderunt quoque ipsi Judæi, qui & dinumeraverunt omnia ossa ejus. Contemnat Herodes, (e) ego tantò magis non contemno, quantò magis contemptibilem se ostendit Herodi. Agnosco pellem Salamonis, [f] imò ipsum in pelle foris nigra Salamonem amplector. Habet & Salomon (Jesus crucifixus) nigredinem, sed in pelle. Foris niger, in cute niger, non intùs. Alioquin omnis gloria ejus filiæ Regis ab intùs. Intùs Divinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, innocentiæ puritas. Sed tegit hæc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus est vultus ejus & despectus, dum tentatur per omnia pro similitudine absquè peccato. Agnosco denigratæ formam naturæ. Agnosco tunicas illas pelliceas Protoplastorum peccantium habitum. Denique semetipsum denigravit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Filius Dei erat, (g) & factus est tanquam seruus. Non solùm formam servi accepit, ut subesset: sed etiam servi, ut vapularet: & servi peccati, ut pœnam solveret, cùm culpam non haberet. Agnosco sub pelle hædi (h) qui peccatum significat, & manum quæ peccatum non fecit, & collum per quod mali cogitatio non transivit. Ideoquè non est inventus dolus in ore ejus. Novi quòd sit lenis naturâ, mitis & humilis corde, blandus aspectu, suavis spiritu. Est quidem unctus oleo lætitiæ præ consortibus suis. Unde ergo nunc instar Esaü pilosus & hispidus? Cujusnam rugosa & tetra imago hæc, & unde hi pili? Mei sunt: nam pilosæ manus similitudinem proximi exprimunt peccatoris. Meos agnosco hos pilos, & in pelle mea videbo Salvatorem meum. Non tamen Rebecca sic illum induit, (i) sed Maria, tantò digniorem qui benedictionem acciperet, quantò Sanctior quæ peperit. Et benè in meo habitu, quia mihi benedictio vendicatur, mihi postulatur hæreditas. Siquidem audierat: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Tuam, inquit, hæreditatem, tuamquè possessionem dabo tibi. Quomodò dabis ei, si sua est? Et quomodò suam mones ut postulet? Mihi proinde postulat, qui meam ad hoc induit formam, ut suscipiat causam. Quippè *disciplina pacis nostræ super eum*, (dicente Propheta) *& Dominus in eo posuit iniquitatem omnium nostrûm*: unde *debuit fratribus per omnia similari*, (sicut ait Apostolus) *ut misericors fieret*. Propterea vox quidem, vox est Jacob; manus autem, manus sunt Esaü. Suum est quod auditur ex eo; quod in eo videtur, nostrum est. Quod loquitur, spiritus & vita est: quod apparet, mortale & mors est. Aliud cernitur, & aliud creditur. Nigrum sensus renunciat, fides candidum & formosum probat. Niger est, sed oculis insipientium; nam Fidelium mentibus est formosus valdè. Niger est, sed formosus. Niger reputatione Herodis, formosus confessione Latronis, Centurionis fide. Quàm mihi decorus es Domine mi Jesu [k] in ipsa tui hujus positione decoris. Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti: ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plùs effulsit, ibi ampliùs gratia radiavit. Quàm formosum adverterat ille Centurio (l) qui exclamavit: *Verè homo hic Filius Dei erat*. Sed in quo advertit, advertendum est. Si enim attenderet quod apparebat, quomodò formosus, quomodò Filius Dei? Quid nisi deforme & nigrum oculis spectantium occurrebat, cùm expansis in Cruce manibus, medius duorum nequam risum malignantibus daret, fletum Fidelibus? Et solus erat risui, qui solus poterat esse terrori, solus honori debuerat. Unde igitur advertit pulchritudinem Crucifixi, & quòd is sit Filius Dei, qui cum iniquis reputatus est? Respondere aliquid ad id, nostrûm nec fas nec opus est. Nec enim Evangelistæ hoc diligentia præteriit. Sic enim habes: *videns autem Centurio qui ex adverso stabat, quia sic clamans expiràsset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat*. Ergo ad vocem credidit, ex voce agnovit Filium Dei, & non ex facie. Erat enim fortassè ex ovibus ejus, de quibus ait Dominus: *Oves meæ vocem meam audiunt, & cognosco meas, & cognoscunt me meæ*. Auditus invenit quod non visus. Oculum species fefellit, auri veritas se infudit. Oculus pronunciabat infirmum, oculus fœdum, oculus miserum, oculus morte turpissima condemnatum. Auri Dei Filius, auri formosus innotuit: sed non Judæorum, quia erant incircumcisi auribus. Meritò Petrus abscidit auriculam servi, ut viam faceret Veritati, & Veritas liberaret eum. Erat ille Centurio incircumcisus, sed non aure, qui ad unam expirantis vocem sub tot infirmitatis

---

b *Ser. de Virg. Deip. num.* 11. c *Ser.* 61. *in Cant. n.* 6. d *Ser.* 1. *de verb. Esa. num.* 1. e *Ser.* 61. *in Cant. num.* 6. f *Ser.* 28. *in Cant. num.* 2. g *Ser. in fer.* 4. *hebd. San. num.* 10. h *Ser.* 28. *in Cant. num.* 2.

i *Ibidem num.* 3. k *Ser.* 45. *in Cant. nu.* 9. l *Ser.* 28 *in Cant. num.* 4.

tatis indiciis Dominum majestatis agnovit. Ideoquè non despexit quod vidit, quia credidit quod non vidit. Non autem credidit ex eo quod vidit, sed ex eo proculdubiò quod audivit: quia *fides ex auditu*. Dignum quippè fuerat (m) per superiores oculorum fenestras Veritatem intrare ad animam: sed hoc nobis ô anima servatur in posterùm, cùm videbimus facie ad faciem. Nunc autem unde irrepsit morbus, inde remedium intret, & per eadem sequatur vestigia vita mortem, tenebras lux, venenum serpentis antidotum Veritatis: & sanet oculum qui turbatus est, ut serenus videat quem turbatus non potest. Auris primò mortis janua extitit, prima aperiatur & vitæ. Auditus qui tulit, reparet visum: quoniam nisi crediderimus, non intelligemus. Unde Propheta: *Auditui meo*, inquit, *dabis gaudium & lætitiam*: quòd fidelis retributio auditionis, beata visio fit, & beatæ meritum visionis fidelis auditio: *Beati* (ait Dominus) *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Porrò fide oportet mundari oculum qui videat Deum, quemadmodùm Scriptura ait: *Fide mundans corda eorum*. Interim ergo dum necdum paratus est visus, auditus exercitetur, auditus excipiat Veritatem. Felix, cui Veritas attestatur dicens: *In auditu auris obedivit mihi*. Dignus qui videam, si priùs quàm videam, obedîsse inveniar. Securus videbo, ad quem me obedientiæ munus præcesserit. Quàm beatus qui ait: *Dominus Deus aperuit mihi autem, & ego non contradico, retrorsùm non abii*. Ubi & voluntariæ habes obedientiæ formam, & longanimitatis exemplum. Qui enim non contradicit, spontaneus est: qui retrò non abiit, perseverat. Utrumque necessarium est: quoniam hilarem datorem diligit Deus. *Et qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Utinam & mihi aperiat aurem Dominus meus Jesus crucifixus, utinam intret ad cor meũ sermo Veritatis, mundet oculum, & lætæ præparet visioni, ut dicam Deo etiam ipse: *Præparationem cordis mei audivit auris tua*. Ut audiam à Deo etiam ipse cum cæteris obedientibus: *Et vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*.

§. II.

Christus Deus noster (n) multifariè multisquè modis non solùm locutus est in Prophetis, sed & visus est à Prophetis. Agnovit eum *David* minoratum ab Angelis. *Jeremias* etiam vidit eum cum hominibus conversantem. *Esaias* modò super solium excelsum, modò non solùm infra Angelos aut inter homines, sed tanquam leprosum se vidisse testatur, id est, non in carne tantùm, sed in similitudine carnis peccati. Denique Propheta Esaias (o) in prima visione vidit Christum Dominum gloriâ & honore coronatum, quando dixit: *Vidi Dominũ sedentem super solium excelsum*. In secunda visione vidit Christũ crucifixum, quando dixit: *Vidimus eum & non erat ei species neque decor*. Et nota quòd in prima visione dixit, *vidi*; in secunda, *vidimus*: quia illa paucorum est, & solius Prophetæ: ista verò multorum est, & peccatorum. Nihil proinde sibi Sponsa gloriosius putat, (p) quàm Christi portare opprobrium. Unde vox illa prorsùs exultationis & salutis: *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi*. Grata ignominia crucis ei, qui Crucifixo ingratus non est. Nigredo est, sed forma & similitudo Domini. Vade ad sanctum Esaiam, & describet tibi qualem in spiritu illum viderit. Quem namque alium dicit *virum doloris*, & *scientem infirmitatem*, & quia *non erat ei species neque decor*? ecce unde niger. Junge & illud sancti David: *Speciosus formâ præ filiis hominum*: & habes totum in Sponso Christo, quod Sponsa de se testata est dicens: *Nigra sum, sed formosa, filia Jerusalem*. Num tibi rectè & ipse Sponsus videtur (q) posse respondere Judæis: Niger sum, sed formosus, filii Jerusalem? *Niger* planè, cui non erat species neque decor. *Niger*, quia vermis & non homo, opprobium hominum, & abjectio plebis. Denique seipsum fecit peccatum, & nigrum dicere verear? Intuere sanè plagis lividum, illitum sputis, pallidum morte, & nigrum vel tunc profectò fatebere. Percunctare etiam Apostolos eundem ipsum qualem in monte perspexerint, aut certè Angelos in qualem prospicere concupiscant, & nihilominùs formosum mirabere. Ergo formosus in se, niger propter te. Si autem desideras videre sublimem, (r) humilem priùs Jesum videre curato. Intuere priùs exaltatum in deserto Serpentem, si videre desideras Regem in solio sedentem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet humiliatum. Reprimat & sanet ista tumorem tuum, ut illa repleat & satiet desiderium tuum. Exinanitum vides? non sit ociosa visio, quia exaltatum ociosè videre non poteris. Similis eris illi, cùm videris eum sicuti est: esto & nunc similis ei, videns eum sicut propter te factus est. Si enim ne in humilitate quidem similitudinem ejus abnuis, certa tibi sublimitatis quoque similitudo debetur. Nunquam ille socium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri. Interim (s) quibusdam ostenditur Caput hirsutum spinis, inclinatum in Cruce, ut humilientur pariter & compungatur. Quibusdam verò gloriosum apparet, ut ab ipso glorificentur, & in ipso glorientur, quem vident sicuti est. Utinam sicut illis sic nobis etiam Christus appareat vita nostra, & nos quoque cum ipso appareamus in gloria. Interim nempè non sicut est, sed sicut pro nobis factum est Caput nostrum nobis repræsentatur, non coronatum gloriâ, sed peccatorum nostrorum circumdatum spinis. O anima Christiana, (t) respice in faciẽ Christi crucifixi, & eleva oculos tuos ad tormenta illius non sine lachrymis, & cor contritum non sine singultu: & vide quantam tribulationem & dolorem invenit, dum quæreret te, ut inveniret te. Laxa igitur oculos tuos, ut respicias in faciem Christi tui. Ausculta auribus erectis, & in dolore tanto quod proferat verbũ semel auditum, pro preciosissimo reconde thesauro in cubiculo cordis tui. Ecce positus est hic in immiti lectulo mortis suæ, Crucem dico. Stat ecce expansis manibus, (u) nudo corpore, manibus simul & pedibus perforatis, capite inclinato. In extensione brachiorum cognosce eum, & suscipe affectum paratum ad tuos, & te ad suos invitantis amplexus, & quodammodò miserabiliter misericorditerquè clamantis: *Revertere, revertere*

m Ibidem num. 5. n Ser. 1. de verb. Esai. num. 2. o Ser. 12. divers. num. 1. tom. 6. pag. 865. p Ser. 25. in Cant. num. 8.

q Ibid. n. 9. r Ser. 1. de verb. Esai. n. 2. s Ser. 5. de omn. Sanct. n. 8. & 9. t Tract. de vite myst. cap. 3. n. 40. u Ibid. cap. 44. n. 160. & 167.

tere ut intueamur te. Revertere à malis factis, ab obstinatione, à desperatione. Revertere, inquam, ad me, quæ à me aversa fuisti; ut intueamur te intuitu gratiæ, quo mulierem peccatricem, Petrum, Latronem respexi. Lege me librum vitæ scriptum intùs & foris, & lectum intellige. Collige tibi flores meos sanguineos, ut paradisi illius possis januam introire, ante cujus fores Cherubim collocatus est cum gladio flammeo ac versatili. Valet enim scientia quam ex me plenariè discere potes, ad amovendum impedimentum Cherubim. Denique ipse Jesus complexus tuos, ô anima, desiderat, (x) talis ut complectatur, expectat: Caput floridum multis spinarum aculeis confixum ad te inclinat, ut ad pacis osculum te invitet, tanquam dicat tibi; Ecce quomodo configuratus sum, quomodo confossus, quomodo mactatus, ut te possim ponere super humeros meos, quæ aberraveras ovis mea, & ad pascua reducere paradisi. Redde vicem amoris, & super Vulnera mea misericordiâ commovere, & pone me talem qualem nunc vides ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; ut in omnibus cogitationibus cordis tui, & in omnibus operibus brachii tui mihi taliter ut vides signato possis similis inveniri. Conformaveram te imagini Divinitatis meæ cùm te crearem, conformatus sum imagini humanitatis tuæ ut te reformarem. Tu ergo, ô homo, qui non retinuisti formam Divinitatis meæ tibi impressam in tua formatione: retine saltem formam humanitatis tuæ mihi impressam in tua recreatione; id est, si non retines qualem te creavi, retine saltem qualem te recreavi. Si non capis quantas virtutum divitias tibi dederim te creando: cape saltem quantas in humanitate tua miserias propter te acceperim recreando, & ad potiores quàm ad quas te formaveram delicias reformando. Nam propterea homo visibilis factus sum, ut à te visus amarer, qui in Deitate mea invisibilis non amabar. Da te ergo præmium Incarnationi & Passioni meæ, pro quo incarnatus simul & passus dedi me. Quisquis sanè nec ob hoc quidem converti voluerit, (y) nonne meritò audiet: *Popule meus, quid tibi debui facere, & non feci?* Ac si dicat: Quid causæ est, (z) quòd inimico meo vestroq; libet servire potiùs quàm mihi? Neq; enim ille creavit vos, sed nec pascit quidē, aut tempora vestra ipse disponit. Si parva hæc videntur ingratis: non ille, sed ego redemi vos. Sed quo precio? Non utique corruptilibus auro & argento, non sole vel lunâ, non saltem aliquo Angelorum, sed proprio vos Sanguine redemi. Cæterùm si neque tam multiplici jure debitum à vobis elicere est famulatum, omissis his omnibus mecum saltem ex diurno denario convenite.

§. III.

Passio Christi (a) ultimum est refugium, ac singulare remedium. Proinde si tentationum sentis aculeos, (b) exaltatum in ligno Serpentem æneum intuere: & suge non tam vulnera, quàm ubera Crucifixi. Convenit enim (c) ut talismodi apes simus quæ sciant sugere mel de petra. Petra autem est Christus, Est & mel mundificativum, (d) quia verè nihil est, quod ita ab omnium vitiorum impulsu & cogitatione cogitationem nostram purificet, & in puritate conservet, sicut jugis memoria crucis & passionis Dñi Jesu Christi. Itaque (e) quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delectationem affici: toties pone ante mentis oculos, quomodo Christus in Cruce crucifixus est pro te. Intuere quomodo à Juda Judæis traditur, & quàm viliter pertractatur, blasphematur, colaphizatur, judicatur & condemnatur, expoliatur & flagellatur: ad ultimum verò contumeliis & opprobriis affectus inter duos latrones suspenditur, clavis Cruci affixus inclito capite emittit spiritum. Ita Redemptor tuus moritur pro te: & tu nescio cujusmodi sordida cogitatione sordidaris in mente. Sufficere posset hæc cogitatio ad excludendas omnes illicitas cogitationes. Sed adhuc remedium attendamus, (f) per quod vitium incredulitatis subjectum est. Dixit Dominus ad Moysen: *Fac serpentem æneum, & pone eum in ligno erecto: quem qui intuiti fuerint, à serpentum morsibus sanabuntur*. Cujus serpentis mysterium ipse Dominus Jesus curavit exponere dicens; *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis; ut omnis qui credit in illum, non pereat*. Videsne quorsùm feramur? Prorsùs ad exaltatum in Cruce benignum Jesum: qui optimè serpenti æneo & exaltato comparatur. *Serpens* enim dicitur mortifer: quia per suggestionem serpentis mors intravit in orbem. *Æneus* verò dicitur: quia charitatis simul & passionis ignibus conflatus, passionis Sanguine rubricatus, ad modum æris in resurrectione induratus est: quia ultra non moritur. *Exaltatio* autem serpentis, exaltationē crucifixi Jesu figurat. Hic est Serpens, quem increduli à malignis spiritibus vulnerati ad credulitatem conversi, si volunt salvari, respicere commonentur. Est enim Serpens iste de virga Moysi transformatus. Per virgam, quæ est insigne regium, Deum intellige: per serpentem verò, cujus suggestione primi parentes mortui sunt, Hominem mortalem accipe. Mutata est virga in serpentem, quandò *Verbum caro factum est*, assumens quod non erat, id est, humanitatem; manens quod erat, id est, Deus. Sicut ergo factus serpens Magorum Ægyptiorum serpentes devoravit: sic Deus factus Homo inimicorum suggerentium peccata & fraudes evacuavit, maximè tamen cùm esset exaltatus in Crucem, cùm Sanguinis sui flores ostenderet, & florum scilicet virtutum suarum odorem per totum mundum effunderet, & corda quibuscunque vitiis vulnerata sanaret. Respiciamus igitur & nos (g) in faciem Serpentis ænei, elevati Christi, si volumus à pravorum dæmonum suggestionibus serpentinis liberari. Respicere autem fide in ipsum tendere est: quod non infirma, sed forti & perfecta fide completur. Verùm sunt quidam qui ore confitentur quoniam Christiani sunt, factis autem negant, quos non puto fide tendere in Cru-

x *Ibidem num. 169.* y *Ser. 29. divers. num. 3.* z *Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 16. num. 53.* a *Ser. 22. in Cant. n. 9.* b *Epist. 351. num. 1.*

c *Tract. de vite myst. cap. 44. n. 166.* d *Ibidem n. 171.* e *Tract. de inter. domo cap. 22. num. 47.* f *Tract. de vite myst. cap. 45. num. 175.* g *Ibidem num. 176.*

Crucifixum pium Iesum. Et quoties alicujus serpentinæ tentationis morsu nos cognoverimus esse vulneratos, toties ad Crucem curramus, & ad thronum Crucis quandoque ignominiæ nunc summæ gloriæ accedamus: & fide, spe, & charitate liberatorem piissimum intendentes, per mortem nostri Serpentis (qui mortem antiqui serpentis occidit) à serpentum morsibus petamus liberari. Hæc est enim dulcissima medicina, (h) crux ipsa beata scilicet passio Christi: quæ morbum omnem expellit, vires atque virtutes non habenti acquirit: quæ non solùm sanat ægrotos, sed etiam vivificat mortuos. Mihi meus auditor credat, imò mihi credat Crucis amator, quòd jam non lædetur à morte secunda, si in hac vita usus fuerit tali medicina. Nihil proficiet inimicus in eo, (i) quem crux Christi delectat, si carnalem suggesserit delectationem. Si autem quandoque suggestionibus diaboli, (K) vel importunis carnis nostræ clamoribus ad curam carnis in desideriis peragendam revocemur, anxietates Christi crucisquè supplicium ponamus præ oculis, & confestim ipsa nos docebit experientia, quid senserit Apostolus cùm dixit: *Verbum crucis his qui salvi fiunt, virtus Dei est.* Et: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Quare? Quia sicut fluit cera à facie ignis, sic pereunt omnes immunditiæ à facie Crucis. Dei siquidem infirmitas, nostra est fortitudo. Hoc etiam sciendum est, (l) quòd cogitatio quantumlibet immunda mentē non polluit, cui ratio non consentit. Quis enim cogitationes suas ita refrænare potest, ut non qualibet immunditiâ titilletur? Sed continuò talium cogitationum insultus sunt reprimendi, ut unde sperabat se hostis vincere, per hoc magis victus abscedat. Quod fit quoties pravis & immundis cogitationibus attacti, statim ad signum Crucis & ad passionis Dominicæ recordationem confugimus, toties suo telo in bello fortes effecti hostem ferimus. Porrò (m) cùm tentationis impetum sentimus in cogitatione, statim fugiamus ad Iesum crucifixum, & humiliter postulemus auxilium. Quod si fortè præoccupaverit nos (ut aliquando assolet) cùm tardiùs quàm oporteat ad eum confugimus, solliciti simus ut suscipiat nos manus Domini Jesu. Hoc refugiū qui declinat, (n) nihil mirum si effugere non meretur. Quòd si fortè luxuriæ te pompa concusserit, (o) recordare dilectum tuum Jesum positum in doloribus, & universum stratum suum versatum in infirmitate ejus, hæc dicens in corde tuo: Deus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo? Sicquè invocato nomine Salvatoris, ingeminando sepè Nomen salutis, cessabit tandem Deo succurrente quassatio. Hoc tibi electuariū habes ô anima christiana, (p) reconditū in vasculo vocabuli hujus quod est Jesus, salutiferum certè, quodquè nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum & sensus dirigantur & actus. Denique & invitaris: *Pone me*, inquit, *signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo.* Sed hoc aliàs. Nunc verò habes unde & brachio medearis & cordi. Habes inquam in nomine Jesu unde actus tuos vel pravos corrigas, vel minùs perfectos adimpleas: itemquè unde tuos sensus aut serves ne corrumpantur, aut si corrumpantur, sanes. Hoc non solùm Iudæus, (q) sed quicunque invocaverit, salvus erit: intantùm usquequaquè effusum est. Hoc Pater donavit Filio suo, & Sponso Ecclesiæ Dño nostro Jesu Christo, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT VII.

De uberibus Sponsi & Sponsæ, id est Jesu crucifixi & Ecclesiæ.

Osculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt ubera tua vino. *Cant.* 1.

1. *Ostenditur qualiter hæc verba conveniant Sponsæ Ecclesiæ, quæ cùm desisteret postulare osculum sive contemplationē majestatis Dei, dixit meliora esse ubera ejus vino. Duo ubera designant longanimitatem Christi in expectando, & facilitatē in donando. Item ostenditur, eadem ubera congruere etiam ipsi Sponso Jesu crucifixo, cujus meditatio replet lacte ubera matrum, id est magistrorum spiritualium ad lactandos parvulos.* 2. *Ostenditur quàm ægrè ferant discipuli videntes suos magistros plus insistere osculis contemplationis, quàm lucris animarum. Item ostenditur, duo ubera Sponsæ significare compassionem & congratulationem: producerequè duas species lactis, exhortationē scilicet & consolationem. Docemur intermittendam esse contemplationem propter lactantia ubera. Excitamur ad meditationem passionis Dominicæ.* 3. *Ostenditur, nihil esse utilius novitiis meditatione passionis Dominicæ. Describitur triplex refectio spiritualis juxta tres status: quorum primus est incipientium; secundus proficientium, tertius perfectorum. Primi reficiuntur pane doloris, secundi lacte charitatis, tertii cibo sapientiæ. Tria item sunt genera contemplationis: primum fit de gloria Sanctorum, alterum de majestate Dei, tertium de passione Dominica. Medium convenit perfectis, primum verò & secundum congruit imperfectis.*

§. I.

HÆc est mea [a] sublimior interim philosophia, scire Iesum & hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem lætus amplector mea inter ubera commorantem. Illud sublimius, istud suavius vel paratius. Panis illud, hoc lac. Hoc viscera reficit parvulorum, hoc replet ubera matrum: & ideo inter ubera mea commorabitur. Ibi enim est cor. (b) Et ubi est cor, ibi dilectio: & ubi dilectio, ibi dilecti Jesu mansio. Amplexatus est nos Dominus Iesus. [c] per laborem & dolorem nostrum. Amplectamur eum nos quoque vicariis quibusdam amplexibus propter justitiam & ad

h Ser. 11. in mir. Cant. n. 85. i Ser. 1. de S. Andr. n. 3 K Ser. de verb. Sap. n. 6. tom. 6. pag. 770. l Tract. de vita myst. cap. 19. num. 76. m Ser. 2. super Psal. 90. num. 2. n Ser. 9. super Psal. n. 7. o Formula hon. vitæ num. 13. p Ser. 15. in Cant. num. 7.

q Ser. 16. in Cant. num. 14. a Ser. 43. in Cant. num. 4. b Ser. 2. in Cant. Dom. num. 9. c Ser. in fer. 4. hebd. sanct. num. 14.

ad justitiam suam: actiones ad justitiam dirigendo, passiones propter justitiam sustinendo. Dicamus quoque cum Sponsa: *Tenui eum, nec dimittam*. Dicamus etiam cum Patriarcha Iacob: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*. Quid enim jam superest nisi benedictio? Quid post amplexum, nisi osculum restat? Si sic adhærerem Deo, quomodò non jam clamare liberet cum Sponsa: *Osculetur me osculo oris sui*? Non quiesco utiq; (d) nisi osculetur me osculo oris sui. Gratias de osculo pedum, gratias & de osculo manûs: sed si cura est illi ulla de me, *Osculetur me osculo oris sui*. Non sum ingrata, sed amo. Accepi, fateor, meritis potiora, sed prorsùs inferiora votis. Desiderio feror, non ratione. Ne quæso causemini præsumptionem ubi affectio vrget. Pudor sanè reclamat: sed superat amor. Nec ignoro quòd honor Regis judicium diligit: sed præceps amor nec judicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subiicitur. Rogo, supplico, flagito: *Osculetur me osculo oris sui*. En gratiâ ipsius multis jam annis castè sobrièquè vivere curo, lectioni insisto, resisto vitiis, orationi incumbo frequenter: vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ: aliena non cupio, mea potiùs & me pariter dedi: in sudore vultus mei comedo panem meum. Cæterùm quod in his omnibus est, totum constat de consuetudine, de dulcedine nihil. Ut igitur holocaustum meũ pingue fiat, *Osculetur me*, quæso, *osculo oris sui*. Sponsa interim Sponsum adesse præsentiens subsistit. Pudet enim præsumptionis in qua se deprehensam intelligit. Nam verecundiùs id moliri per internuncios existimârat. Moxquè conversa ad ipsum, temeritatẽ suam prout valet excusare conatur: quia *meliora sunt*, inquiens, *vbera tua vino, fragrantia unguentis optimis*. Ac si dicat: Si altum sapere videor, tu fecisti ô Sponse, qui in dulcedine vberum tuorum tanta me dignatione lactasti, quatenùs omni metu tui charitate non mea temeritate depulso audeam plus fortè quàm expediat. Audeo sanè pietatis memor, immemor majestatis. Hæc pro verborum consequentia dicta sint. Nunc qualis sit (e) ista vberum Sponsi cõmendatio, videamus. Duo Sponsi ubera, duo in ipso sunt ingenitæ mansuetudinis argumenta: nimirùm quòd patienter expectat delinquentẽ, & clementer recipit pænitentem. Gemina inquam dulcedo suavitatis exuberat in pectore Domini Jesu crucifixi, *longanimitas* videlicet in expectando, & in donando *facilitas*. Et audi quia non sit hoc inventum meum. Legis profectò de *longanimitate* in Epistola Pauli ad Romanos dicentis: *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis*? Idem ibidem dicit: *An ignoras quia benignitas Dei ad pænitentiam te adducit*? Ad hoc siquidem diu suspendit sententiam vltionis à contemnente, ut quandoque exhibeat gratiam remissionis in pænitente. *Non enim vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat*, ait Propheta Ezechiel. Ponamus exempla & de *altero vbere*, quod dictum est *remittendi facilitas*. Legis & de ipsa apud eundem Prophetam: *Quacunque hora ingemuerit peccator, peccatorum suum remittetur ei*. Legis & apud Isaiam: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus; & ad Deum nostrum: quoniam multus est ad ignoscendum*. Pulchrè David paucis comprehendit utrumque, dicens: *Longanimis, & multùm misericors*. Hujus ergo geminæ bonitatis experimento in eam se fiduciam excrevisse fatetur Sponsa, ut auderet petere osculum: Quid mirum, dicens, si sic præsumo de te ô Sponse, quæ de tuis vberibus tanta sum experta abundantiam suavitatis? Ergo ad audendum me provocat dulcedo vberum tuorum, non meorum confidentia meritorum. Quod autem dicit: *Meliora sunt vbera tua vino*, hoc est: Pinguedo gratiæ quæ de tuis uberibus fluit, efficacior mihi est ad spirituale profectũ, quàm mordax increpatio Prælatorum. Nec solùm meliora sunt vbera tua vino, sed & *fragrantia unguentis optimis*: quia nonmodò internæ dulcedinis lacte præsentes alis, sed bonæ quoque opinionis grato odore respergis absentes, bonũ habens testimoniũ & ab his qui intùs, & ab his qui foris sunt. Habes, inquã, lac intùs, & foris unguenta: quoniam quidem non essent quos lacte reficeres, si non priùs odore attraheres. Nunc autem (f) hæc ipsa verba quæ Sponsæ data sunt, an & Sponso Jesu congruant videamus. Sponsa loquente de Sponso, repentè (ut dixeram) adest ille, annuit voto, dat osculum, impletquè in ea sermonem qui scriptus est: *Desiderium cordis ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum*. Quod & probat ex ejus vberum repletione. Tantæ nempè efficaciæ osculum sanctum est, ut ex ipso mox cùm acceperit illud Sponsa concipiat, tumescentibus nimirùm vberibus, & lacte quasi pinguescentibus in testimonium. Quibus studium est orare frequenter, experti sunt quod dico. Sæpè corde tepido & arido accedimus ad Altare, orationi incumbimus: persistentibus autem repentè infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera inundatio pietatis, & si sit qui premat, lac conceptæ dulcedinis ubertim fundere non tardabunt. Dicat ergo: Habes Sponsa quod petiisti, & hoc tibi signum, quia meliora facta sunt vbera tua vino. Hinc te scilicet noveris osculum accepisse, quòd te concepisse sentis. Vnde & vbera tibi intumuerunt, facta in ubertate lactis meliora vino illius scientiæ sæcularis, quæ quidem inebriat, sed curiositate, non charitate: implens, non nutriens; inflans, non ædificans; ingurgitans non confortans. Sed demus & Sodalibus (g) ista depromere vbera. Iniustè (inquiunt) murmuras adversùs Sponsum: quia id plùs valet quod ille jam dedit, quàm quod tu petis. Quod enim postulas, te quidem delectat: sed vbera quibus parvulos alis, quos & paris, meliora hoc est necessariora sunt vino contemplationis. Aliud siquidẽ est quod unius lætificat cor hominis, & aliud quod ædificat multos. Nam &si Rachel formosior, sed Lya fæcundior est. Noli ergo nimis insistere osculis contemplationis, quia meliora sunt vbera prædica-

 tio-

d *Ser. 9. in Cant. num. 2. & 4* e *Ibidem num. 5. & 6*

f *Ibidem num. 7.* g *Ibidem num. 8.*

tionis. Denique audit Sponsa, (h) ut surgat & properet, haud dubium quin ad animarum lucra. Hoc siquidem vera & casta contemplatio habet, ut mentem quam Divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo & desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant, ut ocium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat: & rursùm potita votis, aliquatenùs in hac parte tantò ardentiùs redeat in idipsum, quantò se fructuosiùs intermisisse meminerit, & item sumpto contemplationis gustu, valentiùs ad conquirenda lucra solitâ alacritate recurrat. Cæterùm [i] inter has vicissitudines plerumque mens fluctuat, metuens & vehementer exæstuans, ne fortè alteri horum dum suis affectionibus hincinde distrahitur plùs, justo inhæreat, & sic in utrolibet vel ad modicum à Divina deviet voluntate. Et fortasse tale aliquid sanctus Job patiebatur cùm diceret: *Si dormiero, dicam: Quando consurgam? & rursùm expectabo vesperam.* Hoc est: Et quietus neglecti operis, & occupatus perturbatæ nihilominùs quietis me arguo. Vides virum sanctum inter fructum operis, & somnum contemplationis graviter æstuare: & in bonis licet semper versantem, semper tamen quasi de malis pœnitentiam agere, & Dei cum gemitu momentis singelis inquirere voluntatem? Unicum quippè in hujusmodi remedium seu refugium oratio est, & frequens gemitus ad Deum: ut quid, quandò, & quatenùs nos facere velit, assiduè nobis demonstrare dignetur.

§. II.

Occurrit & alius sensus (k) quem quidem non proposueram, sed minimè præteribo. Ut quid enim verba hæc: *Noli nimis insistere osculis contemplationis, quia meliora sunt vbera prædicationis*: non magis convenire eisipsis dicamus, quibus præest in solicitudine tanquam parvulis Mater aut nutrix? Nec enim æquanimiter ferunt juvenculæ & teneræ adhuc animæ, illam vacare quieti, cujus pleniùs erudiri doctrinâ, & exemplis informari desiderant. An non denique talium in subsequenti sermone compescitur inquietudo, ubi sub gravi contestatione prohibetur suscitare dilectam quousque ipsa velit? Hæ itaque sentientes osculis inhiare Sponsam, secretum quærere sibi, fugitare publicum, declinare turbas, & curæ ipsarum propriam præferre quietem, *Noli* (inquiunt) *noli* nimis insistere osculis contemplationis, quia major in vberibus, quàm in amplexibus fructus existit. Per ea siquidem nos vendicas à carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam, eripis mundo, & acquiris Deo. Hoc ergo est quod ajunt: *Quia meliora sunt vbera tua vino.* Carnis (inquiunt) voluptatem qua paulò ante tanquam vino ebriæ tenebamur, vincunt hæ quas tua nobis vbera stillant deliciæ spirituales. Et pulchrè vino (l) comparant carnalem affectum. Ut enim vua semel expressa non habet jam quod denuò fundat, sed perpetua ariditate damnatur: sic caro in pressura mortis ab omni prorsùs sua delectatione siccatur, nec ultrà revirescit ad libidines. Unde Propheta Isaias ait: *Omnis caro fænum, & omnis gloria ejus tanquam flos fæni. Exsiccatum est fænum, & cecidit flos.* Et Apostolus ait: *Qui seminat de carne, de carne & metet corruptionem.* Et rursùm ait: *Esca ventri & venter escis, Deus autem & hunc & has destruet.* Vide autem ne non carni tantùm, sed & mundo fortè competat ista proportio. Siquidem & ipse transit & concupiscentia ejus. Et cùm omnia quæ in mundo sunt finem habeant, finis eorum non erit finis. Verùm vbera non sic. Hæc enim cùm exhausta fuerint, rursùm de fonte materni pectoris sumunt quod propinent sugentibus. Meritò proinde meliora carnis sæculive amore asseruntur vbera Sponsæ, quæ nullo unquam lactentiū numero arefiunt, sed semper abundant de visceribus charitatis ut iterùm fluant. Flumina siquidē fluunt de ventre ejus, fitquè in ea fons aquæ salientis in vitam æternam. Cumulatur deinde laus vberum fragrantiâ unguentorum, quòd non solùm verborum sapore pascant, sed & factorum opinione redoleant. Iam quæ sint vbera, & quo tumida lacte, monstremus. Non sum ego profundi sensus, (m) neque adeo perspicacis ingenii, ut novi quidpiam ex me adinvenire possim: sed est fons magnus & indeficiens os Pauli, quod patet ad nos. De ipso haurio mihi etiam nunc in ostensione vberum Sponsæ, sicut & frequenter soleo. *Gaudere*, inquit, *cum gaudentibus, flere cum flentibus.* Materni breviter exprimuntur affectus, quia nec dolere parvuli, nec valere queunt absque illa quæ genuit. Vtrobique necesse est suis eam conformari visceribus. Igitur juxta Pauli sententiam, duas illas affectiones duobus Sponsæ vberibus assignabo, *compassionem* uni, & *congratulationem* alteri. Alioquin parvula est, & nondum nubilis, si nondum vbera misit: si se videlicet neq; ad congaudendum sentiat promptam, neque pronam ad condolendum. Talis si fortè ad regimen animarum, seu ad officium prædicationis assumitur, aliis quidem non prodest, sibi verò obest plurimùm. Porrò sese ingerere, quantæ impudentiæ est? Sed redeamus ad vbera Sponsæ, (n) ac pro diversitate vberum diversas & lactis species proponamus. Nam *congratulatio* quidem exhortationis, *compassio* verò consolationis lac fundit. Porrò vtramque speciem lactis ubertim cælitùs irrorari pio pectori suo spiritualis Mater toties sentit, quoties osculum sumit. Videas eam mox plenis vberibus parvulis incubare lactandis, & ex uno quidem consolatoria, ex altero verò exhortatoria uberiùs ministrare, prout singulis convenire videbit. Verbi causâ, Si quem fortè ex his quos genuit in Evangelio, deprehendit forti aliqua tentatione concussum, & inde turbatum ac tristem pusillanimemquè factum non posse jam ferre vim tentationis: quomodo condolet, quomodo mulcet, quomodo plangit, quomodo consolatur, quot argumenta pietatis mox reperit, quibus erigat desolatum? E contra verò si promptum, si alacrem, si benè proficientem cognoverit: exultat, aggreditur salutaribus monitis, accendit ampliùs, instruit de quibus potest ut perseveret, utquè in melius semper pro-

h Ser. 57. in Cant. num. 9. i Ibidem num. 10. K Ser. 9. in Cant. num. 9. l Ibidem num. 10.

m Ser. 10. in Cant. num. 1. n Ibidem num. 2.

proficiat exhortatur. Omnibus se conformat, omnium in se transfert affectus, matrem se denique probat non minùs deficientium quàm proficientium. O bona mater charitas, [o] quæ sive foveat infirmos, sive exerceat provectos, sive arguat inquietos; diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos. Cùm te arguit, mitis est: cùm blanditur, simplex est. Piè solet sævire, sine dolo mulcere: patienter novit irasci, humiliter indignari. Videamus denique [p] quomodo Sponsa aliud cupit, & aliud accipit: et nitenti ad contemplationis quietem, labor prædicationis imponitur: & sitienti Sponsi Jesu præsentiam, filiorum Sponsi pariendorum alendorumquè solicitudo injungitur. Neque nunc tantùm accidit illi hoc, sed & alia vice cùm Sponsi amplexus & oscula suspiraret, responsum est ei: *Quia meliora sunt ubera tua vino*: ut ex hoc se intelligeret esse matrem, atque ad dandum lac parvulis, nutriendumquè filios revocari. Fortassis & in aliis Cantici hujus locis hoc ipsum tu quoque (nisi piget sis ad inquirendum) per teipsum advertere poteris. An non res ista quondam in sancto Patriarcha Jacob præfigurabatur, cùm frustratus optatis diuquè expectatis Rachelis amplexibus, pro sterili & decora fæcundam & lippam invitus atque ignarus accepit Liam vxorem? Ita ergo nunc Sponsa scire cupiens & inquirens ubi in meridianis horis Dilectus pascat & cubet, murenulas pro eo reportat aureas, vermiculatas argento, id est sapientiam cum eloquentia, haud dubium quin ad prædicationis opus. Docemur ex hoc sanè intermittenda plerumque dulcia oscula propter lactantia vbera, nec quenquam sibi, sed omnes illi, qui mortuus est pro omnibus, esse vivendum. Væ illis qui benè de Deo & sentire & eloqui acceperunt, si quæstum æstiment pietatem, si convertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperant erogandum. Præterea attende [q] in spirituali matrimonio duo esse genera pariendi, & ex hoc etiam diversas soboles, sed non adversas: cùm sanctæ matres aut prædicando pariunt animas, aut meditando intelligentias pariunt spirituales. In hoc ultimo genere interdùm exceditur & seceditur etiam à corporeis sensibus, adeo ut sese non sentiat quæ Verbum sentit. Hoc autem fit, cùm mens ineffabili Verbi illecta dulcedine quodammodò se sibi furatur, imò rapitur atque elabitur à seipsa ut Verbo fruatur. Aliter sanè afficitur mens fructificans Verbo, aliter fruens Verbo. Illic solicitat necessitas proximi, hìc invitat suavitas Verbi. Est quidem læta in prole mater, sed in amplexibus Sponsi Jesu crucifixi lætior. Chara pignora filiorum sunt, sed oscula plùs delectant. Bonum est salvare multos; excedere autem & cum Verbo esse, multò jucundiùs est. Sit ergo meditatio nostra Christus, (r) & hic Crucifixus. Ipsum ponamus signaculum super cor, signaculum super brachium nostrum. Habeamus eorum, (s) quæ contemptibilia Christo sunt illata, continuam & indesinentem memoriam: non utique ociosam, non tepidam, non torpentem, sed compassionis ardore super omnia plurimùm delectantem, & imitationis privilegio omnia impetrantem. Qui enim recolit mortem Christi, (t) & exemplo ejus mortificat membra sua quæ sunt super terram, habet vitam æternam. Et ideo sit tibi Jesus in corde, [u] & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio & meditatio tua, oratio & contemplatio tua, vita & resurrectio tua. Suge non tam vulnera, (x) quàm ubera Crucifixi. Ipse erit ibi in matrem, & tu eris ei in filium.

§. III.

Hæc est mea (y) sublimior interim philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet, ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Illud sublimius, istud suavius. Panis illud, hoc lac. Hoc viscera reficit parvulorum. Hoc humectat interiora arentis conscientiæ, [z] escas bonorum actuum digerit, & deducit per quædam animæ membra: fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansquè charitatem, & impinguans mores. Proinde novo in Christo homini, [a] ad exercitanda ejus interiora meliùs proponuntur legenda & meditanda Redemptoris nostri exteriora: & ostenditur in eis exemplum humilitatis, provocatio charitatis, & affectus pietatis. Hujusmodi, inquam homini oranti vel meditanti, [b] meliùs ac tutiùs proponitur imago Dominicæ Nativitatis & Passionis: ut infirmus animus, qui non novit cogitare nisi corporalia, habeat aliquid cui se afficiat, cui juxta modū suum pietatis intuitu inhæreat. Est quippè in forma meditatoris: in quo, sicut legitur in libro Job, *visitans homo speciem suam, non peccet*: hoc est, cùm intentionis suæ intuitum in eum dirigat, humanam in Deo speciem cogitando, à vero non usquequaque recedat: & dum per fidem ab homine Deum non dividit, Deum aliquando in homine apprehendere addiscat. In quo pauperibus spiritu, & simplicioribus filiis Dei, tantò primùm solet esse affectus dulcior, quantò humanæ naturæ est propinquior. Postmodùm verò fide migrante in affectum, amplexantes in medio cordis sui dulci amoris complexu Christum Jesum, totum hominem propter hominem assumptum, totum Deum propter assumentem Deum: incipiunt eum non jam secundùm carnem cognoscere, quamvis eum necdum secundùm Deum plenè possint cogitare. Dominus de summitate scalæ prospicit [c] super filios hominum tanquam Veritas, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. An non tibi de alto videtur clamare ac dicere requirentibus se: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini?* Et illud: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos?* Venite, inquit. Quò? Ad me Veritatem. Qua via? Per humilitatem. Quo fructu? Ego reficiam vos. Sed quænam est illa refectio quam Veritas Christus ascendentibus promittit, pervenientibus reddit? Est *charitas*. Verè enim dulcis & suavis cibus charitas est, quæ fessos allevat, debiles roborat, mæstos lætificat. Bonus cibus *charitas*: [d] quæ media in

o *Epist. 2. num. 1.* p *Ser. 41. in Cant. num. 5. & 6.* q *Ser. 85. in Cant. num. 17.* r *Ser. 1. de verb. Esai. num. 2.* s *Ser. 2. in Cœna Domini num. 9.* t *Tract. de diligen. Deo. cap. 4. num. 11.*

u *Formul. honest. vit. num. 2.* x *Epist. 351. num. 1.* y *Ser. 43. in Cant. num. 4.* z *Ser. 18. in Cant. num. 6.* a *Tract. de vit. solit. cap. 14. num. 42.* b *Ibidem num. 43.* c *Tract. de grad. humil. cap. 2. num. 3.* d *Ibidem num. 4.*

ferculo Salamonis consistens, diversarum odore virtutum, velut diversi generis fragrantiâ pigmentorum esurientes reficit, jucundat reficientes. Ibi siquidem apponitur pax, patientia, benignitas, longanimitas, gaudium in Spiritu Sancto: etsi quæ sunt aliæ veritatis seu sapientiæ generationes, apponuntur in illa. Habet & *humilitas* in eodem ferculo suas epulas, panem scilicet doloris, & vinum compunctionis: quas primò Veritas *incipientibus* offert, quibus utique dicitur: *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris*. Habet ibidem & contemplatio ex adipe frumenti solidum *cibum sapientiæ*, cum vino quod lætificat cor hominis: ad quæ Veritas *perfectos* invitat dicens: *Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi*. *Media* (inquit Scriptura) *charitate constravit propter filias Jerusalem*; propter *imperfectas* videlicet animas: quæ dum adhuc illum solidum cibum minùs capere possunt, lacte interim charitatis pro pane, oleo pro vino nutriendæ sunt. Quæ rectè *media* describitur: quia ejus suavitas nec incipientibus præstò est prohibente timore; nec perfectis satis est, pro abundantiori contemplationis dulcedine. Incipientes adhuc à noxiis carnalium delectationum humoribus, timoris amarissima potione purgandi, nondum lactis dulcedinem experiuntur. Perfecti verò jam avulsi à lacte, epulari ab introitu gloriæ gloriosiùs delectantur. Solis mediis id est *proficientibus* ita jam melleas quasdam sorbitiunculas charitatis expertis, ut illis interim pro sui teneritudine contenti sint. Pius enim (e) Dominus noster Jesus Christus pusillos corde (*novitios*) blanditiis talibus solet allicere. Sed noverint qui hujusmodi sunt, gratiam hanc præstitam sibi esse, non datam: ut in die bonorum memores sint malorum, & in die malorum immemores sint bonorum. Longè aliter qui exercitatos habent sensus, devotionis hujus fælici fruuntur jucunditate. Quæ cùm ita sint, (f) duo liquet contemplationis genera esse, *unum* de statu & felicitate & gloria Civitatis supernæ Jerusalem, quo vel actu vel ocio ingens illa cælestium Civiū occupata sit multitudo: *alterum* genus est de Regis ipsius majestate, æternitate, Divinitate. Illa in maceria, ista in petra. Hoc autē quantò difficiliùs cavatur, tantò suaviùs quod inde eruis sapit. Sed quia non ex omni interim parte (g) adhuc ad petram forandam Ecclesia accedere potest (neque enim omnium est, qui in Ecclesia sunt, sacramenta divinæ Voluntatis inspicere, aut apprehendere per semetipsos profunda Dei) ideo non solùm *in foraminibus petræ*, sed & *in cavernis maceriæ* habitare ostenditur. Ergo in perfectis quidem qui rimari ac penetrare arcana sapientiæ & puritate conscientiæ audent, & intelligentiæ accumine possunt, habitat in foraminibus petræ. De reliquo in *cavernis maceriæ*, ut qui in petra per semetipsos fodere aut non sufficiunt aut non præsumunt, in *maceria* fodiant, contenti vel gloriam Sanctorum mente intueri. Si cui ne hoc quidem possibile sit, huic sanè propono Jesum, & hunc crucifixum: ut & ipse absque suo labore habitet in *foraminibus petræ*, in quibus non laboravit. Foramina petræ [h] vulnera Christi interpretans. Rectè omninò: nam petra Christus est. Judæi in his laboraverunt, [i] & ipse homo Christianus in labores infidelium introibit, ut sit fidelis. Nec verendum quòd patiatur repulsam, qui & vocatur ut intret: *Ingredere*, inquit, *in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria majestatis ejus*. Infirmæ adhuc & inerti animæ (quæ juxta quod in Evangelio quidam de semetipso confitetur, fodere non valet, mendicare erubescit) fossa ostenditur humus ubi lateat, donec convalescat & proficiat, ut possit & ipsa per se cavare sibi foramina in petra, per quæ intret in interiora Verbi Sponsi sui, animi utique vigore & puritate. Et si intelleximus (k) fossam humum illam quæ ait: *Foderunt manus meas & pedes meos*: non erit ambigendum de sanitate in ea citiùs adipiscenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur. Quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, necnon ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio. Verùm donec purgata & sanata perfectè fuerit, non video qualiter illi aptari possit quod dicitur: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*. Quomodò denique faciem suam ostendere audeat, vel leuare vocem suam, cui & latere indicitur? *Abscondere*, inquit, *in fossa humo*. Quare? Quia non est pulchra facie, nec digna quæ videatur. Non erit digna videri, quamdiu non erit videre idonea. Cùm autem per inhabitationem fossæ humi in sanando oculo interiori tantùm profecerit, ut revelata facie speculari gloriam Dei & ipsa possit: tunc demùm quæ videbit, fiducialiter jam loquetur, voce & facie placens. Placeat necesse est facies, quæ in Dei claritatem intendere potest. Neque enim id posset nisi clara ipsa quoque esset & pura, utique transformata in eandem quam conspicit claritatis imaginem. Alioquin ipsa dissimilitudine resiliret insolito reverberata fulgore. Ergo cùm pura puram intueri potuerit Veritatem, tunc faciem ipsius Sponsus Jesus crucifixus videre cupiet, consequenter & vocem ejus audire. Nam quantùm illi placeat cum puritate quidem mentis prædicatio Veritatis, [l] ostendit cùm subindè infert: *Vox enim tua dulcis*. Quia enim non placeat vox si displiceat facies, demonstrat cùm illicò subdit: *Et facies tua decora*. Quid internæ decor faciei est nisi puritas? In pluribus hæc absque prædicationis voce complacuit, illa absq; ista à nemine. Impuris non se ostendit Veritas, non se credit Sapientia. Quid ergo loquuntur quam non viderunt? *Quod scimus* (inquit Joannes) loquimur, *& quæ vidimus testamur*. Id ergo tu audes testari quod non vidisti, & loqui quod ignoras? Quæris quem dicam impurum? Qui laudes requirit humanas, qui non ponit sine sumptu Evangeliū, qui evangelizat ut manducet, qui quæstum æstimat pietatem, qui non requirit fructum, sed datum. Impuri sunt tales, & cùm non habeant unde videant Veritatem propter impuritatem, habent tamen unde illam loquantur. Quid præpropperè agitis? Cur lucem non expectatis? Cur opus lucis ante lucem præsumitis? Vanum est vobis ante lucem surgere. Lux est puritas, lux charitas, quæ non quærit quæ sua sunt. Hæc præcedat, & pes linguæ in incerto non ponitur. Superbo oculo Veritas non videtur, sincero patet. Non est quòd se Veritas

e Ser. 2. in Circumcis. Domini num. 10. f Ser. 62. in Cant. num. 4. g Ibidem num. 6. h Ser. 61. in Cant. num. 3.

i Ser. 62. in Cant. num. 6. k Ibidem num. 7. l Ibidem num. 8.

eas deneget intuendam puro cordi, ac per hoc nec eloquendam. *Peccatori autem dicit Deus*: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Multi puritate neglecta, ante loqui quàm videre conati sunt, & aut graviter erraverunt nescientes de quibus loquerentur, neque de quibus affirmarent: aut turpiter viluerunt, dum qui alios docerent, seipsos non docuissent. A quo nos gemino malo semper custodiat exoratus à nobis Sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

CAPUT VIII.

De secura habitatione animæ Christianæ in sancio latere Jesu Christi crucifixi.

Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria majestatis ejus. *Esa 2.*

1. *Ostenditur, Christum ideo voluisse sibi perfodi latus dextrum, ut nobis in ostio ejus pararet locum refugii, & domunculam habitationis. Invitamur ut accedamus ad vulnus lateris Christi, & per ipsum ad Cor ejus urnam auream, continentem intra se manna Divinitatis & sacramentum pietatis, thesaurum charitatis & divitias salutis. Ibi oculi cordis nostri intuitu sinceræ veritatis irradiantur: ibi auditus recreatur dulcissima voce Jesu: ibi naribus influit jucundissimus odor: ibi prælibantur incomparabiles deliciæ charitatis.* 2. *Ideo vulneratum est cor Iesu, ut in illo habitemus, & habitando scrutemur Voluntatem ejus. In vulneribus Christi reposita sunt nobis multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum. Inde martyrii tolerantia, & Martyrum fortitudo processit. Invitamur ut in vulneribus Christi habitemus mente, dormiamus, & moriamur.* 3. *Præterea vulneratum est cor Iesu, ut per vulnus visibile videamus vulnus amoris invisibile. Exponuntur verba Sponsi ad sponsam loquentis*: Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum. *Invitamur accedere ad cor Iesu per januam lateris, ut in ejus foramine audiamus dulcissimam vocem Iesu loquentis ad animam nostram ibi commorantem. Docemur quàm dulce sit habitare mente in vulneribus Christi.*

§. I.

HÆc est mea (a) sublimior interim philosophia, scire Jesum & hunc crucifixum. Siquidem Dominus meus Jesus (b) post cætera inæstimabilis suæ erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi: quòd videlicet non nisi in dextera locum parare refugii vellet. Utinam ego talis merear esse columba, quæ in foramine petræ habitet, & in foramine lateris dextri. Respondet quidem mihi intùs in anima mea, (c) & mente mea tumultuans in me, & concutiens omnia interiora mea vox testificationis tuæ Domine Deus meus: & caligant oculi mei interiores à fulgore Veritatis tuæ ingerentis mihi, quia non videbit te homo, & vivere potest. Ego enim verè in peccatis totus usque adhuc, necdum potui mori mihi, ut vivam tibi: sed tamen ex præcepto tuo, & dono tuo sto in petra fidei meæ, fidei christianæ: sto in loco qui verè est penes te, in quo ut possum, interim fero patienter, & amplector & deosculor regentem & protegentem me, dexteram tuam. Et aliquoties contemplans, & videre gestiens posteriora videntis me, & percurrens semitam dispensationis humanæ Christi Filii tui suspicio, necdum accedere gestio ad eum, vel sicut Hæmorroyssa illa infirmæ & miseræ animæ meæ à salutifero tactu vel fimbriæ quasi furari gestio sanitatem: vel sicut Thomas ille vir desideriorum, totum eum desidero videre & tangere; & non solùm tangere eum desidero, sed accedere ad Sacrosanctum lateris ejus vulnus ostium arcæ, quod factum est in latere, ut non tantùm mittam digitum vel totam manum, sed totus intrem usque ad ipsum cor Jesu, in Sancta sanctorum, in arcam testamenti, ad urnam auream naturam nostræ humanitatis, continentem intra se manna Divinitatis. Heu dicitur mihi: *Noli me tangere.* Et illud de Apocalypsi: *Foris canes*. Terribilis sermo, (d) & qui possit etiam impavida quorumvis tyrannorum corda concutere. Sicquè (e) cùm dignis conscientiæ verberibus expulsus & propulsus, improbitatis & præsumptionis meæ pænas cogor luere, rursùmquè in petram meam me recipiens (quæ refugium est herinaciis spinis peccatorum plenis) re amplector & reosculor regentem & protegentem me, dexteram Dei: & ex eo quod vel leviter sensi vel vidi, magis accenso desiderio vix patienter expecto, ut à me auferat manum regentem, & infundat gratiam illuminantem: ut tandem aliquando secundùm responsum Veritatis suæ mortuus mihi & vivens Deo, revelata facie ipsam ejus faciem incipiam videre, & affici Deo à visione faciei suæ. Interim verò fidenter quod ex me mihi deest, (f) usurpo mihi ex visceribus Domini Jesu Christi crucifixi, quoniam misericordiâ affluunt: nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus & pedes, latusquè lanceâ foraverunt. Ferrum pertransiit Animam ejus, & appropinquavit Cor illius, ut non jam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum Cordis per foramina Corporis, patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Pietatis thesauri & divitiæ salutis in foraminibus petræ repositæ sunt mihi. Foramina petræ vulnera Christi interpretans. Ibo mihi ad illa sic referta cellaria, (g) atque ad admonitionem Jeremiæ Prophetæ relinquam civitates, & habitabo in petra: ero quasi columba nidificans in summo ore foraminis, ut cum Moyse positus in foramine petræ, transeunte Domino merear saltem *posteriora ejus prospicere*. Nam faciem stantis, id est, incommutabilis claritatem quis videat, nisi qui introduci jam meruit in Sancta, sed in Sancta sanctorum? Dominus ait ad Moysem: (h) *Non videbit me homo super terram, & vivet.* Ac si diceret:

a *Ser. 43. in Cant. num. 4.* b *Ser. 7. super. Psal. 90. num. 15.* c *Lib. 1. de amore Dei cap. 1. num. 2.*
d *Ser. 76. in Cant. num. 8.* e *Lib. 1. de amore. Dei cap. 1. num. 2.* f *Ser. 61. in Cant. num. 4. & 5.* g *Ibidem num. 6.* h *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 7. num. 20.*

ret: Tantæ sum in natura divina claritatis, ut homo constitutus in mortali carne videre me nequaquam poterit absque sui consumptione. Inde est quòd cùm Moyses in multa constantia Domino supplicaret dicens: *Domine, ostende teipsum mihi*: Ait Dominus, *Sta in foramine petræ, & cùm pertransiero, videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris*. Hoc ait Dominus, per faciem designans Divinitatem, per posteriora designans humanitatē, quam tamen Moyses corporali intuitu non vidit, sed posteris videndam reliquit. Proinde ibo mihi ad hæc Sancta sanctorū, (i) ad hanc arcam testamenti, adorabo & laudabo nomē Domini dicens cum Propheta David: *Inveni cor meum, inquit, ut orem Deum meum*. Et ego inveni cor Regis, fratris & amici benigni Jesu crucifixi. Et numquid non adorabo? Orabo utique, Cor enim illius mecum est. Audacter dicam: Si, imò quia Caput meum Christus est: quomodò quod Capitis mei est, non meum est? Sicut enim corporalis capitis mei oculi, mei oculi verè sunt: ita & spirituale cor, cor meum est. Benè ergo mihi. Ego verò cum Jesu cor meum habeo. Et quid mirum? Cùm multitudinis credentium fuerit cor unum. Hoc igitur corde tuo & te in eo dulcissime Jesu invento orabo te Deum meum. Admitte tantùm in Sacrarium exauditionis tuæ preces meas: imò me totum trahe in cor tuum. Licet enim tortuositas peccatorum meorum impediat me, tamen quia cor illud incomprehensibili charitate dilatatum est & ampliatum, & tu solus potes facere mundum de immundo conceptū semine, ut depositâ gibbi sarcinâ per foramen acûs possim transire. O omnium pulchritudinū speciosissime Jesu, ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: ut purificatus per te ad purissimum possim accedere, & in corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare. Ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus. Nec verendum est mihi quòd patiar repulsam, [k] qui & vocor ut intrem: *Ingredere*, inquit, *in petram, abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria majestatis ejus*. Itaque accedendum est nobis (l) ad cor humillimum Altissimi Jesu per januam lateris lanceati: ibi proculdubio thesaurus ineffabilis desiderabilis charitatis latet: ibi nova devotio invenitur, inde lachrymarum gratia extrahitur: ibi discitur mansuetudo, patientia in adversis, compassio in afflictis. Præcipuè verò cor contritum & humiliatum ibi invenitur. Et quia semel venimus ad cor dulcissimum Jesū crucifixi, [m] & bonū est nos hìc esse, ne sinamus nos facilè auelli ab eo, de quo scriptum est: *Recedentes à te in terra scribentur*. Quid autem accedentes? Tu ipse doce nos. Tu dixisti accedentibus ad te: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis*. Concordemus hæc, quia si sic hi qui in cælis scripti sunt: quid verò illi qui in terra scribentur? Lugebunt utique. Sed quis nolit gaudere? Accedamus ergo ad te, & exultabimus & lætabimur in te memores cordis tui. Bonus thesaurus bonaquè margarita est cor tuum bone Jesu, quam margaritam fosso agro tui Corporis inveniemus. Quis hanc margaritam abiiciat? Quin potiùs dabo omnia, omnes cogitationes & affectus mentis commutabo, & comparabo illam mihi, jactans omnem cogitatum meum in cor Domini Jesu crucifixi, & sine fallacia illud me enutriet. Quoniam [n] in ipso sunt omnia. Ibi remedium vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum, ibi profectuum copiæ repositæ sunt. Ibi denique quidquid accipere vel habere hominibus expedit, quidquid decet, quidquid oportet, invenitur. Continentia carnis, [o] cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non solùm autem, sed etsi quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Inde scientiæ, inde sapientiæ & scientiæ sermo manat. Thesauri siquidē sapientiæ & scientiæ ibi omnes absconditi sunt. Quid casta consilia, justa judicia, sancta desideria, nonne rivuli fontis illius sunt? O quàm bonum (p) & quàm jucundum est habitare in corde Jesu crucifixi! Ibi enim continentiæ nitor, (q) & sinceræ veritatis intuitus oculos cordis nostri irradiat. Auditui quoque dat gaudium & lætitiam dulcissima vox Consolatoris interni. Ibi quibusdam spei naribus influit jucundissimus odor agri pleni, cui Dominus benedixit. Ibi avidissimè prælibantur incomparabiles deliciç charitatis: & succisis spinis ac vepribus quibus antea pungebatur, unctione misericordiæ perfusus animus noster in conscientia bona fæliciter requiescit. Quæ quidē deliciæ non inter vitæ æternæ præmia, sed inter temporalis militiæ stipendia deputantur: nec ad futuram pertinent, sed ad eam magis quæ nunc est Ecclesiæ promissionem. Hoc enim centuplum est, quod in hoc sæculo sæculi contemptoribus exhibetur.

§. 11.

Denique ad hoc vulneratum est cor Jesu crucifixi, (r) ut in illo & in Jesu ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Inter medios laqueos in hac vita inceditur, (s) qui utique toties non timentur, quoties sancta aliqua, & vehementi cogitatione anima à semetipsa abripitur: si tamen eousque mente secedat & avolet, ut & hunc communem transcendat usum cogitandi. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, (t) & volabo & requiescam in corde Jesu? Ibi requiem invenit mansuetus & simplex: ibi dolosus opprimitur, vel elatus, & cupidus inanis gloriæ. Ecclesia columba est, & ideò requiescit. Columba, quia innocens, quia gemens. Columba inquam est, quia in mansuetudine suscipit insitum verbum. Et requiescit in Verbo, hoc est in petra: nam petra est Verbum Christus. Ibi se columba tutatur, (u) & circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem. Et ideo Sponsus ait: *Columba mea in foraminibus petræ*. Vox columbæ: *In petra exaltavit me*. Et item: *Statuit*, inquit, *supra petram pedes meos*. Vir sapiens ædificat domum suam supra petram, quòd ibi nec ventorum formidet injurias, nec inundationum. Quid non boni in petra? In petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto. Securus ab hoste, fortis à casu, & hoc quoniam exaltatus à terra. Anceps est enim & caducum terrenum omne. Conversatio nostra in cælis sit, & nec

i *Tract. de vite myst. cap. 3. nu. 9. & 10.* k *Ser. 62. in Cant. n. 5.* l *Tract. de vite myst. cap. 44. num. 159.* m *Ibidem cap. 3. nu. 8.* n *Ser. 66. in Cant. num. 3.* o *Ser. 13. in Cant. nu. 1.* p *Tract. de vite myst. cap. 3. num. 8.* q *Tract. de Convers. ad Cleric. cap. 13. nu. 25.* r *Tract. de vite myst. cap. 3. nu. 10.* s *Ser. 52. in Cant. num. 4.* t *Ser. 62. in Cant. nu. 4.* u *Ser. 61. in Cant. num. 3.*

nec cadere, nec deiici formidamus. In cælis petra, in illa firmitas atque securitas est. Petra refugium herinaciis. Et revera ubi tuta firmaquè infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tantò illic securior habito, quantò ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum supra firmam petram. Cogitabat cogitationes pacis, [x] & ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? At clavis reserans, clauus penetrans factus est mihi, ut videam Voluntatem Domini. Ecclesia quidem requiescit in foraminibus petræ, per quam introspicit [y] & videt gloriam Sponsi sui: nec opprimitur tamen à gloria, quoniam non sibi usurpat eam. Non opprimitur, quia non scrutatrix Majestatis est, sed voluntatis: nam quod Majestati attinet, interdùm quidem & in ipsam intendere audet, sed quasi admirans, non quasi scrutans. Sed & si aliquando per excessum rapi in illam contingat, digitus Dei est iste dignanter levans hominem, non hominis temeritas insolenter Dei alta pervadens. Cùm enim Apostolus raptum se commemoret, ut ausum excuset: quisnam alter præsumat mortalium huic se Divinæ majestatis horrendo scrutinio propriis intricare conatibus, & importunus contemplator pavenda irrumpere in arcana? Scrutatores proinde Majestatis tanquam irruptores dici reor, non qui scilicet rapiuntur in eam, sed qui irruunt. Ipsi itaque opprimuntur à gloria. Ergo formidolosa scrutatio Majestatis, [z] at Voluntatis tam tuta quàm pia. Quidni totâ diligentiâ scrutando instem sacramento gloriæ Voluntatis, cui mihi patendum per omnia scio? Suavis gloria quæ non aliunde quàm de ipsius suavitatis contemplatione procedit, quàm de divitiarum bonitatis ac multæ miserationis intuitu. Hæ [a] in foraminibus petræ repositæ sunt mihi. Quàm magna multitudo dulcedinis divinæ in illis, opertæ quidem, sed in his qui pereunt. Ut quid enim Sanctum detur canibus, vel margaritæ porcis? Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, etiam & apertis foraminibus introduxit in Sancta sanctorum. Quanta in his multitudo dulcedinis invenitur, plenitudo gratiæ, perfectioquè virtutum? Denique [b] idcirco audit Sponsa: *Columba mea in foraminibus petræ*, quòd in Christi vulneribus tota devotione versetur, & jugi meditatione demoretur in illis. Inde martyrii tolerantia, inde illi magna fiducia apud Deum Altissimum. Non est quòd vereatur Martyr exanguem lividamquè levare ad eum faciem, cujus liuore sanatus est, & gloriosam repræsentare similitudinem mortis ejus utique in pallore auri. Quid vereatur cui etiam à Domino Jesu crucifixo dicitur: *Ostende mihi faciem tuam?* Ad quid? Ut mihi videtur, se magis ostendere vult. Ita est, videri vult, non videre. Quid enim ille non videt? Non est ei opus ut quis se ostendat, à quo nihil non videtur, nec si se abscondat. Vult ergo videri, vult benignus Dux devoti militis vultum & oculos in sua sustolli Vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorē. Enimverò non sentiet sua vulnera [c] dum Jesu crucifixi vulnera intuebitur. Stat Martyr tripudians & triumphans toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, nonmodò fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima Martyris? Nempè in tuto, nempè in petra, nempè in visceribus Jesu crucifixi, Vulneribus nimirùm patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus scrutans ea, ferrum profectò sentiret, dolorem non ferret, succumberet, & negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petræ duruerit? Sed neque hoc mirum, si exul à corpore, dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed Amor. Submittitur enim sensus, non amittitur. Revera dormitio est: [d] quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat. Est & mors, quoniam Apostolus quosdam in carne adhuc viventes commendando sic loquitur: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Proinde & ego non absurdè Sponsæ extasim vocaverim mortem, [e] quæ tamen non vitâ, sed vitæ eripiat laqueis, ut possit dicere: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Quid denique formidetur dolor, ubi nec vita sentitur? Excedente quippe anima, etsi non vitâ, certè vitæ sensu, necesse est etiam ut nec vitæ tentatio sentiatur. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, ut non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores solicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea morte Justorum, ut nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona quâ non corpus cadit, sed anima sublevatur. Nec deest Martyri dolor: [f] sed superatur, sed contemnitur. Ergo ex petra Martyris fortitudo, inde planè potens ad bibendum calicem Domini. Et calix hic inebrians quàm præclarus est! Præclarus, inquam, atque jucundus non minùs Christo Imperatori spectanti, quàm militi triumphanti. Gaudium etenim Domini, est fortitudo nostra. Quidni gaudeat ad vocem fortissimæ Confessionis? Denique & requirit eam cū desiderio: *Sonet*, inquiens, *vox tua in auribus meis.* Nec cunctabitur rependere vicem secundùm suam promissionem continuò, ut qui se confessus fuerit coram hominibus, confiteatur & ipse eum coram Patre suo.

§. III.

Postremò [g] propterea vulneratum est cor Jesu crucifixi, ut per per Vulnus visibile vulnus Amoris invisibile videamus. Quomodò hic Amor meliùs ostendi potest, nisi quòd non solùm corpus, verumetiam ipsum cor lanceâ vulnerari permisit? Foderunt [h] & perfoderunt non solùm manus & pedes, latus quoque & Sanctissimi Cordis intima furoris lanceâ perforaverunt, quod jam dudum Amoris lanceâ

x Ibidem num. 4. y *Ser. 62. in Cant. num. 4.* z *Ibidem nu. 5.*
a *Ser. 61. in Cant. num. 5.* b *Ibidem num. 7.*

c *Ibidem num. 8.* d *Ser. 52. in Cant. num. 3.* e *Ibidem num. 4.*
f *Ser. 61. in Cant. num. 8.* g *Tract. de vite myst. cap. 3. num. 10.*
h *Ibidem. num. 7.*

ceâ fuerat vulneratum. *Vulnerasti* (inquit in Canticis amoris Sponsus) *cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum*. Carnale utique vulnus, (i) vulnus spirituale ostendit. Et hoc fortassè innuit ipsa auctoritas prelibata, in qua bis positum est, *Vulnerasti*: Utriusque enim vulneris ipsa soror & sponsa causa est. Ac si sponsus apertè diceret: Quia zelo amoris tui vulnerasti me: lanceâ quoque militis vulneratus sum. Quis enim cor suum palo vulnerari permitteret, nisi priùs amoris illius vulnus percepisset? Dicit ergo: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum*. Sed quare soror & sponsa? an non poterat sufficientem Sponsi amantis affectum ostendere solius sororis, vel solius sponsæ positio? Uel quare sponsa & non vxor, cùm quotidie vel Ecclesia, sive quælibet fidelis anima Sponso suo Christo bonorum operum sobolem debeat generare? Paucis dico: Solent sponsæ nondum alligatæ conjugali vinculo amari ardentiùs, quàm postea. Tempore enim procedente amor ipse componitur. Sponsus ergo noster Jesus, ut magnitudinem insinuet sui amoris qui tempore non decrescit, *amicam suam* sponsam appellat, eò quòd illius amor semper nouus sit. Sed quia sponsæ etiam carnaliter diliguntur, [k] ut in amore Sponsi nostri Crucifixi nil carnale sapias, ipsam sponsam *suam sororem* appellat, quia sorores jam nequaquam carnaliter adamantur. Dicit ergo: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa*. Tanquam dicat: Quia summè te diligo ut sponsam, castè ut sororem, ideo vulneratum est cor meum propter te. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amantem non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Diligit profectò vulneratum Jesum sponsa Ecclesia, quæ nimio illius amore vulnerata proclamat: *Vulnerata charitate ego sum*. Numquid non redamat Sponsum amantem, quæ dicit: *Nunciate dilecto, quia amore langueo*? Fraterno se amantem amore complectitur, quæ dicit: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & complectar & deosculer te, & jam me nemo despiciat*? Quis autem est foris? Æstimo quod extra corpus. Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Quis hanc peregrinationem patienter ferat? quæ plena est dolore præteritorum, labore præsentium, timore futurorum; in qua etsi Sponsus se aliquando gratiâ consolationis exhibeat, stat tamen longè quasi post parietem, corpore hoc peccati separante inter nos & ipsum: nec facilè se præbet tangendum & osculandum, nisi illi animæ quæ in tantam altitudinem meritorum processit, ut dicatur ei: *Surge amica mea, columba mea, formosa mea*. Quæ sola licet rarò aliquomodò arbitrans se comprehendisse proclamat: *Inveni quem diligit anima mea: inveni illum nec dimittam*. Sed ad hunc gradum non facilè quis ascendit. Nos igitur adhuc intùs, id est, in corpore manentes, quantùm possumus amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum Jesum, cujus impii agricolæ foderunt manus & pedes, latusquè & cor foraverunt. Proinde accedendum est [l] ad Cor humillimum Altissimi Jesu per januam lateris lanceati. In cujus ostio [m] divini susurii vox auditur, & sacratissimum secretissimumquè consilium, quod absconditum est à sapientibus & prudentibus, paruulis revelatur. Cujus sanè vocis auditum non sola jam ratio capit, sed gratanter eum communicat & voluntati. Ideo effundite corda vestra coram Jesu crucifixo, [n] omnium inspectore cordium, confabulamini cum illo recordantes illius, effundite super vos animas vestras, & terrenis corporalibusquè relictis, pennis spiritualibus charitatis elevamini: & transite in locum tabernaculi admirabilis, ubi non corporis sed cordis auribus audiatis vocem exultationis, & confessionis sonum, festum diem celebrantes. Memores estote optimi Domini Jesu, memoramini & delectamini, & deficiat spiritus carnis vestræ: ut spiritu illius qui est super mel dulcis reficiamini, & discatis vilipendere exteriores collocutiones, postquã interioris collocutionis gustaveritis dulcedinem. O quàm bonum & quàm jucundum est tecum ô dulcissime Jesu habitare in unum, tecum colloqui, tibi revelare causam animæ nostræ, tuæquè consolationis responso perfrui! O quàm bonum est ad te inhabitantem lucem inaccessibilem duce charitate accedere, cui, si tantùm dux nostra fuerit, nihil manere poterit inaccessum! Nouit cor tuum ô dulcis Jesu charitatis lanceâ vulneratum, viam facere charitati, cui perpetuò non claudetur. Accedite ergo ad eum per eum gressibus charitatis, & illuminamini. Gustate, quoniam suavis est Dominus. Paradisum habemus multò meliorem [o] & longè delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt: & paradisus noster Christus Dominus est. Intra ergo ô homo Christiane hunc paradisum omnibus paradisis meliorem, [p] nunc solo cogitationis quo potes affectu: ut postmodùm animâ & corpore & terrestrem & cælestem paradisum valeas introire. Nec breviter amplexandus est hic paradisus, [q] sed volandum est per singulos istius paradisi flores, & singulorum florum folia sunt sugenda: nunc ad dexteram manum, nunc ad sinistram riuulos & guttas Sanguinis spargentem propiùs & interiùs accedendum est. Undelibet quærenda est devotio, & gratia lachrymosæ compunctionis. Utrinque considerandum est, quàm immites fixuræ clavorum, quàm amara venarum ossiumquè perfractio in manibus illius, qui cælum fabricavit & terram, qui operatus est salutem in medio terræ. Et inter horum considerationem frequenter repetendum est: *Redde mihi lætitiam salutaris tui*: ad imitationem utique apis quæ inter volandum semper quendam sonum habet, nec conticescit donec intra florem intraverit, ubi mellis optati dulcedinem colligat & exugat. O quàm felix eris, si postquam intra florentis paradisi nostri flores sanguineos (vulnera dico Jesu crucifixi) fueris intromissus, ab hujus mundi strepitu & tentationum incursibus per dimidiam saltem horam omninò valeas liberari, & soli ei ad quem introisti vacans, gustare & intelligere possis quàm dulcis est Dominus. Sic lustrandi sunt & pedes non minus Sanguinis habentes, non minus quàm manus: perfossi & ipsi & perfracti, sanguineis manantes guttis. O anima Christiana, [r] esto *columba in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*: pervola manus, pervola pedes, involа lateri, & nihil horum inscrutatum relinquas: singula membra compassionis amaritudine

i *Ibidem num. 10.* K *Ibidem num. 11.* l *Ibidem cap. 44. n. 169.* m *Tract. de convers. ad Cleric. cap. 14. num. 26.*

n *Tract. de vite myst. cap. 27. num. 103. & 104.* o *Ser. 1. in Nat. Domini n. 6.* p *Tract. de vite myst. cap. 4. n. 167.* q *Ibidem n. 16.* r *Tract. de 3. precip. myst. cap. 6. num. 15.*

ne perfundas. Utinam & tu talis merearis esse columba, (s) quæ in foramine petræ habitet, id est in foramine lateris dextri. Considera autem hoc vulnus lateris Jesum penitùs non sensisse. Neque enim illud excipere voluit, nisi jam soporatus in morte: ut moneret te quamdiu vivis, in hujus semper lateris vigilare custodia. In quo Christus servulos suos exaudire dignetur, (t) ministrando auxilium gratiæ suæ, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

CAPUT IX.

De precioso Sanguine Domini nostri Jesu Christi crucifixi.

In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus. *Paul. ad Colos.* 1.

1 *Ostenditur quàm copiosa sit redempio nostra, quam operatus est Christus per multiplicem effusionem Sanguinis sui. Hunc Sanguinem fuderant Judæi, nos accessimus & bibimus illum, meditando passionem Dominicam. Calix vini salutaris seu Sanguinis Christi plurimos producit effectus in illis, qui meditantur passionem suam. Invitamur ad sitiendum & bibendum Sanguinem Christi, id est ad recolendam memoriam passionis suæ. Sanguis Christi est vinum inebrians perfectos, est & lac enutriens parvulos, est & medicina repellens morbos animæ.* 2. *Ostenditur, sapientiam & justitiam & sanctimoniam non valere ad salutem, si non adsit devotio passionis Dominicæ. Subtiliter expenditur clamor & virtus Sanguinis Christi. Exponuntur verba Joannis Apostoli dicentis*: Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis. *Docemur geminum esse argumentum amoris Dei erga nos. Ostenditur quantus sit amor Christi eximentis nos à jugo Satanæ: & quomodo sit aspirandum ad Deum Patrem ob passionem Filii sui Unigeniti. Ipse injustè passus novam nobis contulit justitiam. Excitamur ad exhibendam gratitudinem Christo, pro sua passione & morte. Ad mortem ejus tria referuntur. Expenditur modus mortis Christi. Excitamur ad diligendum Jesum crucifixum Redemptorem nostrum.*

§. I.

HÆc est mea (a) sublimior interim philosophia, scire JESUM & hunc crucifixum. Ad cumulum siquidem pietatis suæ, (b) tradidit in mortem Animam suam, & de proprio latere protulit pretium satisfactionis quo placaret Patrem. Per quod illum planè ad se versiculum Psalmi traxit: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Prorsùs copiosa: quia non gutta, sed unda Sanguinis largiter per quinque partes Corporis emanavit. Fuit verò Sanguis qui effusus est, (c) tam multus ad ignoscendum, ut ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est ut effunderetur, deleret, ac per hoc de antiqui illius utpotè levioris deletione nullam omninò dubietatem relinqueret. Sedebas ô homo (d) in tenebrosis & in umbra mortis per ignorantiam veritatis, sedebas vinctus catenis delictorum. Descendit ad te Filius Dei in carcerem non ut torqueat, sed ut erueret de potestate tenebrarum. Et primò quidem veritatis Doctor depulit umbram ignorantiæ tuæ, luce *sapientiæ* suæ. Per *justitiam* deinde quæ ex fide est, solvit funes peccatorum, gratis justificans peccatorem. Quo gemino beneficio implevit sermonem illum sancti David: *Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Descendit inquam in carcerem, (e) venit ut educeret vinctum de domo carceris. Judæi verò non immemores odii quo oderant Patrem, exercuerunt illud in Filium, unde & ipse ait: *Quia oderunt me, & Patrem meum.* Quid ergo fecerunt impii quibus gravis erat etiam ad videndum? *Hic est*, inquiunt, *hæres: venite, occidamus eum.* Sic ergo occiderunt Agnum Dei, in suam quidem perniciem, sed in salutem nostram. Illi enim Sanguinem Agni fuderunt, nos accessimus & bibimus illum. Accepimus calicem salutaris: & calix noster inebrians quàm præclarus est! Calix utique vini inebrians, [f] quàm præclarus est! Inebriat, calefacit, acuit, audaces facit, & fortes, obliviosos, discretos, somnolentos. *Inebriat* amor Dei ad contemptum mundi. *Calefacit*, quia ferventes facit. *Acuit*, quia erudit. Facit *audaces* contra adversa, & *fortes* à carne, mundo, & dæmonibus invincibiles. Facit *obliviosos* eorum scilicet quæ retrò sunt, & in futura extentos. Facit *discretos*, erudiens ad justitiam. Facit *somnolentos* ad temporalia, & ad visibilia tædiosos: ad invisibilia verò contemplanda pronos & promptos. Hoc vinū lætificat cor hominis. Hinc est sobria illa ebrietas, (g) vero, non mero ingurgitans: non madens vino, sed ardens Deo. Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, (h) vinum spiritûs, quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit oblivionem. Humectat interiora arentis conscientiæ: escas bonorum operum digerit, & deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansquè charitatem, & impinguans mores. Proinde fructum redemptionis nostræ (i) toto desiderio complectamur, & sæpiùs imò sine intermissione ad memoriam illum revocantes, latentem in ipso dulcedinem linguâ intellectûs nostri degustemus, & in vase memoriæ nostræ recondamus sanguinem hujus vuæ meracissimum, Sanguinem inquam rubicundi Jesu crucifixi. Hoc fructu quo redempta est à tyrannide dæmoniaca jugiter reficienda est fidelis anima, ne in hoc tædioso deserto deficiat, in quo sine requie & sine intermissione laborat, suspirans ad illam terram lacte & melle manantem. Quis autē nisi totus caro & sanguinis, (k) & qui in se nihil habeat spirituale, Sanguinem istum fastidiat? Quis volens se de sanguinibus contractis liberari, istum purissimum saluberrimumquè Sanguinem Jesu purissimi non affectet? Quis semel isto dulcissimo Sanguine inebriatus, quem paravit in dulcedine sua pauperi Deus, non magis ac magis sitiat, audiens veram

Cccc vo-

s Ser. 7. super Psal. 90. num. 15. t Ser. de excellent. Sacram. num. 16. a Ser. 43. in Cant. num. 4. b Ser. 22. in Cant. num. 7. c Tract. de error. Abailar. cap. 8. num. 22.

d Ser. 22. in Cant. num. 7. e Ser. 3. in Circum. Dom. n. 4. f Ser. 4. super Sal. Reg. num. 19. & 20. g Tract. de dilig. Deo cap. 11. num. 33. h Ser. 18. in Cant. num. 6. i Tract. de vite myst. cap. 46. num. 184. k Ibidem cap. 33. num. 140.

vocem Sapientiæ Dei, Vnigeniti Patris, optimi Jesu dicentis: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient*. Si verum est, imò quia verum est, humano sanguini præ cæteris tantam naturaliter inesse dulcedinem, ut cùm à bestia qualibet semel gustatus fuerit, illum de cætero semper gustare desiderent: ita ut aliis animalibus postpositis, sanguini insidientur humano, & in mortem suam corruant pro illo acquirendo. Quantum in se credis habere dulcedinis Sanguinem Filii Hominis Jesu Christi? Ecce sitiunt irrationales bestiæ sanguinem hominis, & non sitiam ego Sanguinem Filii Dei? Bestiæ quantò plùs gustaverint, tantò plùs sitiunt sanguinem humanum: & ego fastidiam Sanguinem Dei & Hominis benigni Jesu? Bestiæ corruunt in mortem suam dulcedine sanguinis humani attractæ: ego non festinabo ad Vitam meam, & Sanguinem rubicundi Jesu & candidi? Imò verò festinabo, emam & bibam. Emam absque argento & absque ulla commutatione vinum & mel, quæ nobis Sapientia Patris Altissimi benigniùs miscuit in cratere cordis sui, nimirùm Sanguinem suum, precium vitæ nostræ. Properate mecum qui diligitis Dominum: emite non corruptibilibus auro & argento, sed commutatione morum vinum & lac; Sanguinem illum dico purissimum & preciosissimum, inebriatem perfectos ut vinum, & ut lac parvulos nutrientẽ. Si perfectus es, si fortis es, vinum est tibi Sanguis iste Sanguis meracissimus. Si adhuc infirmus es & cui opus sit lacte, lac est tibi ad nutriendum te. Bibe ergo Sanguinem hunc meracissimum, fide, memoriâ, & intuitu spirituali. Suge non tam vulnera, (l) quàm ubera Jesu crucifixi. Ipse erit tibi in matrem, & tu eris ei in filium. Si autem fidem [m] & fiduciam tuam jactes in livores & vulnera Crucifixi, & in tuæ salutis usum convertas memoriam passionis Dominicæ: erit Sanguis ipsius precium tuæ redemptionis, mors ejus tibi convertetur ad vitam, suus dolor in gaudium tuum, suæ angustiæ in tuas delicias, in tuum deniq; honorem sua opprobria: & ut multiplicato fervore gratiæ tuæ obtineas salutem, quam operatus est in medio terræ, tibi cedet in jucunditates æternas ipsius supplicium temporale. Dabit utique Jesus salutem: (n) quia salutaris est. Dabit Christus regnum, in quo gloria cum diuitiis habetur: quia unctus est. Dabit Nazarenus delicias: quia florens est. Quid enim jucundius flore? Multi autem imò omnes, id est omnium virtutum flores in nostro Nazareno sunt, quarum delectabili odore totum mundum traxit post se. Superat tamen omnes odores omnium virtutum uncti Jesu odor Crucifixi, ubi perfectio præcipuè efflorebat, & de floribus vulnerum suorum inæstimabilem odorem effudit. Fracto enim alabastro mundissimi corporis virginalis dulcis Jesu, effusum est unguentum Sacratissimi Sanguinis. Ipsâ quoque Animâ (in qua sine dubio redolebat unguentum spiritus septiformis) emissâ, dilatatus & dispersus est odor Vitis nostræ florentis non per terras solùm, sed & per inferos: & suscitati sunt mortui, qui tam ad vitam corporis quidem, quàm ad vitam animæ quotidie suscitantur. Quia domus Christi, id est Ecclesia impleta est ex odore ungnenti nostræ Vitis præcipuè in Passione florentis. Conscissus est saccus corporis Domini Jesu, ceciderunt grana sanguinearum guttarum, quæ adhuc à Fidelibus mente colligi possunt & ab accedentibus ad Sanctam Crucem fideliter ac devotè colliguntur. Preciosissimus verò thesaurus & incomparabilis guttæ sunt Sanguinis Jesu Christi. Accede ergo huc ô fidelis anima, & collige tibi reliquias epularum Sponsi tui Jesu, micas gratissimas, folia rosarum. Ecce in quanta multitudine distillant de manibus simul & pedibus, necnon & de latere dulcissimi Crucifixi Christi Jesu. Nec est morbus animæ, cui his floribus mederi non possis. Collige tantùm folia florum florentis Jesu, stillas Sanguinis rubicundi: & tanquam *pillulas*, (*sine quibus esse nolo*) in cubiculo cordis tui reconde. Erit tibi illarum sapor & odor in medicinam salubrem, morbos si qui fuerint repellentem, venturosquè caventem. Vide tantùm ne unquam sine illis esse velis, quæ verè nomen habent à quodam fideli dicente: *Sine quibus esse nolo*.

§. II.

Hæc est mea (o) sublimior interim philosophia, scire JESUM & hunc crucifixum. Quis enim de sua vel sapientia, [p] vel justitia, vel sanctitate præsumat sufficientiam habere ad salutem? *Non quòd sufficientes* (inquit Apostolus) *simus cogitare aliquid à nobis tanquam ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est*. Itaque cùm defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido, scio quid faciam. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Illumina oculos meos Domine, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore: & *sapiens* sum. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris: & *justus* sum. Deduc me Domine in via tua: & *sanctus* sum. Veruntamen nisi interpellet Sanguis tuus pro me, *salvus* non sum. Sermo quotidie nobis [q] de memoria Passionis in Ecclesia replicatur: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinẽ, habet vitam æternam*. Ac si dicat: Qui recolit mortem meam, & exemplo meo mortificat membra sua quæ sunt super terram, habet vitam æternam. Hoc est: Si compatimini, & conregnabitis. Cui tam pio, [r] tamquè utili ocio nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere est? Nesciebam, (s) sanus mihi videbar: & ecce mittitur Virginis filius, Filius Dei Altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis precioso Sanguinis balsamo medeatur. Agnosce ô homo, quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse fuit Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. O quàm horrenda (t) & insanabilis est plaga prævaricationis nostræ, pro qua Filium Dei oportebat tot dura opprobria, tot & tam dira vulnera sustinere! Clamabat sanguis Abel ultionem de terra: clamabat sanguis Naboth: clamabat sanguis omnium Justorum, qui effusus fuerat super terram, dicen-

l *Epist.* 351. *num.* 1. m *Lib.* 3. *de amore Dei cap.* 26. *num.* 89. n *Tract. de vite myst. cap.* 43. *num.* 161. & 162

o *Ser.* 43. *in Cant num.* 4. p *Ser.* 22 *in Cant num.* 9. q *Tract. de diligen. Deo cap.* 4. *num.* 11. r *Lib.* 1. *de considerat. cap.* 8. *nu.* 11. s *Ser.* 3. *in Nat. Dom. num.* 4. t *Lib.* 3. *de amore Dei cap.* 26. *num.* 88.

centium: *Vindica Domine sanguinem nostrum, qui effusus est super terram.* Solus Sanguis Christi clamabat reconciliationem & redemptionem populi sui. Vox siquidem Sanguinis Christi [u] invaluit multoplùs quàm vox sanguinis Abel, clamans in cordibus electorum, remissionē omnium peccatorum. *Traditus est enim propter peccata nostra*: nec dubium quin potentior & efficacior sit mors illius in bonum, quàm peccata nostra in malum. Clamabat tunc mors Christi defunctis ad vitam, (x) peccatoribus ad indulgentiam, captivis ad liberationem, perditis ad salutem. Ipse jugiter & nunc interpellat ad Deum Patrem, ut precium sui Sanguinis & merces obedientiæ quam Patri exibuit, pro peccatoribus in redemptionem pœnitentium convertantur. Teste quidem Apostolo: *Deus Filium suum nobis propitiationem constituit per fidem in sanguine suo.* Quem utique Sanguinem (y) puncturæ veprium, fossio manuum & pedum cum clavis, lateris apertio cum lancea militari fortiùs exprimentes, ad modum torrentis fuderunt extrinsecùs. Eratquè ille Sanguis preciosior cariorquè balsamo, per quem sordium nostrarum facta est mundatio. Hoc quoque Christus assistens Pontifex futurorum bonorum (z) invisibiliter quotidie operatur in nobis. Siquidem aspergit nos hyssopo ut mundemur, lavemur, dealbemur, dicaturquè de nobis: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata?* Lavat inquam nos in confessione, lavat nos lachrymarum imbre, lavat sudore pœnitentiæ: magis autem lavat nos aquâ illâ preciosâ quæ de fonte pietatis, id est ab ejus latere emanavit simul cum Sanguine. *Tres sunt* (a) *qui testimonium dant in terra: Spiritus, Aqua, & Sanguis.* Scitis Fratres, quia in primo homine peccavimus omnes, in ipso etiam cecidimus universi. Cecidimus sanè in carcerem luto pariter & lapidibus plenum. Exinde jacebamus captivi, inquinati, conquassati, donec venit desideratus gentibus qui nos redimeret, ablueret, adjuvaret. Hic est enim Christus crucifixus, qui *Sanguinem* proprium dedit in redemptionem, *Aquam* simul produxit de latere suo in ablutionem, emisit deinde de excelso *Spiritum* suum qui adjuvaret infirmitatem nostram. Vis ergo nosse an hæc aliquid operentur in te ô homo, ne fortè reus sis *Sanguinis* Domini quem evacuas quantùm in te est: sed & *Aqua* ipsa quæ debuerat mundare, in sordibus permanenti judicium damnationis accumulet: *Spiritus* quoque cui resistis, non liberet maledictum à labiis suis? Cavendum enim ne sint tibi hæc infructuosa, quæ necessariò essent pariter & damnosa. Quis autem est qui testimonium habet effusi non sine causa *Sanguinis* Christi, nisi qui continet à peccatis? Seruus enim peccati est, qui paccatum facit: ut, si deinceps continere potuerit, & jugum abiicere miseræ servitutis, certissimum sit testimonium redemptionis, quam operatur sine dubio Sanguis Christi. Verùm non sufficit peccatori continentia, si non etiam adsit pœnitentia. Habeat ergo & ab *Aqua* testimonium, qui laborat in gemitu suo lavans per singulas noctes lectum suum. Sicut enim *Sanguis* ille redemit, ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore: sic *Aqua* illa abluit ab his peccatis quæ commissimus ante. Sed quid erit quòd longo catenarum usu & carceris habitatione crudeli confracti sumus, atque collisi deficimus in via vitæ? Invocemus *Spiritum* vivificatorem & adjutorem, confidentes quia dabit Pater qui in cælis est, Spiritum bonum petentibus se. Videamus denique [b] quàm verum dixerit ille qui dixit: *Dominus sollicitus est mei.* Pater ut seruum redimat, Filio non parcit: Filius seipsum libentissimè tradit: Spiritum Sanctum uterque mittit: & ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. O duri & indurati & obdurati filii Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor Jesu crucifixi, qui pro vilibus sarcinis tam preciosas merces expendit! Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, sed precioso Sanguine suo, quem effudit abundè: quia largiter vndæ Sanguinis de corpore Jesu per quinque partes emanaverunt. Quid ultrà debuit facere, & non fecit? Illuminavit cæcos, reduxit erroneos, reconciliavit reos, justificavit impios: triginta & tribus annis super terram visus, cum hominibus conversatus, pro hominibus mortuus est. Porrò non tantùm Dominus Jesus, (c) sed & Sanguis ipsius clamore nihilominùs vehementi (surdis licet) terribiliter irrugiebat. Clamor ejus est ejus effusio. Effusus quippè pro dispersis filiis Dei, ut eos congregaret in unum, justè fremebat in dispersores. Odit nimirùm dispersores, qui non novit nisi colligere. Magnus ejus clamor & vehemens fuit, qui corpora de sepulchris, animas ab inferis excitavit. Terram quoque & cælos tubâ illâ convocavit in unum, quippè quæ in terra & quæ in cælis sunt pacificans. Fidelis sermo & omni acceptione dignus, (c) quoniam cùm adhuc peccatores essemus, reconciliati sumus Deo Patri per mortē Filii ejus. *In quo* (sicut Apostolus dicit) *habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus.* Cur, inquis, per Sanguinem, quod potuit facere per sermonem? Ipsum interroga. Mihi scire licet quòd ita. Cur ita? Non licet. Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me finxisti sic? Christus Jesus pro animarum regeneratione [e] stetit in ignominioso supplicio crucis, interrogatus contumeliis pariter & tormentis, necmodò durissima morte, sed & turpissima condemnatus est. Quid ergo à te quærit ô homo, (f) qui tanta sollicitudine te quæsivit, nisi te sollicitum quoque ambulare cum Deo tuo? Hanc sollicitudinem non facit nisi Spiritus Sanctus. Nemo itaq; se amari diffidat, (g) qui jam amat. Libenter Dei amor nostrū amorem, quem prævenit, subsequitur. Nam quomodò redamare pigebit, quos amavit & necdum amantes? Amavit inquam, amavit. Habes enim dilectionis pignus Spiritum: habes & testem fidelem Jesum & hunc crucifixum. O geminum ipsumquè firmissimum Dei erga nos Amoris argumentum! Christus moritur, & meretur amari: Spiritus afficit, & facit amari. Ille facit cur ametur, iste ut ametur. Ille suam multam dilectionem in nobis commendat, iste & dat. In illo cernimus quod amemus, ab isto sumimus

u Ser. 1. in Annunc. B. M. num. 4. x Lib. 3. de amore Dei cap. 26. num. 88. y Ser. de excell. Sacram. num. 4. z Ser. 1. in dedicat. Eccl. num. 4. a Ser. 2. in Oct. Paschæ nu. 4. & 5.

b Ser. 2. in die Pent. num. 7. & 8. c Epist. 7. num. 11. d Tract. de error. Abailar. cap. 8. num. 20. e Tract. de vit. & mor. Cleric. cap. 14. num. 42. f Ser. 2. in die Pent. nu. 8. g Epist. 107. n. 8.

mus unde amemus. Charitatis igitur ab illo occasio est, ex isto affectio. Quanta cōfusio est, Dei Filium ingratis oculis cernere morientem! Quod quidem facilè contingit, si desit Spiritus. Nunc autem quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, amati amamus; amantes ampliùs meremur amari.

§. III.

Adhuc dico, (h) nihil est enim satisdictum, quod semper est dicendum, atque recordatione continua replicandum. Eras, ô anima Christiana, illi gravissimo creditori, (Angelum Satanæ loquor) illi quidem immanissimo exactori tot debitis quot peccatis vinculo chirographi obligata, nec solvendo eras. Dei autem Filius non quæ rapuerat, sed quæ repueras tu pro te solvit: & quòd dignatio propensior & gratia uberior erat, non delegavit alium debitorem, sed dedit Animam suam in causam tuæ salutis. Cùmquè ille Angelus transfuga & emensor te in detestabilem peteret ancillatum, Christus è contra cælo terræquè præpositam te fecit. Postquam diversas productiones testium, legum, oraculorum, Prophetarum, signorum, tandem proprium Sanguinem allegavit: obtinuit allegatio illa tuæ sententiam libertatis. Super calculo sententiali scriptæ sunt literæ in membrana capitis Crucifixi, & confirmatæ sunt à sæculo misericordiæ veritatis & pacis & justitiæ obujantium sibi. Denique impressum est sigillum, plaga scilicet lateris Christi, quam in precium redemptionis nostræ & placationem continuam jugiter exhibet ante oculos Dei Patris. Respice Domine Deus Pater [i] in faciem Christi tui, qui tibi usque ad mortem obediens factus est: nec recedant ab oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum, ut memineris quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem receperis. Utinam Domine Deus Pater appendas in statera peccata quibus iram meruimus, & calamitatem quam pro nobis passus est innocens Filius tuus: certè gravior apparebit & magis digna, ut propter ipsam effundas super nos misericordiam tuam, quàm fuit illa ut pro peccatis nostris contineas in ira misericordias tuas. Christus occisus iniustè pro justitia, [k] novam de inimico obtinuit justitiam mortis, scilicet iniustè sibi illatæ. Quam quasi sibi necessariam (quia absque peccato erat) ipse homini peccatori communicans, reum absolvit per pænam innocentiæ suæ. Positoquè Corpore suo & Sanguine in manu ejus: *Hoc*, inquit, *manduca & bibe, hinc vive*. Deoquè Patri eum repræsentans: *En*, inquit, *Pater mei Sanguinis precium: si de peccato hujus hominis requiris, en pro eo meus Sanguis*. Domine Deus Pater dedisti benignitatem, & terra Corporis mei dedit fructum suum: jam justitia ante te ambulabit, & tu pones in via salvationis humanæ pedes tuos. Et ut justè jam salvetur qui justè perierat, tu Domine fecisti directiones, judicium & justitiam in Jacob tu fecisti. De fructu ergo hujus operis satiatus homo mediante Sapientia Dei, non solùm reconciliatur, sed etiam sapiens efficitur. O anima Christiana, [l] moriebatur Salvator tuus, ut te vivificaret: affixus erat Cruci, ut iniquitates tuas propriis manibus Cruci affigeret. Manus elevabat ad Deum Patrem in sacrificium vespertinum, ut te ad amplexus amicabiles invitaret: vitamquè suam, quæ nulli erat obnoxia morti, pro te obtulit ad mortem, ut dum à principe tenebrarum justus iniustè occiditur, (quia quod suum non erat usurpare convictus est) eâ quam habebat in te potestate privaretur. In tam exuberanti beneficio, in tanto cumulo gratiarum, quo te largitio Divina quasi obruit & confundit, vide ne ingrata sis. Alioquin scias quòd si te ingratam reperit, (m) nec uelle uti tanto beneficio, exiget à te districtissimè mortem suam. Vereorquè ne quando indignantissimè dicat tibi: *Tolle manum tuam & mitte in latus meum dextrum, mitte digitos tuos in fixuram clavorum*, & vide quanta pro te passus sum. Terribilis sermo, (n) & qui possit etiam impavida quorumuis tyrannorum corda concutere. Intuere ô homo tempus tuæ redemptionis, (o) recordare quomodo redemptus sis. *Empti estis* (ait Apostolus) *precio magno*, non magno tantùm, sed permaximo. Venditus eras sub peccato precio vili, & despicabimorsu unius pomi: emptus & redemptus es precio magno & inæstimabili, morte Fili Dei. Quid pretiosius est hoc precio? quid inæstimabilius? Mors Christi opus sine exemplo, (p) humilitas sine modo, donum sine precio, & gratia sine merito. Hanc mortem propter nos subire voluit, qui peccata nostra super lignum sustinuit in cruce sua, scilicet pænam peccatorum, cujus livore sanati sumus. Proinde mors Christi reverenda est, (q) præ omnibus Sacramentis affectuosa. In hoc enim sacramento pietas magis enituit, gratia plùs refulsit, charitas ampliùs radiavit. Ad mortem Christi tria præcipuè respiciunt, non sine timore, non sine lachrymis & gemitu prosequenda: injuriarum multiformium illatio, manuum ac pedum in Cruce confixio, sepulchri ac sepulti sub militum excubiis observatio. Postremò imaginare ô homo, [r] quo, quali, & quanto precio redemptus sis, non corruptibilibus auro vel argenlo redemptus es: simplex mors Redemptoris, Creatoris, Plasmatoris tui non sufficit, ut tu redimaris: vide modum mortis, attende qualitatem moriendi, & attende quid debeas morienti. Ecce quomodo moritur justus, in cruce distenditur, membra distrahuntur, dorsum adhuc plagosum de recentibus plagis flagellorum recenti adhuc Sanguine stillans, rigido patibulo crucis atteritur: manus & pedes perfodiuntur, clavi malleis incutiuntur, & quantò altiùs clavi penetrant, tantò ampliùs plagas præ grossitie dilacerant, & passionem aggravant: sitienti ori fel aceto mixtum infunditur, vinum myrrhatum additur. Dehinc piissimus Redemptor (s) Animam sanctissimam tradit in mortem, ut meam miseram animam vivificaret à morte. Nec his contenti lanistæ impiissimi, adhuc latus lanceâ perforant, & laceratione Sanguinem quo redimimur, cum inundatione aquæ manare cogunt. O anima Christiana quid agis? quis dabit aquam capiti tuo, & fontem lachrymarum oculis tuis, ut satis plangere

h Lib. 3. de amore Dei cap. 20. num. 68. i Ser. de Pass. Domini num. 17. k Lib. 2. de amore Dei cap. 12. num. 37. & 38. l Lib. 3. de amore Dei cap. 19. num. 67.

m Ibidem cap. 20. num. 69. n Ser. 76. in Cant. nu. 3. o Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 10. p Ser. de excell. Sacram. n. 6. q Ser. 2. in Cæna Dom. nu. 4. r Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 14. s Ibidem num. 15.

re & fiera possis interfectum populi sui? Hic *fasciculus myrrha sit dilectus tuus tibi*, & non tantùm fasciculus, sed immensum pondus amaritudinum: compatere patienti, ut merearis redimi. Esto *columba in foraminibus petræ*, pervola manus, pervola pedes, involа lateri: nihil horum inscrutatum relinquas, sed singulla membra Jesu crucifixi compassionis amaritudine perfundas. Ecce precium redemptionis tuæ, ô homo redempte: ecce qualis hostia victimatur pro tua culpa, pro prævaricatione tua. Magna res est anima, (t) quæ Christi Sanguine redēpta est. Gravis animæ casus est, quæ non nisi Christi cruce potuit reparari. Quocirca iterùm adhuc, & iterùm usque ad nauseam replicabo, (u) ut assiduè cogites ô anima Christiana, quanta tulerit tantus Redemptor pro te tantilla & tam perdita, Sanguinem & mortem suam ponens precium tuum: cùm sit Sanguis ejus impreciabilis, & mors ejus æstimationis non recipit modum. O homo, [x] quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Solam dilectionem exigit: sola dilectio ei sufficit. Dilige hunc tantum te diligentem, [y] & singularem dilectum ex tota anima tua, ex toto corde tuo, ex omnibus viribus tuis: quia & cor bonæ voluntatis, & animam rationalem, & vires ad implenda quæ bona sunt, ipse dedit tibi. Benedicat anima tua Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus: & te dilectionis illius vinculis astringe, ut liberiùs vacare possis & videre quàm suavis est Dominus Jesus crucifixus. Ipsum interim sine modo, (z) ultra modum, absque meta, ultra metam, assiduè, continuè, toto corde, tota mente, totis viribus, totis virtutibus diligamus, veneremur & amemus: ut ad ipsum pervenire, & cum ipso regnare valeamus, qui cum Patre vivit Deus & cum Sancto Spiritu, benedictus omni tempore sæculi. Amen.

CAPUT X.

De gratiarum actione, quam debemus Deo nostro Jesu Christo crucifixo pro beneficiis præstitis nobis.

Rogamus vos fratres, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu, in omnibus vobis. *Thess. 5.*

1 *Ostenditur, quantum amorem debeamus Christo Deo nostro pro beneficio creationis nostræ. Ipse ultra modum dilexit nos, ut & nos diligamus eum toto corde, totâ animâ, tota virtute. Ad hanc dilectionem excitandam & fovendam nihil est efficacius, quàm jugis consideratio passionis Dominicæ.* 2. *Ostenditur, Jesum crucifixum esse panem nostrum. Agitur de septem panibus mysticis, quibus reficimur: necnon de septem illis misericordiis, quæ in viris Religiosis præcipuè notandæ sunt. Pro quibus tamen non potest major exiberi retributio Christo crucifixo, quàm frequens meditatio Passionis suæ.* 3 *Ostenditur, eosdem septem panes singulos habere tria fragmenta, quæ continent delectamentum saporis, & alimoniam vitæ. Pro his beneficiis quæ respiciunt conversationem regularem, nulla potest esse magis grata Christo retributio, quàm meditatio passionis suæ.* 4 *Exitamur ad meditationem passionis Christi, habentem omnem scientiam salutarem: nec non ad adorationem Jesu crucifixi, & Instrumentorum passionis suæ, in quibus salutem nostram operatus est. Docemur qualiter debeamus esse socii passionis Christi, ut simus & consolationis.* 5 *Agitur de gratiarum actione pro redemptione nostra. Et fit clausula hujus Libri Philosophiæ Christianæ, cujus principium & finem dedicamus Domino Jesu Christo crucifixo, ut sit nobis Alpha & Omega. Præterea offerimus Redemptori nostro vitam nostram, corpus nostrum, & animam nostram.*

§. I.

HÆc est mea (a) sublimior interim philosophia, scire JESUM & hunc crucifixum. Oculi mei (b) semper sint ad Dominum Jesum crucifixum, per quem sum, viuo, & sapio. Quid retribuam Domino meo Jesu Christo (c) pro omnibus his? Infidelem ratio urget & justitia naturalis totum se tradere illi à quo se totum habet, & ex se toto debere diligere. Mihi profectò fides tantò plùs indicit amandum, quantò & eum meipso pluris æstimandum intelligo: quippè qui illum non solùm mei, sed sui quoque ipsius teneo largitorem. Ille totum Deo sese debere non ignorat, quem sui totius non ignorat esse Auctorem. Quid retribuam ego qui Deum meū teneo vitæ meæ non solùm gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem: sed insuper etiam copiosissimum Redemptorem, æternum conservatorem, ditatorem, glorificatorem? Sicut scriptum est de redemptione: *Copiosa apud eum redemptio*. Et item: *Introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*. Et de conservatione: *Non relinquet sanctos suos, in æternum conservabuntur*. Et de locupletione: *Mensuram bonam & confertam & coagitatam & superefluentem dabunt in sinum vestrum*. Et rursùm: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*. Et de glorificatione: *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christū, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Et illud: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*. Et iterùm? *Id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur*. Denique nondum tempus fidei advenerat, nondum innotuerat in carne Deus, obierat in cruce, prodierat de sepulchro, redierat ad Patrem: nondum, inquam, commendaverat in nobis suam multam dilectionem, (illam de qua jam multa locuti sumus) cùm jam mandatum est homini diligere Dominum Deum suum toto corde, totâ animâ, tota virtute sua: id est, ex omni quod *est*, quod *scit*, quod *potest*. Quid ergo retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Valdè omninò mihi amandus est, [d] per quem sum, vivo, & sapio. Si ingratus sum, & indi-

t *Epist. 54.* u *Lib. 3. de amore Dei cap. 23. num. 81.* x *Tract. de 3. præcip. myst. cap. 6. num. 17.* y *Tract. de vite myst. cap. 30. num. 120.* z *Ser. 12. in ultima Cœna num. 121.*

a *Ser. 43. in Cant. num. 4.* b *Tract. de inter. domo cap. 37. n. 83.* c *Tract. de dilig. Deo cap. 5. n. 14. & 15.* d *Ser. 20. in Cant. n. 1.*

dignus. Dignus planè est morte, qui tibi Domine Jesu recusat vivere, & mortuus est: & qui tibi non sapit, desipit: & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Inclina tibi Deus modicum id quod me dignatus es *esse*, atque de mea misera *vita* suscipe obsecro residuum annorum meorum: pro his verò quos vivendo perdidi (quia perditè vixi) cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Dies mei sicut umbra declinaverunt, & præterierunt sine fructu, impossibile est ut revocem; placeat ut recogitem tibi eos in amaritudine animæ meæ. Jam de *sapientia*, ante te est omne desiderium meum, & propositum cordis mei: si qua esset in me, servarem ad te. Sed Deus tu scis insipientiam meam: nisi quòd hoc ipsum fortassè sapere est, quòd & ego agnosco eam, & quidem ex munere tuo. Auge illud mihi minimè quidem ingrato pro munusculo, sed sollicito pro eo quod deest. Pro his ergo ita sum amans te quantùm possum. Recedat ab anima mea omnis injustitia, (e) ut te diligam Dominum Deum meum ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis. Recedat ab anima mea omnis zelotypia, ne tecū aliquid amem, quod propter te non amem, ô verè unice amor, & vere Domine. Cum verò propter te aliquid amo, non illud amo sed te, propter quē amo quod amo. Tu enim verè solus es Dominus, cujus dominari super nos, hoc est salvare nos; nostrûm verò servire tibi, nihil est aliud quàm à te salvari. Quæ enim salus tua, ô Domine, cujus est salus, & super populum tuum benedictio tua, nisi quòd à te accepimus, ut amemus te, vel amemur à te? O anima mea, (f) si vis amari à Deo, reforma in te imaginem suam, & amabit te: repara in te similitudinem suam, & desiderabit te. Consilio namque Sanctæ Trinitatis, ad imaginem & similitudinem suam creavit te Creator tuus, (quod nulli alteri ex creaturis donavit) ut tantò eum ardentiùs diligeres, quantò mirabiliùs ab eo te conditam intelligeres. Ipse sua te imagine & similitudine insignivit, [g] & adhibuit cum pulchritudine vitam. Unde tanta & tam gratuita & tam inaudita dignatio est, ut fieres *ad imaginem & similitudinē ejus*: nisi ut simile tuum diligeres, & ei qui te gratuita dilectione prævenit, dilectione mutua conformares? Denique (h) multiplicavit in te Deus dona sua: adjecit enim pulchritudini tuæ vivere, sentire, discernere: & in omnibus quæ magnificentia ejus tibi contulit, accipit indigentia tua gratiam ejus, non exigentia tui meriti antecessit. Desponsavit te fide, foris ornavit te sensibus quasi quibusdam præfulgentibus gemmis. Te verò interiùs quasi naturali pulchritudine sapientiâ insigniuit. Novit quis ornatus tibi competentior esset, ideoquè dedit quod te decuit, & intantùm ut etiam propter hoc ipse te diligeret, qui hoc dedit. Charitatem quippè (i) in ipso statim principio conditionis non solùm prædicat, sed ingerit tibi manus benignissima Creatoris. Ei ergo cor [k] & medullarum tuarum interiora exhibe ad diligendum, qui te diligere dignatus est, nihil tamen in te reperiens diligendum. Ama signaculum tuum, & imaginem tuam, qui ut expressior in te forma tui Creatoris appareat, ei qui Charitas est, te fide & charitate conforma, & in materiam gratiarum beneficia ejus jugi meditatione cogita. Solus igitur amor est, (l) quem à nobis Dñus Deus exigit, cùm beneficiis obruit. Pro his verò (m) & innumeris aliis beneficiis quid retribuam Domino? *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Quid est calicem accipiam? Memoriale passionis Jesu crucifixi semper sit in desiderio animæ meæ, ut Passionis ejus particeps efficiar. Sic ergo calicem ejus accipiam, quia monumenta passionis suæ intra animæ meæ sinum, intra memoriæ meæ cellas semper revolvam. Aspiciam Regem Salamonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Aspiciam eum ligatum, flagellatum, consputum, saturatum opprobriis, clavisquè confixum. Aspiciam in hujus deserto exilii Serpentem æneum, super columnam crucis exaltatum, ut serpentes qui me mordent, omninò moriantur: quia nullus qui credit in Jesū crucifixū peribit, sed habebit vitā æternam. Hæc & alia patientis & morientis Domini mei Jesu Christi memoralia, memoriæ meæ arctiùs commendabo, & ad os cogitationis revocans ruminabo diutiùs, ut impinguet devotiùs. Non requiro, sicut sponsa, [n] ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in cruce. Illum semper ante oculos nostros habere debemus, (o) per quem sumus, vivimus, & sapimus. Ipsum namque, ut *essemus*, habemus Authorem: ipsum etiam, ut *sapientes* simus, debemus habere Doctorem: & ut beati *simus*, internæ suavitatis largitorem debemus habere.

§. II.

Hæc est mea (p) sublimior interim philophia, scire Jesum & hunc crucifixum. Siquidem (q) Dominus Jesus crucifixus nobis factus est panis, & nos sumus panis ejus. In sudore vultus sui dignatus est vesci pane suo, ut nos nostro vesceremur in gaudio. Frange Domine (r) esurientibus panem tuum. Solus enim frangere potes, qui solus, ut confracta solides, stare potes. Septem sunt panes (s) quibus reficimur. *Primus* panis est *verbum* Dei, in quo vita hominis est, sicut ipse Jesus testatur. *Secundus* panis est *obedientia*, quoniam *meus cibus est*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus qui misit me*. *Tertius* panis est *meditatio* sancta, de qua scriptum est: *Cogitatio sancta conservabit te*. Et quæ alio in loco nominari videtur, *panis vitæ & intellectûs*. *Quartus* panis sunt orantium *lachrymæ*. *Quintus* verò panis est *pænitentiæ* labor. Nec mireris quod laborem aut lachrymas panē dixerim, nisi fortè excidit tibi quod in Propheta David legisti: *Cibabis nos pane lachrymarum*. Et item in alio Psalmo: *Labores*, inquit, *manuum tuarum quia manducabis, beatus es, benè tibi erit*. *Sextus* panis est jucunda *unanimitas* socialis, panis inquam ex diversis granis confectus, fermentatus utique Sapientiâ Dei. *Septimus* panis est *Eucharistia*, quoniam *panis*, inquit, *quem ego do, caro mea est pro mundi vita*. *Misericor-*

e *Lib. 1. de amore Dei cap. 6. num. 11.* f *Tract. de inter. domo cap. 35. num. 84.* g *lib. 3. de amore Dei cap. 21. num. 71.* h *Ibidem num. 73.* i *Ser. 2. in Nat. Dom. num. 2.* K *Lib. 3. de amore Dei cap. 21. num. 72.*

l *Ibidem cap. 3. num. 15.* m *Ser. de verb. Sap. num. 4. & 5. tom. 6. pag. 769.* n *Ser. in Cant. num. 4.* o *Tract. de cognit. hum. condit. cap. 6. num. 22.* p *Ser. 43. in Cant. num. 4.* q *Ser. in fer. 2. Pasch. num. 22. tom. 6. pag. 729.* r *Ser. 2 in Nat. Dom. n. 5.* s *Ser. 1. in Dom. 6. post. Pent. num. 4.*

cordias Domini (t) *in æternum cantabo*. Septem enim in me video misericordias Domini, quas & vos ipsi credo facilè invenietis in vobis. *Prima* est quòd à multis peccatis adhuc in sæculo positum custodivit: prima inquam, non inter omnes quas mihi impendit, sed prima inter has septem. Quis enim non videat quòd sicut in multis cecidi, sic & in alia poteram cecidisse peccata, nisi omnipotens pietas conservasset? Fateor & fatebor, nisi Dominus adjuvit me, paulominùs cecidisset in omne peccatum anima mea. Et hæc quãta erat dignatio pietatis, quòd ingratum & parvipendentem sic gratia Dei conservabat, quòd in multis contrarium & contemnentem nihilominus ab aliis benignissimè protegebat? At *secunda* miseratio tua super me Domine Jesu, quonam poterit explicari sermone, quàm benigna, quàm liberalis, quàm gratuita fuerit? Ego peccabam, & Tu dissimulabas. Non continebam à sceleribus, & Tu à verberibus abstinebas. Prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam, & Tu Domine pietatem tuam. Sed quid prodesset expectatio, nisi sequeretur pænitudo? Cumulus esset damnationis, dicente Domino: *Hæc fecisti, & tacui*. *Tertia* proindẽ miseratio Dñi fuit, quòd visitavit cor meum & immutavit, ut amara fierent ea, quæ malè dulcia priùs erant: & qui lætabar cùm malefacerem, & exultabam in rebus pessimis, inciperem demùm recogitare ei annos meos in amaritudine animæ meæ. Et nunc Domine Jesu commovisti terram cordis mei, & conturbasti eam: sana contritiones ejus, quia commota est. Quis enim scindet duritiam cordis mei, (u) nisi qui Passione sua petras scindit? Quis dat cor pænitens, nisi à quo est omne datum optimum? Multi pænitentiâ ducti sunt, (x) sed infructuosâ, quoniam pænitentia eorum reprobata est, sicut & prior culpa. Itaque & hæc miseratio *quarta* fuit, quòd pœnitentem misericorditer suscepisti Domine Jesu, ut in eorum numero invenirer, de quibus Psalmista inquit: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*. Sequitur misericordia *quinta*, per quam mihi continendi deinceps & emendatiùs vivendi præstitisti virtutẽ, ne recidiuum paterer, & esset novissimus error pejor priore. Omninò enim manifestè tuæ est Domine Deus non humanæ virtutis, susceptum semel peccati jugum à cervicibus excutere: quoniam *omnis qui facit peccatum, servus est peccati*: nec est liberari nisi in manu forti. Jam verò postquam in his quinque miserationibus à malo liberaveris, ut fiat quod scriptum est, *Declina à malo, & fac bonum*: in duabus aliis miserationibus bona largiris. Hæ duæ sunt & vocantur, *gratia promerendi*, qua videlicet munus bonæ conversationis indulges: & *spes obtinendi*, qua donas homini indigno & peccatori de tua toties experta bonitate usque ad cælestia speranda præsumere. Memoriam abundantiæ suavitatis (y) harum misericordiarum eructabo quoad vixero. In æternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum. Suaviter rumino illas, (z) & replentur viscera mea, & interiora mea saginantur, & omnia ossa mea germinant laudẽ. Quid retribuam Dño (a) pro omnibus quæ retribuit mihi? Pro omnibusquidẽ quæ mihi ad conversionem meã tribuit. Qui totum me dedi, quid ulteriùs impendere habeo? *Calicẽ salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Quid est calicem accipiam? Memoriale passionis Christi semper sit in desiderio animæ meæ, ut passionis ejus particeps efficiar, si quoquomodò cognoscere potero sicut & agnitus sum. Sic ergo calicem ejus accipiam, quia monumenta Passionis suæ intra animæ meæ sinum, intra memoriæ meæ cellas semper revolvam. Cernam Regem Salamonem in diademate, (b) quo coronavit eum mater sua Synagoga. Cernam Vnicum Dei Patris crucem sibi bajulantem. Cernã cæsum & consputum Dominum majestatis. Cernam Auctorem vitæ & gloriæ confixum clavis, percussum lanceâ, opprobriis saturatum, tandem illam dilectam Animam suam ponere pro amicis suis. Hæc & alia (c) patientis & morientis Domini mei Jesu memorialia, memoriæ meæ arctiùs commendabo, & ad os cogitationis revocans ruminabo diutiùs, ut impinguer devotiùs.

§. III.

Scitis quid fecerim, (d) septem vobis superiùs proponendo misericordias? Septem utique panes distribui. Nam si factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, quantò magis divinæ miserationes? Multò enim dulciùs istæ sapiunt, reficiunt multò meliùs, ampliùsquè confirmant cor hominis. Verùm multa nobis (ni fallor) ex his panibus cecidêre fragmenta. Nam ego & ipse sentiebam inter frangendum multas è manibus evadere micas, atque inter digitos properantis elabi. *Primus* itaque panis fuit *conservatio gratiæ*, quæ me licet indignum, à multis peccatis adhuc in sæculo positum custodivit. Hujus autem panis tria teneo fragmenta, habentia prorsùs magnum delectamentum saporis, & alimoniam vitæ. Tribus siquidem modis à peccato me memini conservatum, *occasionis* subtractione, *resistendi* data virtute, *affectionis* sanitate. Multa enim in peccata facilè cecidissem, si data esset occasio, sed Dei miseratione non me talis opportunitas apprehendit. In multa quoque paulòminùs cecidissem graviter impulsus violentiâ tentationis, sed virtutem dedit Dominus Rex virtutum: ut sub me esset appetitus meus, & ei quam sentiebam concupiscentiæ minimè consentirem. Sed & à quibusdam tam longè me fecit miseratio divina, ut penitùs abominer ea, & ne nulla quidem eorum me tentatio molestaret. *Secundus* quoque panis fuit *expectatio*, (e) qua tardabat ultionem, indulgentiam cogitabat. Et hujus verò panis tria fragmenta accipite, cogitantes *longanimitatem* quam exhibuit, *electionem* prædestinationis suæ quam impleri voluit, & *charitatem* nimiam qua nos dilexit, Propter hoc enim expectans expectavit me Dominus Jesus, & non intendit mihi, sed oculos suos avertit à peccatis meis, quasi nolens advertere quantùm delinquerem.

Pro-

t *Ser. 2. ibidem num. 1. & 3.* u *Ser. 13. diuer. n. 2.* x *Ser. 2. in Dom. 6. post Pent. num. 3.* y *Ser. 43. in Cant. num. 3.* z *Ser. 16. in Cant. num. 2.*

a *Ser. de verb. Sap. num. 4. & 5.* b *Tract. de diligen. Deo cap. 3. n. 7.* c *Ser. 3 de verb. Sap. num. 5.* d *Ser. 3. in Dom. 6. post Pent. num. 1.* e *Ibidem num. 2.*

Propter hoc, inquam, dissimulabat, ut commendaret patientiam suam, ut impleret electionem suam, ut confirmaret charitatem suam. De *tertio* quoque pane, [f] ejus scilicet misericordiæ quæ convertit nos ad pænitentiam, tria non tam fragmenta quàm frusta vobis appono. Tunc enim (ut benè memini) *concussit* cor meum, excitans illud ut adverteret suorum vulnera peccatorum, & vulnerum sentiret dolorem. Etiam & *terruit* deducens ad portas inferi, & præparata iniquis supplicia monstrans. Et ut nihil jam noxiæ remaneret delectationis, meliorem mihi consolationem inspirans, *spem* indulgentiæ dedit. In his tribus ego conversus sum, credo quòd & vos ipsi. Jam verò *quarti* panis, cujus est *indulgentia*, [g] obsecro vos diligenter colligite fragmenta ne pereant. Sunt enim salubria valdè, & dulciora super mel & fauum. Sic enim ex toto indulsit, & tam liberaliter omnem donavit injuriam, ut jam non damnet *ulciscendo*, nec confundat *improperando*, nec minùs diligat *imputando*. Sunt enim aliqui sic donantes injuriam ut non ulciscantur, sæpiùs tamen improperent. Sunt & alii qui sileant licet, manet tamen alta mente reposta, & rancorem tenent in animo: quorum utique neutra plena indulgentia est. Longè ab his omnibus benignissima est Divinitatis natura, liberaliter agit, ignoscit plenariè, ita ut propter fiduciam hominũ peccatorum, sed pænitentium, ubi abundavit delictum, soleat & gratia superabundare. Bonum est quidem nos hîc esse, (h) ubi datur fiducia peccatoribus, sed oportet etiam cætera non tacere. Itaque & in *continentia* ipsa, quæ est panis *quintus*, tria nihilominùs invenio, unde meritò clamare possim: *Quia fecit mihi magna qui potens est*. Fortè paruum aliquid reputatis continentiam vestram, sed ego non ita. Scio enim quos habeat oppugnatores, & quantæ illam necesse sit esse virtutis, ut possit resistere talibus. Primus siquidem continentiæ nostræ hostis *caro* est, adversùs spiritum concupiscens. Quàm domesticus hostis sit, quàm perniciosa lucta, quàm intestinum bellum! Hostem hunc crudelissimum nec fugere possumus (ô anima mea) nec fugare: circumferre illum necesse est, quoniam alligatus est nobis: nam quod periculosius est & miserabilius, hostem nostrum ipsi cogimur sustentare, perimere eum non licet. Vide ergo quàm sollicitè te custodire necesse sit ab ea, quæ dormit in sinu tuo. Verumtamen non est hic solus adversarius mihi, alium adhuc habeo qui circumcinxit & obsedit me undique: etsi ignoratis, hostis ille est *præsens sæculum* nequam. Conclusit inimicus vias meas, & per quinque portas, quinque videlicet corporis sensus, jaculis suis vulnerat me, & mors intrat per fenestras meas. Sufficere nimis poterant isti duo hostes, [i] caro videlicet & præsens sæculum. Sed, heu me, ecce video ventum validum venientem ab Aquilone, à quo panditur omne malum. Et nunc quid superest aliud? *Domine salva nos: perimus*. Ecce enim malleus universæ terræ. Ecce *serpens callidior* cunctis animantibus. Ecce inimicus ille quem nec videre possum, quantò minùs cavere? Neque enim est *colluctatio* servare volentibus continentiam (continentiam autem dico non à sola luxuria, sed à cæteris quoque sicut necesse est vitiis & peccatis) non *adversùs carnem & sanguinem tantùm, sed adversùs principes & potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*. Et quis est qui jacula eorum ignea possit extinguere? *Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde*. Sed & *narraverunt ut absconderent laqueos, & dixerunt: Quis videbit nos?* Nunc quidem apertè & violenter, nunc occultè & fraudulenter, semper autem malitiosè & crudeliter impugnant & persequuntur nos. Et ad hæc toleranda ne dicam superanda quis idoneus? Credo jam vobis aliquatenùs innotescit continentiæ difficultas, ut juxta Apostolum sciatis quæ à Deo danata sunt vobis. Omninò enim in Domino facimus hanc virtutem, & ipse ad nihilum deducit tribulantes nos. Ipse est qui nonmodò carnem nostram cum concupiscentiis suis, sed & præsens sæculum nequam cum tentationibus suis & vanitatibus, etiam & ipsum cum tentationibus suis conterit Satanam sub pedibus nostris. Numquid non meritò dixeram inveniendum in continentia, unde clamarem: *Quia fecit mihi magna qui potens est?* Jam verò *sexti* panis (k) fragmenta accipite. Est autem panis iste *gratia promerendi*, bona scilicet æternæ vitæ. Quam gratiam in tribus maxime constare arbitror, in *odio* præteritorum malorum, in *contemptu* præsentium bonorum, & in *desiderio* futurorum. *Septimus* quoquè panis est *spes obtinendi*: cujus nihilominùs teneo fragmenta tria, & eorum sapor dulcis est admodùm gutturi meo. Tria, inquam, sunt quæ sic roborant & confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla consideratio propriæ vilitatis, nulla æstimatio cælestis beatitudinis, ab altitudine spei deiicere possit in ea firmiter radicatum. Tria nempè considero in quibus tota spes mea consistit, *charitatem* adoptionis, *veritatem* promissionis, *potestatem* redditionis. Murmuret jam quantùm voluerit insipiens cogitatio mea dicens: Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria, quibusvè meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptavit me, quia verax est in promissione, quia potens est in exhibitione: licet enim ei facere quod voluerit. Quid retribuam Domino (l) pro omnibus quæ retribuit mihi? Pro omnibus quidem quæ mihi ad conversationem meam tribuit. In ipsa conversione mea corpus meum & animam meam retribuit, imò reddidit, imò me pigritante & renitente ipse à me exorsit. Ecce autem pro omnibus quæ ab initio conversionis meæ mihi tribuit, compunctionem videlicet lachrymarum, devotionem meditationum, consolationem in laboribus, delectationem in meditationibus: pro his, inquam, & innumeris aliis beneficiis quid ei rursùm retribuam? Qui totum me dedi, quid ulteriùs impendere habeo? *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*. Quid est calicem accipiam? Memoriale passionis Christi semper sit in desiderio animæ meæ, ut passionis

passionis

f Ibidem num. 3. g Ibidem num. 4. h Ibidem num. 5. i Ibidem num. 6.

k Ibidem num. 7. l Ser. de verl. sap. num. 4. & 5.

ſionis ejus particeps efficiar, ſi quoquomodò cognoſcere potero ſicut & agnitus ſum. Sic ergo calicem ejus accipiam, quia monumenta Paſſionis ſuæ intra animæ meæ ſinum, intra memoriæ meæ cellas ſemper revoluā. Memor ero quamdiu fuero, (m) laborum illorum quos pertulit in prædicando, fatigationū in diſcurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum ejus, convitiorum, ſputorum, colaphorum, ſubſannationum, exprobrationum, clavorum, horumquè ſimilium, quæ per eum & ſuper eum abundautiùs tranſierunt.

§. IV.

Sed non eſt prætereundum (n) quod Sponſa in Cantico amoris dicit: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Ibi enim eſt cor. Et ubi eſt cor, ibi dilectio: & ubi dilectio, ibi dilecti Jeſu manſio. Quid eſt (o) faſciculus myrrhæ? Myrrha amara amaritudinem Paſſionis ſignificat: faſciculus verò coadunationem multarum paſſionum oſtendit. Fit ergo Sponſus Jeſus ſponſæ ſuæ faſciculus myrrhæ, quando ipſum multiplicibus affectum doloribus ad mentem reducit. Et ego, Fratres, (p) ab ineunte mea converſione, pro acervo meritorum quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare, & inter vbera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei *Jeſu Chriſti* crucifixi. Hæc enim ſunt inſtrumenta fortiſſima, (q) in quibus Omnipotens Virtus Dei & inveſtigabilis Sapientia Dei, reſtaurationem mundi potenter atque mirificè operata eſt, & uſque modò operatur Chriſtus Dominus. Proinde hæc meditari [r] dixi ſapientiam. In his juſtitiæ mihi perfectionem conſtitui: in his plenitudinem ſcientiæ, in his divitias ſalutis, in his copias meritorum mihi conſtitui. Ex his mihi interdùm potus eſt ſalutaris amaritudinis, ex his rursùm ſuavis unctio conſolationis. Hæc me erigunt in adverſis, in proſperis reprimunt: & inter læta triſtiaquè vitæ præſentis viâ regiâ incedenti tutum præbent vtrobique ducatum, hinc inde mala imminentia propulſando. Hæc mihi conciliant mundi Judicem, dum tremendum poteſtatibus mitem humilemquè figurant: dum non ſolùm placabilem, ſed & imitabilem repræſentant eum qui inacceſſibilis eſt principatibus, terribilis apud reges terræ. Et ideo inter ubera mea commorabitur. Incomprehenſibilis erat & inacceſſibilis, [s] inviſibilis & inexcogitabilis omninò. Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quonam modo, inquis? Nimirùm jacens in præſepio, in virginali gremio cubans, in monte prædicans, in oratione pernoctans: & in Cruce pendens, in morte pallens, liber inter mortuos, & in inferno imperans: ſeu etiam tertia die reſurgens, & Apoſtolis loca clavorum victoriæ ſigna demonſtrans, noviſſimè coram eis cæli ſecreta conſcendens. Quid horum non verè, non piè, non ſanctè cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito, & per omnia eſt Deus meus. Hæc ego meditari dixi ſapientiam, & prudentiam judicavi eructare memoriam ſuavitatis. Quoniam mihi [t] hic ſalutaris faſciculus ſervatus eſt. Nemo tollet eum à me, inter vbera mea commorabitur. Sufficit mihi, [u] nolo jam ſcire niſi Jeſum & hunc crucifixum. Sed tibi Domine Jeſu fortiſſime zelotes, [x] quid gratiarum retribuam, ut dignè retribuam ego homo pulvis & vile figmentum? Quid enim pro mea ſalute facere debuiſti, & non feciſti? Ab imo pedis uſque ad ſummum verticis te totum in aquas paſſionum demerſiſti, ut me extraheres de illis, & intraverunt uſque ad Animam tuam. Nam & Animā tuam in mortem perdidiſti, ut meam animā perditam mihi redderes. Et ecce me duplici debito obligaſti. Nam & pro eo quòd dediſti tuam, debitor tibi ſum: & pro mea quidem anima bis à te mihi data, ſemel in creatione, & ſemel in redemptione, quid magis juſtè tibi reddam quàm ipſam, non habeo. Pro tua autem precioſa Anima ita contribulata quid ab homine dignè rependi poſſit, non invenio. Nam etſi cælum & terram & omnem ornatum eorum pro ea poſſem rependere, certè nec ſic uſque ad menſuram debiti ullatenùs attingere poſſem. Ut autem ipſum quod & debeo, & poſſibile mihi eſt, retribuam: tui Domine Jeſu muneris eſt. Diligendus es mihi [y] toto corde, totâ animâ, tota virtute: & tua mihi ſequenda ſunt veſtigia, qui pro me mori dignatus es. Et quomodo fiet iſtud in me niſi per te? Adæreat anima mea poſt te: quia tota virtus ejus pendet ex te. Et nunc Domine Jeſu Redemptor meus, te ut verum Deum adoro, in te confido, te ſpero? Et quibus poſſum deſideriis ad te ſuſpiro: adjuva imperfectum meum. Ad tuæ paſſionis *Inſignia* glorioſa, in quibus ſalutem meam operatus es, me totum humiliter inclino. Tuæ victorioſæ *Crucis regale vexillum* in nomine tuo, Chriſte Jeſu crucifixe, adoro. Tuū ſpineum *Diadema*, tuos rubentes Sanguine *Clavos*, tuo ſacro lateri immerſam *Lanceam*, tua *Vulnera*, tuum *Sanguinem*, tuam *Mortem*, tuam *Sepulturam*, tuam victorioſam *Reſurrectionem* & glorioſam *Aſcenſionem*, Chriſte, ſupplex adoro & glorifico. Odor enim vitæ ſpirat mihi in omnibus his. Horum vivifico odore ſpiritum meum, Domine, à peccati morte reſuſcita. Horum virtute ab aſtutiis Satanæ me cuſtodi: ac me conforta, ut jugum mandatorum tuorum ſuaue mihi fiat, & onus crucis quod poſt te bajulare me jubes, humeris animæ meæ ſit leve. Quæ eſt enim fortitudo mea, ut juxta præceptum tuum mundi preſſuras tam multiplices invicto animo ſuſtineam? Numquid pedes mei ſunt tanquam cervorum, ut velocem curſorem per ſpinas & confragoſa paſſionum conſequi valeam? Sed audi vocem meam, [z] & inclina ſuper ſeruum tuum ſuavem Crucem illam, quæ lignum vitæ eſt iis qui apprehendunt eam: ut ſpero, curram alacriter, portabo infatigabiliter eam quæ ab inimicis eſt crucem poſt te. Illam, inquam, diviniſſimam Crucem humeris meis impone, cujus *latitudo* eſt Charitas, cujus *longitudo* eſt Æternitas, cujus *ſublimitas* eſt Omnipotentia, cujus *profundum* eſt inſcrutabilis Sapientia. Confige illi manus meas & pedes meos: & totum Paſſioni tuæ conforma ſeruum tuum Domine. Da, obſecro, mihi continere ab ope-

m *Ser. in fer. 4. hebd. ſan. nu.* 11. n *Ser. 2. in Cæna Domini n.* 9. o *Tract. de vite myſt. cap.* 4. *num.* 17. p *Ser.* 43. *in Cant. nu.* 3. q *Ser. de Paſſ. Domini num.* 2. r *Ser.* 43. *in Cant. num.* 4. s *Ser. in Virg. Deip. num.* 11.

t *Ser.* 43. *in Cant. num* 4. u *Ser.* 45. *in Cant. num.* 4. x *Ser. de Paſſ. Domini num.* 18. y *Ibidem num.* 19. z *Ibidem num.* 20.

operibus carnis quæ odisti, & facere justitiam quam dilexisti, & in utroque tuam quærere gloriam. Et *sinistram* quidem manum meam clavo *temperantiæ*, *dexteram* verò clavo *justitiæ* in illa sublimi Cruce fixas esse arbitror. Da menti meæ jugiter meditari in lege tua, & omnem cogitatum meum jactare in te: & *dextrum* pedem meum eidem ligno vitæ clavo *prudentiæ* affige. Da ut sinistram spiritus mei sensualitatem non eneruet labentis vitæ infælix fælicitas, non conturbet præsentis vitæ infælicitas fælix: & *sinister* quoque pes meus *fortitudinis* clavo in Cruce tenebitur. Ut autem aliqua similitudo *spinarum* Capitis tui in me appareat, [a] detur obsecro menti meæ & salutaris pœnitentiæ *compunctio*, & alienæ miseriæ *compassio*, & *stimulus zeli* æmulantis quod rectum est coram te: & ad te convertar in ærumna mea, dum triplex configetur spina. Libet ut *Spongiam* per arundinem ori meo porrigas, & *aceti* amaritudinem gustui meo adhibeas. Libet ut per Scripturas tuas rationi meæ conferas gustare & videre quoniam florens hic mundus tanquam spongia inanis est, & omnis concupiscentia ejus aceto amarior. Ita in me fiat calix iste Babylonis amarus in omnem terram, ut non inani flore seducat, non falsa dulcedine inebriet, quẽadmodùm eos qui tenebras lucem, lucem tenebras, amarũ dulce, & dulce amarum arbitrantur. *Uinum myrrhatum* cum felle mixtum suspectũ est mihi: pro eo quòd Tu ex eo bibere noluisti, quia nimiũ acerbitatem invidiæ & nequitiæ crucifixorum tuorum indicabat. Tuæ vivificæ *Morti* tuum seruum Domine Jesu configura, faciens quidem in me ut moriar secundùm carnem, vivam autem secundùm spiritum justitiæ. Nihil mihi quæso sine te dulcescat, [b] nihil preciosum arrideat mihi. Sed da mihi bone Jesu in te vivere, & pro amore tuo mori, qui pro me dignatus es amaræ mortis subire tormentum. Super omnia (c) Passio tua te mihi amabilem facit: ipsa *propitiata est omnibus iniquitatibus nostris*. Effusione enim Sanguinis tui sine culpa, omnium culparum chirographa sunt deleta. Gratias agimus tuæ cruci Iesu Christe: ipsa enim omnes cruciatus nostros evacuat. Gratias clavis, gratias & illi lanceæ referimus, quæ nobis aperuit viscera misericordiæ Dei nostri. Vt autem integrã *Crucifixi imaginem* me portare glorier, [d] illud quoque quod post mortem tuam insatiabilis malitia impiorum in te exercuit, hanc in me similitudinem exprime. *Uulneret* cor meum viuus & efficax sermo tuus, penetrabilior omni lancea acutissima, pertingens usque ad divisionem animæ meæ, & producens ex ea tanquam de dextro latere meo vice sanguinis & aquæ amorem tuum, Domine. Postremò & mundâ *Sindone* primæ stolæ spiritum meum involve, in quo requiescam egrediens & ingrediens in locum tabernaculi admirabilis, & abscondas me donec pertranseat furor tuus. Die autem tertio post diem laboris, post diem supplicii, mane prima sabbati perpetuò inter filios tuos me indignum resuscita, ut in carne mea videam claritatem tuam, & impleat lætitiâ vultus tui. O Salvator meus & Deus meus! veniat, veniat oro tempus, ut quod nunc credo, oculis tandem revelatis aspiciam: quod spero nunc & à longè saluto, apprehendam: quod nunc pro viribus meis desidero, vlnis animæ meæ amplectar & deosculer, & in amoris tui abyssum totus absorbear, O Salvator meus & Deus meus.

§. V.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus, quæ distinxerunt labia mea. Psal. 115. & 67.

Cognosce anima mea, [e] cognosce: Hic est Dominus Deus noster, Jesus Christus Salvator tuus, Unigenitus Dei Filius, verus Deus, verus Homo. Ipse est qui te tantùm & semel dicendo fecit, [f] in reficiendo autem & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, nec tantùm dura, sed & indigna. Quid poteris Largitori tuo [g] dignè rependere? Dedit te tibi, quando te creavit ut esses: reddidit te tibi, cùm recreavit ut benè esses. Dedit in viaticum tibi ne in via deficias, Corpus & Sanguinem suum, se verum Deum & Hominem verum. Et tu quid rependes? Si pro eo quod dedit tibi, quando te creavit, vicem nequis rependere: quid denique pro eo rependes, quod se tibi dedit? Certè si te millies posses rependere, quid esses tu in comparatione Dei? Repende tamen quantùm potes, rependete totam illi, qui se totum tibi & dedit & reddidit: & his non contentus, se quoque totum tibi dedit. Dilige hunc tantum te diligentem, & singularem dilectum ex tota anima tua, & ex toto corde tuo, & ex omnibus viribus tuis: quia & cor bonæ voluntatis, & animam rationabilem, & vires ad implenda quæ bona sunt, ipse dedit tibi. Atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum [h] de principali tui pectoris nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens. Suge non tam vulnera, [i] quàm ubera Crucifixi. Hic tibi sit cibus & potus, [k] dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio tua & meditatio tua, oratio & contemplatio tua, mors & resurrectio tua. Benedic anima mea Domino Jesu Christo crucifixo, [l] qui replet in bonis desiderium tuum. Replet in bonis, excitat ad bonum, tenet in bono: prævenit, sustinet, implet. Ipse facit ut desideres, ipse est quod desideras. Proinde (m) benedic anima mea Deum Salvatorem meum, & magnifica Nomen ejus. Sanctum est enim, & sanctissimis deliciis plenum. O quàm bonus & quàm suavis es Domine Jesu animæ quærenti te! Jesu Redemptor perditorum, Salvator redemptorum, spes exulum, fortitudo laborantium, anxiati spiritus latitudo, animæ lachrymosæ & post te currentis in sudore solatium & suave refrigerium, corona triumphantium, unica merces & lætitia supernorum Civium, uberrimus fons omnium gratiarum, unica proles Summi Dei, & Deus Summus, benedicant te omnia quæ in cælo sunt sursùm, & quæ in terra deorsùm. Benedic anima mea Domino, (n) & omnia quæ intra me sunt: benedic Nomini sancto ejus. Benedic, &

dic:

a *Ibidem num.* 21. b *Lib.* 3. *de amore Dei. cap.* 34. *num.* 113. c *Ibidem cap.* 26. *num.* 88. d *Ser. de Paß. Dom. num.* 22.

e *Ibidem num.* 15. f *Tract. de dilig. Deo cap.* 5. *num.* 15. g *Tract. de vite myst. cap.* 30. *num.* 120. h *Ser.* 43. *in Cant. num.* 2. i *Epist.* 351. *num.* 1. k *Formul. honest. vitæ num.* 2. l *Tract. de dilig. Deo cap.* 7. *num.* 21. m *Ser. de Paß. Dom. num.* 23. n *Tract. de inter. domo cap.* 37. *num.* 83.

dic: *Gloria, laus, & honor sit tibi Rex Christe Redemptor*. Magnus es tu, (o) & magnum est Nomen tuum. O immarcescibilis decor Dei excelsi, & purissima claritas lucis æternæ, Vita omnem vitam vivificans, lumen illuminans, lux omne lumen illuminans & conservans in æterno splendore! Inclytas primitias populi tui, (p) insigne solemnitatis nostræ illo quæsumus igne stillicidio purga, innova, illumina, inflamma, exhilara & confirma: & uni cor credentium tibi, ut unum sint, unum sapiant, unum unanimiter requirant, ut apprehendant & videant, & benedicant te Deum deorum in Sion: *Sit Individuæ Trinitati gloria, gratiarum actio, bonor, & imperium in sæcula sæculorum. Amen.*

Porrò (q) disce anima mea in referendo gratiam non esse segnis, disce ad singula dona gratias agere. *Diligenter* (inquit Scriptura) *considera quæ tibi apponuntur*, ut nulla videlicet Dei dona debitâ gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Oportet namque gratum esse hominem & devotum, (r) qui percepta gratiæ munera nonmodò manere sibi desiderat, sed & multiplicari. Alioquin nisi ad fontem redeant, (s) fluenta gratiæ exsiccantur: & infideles in modico, quod maximum est accipere non meremur. Quis verò fons vitæ est, (t) nisi Christus Dominus? Unctum à Deo Patre est Caput nostrum Christus, (u) & nihilominùs ungi postulat & à nobis: *Cum jejunaveris*, (inquit) *unge caput tuum*. Itane aquam petit à rivulo fons indeficiens? Petit sine dubio, aut certè repetit magis. *Ad fontem* enim *unde exeunt, flumina revertuntur ut iterùm fluant*. Non verò ut minus habens quod dederat Christus repetit, [x] sed ne tibi pereat quidquid ad eum referre volueris. Siquidem etiam fluminis aqua si stare cœperit, & ipsa putrescet, & inundatione facta superveniens repelletur. Sic planè, sic gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fuerit: necmodò nihil augetur ingrato, sed & quod acceperat vertitur ei in perniciem. Fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori. Felix qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, [y] in quo est plenitudo omnium gratiarum; cui dum nos pro acceptis donis non ingratos exibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora adhuc accipere mereamur. Origo fontium [z] & fluminum omnium mare est: virtutum & scientiarum origo Dominus Jesus Christus crucifixus est. Quòd si copiæ aquarum secretis subterraneisquè recursibus incessanter æquora repetunt, ut inde rursùs ad visus usufquè nostros jugi & infatigabili erumpant obsequio: cur non etiam spirituales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude & sine intermissione reddantur? Ad locum unde exeunt, revertantur flumina gratiarum, ut iterùm fluant. Remittatur ad suum principium cæleste profluvium, quo uberiùs terræ refundatur. Qualiter inquis? Qualiter dicit Apostolus: *In omnibus gratias agentes*. Quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis anima mea, Dei Virtuti & Dei Sapientiæ deputa Christo Deo nostro. Et da gloriam Deo, [a] qui gratis te prævenit, excitavit, initiavit: & vive dignè de cætero, quo te probes & perceptis beneficiis non ingratam, & percipiendis idoneam. Confitenti humiliter, (b) & devotè gratias referenti, non immeritò ampliora beneficia promittuntur. Nam qui fidelis invenitur in modico, jure constituetur super multa: sicut è contrario accipiendis indignus est, qui fuerit de acceptis ingratus. Cæterùm quidquid illud est quod offerre paras, (c) MARIÆ commendare memento, ut eodem alveo ad Largitorem gratiæ gratia redeat quo influxit. Neque enim impotens erat Deus, & sine hoc aquæductu infundere gratiam prout vellet, sed tibi vehiculum voluit providere. Ideoquè Opusculum istud quod offerre desideras, gratissimis illis & omni acceptatione dignissimis MARIÆ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirùm candidissima quædam lilia sunt, nec causabitur ille liliorum Amator inter lilia non inventum, quidquid illud sit quod inter MARIÆ manus invenerit. Hìc jam huic Opusculo terminum imponimus, (d) parati emendare, demere, & mutare, sicubi contra fidem, & contra Sacras Scripturas aliquid diximus. In omnibus debitas gratias humiliter agimus ei, qui gratuitâ gratiâ suâ nos edocuit, qui aperit os mutorum, & linguas infantium disertas facit. Atque principium Opusculi hujus finemquè consecramus optimo & dulcissimo Jesu Christo crucifixo. Ipse sit hujus Opusculi finis, (e) qui finis est ad justitiam omni credenti. Ipse principium & finem (f) omninò soli vendicat sibi, ut sit nobis *Alpha & Omega* Dominus Deus noster, & pro utroq; jure meritò clamemus: *Non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Hoc est: (g) nil nobis, ô Domine, de scientia tribuimus, sed tuo totum Opusculum (à quo totum est) Nomini tribuimus quod est *Jesus*.

Quid denique retribuam Domino (h) pro omnibus quæ retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit, quando me creavit: in secundo opere se mihi dedit, quando me recreavit. Et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? Nonne si conferrentur in me omnes vitæ filiorum Adam, (i) & omnes dies sæculi, & omnes labores hominum qui fuerunt, qui sunt, & qui erunt; nihil esset ad comparationem Corporis illius crucifixi, quod spectabile & stupendum est Virtutibus etiam supernis in conceptu de Spiritu Sancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus Sacramentorum. Vides anima mea, quia sicut exaltantur cæli à terra, sic axaltata est Vitá illa à vita nostra: quæ tamen posita est pro vita nostra. Sicut nil ad aliquid nullam habet comparationem, ita & vita nostra nullam habet ad Vitã Christi proportionem, cùm illa dignior, ista miserior esse non possit. Cùm ergo Dño meo Jesu crucifixo donavero quidquid sum, quidquid possum: nonne istud sic est sicut Stella ad Solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad aceruum? Ut autem ipsum

o *Ser. 1. de Pass. Domini num. 13.* p *Ibidem num. 24.* q *Ser. 51. in Cant. num. 7.* r *Ser. 2. in Dom. 6. post. Pent. num. 2.* s *Ser. 2. de Virg. Deip. num. 13.* t *Ibidem num. 3.* u *Ser. 1. in Quadrag. num. 2.* x *Ibidem num. 4.* y *Ser. 27. diver. num. 7.* z *Ser. 13. in Cant. num. 1.* a *Tract. de grat. & lib. arb. cap. 1. num. 1.*

b *Ser. 4. super. Psal. 90. num. 1.* c *Ser. 2. de Virg. Deip. num. 18.* d *Tract. de vite myst. cap. 46. num. 105.* e *Epist. 107. num. 13.* f *Ser. 4. de verb. Esa. num. 4.* g *Tract. de diligen. Deo cap. 2. num. 7.* h *Ibidem cap. 5. num. 15.* i *Ser. 22. diver. num. 6.*

ipsum quod & debeo, (k) & possibile mihi est, retribuam: tui Domine Jesu muneris est. Diligendus es mihi toto corde, (l) totâ animâ, tota virtute: & tua mihi sequenda sunt vestigia, qui pro me mori dignatus es. Valdè etiam mihi amandus es, (m) per quem *sum*, *vivo*, & *sapio*. Pro his ergo tribus ita sum amans te quantùm possum. Sed est quod me plùs movet, (n) plùs urget, plùs accendit. Super omnia inquam reddit amabilem te mihi Jesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omninò amorem nostrum facilè vendicat totū sibi. Hoc nostram devotionem & blandiùs allicit, & justiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs. Christus enim pro salute mundi factus est Hostia salutaris, [o] reconciliatio generalis, omnibus Sacramentis tam præcedentibus quàm subsequentibus virtutem dedit & efficaciam, ut tanta & tali Hostia sanctificarentur omnes liberandi per illam. Quia enim voluit, [p] oblatus est. Nonmodò voluit & oblatus est, sed quia voluit. Solus nimirùm potestatem habuit ponendi Animam suam: nemo eam abstulit ab eo. Vltrò cùm accepisset acetum, dixit: *Consummatum est*. In cruce inquam oblatus est, (q) non quia meruit, non quia Judæus prævaluit, sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi Domine *Jesu*: quia voluntariè oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. Oblatus es, (r) quia sic decrevit tua erga me inæstimabilis dilectio. Oblatus es, quia sic ego indigui. Oblatus es, quia ipse voluisti. Sed quid ego offeram (s) aut quid retribuam Tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? Tu pro me obtulisti Hostiam preciosiorem quam habuisti, nimirùm qua preciosior esse non potuit. Et ego igitur faciam quod possum, optimum quod habeo offerens Tibi, quod sum utique egometipse. Tu teipsum obtulisti, ego quis sum qui meipsum offerre cuncter? Quis mihi tribuat ut oblationem meam dignetur Majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo Domine *Jesu*, corpus & animam dico: utinam hæc tibi perfectè possim sacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi longèquè gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar, quàm desetar mihi ipsi. Nam ad meipsum anima mea conturbatur, in te verò exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. Per omnia sit benedictus Jesus Christus crucifixus, (t) qui sic dilexit genus humanum, sicut Deus Pater dilexit eum. Ipse enim ait: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos*. O chara Charitas, ô æterna Veritas, ô dulcis æternitas, ô beata fælicitas, ô decus Angelorum, ô splendor sanctorum Jesu bone, *Jesu* sancte, vita immaculata, totus amabilis, quomodò nos amâsti, quomodò nos dilexisti, qui teipsum in mortem tradidisti? Amor tuus nescivit habere modum, & mensuram tua ô christe Jesu charitas tenere non potuit. Uerè Domine ni mis excessisti: (u) quia cùm sis splendor paternæ gloriæ & figura substantiæ ejus, & cùm sis Dominus Majestatis; tamen trementibus elementis, cæli luminaribus obscuratis, & stupentibus Angelis, pati dignatus es tormentum abjectissimæ passionis. *Sicut dilexit me Pater*, inquis, (x) *& ego dilexi vos*. Vtinam & ego essem, quem diligeret me Dominus meus. Vtinam audissem ex ore Domini mei: *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi te*. Quid mihi jam deesse posset, si me diligeret *Jesus* meus? Meus inquā, & utinam meus. O felices divitiæ, ô opes beatæ, possidere *Jesum*, possidere Dominum Christum & hunc crucifixum. Magna sunt hæc (y) sed tu magne Domine promisisti. Ex tua promissione speramus, inde audemus dicere: Si corde rogamus pio, certè debes ex promisso. O bone Iesu, (z) esto mihi Iesus. Recole Salvator, quid & propter quid passus es, & miserere mei. Ipsa te cogat pietas, ut mala nostra superes parcendo, & voti compotes, me tuo vultu saties. Tu esto meum gaudium, qui es futurus præmium. Sit mea in te gloria in sæculum sæculi, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

F I N I S.

DEO GRATIARUM ACTIO,

ET BEATO BERNARDO,

Servo ejus dulci & fideli.

S. Bonavent. Conclus. tract. medit. de vita Christi.

k *Ser. de Pass. Dom. nu.* 18. l *Ibidem nu.* 19. m *Ser.* 20. *in Cant. nu.* 1. n *Ibidem nu.* 2. o *Ser. de excellen. Sacram. nu.* 4. p *Ser. in fer.* 4. *hebd. Sanct. num.* 4. q *Ser.* 3. *in Purificat. B. M. num.* 2. r *Tract. de* 3. *præcip. myst. cap.* 6. *n.* 16. s *Ser.* 3. *in Purific. B. M. n.* 3.

t *Ser.* 12. *in ult. Cæna Dom. n.* 99. u *Ser. in fer.* 2. *Pasch. num.* 8. x *Ser.* 12. *in ult. Cæna num.* 99. y *Ser.* 16. *super. Psal.* 90. *nu.* 4. z *Ser.* 4. *in ult. Cæna. nu.* 30.

INDEX

Partium, Capitulorum, & Paragraphorum: quæ in hoc Libro Philosophiæ Christianæ continentur.

Numerus indicat paginam.

PARS II.

CA-

Ex-

CA-

Pe-

CA-

tione

FINIS.